

BIU Cujas

BIU Cujas

54. 336

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

POTENTISS. PRVSSORVM REGIS quondam a Consil. Sanctior., Iur. ac Philosoph. in ill. Academ. Frideric. Professoris publ. ord.

OPERVM

AD

VNIVERSAM IVRIS PRVDENTIAM,
PHILOSOPHIAM ET LITTERAS HVMANIORES

Pertinentium,

TOMVS SEPTIMVS:

Continens,

I. COMMENTARIVM AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM.
II. OPVSCVLA POSTVMA.

FACULTÉ DE DROIT DE PARIS BIBLIOTHÈQUE
BIBLIOTHEQUE CUJAS PARIS

GENEVAE,
Impensis FRATR. CRAMER, ET CL. PHILIBERT.

cIↃIↃccxxxxviiii.

BIU Cujas

BIU Cujas

HONORATISSIMO LECTORI

S. P. D.

BIBLIOPOLAE.



OPERVM Heineccianorum *septimus* iam tomus noſtris ſumtibus prodit, honoratiſſime lector, et quidem auguſtiori habitu, quam precedentes editiones. Priori loco comparet *Commentarius ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam*, qui primum Amſtelodami apud Waeſbergios 1727, 4. prodiit, mox ibidem 1731. in eadem forma recuſus. Splendidiſſimam equidem dixeris hanc editionem, at mendis typographicis ita repletam, ut vix vſui eſſe poſſit. Quae omnia vti nunc quam adcuratiſſime emendavimus, ita quoque ſupplementa, antea ad finem opuſculi reiecta, ſuo quaeque loco inſeri curauimus, maximo lectoris commodo. Amſtelodamenſes has editiones inſecuta fuit Veneta, ex typographia Balleoniana 1741, 12. prioribus adcuratior, ſi rubro fides habenda: vt adeo noſtra numero ſit quarta.

Sequuntur diui viri *Opuſcula poſtuma* a viro illuſtri, IO. CHRIST. GOTTLIEB HEINECCIO,

BIU Cujas

CIO, paternarum virtutum ac eruditionis herede certissimo, primum Halae Saxonum 1743, 4. edita. Instituti nostri ratio non patitur, vti quae in iis contineantur enarremus, de quo titulus huius rei cupidum edocere potest. Id monere e re lectoris esse duximus. Halensem editionem mendis quamplurimis scatere, quae omni adhibita diligentia sustulimus. Deerat quoque index rerum et verborum, sine quo difficulter libri lectio procedit, quem iam locupletem satis adiectum vides, lector beneuole, adornatum opera viri doctissimi, qui onus hoc lubens in se susceperat. Sic vero vale, honoratissime lector, nobisque fave.

Scribebamus *Geneuae d.* 20. *Martii* cIↃIↃccxxxxviiii.

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

IC. ET ANTECESSORIS,

AD

LEGEM IVLIAM

ET

PAPIAM POPPAEAM

COMMENTARIVS,

QVO

MVLTA IVRIS ROMANI, AVCTORVMQVE VETERVM LOCA EXPLICANTVR, VINDICANTVR, EMENDANTVR, ATQVE ILLVSTRANTVR.

EDITIO TERTIA, AVCTIOR ET EMENDATIOR.

GENEVAE,
Impensis HERED. CRAMER, ET FRATR. PHILIBERT.

cIↃIↃCCXXXXVII.

BIU Cujas

HENRICI SPELMANNI

AD

LEGEM IVLIAM

ET

PAPIAM POPPAEAM

COMMENTARIVS.

BIU Cujas

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.



VGVSTVM, saeculis omnibus memorandum principem, *maximis omnium gentium viris magnitudine sua caliginem induxisse*, Ioue non iniquo olim iudicauit VELLEIVS PATERCVLVS (a), assentator ille quidem maximus, et cui omnia principum honesta atque inhonesta laudare mos fuit, sed cuius tamen adulationi in vno Augusto materiam defuisse dixeris. Nam vt alias, quibus hic princeps pace belloque enituit, virtutes praetermittam: vel illa, quae in legibus ferendis elucet, prudentia tam admirabilis in eo fuit, vt vix gentes vniuersae in annalibus suis reperturae videantur principem, quem alteri isti rei publicae Romanae conditori ac parenti sine rubore opponant. Inciderat ille in ea tempora, quibus procax libertas ciuitatem miscuerat. Bellorum ciuilium, quae aemulatio inter Caesarem et Pompeium conflauerat, exitus sane tristissimus ex altera parte caedem, ex altera produxerat dominatum, quem nec parari, nec retineri bonis artibus posse, inter omnes constat. Hinc ipse Caesar, quamuis animi vigore acer-

 rimus,

(a) *Lib. II. cap.* 85.

BIU Cujas

rimus, quamuis manu fortissimus, et magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientiaque periculorum Alexandro, sed sobrio, nec irato, simillimus, tamen quum et malis artibus vti nollet, nec bonis posset, partum tot sudoribus imperium vix in quintum mensem tuebatur, fato suo documento futurus posteris, facilius parari, quam retineri imperium. Eo interemto, tantum abest, vt fluctus illi ciuiles consederint, vt ex Charybdi in Scyllam incidisse videretur res publica. Noua enim illico bella, quorum exitus ciuibus praestantissimis proscriptionem et caedem, libertati et legibus interitum, aerario eluuionem, ipsique principi terrarum rei publicae deteriorem omni tyrannide triumuiratum adferebat. Ita vero actum fuisset de maiestate Romana, et ne ipsa quidem salus populum, in sua viscera per tot annos saeuientem seruare potuisset, nisi Augusti illuxisset ingenium sine exemplo maximum, isque vir prudentissimus, remotis aemulis, subuerso Lepido, Antonio ad Actium deuicto, cuncta discordiis ciuilibus fessa nomine principis sub imperium accepisset.

Is enim rerum potitus primo omnium de republica constituenda cogitabat, et quum facile intelligeret, stare non posse principatum, qui magis armis et terrore, quam legibus et iustitia, niteretur: a sexto consulatu potentiae securus animum ad ciuitatem legibus temperandam adiiciebat, et TACITO (a) teste, *dabat iura, quibus pace et principe vterentur.* Quam arduum hoc fuerit et difficile, quantisque cum impedimentis ipsi fuerit colluctandum, primum ex temporum illorum perturbatione, et populi Romani ingenio colligas. Rem publicam sane acceperat non modo discordiis ciuilibus fessam, ac prope enectam, non solum ciuibus, viribus opibusque exhaustam, verum etiam ita comparatam, vt nec libertatem ferre posset, nec seruitutem. Intolerabile erat ciuibus Romanis regium nomen, quod ante tot saecula serio eiurauerant: et tamen discordanti ciuitati non aliud supererat remedium, quam vt ab vno regeretur. Confugisse in Augusti

(a) *Annal. Lib. III. cap. 28.*

BIU Cujas

Augusti sinum videbatur res publica; sed eadem tamen quidquid dominatum redoleret, auersabatur quam maxime, aegrotis illis simillima, qui nec morbum pati possunt, nec remedia. Talis erat Romanae rei publicae facies, quum Augustum acciperet principem. Quod si itaque vere cecinit PINDARVS (b):

Ράδιον μὲν γὰρ πόλιν σείσαν καὶ ἀφαυροτέροις. ἀλλ' ἐπὶ χόρας ἄνθις ἔσσαι, δυσπαλὲς Δὴ γίνεται ἐξαπίνας, Εἰ μὴ θεὸς ἀγεμόνεσσι κυβερνάτηρ γένηται.

Facile quippe est, ciuitatem concutere, etiam imbecillioribus: at in sedem iterum collocare, difficile Vtique est, repente Nisi deus principibus gubernator fuerit.

quis quaeso in constituenda ciuitate Romulo plus negotii fuisse dixerit, quam Augusto in eadem instauranda? Quisue eum suffecturum fuisse crediderit tot morbis sanandis, nisi ei diuinitus concessa regnatrix prudentia adfuisset? Hac vero fretus, ita instruebat scenam, vt sensim mutaretur res publica, nec tamen mutari illam populus sentiret, sexcentis libertatis simulacris delusus. Hinc nec *regem* se vocari patiebatur, quum esset παμβασιλεὺς, nec *dictatorem*, quum esset sine prouocatione, nec *dominum*, quum ei omnes seruirent. *Principis*, *pontificis maximi*, et similia vocabula, liberae quoque Romae non ignota, imperio praetexens, diuina humanaque omnia suo arbitrio moderabatur, et solo clementiae auctoramento senatum populumque non minus sibi habebat obnoxium, quam si triste Tarquinii Superbi exem-

(a) *Pyth.* III.

BIU Cujas

exemplum sequutus illum exhausisset caedibus, hunc terrore, metu, et laboribus oppressisset. Primum hoc est et praecipuum, in quo Augusti prudentia eluxit, cui et alterum non minus admiratione dignum accedit. In rerum publicarum conuersionibus id quoque euenire solet, vt veteris rei publicae leges nouo statui non magis plerumque conueniant, quam puero Herculis cothurni. Nam, ut recte vidit ARISTOTELES (a), aliae sunt leges, quae statum popularem conseruant, aliae, quibus principatus vel imperium optimatium continetur, nec fieri potest, ut eaedem prosint et imperio paucorum, et statui multitudinis. Et tamen quum nullam mutationem aegrius ferant homines, quam legum, quibus ab incunabulis innutriti sunt: quis dubitet, quin Romanis ea mutatio accidere debuerit molestissima? Nihil erat iure Quiritium praestabilius. Vnusquisque paterfamilias domi erat familiae princeps, et iure vitae et necis in omnes, qui potestati eius subiecti erant, vtebatur. Idem in ciuitate erat veluti sacrosanctus, a cuius capite et tergo leges Valeriae et Porcia omne supplicium omnemque iniuriam remouerant. In foro et comitio non minore auctoritate, ac summi magistratus, vna cum ciuibus reliquis de pace, bello, foederibus, suffragia ferebat, leges figebat refigebatque, quin et de capite et fortunis summorum virorum iudicabat. Particeps erat honorum et sacerdotiorum omnium, quin saepe, qui hodie aratrum tenens agellum suum colebat, perendie ciuium iussu paludatus exibat in prouinciam, et maximis exercitibus summo cum imperio praeficiebatur. An ea iura tam facile dimisissent Romani? an non quodcumque pro iis certamen subiissent? Quid vero Augustus? Quum animaduerteret, ea omnia parum conuenire principatui, cuius ex TACITI (b) sententia *ea conditio est, vt non aliter constet ratio, quam si vni reddatur:* primum constituto praefecto vrbi negotium dabat, vt et seruitia et saeuitiam dominorum coërceret, id est imperium

(a) *Polit. Lib. III. cap. 7. Lib. IIII. cap. 1. Lib. V. cap. 9.*
(b) *Annal. Lib. I. cap. 6.*

BIU Cujas

perium illud domeſticum paullatim intra fines coërceret; deinde honores quidem a populo deferri patiebatur, ſed non niſi a ſe electis. Prouinciarum porro potentiſſimarum curam ſibi ob poteſtatem proconſularem vindicabat, eoque mittebat, quorum perſpectam exploratamque habebat fidem et promtum ad quaeuis obſequium. Denique et nouas leges ferebat, ὐ μέντοι πάντα ἐθελογνομόνων νομοθεὶς ἀλλά τινα καὶ ἐς δημόσιον προθεὶς, ὅπως ἄν τι μὴ ἀρέσῃ ἐπανορθώσῃ, *non omnia ſuo ſanciens arbitrio, ſed plura etiam populo promulgans, vt is, ſi quid minus placeret, emendaret*, vti refert ZONARAS (a): ſed non erat, quod ſuffragia populi metueret, annona et congiariis prius deliniti. Ita plures pertulit leges, etiam ſeueriſſimas, et ad principatum ſtabiliendum comparatas, nec vllam promulgatam ab eo antiquatam nouimus, praeter Iuliam noſtram de maritandis ordinibus, quam et ipſam tamen poſtea non ſolum pertulit, ſed et fremente necquidquam equeſtri ordine acrioribus vinculis altera rogatione Papia Poppaea muniuit. Erat et aliud, quod Auguſtum poterat ſollicitum habere. Libera re publica regnum forenſe penes praetores et aediles erat, qui non modo iura reddebant, verum etiam edictis ſuis illa ſuo fere arbitrio mutabant. Quamuis enim negarent ſe legiſlatores eſſe, et quidquid agerent, *adiuuandi, ſupplendi, corrigendique iuris ciuilis gratia* facere fingerent (b): vere tamen auguſtam illam poteſtatem νομοθετικὴν ſibi arrogabant, ἅτε πάντα δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διατεταγμένα, ἅτε τὰ γεγραμμένα τηροῦντες, ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μεταγράφοντες, καὶ συχνὰ ἐν τούτῳ πρὸς χάριν ἢ κατ' ἔχθραν τινῶν, ὥσπερ εἰθισμὸς, ποιοῦντες; *neque id ius, quod ad contractus dirigendos poſitum erat, obſeruantes, neque ſcripto iuri ſtantes, ſed ſaepenumero ea variantes, crebroque per gratiam vel odium certorum hominum, vt fieri adſolet, multa ſtatuentes* (c). Vnde et *legiſlatores* eos vocare non dubitat IVSTINIANVS

(a) *Tom. I. Annal. Lib. X. p. 533. edit. Cang.*
(b) L. 7. §. 1. *D. de iuſt. et iur.*
(c) DIO CASS. *Lib. XXXVI. pag. 21.*

BIU Cujas

NIANVS noſter (a). Atqui principatus ea conditio eſt, vt nullam partem legiſlatoriae poteſtatis magiſtratibus poſſit concedere. Viuas hos eſſe oportet leges, non legum auctores et arbitros: eorum eſt, reddere iura, non ea conſtituere, et mutare pro lubitu; ita denique fungi munere ſuo, vt qui ſe principi rationem reddituros ſciant. Quid hic Auguſtus? Tarquinius ſane aliquis magiſtratus omnes vno edicto abolere, praetorem et aediles tribunali et ſella curuli depellere, eorum edicta albo detrahere, et vna ſpongia delere non dubitaſſet: at dubitabat Auguſtus, vt qui non euertere, ſed reſtituere velle rem publicam videri cuperet. Procedebant ergo more maiorum conſules, iiſdem, ac olim, dignitatis ſuae inſignibus conſpicui: ſublimes, vti antea, e tribunali ius dicebant praetores, e ſella curuli aediles de redhibendo et euictionibus praeſtandis non ſecus, ac libera adhuc re publica, pronunciabant. Quaeſtorum quoque, immo et cenſorum, et tribunorum plebis, audiebantur nomina, et inſignia, ſi qua antea habuerant, conſpiciebantur: ſed ſimulacra haec tantum veteris rei publicae erant, non eadem, quae olim, res publica, vel, vt eleganter ait TACITVS (b), *eadem magiſtratuum vocabula: nihil vſquam priſci et integri moris, quum omnes, exuta aequalitate, iuſſa principis adſpectarent.* Nam primo, quo plures partem adminiſtrandae rei publicae caperent, noua officia excogitabat, curam operum publicorum, viarum, aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidundi, et, quae maxime euertendo praetoris regno excogitata fuerat, praefecturam vrbis (c). Deinde et iureconſultis, non Labeonibus, incorruptae libertatis viris, ſed aliis ſibi obnoxiis, et quorum obſequium dominantibus magis probaretur, facultatem de iure reſpondendi dabat, in ſpeciem quidem, vt eo maior eſſet iuris auctoritas, ſed re vera, vt et leges antiquas

(a) *Nouell. XXV. praef. et Nou. XXVI. cap. 1.*
(b) *Annal. Lib. I. cap. 3.*
(c) SVETON. *Aug. cap. 37.*

BIU Cujas

quas interpretationibus suis ad praesentem statum paullatim detorquerent, et formulario praetorum iuri obicem ponerent, quippe illam quoque nacti praerogatiuam, vt iudices, olim, formulae praetoris, tamquam glebae, adscripti, *ab eorum responsis iam discedere non possent* (a). Nec minus callidum hoc erat inuentum, quod magistratibus sub specie honoris alia plane munera demandaret, veluti curam aerarii, ludorum, et spectaculorum publicorum, orationum, et epistolarum in senatu legendarum. Ita enim fiebat, vt, quum his nouis inhiarent, vetera amitterent, solo vocabulo consules, praetores, aediles, quaestores, et principi non magis, quam vmbrae, metuendi. Periculosissimi denique, qui rei publicae incubuerant, morbi erant vitia publice gliscentia, et res angusta aerarii. Vtramque pestem vel maxime aduexerat bellorum ciuilium furor. Quotidiana per vrbem et prouincias erant furta, rapinae, adulteria, stupra, caedes, et vt paucis dicamus, tanta vbique peccandi licentia, vt corrumpere et corrumpi saeculum vocaretur. Nulla iam amplius matrimonii religio, nullus lecti genialis honor, nullum liberos tollendi educandique studium, sed promiscua et nefanda Venus, simulatae adoptiones, et maxima orbitatis pretia. Cum his monstris conflictandum erat nouo Herculi, et quidem non gladio et securibus, (quam sane seueritatem in nouo domino populus vix tulisset,) sed iis virtutibus, quae quidem in Augusto summae erant, iustitia, et prudentia. Sed quid efficeret prudentia, quantumuis magna, pecunia tamquam neruis destituta? Videbat Augustus, non posse diuturnum esse, quod terrore et truculento satellitum vultu contineatur, imperium. Ipse aliam viam ingressus, eos, qui ingenio et virtute eminerent, spe honorum atque opum; militem donis; populum annona et congiariis; cunctos dulcedine otii pellicere decreuerat. At sic verum esse experiebatur, quod ait DEMOSTHENES (b):

Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop. * * Δεῖ

(a) §. 8. *Inst. de iur. nat. gent. et ciuil.* L. 2. §. *vlt. D. de orig. iur.*
(b) *Olynth. I.*

BIU Cujas

Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων: *opus eſt opibus, nec ſine iis quidquam fiet, quod opus erit.* Tot ſane largitionibus, quas populus a principe flagitabat, vix Croeſi opes ſufficere videbantur, nedum aerarium, tot Pompeii, Caeſaris, Bruti, Caſſii, Antonii, aliorumque turbulentorum ciuium rapinis exhauſtum. Et tamen ciues, quorum animis atrox priſtinae libertatis memoria inſederat, tributis et vectigalibus ad mendicitatem redigere, prouincias exactionibus et rapinis vexare, aerarium calumniis, delationibus, et crimine eorum, qui crimine vacarent, locupletare, inciuile, nec ſui ſaeculi eſſe intelligebat. At nec hic defeciſſe videmus Auguſti prudentiam. Vitiis in dedecus publicum gliſcentibus partim exemplo, partim legibus ſaluberrimis de iudiciis publicis, medicinam parabat. Et ſane quum ipſe clementia, benignitate, diſciplina domus, temperantia omnibus praeiret exemplum: quem ciuium fuiſſe exiſtimes tam improbum, vt non pudore ſaltim in officio contineretur? *Flexibiles in quamcumque partem*, inquit PLINIVS (a), *ducimur a principe, atque, vt ita dicam, ſequaces ſumus. Huic enim cari, huic probati eſſe cupimus, quod fruſtra ſperauerint diſſimiles: eoque obſequii continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus.* Quis deinde ſublata ſpe impunitatis, vitia non horreat, niſi ad omne ſcelus profligatus? Denique de aerario quid dicamus, quod bonis artibus ita explebat Auguſtus, vt iam non ſpoliarium eſſet, ſed aerarium, ſed templum, et immenſarum tamen opum receptaculum? Inuenerat iam ante ſe inſtitutum vectigal centeſimarum rerum venalium; ipſe viceſimas hereditatum addiderat, *tributum*, vt PLINIVS (b) vocat, *tolerabile, et facile heredibus, dumtaxat extraneis.* Quae antea magiſtratuum largitionibus interierant, praedas, agrorum publicorum penſiones, metalli fodinarum reditus, ipſe in publicum iſtum theſaurum

(a) *Paneg. cap.* 45.
(b) *Ibid. cap.* 37.

BIU Cujas

saurum conferebat. Legibus, Aelia Sentia et Fusia Caninia libertatibus modum ponebat, vt eo locupletiores essent domini et patroni, tantoque plus vicesimarum nomine aerario penderent. Pleraque crimina, quae alioquin legislatores vltore ferro persequuntur, ipse saltim in opulentioribus deportatione in insulam expiari iusserat, vt eadem opera et clementiae daret exemplum, et opes sceleratorum hominum in aerarium influerent. (a) His artibus Augustus opes immensas congessit, his et tot suffecit largitionibus, quae fere fidem hodie superant, et tot magnificis operibus exstruendis, quibus marmoream ex lateritia Romam reddebat, et tot alendis legionibus, quae pace belloque pro rei publicae salute excubarent, et iis demum gerendis rebus, quibus omnibus omnium gentium viris induceret caliginem (b).

Cum omnes autem Augusti leges admiratione dignissimae sunt, tum inprimis LEX PAPIA POPPAEA, quam iam senior incitandis caelibum poenis, augendoque aerario post Iulias rogationes sanxit. Nihil illa lege Roma vidit prudentius scriptum, nihil, vt ita dicam, πολιτικώτερον, nec errare eum dixerim, qui eam rogationem praecipuum fuisse censeat principatus ab Augusto instituti firmamentum. Caussa ferendae legis honestissima, vt Romani adulteriis et vagae Veneri adsueti praemiis et poenis ad ducendas vxores, et prole locupletandam rempublicam adducerentur. Et eo tamen obtentu et auctoritatis suae edebat specimen, et ius antiquum maximam partem ad statum praesentem inflectebat, et aerarium, praecipuum illud dominatus subsidium, in immensum locupletabat. Auctoritatis suae numquam dedit experimentum luculentius, quam quum legem semel antiquatam, et vix auctis praemiis, lenitaque parte poenarum perlatam (c), fremente necquidquam ordine

(a) L. 1. *pr. D. de bon. damnat.*
(b) TACIT. *Annal. Lib. III. cap. 17.*
(c) SVET. *Aug. cap. 34.*

BIU Cujas

dine equeſtri (a), multo, quam antea, ſeueriorem ſuffragiis populi ſubmitteret. Non placuerat ea lex ſenatui (b): equites eius abolitionem flagitantes parum a tumultu abfuerant (c): ipſi conſules, legem aduerſus caelibes et orbos rogaturi, nec mariti, nec parentes erant (d), adeoque, quod facile eſt ad intelligendum, ita rogabant, vt diſſuadere malle viderentur, ſi per ſaeculum licuiſſet. Et tamen ea omnia perrupit Auguſti conſtantia et prudentia plane ſingularis, effecitque non vi, ſed auctoritate, vt lex omnibus exoſa omne tamen punctum ferret. Et quaenam vero lex? Non ſane illis antiquis ſimilis, quae ciuium Romanorum iura adaugeret, non tribunicia, quae plebi aduerſus magiſtratuum potentiam praeſidia circumponeret: ſed iuris antiqui expultrix, noui auctor, et, vt paucis dicam, vere μοναρχικὴ. Arctiſſimis limitibus circumſcribebat matrimonia, vt eo plures dotes publicarentur. In petendis gerendiſque magiſtratibus eos, quibus plures liberi eſſent, praeferri iuſſerat, vt ſemper eſſet in manu principis, quos vellet magiſtratus creari. Si enim duos caelibes et vnum maritum, vel duos orbos et vnum parentem, vel duos pauciorum vnumque plurium liberorum parentem commendaſſet populo: quis dubitet, quin iam praeſcire potuerit, quem reliquis praeferri oporteret? Dum porro haec lex coniuges, niſi certis caſibus, inter ſe capere vetuit, dumque quoſdam nihil, alios ſolidum non capere paſſa eſt: permultum derogauit veteri illi ciuium Romanorum priuilegio: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT DE PECVNIA TVTELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO. Nec minus veteri connubiorum iuri multum deceſſit circumſcripta diuortiorum licentia; patriae poteſtati iniuncta parentibus neceſſitate elocandi liberos: iuri libertinorum auctis patronatus iuribus.

(a) Dio *Lib. LVI. pag.* 572.
(b) Dio *Lib. LIIII. pag.* 532.
(c) Dio *Lib. LVI. pag.* 572.
(d) Dio *Lib. LVI. pag.* 573.

BIU Cujas

ribus. Sic nulla fere lex per plures iuris vniuersi articulos se diffudit, nulla plura nouauit, et ad statum monarchicum inflexit, quam PAPIA POPPAEA. Quid dicam de aerario, in quod maximam priuatarum facultatum partem migrare oportebat, tot publicatis dotibus, tot constitutis bonorum generibus, quasi caducis, caducis, ereptitiis, vacantibus: tot denique praemiis curiositati delatorum propositis. Et tamen nulli vis fiebat, nulli innoxio struebantur insidiae, sed lasciuis, qui vagam Venerem honestae coniunctioni anteferrent, sed stolidis et malis ciuibus, qui parere nollent legi saluberrimae. Quae, tantum abest, vt iniqua visa sint viris bonis, vt hoc inter bonos malosque principes discrimen statuerit PLINIVS (a), quod sub illis *fiscum et aerarium Voconiae et Iuliae leges*; sub his *singulare maiestatis, et vnicum crimen eorum, qui crimine vacant, locupletare soleant.*

Talis est lex illa, quam illustrare conati sumus, celeberrima. Et quamuis praestantia eius vel sola me mouere potuisset, vt in ea exercerem ingenium: fuere tamen et alia, quae currenti calcar adderent. Obseruaueram, praeter CELSVM, qui obiter hanc legem septem Pandectarum libris expositerat, sex iureconsultos, TER. CLEMENTEM, IVNIVM MAVRICIANVM, MARCELLVM, CAIVM, VLPIANVM, et PAVLLVM iustos ad illam commentarios scripsisse. Videram, ex istis operibus centum nonaginta nouem in Digestis superesse fragmenta, per omnia fere iuris capita dispersa. Intelligebam, ante IACOBVM GOTHOFREDVM, qui primus legem hanc ordini integritatique suae restituere conatus erat, plerosque interpretes istos textus vel plane non intellexisse, vel saltim ad species genuinas fere numquam retulisse, adeo, vt aliquando tribus quatuorue adhibitis in consilium, repetere cogaris illud Demiphontis apud TERENTIVM (b):

(a) *Paneg. cap.* 42.
(b) *Phorm. act.* II. *scen.* 4. *v.* 18.

BIU Cujas

Feciſtis probe:
Incertior ſum multo, quam dudum.

Non ignorabam porro, potiſſimum interpretationis momentum in iis, quae antecedunt, quaeque conſequuntur, lociſque ſimilibus, vel, vti HVGO GROTIVS adpellare ſolet, in coniunctis re et loco, poſitum eſſe, nec accurate intelligi poſſe verba ex medio textu decerpta, niſi in ſuam quaeque ſedem locumque reſtituantur. Poſtremo noueram equidem, virum eximium, et huius myſterii probe gnarum, IAC. GOTHOFREDVM, legi noſtrae hanc operam nauaſſe, vt ſingulos iuris textus ſuo quoſque capiti aptaret: ſed experiundo tamen deinde didiciſſe mihi videbar, eumdem in multis haud leuiter alucinatum. Dum enim varias leges Papias confudit: dum aliqua ex legibus Iuliis de adulteriis et iudiciorum publicorum Papiae Poppaeae adſuit: dum quaedam maximi momenti capita praetermiſit, quaedam in ſenſum plane alienum detorſit: dum SCta atque interpretamenta ICtorum veterum ab ipſa lege non ſatis accurate ſecreuit: dum denique ſibi omnia indulſit in emendandis, fingendis, refingendiſque legum inſcriptionibus: fieri profecto non potuit, quin poſt meſſem eius magnum aliis idem ſaxum voluturis ſpicilegium ſupereſſet. Quae quum ita ſint, operae pretium mihi videbar facturus, ſi pulcherrimae legi aliquid temporis darem, et hunc commentarium conficerem, non verboſum illum quidem et diffuſum, ſed tamen non inutilem, vti ſpero, verae iuris prudentiae ſtudioſis futurum.

Ne autem, quid a me praeſtitum ſit, ignores, primo non GOTHOFREDI hic repeto commentarium, aut eumdem obſeruationibus quibuſdam ex aduerſariis meis augeo: ſed primo LEGIS noſtrae hiſtoriam prioribus libri primi capitibus quam accuratiſſime expono, in eam ſemper ingreſſus ſententiam, eſſe hoc in vniuerſa iuris prudentia addiſcenda inprimis vtile ac frugi-

BIU Cujas

frugiferum, legum iuriumque cauſſas et origines perſpectas habere, vt inde, quid rei publicae noſtrae rationibus conueniat, quidue extra vſum ſit, colligamus. Quod et laudatiſſimo IAC. GOTHOFREDO ita viſum, qui in *praefatione* eruditiſſimae *diſſertationis ad L. Quiſquis C. ad leg. Iul. maieſt.* non abs re optat, *vt iurium politicae et hiſtoricae rationes ex imperii Romani ſtatu diligentius eruantur, vnde iudicium facile fieri poſſit, an et quatenus ea in vſus hodie deriuari queant.*

Deinde oſſa huius legis, vt ita dicam, cum cura legi, adhibitiſque veterum teſtimoniis omnibus, et maxime ICtorum fragmentis, nec non in parte poſteriore *lege vnica C. de caduc. toll.* capita iſtius ordini integritatique ſuae reſtitui. Qua in re quam taedioſum deuorarim laborem, ii demum intelligent, qui vmquam ſimili in argumento exercuerunt ingenium. Nimirum quum iuuenis, factis primis iuris prudentiae ſtipendiis, legendo meditandoque me interiori et acroamaticae artis noſtrae intelligentiae praeparare coepiſſem: illico ſane deprehendi, fundos iuris prudentiae noſtrae praecipuos eſſe EDICTVM PRAETORIS et AEDILITIVM, variaſque leges, veluti IVLIAM et PAPIAM POPPAEAM, AELIAM SENTIAM, FALCIDIAM, AQVILLIAM, IVNIAM NORBANAM, IVNIAM VELLEIAM, CORNELIAS item, POMPEIAS, IVLIAS, et FABIAS de iudiciis publicis, praeterea SCta quaedam celebriora, veluti MACEDONIANVM, VELLEIANVM, SILANIANVM, TREBELLIANVM, TERTVLLIANVM, ORFITIANVM, et ſimilia: poſtremo libros quoſdam veterum ICtorum, puta SABINI, LABEONIS, ALFENI, PLAVTII, VITELLII, MINVCII, IVLIANI, CELSI, PAPINIANI. Hos, inquam, videbam iuris prudentiae noſtrae fundos eſſe, quia veteres iuris conditores ea ſcripta omnia certatim ſuis commentariis illuſtrarunt, ex iiſque maxima pars legum in Pandectis ſuperſtitum

BIU Cujas

tum decerpta est. Coepi itaque de restituendo eorum monimentorum ordine cogitare, considerataque textuum ex eodem libro superstitum ἀλληλοχία fragmenta ad suam quaeque speciem, suumque locum et titulum referre. Quumque iam pridem in scriniis meis latitarint *edictum perpetuum*, *edictum aedilitium*, *leges Iulia et Papia*, *Aelia Sentia*, *Iulia de adulteriis*, itemque *libri Sabini*, *Alfeni*, *Plautii*, *Celsi*, *Iuliani*, *Vlpiani*, *Marciani*, ita disposita, vt, quae singulis libris capitibusque doctrinae pertractatae, quaeque fragmenta inter se coniungenda coassandaque sint, paucis notarim: specimen huius industriae meae iam dare decreui LEGEM PAPIAM POPPAEAM, tum quod plura ad eam monda viderentur, tum quod eam paullo pleniorem fuisse existimarem, quam a IAC. GOTHOFREDO datam memineram.

Hinc porro dedi operam, vt, ad quae legis capita, quin et verba capitum, singuli veterum textus, ex eorum commentariis ad hanc legem in Pandectis superstites pertinuerint, quaeque ipsis species subiicienda sit, breuiter ostenderem.

Praeterea singula legis capita ita exposui, vt non modo iura traderem, sed et iis, quae alioquin obscura essent, ex philologia et antiquitatibus Romanis lucis aliquid accenderem, imitatus magna in arte nostra nomina, ALCIATOS, CVIACIOS, BRISSONIOS, BALDVINOS, HOTOMANOS, MERILLIOS, GOTHOFREDOS, HVBEROS, NOODTIOS, et qui etiamnum masculae istius atque elegantioris iuris prudentiae laudem in Belgio nostro tuentur, BINKERHOEKIOS, SCHVLTINGIOS, ECKIOS, OTTONES, WIELINGIOS,

Nulla dies vmquam memori quos eximet aeuo.

Non solent haec ad palatum esse iis, qui solius Bartoli deliciis pascuntur: meminique, quum *Antiquitatum Romanarum syntagma*

BIU Cujas

syntagma in vsum auditorum edidissem, caussidicum veteranum, καλαμοβόαντα, omniaque specula ob faciem Silenianam, praeter illud Durandi, perosum, hunc libellum ferre non potuisse. Sed non inuideo istis labellis suas lactucas, quibus recreatus ipse ne Ioui quidem ambrosiam suam inuidere solet. Abundare illum patior iudicio suo, tam a reliquorum hominum sensu abhorrente, vt quum libellum, quem edidit, lepidissimum ad piper et thus damnarit saeculum hoc fastidiosissimum, meus, quem ad Garamantas relegandum putabat, emtorem vbique repererit, vt iure dicere possim cum MARTIALE (a):

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poëtam:
Sed, qui me vendit, bibliopola putat.

Denique, tantum abest, vt belli istius Sabelli irae succenseam, (nec enim ignoro, quantae sint animis caelestibus irae,) vt potius ipsi apprecer bonam mentem, clientesque multos, diuites, quin et, si ita mereantur, tam stolidos et litigiosos, vt ei velint capita et fortunas credere, cui forte nemo calceandos commisisset pedes.

Ad institutum nostrum vt redeamus, in legum interpretatione ita versati sumus, vt ab emendationibus, nisi res ipsa postulare videretur, abstineremus, saepius eas ab aliorum vi maiore defenderemus. Aliquando tamen et ipsi aliquid ausi sumus, non criticum adfectantes acumen, sed veniam sperantes coniecturis, quos et modestia plerumque commendabit, et excusabit necessitas.

Idem et in aliorum auctorum locis aliquando fecimus, parum veriti, ne falcem in alienam messem immitteremus. Publica enim sunt haec sacra, non eorum propria, qui mystarum in illis munere funguntur, iniuriae merito postulandi, si alios,

Heineccius ad leg. Iul. Pap. Pop. * * * qui

(a) *Epigr. XVIIII.* 194.

BIU Cujas

qui ſplendidum criticorum nomen nec adfectant, nec ferunt, abſtentos reddere, et ſibi ſolis haec myſteria vindicare auderent.

Haec ſunt, LECTOR CANDIDE, quae te volui. Tu faue, ſis, adeſtoque animo, et rem cognoſce, vt pernoſcas, ecquid ſpei ſit reliquum, et poſthac, ſi quos fecero de integro commentarios, legendi, an exigendi tibi ſint prius. VALE. *Franequerae Friſior. Kal. Octobrib.* clolccxxv.

NB. Dedicatio inter alteras Dedicationes in Sylloge IIII. reperietur.

BIU Cujas

INDEX CAPITVM.

LIB. I.

De Legis Iuliae et Papiae historia.

Cap. I. *De variis Legibus Papiis, a Papia Poppaea discernendis.* pag. 1
Cap. II. *De variis variarum gentium, in primis Romanorum, institutis, quibus πολυτεκνίαν promotum iuere.* - - - 17
Cap. III. *De occasione legum Iuliae et Papiae, totiusque illius legislationis historia.* - - - - - 38
Cap. IIII. *De M. Papio Mutilo, et Q. Poppaeo secundo coss. et utriusque gentibus et familiis.* - - - - - 52
Cap. V. *De legis Papiae Poppaeae partibus et capitibus, et quomodo ea ordini suo restituenda sint.* - - - - - 61

LIB. II.

Ad legem de maritandis ordinibus.

Cap. I. *De senatorum, eorumque liberorum et reliquorum ingenuorum, nuptiis.* - - - - - - - 103
Cap. II. *De* iisdem. - - - - - - - 135
Cap. III. *De sexagenariis, quinquagenariis et spadonibus.* 151
Cap. IIII. *De concubinatu.* - - - - - 164
Cap. V. *De sponsalibus.* - - - - - - 175
Cap. VI. *De poenis iniustarum nuptiarum.* - - - 187
Cap. VII. *De priuilegiis maritorum et parentum in gerendis petendisque honoribus.* - - - - - - - 194
Cap. VIII. *De immunitate ob liberorum numerum.* - - 206
Cap. VIIII. *De iure Quiritium ob liberos consequendo.* - 215
Cap. X. *De liberti liberatione ab operis ob numerum liberorum.* 227
Cap. XI. *De liberatione mulierum a tutela ob numerum liberorum.* 223
Cap. XII. *De diuortio libertae prohibito.* - - - 244
Cap. XIII. *De tutore mulieri dotis caussa dando.* - - 253
Cap. XIIII. *Ad leges decimarias.* - - - - 259
Cap. XV. *De solidi capacitate.* - - - - 275
Cap. XVI. *De legatis et libertate data sub conditione caelibatus.* 295

Cap. XVII.

BIU Cujas

Cap. XVII. *De iure adfinitatis inter vitricum vel nouercam et priuignos, ſoceros item et generum vel nurum.* - - - 307
Cap. XVIII. *De priuilegiis abſentium reip. cauſſa, et indulgentia ſenatus.* - - - - - - - pag. 316
Cap. XVIIII. *De diuortii modo et poena.* - - - 323
Cap. XX. *De cogendis parentibus vt liberos elocent.* - - 333
Cap. XXI. *De poenis caelibatus et orbitatis.* - - - 339
Cap. XXII. *De iuribus patronatus.* - - - - 346

LIB. III.

Ad legem caducariam, vel de caducis.

Cap. I. *De nomine, fine et capitibus legis caducariae.* - - 359
Cap. II. *De aditione hereditatis, et quando dies legatorum cedat.* 375
Cap. III. *De iis, quibus caduca deferuntur.* - - - 383
Cap. IIII. *De his, quae pro non ſcriptis habentur.* - - 389
Cap. V. *De cauſſa caduci.* - - - - - 395
Cap. VI. *De caducis.* - - - - - - 402
Cap. VII. *De bonis ereptitiis et vacantibus.* - - - 414
Cap. VIII. *De fraudibus aduerſus h. l. admiſſis.* - - 423
Cap. VIIII. *De iure adcreſcendi, tranſmittendi, et de tacitis fideicommiſſis.* - - - - - - - 430
Cap. X. *De praemiis delatorum et oneribus fiſci.* - - 443

BIU Cujas

IO. GOTTLIEB HEINECCII

AD LEGEM IVLIAM ET PAPIAM POPPAEAM COMMENTARIVS.

LIBER I.

DE LEGIS IVLIAE ET PAPIAE HISTORIA.

CAPVT I.

DE VARIIS LEGIBVS PAPIIS, A PAPIA POPPAEA DISCERNENDIS.

Instituti ratio. I. *Lex* PAPIA *de virginibus Vestalibus. Mos capiendi virgines antiquissimus. Capiebantur initio a regibus, deinde a pontificibus maximis. Quid noui inuectum sit lege Papia? Olim virgines Vestales e solis patriciis puellis lectae, post legem Papiam etiam e plebeiis. An Vestale sacerdotium semper manserit in possessione patriciarum?* Paullus Merula *notatus. Virginum electio et sortitio a Papio inuenta. An eius lex sit pars Papiae Poppaeae?* Paulli Merulae, Iac. Gothofredi, *et* Iani Vinc. Grauinae, *sententia expensa. Lex Papia anterior Augusti imperio, et lege Ogulnia de sacerdotiis non multo*

BIU Cujas

posterior est. II. *Lex* PAPIA *de sociis nominis Latini in suas ciuitates remittendis. Latini saepe irrepere conabantur in tabulas censuales. Latinorum magistratuum querelae. Lex* CLAVDIA *ea de re lata, nec non lex* LICINIA *et* MVCIA. *Caussa belli Marsici et socialis. Lex haec Papia perperam explosa a* Steph. Vin. Pighio. *Ab aliis cum lege Papia de peregrinis perperam confusa. Quando illa lata sit ?* III. *Lex* PAPIA *de peregrinis. Eius historia, et caussae. Iniquum de illa Ciceronis iudicium. Saepe peregrini ob intestinos tumultus vel annonae grauitatem vrbe exesse iussi. Lex* IVNIA *Penni.* IIII. *Lex* PAPIA POPPAEA. *Varia eius nomina.* Κατ' ἐξοχὴν *veteribus dicitur* LEX, NOMOΣ, vel NOMOI. *Ea per multa saecula recitata in sponsalibus.* Terentius, Clemens, Caius, Vlpianus, Marcellus, Mauricianus, Paullus, *eam commentariis illustrarunt. An et* Octauenus *?* Torrentii, Lipsii, Fr. Balduini, Io. de Pareia, Ramez de Manzano, Iac. Gothofredi, M. Vertranii Mauri, Ferd. Paez, Ian. Vinc. Grauinae, *aliorumque commentarii ad illustrandam hanc legem comparati. Huius legis capita ius tantum non vniuersum peruadunt. Tractationis ordo et partitio.*



LEGEM PAPIAM POPPAEAM, qua vix vlla in principe terrarum ciuitate celebrior exstitit, paullo accuratius expendere, consilium est. Ad id vero priusquam accingar, facturum me arbitror operae pretium, si hoc capite de aliis, quibus gens PAPIA nomen fecit, legibus, quaedam praemittam, maxime quum diuersas illas Papiorum rogationes non satis segregare ac distinguere soleant viri ceteroquin eruditissimi, sed eas aliquando cum ipsa lege PAPIA POPPAEA perperam confundant. Quare magnopere nostra refert, leges, quarum veteres passim meminerunt, PAPIAS accurate secerni, expendique, quantum fieri potest, diligentissime.

I. Vetustissima omnium, ex mea quidem sententia, est lex PAPIA DE VIRGINIBVS VESTALIBVS, de qua luculentum hoc exstat A. GELLII (a) testimonium : *sed* PAPIAM LEGEM *inuenimus, qua cauetur, vt pontificis maximi arbitratu viginti e populo virgines legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat, et cuius virgo ducta erit, vt eam pontifex maximus capiat, eaque Vestae fiat.* Quibus GELLII verbis vt aliquantulum lucis adfundamus, primum, quid sancitum cautumque ea lege fuerit, ac deinde cuius illa aetatis sit, paucis dispiciemus.

Errore

(a) *Lib. I. cap. 12.*

BIU Cujas

Errore procul dubio grauissimo sese obstringeret, qui ipsum sacerdotes Vestales capiundi ritum ex hac demum lege Papia arcessere non dubitaret. Morem enim illum saltim a Numae temporibus constanter viguisse, inter omnes constat. Quemadmodum enim alii sacerdotes in comitiis CREARI, alii ab ipso collegio COOPTARI, alii PRODI solebant: ita flamines diales, (a) augures, (b) et virgines Vestales, ex Numae instituto, CAPI, id est, vti GELLIVS (c) interpretatur, *manu prehensos prehensasue, ab iis parentibus, quorum in potestate erant, veluti* BELLO CAPTOS CAPTASVE ABDVCI, oportebat. Quem ritum a Numa posteris veluti per manus traditum esse, vel inde patet, quod illum religiosissimum principem quatuor puellas Vestae cepisse tradunt auctores grauissimi, PLVTARCHVS, (d) et DIONYSIVS HALICARNASSEVS (e).

Neque existimandum porro ius istud capiundi Vestales hac demum lege ad pontifices maximos fuisse deuolutum. Tametsi enim Numa ipse illam sacrorum Vestae procurationem puellis mandabat, eodemque exemplo et successoribus suis ius virgines legendi esse cupiebat, et hinc diserte scribit DIONYSIVS (f): Αἱ δὲ θεραπεύσαι τὴν θεὸν παρθένοι τέτταρες μὲν ἦσαν κατ' ἀρχάς, ΤΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ αὐτὰς ΑΙΡΟΥΜΕΝΩΝ, ἐν οἷς κατεστήσατο δίκαιον ὁ Νομᾶς: *virgines autem, quae Vestae deae sacris operabantur, quatuor erant ab initio, et ius eas* CAPIVNDI, (ita vertendum illud αἱρεμένων, non vti a FRIDR. SYLBVRGIO factum, OPTANDI,) PENES REGES *esse Numa voluit*: abrogato tamen regibus imperio, hunc morem ipsa soluit necessitas, eaque cura statim penes pontificem maximum esse occœpit. Sane iam circa a. v. c. 336. nondum centum annis ab electo Tarquinio elapsis, pontificem maximum, tamquam Vestalium antistitem, caussas earum cognouisse, animaduertisse in sontes, innoxias absoluisse, easque ad digniores sacerdotio mores cohortatum esse, vel Postumiae, sacerdotis Vestae, exemplum apud LIVIVM (g), satis superque euincit.

Quae quum ita sint, duo in primis supersunt, quae antiquo iuri surrogauit lex Papia, quorum alterum ad virginum capiendarum personam, alterum ad ipsum capiundi ritum videtur pertinuisse. De illa permulta veteri iure pontificio, GELLIO (h) teste, prodita fuerant, veluti ne caperetur minor annis sex, maior annis decem, nec quae non sit patrima et matrima, vel quae lingua debilis, vel sensu aurium

 deminuta,

(a) LIV. *Lib. XXVII. cap. 8.*
(b) *Ibid.* (c) *Ibid.*
(d) In *Numa pag. 66.*
(e) *Lib. II. cap. 68.* (f) *Ibid.*
(g) *Lib. IIII. cap. 44.*
(h) *Lib. I. cap. 19.*

BIU Cujas

deminuta, aliaue quauis corporis labe insignita, vel quae denique ipsa, cuiusue pater emancipatus esset, vel cuius parentes ambo alterue seruiissent, aut in sordidis versati essent negotiis. Enim vero et haec omnia e Numae regis commentariis videntur promanasse. Hunc enim creato a se pontifici maximo talia exscripta exsignataque attribuisse, tradit LIVIVS, (a) additque DIONYSIVS HALICARNASSEVS, (b) multa in his sacris Numae commentariis πρὸς τὰς ἐπιμελησομένους, ἱερῶν ἱερεῖς, ἁγνείας τε καὶ θρησκείας, καὶ καθαρμὰς, καὶ τὰς ἄλλας θεραπείας καὶ τιμὰς, *ad sacerdotes, qui sacra curarent, eorum sanctimoniam, caerimonias, lustrationes, aliosque deorum cultus* pertinuisse. Nihil itaque hactenus noui ex lege Papia manauit. Id vero initio dubium atque ambiguum videbatur Romanis, possetne saluo iure pontificio et plebeii sanguinis puella Vestae capi? quandoquidem in vniuersum voluerat Romulus apud DIONYSIVM, (c) ΙΕΡΑΣΘΑΙ τὰς εὐπατρίδας, καὶ ἀρχεῖν, *vt* SACRA CVRARENT *magistratusque gererent patricii.* Quare nec sacra Vestae obibant puellae, nisi patricia nobilitate insignes. Anno sane ab v. c. 453. *Q. Appuleio Pansa* et *M. Valerio Coruo coss.* discorde secum ipsa ciuitate, et intestino inter patres plebemque flagrante odio, P. Decius Mus, tribunus plebis, sacerdotia communicaturus cum plebe, graui oratione vrget, *plebem iam in possessione esse* VNIVS *amplissimi* SACERDOTII, *decemuirosque sacris faciundis carminum Sibyllae, et fatorum populi Romani interpretes, antistites Apollinaris sacri, caerimoniarumque aliarum etiam e plebe legi* (d). De sacerdotio Vestae nihil addit Decius, tanto minus illud, si iam promiscuum fuisset, omissurus, quanto illud Romae erat honorificentius. Itaque saltim ad illum annum 453. nondum sibi plebeiae viam in Vestae atrium emuniuerant. Nec deinde lege Ogulnia, quae eodem tempore perferebatur, aliud cum plebe sacerdotium communicatum legimus, quam pontificatum et auguratum (e). De virginibus Vestae tum e plebe captis, nec LIVIVS, nec quisquam veterum aliquid memoriae prodidit. Fortassis nec ea de re magnopere laborabant plebeii, quum splendidum istud Vestae sacerdotium cum maximo puellarum taedio, et cum incredibili parentum dolore coniunctum videretur.

Verum operosa illa ignis perpetui custodia, qua defungendum erat Vestalibus, plebeiis demum cum patriciis communis esse coepit per hanc ipsam LEGEM PAPIAM, qua cautum fuisse ait GELLIVS, *vt pontificis*

(a) *Lib. I. cap.* 20.
(b) *Lib. II. cap.* 65.
(c) *Lib. II. pag.* 83.
(d) LIV. *Lib. X. cap.* 8.
(e) *Ibid. cap.* 9.

BIU Cujas

tificis maximi arbitratu viginti virgines E POPVLO *legerentur. Populi* autem adpellatione *vniuersos ciues significari*, CONNVMERATIS *etiam* PLEBEIIS, nec dupondii ignorant (a). Quae quum ita sint, alucinari merito dixero PAVLLVM MERVLAM, (b) et, qui illum sequuti sunt, alios, dum ex plebe vmquam aut Potitos, aut Pinarios, aut Lupercos, aut fratres aruales, aut curiones, aut virgines Vestales fuisse negant, eaque sacerdotia semper in possessione patriciarum gentium permansisse, magna adseueratione contendunt. Quos sane vel lapides in viam potuissent reducere, in quibus laudantur FL. MANILIA, V. V. MAX. (c) TERENTIA RVFILLA, V. V. MAX. (d) COELIA CLAVDIA V. V. MAX. (e) Gentes autem *Maniliam*, *Terentiam*, *Coeliam* plebeias fuisse, inter omnes constat, et pluribus probatum est a V. C. FVLVIO VRSINO (f). Accedit, quod circa Augusti tempora sancitum fuisse refert DIO CASSIVS, (g) καὶ ἐξ ἐπελευθέρων γεγενημένας ἱερᾶσθαι, *vt eo Vestae sacerdotio et ex* LIBERTINIS *natis fungi liceret.* Quis vero non gradu, sed praecipiti cursu ad hunc infimum ordinem itum esse, ac Romanos prius libertinas, quam plebeias ingenuas & honestiore loco natas ad focum vrbis vigilemque pro imperio flammam custodiendam admisisse, sibi persuaserit?

Primum hoc est, quod de persona Vestalium sanxerat lex PAPIA: alterum ad ipsum capiundi modum pertinuisse diximus. Iam inde ab vrbis incunabulis virgines impuberes, etiam inuitae, capi, et e parentum sinu atque amplexibus in Vestae atrium, tamquam ad supplicium, abripi consueuerant. Flebile hoc spectaculum parentibus, quibus carissima pignora religionis obtentu inuitis extorquebantur: multoque flebilius ipsis puellis, quibus intercepta propemodum nuptiarum spe, Vestae delubrum viuis loco sepulcri erat futurum, quibusque grauissimus imminebat diri supplicii horror, si vlla in re defuissent officio, vel cum viro, tam lubrica et procliui ad peccandum aetate, consuessent. Quare procul dubio ipsi parentes solliciti de suarum salute quam maxime abhorrebant ab hoc sacerdotio, manibusque et pedibus obnixe omnia faciebant, ne qua filiarum suarum Vestae caperetur a pontifice. Diserte sane scribit DIO; (h) οὐ ῥαδίως οἱ πάνυ εὐγενεῖς τὰς θυγατέρας ἐς τὴν τῆς Ἑστίας ἱερωσύνην ἐπιδίδωσαν: *ingenui*, (male XYLANDER, iam a LIPSIO notatus, vertit *nobiles*,) AEGRE *suas filias ad sacer-*

(a) §. 4. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.*
(b) *De leg. Rom. Lib. II. cap.* 11.
(c) GRVT. *pag.* 310. *n.* 5.
(d) *Ibid. pag.* 212. *n.* 3.
(e) *Ib. pag.* 310. *n.* 2.
(f) *De famil. Rom. p.* 79. & 273.
(g) *Lib. LV. p.* 643.
(h) *Lib. LV. p.* 563.

BIU Cujas

dotium Vestae dabant. Et SVETONIVS (a) refert, quum Augusti temporibus in demortuae Vestalis locum alia capienda esset, AMBIISSE *multos*, NE *filias in sortem darent.* Ne itaque Vestae sacra destituerentur, ipsaque Vestalium electio paullo molestior parentibus accideret: prudenter hac lege sanxerat PAPIVS, primum, VT VIGINTI E POPVLO VIRGINES LEGERENTVR, quo sors ita per plures sparsa eo leuior accideret: deinde vt ea electio PONTIFICIS MAX. ARBITRATV fieret, ne forte virgo, cui per ius pontificium Vestae sacra facere, flammamque peruigilem nutrire haud liceret, istud contaminaret sacerdotium: tum porro, VT EX VIGINTI ILLIS SORTITIO IN CONCIONE FIERET, quo virgo, cui sacerdotium sorte euenisset, quasi diuinitus lecta crederetur: denique, VT CVIVS VIRGO SORTE DVCTA ESSET, EA CAPERETVR A PONTIFICE, ET VESTAE FIERET, ne quid antiqui moris et institutorum ab ipso Numa rituum temere omitteretur. Ita fere legis PAPIAE rationes acute exposuit IVSTVS LIPSIVS (b) cuius obseruationibus hoc addo, ob hanc ipsam sortitionem Coeliam Claudianam, virginem Vestalem maximam, in marmore Romano apud GRVTERVM (c) vocari A DIIS ELECTAM, ET QVAM MERITO SIBI TALEM ANTISTITEM NVMEN VESTAE RESERVARE VOLVERIT.

Haec de ipsa lege. At obscurior crassissimisque inuoluta tenebris est quaestio, quo tempore, et a quonam PAPIO ea perlata fuerit? PAVLLVS MERVLA (d) inter primos coniecisse videtur, eam non tam singularem quamdam legem, quam celeberrimae illius legis Papiae Poppaeae caput fuisse, idemque postea, quod mireris, in mentem venit iureconsulto eximio, IACOBO GOTHOFREDO, (e) et elegantissimi ingenii viro, IANO VINCENTIO GRAVINAE (f). Qui si rem acu tetigissent, nemini profecto obscura videri posset huius rogationis aetas. Sed subuereor, ne quid humani passi sint viri doctissimi, neque possum ego a me impetrare, vt iis ea in re adsentiar. Nam primo GELLIVS non de celebri aliqua lege, et quae tum omnium oculis vsurpabatur, qualis PAPIA POPPAEA erat, sed de antiqua, obscura, et plerisque ignota loquitur, quumque paullo ante de ritu capiendi virgines Vestales litteras quasdam antiquiores exstare negasset, mox veluti exceptionem additurus: *sed* PAPIAM *legem*, inquit, *inuenimus.* Itane vero scribunt, qui monimentum aliquod celeberrimum, et in vulgus notum excitant? Deinde ipsa legis Papiae sanctio euincit, eam a Papia Poppaea esse diuersissimam. Praeterquam enim, quod modus capiundi virgines

(a) *August. cap.* 31.
(b) *De Vesta et Vestal. cap.* 6.
(c) *Inscr. pag.* 310. *n.* 2.
(d) *De leg. Rom. pag.* 275.
(e) *Leg. Pap. Popp. cap.* 3.
(f) *De legib. et SCtis*, §. 44.

BIU Cujas

virgines Vestales nihil facit ad amplificandam ciuium Romanorum multitudinem, aerariumque augendum, ad quem duplicem finem legem Papiam Poppaeam comparatam fuisse, paullo post demonstrabimus: etiam hac lege nostra cauetur, vt Vestalis e numero viginti virginum a pontifice maximo e populo lectarum sorte ducatur. Atqui multo ante ea tempora, quibus legem Papiam Poppaeam perlatam constat, Vestales e plebe et patriciis promiscuè legebantur, multoque ante adhibita fuit sortitio. Vtrumque ex laudato DIONIS testimonio discimus, qui quum legem de sacerdotio cum ipsis libertinis communicando retulisset, addit, facta sortitione (καὶ ὁ μὲν κλῆρος αὐτῶν ἐν τῷ συνεδρίῳ ἐγένετο,) nullam tunc libertinam exiisse. Accedit, quod GELLIVS, laudata lege PAPIA, pergit: (a) *sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet. Nam si quis, honesto loco natus, adeat pontificem maximum, atque* OFFERAT *ad sacerdotium filiam suam, cuius dumtaxat, saluis religionum obseruationibus, ratio haberi possit, gratia Papiae legis per senatum fit.* Lex itaque PAPIA sensim obsoleuit, inuecto more offerendi filias. At multo ante, quam lex Papia Poppaea lata est, rationem habitam fuisse virginum, a parentibus Vestae oblatarum, cum e DIONE (b) patet, qui libertinas vel ideo ad hoc admissas sacerdotium testatur, ὅτι ἐ ῥᾳδίως οἱ πάνυ εὐγενεῖς θυγατέρας ἐς τὴν τῆς ἑστίας ἱεράτειαν ΕΔΙΔΩΣΑΝ, *quod ingenui filias haud prompte ad hoc sacerdotium* OFFERRENT: tum ex loco SVETONII, (c) apud quem adfirmat Augustus, *si neptium suarum competeret aetas,* OBLATVRVM *se fuisse eas.* Quum ergo tum nondum neptium competeret aetas, eaeque vel sex annis minores, vel decennibus non multo maiores, saltim adhuc innuptae, essent: consequens est, vt haec diu ante latam legem Poppaeam acta sint, adeoque iam ineunte Augusti imperio ratio habita fuerit virginum, quas parentes Vestae obtulissent.

Quamuis itaque certissimum videatur, legem hanc de virginibus Vestalibus a Papia Poppaea diuersam, eaque multo antiquiorem esse: non ausim tamen de anno, quo lata est, quidquam pro certo adfirmare. STEPH. VIN. PIGHIVS, (d) qui Papium quemdam tribunum plebis ad a. v. c. 504. in fastos suos retulit, eodem anno et legem hanc conditam esse, suspicatur. Sed mallem, ille auctorem, cui Papii istius notitiam debeat, laudasset. Si enim tunc vere tribunus fuerit Papius; vel ideo verosimile est, hac de lege tunc esse cogitatum, quod eo ipso tempore de communicandis cum plebe sacerdotiis magno animorum motu ageretur. Quemadmodum ergo quadriennio ante ipsum pontifica-

(a) *Lib. I. cap.* 12.
(b) *Ibidem pag.* 563.
(c) *August. cap.* 31.
(d) *Annal. Tom. II. pag.* 51.

BIU Cujas

pontificatum maximum, turbata patrum possessione, primus e plebe gesserat Tiberius Coruncanus: ita non mirum esset, noua rogatione tribunicia paullo post et Vestae sacerdotium esse plebi vindicatum. Sed haec, quantumuis speciosa, nemini ego pro certis temere obtruserim, nisi Papii tribunatus huius anni e veteris aeui monimentis liquido a viris doctis demonstretur.

II. Altera lex, cui eadem gens plebeia nomen indidit, est PAPIA *de sociis et nomine Latino*. Meminit illius CICERO: (a) meminit et VALERIVS MAXIMVS, (b) quorum ille M. Crassum a Mamertinis, hic M. Perpernam a Sabellis iudicio publico ex hac lege repetitum esse, memoriae prodidit. Ex vtroque loco, quid hac lege cautum fuerit, satis adparet, puta, vt ne socii et nominis Latini iura ciuium Romanorum furtim vsurparent, et vt vrbibus in Latio ius esset, ciues, qui Romam commigrantes in censum irrepserant, tamquam fugitiuos, et patriae desertores, publico iudicio repetere. Origo rei paullo altius repetenda. Iam antiquitus miro ciuitatis Romanae desiderio flagrabant Latini. Hinc si quorum paullo lautior erat fortuna, ii scenam ita instruere solebant, vt largitionibus, aliisque artibus, in censuales Romanorum tabulas irreperent, ciuitatisque iuribus quocumque modo potirentur. Quo facto, commigrare Romam, gerere se pro ciuibus, quin et honores petere conabantur. Verum cum ipsorum Romanorum intererat, iura Quiritium non promiscue ab omnibus inuadi, tum maxime ipsarum per Latium ciuitatum, quippe quae delibato ciuium suorum flore orbatae, vix necessarium militem, quem ex foedere debebant Romanis, inueniebant. Hinc iam a. v. c. 564. *M. Aemilio* et *C. Flaminio* coss. legatis sociorum Latini nominis, qui toto undique frequentes ex Latio conuenerant, senatus datus est, his LIVIO (c) teste querentibus, *magnam multitudinem ciuium suorum Romam commigrasse, et ibi censos esse. Q. ergo Terentio Culleoni, praetori, tum negotium datum, vt eos conquireret, et quem C. Claudio et M. Liuio censoribus, postue eos censores, ipsum parentemue eius, apud se censum esse probassent, vt redire eo cogeret, vbi censi essent.* Qua conquisitione tum duodecim millia Latinorum domos redierunt. Verum id non absterruit Latinos, quo minus Romanae ciuitatis iura inuaderent: Idem enim auctor est LIVIVS, (d) anno ab v. c. 576. iterum auditas Romae esse legationes sociorum et Latini nominis, conquerentium, *ciues suos*, ROMAE CENSOS, *plerosque eo demigrare: quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, vt deserta oppida, deserti agri, nullum militem*

(a) *Orat. pro L. Cornel. cap.* 23.
(b) *Lib. III. cap.* 4. §. 5.
(c) *Lib. XXXVIIII. cap.* 3.
(d) *Lib. XXXXI. cap.* 12.

BIU Cujas

tem dare possent. Addit, paucis interiectis, LIVIVS, (a) re expensa accuratius, a C. Claudio Pulchro latam esse legem CLAVDIAM, *qui socii ac Latini nominis ipsi, maioresque ipsorum, M. Claudio T. Quinctio censoribus, posteaque apud socios ac nominis Latini censi essent, vt omnes in suam quisque ciuitatem ante Kalendas Nouembres redirent.* Genera nimirum fraudis duo mutandae viritim ciuitatis inducta erant. Lex sociis ac nomini Latino, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, vt ciues Romani fierent. Ea lege male vtendo, alii sociis, alii populo Romano, iniuriam faciebant. Nam et ne stirpem domi relinquerent, liberos suos, quibus quibus Romanis, in eam conditionem, vt manumitterentur, libertinique ciues essent, mancipio dabant, et quibus stirps ita deesset, quam relinquerent, ii ciues Romani fiebant. Postea his quoque imaginibus iuris spretis, promiscue sine lege, sine stirpe in ciuitatem Romanam per migrationem et censum transibant. (b) Hisce ergo fraudibus obiecta lex CLAVDIA, et ne, si poena haud sequeretur, contemtui esset Latinis, quaestio de iis, qui ex lege non rediissent in patriam, L. Mummio, praetori, decreta est, et ad legem ex SC. additum consulis edictum, *vt dictator, consul, interrex, censor, praetor, qui tunc esset apud forum, quem manumitterent, in libertatem vindicaret, si iusiurandum daret, qui eum manumitteret, ciuitatis mutandae caussa manu non mittere: qui id non iuraret, eum manumittendum non censuerunt.* Ea lex aliquamdiu viguit, adeo vt proximo lustro, a. v. c. 580. paullo minus capitum censeretur, quia *L. Postumius* cos. teste eodem LIVIO (c) *pro concione edixerat, vt qui sociûm Latini nominis ex edicto C. Claudii consulis redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romae, sed omnes in ciuitatibus suis, censerentur.* Tantum vero abest, vt lex illa Claudia sitim desideriumque ciuitatis Romanae in Latinis exstingueret, vt potius ex eo tempore, Gracchorum, Appuleii, et Drusi furoribus tribuniciis instincti, tanto obnixius omnia agerent, ne exsortes essent tam luculenti Quiritium iuris. Nouis itaque subinde opus erat rogationibus, qualis, praeter PAPIAM, etiam fuit celeberrima illa lex LICINIA et MVCIA, a duobus sapientissimis consulibus, *L. Licinio Crasso* et *Q. Mucio Scaeuola*, lata anno ab v. c. 658. (d) Vtraque actum de regundis ciuibus, cautumque, vt quotquot sociûm Latini nominis se pro ciuibus Romanis gererent, in suas quique ciuitates remitterentur. Ita enim huius legis sanctionem describit ASCONIVS PAEDIANVS, (e) qui et obseruat, legem hanc, quamuis iustam

(a) *Lib.* XXXXI. *cap.* 13.
(b) *Ibid. cap.* 12.
(c) *Lib.* XXXXII. *cap.* 10.
(d) CIC. *pro L. Corn. cap.* 21. *de offic. Lib. III. cap.* 11.
(e) *Ad orat. pro L. Cornel. p.* 1309.

BIU Cujas

et sapienter scriptam, admodum tamen pernicioſam fuiſſe rei publicae, et vel praecipue conflaſſe funeſtiſſimum iſtud bellum ſociale vel Marſicum, quod vniuerſam paene Italiam vna veluti ruina inuoluit, nec prius exſtingui potuit, quam a. v. c. 654. lege Iulia cum ſociis, qui in fide manſerant; et proxime inſequente lege Plautia cum reliquis Latinis ac Italis ius ciuitatis Romanae, vti ex CICERONIS, (a) VELLEII PATERCVLI, (b) et APPIANI (c) teſtimoniis conſtat, communicaretur.

Eiuſdem generis cum *Claudia* et *Licinia Mucia* etiam lex PAPIA fuit, ex qua M. Perpernam Sabelli; M. Craſſum Mamertini iudicio publico repetierunt. De eius aetate, vt fit, in diuerſa ire videas viros doctiſſimos, quum tamen res quodammodo expediri poſſe videatur. STEPH. VIN. PIGHIVS (d) eam legem Papiam plane explodit, nullamque vmquam legem de ſociis Latini nominis, cui gens Papia fecerit nomen, exſtitiſſe exiſtimat. Contra FRANC. SYLVIVS, (e) cuius non poenitendi in CICERONIS orationes exſtant commentarii, eamdem legem Papiam de ſociis Latinoque nomine cum altera de peregrinis confundit. Nec deſunt denique, qui hanc et ab altera de peregrinis ſeiungendam, et eamdem lege Claudia non multum poſteriorem eſſe, cum CAROLO SIGONIO (f) contendunt.

Prima illa PIGHII ſententia nullum, niſi in fingentis auctoritate, reperit praeſidium. Coniicit enim vir doctus, apud VALERIVM MAX. lituram inducendam eſſe *legi Papiae*, ſubſtituendamque *legem Penni*. Sed nec codices addicunt, nec ipſum legis Iuniae Penni argumentum ei emendationi fauet. Neque enim ex hac lege ſocii ac Latini nominis iudicio publico a ciuitatum ſuarum magiſtratibus repetiti, ſed peregrini omnes, etſi iura ciuitatis haud affectabant, vrbe exeſſe iuſſi ſunt, vti paullo poſt erit dicendi locus. Multo minus FR. SYLVIVS videtur rem tetigiſſe. Praeterquam enim, quod lex Papia de peregrinis a. v. c. 688. lata, ad ſocios Latini nominis viginti tribus annis ante ciuitate donatos pertinere non potuit: ei ſententiae quam maxime etiam aduerſatur VALERII MAXIMI auctoritas, qui M. Perpernae coſ. patrem mortuo filio, ex hac lege a Sabellis repetitum eſſe, memoriae prodidit. Iam certum eſt, M. Perpernam in ipſo conſulatu obiiſſe a. v. c. 623. victo Ariſtonico, decedentem prouincia. Certum quoque, legem Papiam de peregrinis latam eſſe a. v. c. 678. Iam ſi per leges annales

(a) *Pro Archia, cap. 7.*
(b) *Lib. II. cap. 16.*
(c) *De bello ciuil. Lib. I. pag. 379.*
(d) *Ad Valer. Max. Lib. III. cap. 4. et Annal. Tom. III. p. 18. 35.*
(e) *Ad orat. pro L. Cornel. pag. 1264.*
(f) *De antiqu. iur. Ital. Lib. III. cap. 1.*

BIU Cujas

les M. Perperna consulatum ante annum aetatis 43. petere non potuit: patrem eius anno 623, quo filius, turbato naturae ordine, decessit, saltim annorum 60. fuisse oportet, si vel plena tantum pubertate filium anteceſſerit. Anno itaque 688. quo lex Papia de peregrinis lata est, habuisse eum oporteret annos 126. An vero credibile videtur, tum demum istud silicernium status controuersiam a Sabellis passum esse?

Quae quum ita sint, Ioue profecto aequo iudicauit CAR. SIGONIVS, dum hanc legem Papiam CLAVDIA paullo posteriorem esse censuit. Nos addimus, eamdem anteriorem esse lege LICINIA MVCIA. Quum enim biennio post hanc bellum sociale conflagrarit: nemo sibi temere persuaserit, eo adhuc feruente, Romanos lege lata Latinos vrbe expellere, eaque multitudine hostium vires firmare voluisse. Nec exstincto eo bello locus fuit legi Papiae, quum, communicata cum Latinis ac Italis ciuitate, ipsum fere sociorum ac Latinum nomen obsoleuisset. Quamuis enim STRABO (a) Nemausensibus, APPIANVS (b) Nouocomensibus, ASCONIVS (c) Gallis transpadanis, alii aliis populis ciuitatibusque ius Latii etiam post legem illam Iuliam concessum esse scribant: ii tamen noui Latini non magis *socii et Latinum nomen* dicti sunt, ac istud libertinorum genus, quod lex Iunia Norbana ciuitate Romana exclusos ad Latinorum colonariorum conditionem depressit. Ex quibus omnibus consequitur, vt lex PAPIA lata sit inter annum ab v. c. 576, quo Claudia condita, et annum 658, quo lata Licinia Mucia. Quum vero post annum 623. non ex Claudia, sed ex hac lege iudicio publico a Sabellis repetitus sit pater M. Perpernae consulis: verosimile est, non multo ante hoc tempus legem Papiam a plebe scitam esse, quamuis ipse annus, ob fastorum de Papio tribuno plebis silentium, non tam facile ab vllo definiri posse videatur.

III. Proxima est lex PAPIA *de peregrinis*, cuius multo certior, quam superiorum, est historia. Tulit enim illam C. PAPIVS CELSVS, tribunus plebis, a. v. c. 688. *L. Cotta* et *L. Torquato* coss. eaque cauit, vt omnes peregrini, illis tantum, qui Italiam incolebant, nec non Glaucippo, nescio quo, exceptis, vrbe expellerentur. De Glaucippo testis est CICERO, (d) idque singulare fuit priuilegii exemplum, simillimum illis, quod Menandro (e) et Hostilio Mancino (f) legibus latis concessum esse, in iure nostro legimus. Reliqua ita narrat DIO CASSIVS: (g) Καὶ τότε πάντες οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ διατρίβοντες, πλὴν τῶν τὴν νῦν Ἰταλίαν οἰκούντων ἐξέπεσον, ταῖς τινος Παπίᾳ δημάρχου γνώμῃ, ἐπειδὴ ἐπε-

 πόλαζον,

(a) *Lib. IIII. pag.* 157.
(b) *Lib. XI. pag.* 443.
(c) *Ad orat. in Piſon. pag.* 2062.
(d) *De lege et grat. orat.* 1. *cap.* 4.
(e) *L.* 5. §. *vlt. D. de capt. et poſtlim.*
(f) *L. vlt. D. de legation.*
(g) *Lib. XXXVII. pag.* 33.

BIU Cujas

πόλαζον, καὶ ὃκ ἐδόκουν ἱκανῶς ἀφίσιν εἶναι συνοικεῖν : *interim omnes, qui Romae commorabantur, peregrini, exceptis iis, qui eam, quae nunc vocatur Italia, incolunt, ciuitate expulsi sunt, lata lege a* C. PAPIO, *tribuno plebis, qui eos per vrbem vagari cernens, non idoneos esse iudicauit, qui cum Romanis habitarent.* Eiusdem legis insigne supereſt monimentum, denarius gentis Papiae antiquus, a FVLVIO VRSINO (a) et Ez. SPANHEMIO (b) delineatus, cuius in antica parte Iuno Sispita cum tabella, cui inscriptum PAPI; in postica L. PAPIVS CELSVS, ex eadem, qua Caius ille Papius, legis auctor, familia prognatus, exhibetur. Tabella ista ipsam designat legem Papiam de peregrinis. Legum enim a maioribus latarum memoriam a gentibus Romanis in numis conseruari solitam, vel Cassiorum et Porciorum denarii euincunt.

Ceterum grauiter in hanc legem inuectus CICERO: (c) *male etiam*, inquit, *qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eosque exterminant, vti* PENNVS *apud patres nostros, et* PAPIVS *nuper.* Sed profecto nec noua atque inusitata fuit illa Papii rogatio, nec ei ratio idonea defuit, plebem ea de re mittendi in suffragia. Quotiescumque caetus occulti coniurationesque imminebant, vel periculum erat, ne arctior annona plebem ad seditionem consternaret, toties peregrinos vrbe summoueri, e re publica videbatur. Sic quum Sp. Cassius, legem agrariam laturus, ea largitione libertati insidias struere videretur: Proculus Virginius, Cassii collega, ipsos Latinos vrbe excedere, edicto consulari iussit. (d) Id vero et postea factum esse, testatur CICERO, (e) *nihil*, inquiens, *acerbius socii Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perraro accidit, a consulibus iuberi* EX VRBE EXIRE. In primis celebratur lex IVNIA PENNI, qua a. v. c. 627. peregrinos ideo vrbe eiectos constat, quod tum inter tribunicios C. Cornelii Gracchi furores periclitaretur res publica, isque in illa peregrinorum turba collocasse videretur fiduciam. Qua de re CICERO, (f) qui alibi hanc legem inhumanam iudicauerat, veluti sui oblitus: *tuus etiam gentilis*, inquit, *Brute*, M. PENNVS *facete agitauit in tribunatu C. Gracchum, paullum aetate antecedens.* Quo ipso CICERO turbulenta Gracchi consilia a Iunio Penno illa arte prudenter disiecta esse, fatetur. Sed et extremis rei publicae temporibus saepe principes vrbis vsu prohibuere peregrinos. Ipse Augustus, qui natura ad humanitatem ferebatur, nihilque faciebat reliqui, ne quem Romae noui status poeniteret, *magna* tamen *sterilitate, ac difficili remedio, venalitias et lanista-*

(a) *De famil. Rom. pag.* 196.
(b) *De vsu numism. et praest. Diss. X. p.* 200. *Tom. II.*
(c) *De offic. Lib. III. cap.* 11.
(d) DIONYS. HALIC. *Lib. VIII. cap.* 84.
(e) *Pro P. Sext. cap.* 13.
(f) *Brut. cap.* 28.

BIU Cujas

laniſtarum familias, PEREGRINOSQVE OMNES. *exceptis medicis et praeceptoribus*, *partemque ſeruitiorum*, teſte SVETONIO, (a) *vrbe expulit.* Idem et ſua aetate ob annonae caritatem difficultatemque commeatuum factum eſſe, refert AMBROSIVS, (b) vt alia huius generis exempla praetermittam.

Ita nec PAPIO defuere rationes, quamobrem ab vrbe tunc faceſſere iuberet peregrinos. C. Iulius Caeſar eo tempore non cuniculis, ſed machinis petere coeperat rempublicam. Eo ipſo anno tam ſplendida aedilitate fungebatur, vt, SVETONIO (c) teſte, praeter comitium ac forum, baſilicaſque, etiam Capitolium porticibus ad tempus exſtructis ornaret, in quibus, abundante rerum copia, pars adparatus exponeretur. Venationes ludoſque et cum collega, et ſeparatim inuſitata munificentia edebat. Tropaea C. Marii de Iugurtha, deque Cimbris et Teutonis, olim a Sulla diſiecta, reſtituebat. In primis multiplici comparata familia adeo exterruerat inimicos, vt SCtum de finiendo gladiatorum numero fieret. Praeter haec omnia, teſte DIONE, tot peregrini per vrbem oberrabant, vt non poſſent non vereri ciues, ne Caeſaris factio eorum opera ad res nouas moliendas abuteretur. (d) Quare nihil profecto nouum aut iniquum molitum eſſe dixeris Papium, dum fluctuante inter optimatium diſcordias re publica, turbam peregrinam, qua fortuna rem daret, vires inclinaturam, vrbe exeſſe more maiorum iuſſit.

IIII. Omnium denique celeberrima eſt LEX PAPIA POPPAEA, in qua enucleanda illuſtrandaque praecipue iam exercere iuuabit ingenium. Multis ea nominibus adpellatur a veteribus. PAPIAE POPPAEAE nomen ab vtroque conſule, qui populum rogauit, (e) PAPIAE *legis*, (f) *et* πληθυντικῶς PAPIARVM LEGVM, (g) a conſule maiore, quem penes tunc faſces erant, traxit. Frequens etiam in iure noſtro LEGVM IVLIARVM, nec non LEGIS IVLIAE et PAPIAE vocabulum, quia *lex Iulia de maritandis ordinibus*, quamuis a Papia Poppaea diuerſa, maximam tamen partem in hanc migrauit. Ob inſignem celebritatem ſaepe illi ἀπλῶς LEGVM nomen inditum eſſe, comperio, non ſolum in indice vetere Pandectis Florentinis praemiſſo, qui MAVRICIANI, TERENTII CLEMENTIS, aliorumque veterum iureconſultorum *βιβλία ad* LEGES recenſens, obſeruante iam LIPSIO, (h) de lege Papia Poppaea loquitur: verum etiam in ipſis iuris noſtri libris. Nam in §. 1. *Inſtit. de nupt.* ait

(a) *Auguſt. cap.* 42.
(b) *De offic. Lib. III. cap.* 7.
(c) *Iul. cap.* 10.
(d) *Lib. XXXVII. pag.* 33.
(e) *Tacit. Annal. Lib. III. cap.* 25.
(f) SVET. *Ner. cap.* 10.
(g) TERTVLL. *Apol. cap.* 4.
(h) *Excurſ. ad Tacit. Annal. Lib. III.*

BIU Cujas

imperator: *qui secundum praecepta* LEGVM *coëunt*, id est, legum Iuliae et Papiae. Similiter POMPONIVS: (a) *nemo potest in testamento suo cauere, ne* LEGES *in testamento suo locum habeant.* Et PROCVLVS: (b) *itaque si cautum est, vt propiore tempore, quam* LEGIBVS *constitutum est, reddatur, stari eo debere existimo.* Plura huius generis loca iam collegit vir eximius, EMVNDVS MERILLIVS, (c) quae hic accumulare nolumus.

Eo quoque haud parum celebritatis haec lex consequuta est, quod auctoritatem suam, et senescente iam imperio, quum abundantes voluptates libidinem pereundi perdendique omnia inuexissent, diutissime retinuit. Quamuis enim principes, Augustum insequuti, vt fit, ei variis SCtis ac constitutionibus vel obrogarent vel derogarent: ipsa tamen lex fere ad Iustiniani tempora inter Romanos viguit, vt non temere signarentur tabulae, quin simul lex ista nuptialis recitaretur. Ad quem ritum adludens MARCIANVS CAPELLA: (d) *tunc*, inquit, *mater popposcit de Ioue, superisque cunctis, vti sub conspectu omnium, quidquid sponsalium nomine praeparauerat Maiugena, traderetur, ac demum dos a virgine non deesset, tumque tabulas ac* PAPIAM POPPAEAMQVE *legem sinerent* RECITARI.

Quamobrem nemini videbitur mirum, tam multos eruditissimosque viros et olim, et post felicem illam temporum reparationem, de lege PAPIA POPPAEA bene mereri conatos esse. Sub Hadriano et Antonino Pio, Augustis, in eam *libros viginti* scripsit TERENTIVS CLEMENS, *libros sex* IVNIVS MAVRICIANVS, et VLPIVS MARCELLVS, *libros quindecim* CAIVS. Sub Seuero et sequentibus DOMITIVS VLPIANVS et IVLIVS PAVLLVS, ille *libris viginti*, hic decem eamdem interpretatus est, e quibus omnibus fragmenta satis multa exstant in Pandectis. Addidit his GVIL. GROTIVS (e), OCTAVENVM, Traiano fere aequalem, cuius quaedam in hanc legem exstitisse, ex TERENTII CLEMENTIS fragmento (f) colligi posse videtur. Verum quum huius ICti scripta non modo interciderint omnia, verum etiam ea in Pandectis non nisi obiter laudentur, de commentariis eius in legem Papiam Poppaeam res non adeo expedita videtur.

Renatis litteris, tenebrisque, quae diutissime orbi litterario incubuerant, felici sidere discussis, haud pauci de restituenda explicandaque hac lege cogitarunt. LAEV. TORRENTII *excursus* inter eius lucubratio-

(a) *L. SS. D. de legat. I.*
(b) *L. 17. D. de pact. dotal.*
(c) *Obseru. Lib. V. cap. 10.*
(d) *De philolog. et Merc. nupt. Lib. II. extremo.*
(e) *De vet. ICtis, Lib. II. cap. 5.*
(f) *L. 32. D. qui et a quib. manumiss.*

BIU Cujas

brationes ad HORATIVM ; IVSTI LIPSII *commentatio*, quam MVRETVS numeris omnibus absolutam censet, inter *excursus* ad TACITI *annales* comparet. Exstat et FRANC. BALDVINI *liber singularis*, quo non modo de lege PAPIA POPPAEA, verum etiam de *Falcidia*, *Voconia*, et *Rhodia* suo more erudite egit, excusus *Basileae*, anno erae Christianae 1559. Similes sunt commentarii IOANNIS DE PAREIA et RAMEZ DEL MANZANO, quorum illius lucubrationes anno 1591. *Salmurii*, vna cum eiusdem auctoris *Otio quadrimestri* prodierunt, huius vero opus in tabernis librariis aeque ac bibliothecis harum regionum paene disparuit, saltim a me, omni adhibita industria, nusquam potuit inuestigari. Sed procul dubio reliquorum omnium luminibus offecit iureconsultus facile princeps, IAC. GOTHOFREDVS, qui omnia huius legis capita et fragmenta non solum colligere, breuique, sed luculento, illustrare commentario, verum etiam, quoad eius fieri potuit, ad pristinum reuocare ordinem primus omnium ausus est. Quod quantiuis pretii opusculum vna cum restitutis ab eo XII. *tabulis*, *edicti perpetui ordine*, et *fragmentis librorum* SABINI sub titulo QVATVOR FONTIVM IVRIS CIVILIS praelo exiit *Coloniae Allobrogum* anno superioris saeculi 53. Obiter huius legis capita quaedam illustrarunt BARN. BRISSONIVS, doctissimo *de iure connubiorum* opere, FERDINANDVS PAEZ Vlyssiponensis, libello *de numero liberorum excusante a muneribus publicis*, et hoc multo doctior M. VERTRANIVS MAVRVS eleganti commentatione *de iure liberorum*, qui posteriores libri in *tomo octauo Tractatus tractatuum* locum inuenerunt, ut mirum sit, FRID. BRVMMERVM (a) de insigni libelli raritate tam grauiter esse conquestum. Non iam his addo KIRCHMAIERI, MVLLERI, FICHTNERI, aliorumque de hac lege et praemiis πολυπαιδίας dissertationes, ita quippe comparatas, vt ex iis parum ad rei summam proficias.

Tot ergo eruditissimi viri ad restituendam et illustrandam legem PAPIAM POPPAEAM omnem operam industriamque contulerunt, idque non immerito, quum, vti recte iudicat IAN. VINC. GRAVINA, (b) *tam multa huic legi iureconsultorum responsa et fragmenta veterum sint implicata, vt, qui hac luce careat, eum in cursu iuris passim offendere oporteat, et prolabi.*

Quare et nos huic nobilissimo argumento, quod felix faustumque sit, animum calamumque adiicere decreuimus, parum veriti, ne cui Iliada post tot Homeros scribere videamur. Saepe enim, qui id argumentum occuparunt, humani quid passi sunt: saepe seueriore vsi critica

(a) *De lege Cinc. cap.* 14. (b) *De legib. et SCtis* §. 36.

BIU Cujas

tica intelligendo fecerunt, vt intelligamus nihil. Saepe, quæ maxime ad rem faciunt, praeteruiderunt, aliaque, haud germana, pro legis noſtrae capitibus obtruſerunt, adeoque poſt tantam meſſem maximum aliis reliquerunt ſpicilegium. Otium fortaſſis nobis feciſſet ὁ πάνυ GOTHOFREDVS, ſi incredibilem illam, quam procedente aetate ſibi pepererat, variæ eruditionis copiam in illuſtranda hac lege voluiſſet expromere. Sed ei adhuc iuueni, ſub ipſa ſtudii iuridici tirocinia, hoc opuſculum exciderat, vti ipſe refert in *commentario ad regulas iuris:* (a) *nos dudum* PRIMIS IVRIS STIPENDIIS, *fragmenta legis Iuliae et Papiae collegimus, ſuoque ordini reſtituimus, veterum iureconſultorum illorum notas ad ſingula capita verbaque aptauimus, notis tandem et ipſi illuſtrauimus.* Accedit, quod non ipſe viuus ei libello in lucem ituro obſtetricatus eſt, ſed vaſa conclamans et ad aeternitatem ſe componens eam curam demandauit ESAIAE COLLADON, viro quidem doctiſſimo, ſed qui merito a deformando alieno foetu abſtinuit manus. Quare et GOTHOFREDI libello non acceſſit auctoris lima, multique hinc in eo haeſerunt naeui, quos facile deprehendet, qui noſtra haec contulerit.

Ceterum induſtriae noſtrae eam ipſi legem tulimus, vt praemiſſa accuratiore legis hiſtoria, (b) capita eiuſdem, quorum memoria ſupereſt, omnia de nouo cum cura colligamus, eaque, quantum pote, ad priſtinum reuocemus ordinem, (c) ac denique ſingula, et *ſecundo* quidem libro ea, quae ad partem capitis de nuptiis et liberorum procreatione; (d) *poſtremo*, quae ad bona caduca atque ereptitia pertinent, (e) ſeorſum expendamus, mutationibus, quas ſubierunt, fraudibuſque, quibus legem rei publicae vtiliſſimam ingenioſa ciuium improbitas eluſit, ſimul diligenter obſeruatis. His enim omnibus rite pertractatis, nihil, quod ad huius legis intelligentiam pertinere vllo modo videatur, deſiderari poſſe arbitramur.

(a) *Comment. ad regul. iur. collect.* 18. *pag.* 794.
(b) *Cap.* 2. 3. 4.
(c) *Cap.* 5.
(d) *Lib. II. cap.* 1. *ſequ.*
(e) *Lib. III. toto.*

CAPVT

BIU Cujas

CAPVT II.

DE VARIIS VARIARVM GENTIVM, IN PRIMIS ROMANORVM, INSTITVTIS, QVIBVS ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑΝ PROMOTVM IVERE.

PRior legis PAPIAE POPPAEAE *pars ad* πολυτεκνίαν *fuit comparata.* I. *Eius ſtudioſiſſimi fuere populi plerique, in primis Hebraei. Qua ratione illi exponant praeceptum diuinum* Geneſ. I. 28 ? *Caelibum et orborum apud eos ignominia.* II. *Perſae numeroſae proli praemia conſtituerunt.* III. *Graecorum, quae huc pertinent, inſtituta, in primis Athenienſium.* IIII. *Lacedaemonii faecunditatem ornabant praemiis. Poenae* ἀγαμίας, ὀψιγαμίας, *et* κακογαμίας. LANGLAEVS *notatus.* V. *Thebanis ignominioſum videbatur, ſine prole mori.* VI. *Germani abſque ſpe praemiorum numeroſae proli ſtudebant. Locus* TACITI *explicatus. Quid Germanis medii aeui* das Hageſtoltzen-Recht ? VII. *Romani iam ab origine vrbis ciuitatem quam numeroſiſſimam eſſe cupiebant. Cur Romulus tam amplam poteſtatem maritis et parentibus conceſſerit ?* VIII. *An Numa Pompilius vel Tullus Hoſtilius auctor iuris trium liberorum ? Locus* PLUTARCHI *vna mutata littera emendatus. Eiuſdem Numae lex de pellicatu, nec non de filio, qui vxorem duxerit, non venumdando.* VIIII. *An libera re publica leges de caelibatu latae ? Cenſorum circa caelibes et orbos officium. Aes vxorium. Praemia parentibus a cenſoribus decreta. Adoptiones veterum fraudulentae. Praemia cenſorum qualia ? Metelli oratio cenſoria ab Auguſto repetita.* X. *Iulii Caeſaris liberalitas erga parentes.* XI. *Romani et extra ordinem benefici in eos, qui liberos ſuſtulerant. Serui ob numerum liberorum manumiſſi. Bona ob liberorum numerum haud publicata. Status liberorum ex inceſtis nuptiis editorum confirmatus ob parentum faecunditatem. Ad* πρωτοδικίαν *in ordine decurionum profuit numeroſa proles.* XII. *Cur Romani tot praemia* πολυτεκνίας *et poenas caelibatus et orbitatis inuenerint ? Expediatne rei publicae, ciuitates eſſe quam numeroſiſſimas ? Romana res publica ad bellicam potentiam comparata. Eadem vtebatur milite lecto. Romani a nuptiis abhorrebant, partim ob mores feminarum perditiſſimos, partim ob vagas, quibus delectabantur, libidines, partim ob pinguiſſima orbitatis praemia. Haec cauſſa latae etiam legis* PAPIAE POPPAEAE.

BIU Cujas

FInis legis PAPIAE POPPAEAE de maritandis ordinibus is praecipue fuit, vt faecunda essent ciuium Romanorum matrimonia, et vrbs tot bellis exhausta ciuilibus maxima ciuium multitudine in posterum adflueret. Id consilium non solum Augustus prae se tulit, sed et complura veterum testimonia produnt. CELSVS (a) sane noster hanc *legem* SOBOLIS PROCREANDAE CAVSSA *institutam, atque hinc vtilem esse* ait *rei publicae.* Eumdem finem indicat HORATIVS, (b) dum de lege Iulia, paullo post in Papiam Poppaeam transfusa, canit:

Diua, producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis, PROLISQVE NOVAE FERACI
Lege marita.

Et paucis interiectis: (c)

Di probos mores docili iuuentae
Di senectuti placidam quietem,
Romulae genti date rem PROLEMQVE,
Et decus omne.

Denique SOZOMENVS, (d) incidens in legem Papiam Poppaeam: ἔθεντο, inquit, τὸν νόμον οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι, ΠΟΛΥΑΝΘΡΩΠΟΝ ἔσεσθαι τὴν Ῥώμην καὶ τὴν ὑπήκοον οἰνόμενοι: *tulerant istam legem veteres Romani,* POPVLOSAM *et* HOMINIBVS ADFLVENTEM *esse cupientes vrbem, subiectasque prouincias.* Quae quum ita sint, paullo altius repetendae sunt prolificae huius legis rationes, et, cur cum aliae res publicae florentissimae, tum Romana in primis de amplificando ciuium numero tam sollicitae semper fuerint, accuratius hoc capite explicandum.

I. Gentibus tantum non omnibus, quarum ciuitates vel ad bellum ac militiæ gloriam, vel ad proferendos imperii fines, vel ad opes quam maximas accumulandas erant comparatae, antiquissimum fuisse animaduerto, vt vrbes ac prouincias quam populosissimas haberent. Quin et Ebraei, ab his olim studiis alieniissimi, nihil reliqui faciebant, vt gens sua aliis vicinis multitudine antecelleret, exitusque comprobaret diuinum oraculum, quod Abrahami posteros et stellas et arenam maris numero superaturos praedixerat (e). Eum in finem multa sanxerunt, ab

(a) *L. 64. D. de condit. et demonstr.*
(b) *Epod. XVIII. v. 17.*
(c) *Ibid. V. 45.*
(d) *Hist. eccl. Lib. I. cap. 9.*
(e) *Genes. XIII. 16. XV. 5.*

BIU Cujas

ab aliarum gentium inſtitutis alieniſſima. Primo enim quum ipſa recta ratio doceat, obligari quidem homines ad ineundum matrimonium, ſed per modum praecepti aientis, quod nec ſingulos neceſſario, nec quouis tempore, ſed eos, quibus commodae conditionis ſit copia, obſtringat: Ebraei, teſte IOANNE SELDENO, (a) longe aliter compoſuere rationes, ſuiſque ſerio inculcarunt, praecepto illo diuino: (b) פרו ורבו: *creſcite ac multiplicamini*; omnes maſculos teneri, nec quemquam, qui ante annum vigeſimum vxorem non duxerit, excuſari, niſi aut aſſiduo rerum diuinarum ſtudio acrioris libidinis ſtimulos retundat, aut naturae errore impar ſit procreationi liberorum. Addebant, qui vxori ſuperſtes, prolem vtriuſque ſexus, eiuſque integri, (ſiquidem ſpado aut filia ſterilis non proderant,) nondum ſuſtuliſſet, eum diuino iſti praecepto non videri ſatisfeciſſe. Quin ſemper, nondum effoeta aetate, vnumquemque hac lege teneri exiſtimabant, quamdiu in prole ſexus alteruter deeſſet, neque excuſari, qui vetulam, aut ſterilem, eamue, quae per aetatem muliebris patientiae legem accipere non poſſet, domum duxerit, niſi ſuperinducat foecundam. Alii Ebraeorum magiſtri, vti refert LEO MVTINENSIS, (c) tam late interpretabantur diuinam iſtam ſanctionem, vt nec ei, cui vtriuſque ſexus proles domi erat, vacationem concederent, ſi per aetatem corporiſque vires cum femina conſueſcere poſſet. Quare et hoc in veterum ſcitis eſſe ait R. ELIEZER: (d) לו אשה אינו אדם כל אדם שאין: *quemlibet hominem, cui non ſit vxor, non eſſe hominem*: itemque: (e) בפריה ורביה כאילו שופך דמים בל מי שאין עוסק: *quicumque negligat praeceptum de multiplicando humano genere, habendum eſſe veluti homicidam.* His ergo doctrinis imbuebant docilem iuuentutem, has illi inculcabant regulas, non alio profecto conſilio, quam vt ciuibus ad matrimonium incitatis, quam populoſiſſimam haberent rem publicam.

Ne vero id officium ſoli cuiuſque virtuti ac pudori relictum videretur: illis quamdam veluti ignominiae notam inurere haud dubitabant, qui vel a nuptiis abhorrebant, vel numquam prole locupletauerant rem publicam. Caelibes ſane et ἀγάμους omnes illis ex magiſtrorum ſcitis homicidarum loco fuiſſe, modo vidimus. Ex ipſis vero ſacris litteris conſtat, maximum e ſterilitate ſua dolorem cepiſſe feminas ſanctiſſimas,

(a) *De iur. nat et gent. ſecundum diſcipl. Ebr. Lib. V. cap. 6.*
(b) *Geneſ. I. 28.*
(c) *De ritib. Ebraeor. Part. IIII. cap. 2.*
(d) *Gemara Bab. ad tit. Iabimoth. col. 6. f. 63.*
(e) *Bereſch. rabba par. 34.*

BIU Cujas

Saram, (a) Rebeccam, (b) Rachelem, (c) Hannam; (d) laetas autem laetitiis omnibus veluti triumphasse, quum enixae essent liberos. Ipsa Elisabeth, quum iam grandis natu vterum singulari atque inusitato Dei beneficio intumescere sentiret, quamdam inde capiebat voluptatem! quam laetabunda exclamabat venerabilis canitie puerpera: (e) οὕτωμοι πεποίηκεν ὁ Κύριος ἐν ἡμέραις, αἷς ἐπεῖδεν ἀφελεῖν τὸ ὄνειδός μου ἐν ἀνθρώποις: *ita mihi fecit dominus hoc tempore, quo ad me respexit, ad tollendam ignominiam meam inter homines.* Tanta videlicet erat sterilium, orborum, caelibum ignominia, vt ipse Deus maximam Israelitis minatus temporum calamitatem, futurum tunc esse praedicat, vt septenae feminae viri vnius ambientes nuptias, nec alimenta sibi nec vestes stipulentur, tantum ne maximam illam caelibum steriliumque ignominiam sustineant diutius (f).

Quemadmodum ergo haec omnia eo comparata erant, vt eo magis a caelibatu ac orbitate abhorrerent Ebraei: ita et praemia quaedam nouellis maritis proposuerat summus legislator, annuam nimirum munerum militarium vacationem. (g) Accedebat, quod magno in honore essent numerosae prolis parentes, laudibusque ornarentur a popularibus suis, quibus subinde in ore erat vetus, quod Moses Maimonides (h) seruauit, adagium: בישראל כאילו בנה עולם חסוסין נפש אחד: *quicumque adiecerit animam vnam Israeli, quasi mundum aedificat.*

II. Sed et aliis per orientem gentibus curae cordique fuit πολυτεκνία: in primis autem Persis, qui quum de amplificando regno, proferendisque imperii finibus assidue cogitarent, satis animaduertebant, numquam se potituros oriente, nisi quam numerosissimos educerent exercitus. Hinc et omnes, qui prole locupletauerant rem publicam, multis luculentisque praemiis ornabant. Testis est Nicolaus Damascenus: (i) Ἆθλα, inquiens, λαμβάνουσι περὶ βασιλέως ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑΣ: *quibus* NVMEROSA PROLES *est, ii* PRAEMIVM *eo nomine a rege ferunt.* Et paullo plenius Strabo: (k) Γαμοῦσι δὲ πολλὰς καὶ ἅμα παλλακὰς τρέφουσι πλείους ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑΣ χάριν. Τιθέασι δὲ καὶ οἱ βασιλεῖς ΑΘΛΑ ΠΟΛΥΤΕΚΝΙΑΣ κατ' ἔτος: *Ducunt vxores complures, et multas pellices alunt,* MULTIPLICANDAE SOBOLIS *gratia. Reges quotannis* PRAEMIA *proponunt iis,* qui plures filios progenuerint. Similia iam obseruauit Herodotus, *qui plures filios progenuerint*, non adscribo.

III.

(a) *Genes. XVI.* 1. 2.
(b) *Genes. XXV.* 21.
(c) *Genes. XXX.* 1. 23.
(d) *I. Sam. I.* 6. 10. 11.
(e) *Luc. I.* 25.
(f) *Ies. IIII.* 1.
(g) *Deut. XX.* 7. *XXV.* 5.
(h) *Halach. ischoth. cap.* 15.
(i) *Excerpta Peiresc. pag.* 522.
(k) *Lib. XV. p.* 733.
(l) *Lib. I. cap.* 135.

BIU Cujas

III. Haud abſimile Graecorum inſtitutum fuit, de quibus MVSONIVS apud STOBAEVM : (a) Νομοθέται ΠΟΛΥΠΑΙΔΙΑΣ ἔταξαν γέρα καὶ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ, καὶ τὴν ἀπαιδίαν ΕΠΙΖΗΜΙΟΝ κατέγνωσαν : *legumlatores vtrique ſexui numeroſae prolis* PRAEMIA, POENAM*que ſterilitatis ſtatuerunt.* Saltim Athenienſes, quantum fuerint πολυπαιδίας ſtudioſi, vel inde patet, quod ſi quando ob cladem bello acceptam luemue peſtiferam iuſto minor videretur ciuium numerus, πολυγυνίαν imperare ciuibus non dubitarint. Quamuis enim a Cecropis temporibus inualuiſſet, vt nemo Athenis binas eodem tempore vxores haberet : non tamen ignotum eſt pſephiſma extra ordinem factum : διὰ τὸ λειπανδρεῖν συναυξῆσαι τὸ πλῆθος, γαμῆν μὲν τὴν ἀστὴν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας : *ne homines deficerent, atque vt multitudo ſuccreſceret, vnam quidem et legitimam vxorem ducendam, liberos vero etiam ex alia ſuſcipiendos.* (b) Hinc fama tenet, ipſum Socratem, virum continentiſſimum, praeter Xanthippen, et cum Myrthu conſueſſe, ὅπ συγκεχωρημένον κατὰ ψήφισμα τότε ἐγένετο τότε, διὰ σπάνιν ἀνθρώπων, *quod plebiſcito id tum conceſſum fuerit ob ciuium raritatem.* (c) Idem memoriae proditum de Euripide, quod, quamuis muliebre genus omne peroſus, duas tamen ſimul vxores duxerit, *quia id decreto, ab Athenienſibus facto, ius eſſet.* (d) Idem Athenienſes et poenis coërcebant caelibatus orbitatiſque ſtudium, et DINARCHO (e) teſte, nec oratores, nec belli duces capeſſere patiebantur rem publicam, niſi liberos ſuſtuliſſent. Quin et ſingularem aduerſus caelibes inuenerant γραφὴν, vel accuſationem publicam, quam τὴν ἀγαμίου γραφὴν adpellatam eſſe, tradit in onomaſtico IVLIVS POLLVX. (f)

IIII. Lacaedaemonii quoque, bellicae virtutis ſtudioſiſſimi, et praemia numeroſae prolis, et poenas caelibatus inuenerant. De illis AELIANVS : (g) Νόμος ἐστὶ τοῖς Σπαρτιάταις, τὸν πατρισχόμενον υἱὸς τρεῖς, ἀτέλειαν ἔχειν φυλακῆς, τὸν δὲ πέντε, πασῶν τῶν λειτουργιῶν ἀφεῖσθαι : *lex eſt Spartanis, vt qui tres filios ſuppeditarit rei publicae, ab excubiis liber eſſet; qui vero quinque, ab omnibus muneribus publicis vacationem haberet.* Idem fere refert ARISTOTELES, (h) niſi quod hic immunitatem etiam quatuor liberorum parentibus conceſſam eſſe ſcribit. En eius verba : Ἔστι αὐτοῖς νόμος τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱοὺς ἄφρουρον εἶναι, τὸν δὲ τέτταρας ἀτελῆ : *lex illis eſt, vt qui tres genuerit liberos, ab excubiis;*

(a) *Serm.* LXXIII.
(b) PETIT. *Leg. Att. Lib. VI. tit.* 1.
(c) ATHEN. *Lib. XIII. p.* 556.
(d) GELL. *Lib. XV. cap.* 20.
(e) *Inuectiu. in Demoſthen.*
(f) *Lib. VIII. cap.* 6.
(g) *Hiſt. var. Lib. VI. cap.* 6.
(h) *Polit. Lib. II. cap.* 9.

BIU Cujas

excubiis ; qui QVATVOR , *penitus immunis ſit.* At tanto grauius animaduertebant in eos, qui vel numquam duxiſſent vxorem, vel iuſto tardius, vel indignam eo vitae conſortio duxiſſent. Hinc quum IVL. POLLVX (a) paullo ante laudatus, inter reliquas Athenienſium accuſationes etiam τῆς ἀγαμίου γραφῆς meminiſſet : ſtatim ſubiicit : Παρὰ δὲ Λακεδαιμονίοις καὶ ΟΨΙΓΑΜΙΟΥ, καὶ ΚΑΚΟΓΑΜΙΟΥ : *apud Lacedaemonios autem et ſero initi matrimonii, et male conciliati*, accuſationes proditae ſunt. Et ARISTON apud STOBAEVM : (b) Σπαρτιατῶν νόμος τάττει ζημίας, τὴν μὲν πρώτην ΑΓΑΜΙΟΥ, τὴν δευτέραν ΟΨΙΓΑΜΙΟΥ, τὴν τρίτην καὶ μεγίστην ΚΑΚΟΓΑΜΙΟΥ : *Spartanorum lex poenam ſtatuit, primam* NON DVCENTI *vxorem, alteram* SERO DVCENTI, *tertiam denique ac grauiſſimam* MALE DVCENTI. Qualia fere et apud PLVTARCHVM (c) legimus.

At quales illae ἀγαμίου, ὀψιγαμίου, et κακογαμίου poenae ? et quo iure animaduerti potuit in eos, qui malis auibus inierant matrimonia? *Hoccine cuiquam vitio dabitur*, inquit ZACH. HVBERVS, (d) *quod a fato pendet, et prudentiſſimum quemque fallit ? cuius lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur ?* Quare coniicit cum PLVTARCHO, κακογαμίου poenam viguiſſe potiſſimum aduerſus illos, quibus in conditione quaerenda virtus poſtponeretur numis, quique mallent beatam, hoc eſt, bene dotatam et nummatam ducere vxorem, quam ingenuam, liberalem, ſine mala fama, bonam, bonis prognatam: idque illuſtrat egregio ſeueritatis publicae exemplo, quod eodem loco, quo κακογαμίου poenae meminit, refert PLVTARCHVS. Lyſandri filiae, patre ſuperſtite, multorum fuerant ſpes inuidioſa procorum. Sed hi, quum Lyſander decedens pauperes reliquiſſet, turpiter eluſerant ſperatas virginum nuptias, pecunia ideo mulctati a Lacedaemoniis, quod dotem virtuti praetuliſſent, et quem diuitem rati coluerant, eum virum bonum, paupertatis argumento compertum, deſeruiſſent. Enimuero ſi mulctam his dixerunt Lacedaemonii, egregie falſi ſunt ARISTON et PLVTARCHVS ipſe, dum poenam κακογαμίου, μεγίστην, id eſt, maximam et poenis ἀγαμίου et ὀψιγαμίου acerbiorem fuiſſe, tradiderunt. Caelibes enim PLVTARCHVS (e) refert, in gymnicis ludis ſpectaculo excluſos, per hiemem vero nudos circumire iuſſos forum, carmenque in ſe compoſitum canere. De iis vero qui ſerius animum adiecerant nuptiis, ATHENAEO (f) teſte, ita decreuerant Lacedaemonii, vt feſto

(a) *Onomaſt. ibid.*
(b) *Serm. LXXIII.*
(c) *Lyſand. ſub fin.*
(d) *Diſſert. iurid. philol. Part. II. diſſ. IIII. cap. 1.*
(e) *Lycurg. extr.*
(f) *Lib. XIII. pag. 555.*

BIU Cujas

sto quodam die a mulieribus circa aram tracti verberibus caederentur. Quem locum ATHENAEI, quod obiter moneo, perperam cum PLVTARCHI testimonio committit vir doctissimus, IAN. LANGLAEVS, (a) quasi iis auctoribus parum inter se conueniret, quum tamen alter de ἀγαμίου, alter de ὀψιγαμίου poena manifesto loquatur, et hinc rationem subnectat ATHENAEVS, ἵνα τὴν ἐκ τῶ πρόγματος ὄβειν φεύγοντες, φιλοσοργῶσι τε καὶ ΕΝ ΩΡΑι παρεσίωσι τοῖς γάμοις: *vt indignitatem eius contumeliae perosi liberos ac prolem tollere cuperent, et* TEMPESTIVE *sese adiungerent vxoribus.* Quis vero non quantamcumque maluisset exsoluere mulctam, quam tantam ignominiam subire! Quare κακογαμίου poena locum videtur habuisse, non solum si quis dotem praetulisset virtuti, sed quotiescumque quis contra leges nuptiales Lycurgi, quem curiosissime περὶ τεκνοποιίας egisse XENOPHON (b) obseruat, vxorem duxisset, nec corpore robustam, nec aetate florentem, nec indole generosam. Harum enim in primis rationem haberi voluit ab iis, qui Spartae vxores essent ducturi, vti latius exposuit laudatus XENOPHON. Quicumque ergo vel pusillas et tenues, vel vetulas, vel vitiis omnibus contaminatas sibi iunxerant, κακογαμίου incurrebant poenas, quae quales fuerint, veteres quantum memini, non referunt.

V. Thebanorum instituta non admodum nota sunt. Apud eos tamen non minus, ac apud reliquos Graecos ignominiosum fuisse, nullos ex se relinquere liberos, argumento est dictum Pelopidae obiurgantis Epaminondam, *tamquam male in eo consulentem patriae, quod liberos non relinqueret.* (c) Quin quum idem vir fortissimus apud Mantineam ex vulnere occumberet, lacrymabundus adstans amicus, teste DIODORO SICVLO, (d) dixit: ὅτι τελευτᾷς ἄπεκνος: *itane sine liberis decedis?* Quamuis autem et Pelopidae, et amico responderet Epaminondas: Μὰ Δία μὲν, ἀλλὰ καταλείπω δύο θυγατέρας, τὴν τε ἐν Λεύκτροις νίκην, καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ: *non per Iouem, sed filias duas; victoriam Leuctricam et Mantinensem, post me relinquo:* satis tamen vel inde adparet, parum honorificam Thebis fuisse orbitatem, maleque illum consulere visum esse rei publicae, qui liberis ex se natis ciuitatem non reddidisset frequentiorem. Obiter moneo, Pythagoram quoque videri posse caelibatum damnasse, siquidem ei inter alia ab aduersariis obiectum esse ait IAMBLICHVS, (e) statuisse illum τοῖς ἀγάμοις πολεμεῖν, *caelibes esse odio prosequendos.* Sed verba: ὡς ἀρχηγοῖς γεγονόσι τοῦ κλήρου,

(a) *Ot. semestr. Lib. X. cap.* 1.
(b) *De re publ. Laced. cap.* 1.
(c) NEP. *Epamin. cap.* 10.
(d) *Lib. XV. cap.* 87.
(e) *De vit. Pythag. segm.* 260.

BIU Cujas

κλήρου, satis ostendunt, legendum esse τοῖς κυάμοις πολεμεῖν, *cum fabis bellum gerendum esse*, vti acutius ARCERIO vidit doctissimus KVSTERVS.

VI. Germanis quoque curæ fuit numerosa proles, quamuis nulla spe praemiorum ad faciendas nuptias, procreandamque sobolem pellectis. Et ita intelligendus TACITI (a) locus, quem vulgo non satis capiunt interpretes: *numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur: plusque ibi* BONI MORES *valent, quam alibi* BONAE LEGES. Contendit inter se auctor praestantissimus Germanorum Romanorumque mores, et vti toto fere illo libello ea potissimum, in quibus a perditissimis Romanorum moribus Germanici discrepabant, eleganter exponit: ita et hic similis plane occurrit σύγκρισις. Solebant Romani liberorum numerum finire. Vel uno suscepto filio, repudiabant vxorem, ne plures nascerentur. Si ob rem domi angustam incommodum videretur, plures tollere, vel recens natos exponere, vel antequam nascerentur, ipsum faetum, propinata vxori potione, nefarie elidere, nulli erat religio. Quum porro maximum Romae esset orbitatis pretium: etiam *singulos* saepe *filios*, vti PLINIVS (b) conqueritur, *graues faciebant illa orbitatis praemia*; nec dubitabant quidam, odia filiorum simulare, eiurare liberos, et orbitatem manu facere, (c) tantum vt multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta, promta et obuia haberent. (d) Sic Romani: an et apud Germanos huius modi quid auditum? Minime vero, *numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare flagitium habebatur.* Liberos quaerebant, solis incitati naturae stimulis, non quot volebant, sed quot ex iusto sequebantur matrimonio. Quo numerosior soboles, quo plus propinquorum, et affinium: eo gratior senectus, nec vlla ibi orbitatis pretia. (e) Tantum ergo abest, vt eos liberorum taeduerit frequentiae, aut solitudinem domi facere voluerint, vt potius praeclarum pulcrumque visum sit, ciues, sui similes atque ex se natos, quamplurimos, relinquere rei publicae. Primum hoc inter Romanorum Germanorumque mores discrimen: iam et alterum sequitur. Labente paullatim Romanorum disciplina, ipsi mores desidentes primo, deinde magis magisque lapsi, postremo ita ire coeperant praecipites, vt nec vitia sua, nec remedia pati possent. Quare et lege Iulia et Papia, totque propositis poenis et praemiis vix eo poterant adduci, vt vxores liberorum quaerendorum caussa ducerent. Contra Germani, non peregrinis artibus, sed

(a) *De morib. Germ. cap.* 19.
(b) *Lib. IIII. epist.* 15.
(c) SENECA *consolat. ad Marc. cap.* 19.
(d) TACIT. *Annal. Lib. XV. cap.* 19.
(e) *Id. de moribus Germ. cap.* 20.

BIU Cujas

ſed tetrica ac triſti maiorum diſciplina inſtructi, ſuopte ingenio animum temperabant virtutibus, ſuaque ſponte liberis procreandis operam dabant. Ita *plus apud eos valebant* BONI MORES, nulla libidine ac luxu polluti, *quam alibi*, puta Romæ, BONAE LEGES, id eſt, Iulia et Papia, quantumuis ſapienter ſcriptae, quantumuis neceſſariae rei publicae. Vere ergo TACITVS, quod ab aliis non video ſatis obſeruatum, legem Papiam Poppaeam in mente habuit, oſtenditque, Germanos, quamuis nulla lege nouae feraci prolis inſtinctos, numeroſae tamen ſobolis ſtudioſiſſimos fuiſſe.

Medio tamen aeuo et de caelibatus poenis cogitare coeperunt Germani, inualuitque conſuetudo, vt maſculis, qui caelibes vel ad ſexageſimum, vel ad quinquageſimum aetatis annum, (neque enim ea in re prouinciae omnes iiſdem moribus vtuntur,) perueniſſent, vel amiſſa vxore vota ſecunda per triginta annos diſtuliſſent, nec non feminis, quae quaſuis nubendi conditiones adſpernatae, virgines vel viduae permanſiſſent ad ſenilem aetatem, nec teſtamentum condere, nec bona a ſe adquiſita inter viuos mortiſue cauſſa donare, ius eſſet, ſed ea poſt eorum exceſſum caduca fierent, et a fiſco occuparentur. Quod ius in prouinciis Brunſuicenſibus, Palatinis, aliiſque quibuſdam etiamnum viget, vocaturque Germanis *das Hageſtoltzen-Recht.* (a) Sed quum de eius iuris origine atque indole copioſius egerimus in ANTIQVITATIBVS IVRIS GERMANICI, quas propediem in Germania praelo exituras confidimus: plura hic addere nihil attinet.

VII. Vt ergo demum ad ipſos Romanos progrediamur, etiam hi, quum ſibi nulla re magis, quam exuberante ciuium multitudine, opus eſſe intelligerent, nihil fecerunt reliqui, vt ciues ad ducendas vxores procreandoſque liberos praemiis poeniſque propoſitis adducerent. Ipſi Romulo, conditori vrbis, eam rem curae fuiſſe, his verbis indicare videtur apud DIONEM (b) Auguſtus: Ἦν μὲν γὰρ ἐδὲ πρόσθεν ἐξὸν ἀμελεῖν παιδοποιίας καὶ γάμων· καὶ γὰρ ΑΠ' ΑΡΧΗΣ εὐθὺς ἅμα τῇ πρώτῃ τῆς πολιτείας κατιδρύσει ἀκριβῶς περὶ αὐτῶν ΕΝΟΜΟΘΕΤΗΘΗ: *et quidem neque ante me cuiquam permiſſum erat, coniugium ac ſobolem negligere, quum* INITIO, *ſub primam rei publicae conſtitutionem, ea de re diligenter ſit* LEGIBVS CAVTVM. Sed quum ſingularis cuiuſdam legis, qua Romulus aut praemia conſtituerit parentibus, aut poenis caelibatum orbitatemque coërcuerit, nec vola, nec veſtigium apud veteres exſtet: procul omni dubio Auguſtus reliquas Romuli leges, quibus veluti aliud agens

(a) SCHOTTEL. *de var. iur. Germ. cap.* 1. BESOLD. *Theſaur. pract. pag.* 352.

(b) *Lib. III. pag.* 536.

FACULTÉ DE DROIT BIBLIOTHÈQUE DE PARIS

BIU Cujas

ciues ab orbitatis ſtudio auertit, in animo habuit. Dum enim iſte vrbis conditor maritis omnem in vxores poteſtatem conceſſit, haſque in eorum manu ac mancipio eſſe iuſſit, (a) dum penes viros non ſolum imperium domeſticum, ſed et ipſum ius vitae ac necis eſſe voluit, (b) dum denique et patrum Romanorum poteſtatem in liberos maiorem, quam vſquam terrarum, eſſe permiſit: (c) procul dubio id egit praecipue, vt ciuibus ſuis, tantò cum imperio præfuturis familiae, eo minus moleſtum videretur, ducere vxores, liberoſque quam plurimos procreare.

[Nec alium ſibi propoſuerat vrbis aeternae parens, quum, teſte DIONYS. HALICARN. *Lib. II. cap.* 15. neceſſitatem ciuibus imponeret educandi omnem virilem prolem, et e filiabus primogenitas, vetaretque vllum foetum trienni maiorem necare, niſi ſi quis infans mutilus aut prodigioſus in ipſo ſtatim partu adparuiſſet. Hunc enim ſolum exponere licebat per legem Romuli, dummodo eum inſignitum et monſtroſum iudicaſſent quinque vicini proximi. Quumque Romulus reliquas femellas exponi concederet, et contra mulctam, immo et dimidiae bonorum partis publicationem interminaretur eis, qui maſculum expoſuiſſent: quis dubitet quaeſo, quin ea lex ad locupletandam ciuibus vrbem cum maxime fuerit comparata?]

VIII. Succeſſores Romuli, quemadmodum non vnum ſibi omnes eumdemque imperii finem propoſuerant: ita nec eodem ſtudio de amplificando ciuium numero laborabant. Ad Numam Pompilium iuris trium liberorum originem referre videtur PLVTARCHVS: (d) ſed videtur tantum. Ait equidem: Τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκεν ἱεραῖς παρθένοις, ὧν ἐξι καὶ τὸ διαθέσθαι ζῶντος ξεῖναι ἐπατρὸς, καὶ τἄλλα πράττειν ἄνευ προσάτυ διάγσας, ὥσπερ AI ΤΡΙΠΑΙΔΕΣ: *tribuit virginibus Veſtalibus ingentes honores, inter quos teſtamenta vel ſuperſtite patre nuncupandi ius; et ſine tutore liberum ſuarum rerum arbitrium, vt quibus* TRES SVNT LIBERI. Sed caue credas, haec omnia a Numa eſſe. Multa, quae ibi priuilegiis virginum Veſtalium accenſet PLVTARCHVS, iis poſtremis demum rei publicae temporibus conceſſa ſunt, veluti ius lictore vtendi ſub triumuiris, (e) ius ſine tutoribus res ſuas adminiſtrandi, vel, vti PLVTARCHVS vocat, ius trium liberorum ſub Auguſto. (f) Quare aut Io. RVALDO (g) credendum, Plutarchum in re, tunc omnibus notiſſima erraſſe, aut, quod creditu facilius, locum illum in mendo cubare oportet,

(a) GELL. *Lib. XVII. cap.* 6.
(b) DIONYS. HALIC. *Lib. II. cap.* 26.
(c) §. 2. *Inſt. de patr. poteſt.*
(d) *Num. pag.* 66.
(e) DIO. *Lib. XXXXVII. pag.* 338.
(f) *Idem Lib. LVI. pag.* 578.
(g) *Animaduerſ. in Plutarch. V. p.* 74.

BIU Cujas

tet, vel vna mutata littera, facile integritati ſuae reſtituendum, ſi pro ἀπέδωκεν legas ἀπέδωκαν, vt ſenſus ſit: πμὰς δὲ μεγάλας, ἀπέδωκαν ἱεραῖς παρθένοις: *tribuerunt vero* (Romani) *multos honores virginibus ſacris.* Sollemne enim eſt PLVTARCHO, hoc modo narrationibus ſuis ſubiungere, quae poſteri circa eam rem inſtituerint. Sic quum retuliſſet, (a) Camillo vadimonium deſerenti irrogatam eſſe mulctam quindenûm millium aeris, ſtatim addit: ὃ γὰρ πρὸς ἀργυρίᾳ λόγον χιλίαι δραγμαὶ καὶ πεντακόσιαι. Ἀσσαρίων γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον, καὶ τὸ δεκάχαλκον ἔτως ἐκαλεῖτο δηνάριον: *quae ſumma* (nunc, poſteris temporibus) *nummi argentei facit denarios ſeſquimillenos. Aſſes enim* X. *efficiebant argenteum, et deni aeris denarius vocabantur.* Camilli enim aetate nummum argenteum nondum ſignatum fuiſſe, non ignoraſſe videtur PLVTARCHVS. Immo et in ipſa Numae vita, (b) enarrata pontificis maximi origine, ἦν δὲ, inquit, καὶ τῶν ἱερῶν παρθένων ἐπίσκοπος: *inſuper virginum Veſtalium cuſtos erat*; non tempore regum videlicet, ſed iis iam exactis, vti iam capite primo docuimus. Quibus obſeruatis, multorum profecto errorum abſolues PLVTARCHVM, quorum paſſim eum coarguunt viri docti. Quemadmodum ergo, vt e diuerticulo in viam redeamus, ius trium liberorum Numae tribui non poteſt: ita et illos ſua opinione falli dixeris, qui eiuſdem originem a Tulli Hoſtilii lege, de tergeminis lata, cum KIRCHMAYERO (c) et IANO VINC. GRAVINA (d) repetunt. Quamuis enim auctor ſit DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, (e) regem illum ob memorabile Horatiorum tergeminorum facinus ad populum tuliſſe, οἷς γένωνται τρίδυμοι παῖδες, ἐκ τῦ δημοσίᾳ τὰς τροφὰς παίδων χορηγεῖσθαι μέλρις ἥβης, *vt nati tergemini, donicum puberes ſunt, de publico alerentur*: ius tamen liberorum non ad tergeminos, ſed ad trium liberorum parentes pertinuit, nec facultatem his dedit, alimenta e publico petendi, ſed cum aliis priuilegiis ac commodis, quae infra recenſebimus, fuit coniunctum. Denique illa Tulli Hoſtilii lex necquidquam ſancit, quod ad amplificandum ciuium numerum vllo modo pertinere videatur.

Potius huc referenda videntur, quae Numa de pellicibus ab ara Iunonis arcendis, deque filiis, qui iuſſu patrum vxores duxerant, non vendundis ſanxiſſe dicitur. Prior lex, quam FESTVS (f) ſeruauit, talis fuit: PELLEX ASAM IVNONIS NE TAGITO, SEI TAGIT, IVNONEI CRENEBIS DEMI-SEIS ACNOM FEMINAM CAEDITO. De poſteriore agunt PLVTARCHVS (g) et DIONYSIVS HALICARNASSEVS, (h) quorum hic

 verba

(a) *Camill. pag.* 135.
(b) *Num. p.* 66.
(c) *Diſſ. de lege Papia Popp.* §. 19.
(d) *De legib. et SCtis*, §. 48.
(e) *Lib. III. cap.* 28.
(f) FEST. *voce* pellex.
(g) *Num. pag.* 71.
(h) *Lib. II. cap.* 28.

BIU Cujas

verba ipsa legitima ita Graece expressit : Ἐὰν πατὴρ υἱῷ συγχωρήσει γυναῖκα ἀγάγεσθαι, κοινωνὸν ἐσομένην ἱερῶν τε καὶ χρημάτων κατὰ τὺς νόμυς, μηκέτι τὴν ἐξουσίαν εἶναι τῷ πατρὶ, ΠΩΛΕΙΝ τὸν υἱόν : *si pater filio conceſſerit vxorem ducere, quacum ſacra et bona ſecundum leges communicet, patri poſthac filium* VENVMDANDI *ius ne eſto.* Vtraque lex ad commendandas nuptias, iniiciendumque ciuibus liberos quærendi ſtudium comparata fuiſſe videtur. Quod enim ad priorem attinet, ea pellices aram Iunonis tangere vetuit, eidemque, ſi tetigiſſet, impoſuit neceſſitatem, ſacrificium διαλλακτικὸν Iunoni offerendi, quo et leues mulierculae iſtius ignominiae periculo a maritorum alienorum amplexibus cohiberentur, et feminae honeſtae, hoc pellicum metu liberatae, tanto lubentius nuberent, vitamque cum viris eo iucundiorem tranſigerent. Iuno nuptiis praeeſſe credebatur, eoque DOMIDVCAE, ITERDVCAE, IVGAE, ΖΥΓΙΑΣ, CINXIAE, LVCINAE, PATVLCAE, et aliis huius modi cognominibus celebrata, de quibus erudite THOM. REINESIVS. (a) Cui quum rem diuinam facere nouae nuptae, interque ſacrificandum, more maiorum, aram tangere ſolerent : *tangere aram Iunonis*, idem eſt, ac nubere vel conuenire in manum. Itaque Numa nuptiarum ſpem omnem incidit feminis, quae ſemel viro alieno ſuccubuerant, niſi Iunoni loco laeti iſtius ac nuptialis ſacrificii, *crinibus demiſſis*, et compoſito ad luctum habitu, διαλλακτικὸν offerrent, a quo forſan feminae, quibus adhuc pudoris quidquam inerat, non minus abhorrebant, quam ab alia quacumque ignominia.

Eum ſibi finem Numa, quum alteram legem ferret, propoſuerat. Solebant adoleſcentes vel ideo abhorrere a nuptiis, vt, dum ferret aetas, vaga Venere animum oblectarent. Quam in rem notum illud TERENTII : (b)

Omnes, qui AMANT, *grauiter, ſibi dari vxorem ferunt.*

Vt ergo filii familias ex meretricum depulſi amplexibus, eo lubentius vxores ducerent : hoc priuilegio eos pellexit Numa, certo perſuaſus, eos libidini antelaturos honeſtas nuptias, quibus magno illo ſeruitutis periculo, in quod eos tetrica lex Romuli coniecerat, liberatum iri intelligerent.

VIIII. Abrogato regibus imperio, idem egiſſe ſenatum populumque Romanum, vt matrimonia quam faecundiſſima eſſent, teſtis iterum eſt apud DIONEM (c) Auguſtus. Commendaturus enim ordini equeſtri nuptias :

(a) *Inſcript. Claſſ. I. 33. 34.*
(b) *Andr. act. I. ſcen. II. v. 20.*
(c) *Lib. LVI. pag. 576.*

BIU Cujas

nuptias : Καὶ μετὰ τοῦτο, inquit, πολλὰ καὶ τῇ βελῇ καὶ τῷ δήμῳ ἔδοξεν, ἃ περιττὸν ἂν εἴη καταλέγειν : *multa deinde eadem de re ſenatus populuſque ſtatuit, quae recenſere ſupervacuum eſſet.* Vtinam vero ea maiorum inſtituta retuliſſet. Omnium enim illorum legum et ſenatus conſultorum ipſa quoque memoria euanuit : [Niſi quod earumdem legum meminiſſe etiam videtur DIONYS. HALIC. *Lib. VIIII. cap.* 27. Dum enim fabulam de tot Fabiis ſemel occiſis erudite refellit, hoc inter alia argumenta vtitur : ὁ γὰρ ἀρχαῖος αὐτῶν νόμος γαμεῖν τε ἠνάγκαζε τὰς ἐν ἡλικίᾳ, καὶ τὰ γεννώμενα ἅπαντα ἐκτρέφειν. οὐκ ἂν δὴ πως κατέλυσαν οἱ Φάβιοι μόνοι, πεφυλαγμένον ἄχρι τῆς ἑαυτῶν ἡλικίας ὑπὸ τῶν πατέρων : *nam priſca lex cogebat eos, qui per aetatem poſſent, vxores ducere, et, vt omnes liberos ſuſceptos educarent, neceſſe erat. Quam legem diligenter vſque ad aetatem ſuam a maioribus ſeruatam, haud quaquam ſoli Fabii contempſiſſent.*] LIVIVS (a) inter reliqua blandimenta, quibus, imminente cum Porſenna bello, patres plebem in officio continuerint, et hoc refert : *portoriis quoque et tributis plebe liberata, vt diuites conferrent, qui oneri ferendo eſſent : pauperes ſatis ſtipendii pendere, ſi* LIBEROS EDVCARENT. Ex quo loco colligas, iis immunitatem a cenſu datam, qui prole rem publicam locupletaſſent, adeoque errare, qui verbis PLVTARCHI (b) idem referentis in contrarium ſenſum deflexis, illo patrum decreto orbos et viduos tributi onere leuatos, ſcribunt. Ipſe enim PLVTARCHVS de pupillis et viduis feminis loquitur : ὀρφανοῖς παισὶ καὶ χήραις γυναιξὶν ἀνεθείσης τῆς εἰσφορᾶς : *pupillis feminiſque viduis gratia facta tributi pendendi.* Quae quidem non pugnant cum verbis LIVII.

Poſtea cenſoribus id datum negotii, ne caelibes eſſe paterentur : eoque pertinet ſollemnis illa cenſorum quaeſtio : EX ANIMI TVI SENTENTIA, TV VXOREM HABES ? cuius CICERO (c) et GELLIVS (d) meminerunt. Si quem ergo a nuptiis abhorrere animaduerterent, eum notabant, mulctamque inferre iubebant aerario, quam AES VXORIVM dictam fuiſſe, FESTVS (e) obſeruat. Iam anno ab V. C. 400. *M. Furius Camillus* et *M. Poſtumius Albinus*, cenſores, PLVTARCHO (f) teſte, partim blande adpellando, partim ζημίαις ἀπειλοῦντες, MVLCTAM *denunciando*, viduis, quarum plurimas bella cum Volſcis geſta fecerant, co-

 pularunt.

(a) *Lib. II. cap.* 9.
(b) *Poplicol. pag.* 103.
(c) *De oratore, Lib. II. cap.* 259.
(d) *Lib. X. cap.* 20.
(e) *Voce* : VXORIVM.
(f) *in Camillo p.* 129.

BIU Cujas

pularunt. Et VALERIVS MAXIMVS (a) addit, censores *illos omnes, qui ad senectutem caelibes peruenerant*, AERA, *poenae nomine in aerarium deferre iussisse.* Istam seueritatem, quam καλὸν ἔργον, *eximium facinus* vocat PLVTARCHVS, quin et alii censores imitati sint, vix dubitandum videtur, maxime quum eam illis veluti primam legem ex veteri Romanorum disciplina scripserit TVLLIVS: (b) CAELIBES ESSE PROHIBENTO; et PLVTARCHVS (c) ex instituto describens censorum officia diserte et hoc adiicit: ἔτε γὰρ ΓΑΜΟΝ, ἔτε ΠΑΙΔΟΠΟΙΙΑΝ τινὸς, ἔτε δίαιταν, ἔτε συμπόσιον ᾤοντο δεῖν ἄκριτον καὶ ἀνεξέταστον, ὡς ἕκαστος ἐπιθυμίας ἔχοι, καὶ προαιρέσεως: *neque enim vel* MATRIMONIVM, *vel* SOBOLIS PROCREATIONEM, *vel quotidianum victum, vel conuiuium, solutum ac liberum indagine, quae cuiusque libido et institutum sit, arbitrabantur praetermittendum.*

Nec poenis modo, verum etiam praemiis propositis ciuibus liberorum quaerendorum studium iniicere studebant censores. Id enim clarissime adparet ex *P. Scipionis Africani*, censoris, habita ad populum oratione, ex qua hoc fragmentum seruauit GELLIVS: (d) *animaduertimus, in oratione P. Scipionis, quam censor habuit ad populum, inter ea, quae reprehendebat, quod contra maiorum instituta fierent, id etiam eum culpasse, quod filius adoptiuus patri adoptatori* INTER PRAEMIA PATRVM *prodesset.* Fuere ergo tum quaedam faecunditatis praemia, quae et orbi ac steriles captantes, aliorum liberos, in fraudem legum adoptabant. Quod quamuis et iniquissimum esset, & maiorum institutis aduersaretur, eo tempore tamen lege aliqua haud videtur emendatum, siquidem ex TACITO (e) discimus, demum Nerone imperante, cautum esse SCto, ne simulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret. Quare ex eo demum sic est, quod tradit VLPIANVS: (f) *adoptiui filii in numerum non proficiunt eorum liberorum, qui excusare parentes solent.* Ceterum qualia fuerint illa parentum praemia, hodie vix licet expiscari, nisi quod verosimile est, sicuti NOTARE dicebantur censores, quum senatorem ordine mouerent, equiti adimerent equum publicum, plebeios vel in Caeritum tabulas referrent, vel eosdem facerent aerarios: ita praemia, ab iis decreta parentibus, in eo constitisse, quod alios honoratiori tribui adscriberent, alios donarent equo publico, alios in senatum adlegerent. Id enim colligere mihi videor ex LIVIO, (g) qui *L. Aemilium Paullum* et *Q. Marcium Philippum:* censores, libertinos *in quatuor vrba-*

(a) *Lib. II. cap. 9.*
(b) *De legib. Lib. III. cap. 3.*
(c) *in M. Porcio Cat. pag. 345.*
(d) *Lib. V. cap. 19.*
(e) *Annal. Lib. XV. cap. 19.*
(f) *L. 2. §. 2. D. de vacat. et excusat. muner.*
(g) *Lib. XXXXV. cap. 15.*

BIU Cujas

vrbanas tribus descripsisse ait, *praeter eos, quibus* FILIVS QVINQVENNI MAIOR *ex senatus consulto esset.* Inde enim palam est, censores in supplendis tribubus rusticis, vtpote honoratioribus, eorum potissimum, qui, procreatis liberis, bene de re publica meruerant, rationem habuisse.

Magna ac vere censoria fuit *Q. Metelli* seueritas. Is enim anno ab v. c. 622, vti est apud *Epitomatorem* LIVII, (a) *censuit, vt omnes cogerentur ducere vxores liberorum quaerendorum caussa, exstititque oratio eius, quam Augustus Caesar, quum de maritandis ordinibus ageret, veluti in haec tempora scriptam, in senatu recitauit.* CENSERE alioquin est vocabulum senatorium. Rogati enim a consule vtebantur formula: QVOD C. PANSA VERBA FECIT DE -- DE EA RE ITA CENSEO, uti pluribus exemplis demonstrauit BARN. BRISSONIVS. (b) Neque tamen ea Metelli oratio in senatu, sed ad populum habita est, siquidem in fragmento elegante, quod exstat apud GELLIVM (c) non *patres scriptos*, sed *Quirites* adloquitur. Consueuisse autem censores sub auspicium magistratus ad populum de moribus concionari, paullo ante P. Scipionis exemplum ostendit. Ecquid vero profecerit Metellus, praeualido iam tum orbitatis studio, non liquet ex eorum temporum monimentis.

X. Hactenus censoribus ea res curae fuit. At C. Iulius Caesar, et consul, de ea cogitauit. Auctor enim est SVETONIVS (d) eum *agrum Campanum diuisisse extra sortem* XX. *millibus ciuium, quibus* TERNI PLVRESVE LIBERI *essent.* Postea iam dictator, quum solitudinem vrbis, ciuiumque raritatem ex vltimo censu intellexisset, denuo, teste DIONE, (e) πολυπαιδίας ΑΘΛΑ ἐπέθηκεν, *iis, qui plures liberos sustulissent,* PRAEMIA *constituit.* Sed de iis Iulii Caesaris atque Augusti consiliis, proximo capite commodior erit dicendi occasio.

XI. Iam id obseruare iuuabit, adeo faecunditati fauisse Romanos, vt iis, quibus numerosa proles obtigerat, praemia quaedam, tametsi nulla lege constituta, extra ordinem decernerent. Primo enim, quum nulla lex seruos, quantumuis bene de dominis meritos, his inuitis, liberaret, inualuisse tamen vsu videtur, vt ancillae, saepius enixae, in praemium faecunditatis manumitterentur. Saltim COLVMELLA (f) id inter praecepta rei rusticae inculcat, loco hoc elegante, cuius mihi indicium a collega iunctissimo, PETRO WESSELINGIO, factum esse, gratus

(a) *Lib. LVIIII.*
(b) *De formul. Lib. II. pag. 196.*
(c) *Lib. I. cap. 6.*
(d) *Iul. cap. 20.* APPIAN. *de bell. ciuil. Lib. II. pag. 433.*
(e) *Lib. XXXXIII. pag. 226.*
(f) *Lib. I. cap. 8.*

BIU Cujas

tus profiteor: *nos quidem aliquando iuste dolentes, tam vindicamus, quam animaduertimus in eos, qui seditionibus familiam concitant, qui calumniantur magistros suos: ac rursus praemio prosequimur eos, qui strenue atque industrie se gerunt. Feminis quoque* FOECVNDIORIBVS, *quarum in sobole* CERTVS NVMERVS *honorari debet, otium non numquam et libertatem dedimus, quum complures natos educassent. Nam cui* TRES *erant* FILII, *vacatio; cui* PLVRES, *libertas quoque contingebat. Haec enim iustitia et cura patrisfamilias multum confert augendo patrimonio.* [Et hinc fortassis tam frequenter libertatem ancillis datam legimus sub conditione, si ter peperissent. Exemplum Arethusae est in *L. 15. et L. 16. D. de stat. hom.* nec non in *L. 3. §. 16. D. de statu liber.*]

Deinde boni principes, si quando in facinorosos paullo seuerius animaduerterent, liberorum tamen numero inflexi ad misericordiam, vel mitiorem irrogabant poenam, vel pupillis certe partem substantiae paternae, more maiorum publicandae, condonabant. De Hadriano sane refert DIO: (a) Εἴ τέ τινα τῶν τέκνα ἐχόντων ὀφλῆσαν πάντως τὶ ἔδει, ἀλλ' ἔν γε τῷ ἀριθμῷ τῶν παίδων καὶ τὰς ποινὰς αὐτῶν ἐκωκύφιζεν: *ac si forte ii, quibus plures liberi suppeterent, condemnati erant: poenas eorum* PRO FILIORVM NVMERO *mitigabat.* Quae DIONIS verba egregie illustrat dignum Hadriano rescriptum, quod seruauit PAVLLVS: (b) *si* PLVRES FILIOS *damnatus habeat, feruntur exempla, per quae pluribus liberis omnia bona damnati concessa sunt. Sed et diuus* HADRIANVS *in hanc sententiam rescripsit: fauorabilem apud me causam liberorum Albini* FILIORVM NVMERVS *facit, quum ampliari imperium hominum adiectione potius, quam pecuniarum copia malim. Ideoque illis paterna sua concedi volo, quae manifestabunt tot possessores, etiamsi acceperint vniuersa.* Quare dum SPARTIANVS (c) scribit: *liberis proscriptorum duodecimas bonorum concessit:* id de singulis liberis intelligendum erit. Plus vncia enim, immo aliquando vniuersum bonorum assem πρὸς τὸν ἀριθμὸν τῶν παίδων eum liberis reliquisse, vel exemplum liberorum Albini euincit. [Ceterum ad bellissimam hanc *L. 7. §. 3. D. de bon. damnat.* duo adhuc obseruasse iuuabit. Alterum, quod iam a viro summo, CORNEL. *van* BYNKERSHOEK, *Obseruat. Lib. II. cap. 16.* animaduersum est, hanc benignitatem Hadriani adscribendam non esse legi Iuliae et Papiae, cui illam LIPSIVS *Exc. ad* TACIT. *Annal. Lib. III. cap. 25.* adscripserat, nec vlli alii iuri ordinario, quod semper et vbique viguerit, sed priuilegio principis humanissimi, quod ad exemplum trahi non solet. Alterum ad postrema istius legis verba, haud parum obscura, pertinet. Quid enim sibi volunt

(a) *Excerpta Peiresc. pag. 715.*
(b) *L. 7. §. 3. D. de bon. damnat.*
(c) *Hadrian. Lib. IV.*

BIU Cujas

volunt illa: *quae manifestabunt tot possessores, etiamsi acceperint vniuersa?* Vir summus, quem laudaui, illa emendat, sed, quae est eius modestia, timidiuscule: *quae manifeste dabunt tot possessores, etiamsi acceperint vniuersa.* Quid vero si retineamus lectionem et notionem verbi *manifestare* vulgarem? Quid si ponamus, fiscum iam Albini bona occupasse, eaque vendidisse sub hasta: liberorum autem misertum Hadrianum ea restitui iussisse? Videtur tunc sane rescribere potuisse: *ideoque illis* (liberis Albini damnati) *paterna sua* (sub hasta vendita) *concedi volo: quae manifestabunt* (i. e. fisco indicabunt) *tot possessores*, (qui a fisco illa emerunt,) *etiamsi acceperint vniuersa*, (i. e. licet illa vniuersa per modum sectionis emerint, traditaque iam distraxerint.) Atqui durum est, eas a fisco semel venditas retrahi, atque emtoribus iterum extorqueri. Durum omnino, sed quod facile fauor liberorum excusabat, maxime quum emtores pretium reciperent. Neque huius generis decreta principum insolita esse, vel pax, quae nuper inter Carolum, augustissimum imperatorem, et regem Hispaniae coaluit, satis superque euincit. Ceterum et aliam Hadriani liberalitatem memorat SPARTIAN. in *Vit. Hadr. cap.* 7. ad quam ipsam quoque numero liberorum prouocatus est: siquidem *senatoribus, qui non vitio suo decoxerant, patrimonium pro* LIBERORVM MODO *expleuit.* Sed et ad excitandam principum liberalitatem proderat numerosa proles. Auctor enim est PLINIVS, (a) *aduentante congiarii die laborem parentibus fuisse, ostentare paruulos, impositosque ceruicibus adulantia verba blandasque voces edocere.* Quod eo fine factitatum, vt princeps numerosae sobolis conspectu admonitus rationem haberet parentum, eorumque nomina in tabulas referri iuberet.

Quum porro liberi ex incestu nati ne ex recentioribus quidem Constantini M. Theodosii iunioris, et Iustiniani legibus legitimari possint, Marci autem imperatoris temporibus plane ignota esset legitimatio: optimus tamen ille princeps cum fratre liberos Flauiae Tertullae, quae auunculo nupserat, lege soluit, eosque legitimorum iuribus perfrui iussit, motus praecipue numero liberorum. Rescriptum, a MARCIANO (b) seruatum, tale est: *mouemur et temporis diuturnitate, quo ignara iuris in matrimonio auunculi tui fuisti, et quod ab auia tua collocata es, et* NVMERO LIBERORVM VESTRORVM. *Idcircoque, quum haec omnia in vnum concurrant: confirmamus statum liberorum vestrorum, in eo matrimonio quaesitorum, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde atque si legitime concepti fuissent.* Quod exemplum imitatus IVSTINIANVS imperator (c) incolis Syndios pagi, et Hebraeis Tyri insulam incolentibus,

(a) *Panegyr. cap.* 26.
(b) *L.* 57. §. 1. *D. de rit. nupt.*
(c) *Nouell. CXXXVIIII. praef.*

BIU Cujas

qui illicitis nuptiis sese polluerant, ideo potissimum gratiam facit publicationis bonorum, *quia iam* FILIORVM PATRES *essent*. Saepe et vacationem extra ordinem merebantur liberi. Claudius sane imp. quum essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium fauore indulsisset rudem, tabulam, teste SVETONIO (a) illico misit, admonens populum, *quantopere liberos suscipere deberet, quos videret et gladiatori praesidio gratiaeque esse.*

Denique et in deferendis honoribus plurium liberorum parentes innuptis atque orbis anteferri solebant, non solum Romae, vbi id priuilegium ex lege Papia Poppaea valuit, verum etiam in coloniis et municipiis, in quibus parentibus et in decurionum albo, (b) et in dicendis sententiis (c) praerogatiua concedebatur.

XII. Tantum sua interesse existimabant Romani, faecunda esse ciuium suorum matrimonia. Tot praemiis poenisque efficere studebant, vt numerosa *procrearetur soboles, ciuitasque* LIBERIS REPLERETVR, ceu alicubi loquitur POMPONIVS. (d) Cuius consilii caussae partim e fine statuque Romanae rei publicae, partim e moribus Romanorum paullatim in deterius prolapsis arcessendae sunt.

Diu multumque disceptatum est inter ciuilis prudentiae doctores, expediatne rei publicae, vt in immensum ciuium numerus excrescat? ARISTOTELES, (e) expensis, quae huc facere videbantur, vniuersis, rationibusque subductis hanc facit cogitationum suarum summam, eum demum populum beatum esse, qui sit iustae magnitudinis: talem vero videri, qui sibi ipsi sufficiat, qui sit cognitu facilis, adeoque commode possit regi, vbi denique ciues ipsi sibi inuicem noti sint ad colendam amicitiam. Quare tantum abest, vt rebus publicis omnibus expetenda sit numerosa ciuitas, vt saepe praeualentis populi vires se ipsae paullatim confecerint. Quare non defuerunt res publicae, quae vel ob insolentiam plebis, vel agri angustiam aut sterilitatem, de regundo potius coercendoque, quam amplificando ciuium numero cogitarunt. Saltim ea caussa Germanis ad tot migrationes, aliisque ciuitatibus ad deducendas tot colonias incitamento fuit, vt hoc modo vel vrbium sentinam exhaurirent, vel domi manentibus annonam redderent leuiorem.

Enimuero aliter multo Romani componebant rationes. Ab ipsa vrbis origine omne illis consilium in armis positum fuerat, eumque solum sibi finem proposuerant in constituenda re publica, vt virtute sibi imperium quaererent amplissimum, limitesque, quam possent, latissime

(a) *Claud. cap.* 21.
(b) *L.* 6. §. 5. *D. de decurion.*
(c) *L.* 9. *C. eod.*
(d) *L.* 1. *de solut. matr.*
(e) *Polit. Lib. VII. cap.* 4.

BIU Cujas

tissime proferrent. Hunc rei publicae finem illis commendauerat Romulus, quem ideo DIONYSIVS HALICARNASSAEVS (a) ita fingit ad populum de instituenda re publica concionantem, vt ciuibus praeter iustitiam vnice commendaret ἐν τοῖς ἀθνείοις πολέμοις τὸ διὰ τῶν ὅπλων κρατεῖν, *armorum in extraneis bellis potentiam.* Quum ergo ciuitas Romana plane esset ad potentiam bellicam comparata, et tamen aduersus hostes non legiones vndequaque mercede conscriptas, sed lectum e ciuibus militem educeret: nulla profecto re ei magis opus erat, quam ciue numerosissimo, qui et delegendo nouo militi, et supplendis legionibus, et firmandae praesidiis in re trepida vrbi sufficeret.

Contra nullus fere populus magis a nuptiis procreandisque liberis abhorrebat, quam Romanus, partim, quod Italorum ingenia ad omnem profligata libidinem alia ex aliis adpetunt, amata contemnunt, contemta amant, adeoque vagas libidines matrimonio anteferendas facile existimant, partim quod, ob luxum feminarum incredibilem, nollent Romani domi alere reginas, patrimonii voragines, certissimasque fundi calamitates futuras. Prioris caussae ipse meminit apud DIONEM (b) Augustus, ita, alloquutus equites, legi nostrae aduersantes: οὐ γὰρ δὴ δήπου μοναυλίκι χαίρετε, ἵν' ἄνευ γυναικῶν διάγητε· ἔστε ἔστιν ἥτις ἡμῶν ἢ σιτεῖται μόνος, ἢ καθεύδει μόνος, ἀλλ' ΕΞΟΥΣΙΑΝ ΚΑΙ ΥΒΡΙΖΕΙΝ ΚΑΙ ΑΣΕΛΓΑΙΝΕΙΝ ἔχειν ἐθέλετε: *neque enim adeo solitudo vos capit, vt absque mulieribus degatis, ac non quilibet vestrum mensae ac lecti sociam habeat: sed* LICENTIAM LIBIDINIS AC LASCIVIAE *vestrae exercendae quaeritis.* Et paullo ante idem imperator, τὸν ΕΥΖΩΝΟΝ καὶ ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ ΒΙΟΝ, τὸν ἄγυνον, καὶ ἄτεκνον, EXPEDITAM *illam ac* LIBERRIMAM VITAM *extra matrimonium et sine sobole* praecipue corrumpere ait Romanos, vt legi saluberrimae parere nolint.

Nec altera caussa pauciores absterrebat a matrimonio. Non enim, vti olim quum dos esset

- - - Magna parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certo foedere castitas,

mulieres id agebant, vt viris suis placerent, sed vt tanto tutius succumberent viris, eorumque impensis auro gemmisque fulgentes moechos in sui amorem pellicerent. Haec tropica instituerat abrogatio legis Oppiae. Quam vero molestum erat Romano ciui domi alere vxorem,

(a) *Lib. II. cap. 3.* (b) *Lib. LVI. pag. 576.*

BIU Cujas

rem, otio deditam, et, PLVTARCHO (a) teſte, nec molere, nec coquere doctam, ſed ad ſolum luxum ac voluptatem veluti a natura factam? Quam moleſtum, reginam illam inſtruere ſeruis, eunuchis, ancillis, ornatricibus, veſtiplicis, ciniſlonibus, picatricibus, pſecadibus, textricibus, vnctricibus, praeterea auro, purpura, gemmis, vnionibus, et mille luxuriae inſtrumentis? Quam moleſtum denique viris ſuſpicaciſſimis, domi tantis ſumtibus habere adulteras, ſexcentis artibus litterarumque ſecretis viros pellicientes, quaeque carpento feſtis profeſtiſque diebus, veluti triumphantes de virorum patientia, vectarentur, et nec libidini, nec luxuriae facerent modum? Malebant ergo Romanorum plerique, inſigni rei familiaris compendio, vel meretricum frui amplexibus, vel cum concubina frugali et modeſta aetatem agere, quam quotidianam illam deuorare aegritudinem. Hinc DIO (b) obſeruat, Auguſto de lege maritali primum ad ſenatum referente, patres grauiter conqueſtos eſſe de mulierum iuuenumque immodeſtia, hancque prius emendandam, non ſine conuicio cenſuiſſe. Rem ſane acu tetigerat ſenatus, ſiquidem ea ipſa cauſſa iam a belli Punici II. temporibus permultos a nuptiis cohibuerat, quam ita eleganter expreſſit apud PLAVTVM (c) Periplectomenes ſenex:

- - - Verum egone eam ducam domum,
Quae mihi numquam hoc dicat: eme, mi vir, lanam, vnde tibi pallium
Malacum et calidum conficiatur, tunicaeque hibernae bonae,
Ne algeas hac hieme? Hoc numquam verbum ex vxore audias,
Verum priuſquam galli cantent, quae me ſomno ſuſcitet,
Dicat: da mihi, vir, calendis meam quod matrem iuuerit,
Da, qui farciat, da, qui condiat, da, quod dem Quinquatribus,
Praecantatrici, coniectrici, hariolae atque aruſpicae:
Flagitium eſt, ſi nihil mittetur, quo ſupercilio ſpicit!
Tum piatricem clementer, non poteſt, quin munerem.
Iampridem, quia nihil abſtulerit, ſuccenſet geraria.
Tum obſtetrix expoſtulauit mecum, parum miſſum ſibi.
Quid nutrici non miſſuras quidquam, quae vernas alit?
Haec atque huius ſimilia alia damna multa mulierum
Me VXORE PROHIBENT, *mihi quae huius ſimiles ſermones ſerat.*

Adhaec Romae et coniugii ſuauitatem, et voluptatem, quae e liberis

(a) *Quaeſt. Rom. pag.* 284.
(b) *Lib.* LIIII. *pag.* 531.
(c) *Mil. glorioſ. act.* III. *ſcen.* 1. *v.* 92. *ſequ.*

BIU Cujas

beris capi solet, omnem maxima illa orbitatis praemia longissime superabant. Colebantur caelibes et orbi ab omnibus, non secus, ac idem apud comicum Periplectomenes, qui ista orbitatis praemia describpturus : (a)

Quando, inquit, *habeo multos cognatos, quid opus mihi sit liberis?*
Nunc bene viuo, et fortunate, atque vt volo, atque animo vt lubet.
Mea bona morte cognatis dicam, inter eos partiar.
Illi apud me edunt, me curant, visunt, quid agam? ecquid velim?
Priusquam lucet, adsunt, rogitant noctu vt somnum ceperim?
Eos pro liberis habeo : quin mihi mittunt munera,
Sacrificant : dant inde partem maiorem mihi, quam sibi.
Adducunt ad exta, me ad se ad prandium, ad coenam vocant,
Ille miserrimum se retur, minimum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis : ego hoc mussito mecum :
Bona mea inhiant, certatim mittunt dona et munera.

Nec priuatim tantum unusquisque obseruabat caelibem orbamque senectam, sed et PVBLICE, vt verbis TACITI (b) vtar, *multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, illa cuncta, promta et obuia habebat*, nemine quippe orbis negante suffragium, ob hereditatem, quam iam vnusquisque spe sua deuorauerat, pinguissimam. Hi mores et postremis rei publicae temporibus obtinebant, adeo vt et de sua aetate scribat AMMIANVS, (c) *vile tunc Romae existimatum, quidquid extra vrbis pomaeria natum fuisset, praeter* ORBOS, *et* CAELIBES, *nec credi posse, qua obsequiorum diuersitate culti sint homines sine liberis, vt his, qui patres fuerint, tamquam in capita mendicorum,* CAELIBES *dominarentur.* His publicis moribus, tantum profecto abest, vt liberos libenter quaererent Romani, vt quidam inducti praemiis orbitatis filiorum odia simularent, et liberos eiurarent, et orbitatem manu facerent. Fuerunt denique, quos sapientiae studium et vitae perfectioris amor ad caelibatum incitaret. Mature enim et inter philosophos inualuit persuasio, μήτ' ἂν γῆμαι, μήτ' ἂν εἰς ὁμιλίαν ἀφικέσθαι ποτε ἀφροδισίων, vti de Apollonio Tyanensi refert PHILOSTRATVS. (d) Hinc vti olim Thales, Pythagoras, Democritus, Plato, Zeno Cittieus, Epicurus caelibatum sapientiae studio amicissimum iudicabant : ita eamdem sententiam, lata lege Iulia, mordicus tenuere Epictetus, Apollonius Tyanensis, Plotinus,

(a) *Ibid. v.* 3. *sequ.*
(b) *Annal. Lib. XV. cap.* 19.
(c) *Lib. XIIII. cap.* 19.
(d) *Vit. Apollon. Lib. I. cap.* 10.

BIU Cujas

nus, Porphyrius, Proclus, cuius in virtutibus et hoc refert MARINVS: (a) quod fuerit γάμων τε ἢ παίδων ἐδέποτε πεῖραν λαβὼν, διὰ τὸ μηδὲ αὐτὸς ἐλέσθαι, *inexpertus coniugii, et liberorum, nec haec desiderarit.* Quamobrem nec mirum est, Romanos tot poenas caelibatui atque orbitati, totque praemia nuptis ac parentibus constituisse. Quod quum praecipue legibus IVLIA et PAPIA POPPAEA factum esse, nemo ignoret: de harum legum occasione historiaque capite proxime insequente agemus accuratius.

(a) *Vit. Procli, cap. 17. pag. 39.*

* * * * * * * * * *

CAPVT III.

DE OCCASIONE LEGVM IVLIAE ET PAPIAE, TOTIVSQVE ILLIVS LEGISLATIONIS HISTORIA.

I. *Caesar dictator faecunditatis praemia constituit. Census a Caesare non actus, sed recensio. Ea recensione paucitas ciuium adparuit. Qualia fuerint parentibus proposita praemia.* II. *Augustus legem de maritandis ordinibus poenisque caelibatus ac orbitatis nondum tertio consulatu rogauit. Primum a.* 736. *id egit. Quid apud* DIONEM *sit* ἔμπαλιν ἔθηκεν ; *Augusti acta in senatu. SC. de ferenda hac lege factum. Marmor, in quo legis de maritandis ord. mentio fit, illustratum. Lex tum non perlata. Locus* SVETONII *leuiter emendatus. Locus* PROPERTII *explicatus. Augustus emendata lege, detractaque parte poenarum legem pertulit a.* 735. *Vacatio initio biennii, postea triennium additum. Equites a. v. c.* 761. *legem abrogatam volebant. Augusti orationes tunc habitae.* III. *Denique a. v. c.* 762. *lata lex Papia Poppaea. Ea rogata a consulibus suffectis. Non fuit haec lex SCtum.* LIPSII *alucinatio. Principium legis a* GOTHOFREDO *fictum.* IIII. *Quomodo differant lex Iulia de maritandis ordinibus et lex Papia Poppaea ?*

LIbera adhuc re publica, nihil reliqui feciſſe Romanos, vt pertinax illa, tamque pernicioſa rei publicae nuptiarum fuga variis praemiis ac poenis ſiſteretur, ſuperiore capite oſtendimus. Quum vero Auguſtus in his maiorum inſtitutis haud adquieuerit, ſed tot rogationibus nouas ſeuerioreſque poenas orbitati, nouaque praemia τῇ πολυπαιδίᾳ propo-

BIU Cujas

PARIS CUJAS

proposuerit : huius consilii rationes, sequutosque illud vsque ad legem PAPIAM POPPAEAM euentus varios capite hoc exponere visum est.

I. Iam ante Augustum C. Iulium Caesarem noua parentibus praemia constituisse, superiore capite monuimus. Id vero tum factum est, quum dictator iam perpetuus, acta recensione ciuium insignem vrbis infrequentiam deprehendisset. Ita enim rem refert DIO : (a) Ἐπειδή τε δεινὴ ὀλιγανθρωπία διὰ τὸ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος, ὡς ἔκ τε τῶν ἀπογραφῶν, (καὶ γὰρ ἐκείνας, τά τε ἄλλα ὥσπερ τις τιμητὴς, ἐποίησε,) καὶ ἐκ τῆς ὄψεως αὐτης ἠλέγχετο, ἣν, ΠΟΛΥΠΑΙΔΙΑΣ ἆθλα ἐπέθηκεν: *et quoniam infrequens admodum vrbs erat propter caesorum multitudinem, quod ex recensu, (eum enim et reliqua perinde, ac si censor esset, faciebat), et ex ipso adspectu adparebat : iis, qui multos liberos haberent,* PRAEMIA *proposuit.* Verba ὥσωερ πις τιμητὴς Latine reddidi *perinde ac si censor esset, vt* ὥσπερ sit pro ὡσπερεί : quemadmodum apud ZOSIMVM : (b) παραμυθέμενος ΩΣΠΕΡ αὐτὴν ὁ Κωνσαντῖνος κακῷ τὸ κακὸν ἰάσατο μείζονι : *Constantinus, perinde ac si eam consolari vellet, malum malo maiore sanauit.* Censum sane hunc Caesar a. v. c. 708. post bellum Africanum egit, non tamquam censor, sed vti dictator. Vnde et SVETONIVS (c) non *censum* vocat, sed *recensum*, eumque *nec more, nec loco solito, sed vicatim, per dominos insularum, actum esse*, obseruat. Quum vero bella ciuilia per Hispaniam, Italiam, Graeciam, Aegyptum, ipsamque Africam diffusa multa hominum millia absumsissent, et octoginta praeterea millia ipse Caesar, teste SVETONIO, (d) in colonias transmarinas distribuisset : in tantum deminutus fuerat ciuium numerus, vt APPIANVS (e) scribat : Τὸ δὲ τῶ δήμω πλῆθος ἀναγραψάμενος ἐς ΗΜΙΣΥ λέγεται τῶν πρὸ τῦδε τοῦ πολέμω γενομένων εὑρεῖν : *censu deinde acto, ferme* DIMIDIO MINVS *capitum censum est, quam ante huius belli ciuilis initium.* Non male autem rationes subduxit APPIANVS. Quum enim a. v. c. 682. quadringenta quinquaginta ciuium millia, (f) et a. 703. dein 320. capitum millia censa essent : (g) Caesare dictatore non vltra 125. millia, vti numerum iniit PLVTARCHVS, (h) vel, vti LIVII *Epitomator*, (i) 150. millia ciuium reperta sunt. In tantum rem publicam exhauserat duorum ciuium, quorum alter parem, alter superiorem ferre non poterat, aemulatio.

Animad-

(a) *Lib. XXXXIII. pag.* 226.
(b) *Lib. II. cap.* 29.
(c) *Iul. cap.* 41.
(d) *Ibid. cap.* 42.
(e) *De bell. ciu. Lib. II. pag.* 492.
(f) *Epit. Liuii Lib. LXXXVIII.*
(g) PLVTARCH. *Caesar. pag.* 733.
(h) *Caesar, pag.* 733.
(i) *Lib. CXV.*

BIU Cujas

Animaduersa hac patriae solitudine raritateque ciuium, varia constituit Caesar, vt exhaustam vrbem noua sobole expleret, veluti, *ne quis ciuis maior viginti annis, minorue* 40. *qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset: neu quis senatorum, nisi contubernalis aut comes magistratus, peregre proficisceretur, neue hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent.* (a) Verum haec vix retuleris ad praemia πολυπαιδίας, quae constituta ab eo fuisse, Dio ait. Quare qualia ea fuerint, ignoramus, nisi dixeris, eum peregrinos quosdam Romae commorantes ob numerosam prolem ciuitate donasse. Eo enim refero, quod statim sequitur apud SVETONIVM: *omnes, medicinam Romae professos, et liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi vrbem incolerent, et ceteri adpeterent,* CIVITATE DONAVIT. Nam haec omnia ideo sanxisse Caesarem, vt exhaustae vrbi frequentia suppeteret, ipse TRANQVILLVS adfirmat.

II. Interfecto Caesare, ista frequentandae amplificandaeque ciuitatis consilia etiam Augustus cura multo maiore exsequutus est. Quum enim Caesar, tamquam dictator, edictis tantum rem videatur egisse: Augustus parum se ad summam rei profecisse arbitratus est, nisi et seueriore lege caelibatum poenis damnasset, et faecunditatem parentum luculentioribus extulisset praemiis. Sed, praeualido caelibatus orbitatisque studio, frustra aliquamdiu fuit, legemque, subinde relatam, vix pertulit. Id enim innuit TACITVS, (b) dum *legem Papiam Poppaeam, post* IVLIAS ROGATIONES, *latam esse*, scribit. Quare operae pretium facturi videbimur, si Iulias istas rogationes contemplemur paullo distinctius.

IVSTO LIPSIO, viro eximio, (c) primum Augustus ea de re cogitasse videtur a. v. c. 725. sexto consulatu. Quam in sententiam adductus est primo auctoritate TACITI, (d) qui, SEXTO *demum* CONSVLATV *Caesarem, potentiae securum quae triumuiratu iusserat, abolevisse, et dedisse iura* ait, *queis pace et principe vterentur: arctiora ex eo tempore vincula, inditos custodes*, et LEGE PAPIA POPPAEA *praemiis inductos.* Sane quum lex PAPIA Poppaea multo serius lata sit: colligi inde posse existimabat LIPSIVS, eo sexto Augusti consulatu veluti fundamenta iacta esse rogationis istius celeberrimae. Deinde idem consequi videbatur ex loco DIONIS, (e) qui, a. v. c. 736. Augustum ΕΜΠΑΛΙΝ *iterum* nuptis ac parentibus praemia constituisse, memoriae prodidit. Quare simile quid iam ante ab Augusto esse tentatum, vero simili-

(a) SVETON. *Iul. cap.* 42.
(b) *Annal. Lib. III. cap.* 25.
(c) *Exc. ad* TACIT. *Annal. Lib. III. litt. c.*
(d) *Ibid. cap.* 28.
(e) *Lib. LIIII. pag.* 531.

BIU Cujas

simillimum videri posset. Enim vero non ait TACITVS, sexto illo consulatu legem aliquam, Iuliae vel Papiae similem, esse latam, sed ab illo consulatu Caesarem, remotis aemulis, potentiae securum, varia, quae e re publica viderentur, instituisse: adeoque ex TACITI testimonio nihil intuleris aliud, quam rogationem PAPIAM POPPAEAM aeque, ac alias leges Iulias, ab Augusto latas, sexto illo consulatu esse posteriores. Deinde DIO quidem anno 736. Augustum dicit ΕΜΠΑΛΙΝ τὸ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα τεθεικέναι, DENVO *nuptiis, liberorumque procreationi praemia proposuisse*: verum nec ipse DIO, *libro LIII*, quo acta Augusti, sextum consulis, exsequutus est, nec vllus veterum legis cuiusdam, qua praemia parentibus ac nuptis tum constituerit, vel verbo meminit. Quare eum potius illa quae a Caesare dictatore facta, *libro XXXXIII.* retulerat, in animo habuisse, crediderim, vt, quum ille prior praemia πολυπεκνίας proposuerit, recte de Augusto dixerit DIO, illum ΕΜΠΑΛΙΝ τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα τεθεικέναι.

Primum ergo a. v. c. 736. Augustus legis de maritandis ordinibus ferendae curam suscepisse videtur. Tunc demum enim, *duobus Lentulis* coss. teste eodem DIONE, (a) τοῖς τε ἀγάμοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις βαρύτερόν τι ἐπιτίμιον ἐπέταξε, καὶ ἔμπαλιν τὸ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιίας ἆθλα ἔθηκεν: *grauiorem poenam innuptis vtriusque sexus imposuit, contraque nuptiarum et multitudinis liberorum praemia iterum constituit.* Neque tamen existimandum, illum eodem anno legem pertulisse, ceu sibi persuasisse videtur vir doctus, TILLEMONTIVS, (b) siquidem hoc anno tantum rem ad senatum retulit. Nam, quum more maiorum hanc legem perferre cuperet princeps quam maxime popularis: primo omnium operam dedit, vt senatus fieret auctor, idque, quod mireris, aegre impetrauit. DIO enim, paullo ante laudatus, narrat prolixius, referenti ea de re ad senatum principi, non sine conuicio occlamatum esse a patribus, multa de iuuenum mulierumque immodestia conquestis, qua fieri aiebant, vt aegre ciues contrahant matrimonium. Quae καταβόησις, vti ait DIO, (c) tanta fuit, vt non obscure viderentur id omne agere χλευασμῷ, ὅτι πολλαῖς γυναιξὶν ἐχρῆτο: *subsannantes* Augustum, *qui cum multis mulieribus rem haberet.* Respondebat tum Augustus, ea, quae maxime necessaria, et e re ciuitatis essent, se constituisse: reliqua non aeque facile sanari: ipsorum maritorum officium esse, regere vxorum mores, eosque praeceptis, admonitio-

(a) *Lib. LIIII. pag.* 531.
(b) *Histoire des Empereurs, Tom. I. p.* 34.
(c) *Ibid. pag.* 532.

FACULTÉ DE DROIT DE PARIS BIBLIOTHÈQUE

BIU Cujas

nitionibusque ad modestiam componere, quod se quoque domi suae facere solere. Tum vero multo magis obniti patres, et quaerere, quales sint quibus Liuiam suam regat, admonitiones? Quamobrem Augustus, etsi perinuitus, quaedam de vestitu mundoque muliebri, de progressu in publicum, mulierumque modestia dixit, parum sollicitus, an ea apud gnaros fidem essent habitura. Saepius tunc eamdem rem videtur egisse in senatu, eaque potissimum occasione recitasse egregiam illam Metelli censoris orationem, cuius hoc fragmentum exstat apud GELLIVM: (a) *si sine vxore*, QVIRITES, *possemus esse; omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis satis commode, nec sine illis vllo modo viui possit: saluti perpetuae potius, quam breui voluptati, consulendum.* Hanc enim orationem, perinde ac si in illa tempora scripta esset, in senatu recitasse Augustum, cum LIVII *Epitomator*, (b) tum SVETONIVS (c) testantur. Atque ita demum post tot molimina Sc. de lege Iulia ferenda prodiit, de quo HORATIVS (d) in carmine saeculari, anno insequente 737. *C. Furnio* et *C. Silano* coss. ante messem scripto: (e)

Diua, producas sobolem, PATRVMque
Prosperes decreta, super iugandis
Feminis, prolisque nouae feraci
Lege marita.

Laudat ergo Horatius non ipsam legem de maritandis ordinibus, tum quippe nondum latam, sed *decreta patrum super illa lege*, id est, (vti recte a *scholiasta Crucquiano* et in MSStis ad Horatium *scholiis*, quae bibliotheca Franequerana seruat, explicatur,) SCtum, de illa ad populum ferenda confectum, cui prosperos successus precatur a Diana, tamquam singularem ciuitati adlaturae vtilitatem.

Quantam spem perferendae legis ex hoc SC. conceperit Augustus, vel inde patet, quod eius, iam ante ludos saeculares, perinde ac si lata esset, meminerit in veteri inscriptione apud GRVTERVM, (f) quae quum adhuc non nisi mutila legatur: licebit facere periculum, an incomparabile istud monimentum ex ingenio quodammodo possit suppleri. Et quidem eam nobis diximus legem, vt et historiae et lacunarum spatii haberemus rationem, nec vlla linea altera esset prolixior

SC. *aucto-*

(a) *Lib. I. cap. 6.*
(b) *Lib. LVIIII.*
(c) *Aug. Cap. 89.*
(d) *Epod. XVIII. v. 17.*
(e) ANT. PAGI *Crit. Baron. Adpar.* §. 124. *pag. 29.*
(f) *Inscript. pag. 328. n. 1.*

BIU Cujas

SC. *auctoritas. a. d. - - - - - in. aede - - - - ſcribundo adfuer. - - - - - - - - - -*
- - - - - S. L. CESTIVS. L. PETRONIVS Rufus - - -
- - - - - - - - - - - - - - -
Quod. coſſ. V. F. (*) LVDOS. SAECVLARIS. POST. COMPLVRA. *luſtra. more. maiorum. curantibus. Caeſare. et*
*M. Vipſ. agri*PPA. TRIBVNIC. POTESTATE. FVTVROS. QVO*modo. illos. rite. fieri. oporteat. d. e. r. i. c.* (**)
*quoniam. anti*QVI. ETIAM. QVOD. TALE. SPECTACVLVM. *tribus. noctibus. fieri. debeat. inſtituerunt.*
ne. cui. ex his. QUI NONDVM. SVNT. MARITALI. (†) *ſpectaculo. niſi. arbitrio. propinqui. maioris. natu.*
*cuſtodiſue. ieis. con*STITVTI. NEQVE. VLTRA. QVAM. SEMEL. VLLI. MO*re. maiorum. ſ. f. ſ.* (§). *intereſſe. liceat.*
vtiq. innuptis. SENI*b.* S. F. S. SPECTARE. LICEAT. IEIS. QVI. LEGE. DE MARIT*and. ord. vacation. habent.*
a. d. - - - - ſcrib. IIDEM. ADFVER. ET. SENATVSCONSVLTVM. FACTVM. EST. *quod. coſ.* V. F. *videri. e republ.*
*haec. omnia. ma*NERE. AD. CONSERVANDAM. MEMORIAM. TANTAE. *Rei. et ſc. de. ludis. ſaecularib. facta.*
*publ. in colum*NAM. AENEAM. ET MARMOREAM. INSCRIBI. *Scriptaq. in. foro. comitio. alioue. loco*
*publico. propo*NI. Q. D. E. RE. V. D. E. R. I. C. (⊥) VTI. COS. A. A. VE. (††) ADHI*bitis praetorib. qui. aerario. praeſunt.*
*column. aen. et ma*RMOREAM. IN. QVIBVS. COMMENTARII. *diurni. ſenatus. decretaque. de. ludis. ſaecul.*
inſcribantur. P. (§§) INPERENT. VTIQ. REDEMTORIBVS. EAS. *columnas. quam. primum. faciundas. locent.*
*a. d. - - - - quum edict*VM PROPOSITVM ES*ſet* XV. VI*r. ludis ſaecularibus faciundis - - - - - - - - -*
S. EXISTVMAVIMVS. VT. OMNES. LIB.
EI. CONIVGESQVE.

Interiectis multis, quae vetuſtas detriuit, haec paullo integriora ſequuntur:

(*) Verba fecerunt.
(**) De ea re ita cenſuerunt.
(†) *Lege*, maritati..
(§) ſine fraude ſua.
(⊥) Quid de ea re videatur, de ea re ita cenſuerunt.
(††) ambo, alterue.
(§§) poni.

BIU Cujas

Quod. C. Silanus. et C. Furnius. COS. V. F. DE LVCARI. LVDORVM. SAecularium. *vnde. id. ſumi. placeat.*

quo. hi. ludi. ſaecular. rite. FIERENT. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. VTI. QVONIAM ANTI*quitus. lucorum.*

reditus. ad. faciundos. ludos. SAECVLARES. XV. VIR. SACR. FACIVND. IN. SVMMA. CONSTITVTI. *ſunt. eoſq.*

ieis. et. ad. ludos. QVOS. PRO. SALVTE. CAESARIS. FECERVNT. LVCARIS. NOMINE. CON*ſtituit. ſenatus.*

*coſſ. ſimi*LIT. INPERENT. VTI. EAM. PECVNIAM. DANDAM. AD TRIBVENDAM *poſſeſſores. lucorum conferant.*

Eodem. (a) INNO. (*) C. SILANO. C. FVRNIO. COS. A. D. XIII. K. MART. SENATIS. *cenſuit. vti. treis. arae.*

*ad. ſa*CREFICIVM. SAECVLARE. LOCARENTVR. IN. EA. VERBA. QVI*bus. id. pontificibus. facere. ius. eſt.*

in. curia. IVLLA (**) SCRIBVNDO ADFVER. M. IVNIVS. M. F. *Silanus. C. Furnius. c. f. coſſ.*

*C. Sentius. Saturn*INVS. C. ASINIVS. CN. F. *Pollio.*

\- - - - - - - - - - - - - -

Ita ego reſtituendum cenſeo monimentum egregium. Vnus quiſque intelligit, illud complexum eſſe SCta complura de ludis ſaecularibus proxime imminentibus facta a. v. c. 737. *C. Furnio* et *C. Silano* coſſ. Primum ſenatum cenſuiſſe arbitror, ne caelibes pueri puellaeue ſpectaculis nocturnis, niſi ſemel et comite propinquo maiore natu, intereſſent. Ludorum enim παννυχίδων, ſeu *nocturnorum*, ſeu tribus noctibus factorum ZOSIMVS (a) meminit: et de Auguſto diſerte refert SVETONIVS, (b) *eum ſaecularibus ludis iuuenes vtriuſque ſexus prohibuiſſe, vllum nocturnum ſpectaculum frequentare, niſi cum aliquo maiore natu propinquorum.* Deinde ne quis et ad ſenes caelibes iam legem pertinere exiſtimaret: additum videtur, iis ſine fraude ſua ludos nocturnos ſpectare licere, *ſi lege de maritandis ordinibus vacationem habeant*, id eſt, vti infra *libri II. capite* 3. patebit, maſculis ſexagenariis, feminis quinquagenariis. Hinc porro litterarum reliquiae clariſſime indicant, cenſuiſſe ſenatum, vt in rei tantae, quam nemo mortalium, niſi ſemel videre ſoleat, memoriam binae columnae, aenea et marmorea ponerentur, quibus inſcriberentur SC. decretaque patrum de caerimoniis iſtis ſaecularibus, ne et poſteri, quo ritu iſti ludi facti ſint, ignorarent. Et forſan haec ipſa tabula, Romae ſuperſtes, cui iſtud epigramma inſculptum,

(*) *Lego*, anno.
(**) *Lego*, Iulia.
(a) *Lib. II. cap.* 5.
(b) *Aug. cap.* 31.

BIU Cujas

ptum, ex alterutra columna detracta est. Quae sequuntur verba, a me haud suppleta, vix sensum idoneum fundunt: attamen iis, nisi me omnia fallunt, cautum est, vt soli liberi et coniuges spectaculis interessent. Nam de ludis saecularibus ZOSIMVS (a) diserte scribit: Δοῦλοι δὲ τούτων οὐ μετέχουσιν, ἀλλὰ ἐλεύθεροι μόνοι: *nec participes horum serui sunt, sed* LIBERI *dumtaxat homines.* Alio SCto cautum est de lucari, idque ego suppleui FESTI (b) auctoritate: *lucar vocatur aes, quod ex lucis captatur.* Quumque mentio fiat PECVNIAE IMPERATAE, DANDAE, ATTRIBVENDAE, ea omnia de nulla re commodius explicari posse visa sunt, quam de pecunia collatitia, quam possessores lucorum contribuere tenebantur. Denique quae de aris ponendis adiecimus, partim optime quadrant ruderibus vocabuli REFICIVM SAECVLARE, id est, *sacrificium saeculare*, partim testimonio ZOSIMI, (c) qui in describendo ludorum saecularium adparatu mentionem etiam facit τριῶν παρασκευασθέντων βωμῶν ἐπὶ τὴν ὄχθην τοῦ ποταμοῦ, *trium* ARARVM *in ripa fluminis constitutarum.* Nomen Sentii Saturnini reposuimus, non solum quod vltimae litterae INVS huius modi quid postularent; sed et, quod illum his ludis tamquam MAGISTRVM XV. VIR. praesediisse, ex alio marmore docuit vir eminentissimus, HENR. NORISIVS. (d)

Haec de ipso marmore. Ad legem nostram vt reuertamur, de ea, vti ex hoc marmore discimus, spem certissimam conceperat Augustus, fore, ut tribuum suffragia ferret, maxime quod eam iam senatus SCto probasset.

Sed non respondit votis euentus. Neque enim ea lex tum populi suffragia tulit, cupidissime legem antiquantis, ob multitudinem periclitantium, poenarumque grauitatem. Quo pertinent illa SVETONII: (e) *legem de maritandis ordinibus, quum aliquanto, quam ceteras, seuerius emendasset, prae tumultu recusantium* PERFERRE NON POTVIT. Ita editiones omnes. Sed quo modo lex dici potuit *seuerius emendata*, quam tum primum rogabat Augustus? Videre hoc Is. CASAVBONVS et MATTH. BERNEGGERVS: sed scrupulum sibi iniectum eximere aliter non potuere quam aliquid negando, quod nemo vnquam negare ausus est. Ita enim scribunt ad hunc SVETONII locum: *Augustus igitur legem de maritandis ordinibus* EMENDAVIT, *non autem* PRIMVS TVLIT, *quod video doctos viros adfirmare.* Sed recte viri docti adfirmant: quod negant viri clarissimi, nec quidquam ad legem aliquam de maritandis ordinibus, ante Augustum latam, pertinent locus DIONYSII, (f) de prohi-

 bito,

(a) *Lib. II. cap. 5.*
(b) *Voce*: lucar.
(c) *Ibid.*
(d) *Cenotaph. Pisan. Diss. II. pag. 305.*
(e) *August. cap. 34.*
(f) *Antiquit. Rom. Lib. VIIII. cap. 25.*

BIU Cujas

bito caelibatu, et Metelli censoris oratio: ceu ex iis, quae de vtroque hoc argumento superiore capite disseruimus, satis adparet. Et cur Romani tam pertinaciter recusassent legem, seuerius ceteris emendatam? Videtur mihi una extrita litterula, alteraque leuiter inflexa legendum: *quum aliquanto, quam ceteras*, SEVERIVS MANDASSET. ROGARE alias dicebantur, qui leges ferebant ad populum, ob formulam: VELITIS IVBEATIS QVIRITES, qua magistratus in comitiis vtebantur. Augustus vero, potentiae securus, tanta procul dubio animi contentione hanc legem tulit, tamque grauiter in caelibes atque orbos inuectus est, vt non tam *rogare*, quam *mandare* videretur, secus ac alias consueuerat: adeoque tunc *eam legem, quam aliquanto, quam ceteras, seuerius mandasset, prae tumultu recusantium perferre non potuit.*

Quidquid sit de genuina SVETONII lectione: (vulgata enim, an nostra praeferenda videatur, haud equidem magno in discrimine posuerim), illud certum, tum quidem re infecta populum diffluxisse. Quantum inde voluptatis ceperint, quotquot adhuc vagae libidini fuerant adsueti, vel ex his PROPERTII (a) verbis patet, quae ad hanc legem pertinere, iam IVSTVS LIPSIVS vidit:

Gauisa est certe, SVBLATAM, *Cynthia*, LEGEM,
Qua quondam EDICTA, *flemus vterque diu*,
Ne nos DIVIDERET.

Furtiui erant poëtae ac Cynthiae amores, eosque vterque iustis praeferebat nuptiis. *Edicta* ergo *lege*, id est, more maiorum per trinundinum promulgata, grauiter dolebant, veriti, ne diuellerentur, si Propertio secundum legem ineundum esset matrimonium. Tanto magis vero gaudebant, quum eam intelligerent *sublatam*. Quantum enim abhorruerit poeta a nuptiis, vel haec, quae statim sequuntur, docent:

Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.

Rationem tanti odii, paucis interiectis, ita peracute reddit:

Tu mihi sola places, placeam tibi, Cynthia, solus.
Hic erit et patrio sanguine pluris amor.
Vxor me numquam, numquam me DVCET *amica:*
Semper amica mihi, semper et vxor eris.

DVCERE

(a) *Lib. II. eleg. 7.*

BIU Cujas

DVCERE alioquin virorum est: lepide vero PROPERTIVS id vxoribus attribuit, innuens eo ipso, id esse saeculum, quo non vxores a maritis, sed mariti ab vxoribus DVCANTVR, non tamquam mariti, qui non ducuntur, sed ducunt, sed tamquam nexi, et quamuis subituri seruitutis tristissimae legem. Quare non satis haec verba capere videntur, qui cum LIVINEIO (a) ea non ad legem Iuliam de maritandis ordinibus, sed ad alteram de adulteriis pertinere arbitrantur, quum tamen hanc aliquando edictam sublatamque esse, nullo veterum testimonio possit demonstrari.

Sed vt ad legem IVLIAM veluti e diuerticulo in viam redeamus, quamuis tum ea rogatio non procederet, eoque potissimum pertinere videantur, quae per προλῆψιν narrat DIO CASSIVS, (b) quod permulti Augusto, πρὸς τὴν ἀκρίβειαν τῶν αὐτῶν νομοθετημάτων, *ob rigorem latarum ab eo legum*, succensuerint: denuo tamen rem adgressus, emendata lege, lenitaue parte poenarum, obtinuit, vt perferretur. Ait enim SVETONIVS, (c) eum *legem præ tumultu recusantium perferre non potuisse, nisi ademta demum lenitaue parte poenarum, et vacatione triennii data, auctisque praemiis.* Perlatam ergo ait legem: sed tribus a principe obseruatis cautionibus. Primo enim acriores caelibatus orbitatisque poenas partim sustulit, partim aliquantulum mitigauit: deinde vacationem triennii concessit ciuibus, id est, spatium tot annorum, intra quod se ad obsequium componere, et vxores ducendo sanctiones poenales effugere possent: denique praemia parentibus coniugibusque promissa auxit, vt vel istis pellecti ciues eo minus Augusto negarent suffragia. De vacatione ipse etiam apud DIONEM (d) testatur Augustus, addens, triennio illo circumacto, nouam biennii vacationem datam esse ciuibus. Ita enim imperator loquutus fertur: Καὶ οὐδὲ ἐς τοῦτο μέντοι κατέπειξα ὑμᾶς, ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον ΤΡΙΑ ΕΤΗ ὅλα πρὸς παρασκευὴν ὑμῖν ἔδωκα, τὸ δὲ δεύτερον ΔΥΟ: *neque festinare vos quidquam coëgi, primum* TRIENNIO, *deinde* BIENNIO *ad parandam rem dato.* Hi anni vacationis nos ad veram legis perlatae epocham deducunt: quinquennium enim istud elapsum est a. v. c. 762. *Q. Sulpicio Camerino* et *C. Poppaeo Sab.* coss. quo equites nihil faciebant reliqui, vt lex vtilissima aboleretur: ex eoque consequitur, vt lex Iulia de maritandis ordinibus demum anno 757. *Sex. Aelio Cato* et *C. Sentio Saturnino* coss. populi suffragiis probata fuerit, eodem fere tempore, quo altera lex non multo minoris momenti, Aelia Sentia populi suffragia tulit.

Enimuero ne sic quidem res in vado erat. Tam exosa enim plerisque

(a) *Ad Propert. ibid.*
(b) *Lib. LIIII. pag. 533.*
(c) *Aug. cap. 34.*
(d) *Lib. LVI. pag. 577.*

BIU Cujas

risque illa lex etiam perlata manſit, vt Auguſto non plus laboris in ferenda, quam tuenda illa, fuerit ſubeundum. Inprimis illo anno v. c. 762. *Q. Sulpicio Camerino* et *C. Poppaeo Sabino* coſſ. ludos ob reportatam a Pannoniis et Dalmatis victoriam magnifice edente Caeſare, enixe petebant equites, vt lex illa tolleretur. At Auguſtus, ceu prolixe narrat Dio, (a) vetere illa imperantium arte vſus, equites, legem inſectantes, primum diuiſit: deinde caelibes ſeorſum, ſeorſumque maritos in forum ac concionem euocauit, quumque illorum numerum etiamnum ſuperiorem eſſe animaduerteret, grauiter commotus, conuerſuſque ad eos, qui legi paruiſſent, ornata ac compoſita oratione eorum obſequium collaudauit, mactoſque virtute eſſe iuſſit, qui maiores, quin ipſos deos imitati immortales, coniugii ſuauitate, quam impudicis amoribus, perfrui mallent, et rei publicae ciues ex ſe natos, ſuique ſimiles quamplurimos relinquere induxiſſent animum: quibus ſub finem blanda hac adloquutione digna iſto obſequio praemia pollicitus: (b) Ὑμᾶς μὲν ἔν, inquit, ὦ ἄνδρες· (μόνοι γὰρ ἄνδρες δικαίως ὀνομάζεσθε,) καὶ ὦ πατέρες, (καὶ γὰρ ταύτην ἄξιοι τὴν ἐπωνυμίαν ὁμοίως ἐμοὶ ἔχειν ἐστέ) καὶ φιλῶ διὰ ταῦτα, καὶ ἐπαινῶ, καὶ τέτοις, ἃς τέθηκα ἄθλοις ἀγάλλω καὶ προσέτι, καὶ ἄλλαις καὶ τιμαῖς καὶ ἀρχαῖς ἐπιγαυρώσω, ὡς αὐτός τε μεγάλα καρπώσασθαι, καὶ τοῖς παισὶ μὴ ἐλάττω καταλιπεῖν: *vos itaque ego, o viri, (ſoli enim hoc nomen meremini,) et o patres, (nam et haec vobis mecum merito communis eſt adpellatio,) hac de cauſſa et amo, et laudo, praemiiſque, quae conſtitui, vos orno, ac aliis praeterea honoribus magiſtratibuſque decorabo, vt et vos magnos inde fructus percipiatis, et non minora bona veſtris liberis relinquatis.* Quae loquutus, eorum nonnullis certa praemia confeſtim elargitus, reliqua liberaliter promiſit. Inde vero conuerſus ad caelibes, dubitare ſe ait, quo eos potiſſimum nomine compellari oporteat: nam nec virorum in eos, quibus nihil virile inſit, nec Romanorum adpellationem in illos, per quos, quantum in ipſis ſit, ciuitas pereat, vllo modo videri cadere. Grauiter deinde eoſdem obiurgat, quod genus ſuum abolere, Romanumque nomen funditus perdere non erubeſcant. Addit, tam abominandum hoc caelibatus ſtudium eſſe, vt ſingula flagitia complectatur, vniuerſa ſuperet. Sicarios eſſe, qui eos ne gignant quidem, quos naſci oportebat; impios, qui gentes a diis immortalibus ortas exſtinguant; ſacrilegos, qui imagines ac nomina maiorum perire patiantur; proditores, qui patriae inferant ſolitudinem, eamque incolis

(a) *Ibid. pag.* 572. *ſequ.* (b) *Ibid. pag.* 574.

BIU Cujas

lis orbent. Dignoſne ſe credant iis maioribus, qui poſteritatis numeroſae cupidi matrimonia manu ceperint, qui ab origine aeternae vrbis orbitatis ſtudio leges oppoſuerint ſaluberrimas, quum ipſi belluarum ritu vaga libidine ſe polluant, et ne partis quidem maiorum virtute bonis frui velint? Quam diu ſuperfuturam rem publicam, ſi tot ciuibus bellis, aut lue peſtifera abſumtis, ipſis, quorum tantus ſit numerus, ſine prole decedentibus, vrbs veteri Romana gente vacua extraneis Graecis barbariſue tradenda ſit? Cuius patriae ſe futurum patrem, ſi quibus conſulat, defuturi ſint? Quamobrem poſtremo addit: (a) Εἴπερ οὕτως τά τε ἀγαπᾶτέ με, καὶ τάυτην μοι προσηγορίαν ἐχ ὡς κολακεύοντες, ἀλλ' ὡς τιμῶντες, ἐδώκατε ἐπιθυμήσατε καὶ ἄνδρες καὶ πατέρες γένεσθαι ἵνα καὶ αὐτοὶ τῆς ἐπωνυμίας ταύτης μεταλάβητε, καὶ ἐμὲ φερώνυμον αὐτῆς ποιήσητε: *ſi vere me diligitis, ac nomen mihi patris non adulationis, ſed honoris gratia dediſtis, date, quaeſo, operam, vt mariti patreſque ſitis, quo et ipſi participes eius reddamini, et ego id merito gerere videar.* Quin non verbis ſolum lectiſſimis tum vſus, ſed et ipſis geſtibus equites, caelibatus amore inſanientes, in ruborem dedit. Qua de re SVETONIVS: (b) *Sic quoque abolitionem legis de maritandis ordinibus publico ſpectaculo pertinaciter poſtulante equite, accitos Germanici liberos, receptoſque partim ad ſe, partim in patris gremium, oſtentauit, manu vultuque ſignificans, ne grauarentur imitari iuuenis exemplum.* Quem locum praeclare illuſtrare videtur nummus argenteus a LAEV. TORRENTIO exhibitus, in quo Auguſto ſedenti in ſella curuli ab alio puer offertur, additis infra litteris: IMP. XIIII.

III. His dictis, quemadmodum parentes praemiis ornauit, ita caelibes et orbos poenis affecit, annuaque tertium vacatione conceſſa, ἐς τὸ τὰς πειθαρχήσαντας ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀναιτίους γενέσθαι, vt *intra hoc tempus lege parituri culpa vacarent.* Adulto denique iam anno 762. partim legem Iuliam tanto magis firmaturus, partim aerarium tot bellis ac largitionibus exhauſtum caducis, vacantibus atque ereptitiis priuatorum bonis expleturus, legem Papiam Poppaeam ferre iuſſit conſules ſuffectos *M. Papium Mutilum* et *Q. Poppaeum ſecundum.* (c) Hos enim conſules a Kalendis demum Iuliis faſces ſumſiſſe conſtat. Lata itaque ea lex eſt vetere ritu, conſulibus populum iure rogantibus, populoque ſiue per centurias, ſiue per tribus, (qualia enim comitia illius legis cauſſa indicta ſint, non conſtat), iure ſciſcente. Nam quamuis

(a) *Ibid. pag.* 578.
(b) *Auguſt. cap.* 35.
(c) DIO *Lib. LVI. pag.* 578.

BIU Cujas

Augustus, tum potentiae securus, *munia senatus, magistratuum, legum, in se traxisset, nullo*, vt loquitur TACITVS, (a) *aduersante*: callide tamen ei suaserat Maecenas, vt ciues in persuasionem libertatis, veterisque superstitis rei publicae adduceret. (b) Quod consilium sequutus Augustus, veterem leges ferendi morem retinuit, et, vt ZONARAS (c) loquitur, ἐ μέντοι πάντα ἐθελογνομόνων ἐνομοθέτει, ἀλλ', ἢ ἃ καὶ ἐς τὸ ΔΗΜΟΣΙΟΝ προεπίθει, ὅπως ἄν τι μὴ ἀρέσῃ, ἐπανορθώσῃ, καὶ προετρέπετο πάντα συμβελεύειν αὐτῷ, εἴ τι ἄμεινον γνοίη αὐτοῦ: *non omnia suo arbitrio sanxit, sed plura etiam* POPVLO PROMVLGAVIT, *vt is, si quid minus placeret, emendaret, hortatusque et omnes, vt, si quid haberent, id consulerent in medium.*

Procul dubio ergo et hanc legem antecessit SCtum de rogando populo. Nec tamen ideo, cum LIPSIO (d) existimandum, ipsam rogationem Iuliam et Papiam non legem a populo, rogante senatorio magistratu, latam, sed SCtum esse: neque id inferendum ex verbis TER. CLEMENTIS, (e) quippe quem non de ipsa lege Papia Poppaea, sed de SCto ad illam legem facto agere, infra adparebit. Similis itaque error LIPSIO illusit, ac Io. BERTRANDO, (f) qui et ipse non modo legem *Cinciam* muneralem, sed et legem *Aeliam Sentiam* SCta fuisse, ex TACITI (g) et iureconsultorum veterum (h) locis, quibus SCta ad has leges facta laudantur, perperam et satis inepte colligit. Leges hae omnes sunt, non SCta, quippe non senatorum sententiis, sed vel tribuum, vel centuriarum suffragiis firmatae. Idem de lege Papia Poppaea dicendum, cuius historiam hactenus explicatam hoc schemate chronologico complectimur.

A. v. c. 736. *Cn. Cornelio et P. Cornelio Lentulo* coss. Augustus de LEGE IVLIA ferenda ad senatum retulit, et aegre obtinuit SC.

A. v. c. 737. *C. Furnio* et *C. Silano* coss. ante messem ludi saeculares facti, quo tempore nondum perlata fuerat lex Iulia, sed iam tum, vti videtur, promulgata.

Sub finem huius anni rogata lex, sed antiquata.

A. v. c. 757. *Sexto Aelio Cato* et *C. Sentio Saturnino*, coss. perfertur lex Iulia, sed detracta parte poenarum, auctis praemiis, et vacatione data triennii.

A. V. C.

(a) *Annal. Lib. I. cap.* 1.
(b) DIO *Lib. LII. pag.* 477.
(c) *Annal. Tom. I. Lib. X. p.* 533. *edit.* CANGII.
(d) *Exc. ad* TACIT. *Annal. Lib. III. litt. C.*
(e) *L.* 48. *D. de ritu nupt.*
(f) *De iurisperit. Lib. I.*
(g) *Annal. Lib. XIII. cap.* 42.
(h) *L.* 1. *D. de offic. cos.*

BIU Cujas

A. V. C. 760. *Q. Cæcilio Metello Cretico Silano*, et *A. Licinio Nerua Siliano* coss. noua biennii vacatio data est, circumacto priore triennio.

A. V. C. 762. *Q. Sulpitio Camerino* et *C. Poppaeo Sabino* coss. equites abrogationem legis, ineunte anno, frustra vrgent, Augustus denuo anni vacationem concedit.

Sub finem anni *M. Papio Mutilo Q. Poppaeo Secundo* coss. suffectis, fertur lex PAPIA POPPAEA.

Quare recte huius legis principium ex ingenio restituit IAC. GOTHOFREDVS, (a) nisi quod, vti dixi, non adeo certum sit, per tribusne, an per centurias suffragia tulerit populus. Quare illud ita supplendum duximus, vt quaedam, quae vel addenda, vel incerta videbantur, per modum παρενθέσεως insereremus.

M. PAPIVS [M. F. M. N.] MVTILVS. ET. Q. POPPAEVS. [Q. F. Q. N.] SECVNDVS. COSS. POPVLVM. IVRE. ROGAVERVNT. POPVLVSQVE IVRE SCIVIT. IN. FORO. PRO. ROSTRIS. [vel IN. CAMPO. MARTIO.] - - - TRIBVS. [vel CENTVRIA.] PRINCIPIVM. FVIT. - - - PRO. TRIBV. [vel CENTVRIA.] PRIMVS. SCIVIT.

IIII. Ceterum quamuis Iuliae rogationes in legem PAPIAM POPPAEAM pleraeque immigrarint: non vnum tamen inter Iuliam Papiamque leges discrimen fuisse, fatendum est: non illud quidem, quod sibi ex TERTVLLIANI (b) loco eruisse videtur vir summus, IAC. CVIACIVS, (c) quasi Iulia ad contrahendum matrimonium; Papia Poppaea ad liberorum procreationem pertinuerit: (id enim ex loco TERTVLLIANI, infra explicando, non adparet), sed quod alias plures vtriusque legis sanctiones discreparent. Poenas orbis et innuptis in lege Iulia decretas, lege Papia Augustus partim auxisse, partim minuisse videtur. Aetatem ineundo matrimonio procreandisque liberis longe minorem definiuit lex Papia Poppaea, quam Iulia de maritandis ordinibus. Denique posterior legis Papiae Poppaeae pars de caducis fere de nouo accessisse, nec e lege Iulia de maritandis ordinibus translata videtur, nisi dicere malis, aliam ante Papiam Poppaeam exstitisse legem, caducariam, eamque et VLPIANO (d) *legis Iuliae caducariae et* IVLIANO (e) *legis Iuliae de bonis vacantibus, ad fiscum pertinentibus*, nomine

(a) *Leg. Pap. Popp. pag. 269.*
(b) *Apologet. cap. 4.*
(c) *Ad* VLPIAN. *Fragm. tit. XVI. §. 3.*
(d) *Fragm. tit. XXVIII. §. 7.*
(e) *L. 96. §. 1. D. de legat. 1.*

BIU Cujas

ne venire: quod tamen pro certo adfirmare ego non ausim. Reliquas, quae se offerent, vtriusque legis differentias infra suo quamque loco exponemus.

* * * * * * * * * *

CAPVT IIII.

DE M. PAPIO MVTILO, ET Q. POPPAEO SECVNDO COSS. ET VTRIVSQVE GENTIBVS ET FAMILIIS.

I. *Coss. anni* 762. *ab* v. c. *varie in fastis signati. Tum ordinariorum, tum suffectorum nomina restituta ex tabula Capitolina. Vterque cos. caelebs aduersus caelibes et orbos legem tulit. Ipsis, qui ferebant leges, illae aliquando displicebant.* II. *Papii propraetura ex nummo* GOLZII. *Ingenium eius ad adulationem procliue.* III. Poppaeus Secundinus *dicitur in nummo* GOLZII. *Eius duumuiratus.* IIII. *Papia gens plebeia. Variae eius familiae. Index* PATINI, *qui Papiis Milonum et* Triumporum *cognomina tribuit, notatus.* Papii Celsi, *origine Lanuuini.* Iuno Sispita, *aquila cum lupa, Draco a virgine pastus in denarius gentis Papiae. Papios Mutilos gente Samnites fuisse ostenditur.* C. Papius Mutilus *dux Samnitum in bello sociali. Locus* LIVII *tentatus, in quo pro* Brutulus Papius *legendum videtur* Mutilus Papius. *Papiorum, qui a veteribus recensentur, series.* V. *Gens Poppaea, Sabina origine. Anno eodem duo Poppaei consules, alter Sabinus ordinarius, alter Secundus suffectus. Sabini aedilitas, praesidatus Macedoniae et Moesiae, triumphalia ornamenta. Stemma Poppaeorum.* Poppaea Sabina *et* Sabina Poppaea, *Rufino Crispino, Othoni et Neroni nupta. Aliorum Poppaeorum sylloge. Pro* Poppaeo Syluano *apud* TACITVM *legendum* Pompeius Syluanus.

I. QVum legi nostrae nomen inditum fuerit a M. PAPIO MVTILO et Q. POPPAEO SECVNDO coss. de iis, eorumque familiis quaedam hoc capite differere iuuabit. In plerisque fastis, praeterquam apud DIONEM, consules illi plane omittuntur, et ordinarii anno 762. occurrunt apud DIONEM (a) Κυΐντος Σελπίκιος καὶ Γαΐος Σαβῖνος, apud CASSIODO-

(a) *Lib. LVI. pag.* 572.

SIODORVM et MARIANVM SCOTVM *Q. Sulpicius et C. Pompeius*, apud PLINIVM (b) in editionibus pleriſque, praeter illam HARDVINI, *Cn. Pompeius et Q. Sulpicius*, in FASTIS OXONIENSIBVS a PETRO RELANDO (c) editis *Sulpicius* et *Poppaeus*, in VINDEBONENSIBVS apud HENR. NORISIVM (d) *Camerinus* et *Sabinus*. Alibi aliter. Suffectorum quum ab his faſtorum ſcriptoribus ratio haberi non ſoleat: nec Papii et Poppaei noſtri in illis mentionem fieri animaduertimus. Verum rem expedit fragmentum faſtorum Capitolinorum apud GRVTERVM (e) et STEPH. VIN. PIGHIVM, (f) in quo ita ſignantur eius anni conſules:

C. POPPAEVS. Q. F. Q. N. SABINVS.	Q. SVLPICIVS. Q. F. Q. N. CAMERINVS.
EX X. IVL. M. PAPIVS M. F. M. N.	MVTILVS.
Q. POPPAEVS. Q. F. Q. N.	SECVNDVS.

Habes hic ergo *M. Papium Mutilum* et *Q. Poppaeum Secundum*, conſules, ſuffectos ex Kalendis Iuliis, anni ab v. c. 762. Et quidem quum vterque Auguſti auctoritate legem ſeueriſſimam contra caelibatum orbitatemque tulerit: id omnino notatu videtur digniſſimum, quod neuter horum vixerit in matrimonio. Id enim DIO (g) obſeruat, diſerte ſcribens: Καὶ τότε ὁ τε Πάπιος καὶ ὁ Ποππαῖος νόμος ὑπό τε Μάρκε Παπίε Μετίλε, καὶ ὑπὸ Κυΐντε Ποππαίε Σεκόνδε, τῶν τότε ἐν μέρει τοῦ ἔτους ὑπατευόντων ἐτέθησαν, καὶ συνέβη γὰρ ἀμφοτέρως σφᾶς μὴ ὅτι παῖδας, ἀλλὰ μηδὲ γυναῖκας ἔχειν· καὶ ἀπ' αὐτοῦ τούτου ἡ ἀνάγκη τοῦ νόμε κατεφωράθη: *inde lex quoque Papia Poppaea a M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo ſecundo lata eſt, qui parte eius anni conſules, vterque* NEC VXORES, NEC LIBEROS *habebant. Quo ipſo deprehendi potuit, quam ea lex fuerit neceſſaria.* Vnde facile eſt ad intelligendum, ipſis his conſulibus, more maiorum rogantibus populum, parum ad palatum fuiſſe legem, quam aduerſus caelibes et orbos ferebant, acerbiſſimam. Enimuero id ſaepe Romae contigiſſe animaduertimus, vt legem haud probarent ipſi, a quibus populus rogabatur, magiſtratus, quin immo vt, qui ex ſenatus ſententia ſollemne carmen: VELITIS IVBEATIS, QVIRITES recitabant, iidem legem compoſita oratione diſſuaderent. Quale quid de Piſone coſ. referens CICERO: (h) *Piſo*, inquit,

(b) *Hiſt. nat. cap.* 48.
(c) *Faſt. coſſ. adpend. pag.* 792.
(d) *Adpend. Epoch. Syromaced. pag.* 18.
(e) *pag.* 295.
(f) *Annal. Tom. I. pag.* 19.
(g) *Lib. VI. pag.* 573.
(h) *Ad Attic. Lib. I. epiſt.* 14.

BIU Cujas

quit, *consul*, *lator rogationis*, *idem erat* DISSVASOR. Eodem exemplo et consules nostri, ἑαυτοὺς πμωρέμενοι, caelibes rogationem tulerunt aduersus caelibes, orbi aduersus orbos: non quod legem probarent, sed quod hanc illis prouinciam imposuisset Augusti ac senatus auctoritas.

II. M. PAPIVS MVTILVS non solum consul ea parte anni fuit, verum etiam paullo post propraetor. Id enim discimus ex nummo vetere apud GOLZIVM, (a) cuius in altera parte elephas conspicitur cum litteris: C. APRONI. IMP. et infra M. MVTILVS PR. P. in altera caput Herculis, cum litteris S. C. Quum Tiberius, teste TACITO (b) imperatoris vocabulum priuato postremum concesserit Iunio Blaeso, idque anno ab v. c. 774. *C. Sulpicio*, *D. Haterio* coss. facile patet, eum nummum, in quo C. APRONIVS IMP. occurrit, iis temporibus esse anteriorem. Deinde quum et elephas et Hercules Africae symbola esse soleant: non dubitandum videtur, hunc nummum ad Africanum bellum pertinere. Iam L. Apronii quidem res aduersus Tacfarinatem in Africa gestae latius describuntur a TACITO: (c) sed nec *Lucius* in nummo vocatur ille, *Apronius*, nec procos. Quare verosimile est, *C. Apronium imp.* non alium esse, quam *Apronium Caesianum*, L. filium, de quo idem TACITVS: *missu patris* APRONIVS CAESIANVS *cum equite et cohortibus auxiliariis, queis velocissimos legionum addiderat, prosperam aduersum Numidas pugnam facit, pellitque in deserta.* Fortassis ille demum imperatoria ornamenta obtinuit, et parti prouinciae Numidicae legatus pro praetore tum praefuit *M. Papius Mutilus.* Mauritaniam enim tum adhuc Iubae regi paruisse, satis constat.

Ingenio hunc Papium fuisse ad foedam adulationem et seruile plane obsequium demisso, vel dicta aduersus Libonem Drusum sententia ostendit. Quum enim miser iste, oppressus ab accusatoribus, manus sibi ipse intulisset: M. Mutilus, teste TACITO, (d) censuit, vt dona decernerentur Ioui, Marti, Concordiae, vtque dies iduum Septembrium, quo se Libo interfecerat, festus haberetur. Qua de sententia ipse TACITVS: *horum auctoritates adulationesque retuli, vt sciretur, vetus id in re publica malum.*

III. Q. POPPAEVS SECVNDVS in nummo elegante apud eumdem GOLZIVM (e) SECVNDINVS cognominatur, ex eoque adparet, illum cum Sex. Cethego fuisse duumuirum coloniae. In altera enim nummi parte Augusti caput conspicitur cum verbis: AVGVSTVS C. VI. CELSO, in altera taurus cum inscriptione: SEX. CETHEGO Q. POPPAEO SECVNDINO

(a) *Fast. consul. et triumph. pag.* 229.
(b) *Annal. Lib. III. cap.* 74.
(c) *Ibid. cap.* 21.
(d) *Annal. Lib. II. cap.* 32.
(e) *Fast. consul. et triumph. pag.* 230.

BIU Cujas

DINO IIVIR. Nummus videri posset pertinere ad vrbem Vibonam in Brutiis, quo coloniam ab Augusto deductam fuisse APPIANVS testatur. (a) Quamobrem et anteriorem epigraphen interpretari liceret *Colonia* VI*bona*. Eamdem et *Valentiam*, seu *Vibonem Valentiam*, et olim *Hipponem* dictam tradit PLINIVS. (b) Quo vero illud CELSO referendum sit, et an ipsi Vibonae huius modi cognomen fuerit, tunc plane obscurum erit. Sed vere nummus referendus est ad *coloniam Vilillam* in Hispania, ad Iberum, cuius et alio in nummo apud GOLZIVM (c) ita fit mentio: COL. VI. IVL. CELS. Dicta ergo et *Vililla*, et *Iulia Celsa*, et ita procul dubio et in nummo nostro erit legendum: *Colonia* VI*lilla* CELSA.

IIII. Verum nec ipsae gentes PAPIA et POPPAEA, ex quibus hi consules prodierunt, hic videntur praetereundae. PAPIA gens plebeia fuit, idque vel inde patet, quod ex ea tot tribuni plebis memorantur. Diuisam illam fuisse comperio in plures familias, quarum celebriores CELSI et MVTILI, quibus nescio an addam POLLIONES. Is, qui indicem ad FVLV. VRSINI praestantissimum opus *de familiis Romanorum*, a CAR. PATINO recognitum confecit, Papiis etiam MILONVM et TRIVMPORVM cognomina tribuit: sequutus, vti videtur, *indicem Annalium* STEPH. VIN. PIGHII, vbi idem cognomen tribuitur Papiis. Sed vti Papio vnico ideo *Milonis* cognomen haesit, quia per adoptionem in gentem Anniam transierat: ita alterum *Triumpi* plane fictitium est, et ex male intellecto L. PAPII CELSI triumuiri nummo, cuius in postica parte capiti laureato subscriptum: TRIVMPVS, absurde exsculptum. (d) Verum ita ineptire sollemne est indocto isti, quisquis sit, indicis Patiniani consarcinatori: vti iam pridem ostendit vir doctissimus, IAC. PERIZONIVS. (e) Sane qui Vipsanios PLATORINOS; Calpurnios et Pompeios NVMAS; Domitios OSCAS cognominatos fuisse, scribere potuit, eum non mirum est, Papiis adfingere potuisse cognomen TRIVMPORVM.

Duplex autem Papiorum origo fuisse videtur. Celsos enim domo Lanuuinos, Mutilos Samnites fuisse arbitror. Lanuuinam Celsorum originem produnt Papiorum Celsorum denarii apud VRSINVM et VAILLANTIVM, in quibus modo Iuno Sispita, modo lupa cum aquila, modo draco a virgine pastus conspicitur. Ea vero omnia ad Lanuuium pertinere, iam viri illi docti, qui gentium Rom. denarios explicant, obseruarunt. Iunonem *Sospitam*, vel, vti in marmoribus et apud

(a) De *bell. ciu. Lib. IIII. cap.* 591.
(b) *Hist. nat. Lib. III. cap.* 10.
(c) *Ibid. pag.* 142.
(d) PATIN. *de famil. Rom. pag.* 196.
(e) *Diss. de var. antiqu. numm. pag.* 256.

BIU Cujas

apud FESTVM (a) vocatur, *Sispitam*, praecipue colebant Lanuuini; adeo vt OVIDIVS (b) a Iunone Lanuuium *suum* vocari finxerit, cecineritque :

Inspice quos habeat nemoralis Aricia fastos,
Et populus Laurens, LANVVIVM*que* MEVM.

Similiter Iuno Sispita LANVMVIANA cognominatur in marmore hoc apud REINESIVM : (c)

M. AMPIVS M. F. PAL. BALBVS.
SACERDOS. IVNONIS. REG. SISPI
TAE. LANVMVIANAE. FECIT.
VIVENS. ET. AMPIO. IVNIO. FI
LIO. SACERDOTE. IOVI. SISP.
ET. AMPIAE. MATRI. PIISSIM.
IN. FR. P. XIIX. IN. AGR. PED. XXVI.

Templum tamen istud, sacraque Iunonis et lucum consecratum populo Romano cum municipibus Lanuuinis communia fuisse, LIVIVS (d) docet, qui et alibi passim horum sacrorum facit mentionem. Quemadmodum ergo eamdem Iunonem Sispitam in denariis suis exhibent gentes CORNVFICIA, METTIA, PROCILIA, ROSCIA, THORIA, vt se eiusdem municipii traduces ostenderent, quemadmodum eadem de caussa de Annii Milonis origine canit SILIVS ITALICVS : (e)

LANVVIO *generate, inquit, quem* SISPITA IVNO
Dat nobis, Milo, Gradiui cape victor honorem
Tempora murali cinctus turrita corona.

(vbi perperam veteres editiones praeferunt *Laeuino generate*) : ita eiusdem originis indicem Iunonem Sispitam in denariis suis exstare voluerunt PAPII CELSI, vt se Lanuuio oriundos esse ostenderent.

Nec minus lupa cum aquila proprium huic municipio δεῖγμα fuit. Fama enim tenebat, Troianis, hoc municipium condituris, oblatum fuisse prodigium, dum, orto sua sponte in proximo nemore incendio, lupam viderint suo ore adgerentem fomitem aridum, aquilam flammas alarum

(a) *Voce* : sispita.
(b) *Fastor. Lib. VI. vers. 59. 60.*
(c) *Inscript. pag. 383.*
(d) *Lib. VIII. cap. 14.*
(e) *Lib. XIII. vers. 364. seqq.*

BIU Cujas

alarum agitatione excitantem, vulpem denique demersa in proximum flumen cauda ignem conatam exstinguere: ferturque Aeneas, quum ancipiti aliquamdiu certaminis euentu, demum lupa et aquila victrices abiissent, augurium inde cepisse, quod illustris et admiranda futura sit ea colonia, sed exosa vicinis, exterisque molesta, quos tamen demum fauore Deum sit superatura. Addit, qui fusius haec refert, DIONYSIVS HALICARNASSEVS: (a) Καὶ ἔστιν αὐτῶν μνημεῖον ἐν τῇ Λανυϊατῶν ἀγορᾷ χάλκεα εἴδωλα τῶν ζώων ἐκ πολλοῦ πάνυ χρόνῳ διατηρέμενα: *exstant rei monimenta in foro Lanuuiensium*, EFFIGIES AENEAE *horum animalium, a longissimo tempore superstites.* Denique et in vulgus notum, Lanuuii nutritum annosum draconem, cui quotannis prodeunti e specu, a virgine porrigendum erat pabulum. Rem fuse refert PROPERTIVS, (b) cuius verba paullo prolixiora hic non adscribimus.

Certissima ergo, e tot denariis est Lanuuina Papiorum Celsorum origo, quam praeter praeclaros de familiis Romanorum scriptores etiam vir incomparabilis, EZ. SPANHEMIVS (c) agnoscit. Mutilos autem Samnio fuisse oriundos, non perinde ab aliis animaduersum est. Et tamen res videtur extra omnem dubitationis aleam posita. Circa annum enim 688. Samnitibus, sociali bello, ducem se praebuit C. PAPIVS MVTILVS, quem APPIANVS, (d) capta Nola, aliisque Italiae ciuitatibus ad belli societatem pellectis, per totam Campaniam arma victricia circumtulisse, Acerras graui obsidione pressisse, victumque aliquoties a L. Iulio Caesare et a L. Sulla multis vulneribus confossum aegre Aeserniam cum paucis peruenisse, scribit. Quin ab antiquissimis temporibus apud Samnites floruisse Papiorum familiam, ex LIVIO (e) colligas, a quo circa annum v. c. 432. celebratur BRVTVLVS PAPIVS, *vir nobilis, potensque inter Samnites, haud dubie factarum cum Romanis induciarum ruptor.* Vnde et victi Samnites corpus Brutuli exanime, (ipse enim se ignominiae ac supplicio morte voluntaria subtraxerat), eiusque bona Romanis per faeciales obtulerunt. Nemo veterum, quantum memini, hunc *Brutulum* laudat, praeter LIVIVM. Quare, si quid ingenio indulgere liceret, non dubitarem pro *Brutulus*, rescribere *Mutilus*, quod cognomen Papiis inter Samnites diutissime haesisse, modo demonstrauimus.

Ceterum e MVTILORVM familia praeter illum, sive BRVTVLVM, siue MVTILVM PAPIVM, quem Samnites mortuum dedebant, et C.

Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop. H PAPIVM

(a) *Lib. I. cap. 59.*
(b) *Lib. IIII. eleg. 18. v. 3. seqq.*
(c) *De vsu et praest. num. Diss. X. pag.* 14. *Tomo II.*
(d) *De bell. ciuil. Lib. I. pag. 375.*
(e) *Lib. VIII. cap. 39.*

BIU Cujas

PAPIVM MVTILVM, quem Samnitum exercitui aduersus Romanos praefuisse diximus, inclaruerunt etiam C. PAPIVS, Caii filius, MVTILVS, quem PIGHIVS (a) aedilem plebis fuisse anno v. c. 691. tradit, et M. PAPIVS M. F. duumuir iuri dicundo circa annum 713. Eius enim eo anno mentio fit in marmore hoc Casinate apud GRVTERVM: (b)

M. PAPIVS M. F. L. MATRIVS. L. F.
DVO. VIRI. I. D.
SIGNVM. CONCORDIAE. EX. SC. RESTITVENDVM
COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT.
ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA.
FACIVNDA COER. EIDEMQ. PROBAVER.
A. D. IIII. EID. OCT. CN. DOMIT. C. ASINIO COS.

Porro, qui primus fasces consulares ex ea gente tenuisse videtur M. PAPIVS M. F. M. N. MVTILVS, de quo supra actum est accuratius.

E CELSORVM familia fuisse arbitror PAPIVM, Cnaei Nepotem, legis Papiae de virginibus Vestalibus auctorem, quem anno v. c. 504. tribunum plebis fuisse, refert PIGHIVS; (c) PAPIVM alterum, itidem tribunum plebis, auctorem legis Papiae de sociis et Latini nominis: C. PAPIVM CELSVM, tribunum plebis, lata lege Papia de peregrinis celebrem: C. PAPIVM C. F. quem in gentem Anniam transiisse, nomenque T. ANNI MILONIS adsumsisse, tradit GLANDORPIVS. (d) PAPIAM, quam Oppianico nuptam fuisse docet CICERO, (e) et aliam, cuius in *Epistolis* meminit. (f) L. PAPIVM CELSVM, qui temporibus Augusti floruit, cuiusque tot denarii exstant apud FVLV. VRSINVM. (g)

E POLLIONVM stirpe mihi innotuit L. PAPIVS L. F. TER. POLLIO, cuius mentio fit in marmore vetere apud GRVTERVM. (h) Nisi dicere malis, Terentium Pollionem a L. Papio diuersum esse. Confusis sub insequentibus principibus gentium nominibus, passim quidam Papii occurrunt, sed quos incertae fere originis dixeris: veluti PAPIVS FAVSTVS, vir nobilis, ac summus, quem cum aliis, indicta caussa, occisum a Seuero ait AEL. SPARTIANVS: (i) PAPIA, cui ALEXANDER

(a) *Annal. Tom. III. pag.* 330.
(b) *Inscript. pag.* 100. *n.* 8.
(c) *Annal. Tom. II. pag.* 51.
(d) *Onomast. p.* 57. 656.
(e) *Pro Cluent. cap.* 9.
(f) *Lib. XVI. epist.* 24.
(g) *Ibid. edit.* PATINI.
(h) *Inscript. pag.* 448. *n.* 4.
(i) *In Seuero, cap.* 13.

BIU Cujas

DER imperator; (a) PAPIVS, cui DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS Augusti (b), et PAPIVS denique, cui IVSTINIANVS (c) rescripserunt.


V. Prouehimur ad gentem POPPAEAM, origine, vti ex cognomine illi cum gentibus CLAVDIA, MINATIA, TITVRIA, et CALVISIA communi, adparet, Sabinam. (d) Ea libera adhuc re publica, satis obscura, nullis maiorum imaginibus inclaruit, ante Augusti aetatem, qua duo Poppaei ad honores maximos adspirare coeperunt. Alter C. POPPAEVS SABINVS, modicus originis, qui principum amicitia consulatum aliosque honores, quos TACITVS (e) memorat, obtinuit. Alter Q. Poppaeus Secundus, sub quo consule lata est lex Poppaea. Aedilitatem illius prodit nummus apud GOLZIVM. (f) Consul idem ordinarius fuit cum Sulpicio Camerino anno v. c. 762. Hinc contra Thracas missus, triumphale decus obtinuit. Maximis ex eo prouinciis, Moesiae, Achaiae, et Macedoniae per quatuor et viginti annos, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis, nec supra esset, impositus, senex admodum, testibus TACITO (g) et DIONE, (h) voluntaria morte decessit. Alter Q. POPPAEVS SECVNDVS non modo consulatum gessit, sed et coloniam cum Sex. Cethego, tamquam duumuir, deduxit, nulla praeterea re memorabilis. Eum Sabini ex eodem auo patruelem fuisse inde arguit GLANDORPIVS, (i) quod vterque Q. F. Q. N. dicatur: sed id vel ideo a veri specie abludit, quod non sit verosimile, duos fratres eodem praenomine Quinti vsos esse. Vnde eos fratres fuisse suspicor, neque enim inauditum fuit iis temporibus, fratres diuersis cognominibus vti. Poppaeo Sabino filia fuit POPPAEA SABINA, lasciua mulier, omnique probro infamis, nupta demum T. OLLIO, viro quaestorio, (k) nullisque praeterea functo honoribus, quod eum Seiani amicitia peruerterat. (l) Huic Ollio Sabina enixa est filiam, quae adspernata paternum nomen, ab auo materno, consulari et triumphali, pro Ollia SABINA POPPAEA dici maluit. (m) Nihil haec matri libidine concessit, quin eamdem, vti pulchritudine eximia, ita omni lasciuiae ac probrorum genere facile superauit. Nupserat primum Rufo Crispino, initio praefecto praetorio sub Claudio, (n) deinde ab eodem principe praeturae insignibus ornato, (o) mox ab Agrippina

(a) L. 4. C. *si seru. exp. ven.*
(b) L. 10. C. *mandat.*
(c) *Nou. CLX.*
(d) EZ. SPANH. *Diss. p. 48. Tom. II.*
(e) *Annal. Lib. IIII. cap. 46.*
(f) *Fast. cons. pag. 229.*
(g) *Annal. Lib. VI. cap. 39.*
(h) *Lib. LVIII. pag. 637.*
(i) *Onomast. pag. 714.*
(k) *Suet. Ner. cap. 35.*
(l) *Tacit. Annal. Lib. XIII. cap. 46.*
(m) *Ibid.*
(n) *Id. Lib. XI. cap. 1.*
(o) *Ibid. cap. 4.*

BIU Cujas

pina ſubuerſo, (a) ac demum ob ſolam matrimonii cum Poppaea memoriam a Nerone eiecto in exſilium, (b) cui etiam filium pepererat RVFINVM CRISPINVM. (c) Hinc ab Othone ad ſtuprum pellecta, eius amplexus Criſpini nuptiis praetulit. Demum ipſum Neronem ita inflammauit, vti eam adpeteret, duceretque vxorem, et aliquamdiu vnice amaret, pater ex ea factus filiae, quam aeque ac matrem AVGVSTAM vocauit. (d).

Omnia, quae diximus, veterumque demonſtrauimus teſtimoniis, hoc ſtemma illuſtrabit:



Praeter hos et aliorum quorumdam ex hac gente ſupereſt memoria. Sic C. POPPAEVS IANVARIVS, et POPPAEA C. F. PROCLA in marmoribus apud REINESIVM (e) memorantur. In GRVTERIANIS (f) paſſim

(a) *Tacit. Annal. Lib. XII. cap.* 42.
(b) *Id. Lib. XV. cap.* 71.
(c) SVET. *ibid.*
(d) TACIT. *Annal. Lib. XV. cap.* 23.
(e) *Inſcript. pag.* 580. *et* 844.
(f) *Inſcr. pag.* 659. *n.* 1. 885. *n.* 10. 783. *n.* 5. 851. *n.* 4. 179. *n.* 6.

BIU Cujas

sim occurrunt POPPAEA DEMETRIA, POPPAEA FAVSTA, POPPAEA VENERIA, C. POPPAEVS APTOR, C. POPPAEVS PARAMON, et C. POPPAEVS CLAMBYSSVS, nullis tamen honoribus insignes. Non vero eo pertinet, qui saepe apud TACITVM (a) laudatur, POPPAEVS SYLVANVS, vir consularis, et Dalmatiae praeses. Quamuis enim ita virum adpellent optimi TACITI codices, et in his Mediceus vetustissimus: certissimum tamen est, illum, qui tot locis a TACITO vocatur POPPAEVS SYLVANVS, alio loco ab eodem adpellari POPPAEVM VOPISCVM. (b) Atqui verum eius nomen fuit VOPISCVS POMPEIVS SYLVANVS, quem adhuc sub Vespasiano aquae ductibus praefuisse, FRONTINVS notat. (c) Quare eum genti POPPAEAE inserere vix ausim, quum tam frequenter confundi soleant Pompeii et Poppaei, vt non solum C. Poppaeus Sabinus apud PLINIVM (d) et MARIANVM (e) *Pompeius*, sed et ipsa lex nostra ISIDORO (f) et GRATIANO (g) *Papia* et *Pompeia* perperam adpelletur.

(a) *Histor. Lib. II. cap. 86. Lib. III. cap. 90. Lib. VIIII. cap. 47.*
(b) *Histor. Lib. I. cap. 77.*
(c) *De aquae duct. pag. 119. edit.* PLANTIN.
(d) *Hist. nat. Lib. VII. cap. 48.*
(e) *Chron. ad ann. Chr. 762.*
(f) *Orig. Lib. V. cap. 15.*
(g) *c. quaedam dist. 2.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT V.

DE LEGIS PAPIAE POPPAEAE PARTIBVS ET CAPITIBVS, ET QVOMODO EA ORDINI SVO RESTITVENDA SINT.

I. *Dvplex legis* PAPIAE POPPAEAE *finis, totidemque partes. Altera de maritandis ordinibus, praemiis nuptorum et parentum, poenisque caelibum et orborum; altera de caducis, vacantibus et ereptitiis bonis egit.* II. *Vtraque pars pluribus constitit capitibus. Marcianus in* L. 19. D. de ritu nupt. *caput* 35. *allegat. Textum illum de lege Iulia et Papia videri loqui. Idem a* IAC. GOTHOFREDI *emendatione vindicatus. An lex Papia Poppaea Satura fuerit?* III. *Quomodo ordini suo restitui possint legis Papiae Poppaeae capita?* GOTHOFREDVS *facilis in emendatione inscriptionum, quae in Pandectis legibus praemissae. Idem capita quaedam commentus est, quae ad hanc legem non*

BIU Cujas

pertinent. Aliquando et SCta ad hanc legem facta, vel interpretationes ICtorum cum ipsa lege confudit. IIII. *Quid obseruatum sit in noua legis restitutione?* V. FRAGMENTA EX COMMENTARIIS VETERVM ICTORVM AD PRIOREM PARTEM LEGIS PAPIAE POPPAEAE, SECVNDVM LIBRORVM ORDINEM DISPOSITA. VI. *Ipsa pars prior legis Papiae Poppaeae, adlegationibus, et notis illustrata, et cum* GOTHOFREDI *textu collata.*

EXposita LEGIS IVLIAE et PAPIAE historia, proximum est, vt, quibus illa capitibus constiterit, quoque ordine singula capita collocata fuisse videantur, eadem industria inuestigemus. Tametsi enim idem iam egerit vir summus, IAC. GOTHOFREDVS, isque ea in re aliis omnibus ingenii atque industriae palmam praeripuerit: non tamen vbique rem acu ita tetigisse videtur vir acutissimus, vt nomini eius officere velle censendus sit, qui et post illius industriam bene ea de lege mereri conetur.

I. Primo ergo cum Iac. GOTHOFREDO ponimus, duas fuisse huius legis partes, quarum altera ad amplificandum ciuium numerum, altera ad lucra quaedam priuatis praeripienda, locupletandumque aerarium, pertinuerit. Vtrumque enim finem sibi proposuerat Augustus, de quo CORNELIVS TACITVS: (a) PAPIAM POPPAEAM *senior Augustus post Iulias rogationes* INCITANDIS CAELIBVM POENIS AVGENDO AERARIO *sanxerat.*

Prior itaque legis pars agebat de maritandis ordinibus, de praemiis coniugum et parentum, et de caelibum atque orborum poenis. Vnde passim vocatur LEX MARITA, (b) LEX NVPTIALIS, (c) LEX DE MARITANDIS ORDINIBVS, (d) LEX SOBOLIS PROCREANDAE CAVSSA LATA. (e) Posterior de caducis tractabat, atque hinc lex CADVCARIA dicitur ab VLPIANO. (f) Illa a veteribus laudatur, tamquam vtilissima rei publicae: nec quidquam est magnificentius elogio veteris PANEGYRISTAE: (g) *leges hae, quae mulcta caelibes notauerunt, parentes praemiis honorarunt, vere dicuntur esse* FVNDAMENTA REIP. *quia seminarium iuuentutis, et quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt.* Haec reprehenditur a plerisque, et ab ipso IVSTINIANO (h) exagitatur, qui *et nomen et materiam caducorum ex bellis ciuilibus, quae*

(a) *Annal. Lib. III. cap. 27.*
(b) *Horat. Epod. XVIII.*
(c) *Schol. ad Horat. ibid.*
(d) *L. 6. C. de op. lib.*
(e) *L. 64. D. de condit. et demonstr.*
(f) *Fragm. tit. XXXVIII. §. 7.*
(g) *Paneg. Maxim. et Constant. dict. cap. 2.*
(h) *L. vn. pr. C. de caduc. toll.*

BIU Cujas

quae in se populus Romanus mouerat, ortum auctumque, INVIDIOSVM *habuisse* VIGOREM, *multisque prudentissimis viris* DISPLICVISSE, ait. Illam plerumque veteres interpretatione adiuuant, explicantque quam latissime: huius tamquam exosae vires saepe interpretatione frangunt atque incidunt, ne omnes priuatorum fortunae, publici egregio obtentu, in aerarium aut fiscum principis paullatim defluerent.

II. Vtraque legis pars complura denuo capita complexa est. *Septimum* enim allegat GELLIVS; (a) *trigesimum quintum* MARCIANVS. (b) Sed de posteriore loco nondum res extra omnem posita est dubitationis aleam. LIPSIVS et ANT. AVGVSTINVS (c) in eo trigesimum quintum legis Iuliae et Papiae caput vere sibi reperisse visi sunt. IAC. GOTHOFREDVS (d) contra pro XXXV. rescribi iussit XV. Vir denique summus, et iuris prudentiae bono natus, non modo Gothofredum, sed et Lipsium aliquid humani passum, et nec caput legis Papiae Poppaeae in illo MARCIANI textu exstare, nec ipsum illud fragmentum ex capite XXXV. legis Iuliae, sed ex *capite* XXXV. *libri* XII. Institutionum Marciani, vbi *ad legem* quamdam *Iuliam* scripserit, desumtum esse acute statuit, idque vel inde colligi posse censet, quod in eodem fragmento diserte mentio fiat constitutionis SEVERI et ANTONINI, vt ex hac potius, quam ex lege Iulia et Papia aliquid ibi decerpserit MARCIANVS, et hinc superuacua, ac paene temeraria sit a GOTHOFREDO tentata circa numerum capitis emendatio. Enimuero, quemadmodum nec mihi se probat GOTHOFREDI *κρίσις*, atque idcirco, vtcumque illa accipiatur, haud in magno equidem discrimine pono: ita vix negare ausim, caput aliquod legis Iuliae et Papiae in isto MARCIANI fragmento latere. *Lex* enim illa 19. *D. de ritu nuptiarum* talis est: CAPITE TRIGESIMO QVINTO LEGIS IVLIAE: *qui liberos, quos habent in potestate, iniuria prohibuerint ducere vxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex constitutione diuorum* SEVERI *et* ANTONINI *per proconsules praesidesque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare et dotare.* Hic primo manifestum videtur, non a Pandectarum collectoribus titulum vel caput XXXV. ex libro XII. *Institutionum* MARCIANI, sed ab ipso MARCIANO *caput* XXXV. *legis Iuliae* allegari, si quidem priore casu non scribendum fuisset CAPITE XXXV. LEGIS IVLIAE, sed *capite* XXXV. *de lege Iulia*, vel, *ad legem Iuliam.* Deinde sollemne est MARCIANO allegare in Institutionibus non solum aliorum libros, sed et librorum segmenta

(a) *Lib. II. cap.* 15.
(b) L. 19. *D. de ritu nupt.*
(c) *De Legib. et SCtis p.* 1214. *Tom. II. Thesaur. Graeu.*
(d) *Leg. Pap. Popp. cap.* 15.

BIU Cujas

segmenta et capita, addito eorum numero, quem saepius alii veteres ICti omittere solent. Nam modo Chrysippi *librum* περὶ νόμων (a) modo Papiniani *librum* II. *de adulteriis*, (b) modo Iuliani *librum* XXVII. *Digestorum*, (c) modo alios aliorum libros laudat, numero fere semper expresso. Quare nihil sane fecit a more suo alienum, si et *caput* XXXV. *legis Iuliae* nominatim adduxerit. Legem vero Iuliam, quum de nuptiis, remouendisque earum impedimentis, egerit, vix aliam accipere licebit, quam illam de maritandis ordinibus. De hac enim diserte scripsit PAPINIANVS: (d) *ea legis huius sententia fuit, ne quod omnino* NVPTIIS IMPEDIMENTVM *inferretur*. Quod si quis porro obuertat, fieri non potuisse, vt in lege Iulia diuorum Seueri et Antonini constitutio laudaretur, id quidem ego facile concesserim, sed nec vmquam id factum esse arbitror. Augustus in lege Iulia nihil sanxisse videtur amplius, *quam vt parentes, qui liberos* INIVRIA *prohibuerint vxores ducere, vel nubere, a praetore cogerentur eos in matrimonium collocare*. Quum vero et dotis denegatio multis nuptiis impedimento esset, quandoquidem puellae Romanae dote cassae, fere inelocabiles videbantur, et conditionem non facile reperiebant: quaestio incidebat, an et ii parentes videantur iniuria prohibere, qui dotem negent? idque vel ideo dici non posse videbatur, quod iure veteri filiabus non abscisse dos deberetur, sed ea necessitas demum nouis legibus, de quibus IVSTINIANVS (e) loqui videtur, imposita esset parentibus. At SEVERVS et ANTONINVS, intelligentes, et hoc modo multos liberos prohiberi a nuptiis, legem Iuliam ita interpretati sunt, vt parentes et dotare filias cogerentur, *quia prohibere videatur, et qui conditionem non quaerit*, vti statim legi nostrae subiicit MARCIANVS. Deinde quum lex Iulia in primis ad frequentandam vrbem esset comparata, adeoque ea magistratibus tantum vrbanis potestatem fecisset, parentes dotem negantes in ordinem cogendi: principes etiam praesidibus prouinciarum id dederunt negotii, vt parentes elocare et dotare cogerent liberos. Omnia haec, suo more, iungit MARCIANVS, ita vt legitimis verbis per μετάξυλογίαν statim interserat, quid legi accesserit ex celebri illa SEVERI atque ANTONINI constitutione. Totum ergo textum, sola interpunctione parenthesibusque rite adpositis, et vocabulo PROCONSVLIS, quod ex litteris PR. male intellectis irrepere potuit, in alterum *Praetoris* mutato: ita clarissimum futurum arbitror: CAPITE TRIGESIMO QVINTO LEGIS

(a) L. 2. D. *de Legib.*
(b) L. 7. §. 1. D. *ad leg. Iul. de adult.*
(c) L. 22. D. *de bon. libert.*
(d) L. 72. §. 2. D. *de condit. et demonstr.*
(e) L. 7. C. *de dote promiss.*

BIU Cujas

LEGIS IVLIAE [scilicet cautum est :] QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBVERINT DVCERE VXORES VEL NVBERE, (*vel, qui dotem dare non volunt, ex constitutione diuorum Seueri et Antonini*, PER PRAETOREM, (*praesidesque prouinciarum*,) COGVNTVR IN MATRIMONIVM COLLOCARE, (*et dotare.*) Sic certe solet MARCIANVS in institutionibus suis vna manu duos dealbare parietes, et ius recentius per modum παρενθέσεως inferere veteri, ceu vel ex hoc eius fragmento (a) patet : *Si quis dicat, se suis numis emtum, potest consistere cum domino suo, cuius in fidem confugit, et queri, quod ab eo non manumittatur, Romae quidem apud praefectum vrbi, (in prouinciis vero apud praesides ex sacris constitutionibus diuorum fratrum) sub ea tamen denunciatione, vt is seruus, qui hoc intenderit, nec impleuerit, in opus metalli detur.* Eodem ergo modo et hic MARCIANVS caput legis IVLIAE XXXV. intermixta tamen ex iure nouo constitutione Seueri et Antonini, proposuisse videtur. Ipsa sane verba et legitima, et ita comparata videntur, vt nulli legi magis, quam Iuliae et Papiae conuenire videantur.

Quum ergo ex tam multis et diuersis capitibus conflata fuerit lex Papia Poppaea, eam ego LEGEM SATVRAM iure vocari arbitror. Quamuis enim id negare videatur vir in his litteris incomparabilis, IO. FRID. GRONOVIVS, (b) dum scribit : *Lex Iulia de maritandis ordinibus plura quidem capita continet, nec tamen* SATVRA *est :* attamen vix dubito, quin eam sententiam sua definitione ipse euertat vir doctissimus. Ait enim : LEX SATVRA *vel* SATVRA, *erat quae vna rogatione multa et varia complectebatur, νόμος πολλὰ περιέχων, vti est in glossis, non quaecunque plura capita continet, vt fallitur vir candidus et optime de studiis communibus meritus in obseruationibus humanis. Variarum rerum capita dixisset, rem attigisset.* Et paucis interiectis : *Lex Satura res diuersissimas miscet, quarum aliae capita plurima habent, aliae non : prout exigunt res ipsae, aut voluntas latoris.* Quae si vera sunt, (sunt autem verissima,) non potest non lex nostra SATVRA fuisse, quandoquidem non solum ex multis, sed et ex variis diuersissimisque capitibus erat conflata. Alia enim capita ad nuptias, alia ad iura patronatus, alia ad bona caduca, vacantia, ereptitia pertinebant, nec ad eumdem omnia finem, vti iam diximus, fuere comparata. Capita sane, quibus iura patronatus sine discrimine, caelibes, an mariti sint patroni, augentur, nec non ea, quibus quaedam bona pro non scriptis haberi, quaedam tanquam caduca, quaedam vt ereptitia fisco vindicari iubentur, nihil faciunt

(a) *L. 5. pr. ff. de manumiss.*

(b) *Diatrib. ad Papin. Statium pag. 64.*

BIU Cujas

ad nuptias et maritandos ordines, nec ad maritorum parentumque praemia. Vnde V. C. AND. DACERIVS (a) legem noſtram, tamquam Saturæ exemplum proponit. Equidem ſi cui mirum videatur, Auguſtum contra legem Cæciliam Didiam (b) pluribus de rebus vno ſortitu retuliſſe: eum meminiſſe velim, facile ſub principatu negligi potuiſſe legem, quae et libera republica non raro negligebatur ab ipſis tribunis plebis, rogationibus ſuis, tamquam veneno, agitantibus populum.

III. Quamuis autem tam multa diuerſaque capita priſtino ordini reſtitui poſſe, neget IVST. LIPSIVS, (c) idque *a ſe homine neminem exacturum hominem*, ſcribat: ἐκ τῶν ἀδυνάτων tamen id non eſſe, experimento luculentiſſimo docuit IAC. GOTHOFREDVS. Et ſane homini, rem ſerio acturo, non pauca ſuppetere videntur adminicula. Nam primo capitum quorundam ipſa verba legitima ſuperſunt, non ſolum duobus illis locis, quae BARN. BRISSONIVS, (d) nec quinque, quæ GOTHOFREDVS et IVST. LIPSIVS obſeruarunt, verum etiam, vt mihi videtur, in tribus aliis, puta in *L.* 19. *ff. de ritu nupt. L.* 23. *ff. eod.* et *L.* 2. *ff. de minor. vig. quinq. ann.* Deinde etſi reliquorum capitum verba legitima interciderunt: eorum tamen argumenta maximam partem ſeruarunt DIO CASSIVS, SVETONIVS, aliique auctores fide digni, et in primis ſex illi, qui hanc legem noſtram commentariis illuſtrarunt, iure conſulti celeberrimi, VLPIANVS, TER. CLEMENS, CAIVS, PAVLLVS, MARCELLVS et IVN. MAVRICIANVS. Iis addimus P. IVVENTIVM CELSVM, his omnibus antiquiorem, quippe qui Hadriani temporibus legem Iuliam et Papiam Poppaeam vtramque interpretatus eſt ſeptem libris Digeſtorum ſuorum, nempe *libris* XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIIII. XXXV. XXXVI. ceu recte vidit IAC. GOTHOFREDVS, (e) quamuis ille ex egregia hac obſeruatione fructum nullum ceperit, dum Celſi fragmenta in reſtituenda ordini ſuo hac lege, praeter pauca, inſuper habuit. Denique hi ſeptem auctores filum veluti Ariadneum nobis ſuppeditant, quo prehenſo exitum in iſto labyrintho reperire liceat, atque intelligere, quo quodque caput ordine, quoque loco fuerit collocatum.

Et hac quidem via primus inceſſit vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, ſed tum quidem adhuc iuuenis. Quo factum etiam arbitror, vt aetatis aeſtu abreptus, plus iuſto indulſiſſe ingenio videatur. Primo enim pro lubitu fingit refingitque numeros librorum, in Pandectis noſtris

(a) *Ad Horat. Praef. Tom. VI. pag.* 5.
(b) *Cic. pro domo cap.* 20.
(c) *Exc. ad Tacit. Annal. Lib. III. litt. C.*
(d) *De Form. Rom. Lib. II. pag.* 160.
(e) *Comm. ad reg. iur. L.* 191. *pag.* 748.

BIU Cujas

ſtris occurrentes, nulla licet auctoritate codicum adiutus. Sic quamuis et VLPIANO et TER. CLEMENTI index Florentinus *Commentariorum ad leges βιβλία εἴκοσι* tribuat; quamuis ex libro VLPIANI XVIIII. (a) et XX. (b) fragmenta duo ſuperſint: ab vtroque tamen XVIII. tantum libros conſcriptos eſſe contendit, et hinc vtrumque fragmentum ex *libro* III. decerptum eſſe coniicit. Multo facilius vir eximius alias legum inſcriptiones mutat. Nam pro VLPIANI *libro* I. reſcribi aliquando iubet *librum* III. (c), pro eiuſdem *libro* II. *librum* III. (d) pro *libro* VIIII. *librum* III. (e) pro libro denique XV. *librum* XVI. (f) Eadem ſeueritate numeros librorum TER. CLEMENTIS refingit, pro cuius *libro* II. ſuo periculo reponi iubet *librum* III. (g) pro *libro* III. *librum* XIII. (h) pro *libro* V. *librum* IIII. (i) pro *libro* VIII. *librum* III. (k) Nec magis PAVLLO parcit, pro *libro* eius III. reponens *librum* II. (l) Enimuero in his codicum optimorum auctoritatem inſuper habere, numeroſque, Florentiæ non notis, ſed integris vocabulis expreſſos, pro lubitu immutare, religioni nobis duximus, niſi emendationem ſumma vrgeat atque excuſet neceſſitas.

Deinde idem vir eximius, dum omnia, quae materiam aedificio ſuo praebitura videbantur, diligenter vndique congerit, quaedam etiam tigna aliena arripuiſſe, ac bona fide ſuis iunxiſſe aedibus videtur. Saltim, quae *capite* III. de virginibus Veſtalibus proponit, ea ex alia lege Papia eſſe, capite primo demonſtrauimus. Quae *capite* VI. de teſtimonio generi et ſoceri tractat, ea manifeſto depromta ſunt ex *lege Iulia Iudiciorum publicorum*. *Caput* XX. de fundo dotali Italico legi Iuliae de adulteriis, non legi Papiae Poppaeae, debetur. *Caput nonum* de Latinis, vti a IAC. GOTHOFREDO explicatur, partim ex lege Iunia Norbana, partim ex SCto quodam eſſe, ſuo loco docebimus. Contra ea quaedam, quae ad legem hanc referunt veteres, praetermiſiſſe videtur vir doctiſſimus. Nam nec de cogendis puberibus, vt nuptias liberorum quaerendorum cauſſa contrahant, quidquam habet, nec de concubinatu, nec de adſinitatis iure, nec de die legatorum ab apertis tabulis cedente, eorumque tranſmiſſione, de quibus omnibus legem noſtram egiſſe argumentis haud obſcuris liquet.

(a) *L. 2. D. de min.*
(b) *L. 18. D. de excuſ. L. 14. D. de off. procoſ.*
(c) *L. 61. D. ad. leg. Falc.*
(d) *L. 1. D. de concubin.*
(e) *L. 4. D. de tut. dat.*
(f) *L. 37. D. de mort. cauſſ. donat.*
(g) *L. 146. D. de verb. ſign.*
(h) *L. 52. D. de legat. 2.*
(i) *L. 25. D. de donat. inter vir. et vxor.*
(k) *L. 47. D. de ritu nupt. L. fin. D. de oper. ſeru. L. 14. D. de oper. libert.*
(l) *L. 132. D. de verb. ſignif.*

BIU Cujas

Denique et in eo humani quid passus videtur vir eximius, quod vel SCta posteris temporibus ad hanc legem facta, vel ICtorum interpretationes ab ipsa lege non satis accurate distinxit, et hinc quaedam plane alio sensu extulit, quam in lege nostra posita fuerant, quaedam etiam ex ingenio confinxit, de quibus dubito an vnquam cogitauerint legis auctores.

IIII. Quae quum ita sint, post GOTHOFREDI industriam ossa legis celeberrimae lecturis, ipsi nobis eas diximus leges, quas ad euitanda haec praecipitia iudicauimus fore vtilissimas. Primum enim non solum VLPIANVM et TER. CLEMENTEM, sed et reliquos legis nostrae interpretes, immo et CELSVM e vestigio sequemur, priorum tamen vel ideo praecipue habituri rationem, quod non solum plurima eorum fragmenta in Pandectis allegantur, sed et maior fuit librorum ab iis conscriptorum numerus. Viginti nimirum libros vterque elucubrauerat: quamuis postremi duo non nisi quaedam hypomnemata et obseruationes miscellas complexi videantur. Id quod etiam de PAVLLI *Commentariorum libris* tribus postremis suspicor, qui vti ex fragmentis *L.* 15. *D. de iur. patr. L.* 5. *D. de iur. aur. annul. L.* 13. *D. si quid in fraud. patr.* et *L.* 144. *D. de verb. sign.* colligere mihi videor, complexi sunt vnum tractatum iam ante a PAVLLO editum, *de iure patronatus, quod ex lege Iulia et Papia venit*, ex quo etiam ideo nullam legem in Pandectis nostris allegari animaduertimus.

Deinde cauendum duximus, ne inscriptiones legum, librorumque, ex quibus desumtae sunt, numerum, temere mutaremus. Temere, inquam. Nam aliquando emendationem ipsa excusat necessitas, si vel codices editionesque dissentiunt, vel numerus manifesto in mendo cubat. Sic CAII (a) occurrit fragmentum, quod in aliis editionibus ex *libro* XVI. in aliis, notante IVLIO PACIO, ex *libro* XII. in aliis ex *libro* XIII. desumtum dicitur. Quum vero CAIVS quindecim tantum libros ad leges scripserit: primum numerum mendosum esse, nemo facile negauerit. Aliud eiusdem (b) fragmentum in aliis editionibus ex *libro* XII. in aliis ex *libro* X. citatur. Immo et PAVLLI (c) aliquando allegatur *liber* XII. *ad legem Iuliam et Papiam*, quum index Florentinus decem tantum commentariorum libros Paullo tribuat. In his aliquid indulgere ingenio, nemini existimauimus non licere.

Tertio operam dedimus, vt et numeris capitum, a GELLIO et MARCIANO allegatorum, suus constaret locus, adeoque et *caput* a priore

(a) *L.* 73. *D. de her. inst.*
(b) *L.* 55. *D. de legat.* 2.
(c) *L.* 2. *D. de concub.*

BIU Cujas

priore laudatum *septimum*; et a posteriore xxxv. locum occuparet, quod in sua oeconomia haud praestitit, nec praestare potuit vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS.

Denique quantum fieri potuit, id egimus diligenter, vt vetera SCta et iureconsultorum interpretationes ab ipsis legis sanctionibus, quam accuratissime seiungeremus, nihilque temere admitteremus in textum, quod non veterum niteretur testimonio. Quae quomodo a nobis praestita sint, ita intellectum iri quam facillime arbitramur, si, quae ad partem legis priorem pertinent veterum fragmenta, in iure nostro obuia, per laterculos disposita, secundum librorum numerum sistamus, iisque deinde ipsum subiiciamus textum legis, a nobis de nouo restitutum, allegatis auctorum, quibus nitimur, testimoniis, et iis, in quibus a IAC. GOTHOFREDO dissentiamus, diligenter notatis.

BIU Cujas

FRAGMENTA EX VET. ICT. COMMENTARIIS SECVNDVM LIBRORVM ORDINEM DISPOSITA.

Capita legis et Fragm. Celsi.	Vlpianvs lib. I.	Ter. Clem. lib. I. ex quo nullae leges desumtae sunt.	Caivs lib. I.	Pavllvs lib. I.	Marcell. lib. I.	Mavriciani fragmentum ex libro I. nullum exstat, quod ad priorem hanc legis partem pertineat.
Cap. I. de senatorum, eorumque liberorum, nuptiis. Celsvs lib. xxx.	L. 62. D. ad leg. Falc. L. 5. et 7. D. de senat. L. 25. D. de stat. hom. L. 207. D. de reg. iur. L. 4. D. de collus. deteg. L. 6. D. de iure aur. ann.			L. 44. D. de rit. nupt. L. 129. D. de verb. signif. lib. II. L. 47. D. de rit. nupt. L. 6. D. de senat.	L. 32. et 49. D. de rit. nupt. L. 8. D. de agn. et alend. lib.	
Cap. II. de reliquorum ingenuorum nuptiis. Cels. lib. xxx. L. 23. D. de rit. nupt.	L. 43. D. de rit. nupt. L. 4. D. de collus. deteg.					
Cap. III. de sexagenariis, quinquagenariis, spadonibus. Cels. ib. L. 13. D. de probat.	L. 128. D. de verb. sign.	Lib. II. Lib. II.				
Cap. IIII. de concubinis. Cels. ib.	L. 1. D. de concubin.					
Cap. V. de sponsalibus. Cels. lib.				L. 17. D. de sponsal. L. 29. D. de poen.		

Cap.

BIU Cujas

CAP. LEG. CAP. VI. de poenis iniustarum nuptiarum. CELS. IB.	VLPIAN. *L. 130. D. de verb. signif.* *L. 79. D. de adquir. hered.*	TER. CLEM. *L. 5. D. de iur. et facti ignor.* *L. 146. D. de verb. signif.*	CAIVS	PAVLLVS *L. 4. D. de test.* *L. 37. D. de oper. libert.*	MARCELL. *L. 38. D. de mort. cauſſ. donat.*
CAP. VII. de priuilegiis maritorum et parentum in gerendis honoribus. EX CELSI libro XXXI. nihil ſupereſt.	LIB. III. *L. 16. D. de ſponſal.*	LIB. III.	LIB. II. *L. 30. D. de rit. nupt.*		
CAP. VIII. de eorumdem priuilegiis in petendis honoribus. CELS. IB.	*L. 131. D. de verb. ſign.*			LIB. II.	LIB. II. ex quo nullae leges deſumtae ſunt.
CAP. VIIII. de immunitate ob liberorum numerum. CELS. IB.		*L. 16. D. de probat.* *L. 147. D. de verb. ſignif.* *L. 21. D. de rit. nupt.*			
CAP. X. de iure Quiritium ob liberos conſequendo. CELS. IB.		*L. 52. D. de legat. 2.*		*L. 134. D. de verb. ſignif.*	

CA-

BIU Cujas

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. III.	TER. CLEM. LIB. III.	CAIVS LIB. II.	PAVLL. LIB. II.	MARCELL. LIB. II.
CAP. XI. De liberti liberatione ab operis ob numerum liberorum. CELS. IB.	—	—	—	*L. 35. D. de op. lib.*	—
CAP. XII. De liberatione mulierum a tutela ob numerum liberorum. CELS. IB.	—	—	—	*L. 137. D. de verb. signif.*	— LIB. III.
CAP. XIII. De diuortio libertae prohibito. CELS. IB.	*L. vlt. D. de diuort. L. 45. L. 29. L. 27. D. de rit. nupt. L. 4. D. de iur. aur. ann.*	—	—	*L. 2. D. de concubin. L. 63. D. solut. matr.*	*L. 50. D. de rit. nupt.*
CAP. XIIII. De tutore mulieri dotis causſa dando. CELS. IB.	— LIB. IIII.	*L. 61. D. de iure dot.* LIB. IIII.	—	—	—
CAP. XV. De iure decimam matrimonii nomine capiundi. CELS. IB.	*L. 23. D. quando dies legat. ced.*	*L. 67. ad L. Falc.*	—	*L. 63. D. ad leg. Falc.*	—

CA-

BIU Cujas

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. IIII.	TER. CLEM. LIB. IIII.	CAIVS LIB. II.	PAVLL. LIB. II.	MARCELL. LIB. III.
CAP. XVI. De decimis pro liberorum numero adiiciendis. CELS. IB.	—	*L. 62. D. de condit. et demonstrat.*	—	—	—
CAP. XVII. De decimae capacitate ob communem filium. CELS. IB.	*L. 135. D. de verb. sign. L. 9. D. de captiu. et postlim. L. 209. D. de reg. iur. L. 10. D. de his, qui sui vel al. iur. L. vlt. D. de adopt.*	—	—	*L. 208. D. de reg. iur.*	—
CAP. XVIII. De vsufructu et parte proprietatis legalis. CELS. LIB. XXXII. *L. 29. D. de vsufr.*	—	—	—	—	—
CAP. XVIIII. De praelegato dotis. CELS. IB.	—	*L. 53. D. de legat. 2.*	—	—	—
CAP. XX. De solidi capacitate inter coniuges ob aetatem. CELS. IB.	—	—	—	—	—

BIU Cujas

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. IIII.	TER. CLEM. LIB. IIII.	CAIVS LIB. II.	PAVLL. LIB. III.	MARCELL. LIB. III.
CAP. XXI. De solidi capacitate ob diuturnitatem matrimonii. CELS. IB.	—	—	—	—	—
CAP. XXII. De solidi capacitate ob cognationem. CELS. IB.	—	—	—	—	—
CAP. XXIII. De solidi capacitate ob absentiam reip. causſa. CELS. IB.	—	—	— LIB. III.	—	—
CAP. XXIIII. De solidi capacitate ob liberos. CELS. IB.	—	*L. 6. D. de vulg. et pupill. substit.*	*L. 5. D. de vulg. et pupill. substit.*	*L. 132. D. de verb. signif.*	—
CAP. XXV. De solidi capacitate ob postumum. CELS. IB.	*L. 133. D. de verb. signif.*	—	—	—	—
CAP. XXVI. De solidi capacitate ob ius liberorum. CELS. IB.	—	—	—	—	—

CAP.

BIU Cujas

CAPITA LEGIS.	VLPIAN. LIB. IIII.	TER. CLEM. LIB. IIII.	CAIVS LIB. III.	PAVLLVS LIB. III.	MARCELL. LIB. III.
CAP. XXVII. de solidi capacitate patris solitarii ex aliorum testamentis. CELS. IB.	—	*L. 72. D. de hered. instit.*	—	—	—
CAP. XXVIII. de solidi capacitate feminae ob tres liberos. CELS. IB.	— LIB. V.	— LIB. V.	—	—	—
CAP. XXVIIII. de legato sub conditione caelibatus relicto. CELS. IB.	—	*L. 151. D. de verb. signif. L. 64. D. de cond. et dem. L. 25. D. de donat. inter vir. et vxor.*	*L. 63. D. de condit. et demonstr.*	—	—
CAP. XXX. de iure iurando libertis remittendo. CELS. IB.	*L. 14. D. de iure patr.*	*L. 31. D. qui et a quib. manumiss.*	—	—	—
CAP. XXXI. de iure adfin. inter viticum vel nouercam et priuignos, nec non soceros et generum vel nurum. CELS. IB.	*L. 5. D. de grad. et adfin. L. 136. D. de verb. sign.*	—	LIB. IIII. *L. 5. D. de test.*	—	—

BIU Cujas

CAPITA LEGIS.	VLPIANVS LIB. VI.	TER. CLEM. LIB. VI. et VII.	CAIVS LIB. V.	PAVLLVS LIB. III.	MARCELL. LIB. III.
CAP. XXXII. de privilegiis absentium reip. causſa. CELS. IB.	*L.36.L.38. D. ex quib. cauſſ. maior.*	ex quibus nullae leges deſumtae ſunt.	*L.23. D. de reb. dub. L. 8. D. de ann. legat.*	*L.35. et 37. D. ex quibus cauſſ. mai. in integr. reſtit.*	———
CAP. XXXIII. de indulgentia ſenatus. CELS. IB.	*L. 31. D. de rit. nupt.*	———	———	———	———
———	LIB. VII.	LIB. VIII.	LIB. VI.		
CAP. XXXIIII. de diuortii modo et poena. CELS. IB. *L. 97. D. de verb. ſignif.*	*L.64. D. ſolut. matr. dos quemadm. pet. L. 139. D. de verb. ſignif.*	*L. 48. D. de ritu nupt.*	*L. 7. D. de cenſ.*	*L. 8. D. de captiu. et poſtlim.*	*L. 33. D. de rit. nupt.*
CAP. XXXV. de cogendis parentibus, vt liberos elocent. CELS. IB.	——— LIB. VIII.	———	——— LIB. VII.	*L.45. D. de adoption.* LIB. IIII.	——— LIB. IIII.
CAP. XXXVI. de poenis caelibatus. CELS. IB.	*L.3. D. de caſtr. pecul. L. 15. D. ad leg. Cornel. de ſicar.*	———	ex quo leges nullae deſumtae ſunt.	*L.138. D. de verb. ſignif. L.87. D. de legat. 3.*	ex quo et reliquis nullum fragmentum ſupereſt.
CAP. XXXVII. de poenis orbitatis. CELS. IB.	*L.51. D. de legat. 2. L.141. D. de verb. ſignif. L. 36. D. de mort. cauſſ. donat. L.61. D. de cond. et demonſtr.*	———	———	———	———

CAP.

BIU Cujas

CAP. LEG.	VLPIAN.	TER. CLEM.	CAIVS	PAVLLVS	MARCELL.
CAP. XXXVIII. de liberta ob nuptias ab operis liberanda. CELS. IB.	LIB. VIII.	L. 32. D. qui et a quib. manumiſſ. L. 14. D. de oper. libert.			
	LIB. VIIII.	LIB. VIIII.	LIB. VIII.		
CAP. XXXVIIII. de liberto centenario minore. CELS. IB.	L. 143. D. de verb. ſignif. L. 4. D. de tut. et curat. dat. L. 5. D. de iur. aur. ann.	L. 24. D. qui et a quib. manum. L. 38. D. de bon. libert. L. 10. D. de iur. patr.	L. 4. D. de bon. poſſeſſ. L. 148. D. de verb. ſignif.		
	LIB. X.	LIB. X.	LIB. VIII.		
CAP. XXXX. de liberto centenario. CELS. IB.	L. 16. D. de iur. patr. L. 11. D. eod. L. 145. D. de verb. ſignif.				
CAP. XXXXI. de filia patroni. CELS. IB.	LIB. XI.	L. 49. D. de bon. libert. LIB. XI.			
CAP. XXXXII. de libertae bonis. CELS. IB.	L. 37. D. de bon. libert. L. 36. D. de oper. libert. L. 17. D. de iure patron.	L. 153. D. de verb. ſignif.	L. 46. D. de rit. nupt.		
CAP. XXXXIII. de patronae ſucceſſione. CELS. IB.	LIB. XII. ex quo nullae leges exſtant.	LIB. VIIII.	L. 150. D. de verb. ſignif.	LIB. VIIII.	
CAP. XXXXIIII. de patronae liberis. CELS. IB.					

BIU Cujas

Ex hac tabula adparet, VLPIANVM priori legis parti interpretandae libros duodecim, TERENTIVM CLEMENTEM vndecim, CAIVM nouem, PAVLLVM quatuor, MAVRICIANVM vnum, ex quo nihil supereſt, deſtinaſſe. De MARCELLO res vel ideo videtur dubia, quod ex libris poſtremis nullum fragmentum commune naufragium euaſit.

Reliquum eſt, vt horum fragmentorum, aliorumque bonorum auctorum ductu ipſa prioris partis capita reſtituere conemur, quod ita faciemus, vt ex quo quidque fonte fluat, ſubiectis textui annotationibus, GOTHOFREDI exemplo, oſtendamus.

---

* CAPVT I.

De Senatorum, eorumque liberorum nuptiis.

(a) QVI (b) SENATOR EST, (c) QVIVE FILIVS (d) NEPOSVE (e) EX FILIO (f) PRONEPOSVE EX FILIO NATO, CVIVS EORVM EST, ERIT, NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO (g) LIBERTINAM, AVT EAM, QVAE IPSA (h), CVIVSVE PATER (i) MATERVE (l) ARTEM LVDICRAM FECIT, FECERIT, (Gothofr. addit: (m) *item eam, quae palam corpore quaeſtum facit, fecerit.*)

(n) NEVE SENATORIS FILIA NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATA, (o) LIBERTINO, EIVE, QVI IPSE, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT, SPONSA NVPTAVE SCIENS DOLO MALO ESTO, NEVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS (p) SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO.

(*) CAPVT hoc primum fuiſſe inde colligendum, quod tota lex ab eo dicta eſt *lex Iulia de maritandis ordinibus.* Pro capite haec venditat PAVLL. *Lib.* I. L. 44. *D. de ritu nupt.* Vnde non auſi ſumus ei caput ſequens cum *Iac. Gothofredo* annectere.

(a) Capitis legitima verba exſtant apud PAVLL. *Lib.* I. L. 44. *D. de rit. nupt.* de ſententia teſtatur DIO *Lib.* LIIII. *pag.* 531.

(b) SENATOR eſſe poteſt, cui eſt cenſus ſenatorius, ad cuius computationem facit VLP. *Lib.* I. L. 62. *D. ad leg. Falcid.*

(c) *Filius ſenatoris* eſt cum naturalis, tum adoptiuus. VLP. *Lib.* I. L. 5. *D. de ſenat.* PAVLL. *Lib.* II. L. 6. *D. eod.* Emancipatus a ſenatore naturalis, *quaſi ſenatoris filius* eſt. *Ibid.* L. 7. *pr. D. de ſenat.* quemadmodum eſt poſtumus. VLP. *Lib.* I. L. 7. §. I. *D. eod.*

(d) Licet ex filio, ſenatu moto, conceptus. VLP. *Lib.* I. L. 7. §. *vlt. D. de ſenat.*

(e) Non ex filia. Eoque referri poteſt fragmentum MARCELLI *Lib.* I. L. 8. *D. de agn. lib.*

(f) Diſputaſſe hac occaſione videtur PAVLLVS

BIU Cujas

PAVLLVS *Lib.* I. L. 129. *D. de verb. sign.* an iis, qui mortui vtero exierunt, tamquam liberis senatorum funus senatorium ducendum sit?

(g) Libertina non est, quae iudicata ingenua. VLP. *Lib.* I. L. 25. *D. de statu hom.* L. 207. *D. de reg. iur.* nec quae ius aureorum annulorum consequuta. VLP. *Lib.* I. L. 6. *D. de iur. aur. annul.*

(h) Etiamsi in huius modi patris potestate non sit. PAVLL. *Lib.* I. L. 44. *pr. D. de rit. nupt.* etsi pater est adoptiuus. *Ib.* L. 44. §. 4. non autem si auus. *Ib.* L. 44. §. 2. D. *eod.*

(i) Etiam quae vulgo concepit. PAVLL. *Lib.* I. L. 44. §. 3. *D. eod.*

(l) Non autem fraudi erat filiae, parentes, vel eorum alterutrum post nuptias artem ludicram facere coepisse. PAVLL. *Lib.* I. L. 44. §. 6. Aliud si ipsa vxor hunc quaestum instituerit. *Ibid.* L. 44. §. 7.

(m) Hanc laciniam iure reiecimus, quia L. 43. pertinet ad caput sequens. Nec opus erat, monere, has ducere non posse senatores ob ea, quae notat MARCELL. *Lib.* I. L. 49. *D. de rit. nupt.* et PAVLL. *Lib.* I. L. 44. §. 8. *D. eod.*

(n) Eadem verba legitima seruauit PAVLL. *Lib.* I. L. 44. *D. eod.*

(o) Quamuis adrogatus sit ab ingenuo MARCELL. *Lib.* I. L. 32. *D. de rit. nupt.*

(p) Nisi et ipsa quaestum corpore, vel artem ludicram fecerit. PAVLL. *Lib.* II. L. 47. *D. de rit. nupt.*

---

*CAPVT II. (Gothofr. *cap.* I.)

De ingenuorum nuptiis.

(a) OMNIBVS reliquis INGENVIS, PRAETER SENATORES EORVMQVE LIBEROS LIBERTINAM VXOREM HABERE LICETO, (b) neue quid eis qui duxerint (c) liberisue ex eo matrimonio natis, fraudi ignominiaeue esto. (Gothofr. *ceteris ingenuis libertinas vxores ducere ius esto, neue quid eis, qui eos duxerint, fraudi ignominiaeue esto, liberiue eorum legitimi sunto.*)

(d) At ne quis ingenuus EAM QVAE (e) PALAM QVAESTVM CORPORE FACIT FECERIT (Gothofredus (f) *haec superiori capiti intexuit.*) LENAM, A LENONE MANVMISSAM, AVT (g) IVDICIO PVBLICO DAMNATAM, AVT (h) IN ADVLTERIO DEPREHENSAM, ET QVAEVE ARTEM LVDICRAM FACIT FECERIT, sponsam vxoremue sciens dolo malo habeto.

(*) Quum caput primum constituerit illud, quod integrum extulit Paull. L. 44. *D. de rit. nupt.* hoc alterum a primo seiungendum duximus, vt fuerit secundum.

(a) De capitis huius sententia testatur DIO *Lib.* LIIII. *p.* 531. Quin verba legitima maximam partem seruasse videtur CELSVS *Lib.* XXX. L. 23. *D. de rit. nupt.*

(b) Formulam hanc, tamquam sollemnem, cum Gothofredo retinuimus ex LIV. *Lib.* XXXVIIII. *cap.* 19.

(c) Diserte

BIU Cujas

(c) Diserte hoc lege nostra cautum fuisse, docet DIO CASS. *Lib.* LIIII. *p.* 531.

(d) Huius periochae legitima verba maxima ex parte seruauit VLPIANVS *Lib.*1 L. 43. *D. de rit. nupt.* Ingenuus vero quis? VLP. *Lib.* 1. L. 4. *D. de collus. deteg.*

(e) Quid vero *palam quaestum corpore facere?* Exponit id VLP. *Lib. I.* L. 43. *pr. et* §. 1. *D. de rit. nupt.*

(f) Verba haec ad superius caput ideo retulit Gothofredus, quod Vlpianus *Fragm. tit.* XIII. §. 1. senatorem eam, quae quaestum corpore fecerit, vxorem habere posse negat. Sed quamuis recte id neget Vlpianus: non tamen inde sequitur, vt hoc κατὰ τὸ ῥητὸν prohibitum fuerit capite primo. Paullus sane L. 44. *D. de rit. nupt.* id caput omittit. Vlpianus L. 43. agit de nuptiis ingenuorum. Et ratio ipsa iam docebat, quam ingenuus ducere non potest, eam nec ducere posse senatorem. L. 44. §. 8. L. 49. *D. de rit. nupt.*

(g) VLP. *Lib.* 1. L. 43. §. 10. *D. de rit. nupt.*

(h) A quocumque deprehensam. Qua in re differunt lex Iulia de adulteriis et lex nostra. Immo, si deprehensa, parum ei prodest, fuisse absolutam, aut ne in ius quidem vocatam. VLP. *Lib.* 1. L. 43. §. 12. *D. eod.*

CAPVT III. (Gothofr. *cap.* 11.)

De sexagenariis, quinquagenariis, spadonibus.

(a) OMnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quaesundorum caussa inire tenentor. (Gothofr. *haec omisit* (b) *sexagenarii masculi*, (c) quinquagenariae feminae et (d) SPADONES a poenis huius legis liberi sunto. (Gothofredus: *sexagenario masculo, quinquagenariae feminae nuptias contrahere ius ne esto: post eos tantum annos coniuges poenis huius legis soluuntor.* SPADONIBVS *item nuptias contrahere ius ne esto.*)

(a) Testis est *Commentator* vetus a CRVCQVIO editus ad Horat. *Epod.* XVIII. Hinc etiam est, quod lex Papia certis annis nuptias, aliis liberos exigere dicitur Vlpiano *Fragm. tit.* XVI. §. 1. et *Tertulliano Apolog. cap.* 4.

(b) Hanc legis sententiam suggerit *Vlpian. Fragm. tit.* XVI. §. 1. Postea huic capiti aliquid addidit Tiberius, teste SVET. *Claud. cap.* 23. idque est ipsum SC. Persicianum, quo cautum, *vt sexagenarii et quinquagenariae, licet inierint matrimonium, poenis tamen caelibatus subsint perpetuo.* Hinc et Claudius ei capiti obrogauit cauitque, *vt qui maior* LX. *annis minorem quinquagenaria duxerit, perinde habeatur, ac si minor sexagenario vxorem duxisset.* Denique et SC. Caluisianum prodiit, quo cautum, *vt quae quinquagenaria maior minori sexagenario nupserit, quiue minor sexagenario maiorem quinquagenaria duxerit, eis impar illud matrimonium ne prodesset, sed dos caduca fieret.* Omnia haec narrat VLP. *tit.* XVI. §. 1. quem locum primus in luce posuit IAC. PERIZONIVS *de lege Vocon. p.* 153. Ex quibus patet, male id caput extulisse LIPSIVM,

BIU Cujas

PSIVM, BRISSONIVM, et, qui eos sequutus est, IAC. GOTHOFREDVM. Ceterum illud vna cum SC. ad illud factis sustulit IVSTINIANVS *L.* 27. *C. de nupt.*

(c) Aetas quomodo probanda. CELS. *Lib.* XXX. L. 13. *D. de probat.*

(d) Vocem hanc explicat VLP. *Lib.* I. L. 128. *D. de verb. signif.*

CAPVT IIII. (Gothofr. omisit.)

(*) *De Concubinatu.*

(a) QVas personas per hanc legem vxores habere non licet, eas concubinas habere ius esto: (b) ingenuam honestam in concubinatu habere ius ne esto.

(*) Caput de concubinatu in lege Papia Poppaea fuisse adparet ex L. 3. *D. de concub.* vbi Marcianus *concubinatum per leges nomen adsumsisse* ait, id est, per leges Iuliam et Papiam. MERILL. *Obs. Lib.* V. *cap.* 10.

(a) Quaenam illae personae, in quas stuprum non committitur? Vid. VLP. *Lib.* 11. L. 1. §. 1. 2. *D. de concub.* Modo nec in his vel adfinitatis ratio, vel aetas obstet. *Ibid.* L. 1. §. 3. 4. *D. eod.*

(b) Quia cum ea stuprum committeretur. Atilicinus apud VLP. *Lib.* 1. L. 1. §. 1. *D. de concub.* Stuprum vero committitur in ingenuam virginem vel viduam, honeste viuentem, *L.* 34. *pr. D. ad leg. Iul. de adult.* non in eam quae obscuro loco nata, aut quaestum corpore fecit. L. 3. *pr. D. de concub.* Ingenuam honestae vitae atque originis necesse erat vel vxorem habere, vel recusantem stuprum cum ea committere, *d.* L. 3. cui legi non aduersantur L. 24. *D. de rit. nupt. et* L. 31. *pr. D. de donat.*

CAPVT V. (Gothofr. *cap.* III.)

De Sponsalibus.

(a) SPonsam post H. L. decenni minorem nemo habeto, desponsam (b) intra biennium domum ducito: ni duxerit, praemiis maritorum ne fruitor. Gothofr: *quicumque sponsam habebit, vltra biennium eam ne habeto, qui vltra biennium habuerit, praemiis maritorum ne fruitor. Decenni minorem sponsam ne habeto.* (c) Feminis a morte viri biennii, a repudio anni et sex mensium vacatio esto. (Addit Gothofredus: (d) *pontifex max. arbitratu suo virgines* XX. *non maiores, quam* X. *annos natas, e populo legat, sortitioque in concione ex eo numero fiat,*

BIU Cujas

et cuius virgo ducta erit, eam pontifex max. capiat, eaque Vestae fiat.

(a) Caput hoc suppeditat DIO *Lib.* LIIII. SVETON. *Octau. cap.* 34.

(b) Nisi iustae caussae impediant. Eas describit CAIVS *Lib.* I. L. 17. *D. de sponsal.*

(c) Hanc sententiam legis seruauit VLPIANVS *Fragm. tit.* XIII. §. 1. Eodemque referendum fragmentum CAII *Lib.* I. L. 29. *D. de poen.* vti recte vidit IACOTHOFREDVS.

(d) Sunt quidem haec apud GELLIVM *Lib.* I. *cap.* 12. Sed nihil illa ad sponsalia, nihil ad finem legis Papiae Poppaeae. Aliam, et nostra multo antiquiorem, legem Papiam ob oculos habuisse Gellium, supra demonstrauimus *Lib.* I. *Commentarii nostri, cap.* 1.

CAPVT VI. (Gothofr. *cap.* IIII.)

De poenis iniustarum nuptiarum.

(a) SI qui (b) scientes dolo malo aduersus hanc legem coierint, (Gothofr. *si qui sciens* D. M. *contra hanc legem* (c) *impares, vti supra dictum, nuptias contraxerit,*) (d) nec vir, nec vxor, nec (e) socer socrusue, nec gener nurusue intelliguntor: (Gothofredus *haec omittit.*) liberi quaesiti natiue legitime et (f) heredes sui ne sunto, neue parentibus (g) prosunto: neque (h) HEREDITATEM, QVAE EIS LEGE OBVENERIT, legatumue ipsi coniuges neque inter se quidquam (i) capiunto: (l) mortuaque muliere dos caduca esto.

(a) Caput hoc expressisse IVSTINIANVM §. 12. *Inst. de nupt.* obseruant MERILL. *Obs. Lib.* V. *cap.* 11. et GOTHOFRED. *ad leg. Pap. cap.* 4. *p.* 275.

(b) Non si bona fide vel per errorem alteruter nuptias fecerit. TER. CLEM. *Lib.* II. L. 5. *D. de iur. et fact. ignor.*

(c) Impares nuptiae dictae tantum, quas quis contra SC. Caluisianum inierat, IVSTIN. L. 12. *C. de legit. her.* Conf. SCHVLTING. *Iurispr. anteiustin. pag.* 615. Hoc vero caput ad omnes reliquas prohibitiones pertinuit.

(d) Haec sunt ex §. 12. *Inst. de nupt.*

(e) Itaque nec priuilegio, ex quo soceri, generi, et nurus ex lege Iulia publicorum iudiciorum testimonium inter se non dicebant, fruebantur. Et huc pertinent fragmenta PAVLLI, *Lib.* II. L. 4. *D. de test.* et TER. CLEM. *Lib.* II. L. 146. *D. de verb. sign.* ex quibus Gothofredus perperam desumsit verba capiti suo sexto adsuta: GENER SOCERVE *inuiti in reos testimonium ne dicunto.*

(f) *Collat. legg. Mos. et Rom. tit.* XVI. §. 3.

(g) PAVLL. *Lib.* II. L. 37. §. 7. *D. de oper. libert.*

(h) Erant enim veluti caelibes, qui nihil capiebant. VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 1. *tit.* XXII. §. 3. Hereditas vero cum ex testamento, tum ab intestato delata, lege dicebatur obuenire. VLP. *Lib.* II. L. 130. *D. de verb. sign.* Hic agitur de ea, quae

BIU Cujas

quae testamento delata.

(i) Neque per se, nec per alium in potestate sua constitutum, VLP. *Lib.* 11. L. 79. *D. de adquir. hered.* immo ne mortis quidem caussa. MARCELL. *Lib.* 1. L. 38. *D. de mort. causs. donat.*

(l) Ita VLPIAN. *tit.* XVI. §. *vlt.* Non ergo rescindebatur huius modi matrimonium, sed non erant iustae nuptiae. Vnde nec dotem intelligi ait IVSTINIANVS §. 12. *de nupt.*

(*) CAPVT VII.

De priuilegiis maritorum et parentum in gerendis honoribus.

QVi (Gothofr. *hic praemittit caput sequens, et illud huic septimo iungit*) plures liberos, quam collega, aut in sua potestate habebit, aut bello amisit, ei priori ex consulibus fasces sumendi potestas esto: si par vtrique numerus liberorum erit, (a) maritus, aut (b) qui in numero maritorum est, praefertor: sin omnes et (c) mariti, et patres erunt, tum, qui maior natu erit, fasces prior capito.

(*) Caput hoc septimum legis Papiae Poppaeae fuisse, testatur GELLIVS *Lib.* 11. *cap.* 15. cui et capitis sententiam debemus.

(a) Modo ne simulatae sint nuptiae quas nullius momenti esse, tradit CAIVS *Lib.* 1. L. 30. *D. de rit. nupt.*

(b) Veluti sponsus, nondum elapso a sponsalibus biennio: modo ne quis cum persona, quae per leges senatori nubere non poterat, feciisset sponsalia. VLP. *Lib.* III. L. 16. *D. de sponsal.* Sed et ii maritorum numero erant, qui obtinuerant τὸ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα, *iura maritorum*, de quibus DIO *Lib.* LX. *p.* 681.

(c) De casibus, si ambo sint mariti, sed improles, vel caelibes, sed totidem liberorum patres, nihil in hac lege scriptum fuisse, ait GELLIVS *Lib.* 11. *cap.* 15. Iis casibus tamen aetatis habitam esse rationem, existimat.

CAPVT VIII. (Gothofr. *cap.* VII.)

De eorumdem priuilegiis in petendis honoribus.

(a) QVi candidatorum plures liberos secundum H. L. habebit, praefertor: petentibusque honores (b) SINGVLI ANNI PER SINGVLOS LIBEROS DEMITTVNTOR, eisque honores citius, quam per leges annarias licet, petere sine (c) FRAVDE SVA liceto. (Gothofr. *hoc postremum comma omisit.*)

 (a) Hanc

BIU Cujas

(a) Hanc de candidatis sententiam suppeditant TACIT. *Annal. Lib.* XV. *cap.* 19. qui et adoptionibus huic legi fraudem factam esse memorat. Conf. DIO. *Lib.* LIII. et PLIN. *Lib.* VII. *epist.* 16.

(b) Verba haec seruauit VLPIANVS *Lib.* XVIII. L. 2. *D. de minor.* quae ad honorum petitionem, non ad maiorennitatem citius finiendam pertinere, rescripto principis declaratum est.

(c) Ad haec verba differentiam FRAVDIS et POENAE exposuisse videtur VLPIANVS *Lib.* III. L. 131. *D. de verb. signif.*

CAPVT VIIII. (Gothofred. *cap.* VIII.)

De immunitate ob liberorum numerum.

(a) QVi secundum H. L. (b) liberos tres (c) ROMAE NATOS (d) INCOLVMES, (Gothofr. *superstites*) qui quatuor in Italia, quinque in prouinciis habebit, omnium munerum personalium immunitatem habeto.

(a) De hoc capite *pr. Inst. de excus. tut.* L. 1. 2. *D. de vacat. et excus. mun.* L. 1. *et vlt. C. qui num. liber.* L. *vn. C. Th. eod.* Proderant vero liberi vtrique parenti. L. 5. *C. eod.*

(b) Naturales vriusque sexus, L. *vn. C. Th. eod.* non adoptiuos. L. 2. §. 7. *D. de vac. et excus. muner.*

(c) Legitima haec verba exponit TER. CLEM. *Lib.* III. L. 147. *D. de verb. signif.* Probanda vero erat natiuitas liberorum tabulis ex aerario petitis, ad quod parentes liberos recens natos profitebantur, quod facere et matres et auos potuisse, ad hanc legem docet TER. CLEM. *Lib.* III. L. 16. *D. de probat.*

(d) L. 1. §. *vlt.* L. 5. §. 5. *D. de vacat. mun.* L. 1. *C. qui num. liberorum.* Per gloriam viuere intelligebantur etiam bello amissi. L. *vlt. D. de vacat. et excus. muner.* §. 2. *Inst. de excus. tut.* L. 18. *D. eod.* eoque casu et auo nepotes, inprimis bello amisso filio proderant. L. 3. *C. de his, qui num. lib.* Quid vero si pater filium coëgisset ad ducendam vxorem, procreandosque liberos, an et tunc proderant auo nepotes? Profuerunt, nisi fallor, eumque casum tractasse videtur TER. CLEM. *Lib.* III. L. 21. *D. de rit. nupt.*

CAPVT X. (Gothofred. *cap.* VIIII.)

De iure Quiritium ob liberos consequendo.

(a) LAtinus, cui ex Latina filius filiaue natus nataue, et (b) ANNICVLVS ANNICVLAVE factus factaue erit, (Gothofr. addit: (c) *at Latina, si* TER ENIXA FVERIT.) (d) iura Quiritium consequitor.

(a) Non

BIU Cujas

(a) Non Latinus Iunianus, cui demum lex Iunia Norbana hoc beneficium tribuit. VLP. *Fragm. tit.* III. §. 1. *et* 3. sed Latinus colonarius. Latini etiam nominis sociis simile fere priuilegium olim conceſſum eſſe, obſeruat LIV. *Lib.* XXXXI. *cap.* 8.

(b) Explicat haec verba legitima PAVLLVS *Lib.* II. L. 134. *D. de verb. ſign.*

(c) Atqui hoc ius non ex lege noſtra, ſed ex SC. eſſe, diſerte docet VLPIAN. *Fragm. tit.* III. §. 1.

(d) Hinc iura connubii, contractuum, et teſtamenti factionis conſequebatur, adeoque et teſtari, et heres eſſe poterat. Quid ſi de Latini inſtituti ſtatu dubitaretur? Vid. TER. GLEM. *Lib.* III. L. 52. *D. de legat.* 2.

CAPVT XI. (Gothofr. *cap.* X.)

De liberatione liberti ab operis ob liberos.

(a) QVI (b) LIBERTINVS DVOS PLVRESVE LIBEROS A SE GENITOS NATOSVE IN SVA POTESTATE HABEBIT, PRAETER EVM, QVI ARTEM LVDICRAM FECERIT, QVIVE OPERAS SVAS, VT CVM BESTIIS PVGNARET, LOCAVERIT, NE QVIS EORVM OPERAS, (Gothofr. omittit *operas*) DONI, MVNERIS, ALIVDVE QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSSA PATRONO, PATRONAE, LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT, VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT, DARE, FACERE, PRAESTARE DEBETO. ET SI NON EODEM TEMPORE DVO IN POTESTATE HABEBIT, VEL VNVM QVINQVENNEM, OPERARVM OBLIGATIONE LIBERATOR.

(a) Integrum hoc caput, ipſaque eius legitima verba ſeruauit PAVLLVS *Lib.* II. L. 37. *D. de operis libert.* Conf. L. 6. C. *de oper. libert.* vbi eiuſdem mentio fit priuilegii.

(b) An et liberta? Immo ea, per nuptias, etiamſi liberos non haberet, operarum obligatione liberabatur, quia in officio mariti eſſe debebat. Vide infra caput legis noſtrae XXXVIII. Quid ſi nupta haud eſſet? Tunc vero debebat operas, nec iis liberabatur, niſi ob aetatem, ſi maior eſſet quinquaginta annis. Et huc pertinet fragmentum PAVLLI, *Lib.* II. L. 35. *D. de oper. libert.*

CAPVT XII. (Gothofr. *cap.* XI.)

De mulierum liberatione a tutela ob numerum liberorum.

(a) INgenua (b) TER ENIXA, vel ius trium liberorum conſequuta, (c) libertina quatuor liberorum iure tutela liberator. Eidem

BIU Cujas

sine patroni auctoritate, (d) dum pro numero liberorum sibi superstitum virilem partem ei relinquant, testari fas esto. (Paullo aliter Gothofredus: *ingenua trium liberorum iure legitima tutela, libertina quatuor liberorum iure tutela patroni liberantor, ideoque iam absque tutorum auctoritate testari eis, resque suas administrare liceto, eisque, quibus quid ita datum legatumue, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto.*)

(a) Capitis huius meminere PLVTARCHVS in *Numa p. 66.* DIO *Lib.* LVI. *p.* 578. *Fragm. regularum ex vetere ICto*, §. 6. et in primis VLP. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 2. 3. quem sequuti sumus.

(b) Haec verba, quae Gothofredus ad caput superius perperam retulerat, huc potius pertinent, eaque interpretatur PAVLVS, *Lib.* II. L. 137. *D. de verb. signif.*

(c) VLPIAN. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 2. 3.

(d) Eam limitationem, ab Vlpiano disertis adiectam verbis, omisit vir eximius, Iac. Gothofredus.

CAPVT XIII. (Gothofr. *cap.* VI.)

De diuortio libertae prohibito.

(a) NE DIVORTII FACIVNDI POTESTAS (b) LIBERTAE, QVAE (c) NVPTA EST PATRONO, QVAMDIV IS EAM (d) VXOREM ESSE VOLET, NEVE INVITO ILLO ALII NVBENDI POTESTAS ESTO. (Longe aliter Iac. Gothofredus: *si secundum H. L. nuptiae contractae fuerint,* DIVORTII FACIENDI POTESTAS LIBERTAE, QVAE PATRONO NVPTA EST INVITO PATRONO *cumque altero connubii ius,* QVAMDIV PATRONVS VXOREM EAM ESSE VOLET, NE ESTO. (e) GENER SOCERVE *inuiti in reos testimonium ne dicunto.* (f) *Liberta, quae patroni voluntate nupta erit, operarum obligatione liberator. Quae in concubinatu patroni erit, ab inuito eo discedere, alterique se in matrimonium vel concubinatum dare ius esto.*

(a) Caput hoc, eiusque legitima verba seruauit VLP. *Lib.* III. L. 11. *D. de diuort.* et L. 45. *D. de rit. nupt.*

(b) An et ea, quae contra legem nupserat senatori, si is postea senator esse desierat? vid. VLP. *Lib.* III. L. 27. *D. de rit. nupt.* Quid si ius aureorum annulorum consequuta? vid. VLP. *Lib.* III. L. 4. *D. de iur. aur. annul.* Quid si ex fideicommisso manumissa? MARCELL. *Lib.* III. L. 50. *D. de rit. nupt.*

(c) Non vero nubere ei cogitur, nisi ea de caussa manumissa sit. VLP. *Lib.* III. L. 29. *D. de rit. nupt.* Nec repudium mittere prohibetur sponsa, VLP. *ibid.* L. 45. §. 4. immo nec concubina. PAVLL. *Lib.* II. L. 2. *D. de concub.*

(d) Si velle, eum vel ex signis quibusdam

BIU Cujas

dam constat, recte liberta nubit, et tunc dos quoque ei restituenda. Eo pertinet fragmentum PAVLLI *Lib.* II. L. 63. *D. soluto matr. dos quemadmod. pet.*

(e) Id ius ex lege Iulia publicorum iudiciorum esse, nec huc pertinere, iam monuimus ad caput huius legis sextum.

(f) Haec non ex lege, sed ex interpretatione prudentum sunt. Nec lex VLP. *Lib.* II. L. 1. *D. de concub.* cuius inscriptionem suo more refingit Gothofredus, huc pertinet, sed ad caput de concubinatu, quod ille omisit. Quin perperam vir eximius expressit Vlpiani sententiam. Neque enim is dicit, concubinam alteri nubere, sed tantum, illam se alii in concubinatum dare posse.

CAPVT XIIII. (Gothofr. V.)

De tutore mulieri dotis caussa dando.

(a) EI mulieri virginiue, quam ex H. L. nubere oportebit, tutor ad DOTEM DANDAM, DICENDAM, PROMITTENDAMVE, (b) si legitimum tutorem pupillum habeat (Gothofredus : *si legitimum tutorem non habeat*) (c) a praetore vrbano dator.

(a) Caput hoc suppeditat VLPIAN. *Fragm. tit.* XI. §. 20. et ad illud pertinet fragmentum TER. CLEM. *Lib.* III. L. 61. *D. de iure dot.*

(b) Ita VLPIANVS *tit.* XI. §. 20.

(c) Itaque hoc caput ad solas vrbanas virgines viduasque pertinuit. Postea, vt et in prouinciis tutores darent praesides, SCto cautum est. VLPIAN. *ibid.* Saepe enim, quod ad vrbem pertinuit, etiam ad prouincias prolatum est. Vid. L. 5. *pr. D. de manumiss.*

(*) CAPVT XV. (Gothofr. XII.)

De iure decimam capiundi nomine matrimonii.

VIro et vxori inter se matrimonii nomine (a) decimam capere ius esto.

(*) Vocantur hae leges *decimariae*. L. 2. C. Th. *de iur. lib.* Vnde eas cum Gothofredo non putauimus in vnum caput compingendas. Seruauit eas VLPIANVS *Fragm. tit.* XV.

(a) Ea decima computanda erat, deducta quarta Falcidia, si deberetur, TER. CLEM. *Lib.* IIII. L. 67. *D. ad leg. Falcid.* neque habebatur ratio pretii affectionis. PAVLL. *Lib.* II. *L.* 63. *D. eod.* Si in annos singulos relictum fuerat legatum, per annos singulos inspiciendum erat, quantum superstes posset capere. VLP. *Lib.* IIII. *L.* 23. *D. quando dies leg. ced.*

CA-

BIU Cujas

CAPVT XVI. (Gothofr. XII.)

De decimis pro liberorum numero adiiciendis.

(a) SI ex (b) alio matrimonio liberos superstites habebunt, praeter decimam, quam matrimonii nomine capiunt, (*omittit hoc comma* Iac. Gothofredus,) (c) totidem decimas pro numero liberorum capiunto.

(a) VLPIAN. *tit.* XV.

(b) An etiam post mortem testatoris procreatos? TER. CLEM. *Lib.* IIII. L. 62. *pr.* D. *de condit. et demonstr.* Quid si coniux coniugem instituerit cum conditione: *si a liberis non nupserit*, vel *si a liberis impuberibus non nupserit*? *Id. ibid.* L 62. §. 2.

(c) Non plus, si amplius relictum fuerat, addere solebant, *vt heredi aliquid daret*, de qua conditione vid. TER. CLEM. *ibid.* §. 1.

CAPVT XVII. (Gothofr. XII.)

De decimae capacitate ob communem filium amissum.

(a) IDem (b) communis filius filiaue post (c) nominum diem, (Gothofredus *nonum diem*) (d) amissus amissaue decimam adiicito, duo post nominum (Goth. *nonum*) diem amissi duas decimas adiiciunto.

(a) VLP. *Fragm. tit.* XV.

(b) Non tamen qui ali iussus. VLP. *Lib.* IIII. L. 10. D. *de his, qui sui vel al. iur.* Proderat autem portentosus. VLP. *Lib.* IIII. *L.* 135. D. *de verb. signif.* apud hostes susceptus et reuersus. VLP. *Lib.* IIII. L. 4. D. *de capt.* in seruitute quaesitus et dein arrogatus. VLP. *Lib.* IIII. L. *vlt.* D. *de adopt.*

(c) Conf. MERILL. *Obs. Lib.* II. *cap.* 33.

(d) Amissus vero quis? VLP. *Lib.* IIII. L. 209. D. *de reg. iur.* PAVLL. L. 208. D. *de reg. iur.*

CAPVT XVIII. (Gothofr. *cap.* XII.)

De vsufructu et parte proprietatis legatis.

(a) PRaeter decimam etiam vsumfructum tertiae partis bonorum (b) coniugis praemortui (Gothofr. *partis bonorum eis*) (c) et quotcumque

BIU Cujas

eumque liberos habuerint, eiusdem partis proprietatem capere ius esto.

(a) VLPIAN. *Fragm. tit.* XV. Alias vsusfructus bonorum omnium legari potest. CELS. *Lib.* XXXII. L. 29. *D. de vsufr.*

(b) Apud VLPIANVM est *bonorum eius*, id est, coniugis praemortui, non *bonorum eis*, vti extulit Gothofredus.

CAPVT XVIIII. (Gothofr. XII.)

De praelegato dotis.

(a) HOc amplius mulieri, praeter decimam, (b) dotem legatam sibi petere, ius esto.

(a) VLPIAN. *ibid.*

(b) Dos praelegata extra rationem legis Papiae decimariae est, immo et vice dotis legatum. TER. CLEM. *Lib.* IIII. L. 53. *D. de legat.* 2.

CAPVT XX. (Gothofr. *cap.* XIII.)

De solidi capacitate inter coniuges ob aetatem.

(a) VIro et (b) vxori solidum inter se capiundi ius esto, si vterque vel alteruter nondum eius aetatis sit, qua liberi ex hac lege exiguntur.

(a) Solidum vel inter se capiebant coniuges, vel alius ex alterius testamento. De priore casu agunt *capita* XX. vsque ad XXVI. De posteriore *capita* XXVII. et XXVIII. Seruauit capita priora VLPIANVS *Fragm. tit.* XVI.

(b) Etiamsi breuissimum fuerit matrimonium. *L.* 19. *C. de legat.* CVIAC. *Obs. Lib.* XVIII. *cap.* 9.

CAPVT XXI. (Gothofr. *cap.* XIII.)

De solidi capacitate ob diuturnitatem matrimonii.

(a) ITem si vtrique finitos H. L. annos in matrimonio excesserint, solidum inter se capiundi ius esto.

BIU Cujas

(a) Annum sexagesimum maritus, quinquagesimum vxor. Vide supra caput legis III.

CAPVT XXII. (Gothofr. XIII.)

De solidi capacitate ob cognationem.

(a) ITem si cognati inter se coierint, vsque ad sextum gradum, eis solidum inter se capiundi ius esto.

(a) VLPIAN. *tit.* XVI. *§.* I.

CAPVT XXIII. (Gothofr. XVIII.)

De solidi capacitate ob absentiam reip. causſa.

(a) SI vir abest reip. causſa, donec abest, et intra annum, postquam abesse desiit, libera inter eum et vxorem testamentifactio esto. (Gothofred. *si vir commodi sui causſa absit, ex bonis vxoris suae solidum ne capito. At si sine detrectatione reip. causſa aberit*, κ. τ. λ.)

(a) VLPIAN. *tit.* XVI. §. I. Gothofredus haec seiungit a legibus de solidi capacitate, et inde nouum caput exstruit, quod ipsi est XVIII. Sed quo pertineant illa fragmenta de absentia reip. causſa L. 35. L. 36. L. 37. L. 38. *D. ex quibus causſ. mai.* infra docebimus ad caput nostrum XXXII.

CAPVT XXIIII. Gothofr. XIII.)

De solidi capacitate ob liberos.

(a) ITem qui filium filiamue communem superstitem habebunt, aut quatuordecim annorum filium vel filiam duodecim, vel qui duos trimos, vel tres post nominum diem, aut qui (b) intra annum et sex menses etiam vnum cuiuscumque aetatis impuberem amiserint: eis (c) solidum inter se capiundi ius esto. (Gothofredus alio plane sensu: (d) *vel si tres post nonum diem amiserint, intra annum tamen et sex menses. Etiam vnus cuiuscumque aetatis impubes amissus solidi capiundi ius praestato.*)

(a) VLPIAN.

BIU Cujas

(a) VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1. L. 7. C. *Th. de nauicul.*

(b) Annus quomodo computandus? Vid. PAVLL. *Lib.* II. L. 134. *D. de verb. sign.*

(c) Alias quod vltra relictum erat, aerarium vel fiscus occupabat: nisi substitutione id ius eluderetur. TER. CLEM. *Lib.* IIII. L. 6. *D. de vulg. et pupill. substit.* CAIVS *Lib.* III. L. 5. *D. eod.* Has enim substitutiones ad caducariam legem excludendam valuisse, testatur Iustinianus L. *vn. pr. D. de caduc. toll.*

(d) Conf. VLPIAN. *ibid.* et ibi virorum doctorum scholia.

CAPVT XXV. (Gothofr. XIII.)

De solidi capacitate ob postumum.

(a) ITem vxori, quae post mortem viri intra (b) decem menses ex eo peperit, solidum ex bonis eius capiundi ius esto.

(a) VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1.

(b) Hi vero quomodo computandi? Vid. VLP. *Lib.* IIII. L. 133. *D. de verb. sign.*

CAPVT XXVI. (Gothofr. XIII.)

De solidi capacitate ob ius liberorum.

(a) ITem qui quaeue ius liberorum (Gothofr. *communium liberorum*) (b) a senatu (Gothofr. *a populo*) impetrauerint, solidum inter se capiunto.

(a) VLPIAN. *ibid.*

(b) Senatum, non populum, hoc ius tribuisse, vel ex DIONIS *Lib.* LV. p. 549. quem ipse Gothofredus allegat, discimus.

CAPVT XXVII. (Gothofr. XIIII.)

De solidi capacitate patris solitarii ex alterius testamento.

(a) EX aliorum testamentis (b) PATER SOLITARIVS (c) solidum capito.

(a) IVVENAL. *Sat.* VIII. *v.* 86.

(b) Seruauit haec verba legitima VLPIANVS in rubrica tituli XIII. *De caelibe, orbo, et solitario patre.*

(c) Si quis solitarius pater non erat, eique tamen quod per legem capere non posset, id est, solidum relictum fuerat: id occupabat fiscus, tamquam caducum, nisi

BIU Cujas

nisi ex asse institutus esset ab eo, qui soluendo non erat. TER. CLEM. *Lib.* IIII. L. 72. *D. de hered. inst.*

CAPVT XXVIII. (Gothofr. XIV.)

(a) ITem femina ingenua, si tres liberos habebit, et libertina, (b) si quatuor, solidum ex aliorum testamentis capiunto.

(a) Hoc caput suggerunt DIO *Lib.* LV. LVI. L. 8. 9. *C. Th. de bon. proscript.*

(b) Plerumque vbi tres liberi sufficiebant, ingenuae ibi libertinae opus erat liberis quatuor.

CAPVT XXVIIII. (Gothofr. *cap.* XVII.)

De legato sub conditione caelibatus relicto.

(a) SI quis caelibatus aut (b) viduitatis conditionem heredi legatarioue iniunxerit: heres legatariusue ea conditione liberi sunto, neque eo minus (c) DELATAM HEREDITATEM legatumue ex H. L. consequuntor.

(a) De hoc capite L. 92. L. 74. L. 79. *D. de cond. et dem.* PAVLL. *Sent. rec. Lib.* III. *tit.* 4. et in primis TER. CLEMENS *Lib.* V. L. 64. *D. de cond. et dem.* et CAIVS *Lib.* L. 63. *D. eod.*

(b) Id vero, quod ad viduas, mutatum SCto. Vnde ius ex hoc capite legis Papiae SCto et cautione Mutiana conflatum dici consueuit LEX IVLIA MISCELLA. Vid. *tit. C. de indict.* Vid. et *Nou.* XXII. *cap.* 43.

(c) Explicat haec verba legitima TER. CLEM. *Lib.* V. L. 151. *D. de verb. sign.*

CAPVT XXX. (Gothofred. XVI.)

De iure iurando libertis remittendo.

(a) SI (b) patronus ius iurandum liberto in hoc imposuerit, ne vxorem ducat, vel libertae, ne nubat: ius iurandum illud (c) permittitor, nuptiasque ex H. L. contrahendi, liberto libertaeue ius (Gothofr. *et potestas*) esto.

(a) Agitur de hoc capite L. 6. *in fin. D. de iure patr.* et TER. CLEM. *Lib.* V. L. 31. *D. qui et a quibus manumiss. lib. non fiant.*

(b) Quis

BIU Cujas

(b) Quis vero patronus? Vid. VLP. *Lib.* v. L. 14. *D. de iure patron.*

(c) Ita legitur apud PAVLLVM L. *6.* §. 4. *D. de iur. patr.* neque opus est, vt vocabulum antiquum, et fortassis legitimum mutemus in *remittitor.* Probum illud esse, docebimus infra, vbi et ostendemus, quomodo hac in re differant leges, Aelia Sentia et Papia Poppaea. Illa enim patronum liberto hoc ius iurandum iniungentem iuribus patronatus priuauit; haec liberto iuris iurandi gratiam fecit.

CAPVT XXXI. (Gothofr. omisit.)

De iure adfinitatis inter vitricum cet.

(a) ADfinitas, praeterquam inter (b) nouercam et priuignum, vitricum et priuignam, nec non (c) SOCERVM SOCRVMVE et GENERVM NVRVMVE, (d) morte diuortioque soluitor.

(a) *Licitum veteres credidisse, nuptiis fratris soluis, viduam eius a fratre vxorem duci*, aiunt CONSTANTINVS, CONSTANS, et IVLIANVS L. 2. C. *Th. de inc. nupt.* Id ius *Romanis legibus* tribuunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. *Coll. legg. Mos. et Rom. tit.* VI. §. 4. At quibus legibus? Ab Augusto latis. L. 14. §. *vlt. D. de rit. nupt.* Procul dubio ergo legi Papiae Poppaeae.

(b) VLPIAN. *tit.* XI. §. 6. PAVLL. *Sent. recept. Lib.* II. *tit.* 19. §. 5.

(c) Qui soceri, generi, nurus? Vid. VLP. *Lib.* V. L. 136. *D. de verb. sign.* L. 6. *D. de grad. affin.* CAI. *Lib.* IIII. L. 5. *D. de test.*

(d) Morte olim solutam esse adfinitatem, recte docuere VINN. ad §. 6. *Inst. de nupt.* REINOLD. *Var. cap.* 16. Sed sublatum id ius L. 2. C. *Th. de incest. nuptiis.*

CAPVT XXXII. (Gothofr. *cap.* XVIII.)

De priuilegiis absentium reip. caussa.

(a) QVi REIP. CAVSSA sine detrectatione absunt, donec absunt, et intra annum, postquam abesse desierunt, vacationem legis habento: reliqui qui sui commodi caussa absunt, (b) poenis ex hac lege tenentor. (Gothofredus *hic demum locum fuisse putat capiti, quod supra dedimus*, XXIIII.)

(a) Huc pertinent VLPIANVS *Lib.* VI. L. 36. et L. 38. *D. quib. ex causs. maior.*

(b) Ideoque nec solidum, vt supra diximus, inter se capere poterant. Quid si annuum legatum sibi reliquerunt? CAIVS *Lib.* V. L. 8. *D. de ann. legat.* Quid si mulier cum viro absens cum filio impubere perierit? Ita CAIVS L. 23. *D. de reb. dub.*

BIU Cujas

CAPVT XXXIII. (Gothofr. *cap.* XVIIII.)

De indulgentia senatus.

SI cui (a) senatus (b) gratiam huius legis faciet, ei nuptiae iustae; liberique legitimi sunto, et omnia praemia ex H. L. capere ius esto. (Gothofr. *si cui populus prohibitas H. L. nuptias contrahere permiserit: nuptiae legitimae sunto, neue quid ei, qui huiuscemodi nuptias contraxerit, fraudi ignominiaeue esto.*)

(a) Non populus. LIV. *Lib.* XXXVIIII. *cap.* 19. DIO *Lib.* LVIIII. *p.* 747.

(b) Veluti senatori concedendo nuptias cum libertina. Quod exemplum habet VLP. *Lib.* VI. L. 31. *D. de rit. nupt.*

CAPVT XXXIIII. (Gothofr. *cap.* XX. XXI. XXII.)

De diuortii modo et poena.

(a) SOluto (b) citra culpam vxoris matrimonio, si mulier ob mores viri diuortit, vir eam dotem, quae annua bima trima die reddi debet, ob maiores mores praesentem; propter minores senum mensium die reddito. Quod ad eam dotem, quae praesens reddi solet, (c) dotale praedium Italicum, et (d) QVIDQVID EX BONIS VXORIS vel libertorum eius AD EVM PERVENIT, VT ET, SI DOLO MALO FACTVM ERIT, QVO MINVS PERVENIRET, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM ipse, eiusue heredes, (e) PECVNIAM DATO, et vir simul fructum quadriennii praestato. (f) Sin mulieris culpa discidium factum: morum quidem nomine maritus grauiorum quidem sextam; leuiorum octauam dotis partem retineto. (Gothofredus plane aliter: Cap. XX. (g) *Fundum dotalem Italicum maritus inuita vxore ne alienato, neue, consentiente ea, obligato.* Cap. XXI. (h) *soluto citra culpam vxoris matrimonio, vir quidquid ex vxoris eiusue libertorum bonis ad* EVM PERVENIT, AVT DOLO MALO EIVS FACTVM ERIT, QVO MINVS PERVENIRET *tam ipse, quam heres eius,* QVANTA PECVNIA ERIT TANTAM PECVNIAM *vxori* DATO. Cap. XXII. *De dotis repetitione et retentionibus, vt existimo.*

(a) Augustus *diuortiis modum imposuit,* SVETON. *Aug. cap.* 24. id est, *poenas disfidii* sanxit. PAVLL. *Lib.* III. L. 8. *D. de capt. et postlim.* Eas poenas in modo reddendi

BIU Cujas

dendi dotem constituisse, patet ex VLP. *Lib.* VII. L. 64. §. 6. 10. *D. solut. matr.* Hunc vero modum dotem reddendi, si vel vir vel vxor caussam diuortio dederit, describit accurate VLPIAN. *Fragm. tit.* VI. §. 10. et 13. Vnde verosimillimum, haec ex ipsa lege Papia Poppaea esse.

(b) Vt pateret, quem penes culpa sit, opus erat caussae cognitione. Eoque comparatum erat iudicium malae tractationis, de quo ANT. SCHVLTING. *ad* VLP. *tit.* VI. §. 13.

(c) Tale non solum, quod Romae erat, VLP. *Lib.* VII. L. 139. *D. de verb. sign.* et in Italia: verum etiam in coloniis iuris Italici, de quibus CAIVS *Lib.* VI. L. *vlt. D. de cens.*

(d) Verba haec legitima sunt apud VLP. *Lib.* VII. L. 64. *D. sol. matr.* Eodem pertinet fragm. CELSI *Lib.* XXXII. L. 97. *D. de verb. sign.*

(e) Exceptus videtur patronus, a quo inuito, vti supra *cap.* 13. docuimus, liberta diuertere non poterat. Eoque pertinet fragmentum TER. CLEMENTIS *Lib.* VIII. L. 48. *D. de rit. nupt.* Nec minus id ius cessauit, si mulier ad eumdem virum redibat. MARCELL. *Lib.* III. L. 33. *D. de rit. nupt.*

(f) Quid si mulier capta? An et tunc culpa penes eam? Vid. PAVLL. *Lib.* IIII. L. 8. *D. de capt. et postl.*

(g) Atqui hoc non ex lege Iulia et Papia, sed ex Iulia de adulteriis esse, diserte docet PAVLL. *Sent. rec. Lib.* I. *tit.* 21. et ipse in *Notis pag.* 335. agnoscit vir eximius, vbi fragmenta Vlpiani et Caii, quae allegauimus, ad morem septem testes diuortiis adhibendi refert. Sed et hic ritus non lege Papia Poppaea, verum lege Iulia de adulteriis inuectus est, idque patet ex L. 9. *D. de diuort. et* L. *vn. D. vnd. vir. et vxor.*

(h) Si ita conceptum fuit hoc caput, nihil in eo fuit noui, nihil, quod ad poenam discidii pertineret. Hac lege saltim vix dixeris modum diuortiis imposuisse Augustum.

(*) CAPVT XXXV. (Gothofred. XV.)

De cogendis parentibus, vt liberos elocent.

QVI (a) LIBEROS (b), QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBEBVNT DVCERE VXORES VEL NVBERE, (Gothofred. (c) *vel qui dotem dare nolunt*) in matrimonium EOS (Gothofr. addit: GENERO NVRVIVE) COLLOCARE, (d) PER PRAETOREM VRBANVM COGVNTOR.

(*) Caput hoc fuisse XXXV, testatur MARCIANVS L. 19. *D. de rit. nupt.* qui et ipsa verba legitima, intermixtis quibusdam, quae ex constitutionibus Seueri et Antonini accesserunt, seruauit.

(a) Adoptiuos aeque ac naturales. Onus enim hoc ad adoptantem deuoluitur. PAVLL. *Lib.* III. L. 45. *D. de adopt.*

(b) Non ergo tenentur aui materni. L. 8. *D. de agnosc. et alend. liber.*

(c) Haec non ex lege, sed ex constitutione Seueri et Antonini sunt, L. 19. *D. de rit. nupt.* eamque constitutionem in animo habuisse videtur IVSTINIANVS L. 7. *C. de dot. promiss.*

(d) Quod constitutione Seueri et Antonini etiam ad praesides prolatum. L. 19. *D. de rit. nupt.* Simile exemplum vidimus *capite* 14. vbi vide *notas.*

CAPVT

BIU Cujas

CAPVT XXXVI. (Gothofr. XXIII.)

De poenis caelibatus.

(a) CAelibes niſi intra centum dies huic legi paruerint, neque (b) HEREDITATEM, neque (c) LEGATVM ex teſtamento (d), niſi proximorum genere (e) capiunto. (Gothofred. *legatum teſtamento relictum capiunto.*)

(a) De poenis caelibatus vid. TERTVLL. *de monogam. p.* 583. VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 1. SOZOM. *Hiſt. eccleſ. Lib.* 1. *cap.* 9.

(b) Qua adpellatione et bonorum poſſeſſio continetur. PAVLL. *Lib.* IIII. L. 138. *D. de verb. ſignif.*

(c) Immo nec fideicommiſſum, nec mortis cauſſa donationem. *Idem Lib.* IIII. L. 87. *D. de legat.* 3.

(d) VLP. *tit.* XVI. §. 1. niſi cauſſam morti teſtatoris dediſſent. VLP. *Lib.* VIII. L. 15. *D. ad leg. Cornel. de ſicar.*

(e) Nec per ſe, nec per eum, quem quis in poteſtate habet. Id enim omne fiſcus eripiebat, niſi filio familias aliquid donatum eſſet ad militiam. VLP. *Lib.* VIII. L. 3. *D. de caſtr. pecul.*

CAPVT XXXVII. (Gothofr. *cap.* XXIII.)

De poenis orbitatis.

(a) SI qui coniugum maſculus (vltra XXV. annum,) femina (vltra viceſimum, (b) orbi erunt, ſemiſſem (c) relictorum tantum capiunto. (d) Qui genere proximi erunt, vſque ad gradum ſextum, quod relictum eſt, iure antiquo capiunto. (Gothofr. *at quo minus qui genere proximi erunt vſque ad ſextum gradum relictum iure antiquo capere poſſint*, (*) E. H. L. N. R.)

(a) Lex Papia citius liberos exegerat, quam Iulia matrimonium. Quare laxiore tempore orbis dato, huic legis capiti derogauit Seuerus. TERTVLL. *Apologet. cap.* 4. Videtur ergo id tempus, cuius et VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1. meminit, non ex lege Papia Poppaea, ſed ex Iulia de maritandis ordinibus eſſe, idque in vſum fortaſſis reuocatum a Seuero.

(b) Orbi qui liberos non ſuſceperant. Non enim proderant adoptiui, VLP. *Lib.* VIII. L. 51. §. 1. *D. de legat.* 2. at proderant tamen exciſi vtero, et filii ab hoſtibus reuerſi. VLP. *Lib.* VIII. L. 141. *D. de verb. ſign.*

(c) Quid ſi in tempus liberorum aliquid relictum? VLP. *Lib.* VIII. L. 51. §. 1. *D. de legat.* 2. L. 61. *D. de cond. et dem.* L. 36. *D. de mort. cauſſ. donat.*

(d) SOZOM. *Hiſt. eccleſ. Lib.* 1. *cap.* 9. Conf. VLPIAN. *tit.* XVI. §. 1.

(*) *ex hac lege nihil rogatur.*

CAPVT

BIU Cujas

CAPVT XXXVIII. (Gothofr. *cap.* VI.)

De liberta ob nuptias ab operis liberanda.

(a) LIberta, quae patroni voluntate (b) nupta erit, operarum obligatione liberator.

(a) Meminit huius capitis ALEXANDER imperator *L. 2. C. de obsequ. par. et patr.* et HERMOGENIANVS *L. 48. D. de oper. lib.* Quales operas liberti libertaeque debuerint, explicasse videtur TER. CLEM. *Lib.* VIII. *L. 32. §. 1. 2. D. qui et a quib. manumiss. liber. non fiant.*

(b) Non ergo si nuptiae non essent sequutae. *d. L. 48. §. 1.* Hinc et reuiuiscebat obligatio, quum liberta nupta esse desierat. TER. CLEM. *Lib.* VIII. *L. 14. D. eod.*

CAPVT XXXVIIII. (Gothofr. *cap.* XXIIII.)

De liberto centenario minore.

IN bonis (a) liberti (b) centenario minoris patronus patronique liberi masculi, si libertus (c) liberos non habebit; (d) ius antiquum habento. Sin (e) liberos habebit, (f) ius nullum in bonis liberti habento.

(a) Etiamsi ius aureorum annulorum impetrarit. VLP. *Lib.* VIIII. *L. 5. de iur. aur. annulor.*

(b) Rem centum habentis, **L.** *16. D. de bon. libert.* id est, patrimonium centum sestertium millium, pro qua summa IVSTINIANVS centum aureos posuit. *§. 2. Inst. de succes. libert.* Centenarius vero intelligebatur deducto aere alieno, TER. CLEM. *Lib.* VIIII. **L.** *24. D. qui et a quib. manumiss.* computatoque eo, quod in actionibus erat. VLPIANVS *Lib.* VIIII. **L.** *143. D. de verb. signif.*

(c) Non est autem sine liberis, qui vel vnum habet. CAIVS *Lib.* VIII. **L.** *148. D. de verb. signif.* Conf. TER. CLEM. *Lib.* VIIII. **L.** *38. D. de bon. libertor.*

(d) Nisi libertum capitis accusarit. TER. CLEM. *Lib.* VIIII. **L.** *10. D. de iur. patron.*

(e) Nisi filius liberti hereditatem paternam repudiauerit. CAIVS *Lib.* VIII. **L.** *4. D. de bon. poss.*

(f) Attamen tutores esse cogebantur eius liberorum: si excusabantur, tunc praetor tutorem dabat: non vero se ipsum. VLP. *Lib.* VIIII. **L.** *4. D. de tut. et curat. dat.*

BIU Cujas

CAPVT XXXX. (Gothofr. *cap.* XXV.)

De liberto centenario.

(a) IN centenarii liberti bonis, qui vnum duoſue liberos habebit, ſiue is teſtamento facto, ſiue inteſtatus decedat, patrono patroniue liberis maſculis (b) VIRILIS PARS (c) ſeruator: ſin tres liberos habebit, patronus, patroniue liberi maſculi nihil iuris in bonis liberti habento.

(a) Quid ſi in fraudem vel patroni, vel legis libertus alienauerit? VLP. *Lib.* X. L. 16. *D. de iur. patr.*

(b) Sed ea non numquam totam hereditatem continebat. VLP. *Lib.* X. L. 145. *D. de verb. ſignif.*

(c) Niſi capitis libertum accuſaſſet. VLP. *Lib.* X. L. 11. *D. de iure patr.*

CAPVT XXXXI. (Gothofr. XXVI.)

De filia patroni.

(a) PAtroni (b) filia ſi ius trium liberorum habebit, eadem iura, (c) quae et ipſe patronus patronique filii edicto praetoris habent, habento.

(a) Caput hoc ſuggerit VLP. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 4.

(b) Quamuis in adoptiua familia eſſet, tamen et ipſa ad bona libertorum paternorum admittebatur. TER. CLEM. *Lib.* X. *L.* 39. *D. de bon. libert.*

(c) Vt dimidiae bonorum partis poſſeſſionem impetrarent, ſi vel teſtatus deceſſiſſet libertus, iiſque minus parte dimidia reliquiſſet, vel inteſtatus heredem ſuum, ſed adoptiuum, haberet ſuperſtitem. §. 1. *Inſt. de ſucceſſ. libert.*

CAPVT

BIU Cujas

CAPVT XXXXII. (Gothofr. XXVII.)

De libertae bonis.

(a) IN bonis libertae etiam quatuor liberorum iure subnixae, (b) pro numero liberorum libertae mortis eius tempore superstitum (c) VIRILIS PARS (d) patrono patronique liberis masculis debetor.

(a) VLP. *Fragm. tit.* XXVIIII. §. 3. TER. CLEM.

(b) Numerabantur liberi omnes, etiam in vtero relicti, quia et ii tempore mortis libertae fuisse intelligebantur. TER. CLEM. *Lib.* XI. L. 153. *D. de verb. signif.*

(c) Eo tamen beneficio priuantur, qui libertam capitis accusarunt, non vero accusatoris patroni liberi. VLP. *Lib.* XI. L. 17. *D. de iur. patr.* Eodem priuantur, qui libertatis caussa impositа liberto reuendiderunt, VLPIAN. *Lib.* XI. L. 37. *D. de bon. libert.* quamuis libertatis caussa societatem cum liberta inierint. VLP. *Lib.* XI. L. 36. *D. de oper. libert.*

(d) An et patrono, cuius liberta communis alteri patrono nupserat? Hanc speciem tractasse videtur CAIVS *Lib.* VIII. L. 46. *D. de rit. nupt.*

CAPVT XXXXIII. (Gothofr. XXVIII.)

De patronae successione.

(a) PAtrona ingenua duobus liberis honorata, libertina tribus, (b) idem ius, quod patronus ex edicto praetoris habet, habento.

(a) Caput hoc suppeditat VLPIAN. *Fragm. tit. vlt.* §. 6.

(b) Videntur itaque patronae liberorum iure haud subnixae, partem sibi bonorum a libertis stipulatae, eoque nomine fideiussores accepisse. Quo pertinere arbitramur fragmentum CAII *Lib.* VIIII. L. 150. *D. de verb. signif.*

BIU Cujas

CAPVT XXXXIIII. (Gothofr. XXVIII.)

De patronae liberis.

(a) LIberi quoque ingenuae patronae trium liberorum iure honoratae, idem ius habento.

(a) Est hoc caput apud VLPIAN. *Fragm. tit. vlt.* §. *vlt.*

Haec sunt, quorum memoria supereſt, legis Iuliae et Papiae de maritandis ordinibus capita. Iam nihil supereſt, quam vt singula interpretemur paullo accuratius. Id quod capitibus proxime insequentibus exsequemur.

BIU Cujas

* * * * * * * * * * *

LIBER II.

AD LEGEM DE MARITANDIS ORDINIBVS.

* * * * * * * * * * *

CAPVT I.

AD CAPITA LEGIS PRIMVM ET SECVNDVM.

DE SENATORVM, EORVMQVE LIBERORVM ET RELIQVORVM INGENVORVM, NVPTIIS.

I. PRima legis capita qualia fuerint? Leges aeque, ac alia scripta, a primis capitibus nomen acceperunt. Lex Cornelia de sicariis etiam de parricidiis egit. L. 1. pr. D. ad leg. Corn. de sicar. *explicata, et ab emendatione vindicata.* II. *Senatorum primus in republica ordo. Census senatorius. Senatorum praerogatiuae. An et eas, quae quaestum corpore faciebant, vxores ducere, senatoribus nominatim prohibitum fuerit?* L. 43. D. de senat. *ad reliquos ingenuos pertinet. Quas hi ducere prohibebantur, eas nec senatores ducere poterant.* L. 16. D. de his, quae vt indign. *explicata.* III. *Explicatio verborum:* QVI SENATOR EST. IIII. *Senatorum quoque liberi insignibus senatoriis vsi. Quasi senatorum filii. Patricia nobilitas adoptione adquiri et amitti poterat: senatoria dignitas adquiri, sed non amitti. An et postumus senatoris filius?* L. 7. §. 1. D. de Senat. *exposita. Senatorum nepotes et pronepotes.* V. *Nuptiae putatiuae nemini fraudi erant.* VI. *Historia*

BIU Cujas

iuris connubii cum libertinis. Quaenam libertinae? L. 25. D. de ſtat. hom. *et* L. 207. D. de reg. iur. *explicatae.* VII. *Ars ludicra. Qualem artem ludicram infamia notarint Romani? Cur ludiones Romanis tam viles?* VIII. *Nuptiae ſenatorum filiabus et neptibus prohibitae. Dignitas clariſſimatus et feminis competebat. Ornamenta coniugii ſenatorii, conſularis vel principalis a principe impetrata.* VIIII. *Perſonae a quarum nuptiis ſenatoris filiabus, neptibus, proneptibus erat abſtinendum.* X. *Caput II. de reliquorum ingenuorum nuptiis. Manumiſſiones matrimonii cauſſa non ſunt ex lege Aelia Sentia, ſed ex SCto. Libertus ducere non poterat patronam, niſi tenuioris conditionis. Exemplum huius modi nuptiarum ex* FABRETTO. SCALIGERI *coniectura expenſa.* XI. *Quaeſtum corpore facientes ingenuo nubere non poterant. Meretricum profeſſio, toga ab iis ſumta, nomina mutata.* XII. *Nec ingenuus iure ducebat lenam, vel a lenone manumiſſam.* XIII. *Nec damnatam iudicio publico, vel in adulterio deprehenſam.* XIIII. *Nec eam, quae artem ludicram fecerat.*

I. PRimis legis Papiae Poppaeae capitibus de ſenatorum atque ingenuorum reliquorum nuptiis actum fuiſſe, partim inde colligimus, quod VLPIANVS, PAVLLVS, et MARCELLVS primo ſtatim libro de iis diſputarunt: partim quod lex IVLIA, Papiae Poppaeae mater, cognomen adepta eſt *de maritandis ordinibus.* Titulos autem libris ac ſcriptionibus ſuis a primis tractationis capitibus arceſſere, ſollemne erat veteribus tantum non omnibus. Sic libris Moſis a primo cuiuſque capite nomina Γενέσεως, Ἐξόδε, Λευϊτικῦ, Ἀριθμῶν καὶ Δευτερονομίε indita eſſe, nemo ignorat: nec pauci ſunt, qui Matthaeum Euangeliſtam euangelium inſcripſiſſe putant βίβλον γενέσεως Ιησῦ Χριςῦ. (a) quamuis ego cum his non faciam, exiſtimemque potius βίβλον γενέσεως ſignificare *genealogiam*, (b) adeoque hanc eſſe inſcriptionem primae partis capitis primi, non totius operis euangelici. Idem a Graecis aeque ac Romanis factitatum. Terentius ſane comoediam, Graecorum more, inſcripſit HEAVTONTIMORVMENON a ſcena prima, in qua ſe ipſum reprehendere et laboribus duriſſimis ruri excruciare fingitur Menedemus, quamuis poſtea nihil ſimile amplius in tota illa comoedia occurrat. Ne autem ad alia delabamur, in ipſis legibus cognominandis id frequenter videmus obſeruatum. Lex Iulia, quae praeter adulterium reliqua etiam probra nefandaſque commixtiones perſequebatur, a primis tamen capitibus dicitur

(a) *Matth. I.* 1. (b) *Gen. V.* 1.

BIU Cujas

tur *lex Iulia de adulteriis*. Lex Cincia non solum ad munera et dona, quibus clientes patronos locupletabant, sed et ad alias donationes pertinuit: et tamen illam *muneralem* a primo capite adpellat apud FESTVM (a) PLAVTVS qui et alibi legem Laetoriam, procul dubio a primo capite, vocat *quinamvicennariam*, quum tamen non solum maiorennitatis anni, *anni legis Laetoriae* dicti CONSTANTINO, (b) ea lege finirentur: verum etiam alia, quae ad contractus, et curationem minorum pertinent, accurate cauta sancitaque fuerint. Praecipue id liquet ex lege Cornelia de sicariis, quae non solum sicarios et veneficos, verum etiam parricidas, teste MARCIANO (c) vltore ferro persequuta est, quemadmodum Iul. Caesar lata lege *de parricidiis*, cuius SVETONIVS (d) meminit, etiam veneficia coercuit, vti ex eodem SVETONIO (e) collegit, et erudite demonstrauit ZACH. HVBERVS. (f) Et tamen vtraque lex a prioribus capitibus, illa *legis Corneliae de sicariis et veneficis*: haec *legis Iuliae de parricidiis* nomen accepit. Quibus obseruatis, quod obiter moneo, facile carebimus doctorum virorum emendatione, in *L. 1. pr. D. ad leg. Pompei. de parric.* pro *lege Cornelia de sicariis*, rescribentium *leg. Cornelia de parricidis*. Quae quum ita sint: verosimillimum profecto videtur, prima legis Papiae Poppaeae capita de ordinum nuptiis egisse, atque inde totam illam legem cognomen tulisse *de maritandis ordinibus*.

II. Primus in ciuitate ordo erat senatorius, reliquis honoratior, quippe ad publicum consilium admissus, magnamque ab ipsa vrbis origine adeptus auctoritatem, quam et sub prioribus imperatoribus aliquamdiu tenuit. Initio natales, deinde prudentia et spectata rebus in omnibus virtus, postremo et census senatores fecit, quod maxime deplorant PLINIVS (g) et M. SENECA. (h) Census vero iste Senatorius principio erat octingentorum millium; postea Augustus, teste SVETONIO (i) *censum senatorium ampliauit, et pro octingentorum millium summa duodecies HS. taxauit; suppleuitque non habentibus*. Quin insequente saeculo, sub Traiano haud paullo ampliorem fuisse oportet censum senatorium, si recte cum Io. Fr. GRONOVIO (l) apud PLINIVM (m) legimus,

(a) *Voce*: muneralis.
(b) *L. 2. C. Th. de donat.* et ibi IAC. GOTHOFR. *pag. 615. Tomo II.*
(c) *L. 1. pr. D. ad leg. Pomp. de parric.*
(d) *Iul. cap. 42.*
(e) *Ner. cap. 33.*
(f) *Diss. philol. iurid. Lib. II. diss. 1. cap. 1.*
(g) *Hist. nat. Lib. XIIII. cap. 1.*
(h) *Declam. XI.*
(i) *Augusti cap. 41.*
(l) *De pecun. vet. Lib. II. cap. 3. pag. 69.*
(m) *Lib. VIIII. epist. 3.*

BIU Cujas

legimus, *quaterdecies* HS. a matre Voconii filio collatum fuisse, vt in amplissimum ordinem, beneficio principis promoueretur. Haec iam ab aliis exposita, vel ideo hic tangere visum est, vt adpareat, cur primo statim commentariorum libro VLPIANVS (a) agat de aestimatione bonorum, deducendaque quarta Falcidia. Quum enim ab eo, qui latum clauum ambibat, exigeretur census duodecies vel quaterdecies HS; omnino incidere poterat quaestio, quid in bona computari, quidque ex iis deduci oporteat, antequam adpareret, an filio senatoris superstit census senatorius, vel *an res eius*, vt IVVENALIS *Sat.* III. *v.* 155. loquitur, *sufficere legi* videatur? Hinc si qui rei stipulandi erant, veluti senatoris filius et alius: diuidebatur inter eos obligatio, si socii essent: alias in pendenti erat, in vtrius bonis computari oporteret, id quod deberetur, quia alterutri debebatur solidum. Idem obtinebat, si senatoris filius et alius erant correi promittendi. Tunc enim si inter eos societas esset, ita diuidebatur stipulatio, ac si singuli partem promisissent: alias in pendenti erat, cuius ex bonis id detrahi oporteret. Ita et corpora, si qua essent in bonis defuncti, secundum rei veritatem et praesens pretium erant aestimanda. Quae omnia Tribonianus interpolata ad quartam Falcidiam retulit, vti alia permulta, quae ad aestimationem bonorum pertinebant. Ita commode ea lex referri potest ad caput legis primum, nec opus est, vt cum IAC. GOTHOFREDO mutata inscriptione, in locum *libri primi ad legem Iuliam et Papiam*, substituamus *tertium*.

Ceterum non solum libera re publica, sed et sub bonis principibus magnae erant huius ordinis praerogatiuae. Sententiam senatores dicebant de summa rei publicae: penes illos solos erat ius comitiorum, eorumque decreta satis diu pro legibus erant: quin et hostes rei publicae renunciabant, bella decernebant; (b) iudicia maioris momenti, veluti maiestatis, vis publicae et priuatae, veneficii, exercebant: (c) quin et honores, ornamenta triumphalia, prouincias decernebant, legibus soluebant, omniaque agebant, quae olim poterat populus: nisi quod plerumque vel principum dominandi libido eorum infringeret potentiam, vel adulatio, vetus in re publica malum, has partes rei publicae principis arbitrio subiiceret. Hinc et maximus honor senatorii ordinis viris haberi solebat. Adsurgebatur iis a viris maximis, adeo, vt et Caesari, iam perpetuum dictatori, vitio verteretur, quod

(a) VLP. *Lib. I. L. 62. D. ad leg. Falcid.*

(b) GOTHOFR. *ad L. Quisquis cap. 12. pag. 55.*

(c) TACIT. *Annal. Lib. IIII. cap. 16.*

BIU Cujas

teretur, quod adeuntes se cum plurimis decretis vniuersos patres, SEDENS *pro aede Veneris Genitricis excepisset:* (a) laudaretur contra Hadrianus, qui ad conuiuium venientes stans excipiebat. (b) Porro iidem lato clauo incincti, et titulo VIRORVM CLARISSIMORVM honorati discernebantur ab ordinibus reliquis. Gaudebant priuilegio fori, (c) et nec diris quaestionibus, nec iisdem, quibus alii e plebe, suppliciis subiiciebantur (d). Vnde et Antoninus Pius senatorem parricidam non ausus est occidere, (e) et extremis *reipublicae* temporibus nihil maiorem inuidiam conflasse animaduertimus Imperatoribus, quam si senatorii ordinis virum etiam criminis reum, occidissent. Nihil iam dicam de immunitate a muneribus sordidis, et maxime a necessitate temonaria, id est, auro tironico, qua eorum patrimonia gaudebant, (f) nihil de aliis istius ordinis priuilegiis atque ornamentis quam plurimis. Id modo addam, quod maxime ad illustrandam senatoriam dignitatem facit, eam ipsos Imperatores abs se haud existimasse alienam. Hinc IVLIANVS imp. rescribit: (g) *ius senatorum et auctoritatem eius ordinis*, IN QVO NOS QVOQVE IPSOS NVMERAMVS, *necesse est ab omni iniuria defendere.* Similiter ARCADIVS et HONORIVS, (h) senatores PARTEM CORPORIS SVI vocant, tanquam cuius ipsi capita habeantur. Quo sensu et CORIPPVS (i) Iustinum imperatorem ita loquentem inducit:

- - - Vos, o mihi proxima membra,
Conscripti patres, nostri spes maxima regni:
Vos estis PECTVS, *vos* BRACHIA VERTICIS HVIVS.

Quae quum ita sint, indignas merito ordine tam splendido Augustus iudicabat nuptias cum libertinis aliisque vilioris conditionis mulieribus. Atque hinc ita sanxerat capite huius legis primo:

QVI SENATOR EST, QVIVE FILIVS NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST ERIT, NEQVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AVT EAM, QVAE IPSA CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT FECERIT.

(a) SVETON. *Iul. cap.* 22.
(b) SPART. *Hadr. cap.* 22.
(c) *L.* 1. *L.* 2. *C. vbi senat. vel clar.*
(d) *L.* 11. *C. de quaest. L.* 16. *C. de dignitat.*
(e) *Iul.* CAPITOL. *Vit. Anton. cap.* 8.
(f) *L.* 4. *L.* 5. *L.* 14. *C. de dignit.*
(g) *L.* 8. *C. de dignitat.*
(h) *L.* 5. *pr. C. ad leg. Iul. maiest.*
(i) *Lib. II.*

BIU Cujas

NEVE SENATORIS FILIA NEPTISVE EX FILIO PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATA LIBERTINO EIVE, QVI IPSE CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT FECERIT, SPONSA NVPTAVE, SCIENS D. M. ESTO. NEVE QVIS EORVM D. M. SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO.

Haec enim verba huius capitis legitima nobis seruauit PAVLLVS. (a) Equidem vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, vtrimque interserit verba: ITEM EAM, QVAE PALAM CORPORE QVAESTVM FACIT, FECERIT, quae ex VLPIANI (b) fragmento mutuauerat. Verum nos illa eiicienda putauimus, partim quod PAVLLVS, qui legitima huius capitis verba extulit, ea omisit: partim quod ille VLPIANI textus non ad senatorum, sed reliquorum ingenuorum nuptias pertinet, vtpote in quo et cum lena, iudicio publico damnata, deprehensaque in adulterio connubium prohibetur. Fefelliſſe virum celeberrimum videtur alius VLPIANI (c) locus, vbi iſte senatores etiam cum mulieribus quaestum corpore facientibus nuptias contrahere posse negat. Sed inde non sequitur, vt ea verba in capite primo expressa fuerint. Potius, quae cauta fuerant de ingenuis: ea vel senatus, vel ICti etiam ad senatores proferebant, absurdum esse rati, senatorium sanguinem iis commixtionibus, quibus ipsi plebi esset interdictum, impune contaminari. Hinc MARCELLVS: (d) *obseruandum est*, inquit, *vt inferioris gradus homines ducant vxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis sunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur: ac contra antecedentis gradus homines non possunt eas ducere, quas his, qui inferioris dignitatis sunt, ducere non licet:* vbi res ipsa docet, pro *ac contra*, cum vetustis editionibus legendum esse *at contra*, vt respondeat particulae concessiuae *vt*, quae in priore colo occurrit: forsan etiam pro *possunt*, *posse*, vt rotundior sit oratio. Sed id non vrgeo. Simili sensu PAVLLVS: (e) *eas, quas ingenui ceteri prohibentur ducere vxores*, SENATORES *non ducunt.*

Omnia itaque, quae ingenuis ademta fuerant, connubia multo magis etiam senatoribus indigna videbantur. Sic quum reliquis ingenuis interdictum esset nuptiis earum, quae iudicio publico fuerant damnatae, scto id etiam ad senatores prolatum est. (f) Vnde facile patet, cur nec eas, quae quaestum corpore feciſſent, domum ducere possent senatores,

(a) *Lib. I. L. 44. pr. D. de rit. nupt.*
(b) *Lib. I. L. 43. D. eod.*
(c) *Fragm. tit. 13. §. 1.*
(d) *Lib. I. L. 49. D. de rit. nupt.*
(e) *Lib. I. L. 44. §. 8. D. eod.*
(f) VLP. *Lib. I. L. 43. §. 10. D. eod.*

BIU Cujas

natores, quamuis earum lex propalam non meminisset. Elegans eam in rem species est apud PAPINIANVM, (a) cuius haec verba sunt: *quoniam stuprum in ea contrahi non placuit, quae se non patroni concubinam esse patitur, eius, qui concubinam habuit, quod testamento relictum est, actio non denegabitur, idque in testamento Coccei Cassiani, clarissimi viri, qui Rusinam, ingenuam pleno honore dilexerat, optimi maximique principes nostri iudicauerunt, cuius filiam, quam alumnam testamento Cassianus nepti coheredem datam adpellauerat, vulgo quaesitam adparuit.* Multi hic haerent, nec se expedire possunt. ANT. FABER (b) verba vltima transponit, legitque: *quam alumnam testamento Cassianus nepti coheredem datam adpellauerat, cuius filiam vulgo quaesitam adparuit.* Sed haec coniectura paullo audacior non multum extricat. Similiter vir summus, IAC. CVIACIVS, (c) hanc legem et paullo audentius emendasse, et ipsam speciem non satis peruidisse videtur. Nam primo verba vltima ita mutat: *vulgo quaestum feciſſe adparuit.* Deinde Cocceium Cassianum fingit primum Rusinam habuisse in matrimonio, ac deinde, ea mortua, eius filiam, priuignam suam, concubinam adsciuisse. Quum vero liberta patrono, non vero ingenua extraneo, concubina esse potuerit, nisi vel obscuro loco nata, vel quaestu meretricio infamis esset: dubitatum ait CVIACIVS, an concubinam Cocceius habere potuerit ingenuam, Rusinae, vxoris suae, filiam, et an haec coheres esse potuerit nepti ex Cassiani testamento? Principes tamen iudicasse, eam admittendam ad hereditatem, quia adparuerit, eam quaestum feciſſe corpore, ac proinde, licet ingenua esset, tamen in concubinatu esse potuisse. Haec laudatissimus IAC. CVIACIVS, cuius nec emendationi, nec interpretationi videtur suffragandum. Quis enim credat, licuisse Cassiano priuignam concubinam habere? Omnino id licuisse adseuerat CVIACIVS, quia, quae vxores esse non potuerint, concubinae tamen esse quiuerint. Verum ea regula frustra adplicatur coniunctionibus nefariis, quas Romanos iuris et pudoris naturalis studiosissimos, et in concubinatu damnasse, testes sunt VLPIANVS, (d) PAVLLVS, (e) et SCAEVOLA. (f) Deinde nec emendationi CVIACII fauent editiones, in quibus omnibus, quas consului, verba postrema ita sistuntur: *vulgo quaesitum adparuit*, vel, *vulgo quaesitam adparuit*, qua posteriore lectione nihil profecto est sincerius. Sic enim tota res clara est, legique egregie quadrat species non quidem illa ab ACCVRSIO,

(a) *L. 16. D. de his, quae vt indign.*
(b) *Coniect. Lib. III. cap. 14.*
(c) *Obs. Lib. V. cap. 6.*
(d) *L. 1. §. 1. D. de concubin.*
(e) *L. 14. §. 2. D. de rit. nupt.*
(f) *L. 54. D. eod.*

BIU Cujas

sed altera ab EM. MERILLIO (a) constituta. Cocceius Cassianus erat *vir clarissimus*, id est, senatorio ordini adscriptus. Duxerat is *Rusinam ingenuam*, eamque *pleno honore dilexerat*, adeoque vxoris loco habuerat. Moriens Cassianus, Rusinae filiam, vulgo quaesitam, quam ipse alumnam adpellabat, testamento nepti coheredem dederat. At ei controuersiam mouebat fiscus, tamquam indignae, et cui non magis a Cassiano aliquid relinqui potuerit, quam ipsi Rusinae. Hanc enim, quod quaestum corpore fecerit, non posse senatoris vxorem esse: filiam vero in fraudem legis videri institutam, vt quod mater non posset, filia, tacito fortassis fideicommisso obstricta, caperet. Sed admittebatur tamen filia a principibus, quia non erat ex Cassiano et Rusina nata, (vnde et ille *alumnam* eam, non filiam in testamento adpellauerat,) sed *vulgo quaesita*, antequam mater cum Cassiano habuisset consuetudinem. Non itaque Rusina erat Cassiani vxor, quamuis pleno ab eo honore dilecta, quia inter senatorem et mulierem vulgarem non erat connubium. Nec tamen Cassianus in eam stuprum commiserat, quia in ingenuam, quae corpus vulgauerat, stuprum haud committebatur. (b) Erat itaque concubina Cassiano, siquidem et ingenua, in quam stuprum non committebatur, concubina haberi poterat. (c) Concubinae autem quum per leges et fideicommissa (d), et donationem capere possent, (e) nihil videbatur caussae, cur tamquam indigna repellenda esset ingenuae concubinae filia, ante eum concubinatum vulgo quaesita. Hinc principes actionem illi denegandam haud censebant, eorum ratio decidendi in hoc vno sita erat, quod *Rusina vulgo quaesisset filiam*, ac proinde tamquam quaestuaria mulier, saluo iure, in concubinatu Cassiani esse potuisset. [Quibus fere gemina sunt, quae ad illam disserunt viri docti, DETLEV. LANGEBEK. *Annotat. cap.* 31. et PETR. PERRENON. *Animaduersion. Lib. II. cap.* 25. *Tom. I. Thesaur. iur. Rom.* quamuis hic, dum in eadem lege verba quaedam ita mutat: *qui Rusinam ingenuam non honore pleno dilexerat*, textum praeter necessitatem sollicitare videatur. Non enim ideo Rusina vxor erat, quia eam pleno honore dilexerat Cassianus: sed ideo erat concubina, quia quaestum corpore fecerat, quamuis pleno honore eam Cassianus dilexisset. Nec enim per legem nostram senatoris vxor esse poterat mulier quaestuaria, quantumuis pleno honore dilecta; poterat tamen concubina esse, quia in quaestuariam ingenuam stuprum non

(a) *Obs. Lib. III. cap.* 17.
(b) *L.* 1. *D. de concub.*
(c) *L.* 3. §. 1. *D. de donat. inter vir. et vxor.*
(d) *L.* 29. *pr. D. de legat.* 2.
(e) *L.* 31. *pr. D. de donat.*

BIU Cujas

non committebatur.] Sed haec hactenus de lege paullo obscuriore. Iam ad ipsa capitis verba interpretanda progredimur.

III. Ait lex: QVI SENATOR EST. Tales vero erant, qui olim a censoribus, ac deinde a principibus, (a) immo aliquando ab ipso senatu (b) legebantur, quibusque ea dignitas adhuc salua erat atque illibata. Vnde lex non pertinet ad eos, qui propter vitae turpitudinem senatu moti, nec vmquam restituti fuerant. His enim vix integra erat existimatio, etiamsi Romae manendi ius esset. (c) *Quid enim*, inquit PLINIVS, (d) *miserius, quam exutum et exemtum honoribus senatoriis, labore et molestia non carere? Quid grauius, quam tanta* IGNOMINIA *adfectum, non in solitudine, sed in hac altissima specula conspiciendum se monstrandumque praebere*? Quemadmodum ergo hi dignitate omni spoliati, nec iudicare, nec testimonium dicere poterant per legem Iuliam repetundarum: (e) ita tantum abest, vt a personarum viliorum nuptiis illis esset abstinendum, vt potius, si quis ante senatoriam dignitatem huius modi vxorem duxisset, eaque ob superuenientem mariti dignitatem vxor esse desiisset, illa postea iterum vxor esse inciperet, simulac maritus amisisset senatoriam dignitatem. (f) Ex eadem ratione huius modi nuptiae illi tantum fraudi erant, qui iam in senatum adlectus, in libertinae vel scenicae mulieris amplexus ruebat. Quare si quis, antequam eam dignitatem esset consequutus, ancillam matrimonii caussa manumisisset, repudio erat locus, quin ipso iure irrita erant sponsalia, quae exitum habere non poterant. De qua specie THEOPHILVS, (g) vnum e veteribus procul dubio sequutus: *is autem*, inquit, *qui matrimonii caussa manumittit, intra sex menses vxorem eam debet ducere, nisi iusta caussa impedierit: veluti, quia manumissor* SENATOR *factus est. Nam senator libertinam vxorem ducere non potest.* Sed quid, si quis ducta iam libertina in senatum cooptaretur? Ne tunc quidem subsistebat matrimonium, quia in eum casum res ceciderat, vnde incipere non posset, adeoque lex PAPIA, vt ait IVSTINIANVS, (h) *inter senatores et libertas stare connubia non patiebatur.* At legi illi derogans idem laudatissimus imperator *firmum manere huius modi matrimonium, vxoremque marito concrescere, et eius fulgorem sentire iussit.*

(a) PLIN. *Lib. X. epist. 3.*
(b) *L. 4. C. Th. de infirm. his, quae sub tyr.*
(c) *L. 4. D. de senat.*
(d) *Lib. II. epist. 12.*
(e) *L. 2. D. eod.*
(f) *L. 27. D. de rit. nupt.*
(g) *§. 5. Inst. qui et ex quib. causs. manum. non poss.*
(h) *L. 28. C. de nupt.*

BIU Cujas

IIII. Nec ſenatores tantum, verum etiam eorum poſteros lex PAPIA POPPAEA tenuit. Sequuntur enim verba: QVIVE FILIVS SENATORIS, NEPOSVE EX FILIO, PRONEPOSVE EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST ERIT. Quamuis enim ſenatorum poſteri non eſſent in ordine ſenatorum: ſpes tamen erat, eos participes fore paternae dignitatis, atque hinc nefas arbitrabatur Auguſtus, ſenatoriam gentem indecoris huius modi nuptiis contaminari. Auctor ſane eſt SVETONIVS, (a) Auguſtum *liberis ſenatorum, quo celerius rei publicae adſueſcerent, protinus virilem togam*, LATVM CLAVVM *inducere, et curiae intereſſe permiſiſſe.* Ab eo tempore et *filii ſenatorum* ante, quam in hunc ordinem promouerentur inſignibus ſenatoriis vtebantur, quum antea, teſte ISIDORO, (b) et rem latius explicante HENR. NORISIO (c) tantum equites eſſent, vſque ad legitimos quibus honores paterent, annos. Ex quo ſimul intelligas, quodnam diſcrimen ſit inter ſenatores IVVENES et HONORIBVS PERFVNCTOS, de quibus quaedam Is. CASAVBONVS ad laudatum Suetonii locum. Participes autem huius decoris erant non ſolum naturales ſenatorum filii, verum etiam adoptiui, (d) ſed hi, quamdiu in familia manebant: emancipati enim nomen filiorum ſenatoris emancipatione amittebant. (e) Neque intererat, iudice VLPIANO, (f) in adoptiuo *a quo*, (id eſt, vti eam phraſin recte interpretatur IAC. PERIZONIVS, (g) ex qua familia, quantumuis humili,) *vel qualiter adoptatus quis eſſet*, neque in naturali, *vtrum, eum pater, iam in ſenatoria dignitate conſtitutus, ſuſceperit, an ante dignitatem ſenatoriam.* Quamuis enim haud raro olim controuerſia inter filios regum ante hanc fortunam et poſtea demum ſuſceptos inciderat, aetatiſne priuilegium, an naſcendi felicitas in ſucceſſore ſpectari debeat: qualem litem apud Perſas inter Xerxem et Arthemenem, Darii filios, (h) nec non Artaxerxem Mnemonem et Cyrum (i) in ipſa denique Germania inter Ottonem M. et Henricum (l) agitatam eſſe, iam a GROTIO (m) obſeruatum eſt: aequius tamen eſt, et ante dignitatem natos ad paternam ſortem adſpirare. Quod principium ſequuti ICti noſtri etiam ante ſenatoriam dignitatem ſuſceptos ſenatorum filios eſſe iudicant. Refragari quidem videtur VALENTIS et GRATIANI conſtitutio, (n) quae mire torſit interpretes acutiſſimos: ſed rem iam expediuit vir eximius, IAC. GOTHO-

(a) *Aug. cap.* 38.
(b) *Orig. Lib. VIII. cap.* 4.
(c) *Cenotaph. Piſan. diſſ.* 11. *cap.* 3. *pag.* 106.
(d) VLP. *Lib. I. L.* 5. *D. de ſenator.*
(e) *L.* 6. *D. de ſenator.*
(f) *Lib. I. L.* 5. *D. eod.*
(g) *Diſſ. de lege Vocon. pag.* 87.
(h) IVSTIN. *Lib. II. cap.* 10.
(i) PLVTARCH. *in Artax. cap.* 2.
(l) *Vita Mathild. cap.* 2.
(m) *De iure bell. et pac. Lib. II. cap.* 7. §. 28.
(n) *L. II. C. de dign.*

BIU Cujas

GOTHOFREDVS, (a) docuitque, legem VLPIANI de honore cum senatorum liberis communicando; constitutionem autem Valentis et Gratiani de oneribus, quae senatorio ordini incumbebant, agere. Quum enim sumtuosus haberetur ordo senatorius, (b) et glebae collatione vel folle, itemque auri oblatitii obligatione premeretur: noluerunt principes hisce oneribus teneri filios senatorum ante dignitatem susceptos, eoque pertinet vexatissima ista *lex* 11. *C. de dignitatibus.* At honores clarissimatus iis non magis inuiderunt, quam Vlpianus, cuius sententiam posterior pars constitutionis diserte confirmat. Vnde nec FR. DVARENVS, (c) nec alii, qui hanc legem interiecta parenthesi interpretati sunt, rem acu tetigisse videntur. Quamuis vero adoptiui senatorum filii per emancipationem, vti diximus, ea patris dignitate exciderent: secus tamen se res habebat, quod ad naturales attinet, qui siue emancipati, siue aliis in adoptionem dati, id decus retinebant, et saltim QVASI SENATORVM FILII censebantur. De emancipatis VLPIANVS: (d) *emancipatum a patre senatore,* QVASI SENATORIS FILIVM, *haberi placet.* Similiter de filio in adoptionem alteri dato PAVLLVS: (e) *a senatore in adoptionem filius datus ei, qui inferioris dignitatis est,* QVASI SENATORIS FILIVS *videtur, quia non amittitur senatoria dignitas adoptione inferioris dignitatis, non magis, quam vt consularis desinat esse.* Huius autem discriminis inter filios senatoris naturales et adoptiuos emancipatos consultissimam hanc habebant rationem, quod ciuile vinculum contrario actu ciuili et legitimo facilius, quam naturale illud ius natalium, dissoluitur. Vere tamen et κυρίως senatoris filium dici haud potuisse naturalem emancipatum, subinnuit VLPIANVS, dum addit sollemne illud iureconsultis QVASI, Stoicis etiam frequentissimum, qui, vbi rei cuidam definitionem nominis vere haud competere intelligebant, illud ΩΣΑΝΕΙ vel QVASI solebant adiicere. Quemadmodum ergo Stoici bruta animantia ὡσανεὶ θυμοῦσθαι, ὡσανεὶ φοβεῖσθαι, ὡσανεὶ βλέπειν, ὡσανεὶ ἀκούειν, ὡσανεὶ φωνεῖν, quin et ὡσανεὶ ζῆν, QVASI *irasci*, QVASI *metuere*, QVASI *videre*, QVASI *audire*, QVASI *vocem edere*, et QVASI *viuere* dicebant, vti est apud PLVTARCHVM: (f) ita apud iureconsultos, Stoae fere addictos, frequentissima sunt *obligationes* QVASI *ex contractu*, vel QVASI *ex delicto*, QVASI *possessio* (g) QVASI *publicae accusationes*, (h) *interdicta* VELVTI *possessoria*, (i) res QVASI *consecratae*

QVASI

(a) *Ad Cod. Th. Tom. II. pag. 9.*
(b) *L. 58. C. Th. de decurion.*
(c) *Disp. anniuers. Lib. II. cap. 29.*
(d) *Lib. I. L. 7. pr. D. de senat.*
(e) *L. 6. §. 2. D. de senat.*
(f) *De sollert. animal.*
(g) *L. 10. pr. D. si seru. vindic.*
(h) *L. 1. §. 6. D. de susp. tut.*
(i) *L. 20. D. de seruit.*

BIU Cujas

(a) QVASI SENATORIS FILIVS, FILIA, NEPOS aliaque huius generis quam plurima.

Ceterum quamuis ex loco PAVLLI non multo ante allegato satis adpareat, senatorio decori, quod tribuebant natales, non offeciſſe adoptionem: inde tamen colligere non debuerunt Io. CORASIVS (b) et BARN. BRISSONIVS, (c) nec nobilitatem patriciam adoptione fuiſſe peremtam. Alia enim erat ordinis ac dignitatis praerogatiua, etiam in adoptionem datis ſalua, aliud ius gentis atque originis, quod vti exſpirabat, vbi patricius a plebeio adoptabatur, ita et in plebeios tranſibat, adoptatos a patriciis. Luculenter id exemplis Cn. Cornelii Coſſi et P. Clodii demonſtrauit laudatiſſimus PERIZONIVS. (d) Nam vt ille per adoptionem ad patres tranſiit, ſummumque Romae magiſtratum eo tempore, quo ad illum plebeii ſibi viam nondum emuniuiſſent, obtinuit: ita hic e gente patricia prognatus, et a plebeio adrogatus, tribunus plebis euaſit, quem magiſtratum per legem ſacratam nemini patrum capere licebat. (e) Idem euincunt exempla Liuiae et Dolabellae, quorum illa per adoptionem duplicis nobilitatis facta eſt particeps: hic per eamdem, teſte DIONE (f), ad plebem tranſiit. De Liuia eleganter TACITVS: (g) *Iulia Auguſta mortem obiit, aetate extrema,* NOBILITATIS per *Claudiam familiam, et* ADOPTIONE *in* LIVIORVM IVLIORVMQVE *clariſſimae.* Erat Liuia ex gente Claudia, et quidem patricia, nec tamen ipſa amplius patricia, ſed plebeia, quia pater Claudius per adoptionem in gentem Liuiam plebeiam tranſierat, VELLEIO ideo dictus *Liuius Druſus Claudianus.* Quum vero haec Liuiorum familia, quamuis plebeia, tamen et ipſa, vti SVETONIVS, (h) ſcribit, *admodum floreret, octo quippe conſulatibus, cenſuris duabus, triumphis tribus, dictatura etiam et magiſterio et equitum honorata:* hac adoptione patris ei nobilitatem acceſſiſſe ait TACITVS, nobilitatem puta imaginum, ob quas κυρίως Romani dicebantur nobiles. Denique et altera adoptione, qua eam genti Iuliae inſeuit Auguſtus, eius nobilitati veluti apicem acceſſiſſe innuit TACITVS, dum iam non ſolum veteres Iuliorum imagines, et fumoſas per atria ceras oſtentare poſſet, verum etiam patriciam nobilitatem veluti poſtliminio recuperaret. Similiter et OVIDIVS, (i) ad Auguſtum:

Hic

(a) CIC. *ad Attic. Lib. XII. epiſt. 30. et 35.*
(b) *Ad L. 35. D. de ſenat.*
(c) *De iure connub. p. 245.*
(d) *Diſſ. de conſtitut. diuin. pag. 84.*
(e) LIV. *Lib. II. cap. 33.*
(f) *Lib. XXXXII. pag. 198.*
(g) *Annal. Lib. V. cap. 1.*
(h) *Tiber. cap. 3.*
(i) *Faſt. Lib. IIII. v. 21.*

BIU Cujas

Hic ad te magna descendit origine mensis,
Et fit ADOPTIVA NOBILITATE *tuus.*

Per adoptionem enim Augustus insertus erat familiae Iuliae et patriciae et nobilissimae. Haec occasione *legis 6. §. 1. de senatoribus*, quorum summa eo redit, quod quidem sanguinis aeque, ac imaginum nobilitas per adoptionem et adquisita sit, et exspirabit: non autem dignitas senatoria, siquidem senatoris filius inferioris dignitatis viro in adoptionem datus, non quidem vere, sed QVASI senatoris filius manere intelligebatur.

An et postumus sit senatoris filius? quaestio pene Domitiana erat. Adfirmabant omnes, si discesseris a LABEONE, (a) qui et hunc QVASI *senatoris filium* adpellare malebat, quippe natum, quum pater, mortalitate interceptus, iam senator esse desiisset. Neque, vti iam dixi, dubitabatur, quin natus ante senatoriam dignitatem, senatoris filius sit, et superueniens patri dignitas etiam in liberos iam ante procreatos transfundatur. (b) Magis vero videbatur ambiguum, an et illi ea dignitas salua sit, qui ex patre senatore conceptus, eodem iam senatu moto, in lucem prodiisset? Respondet VLPIANVS: (c) *sed eum, qui postea, quam pater eius de senatu motus est, concipitur et nascitur, Proculus et Pegasus opinantur,* NON ESSE QVASI *senatoris filium: quorum sententia vera est. Nec enim* PROPRIE *senatoris filius dicetur is, cuius pater senatu motus est, antequam iste nasceretur. Si quis conceptus quidem sit, antequam pater eius senatu moueatur, natus autem post patris amissam dignitatem, magis est, vt* QVASI *senatoris filius intelligatur. Tempus enim conceptionis spectandum, plerisque placuit.* Paullo frigidior, et fere indigna VLPIANI iudicio videri posset ratio, qua Proculi et Pegasi sententiam confirmat. Negarant illi, filium, post amissam dignitatem conceptum et natum, quasi senatoris filium esse. Vlpianus iis adsentitur, addita ratione: *nec enim proprie senatoris filius dicetur is, cuius pater senatu motus est antequam nasceretur.* Siccine ergo ideo non est quasi senatoris filius, quia non proprie senatoris filius est? Sed nihil mutandum, et ratio VLPIANI rectissime se habet. Argumento enim a maiore ad minus ducto, infert: si nec is proprie est senatoris filius, qui post amissam patris dignitatem natus est, tametsi ex senatore conceptus, sed ob conceptionis tempus ille tantum *quasi senatoris filius* intelligitur: quanto minus vlla, vel imaginaria dignitas, concedi potest illi, qui, patre iam senatu moto, et conceptus, et in lucem editus est. Ceterum

(a) VLP. *Lib. I. L. 7. §. 1. D. de senat.*
(b) *L. 2. §. 2. D. de decur.*
(c) *Ibid. L. 7. §. 1. D. de senat.*

BIU Cujas

rum eamdem decisionem VLPIANVS (a) etiam ad decurionum filios protulit, et hos quoque decurionum filios intelligi existimauit, quorum patres dignitatem post conceptionem demum amisissent, quamuis extremis rei publicae temporibus adeo non aegre ferrent filii decurionum, si ea conditione excidisse iudicarentur, vt parentes potius ipsi ob curiarum onera ea lege sese offerrent saepiuscule, *vt a se descendentes tali fortuna liberi permanerent.* (b)

Additur in capite nostro: QVIVE NEPOS EX FILIO PRONEPOSVE EX FILIO NATO CVIVS EORVM EST ERIT. Quamuis enim et alioquin in iure *filiorum* adpellatione omnes liberi, (c) et speciatim nepotes ex filiis, (d) comprehendantur: id tamen iustam rationem tantum habet, vbi de eorum commodo quaeritur, veluti in tutelis testamentariis, vltimisque voluntatibus, non in legibus prohibitiuis ac poenalibus, qualis est PAPIA POPPAEA. Quare eorum diserte mentionem fecere legislatores. Omittunt autem nepotes ex filia, pronepteſque ex nepte senatoris natos, quia feminis per nuptias in aliam transeuntibus familiam, liberi earum non auitam, sed paternam dignitatem sortiebantur. Idque innuit VLPIANVS, (e) dum scribit: *sed si* EX FILIA *senatoris natus sit, spectare debemus* PATRIS *eius conditionem.* Multo minus ea prohibitio ad senatorum matres, sorores, ex sororibus neptes, aliasque necessitudines pertinuit. Quamuis enim Augustorum matres, sorores, aliasque cognatas, Augustarum nomine condecoratas fuisse, praeter PAVLLVM ALEX. MAFFEVM (f) ex nummis obseruarit vir summus, EZ. SPANHEMIVS, (g) et simile quid de imperatorum vxoribus repudiatis demonstrarit PHIL. A TVRRE: (h) id tamen fieri non solebat in senatorum necessitudinibus, de quibus contra Saturninum diserte scribit VLPIANVS: (i) *consulares autem feminas dicimus consularium vxores: adiicit Saturninus etiam matres: quod nec vsquam relatum est,* NEC VMQVAM RECEPTVM. Si quis et patrem et auum habuerat senatores: simul et *quasi* filius, et *quasi nepos* senatoris censebatur, atque hinc si pater amisisset dignitatem, ante conceptionem filii, non *quasi filius* quidem, sed tamen *quasi nepos* intelligebatur senatoris, vti idem tradit VLPIANVS (l).

V. Haec de personis, ad quas lex nostra pertinebat. Sequuntur iam

(a) *L.* 2. §. 3. *D. de decurion.*
(b) *L. vlt. C. de his, qui sponte muner. publ. sub.*
(c) *L.* 84. *D. de verb. sign.*
(d) *L.* 220. §. 1. *et* 3. *D. eod.*
(e) *L.* 10. *D. de senator.*
(f) *Gemm. antiqu. pag.* 43.
(g) *De vsu et praest. num. Diss. XI. pag.* 270. *Tom. II.*
(h) *De annis imper. M. Aur. Ant.*
(i) *L.* 1. §. 1. *D. de senat.*
(l) *Lib. I. L.* 7. §. 2. *D. eod.*

BIU Cujas

iam verba : NE QVIS EORVM SPONSAM VXOREMVE SCIENS DOLO MALO HABETO. Non ſolum ergo nuptias, ſed et ſponſalia cum mulieribus vilioris conditionis facere nefas videbatur. Regulam enim illam iuris omnes probabant, quod quibuſcum nullum ſit connubium, eas nec ſponſas habere liceat. (a) Hinc MODESTINVS : (b) *ſcias tamen, quod de nuptiis tractamus, et ad* SPONSALIA *pertinere.* Et VLPIANVS (c) fere ſimilia monet de SC. ad legem Papiam Poppaeam facto, quod licet de nuptiis tantum loquatur, tamen et ad ſponſalia ſit proferendum.

Nec ſine ratione additur : SCIENS DOLO MALO. Si quis enim ſenator bona fide ac per errorem ſeſe huius modi nuptiis polluiſſet, nihil admiſiſſe videbatur contra legem, ſed ex tali matrimonio, quod putatiuum vocant doctores, iuſti naſcebantur liberi. Quam in rem eleganter VLPIANVS : (d) *in poteſtate parentum ſunt etiam ii liberi, quorum cauſſa probata eſt,* PER ERROREM *contracto matrimonio, inter* DISPARES *conditione perſonas.* Quo et alii pertinent iuris noſtri textus, (e) ex quibus recte colligunt prudentes, veniam huius modi nuptias per errorem contractas mereri : quamuis, detecto errore, nuncium mitti oportuiſſe mulieri, quam per hanc legem ſenatori vxor eſſe non poterat, facile eſt ad intelligendum. Quin ab Antonino Pio, teſte MARCIANO (f) reſcriptum fuerat, *ſi libertina ſenatorem deceperit, quaſi ingenua, et ei nupta ſit, ad exemplum praetoris edicti, dandam in eam actionem, quia ex dote nullum lucrum habeat, quae nulla eſt.*

VI. Vt vero ipſas feminas, quarum a nuptiis abſtinendum erat ſenatoribus, ſenatorumque filiis et nepotibus, paullo adcuratius contemplemur : lex primo nominatim ab eorum thalamis arcet LIBERTINAS, idque et a CELSO, (g) et DIONE CASSIO (h) eſt obſeruatum. Rei origo paullo altius repetenda. Antiquiſſimis temporibus in ſenatum non niſi patricii generis viri adlegebantur, et his nefas videbatur, vxores ducere plebeias, vel filias ciuibus plebeiis nuptum collocare, quamuis honeſtiſſimis. Vnde et in vndecimam tabulam decemuiralem lex immigrauerat ; *μὴ ἐξεῖναι τοῖς πατρικίοις πρὸς τὰς δημοτικὰς ἐπιγαμίας συνάψαι, ne connubii patribus cum plebe ius eſſet.* (i) Et eo iure vtebantur Romani, quamdiu inter patres et plebeios fluctuabat res publica, et quamuis ea lex, vti obſeruat DIONYSIVS, eum in finem potiſſimum

(a) *L.* 60. §. 5. *D. de rit. nupt.*
(b) *L.* 15. *D. de ſponſ.*
(c) *L.* 16. *D. eod.*
(d) *Fragm. tit.* 7. §. 4.
(e) *L.* 22. §. 13. *D. ſol. matr. L.* 3. *C. eod.*
(f) *L.* 58. *D. de rit. nupt.*
(g) *L.* 22. *D. de rit. nupt.*
(h) *Lib. LIIII. pag.* 531.
(i) DIONYS. HAL. *Lib. X. cap.* 69.

BIU Cujas

tissimum lata esset, *ne familiis coniugii atque adfinitatis vinculo consociatis, ordines in concordiam coirent:* caussam tamen interserebant patricii, nefas esse ac sacrilegio proximum, sacra gentium, quorum κοινωνοὺς, ex Romuli instituto, vxores, in manum conuenientes, fieri oportebat, plebeiis euulgari, et fieri promiscua. Hinc apud LIVIVM (a) Canuleio, abrogaturo illam legem decemuiralem, occlamant patres: *quas quantasque res Canuleium adgressum? colluuionem gentium,* PERTVRBATIONEM AVSPICIORVM *publicorum priuatorumque adferre. Quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi vt ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis patrumque? vt qui natus sit, ignoret, cuius sanguinis,* QVORVM SACRORVM *sit, dimidius patrum sit, dimidius plebis, nec secum quidem ipse concors.* Nec ignotum est factum Virginiae, quam, licet mutato isto iure, matronae tamen arcebant sacris, quod, patricia quum esset, gente enupta in manum conueniisset plebeio consuli, Volumnio. (b) Sic aliquamdiu nulla erant inter patres plebemque connubia, donec haec, pertaesa huius contemtus, et, tribuniciis instincta furoribus, fremere, et legem illam abrogatam velle coepit. Et peruicit demum anno v. c. 310. Canuleius, tribunus plebis, qui non prius miscere omnia ac turbare desiit, quam patribus hanc extorsisset victoriam, legemque de promiscuis patrum plebeiorumque nuptiis, illis nec quidquam frendentibus, pertulisset. (c)

Ex eo ergo tempore nec patricii plebeiarum, nec plebeii patriciarum nuptias adspernabantur, idque vtrosque postea minus piguit, quum paullatim etiam consulatus, praetura, senatoria dignitas, ipsaque sacerdotia cum plebe communicarentur. Hinc, quamuis ex eo tempore nouum nasceretur discrimen inter ordines, senatorium, equestrem, et plebeium: nullum tamen inter hos certamen ob connubia vmquam coortum est. Omnes tamen ordines vltro, et veluti ex compacto a libertinarum nuptiis abstinebant, neque eas dignas ciuium Romanorum amplexibus iudicabant, quae vix e seruili conditione, ad quam eas vel belli, vel natalium fortuna depresserat, emersissent. Hinc anno v. c. 566. Hispalae Fecenniae libertinae, id extra ordinem, et per modum priuilegii, SCto concessum esse, refert LIVIVS, (d) *vti ei* INGENVO NVBERE *liceret, neu quid ei, qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiaeue esset.* Libertinae autem non intelligebantur ex manumissis natae, sed ipsae manumissae. Illae enim tamquam ingenuae ingenuis impune nubebant, nec, qui eas duxerant, aliquid admississe videbantur

contra

(a) *Lib. IIII. cap.* 51.
(b) LIV. *Lib. X. cap.* 23.
(c) LIV. *Lib. IIII. cap.* 5.
(d) *Lib. XXXVIIII. cap.* 19.

BIU Cujas

contra bonos mores. Quod adeo verum est, vt M. Porcius Cato, vir recti exempli, *coloni sui filiam, sed ingenuam*, ducere non dubitarit, si fides est M. SENECAE. (a) Quare adfectui, vt solebat, indulsisse dixeris CICERONEM, (b) dum M. Antonio tam grauiter exprobrat matrimonium cum libertini filia contractum. *Sed hoc*, inquit, *idcirco a te commemoratum puto, vt te infimo ordini commendares, quum te omnes recordentur* LIBERTINI GENERVM, *et liberos tuos nepotes Q. Fadii, libertini hominis, fuisse.* Quasi enim turpius fuerit Antonio, quam Catoni, libertino natam in torum adsciscere: aut quasi ignominia vlla comitata sit nuptias, quas Antonius exemplo tam illustri tueri potuisset.

Ad extrema ergo liberae rei publicae tempora nec senatores, nec reliqui ingenui, libertinarum commixtione contaminare ausi fuerant ingenuum sanguinem. Augustus vero primus plebeiis quidem eas nuptias, vti paullo post dicemus, permisit, ἐπειδὴ πολὺ πλεῖον τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεως τοῦ εὐγενοῦς ἦν, *quoniam masculi ingenui numerum ingenuarum feminarum multum anteibant*, vti ait DIO CASSIVS: (c) non autem senatoribus, senatorumque liberis, ne amplissimus iste ordo infimae huius colluuiei consortio vilesceret. Quod adeo verum est, vt Nero, (d) quem nullius probri pudebat, non putaret tamen, se Acten, libertam, sine infamia ducere posse, nisi aliquot consulares viros summitteret, qui eam regio genere ortam peierarent.

Neque tamen LIBERTINA videbatur, quae vel natalium restitutionem, vel ius saltim aureorum annulorum beneficio principis fuerat consequuta: (e) siquidem tunc censebatur ingenua, adeo vt restitutio natalium etiam iura patronatus exstingueret, παλιγγενεσία ideo dicta imperatori nostro IVSTINIANO. (f) Sed et ea, iudice VLPIANO, (g) *accipiebatur ingenua, de qua sententia lata fuerat, quamuis esset libertina, quia res iudicata pro veritate accipitur.* Quod tamen caue ita intelligas, ac si, etiam pellucente dolo, in perpetuum valuerit sententia, constiteritque senatoris cum libertina, quam ingenuam autumauerat, matrimonium. Alia omnia enim ex iis legibus discimus, in quibus *libertus, iudicatus ingenuus, collusione detecta, conditioni suae reddi, et beneficium aureorum annulorum* AMITTERE, (h) *collusio post sententiam intra quinquennium* RETRACTARI, (i) *quin decretum, quo, non iusto*

(a) *Controu. Lib. III. cap. 21.*
(b) *Philipp. II. cap. 2.*
(c) *Lib. LIIII. pag. 531.*
(d) SVETON. *Ner. cap. 28.*
(e) *L. 4. D. de iur. aur. annulor.*
(f) *Nou. LXXVIII. cap. 1.*
(g) *Lib. I. L. 25. D. de stat. hom. L. 207. D. de reg. iur.*
(h) *L. 1. §. 1. D. de iur. aur. annulor.*
(i) *L. 2. pr. et §. 2. D. de coll. det.*

BIU Cujas

contradictore, quis ingenuus pronunciatus est, perinde INEFFICAX *esse*, dicitur, *ac si nulla iudicata res interuenisset.* (a) Rem ergo omnem alio loco ita explicat VLPIANVS: (b) *si libertinus per collusionem fuerit pronunciatus ingenuus, collusione detecta, in quibusdam caussis, quasi libertinus incipit esse:* MEDIO *tamen* TEMPORE, *antequam collusio detegatur, et post sententiam de ingenuitate latam, vtique* QVASI INGENVVS *accipitur.* Itaque et libertina, pronunciata ingenua, a tempore latae sententiae, vsque dum collusio detegeretur, habebatur quasi ingenua, adeoque nuptiae cum ea contractae eatenus ratae erant, vt nec senatori, qui eam duxerat, nec liberis, ante detectam collusionem eo ex matrimonio natis id fraudi esset: attamen non subsistebat matrimonium in posterum, sed statim, tamquam illegitimum, erat rescindendum, simulac de vera mulieris conditione constaret. Accurate hoc modo rem exposuit vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, (c) quum vulgus interpretum ad has leges longissimum tractatum instituere soleat, de perpetua rei iudicatae auctoritate, ad quam tamen, tametsi nemo rem ipsam vocet in dubium, non pertinet illud ex VLPIANI commentariis superstes fragmentum.

VII. Praeter libertinam nec eam sponsam vxoremue habere poterat senator, QVAE IPSA, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACERET, FECERIT. Nefas ergo erat, senatoris thorum inscendere mulierem, quae mercede conducta in scenam iuerat, parumque interesse videbatur, siue ante istud matrimonium, siue iam sponsa vxorue senatoris, artem illam ludicram fecisset. Nam et hoc casu eam dimittendam esse, docet PAVLLVS. (d) Quod ita procul dubio intelligendum, si in scenam vere prodiisset: alias enim sola locatio operarum non perimebat famam, (e) praeterquam si quis ad bestias depugnandas animam locasset, quo casu et voluntas sine facto adprehendebatur. (f) Nec ipsius tantum mulieris quaestus hasce nuptias impediebat, verum etiam parentum turpitudo fraudi erat filiabus, si pater materue eam artem fecisset, siue naturalis pater, siue adoptiuus, (g) siue filia adhuc in eius potestate esset, siue emancipata, dummodo pater esset legitimus, quod non exigebatur in matre, cuius ars ludicra filiae etiam vulgo conceptae oberat ex sententia OCTAVENI. (h) Quin si vel maxime pater materue artem illam, olim factam, facere iam dudum desiissent: tamen et pristinae turpitudinis memoria fraudi erat

(a) *L.* 3. *D. eod.*
(b) *Lib.* I. *L.* 4. *D. eod.*
(c) *Ad L.* 207. *D. de reg. iur.*
(d) *Lib.* I. L. 44. §. 7. *D. de rit. nupt.*
(e) *L.* 3. *D. de his, qui not. infam.*
(f) *L.* 1. §. 6. *D. de postul.*
(g) *Ibid. L.* 44. §. 4. *D. eod.*
(h) *Ibid.* §. 3.

BIU Cujas

erat filiae nupturae senatori vel senatoris filio. Neque enim aboleri videbatur turpitudo postea intermissa, (a) idque sibi volunt verba: FACIT, FECERIT. Contraria tamen esse videbatur legis sententia de ea, cuius pater adoptiuus ante adoptionem, vel cuius pater naturalis ante filiae natiuitatem artem ludicram fecisset, vel quae ab eius modi ludione adoptata, per emancipationem deinde eius familia excessisset. (b) Tam rigida enim sanctio interpretatione adiuuanda haud videbatur. Vnde iureconsulti nec nepti id fraudi esse iudicabant, si auus mercede conductus prodiisset in scenam, (c) quamuis alioquin in iis, quae benigne constituuntur, patris nomine etiam auum demonstrari, recte IVLIANVS (d) obseruet. Quin ob eamdem rationem iniquissimum putabant, senatorem cogi dimittere vxorem ingenuam, cuius pater materue, contracto iam inter filiam et senatorem matrimonio, populo spectaculo esse coepissent, quum nuptiae honeste contractae, et iam fortasse liberi essent procreati. (e) Ita haec legis verba interpretantur veteres iureconsulti.

At quaenam est illa ARS LVDICRA, quam tanta cum ignominia coniunctam esse Romani existimabant? Id patet ex edicto praetoris, quo iam pridem de huius modi ludionibus ita cautum fuerat: (f) INFAMIA NOTATVR, QVI ARTIS LVDICRAE PRONVNCIANDIVE CAVSSA IN SCENAM PRODIERIT. Infamiae ergo nota haerebat omnibus, quicumque saltandi, gesticulandi, pronunciandiue caussa operas suas in scenam locauerant. Scena vero, definiente LABEONE (g) est, *quae ludorum faciendorum caussa, quolibet loco, vti quis consistat, moueaturque spectaculum sui praebiturus, posita sit in publico priuatoue, vel in vico, quo tamen passim homines spectaculi caussa admittantur.* Nec sine ratione additur: QVI OPERAS LOCASSENT. Nam hos demum, qui quaestus caussa in certamina descendebant, quique propter praemium in scenam prodibant, famosos esse, non solum PROCVLVS et NERVA responderunt, (h) sed et iam olim obseruauit CORNELIVS NEPOS, (i) dum diuersos Graecorum Romanorumque mores miratus: *nulla*, inquit, *Lacedaemoni tam est nobilis vidua, quae non in scenam eat, mercede conducta. Magnis in laudibus fuit tota Graecia, victorem Olympiae citari: in scenam vero prodire, et populo esse spectaculo, nemini in iisdem gentibus fuit turpitudini. Quae omnia apud nos, partim* INFAMIA, *partim humilia*

(a) VLP. *Lib. I. arg. L. 43. D. eod.*
(b) PAVLL. *d. L. 44. §. 5. D. eod.*
(c) *Ibid. §. 2. D. eod.*
(d) *L. 20. D. de verb. signif.*
(e) PAVLL. *d. L. 44. §. 6. D. de rit. nupt.*
(f) *L. 1. D. de his, qui not. iur.*
(g) *L. 2. §. 5. D. eod.*
(h) *d. L. 2. §. 5.*
(i) *Prooem. §. 4. 5.*

BIU Cujas

lia atque ab honeſtate remota ponuntur. Mercenarii huius modi ludiones erant *mimi*, *pantomimi*, *hiſtriones*, ὀρχησταὶ, omniumque viliſſimi *gladiatores*, et *beſtiarii* vel *arenarii*, qui leui auctoramento animam gladio vel beſtiis addixerant; non autem *athletae*, qui virtutis cauſſa exercebantur; nec *thymelici*, qui muſicae ſcenicae praefecti lyris tibiiſue praecinebant; nec *xyſtici*, qui in xyſto, id eſt, in porticu, per hiemem, tectis ſpatiis, exercebantur, (a) nec *agitatores*, id eſt, aurigae, qui ſe in ludis Circenſibus curuli certamine exercebant, quique equis aquam, non refocillandorum, ſed luſtrandorum eorum cauſſa, ſpargebant, vti ex CHARISIO et HIERONYMO praeclare docuerunt PHIL. RVBENIVS (b) et GER. NOODT (c), nec *deſignatores*, qui ludis funebribus praeerant, nec ἐραβευταὶ, nec vlli denique, qui *certaminibus ſacris* deſeruiebant. (d) Omnia haec iam ab aliis explicata ſunt ſatis. Nos iam id monemus tantum, *certamina ſacra* vel ἱεροὺς ἀγῶνας adpellari, teſte IVLIO POLLVCE, (e) ὧν τὰ ἆθλα ἐν στεφάνῳ μόνῳ, *quorum praemium in ſola corona conſiſtit*, qualia apud Graecos erant Olympica, Pythia, Nemea, Iſthmia; Neapoli ὁ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν, in honorem Auguſti inſtitutus: (f) quod certamen deinde et Romae ſub nomine certaminis quinquennalis inſtituit Nero, (g) a Gordiano deinde, teſte AVRELIO VICTORE (h) inſtauratum. Quum ergo his certaminibus et ingenui ciues intereſſent, iiſque pantomimi, aliique famoſi ludiones prohiberentur, (i) nec denique, ea homines mercede conducti, ſed corona contenti, virtutis cauſſa, et in honorem deorum, ſubirent: factum eſt, vt eos, qui certaminibus his interfuiſſent, ab infamiae nota immunes eſſe ſtatuerent iureconſulti: quamuis poſtea, quum ob Chriſtianam doctrinam euiluiſſet illa ludorum ac certaminum religio, (l) etiam thymelici, et agitatores infamia notari coeperint. (m) Sed et Atellanorum actores artem ludicram facere non videbantur, ſiquidem et id ludorum genus, ab Oſcis acceptum, iuuentus ingenua tenuerat, non paſſa illud ab hiſtrionibus pollui. (n) Hinc notae vacui eorum actores, nec tribu mouebantur, neque repellebantur a ſtipendiis militaribus: quum alioquin omnes hiſtriones, teſtibus TERTVLLIANO et

(a) COEL. RHOD. *Lect. ant. Lib. XI. cap. 52.*
(b) *Elect. Lib. II. cap. 18.*
(c) *Comment. ad D. Lib. III. tit. 2. p. 76.*
(d) L. 4. *pr. et* §. 1. *D. de his, qui not. infam.*
(e) *Onomaſt. Lib. III. cap. 30. n. 8.*
(f) SVET. *Aug. cap. 98. Claud. cap. 11.*
(g) TACIT. *Annal. Lib. XV. cap. 20.*
(h) *In Gordian.*
(i) TACIT. *ibid. cap. 21.*
(l) SALVIAN. *de gubern. Dei, Lib. VI. pag. 105.*
(m) L. 4. *C. de ſpectac.*
(n) LIV. *Lib. VII. cap. 2.* VAL. MAX. *Lib. II. cap. 1.*

BIU Cujas

(a) et AVGVSTINO, (b) tribu exeſſe iuberentur, et milites plane capitis ſubirent diſcrimen, qui operas in ſcenam locaſſent. (c)

Tantus artis ludicrae contemptus ab ipſa eius origine repetendus eſt. Non Romanum hoc erat inſtitutum, ſed peregrinum, et ſemper initio in vrbe ludis locare operas ſolebant Graeculi, Oſci, Thuſci, aliique aduenae. Primum illud ſcenicum ludicrum ex Hetruria accitum fuerat Romam anno v. c. 340. quum peſtilentia vrbem populante, inter coeleſtis irae placamenta illud vouiſſent magiſtratus (d): obſeruatque LIVIVS, (e) *nouam tunc rem bellicoſo populo viſam, quia* CIRCI *modo ſpectaculum antehac fuerit.* Omnia vero peregrina inſtituta, quantumuis in vrbem accita, vilia ſemper viſa ſunt genti togatae, veluti Gallorum matris deum, quos Mamercus Aemilius Lepidus conſul vix iure communi frui patiebatur, item ſacrorum Iſidis, Anubis, fanatici Bellonae cultus (f), et ſimilium. Eadem de cauſſa Romani ita adſpernabantur peregrinos iſtos ludiones, vt nemo ciuium tam vili arte quaeſtum facere auderet, ad tempora vſque Neronis, quibus ſenatores apud TACITVM: (g) *maiores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortuna, quae tum erat: eoque a Tuſcis accitos hiſtriones, a Thuriis equorum certamina, et poſſeſſa Achaia Aſiaque, ludos curatius editos, nec quemquam Romae, honeſto loco ortum, ad* THEATRALES ARTES DEGENERAVISSE. Hinc, quamuis his ſpectaculis, inſtructius exhibitis, oculos paſcere ſolerent Romani: tamen, quia vix aliorum, quam peregrinorum, libertinorum, quin et ſeruorum (h) et meretricum (i) opera ad ea exhibenda vtebantur, ipſos actores contemnebant, quin et infamia notabant conductitiam illam, quae ſui ſpectaculum praebebat, colluuiem. Cicero ſane laudans Roſcium hiſtrionem, eum, teſte AVGVSTINO (l), *tam peritum* dicit, *vt ſolus eſſet dignus, qui in ſcenam deberet intrare, ita virum bonum, vt ſolus eſſet dignus, qui* EO NON DEBERET ACCEDERE: oſtendens ſane hoc ipſo, ſcenam eſſe tam turpem, *vt tanto minus ibi eſſe homo debeat, quanto magis ſit vir bonus.* Quum paullatim ita degenerare coepiſſet Romanorum virtus, vt hiſtriones, trigarios, pantomimos, etiam principes in re publica viri domi ſalutare, exeunteſque comitari ac deducere non dubitarent: decretum ſub Tiberio a ſenatu eſt, *ne domos pantomimorum*

(a) *De ſpectac. pag. 699.*
(b) *De ciu. Dei, Lib. II. cap. 27.*
(c) L. 14. *D. de poen.*
(d) VALER. MAXIM. *Lib. VII. cap. 7. §. 6.*
(e) *Lib. VII. cap. 2.*
(f) LAMPRID. *Commod. cap. 9.*
(g) *Annal. Lib. XV. cap. 21.*
(h) L. 34. *D. ad edict. aedilit.*
(i) LIPS. *Elector. Lib. I. cap. 2.*
(l) *De conſenſu euang. Lib. I. cap. 33.*

BIU Cujas

senator introiret, neue egredientes in publicum equites Romani cingerent. (a) Nondum enim eo licentiae delapsus fuerat princeps terrarum populus, vt et equites Romani, quin ipsi senatores, senatorumque filii operas non scenae tantum, verum et arenae promitterent, quod sub Nerone factum esse, refert TACITVS. (b) Quum ergo leges ipso congressu ludionum senatores arcerent: nemini profecto videbitur mirum, multo minus Augustum dignos illos habere potuisse senatorum adfinitate: maxime quum in eo cum lenis et prostibulis pari conditione vterentur ludicram artem facientes feminae, quod cum iis stuprum non committeretur, multaeque vel ideo operas in scenam locarent, vt ne adulterii accusari possent: quarum tamen fraudem SCto repressam esse, testatur PAPINIANVS. (c)

VIII. Hactenus de senatorum, filiorum, nepotumque, senatorii ordinis parentibus vel auis prognatorum, nuptiis. Iam ad eorumdem filias, neptes, pronepteſque progrediuntur legislatores, eodemque primo capite, (totam enim hanc periocham CAPVT legis Iuliae vocat PAVLLVS,) ita pergunt: NEVE SENATORIS FILIA, NEPTISVE EX FILIO, PRONEPTISVE EX NEPOTE FILIO NATO NATA. Ita filiarum quoque senatorum ordinis virorum rationem habebat lex PAPIA POPPAEA. Liberos enim senatorum auctores nostri non tantum accipiebant senatorum filios, verum etiam omnes, qui geniti ex ipsis, exque liberis eorum dicebantur, siue naturales essent, siue adoptiui liberi senatorum, ex quibus nati dicerentur. (d) Vnde et senatorum filiae, neptes ac proneptes feminae clarissimae erant, dignitateque paterna ac auita perfruebantur, sed non nisi innuptae. Qua de re VLPIANVS: (e) *clarissimarum feminarum nomine senatorum filiae, nisi quae viros clarissimos sortitae sunt, non habentur. Feminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt: parentes vero, donec plebei nuptiis fuerint copulatae. Tamdiu igitur clarissima femina erit, quamdiu senatori nupta est, vel clarissimo: aut separata ab eo, alii inferioris dignitatis non nupserit.* Nonnumquam tamen et e plebeio natae, vel et senatoris filiae, plebeiis nuptae, vel denique primum nuptae viris clarissimis, sed, iis mortuis, plebeiis in manum conuenientes, consularis vel senatorii coniugii ornamenta a principe impetrabant. Quemadmodum enim sub imperatoribus ii etiam, qui numquam fasces tenuerant, CONSVLARIBVS vel PRAETORIIS ORNAMENTIS,

(a) TACIT. *Annal. Lib. I. cap. 77.*
(b) *Annal. Lib. XIIII. cap. 14. et Lib. XV. cap. 32.*
(c) **L. 10. §. 2. D.** *ad leg. Iul. de adult.*
(d) **L. 10. D.** *de senat.*
(e) **L. 8. D.** *eod.*

BIU Cujas

MENTIS, qui numquam triumpharant, TRIVMPHALIBVS INSIGNIBVS condecorari, immo et ornamenta AEDILITIA, DVVMVIRALIA, QVATVORVIRALIA, DECVRIONALIA, vti ex marmoribus liquet, permultis tribui coeperant: ita demum inualuit, vt et feminae, quae ob imparem mariti dignitatem senatorii decoris exsortes per leges erant, CONIVGII SENATORII, immo et consularis, et principalis ORNAMENTA consequerentur. Quae LAMPRIDIVS (a) etiam obseruat ab antiquis Imp. adsinibus data. Vnde VLPIANVS (b) *speciosas personas* non solum vocat *clarissimas* VTRIVSQVE SEXVS, *verum et eos, qui* ORNAMENTIS SENATORIIS *vtuntur*. Ea non numquam et vilissimis personis dedisse Elagabalum, LAMPRIDIVS, (c) et in excerptis Peirescianis (d) DIO CASSIVS testantur. Sed et VLPIANVS: (e) *nuptae prius*, inquit, *consulari viro, impetrare solent a principe, quamuis perraro, vt nuptae iterum minoris dignitatis viro, nihilominus* IN CONSVLARI MANEANT DIGNITATE: *vt scio Antoninum, Augustum, Iuliae Mammaeae, consobrinae suae, indulsisse*. Quo et Lucillae, L. Veri viduae, pertinet exemplum, quae HERODIANO, (f) referente, amisso viro principe, Pomponio, priuato, nupta sellam imperatoriam, aliosque honores, Commodi imperatoris indulgentia, retinuit.

Contra lex non pertinebat ad eas senatorum filias, quae ipsae corpore quaestum fecerant, aut iudicio publico fuerant damnatae. Hae enim impune nubebant libertinis, *nec honos*, vt ait PAVLLVS, (g) *seruatur ei, quae se in tantum foedus deduxerat*. Quae alii de his verbis disputent, iam notauit CAR. ANDR. DVKERVS (h). Ego aliquando legendum putaui: *quae se in tantum foede* (vel, vt in CHARONDAE codice quodam fuit: *foedius*) *deduxit*. *In tantum* enim scriptoribus horum temporum est frequentissimum pro *adeo*, vti exemplis docuit PET. BVRMANNVS, (i) nec iureconsultis nostris hanc loquutionem ignotam esse, iam ERASMVS VNGEPAVERVS (l) obseruauit. *Deducere* vero hic item, quod demittere, vt sensus sit, non seruari honorem filiae senatoris, quae se ad tantum probrum demiserit, vt quaestum corpore faceret, vel adulterio sese pollueret. Et quid facilius, quam vt librarius geminatione deceptus pro *foe DEduxit*, scriberet *in tantum foede deduxit*, et corrector ineptus pro *foede* reponeret *foedus*, quod antecedens *in tantum* postulare videbatur? Similes sane correctiones in ipso

(a) *Elagab. cap. 4.*
(b) *L. 101. D. de verb. signif.*
(c) *Elagab. cap. 4.*
(d) *pag. 766.*
(e) *L. 12. D. de senat.*
(f) *Lib. I. cap. 20.*
(g) *Lib. II. L. 47. D. de rit. nupt.*
(h) *De Latinit. vet. ICt. p. 345.*
(i) *Ad VELLEI Lib. I. cap. 13. n. 5.*
(l) *Exerc. iust. III. quaest. 6.*

BIU Cujas

Florentino codice haud paucas obseruauit vir eximius, HENR. BRENCMANNVS (a) non ad neptes e filia senatoris, nec ad proneptes e nepte senatoris natas, sed ad NEPTES E FILIO PRONEPTESVE EX NEPOTE FILIO NATO NATAS. Quum enim dignitas illa filiarum per nuptias, cum inferioris dignitatis viris contractas, exspiraret: (b) non poterat sane ea ad natas ex filiabus neptes pronepteſque propagari. Vnde contra morem maiorum egit T. Ollii filia, dum, vt supra narrauimus, pertaesa paternae conditionis, consulare ac triumphale aui materni decus adfectauit, et Poppaea Sabina, quam Ollia, dici maluit, (c) vt consulare ac triumphale aui decus ad se raperet.

VIIII. Primo ergo non poterat harum vlla LIBERTINO SPONSA NVPTAVE DOLO MALO ESSE. *Libertinos* vero lex vocat, non sensu vetere, quem SVETONIVS (d) notauit, ingenuos ex libertis procreatos, sed ipsos manumissos. Hos enim indignos senatorum adfinitate vel ipsa reddebat pristinae seruitutis memoria. Vnde nec adrogatio ipsis proderat, qua in familiam ingenui transiissent, (e) quia et ita non exstinguebatur memoria pristinae conditionis. Quin nec facile permittendas eius modi adrogationes censebat MASVRIVS SABINVS apud GELLIVM, (f) quibus libertini ordinis homines iura ingenuorum inuaderent. Quare et Claudium imp. non effugisse reprehensionem, SVETONIVS refert, (g) *quum libertini filio latum clauum tribuisset, quamuis ab* EQVITE ROMANO *prius* ADOPTATO. Quod si tamen libertus vel ius aureorum annulorum, (h) vel restitutionem natalium impetrasset, vel de eius ingenuitate lata fuisset sententia: tunc vero idem obtinebat, quod supra de libertinis feminis obseruauimus, quaeque hic repeti nihil attinet. Neque opus est interpretatione verborum: EIVE, QVI IPSE, CVIVSVE PATER MATERVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT: quum eadem iam ad priorem capitis partem fuerint explicata. Illud vero nouum huic periochae accedit, quod mutua ac reciproca est haec prohibitio, et hinc postremo additur: NEVE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXOREMVE EAM HABETO. Nimirum dignus animaduersione erat senator, senatorisue filius vel nepos pronepossue, quem in libertinae aut alterius vilissimae feminae amplexus ruere non puduisset: at ignoscendum quodammodo videbatur feminae, quae spe melioris

(a) *Hist. Pand. Flor. Lib. II. cap. 6. pag. 164.*
(b) MARCELL. *Lib. I. L. 8. D. de agn. liber.*
(c) TACIT. *Annal. Lib. XIII. cap. 45.*
(d) *Claud. cap. 24.*
(e) MARCELL. *Lib. I. L. 32. D. de ritu nupt.*
(f) *Lib. V. cap. 19.*
(g) *Claud. cap. 24.*
(h) VLP. *Lib. I. L. 6. D. de iur. aur. ann.*

BIU Cujas

melioris conditionis pellecta, tam honorificas sibi nuptias conditionemque pinguissimam haud repudiasset. Contra vbi libertinus duxerat filiam senatoris, vtriusque dolus atque impudentia poenam merebatur: illius, quod, quum contractus hic a sponso incipere soleat, huius modi nuptias adfectasset; huius, quod, immemor natalium, senatorium sanguinem libertini consortio non dubitasset polluere.

X. Periocham hactenus explicatam CAPVT legis Iuliae vocat PAVLLVS: (a) atque inde colligo, de reliquis ingenuis non eodem capite, vti GOTHOFREDO visum, sed secundo fuisse actum. Et quidem ita de iis sanxerat Augustus, vt primum de nuptiis ingenuo permissis, ac deinde de matrimonio, eidem prohibito, caueret. Prior ergo capitis secundi pars talis fuisse videtur:

> OMNIBVS *reliquis* INGENVIS PRAETER SENATORES, EORVMVE LIBEROS, LIBERTINAM VXOREM HABERE LICETO, *neue quid eis, qui duxerint, liberisue ex eo matrimonio natis fraudi ignominiaeue esto.*

Ita sane huius sanctionis argumentum DIO expressit: (b) ἐπειδὴ δὲ πολὺ πλεῖον τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεος τοῦ εὐγενοῦς ἦν, ἐπέτρεψε καὶ ἐξελευθέρας τοῖς ἐθέλουσι, πλὴν τῶν βουλευόντων ἄγεσθαι, ἔννομον τὴν τεκνοποίαν αὐτῶν εἶναι κελεύσας: *ac quoniam masculi ingenui numerum ingenuarum feminarum multum superabant; liberum fecit, vt qui vellent, modo senatores non essent,* LIBERTINAS DVCERE *possent, eorumque liberos legitimos esse iussit.* Et breuius CELSVS noster: (c) LEGE PAPIA *cauetur, omnibus ingenuis, praeter senatores, eorumque liberos,* LIBERTINAM *vxorem habere licere.* Libertinas olim vxores ne quidem a plebeiis ingenuis duci potuisse, iam supra ostendimus. At ab Augusti temporibus licita haec matrimonia fuere, non modo inter ingenuum et libertam alienam, (hanc enim, si honeste viueret, vxorem quidem, sed non concubinam quis habere poterat, nisi testatione ea de re diserte interposita, (d) modo patronus, tamquam tutor legitimus, auctor fieret: verum etiam inter patronum et libertam, ab eo manumissam. Quamuis enim honestius VLPIANO (e) videatur, libertam concubinam, quam matrem familias habere: id tamen non ita intelligendum est, vti vulgo interpretantur, ac si infamiae vel ignominiae quid habuissent patroni cum liberta nuptiae, sed sensus est, si liberta, diuortens a patrono,

(a) *Lib. I. L. 24. pr. D. de rit. nupt.*
(b) *Lib. LIIII. pag. 531.*
(c) *Lib. XXX. L. 23. D. de ritu nupt.*
(d) *L. 3. pr. D. de concub.*
(e) *L. 1. pr. D. eod.*

BIU Cujas

trono, alteri esset nuptura, et alteram conditionem praelatura patroni nuptiis: id non esse concedendum, quum honestius sit patrono, eius libertam alteri se in concubinatum dare, quam inuito illo nubere. Quare nec illegitimum, nec indecorum erat patroni cum liberta connubium, postquam id ratum esse iusserat lex Papia Poppaea. Et hinc tot exstant marmora, in quibus laudantur LIBERTAE ET CONIVGES OPTIMAE BENEQVE MERENTES, (a) CONIVGES ET LIBERTAE KARISSIMAE, (b) FIDELISSIMAE ET BENE MERENTES, (c) DVLCISSIMAE, (d) AMANTISSIMAE, (e) INCOMPARABILES. (f)

Equidem existimare quis posset, ius hoc libertas ducendi vxores, non ex lege Papia, esse, sed iam anno v. c. 755. quo et legem Iuliam perlatam diximus, per legem AELIAM SENTIAM patronis concessum? Eo enim referri posse videntur verba IVSTINIANI: (g) *eadem lege* AELIA SENTIA *domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, quam si vindicta, apud consilium, iusta causa manumissionis adprobata, fuerint manumissi. Iustae autem manumissionis causae haec sunt, veluti si quis ancillam* MATRIMONII CAVSSA *manumittat, dum tamen intra sex menses in vxorem ducat, nisi iusta causa impediat.* Enimuero nec dicit IVSTINIANVS, hanc iustam manumissionis causam e lege Aelia Sentia esse, et SCto ad legem Aeliam Sentiam facto: illam diserte tribuit VLPIANVS, (h) cuius verba sic audi: *item si matrimonii causa virgo vel mulier manumittatur, exacto prius iureiurando, vt intra sex menses eam ducere oporteat. Ita enim* SENATVS CENSVIT.

Quamuis autem post hanc legem haud amplius illicitae iudicarentur patronorum cum libertabus nuptiae: non tamen contra licebat liberto, patronae patroniue vxoris vel filiae nuptias adfectare. Turbari enim videbantur respectus iuris patronatus et officii coniugalis, neque conueniens erat, eam in liberti, tamquam viri, officio atque obsequio esse, quam ille, teste GELLIO (i), parentis loco habere tenebatur. Qua de re PAVLLVS: (l) *libertum, qui* NVPTIAS PATRONAE *vel* VXORIS FILIAEVE PATRONI *adfectauerit, pro dignitate personae, metalli poena, vel operis publicis, coërceri placuit.* Pro personae dignitate, ait. Multum enim intererat, honestiorisne conditionis esset patrona, an vilioris et abiectae. Nam *si tam* IGNOBILIS *esset, vt ei honestae viderentur liberti sui*

(a) REINES. *p. 759.*
(b) *Id. pag. 760.* GRVT. *p. 567. num. 8.*
(c) GRVT. *pag. 943. num. 12.*
(d) *Id. pag. 935. num. 4.*
(e) *Id. pag. 940. num. 3.*
(f) *Id. pag. 957. num. 7.*
(g) §. 4. *et* 5. *Inst. qui et ex quib. causs. manum.*
(h) L. 13. *D. de manumiss. vind.*
(i) *Lib. V. cap.* 13.
(l) *Sent. rec. Lib. II. cap.* 19. §. 9.

BIU Cujas

sui nuptiae : officio iudicis, super hoc cognoscentis, illae prohiberi non debebant, ex sententia VLPIANI. (a) Ex iisdem principiis ne liberta quidem, olim patrono nupta, eiusdem postea liberto, soluto priore matrimonio, coniungi poterat, quia et sic libertus adfectasset nuptias vxoris patroni. (b) Quare rarissima est inscriptio apud FABRETTVM : (c)

IVNIAE. FESTIVAE.
PATRONAE. ET. VXORI. KARISS.
C. IVNIVS. MERCVRIVS.

Inscriptionem esse e saeculo Christiano secundo, ex alio marmore apud REINESIVM (d) liquet, in quo idem C. IVNIVS MERCVRIVS occurrit *Macilio* et *Omollo Veriano* coss. anno v. c. 905. Ex eodem vero lapide discimus, eum interfuisse collegio DENDROPHORORVM EX SC. CREATORVM, QVI ERANT SVB CVRA XV. VIR. S. F. CC. VV. id est, *quindecimuirorum sacris faciundis, clarissimorum virorum.* Quum vero sub Antoninis adhuc magna seueritate lex Papia Poppaea exerceretur : verosimile est, Iuniam istam Festiuam infimae conditionis mulierem fuisse, quum nec eius liberto, nuptias illius adfectare fraudi, nec haec conditio ignominiae esset. Aliud exemplum huius modi nuptiarum in hoc marmore Mediolanensi (e) inuenire sibi visus est vir maximus, IVST. IOS. SCALIGER :

D. M.
SECVNDI. NVNDINI.
PRIMITIVI.
CELLIONIS.
POMP. PRIMITIVA. LIB.
ET CONI. OBSEQV.

Postrema enim verba in *Indice nominum adpellatiuorum, affectuum, cognationum*, cet. ita interpretatur : LIBERTO ET CONIVGI OBSEQVENTISSIMO. Sed res ipsa docet, ipsam potius vxorem Pomponiam vocari LIBERTAM Secundi Nundini Primitiui, et eiusdem CONIVGEM OBSEQVENTISSIMAM : vnde et patroni nomen gessit, vocataque est Pomponia PRIMITIVA. Vt adeo hoc vetus epigramma huc non videatur referendum.

Alio-

(a) L. 13. *D. de ritu nupt.*
(b) L. 45. *pr. D. de rit. nupt. L. penult. et vlt. D. de diuort.*
(c) *Pag.* 289.
(d) *Pag.* 371.
(e) GRVT. *pag.* 582. *num.* 10.

BIU Cujas

Alioquin non solum patroni cum libertina nuptiae ratae erant, sed et liberis ex eo matrimonio natis nulla haerebat macula. Augustus enim, teste DIONE, (a) ἔννομον τὴν τεκνοποιΐαν αὐτῶν εἶναι, *liberos ex his nuptiis procreatos* LEGITIMOS *esse*, iusserat. Idque deinde repetierant DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS augusti, (b) Tatiano hunc in modum rescribentes: *vxorem libertam suam manumissori, si non sit ex his personis, quae specialiter prohibentur, ducere, non est interdictum, et ex eo matrimonio* IVSTOS PATRI FILIOS NASCI, *certissimum est.* Et hinc est, quod huic capiti cum GOTHOFREDO inseruimus formulam: NEVE QVID EIS, QVI ILLAS DVXERINT, LIBERISQVE EX EO MATRIMONIO NATIS, FRAVDI IGNOMINIAEVE ESTO. Eadem enim in simili specie, quum Hispalae Fecenniae, libertinae, nuptiae cum viro ingenuo permitterentur, adhibitam a senatu fuisse, iam laudatus GOTHOFREDVS ex LIVIO (c) docuit.

XI. Sequitur pars huius capitis posterior, cuius legitima verba maximam partem seruauit VLPIANVS: (d)

> *at ne quis ingenuus* EAM, QVAE PALAM QVAESTVM CORPORE FACIT, FECERIT, LENAM, A LENONE MANVMISSAM, AVT IVDICIO PVBLICO DAMNATAM, AVT IN ADVLTERIO DEPREHENSAM, ET QVAEVE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT, *sponsam vxoremue sciens, dolo malo, habeto.*

Indigna ergo ingenui ciuis Romani, vtut plebeii, connubio iudicatur ET, QVAE PALAM QVAESTVM CORPORE FACIT, FECERIT. Quaestum autem palam corpore facere dicebantur meretrices, siue se in lupanari prostituerent, siue in taberna cauponaria passim et sine delectu adulteris vel stupratoribus se committerent, siue gratis id palam facerent, siue pactae sibi turpissimam mercedem. Sufficere enim videbatur ad muliercularum huius modi infamiam, quod vulgassent corpus, seque ipsae ad lupanaria, tamquam ad harenam, damnassent. Neque abstergebatur turpitudo, quaestu illo intermisso: multoque minus videbatur ferenda, quae paupertatis obtentu se pudicitiam prostrasse caussaretur, licet postea rediisset ad frugem. Ita enim haec verba latissime interpretatur iureconsultus castissimus, VLPIANVS. (e)

Vt autem quaestus illius ratio inter Romanos eo rectius intelligatur: id quidem neminem ignorare existimo, Romae extra legum ciuilium

(a) *Lib. LIIII. pag. 531.*
(b) L. 15. *C. de nupt.*
(c) *Lib. XXXVIIII. cap. 19.*
(d) *Lib. I. L. 43. §. 1. D. de rit. nupt.*
(e) *Lib. I. L. 43. pr. §. 1. seq. D. de rit. nupt.*

BIU Cujas

lium poenam fuisse id crimen, modo, quae id facturae erant, mulierculae quaestus illius turpitudinem profiterentur apud aediles, quorum curae et fornices, popinas, cauponas, aliasque Bacchi ac Veneris palaestras commendatas fuisse, iam pridem obseruauit LIPSIVS. (a) Hinc TACITVS (b) memoriae prodidit, *Vistiliam, praetoria familia genitam, licentiam stupri apud aediles vulgasse*, MORE INTER VETERES RECEPTO, *qui satis poenarum aduersus impudicas, in ipsa* PROFESSIONE *flagitii credebant.* Et ita quoque intelligendus PAPINIANVS, (c) dum meminit *mulieris, quae euitandae poenae adulterii gratia lenocinium fecit.* Si qua ergo Romae corpus venale haberet, cuius nomen in albo aedilium non legeretur: horum erat, istas mulcta, immo et exsilio, aliisque grauioribus poenis coërcere: cuius aedilitiae seueritatis exemplum iam ab aliis adlatum video ex LIVIO. (d) Quamuis vero stupri professae licentiam, quaestum impune facerent: non tamen euitabant grauissimam, quae eas apud bonos omnes manebat, ignominiam. Hinc *iure et dignitate matronali exsolutae*, vti eleganter loquitur SVETONIVS, (e) togam loco tunicae sumebant, (quam et VLPIANVS (f) noster *vestem meretriciam* vocat,) omnium, quibus aliquis honestatis sensus erat, expositae ludibrio, et tributo turpi iam a Caligulae temporibus obnoxiae. (g) Quae quum a LIPSIO, BRISSONIO aliisque latius exponantur, hic repetere nolumus. Vel haec pauca enim satis ostendunt rationem, cur Augustus indignum suorum temporum felicitate existimarit, ingenuum sanguinem istorum prostibulorum contagione impune contaminari.

XII. Nefas porro erat ingenuo, sponsam nuptamue esse LENAM vel A LENONE MANVMISSAM, quod in fragmentis testatur VLPIANVS. (h) Lenarum enim non magis integra erat fama atque existimatio, quam ipsarum meretricum, siquidem, VLPIANO (i) iudice, *lenocinium facere* NON MINVS EST, *quam corpore quaestum facere.* Sunt autem lenones et lenae, qui quaeue mulieres quaestuarias prostituunt, siue suo id nomine faciant, siue alterius. Quin et si cauponam exercens, in ea corpora quaestuaria habeat, (vti multae adsolent sub praetextu instrumenti cauponii prostitutas mulieres habere,) dicendum videtur, hanc quoque lenae adpellatione contineri. (l)

Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop.

(a) *Exc. ad* TACIT. *Annal. Lib. II. litt. C.*
(b) *Annal. Lib. II. cap. 85.*
(c) L. 10. *D. ad leg. Iul. de adult.*
(d) *Lib. 10. cap. 31.*
(e) *Tiber. cap. 32.*
(f) *L. 15. §. 1. D. de iniur.*
(g) *Suet. Calig. cap. 40.*
(h) *Tit. XIII. §. 2.*
(i) *Lib. I. L. 43. §. 6. D. de rit. nupt.*
(l) *Idem d. L. 43. §. 7. 8. 9. D. eod.*

BIU Cujas

Quid vero his mulieribus turpius? quid ad omne scelus proclivius? quae comicis iure meritoque *periurae*, *pestes*, *pellecebrae*, *pernicies*, *adolescentium exitium*, *legirupae*, *dicuntur*? quas infamia notabant leges, et accusandi dicendique testimonii iure priuabant? (a) quibus praetores Romani, vti ex notabili exemplo apud VALERIVM MAXIMVM (b) constat, fere iura communia negabant? a quibus denique ita abhorrebant omnes, quibus quid honesti sanguinis erat, vt PLAVTVS (c), scribere non dubitet:

Idem genus est lenonium inter homines, meo quidem animo,
Vti muscaeque, culicesque, pedesque, pulicesque,
Odio, et malo, et molestiae; bono vsui estis nulli.
Nec vobiscum quisquam in foro frugi consistere audet.
Qui constitit, culpant eum, conspuitur, vituperatur,
Eum REM FIDEMQVE PERDERE, *tametsi nihil fecit, aiunt.*

An ergo Augustus, monstra huius modi in vllius ciuis ingenui torum admitti passus esset?

Iunguntur lenis A LENONE MANVMISSAE, quia et hae suspectae erant prostratae pudicitiae. Solebant enim lenones ac lenae furtim emere virgines ingenuas, easque vel prostituere in lupanari, vel aliis in concubinatum vendere pretio. Vnde denuo apud PLAVTVM (d) *Curculio*:

- - - - - - - - - Alienas mancupatis,
Alienas manumittitis, alieniſque imperatis,
Nec vobis auctor vllus est, nec vosmet estis vlli.

Ita enim *alienas* lego, pro *alienos*, quam scripturam ipsa respicit orationis series. Quin videtur Augustus hac lege simul obicem ponere voluisse inueterato mori adolescentum, etiam a lenonibus abducentium amicas, quas vel manumittebant deinde, vel subornatis testibus plane pro ingenuis venditabant, vt eas vxores ducere sine fraude sua possent. Multae sane huius modi fraudes describuntur a comicis, quos publica, quae in ciuitate gliscebant, probra in scena exagitasse, nemo ignorat. Quin eo adolescentum facinora tam saepe audiebantur in comoediis, vt PLAVTVS (e) aliquando ita adloquatur spectatores:

Specta-

(a) *L. 1. L. 4. §. 2. D. de his, qui not. inf. L. 4. D. de accus.*
(b) *Lib. VII. cap. 7, §. 7.*
(c) *Curcul. Act. IIII. scen. 2. v. 13. seqq.*
(d) *Ibid. v. 10. seqq.*
(e) *Captiu. extr.*

BIU Cujas

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula est.
Neque in hac subagitationes sunt, vllaue amatio.
Nec pueri suppositio, nec argenti circumductio,
Neque vbi amans adolescens SCORTVM LIBERAT *clam suum patrem.*
Huius modi paucas poetae reperiunt comoedias.

His vero dolis non rectius vires omnes incidisse potuisset Augustus, quam dum et a lenone lenaue manumissas cum ingenuis in matrimonio viuere vetuit.

XIII. Porro et IVDICIO PVBLICO DAMNATAM, aut IN ADVLTERIO DEPREHENSAM ingenuorum lecto geniali excluſit, ceu VLPIANVS binis locis testatur. (a) Praecipue ea verba pertinent ad adulterii damnatas, quas duci iam prohibuerat lex Iulia de adulteriis, ipsam adulterii poenam interminata iis, qui eos scientes dolo malo duxissent. (b) Attamen nec alia hic excipiuntur iudicia publica, talia puta, *quibus vnicuique e populo experiri licebat, nisi si cui lege accusandi non esset potestas.* (c) Quare ea lex non officiebat damnatis ob calumniam vel praeuaricationem ex causſa publici iudicii, quia non publico iudicio fuerant damnatae. (d) Denique quum sub Tiberio et succeſſoribus, has cognitiones, vti ex TACITO (e) patet, frequenter sibi vindicaret senatus: etiam ad eas, quae a senatu damnatae fuerant, id prolatum esse, VLPIANVS (f) scribit.

Damnatis IN ADVLTERIO DEPREHENSAS lex subiungit. Quamuis enim et ea de re quaedam cauta fuissent lege Iulia de adulteriis: haec tamen speciatim notabat eas, quae vel a marito domi suae, vel a patre domi siue suae, siue generi fuissent deprehensae. Quo casu et vtrique fas erat vindictam sumere priuatim, ita, vt patri filiam cum adultero, marito adulterum, in tam nefando facinore oppressum, occidere liceret. (g) Verum in lege PAPIA POPPAEA, vbi non de occidenda, sed ducenda adultera agebatur, nihil intererat, a quo, vel vbi esset deprehensa. Proinde siue maritus, siue quis alius, siue domi suae, siue alibi eam deprehendisse proponeretur: notata videbatur eius modi mulier, indignaque ciuis ingenui connubio. (h) Illud

(a) *Lib. I. L. 43. §. 10. D. de ritu nupt. et Fragm. tit. 13. §. 2.*
(b) *L. 29. §. 1. D. de adult.*
(c) VLP. *Lib. I. d. L. 43. §. 10. D. eod.*
(d) *Ib. L. 43. §. 11. D. eod.*
(e) *Annal. Lib. II. cap. 85. et Lib. III. cap. 10.*
(f) *Tit. XIII. §. 2.*
(g) PAVLL. *Sent. rec. Lib. II. tit. 26. §. 2.*
(h) VLP. *Lib. I. L. 43. §. 13. D. de rit. nupt.*

BIU Cujas

quoque obseruandum, solam sufficisse deprehensionem, quamuis nec accusata postea mulier fuisset, nec iudicum damnata sententiis, vel accusata quidem, postquam deprehensa fuerat, sed absoluta tamen: *quia verum est*, inquit VLPIANVS, (a) *eam in adulterio deprehensam, et factum lex, non sententiam notauerit.* Quemadmodum itaque in sensu diuiso, vti in scholis loquuntur, accipienda sunt verba: IVDICIO PVBLICO DAMNATAM, AVT IN ADVLTERIO DEPREHENSAM: ita veteres iuris interpretes legis verba et ad eam speciem protulerunt, si quis in adulterio Semproniae damnatus eam adulteram non damnatam vxorem duxisset. Nam et haec duci non poterat, quamuis par esset vtriusque turpitudo. Sane huius modi quaestio incidebat de Maeuio, cuius nomine Claudius quidam Seleucus ita consuluerat PAPINIANVM: (b) *Claudius Seleucus Papiniano S. salutem. Maeuius in adulterio Semproniae damnatus, eamdem Semproniam,* NON DAMNATAM, *duxit vxorem, qui moriens heredem eam reliquit: quaero, an iustum matrimonium fuerit, et an mulier ad hereditatem admittatur?* cui PAPINIANVS respondit, *neque tale matrimonium stare, neque hereditatis lucrum ad mulierem, sed quod relictum est, ad fiscum peruenire. Sed etsi talis mulier virum instituisset, et ab eo, quasi ab indigno, hereditatem esse auferendam.*

XIIII. Denique et cum ea prohibentur nuptiae, QVAE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT. (c) Haec vero quum iam ad primum caput fuerint explicata: nihil est, quod hic addendum arbitremur, praeter id vnum, quod lex circa ingenuorum nuptias aliquantulum remiserit a rigore suo, nihilque addiderit de patre matreue, artem ludicram facientibus, quorum tamen opera in scenam vel arenam locata senatorum nuptias non minus turbabat, ac si ipsa femina in scenam prodiisset. Ingenuis tantum ab ipsis mulieribus scenicis abstinendum, neque filiabus fraudi erat quaestus, quem parentes in scena vel fecerant olim, vel tum adhuc, quum filiae ingenuis nuberent, faciebant.

(a) *Ibid. d. L.* 43. §. 12. *D. eod.*
(b) *L.* 13. *D. de his, quae vt indign.*
(c) VLPIAN. *Fragm. tit.* 13. §. 2.

CAPVT

BIU Cujas

* * * * * * * * * *

CAPVT II.

PRima illa capita variis mutationibus obnoxia. I. *Lex illa minus, quam perfecta. Ex imperfecta perfectam reddidere Antoninus et Commodus imperatores. SC. hoc cur soli Antonino tribuatur? Quale illud fuerit?* II. *Constantinus M. legem etiam ad alias personas perfectissimas protulit. Eius constitutio* L. 1. C. de natur. lib. *explicata. Qualis dignitas* τελειότητος *vel perfectissimatus? Duumuiri etiam non nulli viri perfectissimi dicti. Phoeniciarchae et Syriarchae. Constantinus etiam libertinarum filias nuptiis virorum perfectissimorum prohibuit. Vt et tabernarias, tabernariarumque filias, et eas, quae mercibus publice praefuerint. Poenam quoque auxit Constantinus.* III. *Valentiniani et Marciani augustorum constitutio Constantinianeae similis.* IIII. *Iustinus totum caput de senatorum nuptiis abrogauit. Caussa fuere Iustiniani cum Theodora nuptiae,* L. 23. C. de nuptiis, *non Iustiniani, sed Iustini est. Absonae ratiocinationes Iustini.* V. *Postea et Iustinianus saepe hoc caput explosit, primum anno* 527. *vt ex* L. 33. pr. C. de episc. aud. *colligitur, deinde anno* 534. L. 33. §. 1. C. de episc. aud. *postea anno* 539. Nou. LXXXVIIII, cap. 15. *ac denique anno* 541. Nou. CXVII.

PRima illa, quae coniunximus, LEGIS PAPIAE POPPAEAE capita tot obnoxia fuere mutationibus, quot nescio, an vllum. Quare operae pretium fuerit, quid post Augusti tempora ei legi vel obrogatum, vel surrogatum, vel derogatum sit, quibus denique gradibus illa capita de maritandis ordinibus plane fuerint antiquata, paullo accuratius enarrare.

I. Capita illa minus, quam perfectis legibus fuisse accensenda, recte vidit IAC. GOTHOFREDVS. (a) Prohibuerant enim senatorum atque ingenuorum cum personis vilioribus nuptias: verum contractas non rescinderant, poenam iis, qui contra legem vxores duxissent, irrogasse contenta. Quae ipsa est *legis minus quam perfectae* definitio apud VLPIANVM. (b) Non rescidisse vero legem Papiam nuptias illegitimas, vel inde colligas, quod *mortua* demum *vxore dos caduca fieret*, (c) et

 matri-

(a) *Not. ad leg. Pap. Popp. cap. 1, pag.* 313.

(b) *Fragm. tit. 1. §. 2.*

(c) *Ibid. tit. 16. §. 14.*

BIU Cujas

matrimonio licet contra leges contracto, vxor tamen a marito adulterii posset accusari. (a) Vnde non potuit non inferre vir eximius, huius modi nuptias, quamuis iniustas atque illegitimas, tamen non irritas fecisse Augustum, adeoque nec per legem Papiam illas fuisse rescissas.

Enimuero perfectam ex imperfecta hanc legem fecerunt Marcus et Commodus imperatores, de quibus VLPIANVS: (b) *oratio imperatorum* ANTONINI et COMMODI, *quae quasdam nuptias in personam senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil loquuta est.* ORATIONIS *imperatorum* meminit. Solebant enim principes, quae a senatu decerni vellent, antequam patres rogarent sententias, oratione complecti, eamque vel ipsi in senatu habere, vel recitandam dare quaestoribus candidatis, quorum praecipue erat, *orationibus, epistolis, librisque principum in senatu legendis vacare.* (c) Quare si quid oratione principis vel cautum dicitur, vel prohibitum, perinde est, ac si SC. constitutum fuisse diceretur, non quod sola principis oratio ius faceret, (nondum enim legislatoriam illam potestatem sibi arrogarant boni principes,) sed quod deinde pedibus plerumque iri soleret in principis sententiam, fieretque in eam senatusconsultum, quod saltim a Tiberii temporibus ita pro lege erat, vt scribere non dubitet VLPIANVS: (d) *non ambigitur, senatum* IVS FACERE *posse.*

Tale SC. etiam hanc principum orationem insequutum esse, simulque, quid eo cautum fuerit, perspicue his verbis docet PAVLLVS: (e) *oratione* D. MARCI *cauetur, vt, si senatoris filia libertino nupsisset,* NEC NVPTIAE *essent. Quam et* SENATVSCONSVLTVM *sequutum est.* D. Marco eam orationem tribuit Paullus, quam ei et Commodo communem fuisse Vlpianus scripserat, quia sollemne est iuris auctoribus, vni ac praecipuo collegarum tribuere, quod ab iis communiter fuerat constitutum. Id quod praecipue faciebant, si pater cum filio communicauerat imperium, aut si tanta collegae vnius prae altero erat auctoritas, vt contingeret, quod, teste SVETONIO (f) de Caesaris et Bibuli consulatu ferebatur:

Non Bibulo quidquam nuper, sed Caesare factum est,
Nam Bibulo, fieri, consule, nil memini.

Qua

(a) L. 13. §. 1. D. *ad leg. Iul. de adult.*
(b) L. 16. D. *de sponsal.*
(c) L. *vn.* §. 2. *et* 4. D. *de offic. quaest.*
(d) L. 9. D. *de legib.*
(e) L. 16. *pr.* D. *de rit. nupt.*
(f) *Iul. cap.* 20.

BIU Cujas

Qua de causſa et ſoli Marco Antonino tribui animaduertimus SC. Orphitianum, (a) quod Marci et Commodi imperatorum orationi originem debere, idem VLPIANVS (b) tradit.

Deinde, quod ad ipſum attinet huius SC. argumentum: cautum illo ait PAVLLVS, *vt ſi ſenatoris filia libertino nupſiſſet*, NEC NVPTIAE *eſſent*: idque etiam teſtatur VLPIANVS. (c) Sed caue tamen exiſtimes, id ſolum tunc principes ſanxiſſe. Neque enim de ſenatorum tantum filiabus, ſed de ipſis etiam ſenatoribus eo SC. actum, in eorumque perſonam nuptias quaſdam fuiſſe inhibitas, paullo ante vidimus ex fragmento VLPIANI, qui et alibi (d) videtur hoc SC. in animo habuiſſe, dum ſcribit: SENATVS *cenſuit, non conueniens eſſe vlli ſenatori, vxorem ducere aut retinere, damnatam publico iudicio.* Quumque eadem ratio, quae in ſenatorum liberorumque eorum perſonas nuptias inhibere ſuaſit, etiam in ingenuorum perſonam cadere videatur: perquam profecto veroſimile eſt, de his quoque egiſſe illud SCtum, adeoque illud vtrumque caput integrum repetiiſſe, eique addidiſſe ſanctionem: SI QVI ERVNT, QVI ADVERSVM EA FECERINT, QVAM SVPRA SCRIPTVM EST, INTER EOS NEC NVPTIAS ESSE CENSVERE. Generatim enim nuptias contra legem Iuliam et Papiam contractas poſt iſtud SC. irritas fuiſſe, ſatis adparet ex tot legibus, quae *nec ſponſalia*, (ad quae interpretando hoc SC. protulerunt veteres,) *huius modi vllius eſſe momenti*, (e) *nec ſtare tale matrimonium*, (f) *nec nuptias eſſe*, (g) *nec eam*, quae contra hanc legem nubat, *vxorem fieri*, (h) adeoque *nec retineri poſſe*, (i) ſed *ſtatim eſſe dimittendam*, (l) dicunt. Quae omnia non, vti EM. MERILLIO (m) viſum, ex ipſa lege PAPIA POPPAEA, ſed ex hoc SC. eſſe, ſatis conſtat.

II. De reuocando horum capitum vſu cogitauit etiam CONSTANTINVS M. imperator, ante cuius tempora illa videntur ſenſim euiluiſſe, poſtquam et e turba viliſſimorum hominum haud pauci ſibi viam in ſenatum emuniuerant. Iam ſub Marco Antonino, bono principe, honores petere ſuſtinebat Vetraſinus quidam, qui monitus ab imperatore, vt ſe ab opinionibus populi vindicaret, reſpondit, *multos, qui ſecum* IN ARENA *pugnaſſent, ſe praetores videre.* (n) Commodus imp. vti

(a) *Pr. Inſt. de SC. Orphit.*
(b) *Fragm. tit. 26. §. 7.*
(c) *L. 3. §. 1. D. de don. inter vir. et vxor.*
(d) VLP. *Lib. I. L. 43. §. 10. D. de rit. nupt.*
(e) *L. 16. D. de ſponſ.*
(f) *L. 18. D. de his, quae vt indign.*
(g) *L. 16. D. de rit. nupt.*
(h) *L. 34. §. vlt. D. eod.*
(i) *L. 43. §. 10. D. eod.*
(l) *L. 44. §. 7. D. eod.*
(m) *Lib. V. Obſ. cap. 11.*
(n) IVL. CAPITOLIN. *in M. Ant. cap. 12.*

BIU Cujas

vti refert LAMPRIDIVS, (a) libertinos in Senatum et inter patricios legi passus erat. Postea Elagabalus ad praefecturam praetorii saltatorem, qui histrioniam Romae fecerat, adsciuit, praefectum vigilum Gordium aurigam fecit, ad reliquos honores promouit, *commendatos sibi*, vt LAMPRIDIVS (b) ait, *pudibilium enormitate membrorum.* Sed et Carinus, teste VOPISCO, (c) *praefectum vrbi fecit cancellarium suum, quo nihil foedius nec cogitari potuit aliquando, nec dici, praefectumque praetorii, quem habebat, occidit, in eius locum Matronianum, veterem conciliatorem, fecit. Vnum ex his notarium, quem stuprorum et libidinum conscium semper atque adiutorem habuerat, inuito patre consulem fecit.* Nec ignotum est, ipsis Constantini M. temporibus, Licinium multos senatores ad nauicularionum conditionem detrusisse, (d) non ob aliam procul dubio caussam, quam quod eos indignos amplissimo ordine existimaret, quamuis eius factum Constantinus, vt solet, verbis satis inuidiosis exagitet. Monstra huius modi quum irruerent in senatum, qualia eorum credamus fuisse matrimonia? Ne ergo ista nuptiarum licentia in saeculi dedecus vergeret, CONSTANTINVS *Flauio Popilio Nepotiano* et *Facundo* coss. id est, anno erae Christianae 336. XII. Kal. Aug. constitutionem hanc (e) Carthaginem misit ad Gregorium, praefectum praetorio: *senatores, seu praefectos, seu quos in ciuitatibus duumuiralitas, vel sacerdotii, id est Phoeniciarchiae, vel Syriarchiae ornamenta condecorant, placet maculam subire infamiae, et alienos a Romanis legibus fieri, si ex ancillis vel ancillae filia, vel liberta vel libertae filia, vel scenica vel scenicae filia, vel tabernaria vel tabernariae filia, vel humili vel abiecta persona, vel lenonis aut arenarii filia, vel quae mercimoniis publice praefuit, susceptos filios in numero legitimorum habere voluerint, aut proprio iudicio, aut nostri praerogatiua rescripti, ita, vt, quidquid talibus liberis pater donauerit, (seu illos legitimos, seu naturales dixerit,) totum retractum legitimae soboli reddatur, aut fratri, aut sorori, aut patri, aut matri. Sed et si vxori tali quodcumque datum quolibet genere fuerit, vel emtione collatum, etiam hoc retractum reddi praecipimus. Ipsas etiam, quarum venenis inficiuntur animi perditorum, (si quid quaeritur, vel commendatum dicitur, quod his reddendum est, quibus iussimus, aut fisco nostro,) tormentis subiici iubemus. Siue itaque per ipsum datum est, qui pater dicitur, vel per alium, siue per interpositam personam, siue ab eo emtum, siue ab alio, siue ipsorum nomine comparatum: statim*

(a) *Vit. Commodi cap. 6.*
(b) *Elagab. cap. 12.*
(c) *Vit. Carin. cap. 16.*
(d) *L. 4. C. Th. de infirm. his, quae a tyrann.*
(e) *L. 1. C. de natural. liber.*

BIU Cujas

statim retractum reddatur, quibus iussimus, aut, si non exsistant, fisci iuribus vindicetur. Quibus tacentibus et dissimulantibus ad defensionem fiscalem duorum mensium tempora limitentur: intra quae si non retraxerint, vel propter retrahendum rectorem prouinciarum interpellauerint, quidquid talibus filiis vel vxoribus liberalitas impura contulerit, fiscus noster inuadat, donatas vel commodatas res sub poena quadrupli seuera quaestione perquirens.

Hac ergo constitutione admodum seuera tripliciter primum legis nostrae caput mutauit Constantinus. Nam primo nuptias olim senatoribus, eorumque filiis, nepotibus pronepotibusque prohibitas, etiam in minoris dignitatis personas quasdam inhibuit: deinde et mulierculas ab eius modi virorum nuptiis cohibuit, quarum haud meminerat lex PAPIA POPPAEA. Denique et poenas quasdam multo seueriores aduersus eos, qui se huius modi nuptiis commaculauerant, statuit.

Ad eos quod attinet, quorum in personam nuptias cum quibusdam feminis inhibuit, quasdam quidem, quarum lex PAPIA POPPAEA rationem habuerat, omisit, alias autem, quarum non habuerat, adiecit. Lex non solum de senatoribus agit, verum etiam de eorum filiis et filiabus, nepotibus neptibusque ex filio, pronepotibus ac proneptibus ex nepote, filio nato natis. Constantinus nihil de his omnibus sancit, forsan quod ita sensim euiluerat dignitas liberorum e senatoribus genitorum, vt eorum vix habenda videretur ratio. Sane iam sub ALEXANDRO SEVERO coepisse dubitari, an filia et neptis senatoris claritatem generis retineat, satis ex huius principis rescripto ad Seuerinam adparet. (a) Nec opus fuisset noua illa VALENTIS, GRATIANI, et VALENTINIANI imperatorum constitutione, (b) qua liberis senatorum dignitas clarissimatus confirmaretur, si ea ab Augusti temporibus illis salua ac illibata semper mansisset. Quemadmodum ergo horum rationem nominatim non habuit CONSTANTINVS, nisi eos κατὰ διάνοιαν inter viros perfectos latere dixeris: ita contra eam legem producit ad alios, quorum haud meminit lex PAPIA POPPAEA. Primo enim senatoribus iungit PRAEFECTOS. Sed quosnam? Praefectosne praetorio, aut vrbi? Hos nominari non erat opus, quum et hi non solum iam pridem virorum clarissimorum (c) et amicorum imperatoris titulum, (d) immo et senatoriam dignitatem, teste LAMPRIDIO (e) obtinuissent, verum etiam senatores postremis temporibus longe anteirent, in ipso ILLVSTRIVM

(a) L. 1. C. *de dign.*
(b) L. 11. C. *eod.*
(c) *Cod. Greg. Lib. II. tit.* 11.
(d) L. 1. §. 3. D. *de adpell.* L. 1. C. *si mancip.* L. *vlt.* D. *de offic. praef. vigil.* L. 1. D. *de sent. passis.*
(e) *Alex. cap.* 21.

BIU Cujas

STRIVM virorum ordine constituti. (a) An praefectos augustales aut aerario? Id vero addendum fuisset omnino, quia non vnius generis erant praefecti, iique dignitate magnopere differrent. Sed textum hic in mendo cubare constat: et facilis error ex nota. Praefecti vrbi litteris P. V. notari solebant, iisdemque litteris designabantur, *viri perfectissimi*. Hinc tam saepe confunduntur *perfecti* et *praefecti*, vt exempla eius erroris hic conuasare taedioſum futurum sit, maxime quum nobis otium fecerit V. C. IVRETVS (b). Quamobrem nihil verius est, quam quod suspicati sunt HALOANDER, ANT. AVGVSTINVS, et IAC. CVIACIVS, pro *praefectos* rescribendum esse *perfectos*, quippe quam lectionem et Marciani (c) et ipsius IVSTINIANI (d) Nouella confirmat: siquidem in hac *insignes*, non alii sunt, quam διασημότατοι, id est, *perfecti*, vti alias vocantur (e). Sunt vero viri *perfectissimi*, vel πλειότατοι proximi a *clarissimis*, vel senatoribus, ipsis equitibus praelati, quippe non proximum, sed secundum a senatoribus gradum obtinentibus (f). Constantini saeculo *perfectissimatus* honor adhuc tribuebatur *ducibus*, (g) postea in spectabilium ordinem euectis, (h) *Praesidibus* item Arabiae, Dalmatiae, Hispaniae Tarraconensis, *Correctoribus*, (inter quos tamen vnum *virum clarissimum atque amicum suum* iam vocant DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, (i) *praefectis annonae*, *praefectis vigilum*, *magistro cursus*, *Nationali summae rei* seu καθολικῷ, *Magistris et primiceriis scriniorum*, *Tribunis notariorum*, aliisque, quorum recensum ex vtriusque codicis legibus ipsisque marmoribus vetustis instituerunt IAC. GVTHERIVS (l), IAC. GOTHOFREDVS, (m) et THOM. REINESIVS (n). Quorum obseruationibus iam id adiicimus, quod sub eadem tempora, vti paullo post demonstrabimus, et duumuiri *perfectissimatus* vel πλειότητος dignitatem adfectare coeperint, quae demum ita euiluit, vt IVSTINIANI beneficio illa fruerentur promiscue, quicumque ea de re principis codicillos impetrassent, dum non essent seruilis conditionis, vel fisco aut curiae obnoxii, vel pistores, vel institores, vel procuratores, vel denique illum sibi honorem venali suffragio non emissent (o). Eos itaque omnes, qui suo tempore inter viros *perfectissimos* πλειοτάτους vel διασημοτάτους referebantur, a nuptiis indecoris abstinere

(a) L. 4. *C. de mod. mulct.*
(b) *Ad Symmach. epist.* 40.
(c) *Nouell. Marcian. tit.* 4.
(d) *Nou.* LXXXVIIII. *cap.* 15.
(e) GREG. NAZ. *epist.* 128.
(f) L. 1. *C. de equestr. dign.*
(g) AMMIAN. *Lib.* XXI. *pag.* 216.
(h) L. 30. *C. Theod. de erog. milit. ann.*
(i) L. 4. *C. de iur. et facti ign.*
(l) *De offic. Dom. Aug. Lib.* I. *cap.* 4.
(m) *Ad C. Theod. Tom.* II. *p.* 248. *sequ.*
(n) *Inscript. class.* 6. *num.* 38.
(o) L. 1. *C. de perfectiss. dign.*

BIU Cujas

nere iussit CONSTANTINVS, legem Papiam Poppaeam, de solis senatoribus eorumque liberis scriptas, ad eos quoque proferens, qui proximum a senatoria dignitate gradum obtinebant.

Iungit his CONSTANTINVS eos, *quos in ciuitatibus Duumuiralitas condecorabat.* Nam et hi, vti iam diximus, olim in egregiorum constituti ordine, iis temporibus ad perfectissimatus vel πλειότιμος gradum, saltim si celebrioribus ciuitatibus praeessent, adspirare coeperant. Sane qui circa ea tempora scripsit, LACTANTIVS, vel quisquis libelli *de mortibus persequutorum* auctor est, (a) vbi de Christianorum laniena sub Maximiano agit: *Torquebantur*, inquit, *ab eo non modo decuriones, sed primores etiam ciuitatum, egregii* ac PERFECTISSIMI VIRI. Vbi manifesto decuriones *viri egregii*; primores ciuitatum vel duumuiri *perfectissimi* adpellantur. Ita et in vetusto marmore saeculi Christiani quarti apud GRVTERVM (b) *L. Aradio Valerio Proculo* v. c. plurimisque functo dignitatibus monimentum exigunt

VIRI, PERFECTISSIMI. ET. PRIN
CIPALES. ET. SPLENDIDISSIMVS. OR-
DO. ET. POPVLVS. PVTEOLANORVM.

Quare non mirum, et in horum personam easdem nuptias inhibuisse Constantinum, a quibus reliquos viros perfectissimos abstinere iusserat.

Sed et *Sacerdotii, id est* PHOENICIARCHIAE et SYRIARCHIAE *ornamentis decoratos*, ab iisdem nuptiis prohibuit. In singulis enim per orientem prouinciis sacris prouincialium communibus praeerant pontifices, qui sacra, templa, certamina, ludos festosque dies curarent. (c) Hinc passim apud veteres occurrunt Asiarchae, (d) Galatarchae, (e) Bithyniarchae, (f) Cappadociarchae, (g) Lyciarchae, (h) qui omnes aeque ac Syriarchae in communi cuiusque prouinciae concilio creati, (vti ex STRABONE, (i) qui Lyciarcham ἐν τῷ συνεδρίῳ electum scribit, contra Harduinum accurate demonstrat NORISIVS (l), tanta plerumque profusione ludos edebant, vt in iure nostro proditae sint excusationes, quibus molestissima ista sacerdotia declinarentur.

(a) *De mort. persequ. cap.* 21.
(b) *Inscr. pag.* 363. 2.
(c) VALES. *ad Euseb. H. E. Lib. IIII. cap.* 15.
(d) *Act. XVIIII.* 31. 35.
(e) MONTFAVC. *Palaeogr. Gr. p.* 161.
(f) L. 6. §. 14. *D. de excus.*
(g) *d.* L. 6. §. 14. *eod.*
(h) L. 1. *C. de offic. com. orient.*
(i) STRABO *Lib. XIIII. p.* 665.
(l) *Diss. III. de Epoch. Syro-Maced. cap.* 7. *pag.* 157.

BIU Cujas

(a) Etiam hos ergo CONSTANTINVS, tamquam sacerdotalibus decoratos ornamentis, a vilioris conditionis feminarum nuptiis cohibuit, idque adeo in principe Christiano miratus est IVSTINIANVS, (b) vt ideo exagitare eum videatur. Sed non defuisse videntur CONSTANTINO rationes, quamobrem et ad hos legem Papiam Poppaeam proferret. Magna isti homines in vniuersa prouincia dignitate eminebant. Eorum enim erat, ἀρχεῖν τῶν περὶ γῆν ἱερῶν ἁπάντων, ἀρχεῖν τῆς χώρας καὶ τῶν πόλεων ἱερέων, καὶ ἀπονέμειν, τί τὸ πρέπον ἑκάστῳ, *praeesse omnibus per prouinciam sacris, imperare omnibus et regionis et vrbium sacerdotibus, et vnicuique, quod conuenit, iniungere* (c): quin et deorum cultui parum deditos τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας ἀποξῆναι, *sacerdotali functione abdicare*, quippe quam potestatem iis veluti iure postliminii deinde restituit IVLIANVS (d). Hinc passim dicuntur ἱερεῖς, ἀρχιερεῖς, ἀρχιερεῖς πρῶτοι, ἀρχιερεῖς μεγάλοι ἢ μέγιστοι (e), quemadmodum ipsum illud splendidissimum sacerdotium ἔθνους ἱερατεύη, *praesidatus gentis* (f) et *sacerdotium prouinciae* (g) in ipso iure nostro adpellatur. Quare et nihil est honoris, quod non hisce sacerdotibus fuerit habitum. MAXIMIANVS Imperator, teste EVSEBIO (h), illis honoris caussa dederat militare satellitium: ipsi prouinciales annos saepe non consulum, sed horum sacerdotum nominibus signabant, ceu et ex epistola Smyrnensium de martyrio Polycarpi (i), et ipsis nummis antiquis apud Ez. SPANHEMIVM (l) patet. Saepe etiam maximas simul vrbium ac prouinciarum dignitates cum isto sacerdotio coniunctas fuisse animaduertimus. Sic χαιλδήμα, ἀρχιερέως σεβαστηγοῦντος mentio fit in marmore Arundelliano (m): ἀρχιερέως τῆς Ἀσίας ναῶν καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον τῆς πατρίδος διὰ βίε ἐξηλάρχου in alio marmore apud SPONIVM (n), ἀρχιερέως καὶ δικαιοῦ apud THOM. SMITHIVM (o). Quin ipsa sacerdotalis ista dignitas in se tanti visa est eorum temporum hominibus, vt eam ΣΤΕΦΑΝΟΝ ὑπὲρ πολλῶν χρημάτων, CORONAM *omnibus cariorem opibus* vocare non dubitet PHILOSTRATVS (p). Quae quum ita sint, facile est ad existimandum, non in spectabilium, clarissimorum, perfectissimorum aut egregiorum ordinibus substitisse illos prouinciarum pontifices, sed ad ipsam

(a) *L. 8. pr. D. de vac. et excus. mun.*
(b) *Nou. LXXXVIIII. cap. 15.*
(c) IVLIAN. *epist. 63. pag. 452.*
(d) *Epist. XXXXVIIII. pag. 431.*
(e) Ez. SPANHEM. *de vsu numism. Diss. XII. pag. 418. Tom. II.*
(f) *L. 6. §. 14. D. de excus.*
(g) *L. 17. D. de muner. L. 8. pr. D. de vacat. et exc. mun.*
(h) *Lib. VIII. Hist. Eccl. cap. 14.*
(i) EVSEB. *Lib. IIII. Hist. Eccl. cap. 15.*
(l) *Ibid. pag. 417.*
(m) *Marm. Ox. pag. 294. P. 11.*
(n) *Misc. Tom. III. pag. 114.*
(o) *Notit. sept. eccl. As. pag. 30.*
(p) *De vit. sophist. Lib. II. segm. 21.*

BIU Cujas

ipsam adspirasse *illustrium* dignitatem. Saltim id indicat marmor, quod Sardibus descripsit THO. SMITHIVS (a) :

ΕΞΟΡΙΣΘΕΝΤΩΝ ΑΝΟΣΙΩΝ
ΚΑΜΥΣΑΡΩΝ ΕΛΛΗΝΩΝ ΠΑΡΑ
ΥΠΕΡΕΧΙΟΥ ΤΟΥ ΕΝΔΟΞΟΤΑΤΟΥ
ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΣΤΟΥ.

Vbi ὑπερέχιος καὶ ἐνδοξότατος, *sublimis et glorioſiſſimus* adpellatur pontifex prouinciae. Eos vero titulos non nisi illustribus attributos esse, vel inde patet, quod praefecti praetorio in nouellis passim vocantur ἐνδοξότατοι vel in abstracto, ἡ σὴ ἐνδοξότης, *tua gloria* (b) item *tua sublimitas* (c), *tua celsitudo* (d), *amplitudo tua* (e), & sic porro. Quae quum ita sint, fuere omnino CONSTANTINO rationes, cur et Phoeniciarchas et Syriarchas (reliquorum enim nomina fortassis cum ipsa religione euanuerant,) a vilissimarum feminarum nuptiis abstinere vellet. Quia enim ab illustribus, in quibus et hi pontifices censebantur, ad perfectissimos vsque legem Papiam Poppaeam valere semel voluerat: non poterat sane, quin et horum sacerdotum haberet rationem. Neque id sacerdotii vel religionis honori tribuit : sed quia lex in se viris eximiis exosa erat, ideo nec istos sibi exosos homines, qui fortassis quam maxime huiusmodi nuptiis sese polluerant, exsortes eius oneris esse patiebatur.

Vt et ad feminas, quarum a nuptiis viros perfectissimos abstinere iussit imperator, progrediamur : frustra meminisse videri poterat *ancillarum, earumque filiarum*, quum per legem Papiam Poppaeam ne libertinas quidem ducere possent senatores. Sed quum non solum a nuptiis, verum etiam a concubinatu vilium personarum cohibuerit senatores et perfectissimos, nec rarum iis temporibus fuerit, viros in republica principes etiam in ancillarum ruere amplexus (f): non abs re fore existimauit, et earum meminisse diserte. Sed et in eo ipso Augusto seuerior fuit CONSTANTINVS, quod non solum *libertinis*, sed etiam *libertinarum filiabus* ingenuis, spem omnem senatorii matrimonii incidit. Quae de *scenicis scenicarumque filiabus*, itemque *lenonum et arenariorum filiabus*, praecipit, satis congruunt legis Papiae Poppaeae rationibus. Scenicae enim et arenarii artem ludicram faciebant. Hos autem aeque ac eorum filias lex Papia Poppaea senatoribus senatorumque filiis sponsas nuptasque esse vetuerat. In lenonum filias autem non

(a) *Not. sept. eccles. Aſ. pag.* 30.
(b) *Nou. LXXXXIII. cap.* 1.
(c) L. 7. C. *de numer. rar.* L. *vlt. C. de fabric.*
(d) L. *vlt. C. de numer.*
(e) L. 3. C. *de diuerſ. offic.*
(f) L. *vn. C. Theod. de concub.* L. 1. C. *Th. de mul. quae ſe ſeru.*

BIU Cujas

minus ac in eas, quae manumissae a lenone fuerant, prostratae pudicitiae cadebat suspicio. De nouo vero Constantinus addit *tabernarias, earumque filias*, id est, mulierculas, quae exercentes cauponariam, esculenta potulentaque vendebant pretio minimo. Hinc NONIO MARCELLO (a) *taberna* praecipue dicitur οἰνῶν vel *vinaria*, quo faex ciuitatis potandi caussa confluebat. Has vero personas ipsa vilitas quaestus indignas reddebat senatorum et perfectissimorum virorum nuptiis. Semper enim tam abiecta visa est tabernariorum conditio, vt si cui sordidum quid ac vile ostendere vellent, eum veteres cum HORATIO (b) remitterent ad

- - - - - - - Forum Appi,
Differtum nautis, CAVPONIBVS *atque malignis.*

Vnde et alibi idem poeta Venusinus: (c)

Nulla TABERNA *meos habeat neque pila libellos.*

Accedit, quod, vt supra ex VLPIANO (d) notauimus, plerumque *exercentes cauponariam, sub praetextu instrumenti cauponii, prostitutas mulieres habere solerent*, et hinc CATVLLO taberna dicatur *salax*, dum scribit:

SALAX TABERNA *vosque contubernales*
A pileatis nona fratribus pila.

Quum itaque lenis non multo meliores essent tabernariae: cum iis quoque earumque filiabus Senatores ex rationibus legis Papiae Poppaeae rem habere nolebat CONSTANTINVS. Postremo et vitari iubet, *quae mercibus publice praefuerunt.* Quamuis enim mercatura nihil habeat, quod vituperes: Romanis tamen semper sorduerat tabernaria illa eorum negotiatio, *qui mercabantur a mercatoribus, quod statim venderent, quosque nihil proficere existimabant, nisi admodum mentirentur* (e). Hinc et alibi CONSTANTINVS (f) edixit, *ne quis* EX VLTIMIS NEGOTIATORIBVS *aliqua frui dignitate pertentaret.* Et IVSTINIANVS (g) iis, *qui in* ALIQVO NEGOTIO *consliterint*, omnem spem ademit *fruendi codicillis perfe-*

(a) *Cap.* 12. §. 55.
(b) *Serm. lib.* 1. *Sat. V. v.* 4.
(c) *Serm. lib.* 1. *Sat. IIII. v.* 7.
(d) *L.* 43. §. 9. *ff. de Rit. Nupt.*
(e) CIC. *lib.* 1. *de offic. cap.* 42.
(f) *L.* 6. *C. de dign.*
(g) *L. vn. C. de perfect. dign.*

BIU Cujas

perfectiſſimatus. Vnde facile reddi poterit ratio, cur et perfectiſſimorum connubio eas indignas habuerit CONSTANTINVS.

Denique et, quod ad poenas attinet, quaedam in lege Papia Poppaea Princeps iſte innouauit. Lex Papia Poppaea nuptias has non reſcindebat, ſed poenis quibuſdam coërcebat, qui aduerſus legem iniiſſent Matrimonium. Ex oratione quidem Marci et Commodi, imperatorum, inter perſonas, in quas lex illa nuptias inhibuerat, *nec nuptiae erant:* nec tamen, qui eius modi matrimonium contrahere conſtituerant, infames habebantur, multo minus ea ignominia notabantur Senatores, qui libertinam aliamque perſonam vilem non vxorem, ſed concubinam habuiſſent. Qualia exempla Romae non defuiſſe, vel ex VLPIANO (a) patet, qui Seuerum Imp. in liberta Pontii Paulini ſenatoris ſtatuiſſe ait, vt donationes ei factae ratae eſſent: *quia non fuerit adfectione vxoris habita, ſed magis* CONCVBINAE. Quamuis etiam lex Papia Poppaea liberos, ex huius modi matrimonio ſuſceptos, teſte PAVLLO (b), exſortes eſſe iuberet paternae hereditatis: poterat tamen pater naturalis iis donare, inter viuos et mortis cauſſa, poterat iiſdem legare et vendere, immo et ipſam hoc modo locupletare concubinam. Aſt multo ſeuerior CONSTANTINVS primo ſenatores et perfectiſſimos, qui ex his perſonis liberos ſuſceperint, infamia notat, quin indignos iudicat Romana ciuitate, ſi recte capio verba: *Placet maculam ſubire infamiae, et* ALIENOS A ROMANIS LEGIBVS *fieri*. Deinde non ſolum, qui nuptias cum his mulierculis contraxerint, notat, ſed et, qui eaſdem in concubinatu habuerint. Neque enim diſtingui patitur imperator, *legitimosne* pater *hos liberos dixerit, an naturales*. Praeterea non ſolum cum Marco Imp. has nuptias nullas eſſe iubet, verum etiam omnia, quae vel huiuſmodi vxori, vel concubinae, vel liberis ex eo matrimonio natis, a viro patreue viuo donata vel dicis cauſſa et in fraudem legis vendita fuerint, legitimae ſoboli vel propinquis reſtitui, aut his deficientibus, vel intra bimeſtre ſpatium non retrahentibus, a fiſco occupari iubet. Haec CONSTANTINVS aduerſus eos, qui latum clauum et perfectiſſimatus ornamenta tam abiectarum perſonarum conſortio contaminaſſent, conſtituit. Cuius rei quas cauſſas ille habuerit, infra, vbi de concubinatu agemus, dicendi erit occaſio.

III. Eamdem viam ingreſſi ſunt VALENT. et MARCIANVS AVGVSTI qui prid. non. Apriles Altio et Aſterio coſſ. id eſt anno aerae vulgaris 354. ſingulari nouella (c), ex qua quaedam in codice noſtro repetun-

(a) L. 3. §. 1. *D. de Don. inter vir. et vx.*

(b) *Lib. IIII. recept. ſent. tit.* 8. §. 4.

(c) *Nou. Marcian. tit. IIII.*

BIU Cujas

repetuntur, (a) eaſdem nuptias *ſenatorum perfectiſſimorum*, *duumuirorum*, *flaminum municipalium*, *et ſacerdotum prouinciae* cum ancillis, ancillarum filiabus, libertabus, earumque filiabus ſiue ciuibus ſiue Latinis, ſcenicis, earumque filiabus, tabernariis, earumque filiabus aliiſque abiectis perſonis denuo prohibent, addita interpretatione, *humilem vel abiectam perſonam minime eam intelligi, quae licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata ſit.* Id quod ideo monendum putabant Imperatores, quod Conſtantinus M. in ſua conſtitutione addiderat: *Vel tabernaria, vel tabernariae filia, vel humili vel abiecta perſona.* Quae verba iuſto latiorem admittere potuiſſent interpretationem, niſi eam ſuis limitibus circumſcripſiſſent Valent. et Marcianus. Manſit ergo lex Conſtantini, vſque ad tempora Iuſtini ſenioris, idque liquet ex CASSIODORI (b) formula, qua matrimonium huiuſmodi confirmatur, et liberi inde nati legitimi eſſe iubentur. Ad quod CASSIODORI caput recte obſeruauit GVIL. FORNERIVS (c), eatenus tantum ab vſu receſſiſſe conſtitutionem Conſtantini, quod confirmatio huiusmodi nuptiarum peti poſſet a principibus, quod tamen fieri vetuerat Conſtantinus.

IIII. Sed illi capiti de ſenatorum nuptiis primum derogauit IVSTINVS; poſtea IVSTINIANVS Imperator illud penitus aboleuit. Et ille quidem huius iam nobiliſſimi Caeſaris inſtigationibus ad id commotus, viris ſummis nuptias cum ſcenicis mulieribus permiſit. Quum enim IVSTINIANVS, a Iuſtino adoptatus, deperiret Theodoram, ſcenicam et parum integrae exiſtimationis feminam, quippe *embolariam*, vti demonſtrauit ALEMANNVS (d): neque cum ea ſine dedecore, ſalua lege Papia Poppaea et Conſtantini M. conſtitutione, nuptiae fieri poſſent: facile perſuaſit IVSTINO, ſeni decrepito, vt edita conſtitutione illud Conſtantini M. edictum tolleret, et non modo clariſſimis ac perfectiſſimis viris, ſed illuſtribus etiam indecoras cum mulieribus ſcenicis nuptias concederet. Rem ita refert PROCOPIVS (e): Τότε δὴ τὴν ἐγγύειν πρὸς τὴν Θεοδώραν ἐνεχείρει ποιεῖν· ἀδύνατον δὲ ὂν, ἄνδρα ἐς ἀξίωμα βουλῆς ἥκοντα ἑταίρᾳ γυναικὶ ξυνοικίζεσθαι, νόμοις ἄνωθεν τοῖς παλαιοτάτοις ἀπορρηθὲν, λῦσαι τε τοὺς νόμους τὸν βασιλέα νόμῳ ἑτέρῳ ἠνάγκασε· καὶ τρεισθέντε ἅτε γαμετῇ τῇ Θεοδώρᾳ ξυνῴκησε, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι βάσιμον κατεσήσατο τὴν πρὸς ἑταίρας ἐγγύην. *Tum*

(a) *L. 7. C. de inceſt. nupt.*
(b) *Lib. VII. Var. cap. 40.*
(c) *Not. ad Caſſiod. l. c. pag. 318.*
(d) *Ad Procop. pag. 33.*
(e) *Anecdot. pag. 45.*

BIU Cujas

Tum IVSTINIANVS *cum Theodora moliri nuptias adgreditur. Nam quum viris senatoriis, (quod prisca lege cautum est,) vxorem ducere meretricem non liceat: ille principem, (*IVSTINVM,*) adigit ad legem noua constitutione euertendam. Et exinde Theodorae matrimonio iungitur, aditu reliquis ad meretricia connubia facto.*

Exstat etiamnum haec IVSTINI constitutio in codice nostro. (a) Quamuis enim illa IVSTINIANO tribui soleat, neque adnotati sint consules, quibus illa prodierit in lucem: non IVSTINIANI tamen: sed IVSTINI illam esse, partim inde inferri potest, quod NIC. ALEMANNVS (b) in vetere codice MSC. reperit IVST. quibus quatuor litteris Iustinum ἀναλφάβητον nomen suum exprimere solitum esse, tradit PROCOPIVS (c): partim quod illa scripta sit ad DEMOSTHENEM *praefectum praetorio*, quem sub IVSTINO seniore annis aerae Christianae 521. 522. et 523. splendidissimo illo munere perfunctum esse, ex alia constitutione eiusdem Iustini discimus. Et quid saepius contigit, quam vt IVSTINI constitutiones viri etiam eruditi, nominum similitudine decepti, Iustiniano tribuant? Exemplis sane compluribus id euicerunt NIC. ALEMANNVS (d) et PETR. RELANDVS (e), quos consuluisse non poenitebit.

Ipsa IVSTINI constitutio perquam lepida est, et de qua vere vsurpaueris illud SENECAE (f): *Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam* LEX CVM PROLOGO. Primo enim Imperator, rationem redditurus nouae legis: *Imperialis beneuolentiae proprium hoc esse*, ait, *vt omni tempore subditorum commoda tam inuestigare, quam eis mederi procuret.* Recte et sapienter. Sed dum statim ad curam illam imperialem et prouidentiam etiam id pertinere arbitratur, *vt lapsus mulierum, per quos indignam honore conuersationem elegerint, competente moderatione subleuentur*, id est, vt vilissimis scortis, et mulieribus scenicis via ad virorum perfectissimorum, senatorum, quin ipsorum principum lectos geniales emuniatur: id sane ille non tam facile persuadebit prudentioribus. Interest enim reipublicae, vt ista prostibula, quae verecundia sexus a turpissimo vitae genere non cohibuit, poenis potius coërceantur, quam vt eorum lapsus competente moderatione subleuentur. Multo minus publici saporis est illa Iustini philosophia: *Non debere iis spem melioris conditionis adimi, vt ad eam respicientes improuidam et minus honestam electionem facilius derelinquant.* Quasi vero proposita

(a) *L. 23. C. de nupt.*
(b) *Ad Procop. anecd. pag. 38. sequ.*
(c) *Anecdot. pag. 28.*
(d) *Ad Procop. pag. 116.*
(e) *Fast. consular. pag. 691.*
(f) *Epist. 94.*

BIU Cujas

spes impunitatis magis a libidine reuocet mulierculas, turpissimo quaestui deditas, quam metus infamiae ac publicae animaduersionis. Quasi non tanto procliuiores futurae sint ad quaeuis probra, si ad spem huiusmodi altioris fortunae erigantur. Quanto rectius de vulgi ingenio ARISTOTELES (a): οὐ γὰρ πεφύκασιν αἰδοῖ πειθαρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ· διὸ ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων διὰ τὸ αἰσχρὸν, ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας. *Non enim ita nati sunt homines, vt pudori obsequantur, sed vt* METVI: *nec vt abstineant a prauis ob turpitudinem, sed ob* SVPPLICIA *et* POENAS. Quare nescio an non paene improba sint, quae sequuntur: *Nam ita credimus, Dei beneuolentiam, et circa genus humanum nimiam clementiam, quantum nostrae naturae possibile est, imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, et poenitentiam suscipere nostram, et ad meliorem eam statum deducere.* Id scilicet erat Deum imitari, impuros Iustiniani amores lege iuuare, et mulieri scenicae et stupris infami viam pandere ad supremum inter homines fastigium. Ipsa porro lex prologo non admodum dissimilis est. Porro enim rhetoricatur IVSTINVS: *Itaque quum iniustum sit, seruos quidem libertate donatos posse per diuinam indulgentiam natalibus suis restitui, postque huiusmodi principale beneficium ita degere, quasi numquam seruissent, sed ingenui nati essent; mulieres autem, quae scenicis quidem ludis sese antea immiscuerunt, postea vero spreta mala conditione, ad meliorem migrarunt sententiam, et inhonestam professionem effugerunt, nullam spem habere principalis beneficii, quod eas ad illum statum reduceret, in quo si nihil inhonesti peccatum, (*fortasse *patratum,*) *esset, commorari potuerunt: praesente sanctione clementissima principale beneficium eis sub hac lege condonamus.* Sed vide tu mihi ratiocinandi acumen. Libertini possunt natalibus restitui: proinde et scenicae mulieres et corpora quaestuaria a senatoriis nuptiis non sunt arcenda. Seruilis conditio in se non turpis, sed miserrima est, et hinc, quum in eam inuitos plerumque fortuna demergat, commiseratione digna: at mulieres istae sua sponte in vitae genus turpissimum ruunt, odio hinc et poenis, quam commiseratione, digniores. IVSTINVS tamen et his permittit, *vt, si derelicta mala et inhonesta conuersatione, commodiorem vitam amplexae fuerint, honestatique se dederint: liceat eis supplicare Numini,* (IVSTINO) *vt diuinos adflatus,* (rescriptum principale,) *sine dubio mereantur, et tunc ad matrimonium venire* possint *legitimum, his, qui eis iungendi sint, nullo timore tenendis, ne scitis praeteritarum legum infirmum esse videatur tale coniugium, sed ita validum permanere tale matrimonium, confidentibus, quasi nulla prae-*

(a) *Ethic. Lib. X. cap. vlt.*

BIU Cujas

praecedente inhoneſta vita, vxores eas duxerint, ſiue dignitate praediti ſint, ſiue alio modo ſcenicas in matrimonium ducere prohibeantur, dum tamen dotalibus omnino inſtrumentis non ſine ſcriptis tale probetur coniugium. Accedunt et alia, quae ad deſtruendam legem Papiam Poppaeam et Conſtantini M. conſtitutionem pertinent: veluti, quod et *liberos ex tali matrimonio procreandos, ſuos et legitimos patri eſſe, licet alios ex priore matrimonio legitimos habeat*, iubet, quodque mulieribus huiusmodi, etiamſi poſt diuinum reſcriptum, ad matrimonium venire diſtulerint, *ſalua nihilominus eſſe debeat exiſtimatio, tam in aliis omnibus, quam ad tranſmittendam, quibus voluerint, ſuam ſubſtantiam, et ſuſcipiendam competentem ſibi legibus ab aliis relictam, vel ab inteſtato delatam hereditatem.* Talis eſt IVSTINI conſtitutio, in qua et id notatu dignum videtur, quod quum Conſtantinus etiam ancillas, libertas, tabernarias, earumque et lenonum ac arenariorum filias, nec non, quae mercimoniis publice praefuerint, conſtitutione ſua notaſſet: IVSTINVS non niſi mulierum ſcenicarum meminerit, vt eo minus poſſet dubitari, in ſolius Theodorae gratiam, quae ex illa faece hominum erat, totam hanc legem conditam fuiſſe.

V. Neque tamen hic ſubſtitit IVSTINIANI in euertenda hac lege induſtria. Ducta enim Theodora, paullo poſt rerum potitus, ab hac inſigni cura auſpicatus eſt imperium, nouamque *ad omnes magiſtratus* conſtitutionem miſit, qua denuo ratas eſſe iuſſit ſenatorum cum ſcenicis mulieribus nuptias, addiditque, ad eiuſmodi matrimonium ne diuino quidem illo adflatu, ſeu reſcripto principali, quod IVSTINVS exegerat, in poſterum opus fore mulierculis, ſed ſuffecturas ipſis dotales tabulas. Non exſtat integra illa conſtitutio, ſed ipſe tamen eam collaudat et fuſius recenſet IVSTINIANVS (a), cuius ex verbis ſimul quodammodo tempus, quo edita eſt, diuinare licet. Ait enim, *conſtitutionem hanc poſitam eſſe in quinto libro omnium conſtitutionum, ſuae pietati cognominis libri.* Manifeſto vero loquitur de codice Iuſtinianeo, quem ſcribi coeptum anno 528. idibus Februariis, palam eſt (b). Ipſe vero Iuſtinianus quum imperare coeperit menſe Auguſto anni 527. inter quos temporis characteres non niſi ſemeſtre intercedit ſpatium: conſequens eſt, vt primo ſtatim imperii anno conſtitutionem illam ediderit, quum recentiſſima adhuc eſſet nuptiarum cum ſcenica muliere contractarum memoria.

Sexennio poſt, anno 534. ſimilem iterum promulgauit conſtitutionem,

(a) *L. 33. pr. C. de epiſc. aud. L. 29. C. de nupt.*

(b) *Conſt.* Haec quae neceſſario *de nouo cod. fac.*

BIU Cujas

nem, eamque *ad omnes vbique terrarum episcopos* misit, quasi et ecclesiae interesset, scenicas mulieres nubere senatoribus, et quasi immineret periculum, ne si eorum thalamis excluderentur, aliquid detrimenti caperet Christiana respublica. Ita enim fere Imperator in illa constitutione (a), quam et Graece edidit ALEMANNVS (b), loquitur: *Quoniam enim oportebat, per praesentem sanctionem, et vobis vbique terrarum positis religiosissimis episcopis haec facere manifesta: quare congregantes, quae ad ipsam pertinent, expositione latiore sancita, etiam eamdem diuinam constitutionem fecimus ad vos,* ὅπως τὴν ἱερατικὴν διασώζοντες σεμνότητα καὶ ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΣ ἀντεχόμενοι τοῦτο φυλάττοιτε τότε ἐκ τοῦ μεγάλου θεοῦ δέους καὶ βασιλικὴν ἀγανάκτησιν εἴπ τινων παραβαίοιτε λογιζόμενοι *vt sacerdotalem conseruantes reuerentiam, et* CONTINENTIAE *studiosi, haec custodiatis, tam* MAGNI DEI METVM, *quam imperialem indignationem, si quid horum praetermiseritis, considerantes.* Ceterum hac constitutione non solum vetuit inuitam mulierem, aut ancillam aut libertam in scenam vel orchestram protrahi, iis, qui eam conuerti volentem prohibuerint, eiusue fideiussores ad certum auri modum redigerent, publicationem bonorum et relegationem interminatus: verum etiam *licentiam dedit, conuersis huiusmodi mulieribus, liberis et ingenuis exsistentibus, ad matrimonium transire legitimum, etiamsi contigerint honestissimis dignitatibus, qui illas duxerint, decorati, non amplius indigentibus imperialibus rescriptis, sed sua potestate nuptias celebrantibus, nuptialibus instrumentis omnimodo inter ipsos factis.* Quae eadem et de filiabus scenicarum intelligi iubet.

Hucusque scenicis tantum mulieribus consuluerant IVSTINVS et IVSTINIANVS, nec dum eius priuilegii participes erant ancillae, ancillarumque filiae, libertinae aliaeque, quas Constantinus indignas iudicauerat senatorum connubio. Ast quinquennio post, anno 539. totam illam Constantini M. constitutionem vna veluti litura inducens: (c) *Etsi*, inquit, *certa a Constantino piae memoriae, in constitutione ad Gregorium scripta, quaedam de talibus dicta sunt filiis, haec non recipimus: quoniam et non vtendo perempta est. Phoeniciarcharum enim et Syriarcharum, et magistratuum, et insignium meminit, et clarissimorum, et neque naturales esse vult ex his procedentes, amouens eis etiam imperialis munificentiae mansuetudinem. Quam videlicet constitutionem* OMNINO PERIMIMVS. Ita euanuit hoc primum, multoque magis secundum legis Papiae Poppaeae caput: quamuis caussa, quam interserit imperator, ac si non

(a) *L. 33. §. 1. C. de episc. aud.*
(b) *Not. ad Procop. anecdot. pag. 41.*
(c) *Nou. LXXXVIIII. cap. 15.*

BIU Cujas

si non vtendo peremta esset Constantini constitutio, plane falsa sit. Praeterquam enim, quod non sequitur, vt, si Phoeniciarcharum et Syriarcharum nomina Iustiniani temporibus non amplius audiebantur, constitutio illa, quae etiam de viris perfectissimis et senatoribus agit, ab vsu recesserit: ipse etiam PROCOPIVS (a) testatur, constitutionem illam ante IVSTINIANI tempora tam religiose fuisse obseruatam, vt ἀδύνατον visum fuerit, ἄνδρα ἐς ἀξίωμα βουλῆς ἥκοντα ἑταίρᾳ γυναικὶ ξυνοικίζεσθαι, quandoquidem id fuerit *virum ad senatoriam dignitatem euectum meretricem vxorem ducere:* νόμοις τοῖς παλαιοτάτοις ἀπορρηθέν, *legibus antiquissimis prohibitum.*

Vix biennio circumacto denuo hanc Constantini constitutionem, sibi tam exosam, tollit IVSTINIANVS (b) qui et alibi (c) toties eamdem rem agit, vt nihil enixius voluisse videatur, quam vt sublata e republica legis Papiae Poppaeae, et Constantinianeae constitutionis memoria matrimonii cum Theodora contracti ignominia minueretur, aliorumque saltim imitatione ei exemplo color aliquis paullatim accederet.

(a) *Anecdot. pag.* 45.
(b) *Nou. CXVII. cap.* 6.
(c) *Nou. LXXVIII. cap.* 3. *et Nou.* LI.

* * * * * * * * * * * *

CAPVT III.

AD CAPVT III. LEGIS PAPIAE POPP.

DE SEXAGENARIIS, QVINQVAGENARIIS ET SPADONIBVS.

I. PRoximum *fuisse videtur caput de sexagenariis, quinquagenariis et spadonibus.* II. *An lex Papia Poppaea inter sexagenarios et quinquagenarias nec non cum spadonibus nuptias esse vetuerit?* Iac. Perizonius *laudatus. Sexagenarios et quinquagenarias lex Papia Poppaea poenis potius soluit. Argumenta, quibus vulgo probant sententiam priorem. Locus* Suetonii *et* Vlpiani *explicatus. Distincte proponuntur caput legis tertium et SCtum sub Tiberio et Claudio facta.* III. *Legis caput expositum. Homines quamdiu generare et parere possint?* IIII. *Spadones quinam? Locus* Nonii *emendatus. Lex*

BIU Cujas

Maenia quando lata? V. *SCum non Pernicianum, sed Persicianum dicendum.* Iac. Perizonius *laudatus. Ex eo senatusconsulto senum nuptiae haud rescindebantur. Spadonibus saepe nuptae mulieres.* L. 39. D. de iure dotium L. 10. C. de repudiis *explicatae.* VI. *SC. Claudianum.* VII. *SCum Caluisianum. An dicendum Caluitianum? An idem cum Claudiano? Impar matrimonium.* VIII. *Quando hoc caput vna cum SCtis illis abrogatum. Spadonum nuptias primus inhibuit Leo.* Petrus Gregorius *defensus.*

I. PRoximum procul dubio fuit caput de SEXAGENARIIS, QVINQVAGENARIIS et SPADONIBVS. Eodem enim libro primo commentariorum, quo de senatoriis nuptiis egerat, etiam quis SPADO sit, explicauit VLPIANVS (a). Vnde acute colligit IAC. GOTHOFREDVS, de *spadonibus*, et aliis fortasse, qui procreandis liberis sufficere haud videbantur, capite statim proximo legis Papiae Poppaeae sancitum aliquid fuisse.

II. Quamuis autem id vero videatur simillimum: quale tamen illud caput fuerit, paullo videtur obscurius. Plerique Augustum nuptias sexagenariorum et quinquagenariarum prohibuisse existimant, quippe quae nupturientium aetas fini legis Papiae Poppaeae quam maxime aduersetur. Et ita veluti ex compacto scripserunt ANT. AVGVSTINVS (b), IVSTVS LIPSIVS (c), BARN. BRISSONIVS (d), FR. HOTOMANVS (e), IANVS VINC. GRAVINA (f), et IAC. GOTHOFREDVS (g), qui hoc legis caput tale fuisse suspicatur: *Sexagenario masculo, quinquagenariae feminae nuptias contrahere, ius ne esto; post eos tantum annos coniuges poenis huius legis soluuntor: Spadonibus item nuptias contrahere ius ne esto.*

Et non desunt quidem, quae hanc sententiam stabilire videntur, testimonia. Primo enim SENECA in insigni apud LACTANTIVM (h) fragmento: *Quare*, inquit, *apud poëtas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? vtrum* SEXAGENARIVS *factus est, et illi* LEX PAPIA *fibulam imposuit? an impetrauit ius trium liberorum?* Decerptus hic locus est ex SENECAE libris philosophiae moralis, in quibus poëtarum θεογονίας exagitasse videtur philosophus. Quaerit igitur, si verae sint illae a poëtis

(a) VLP. *Lib. I. L. 128. D. de Verb. Sign.*
(b) *De Legib. et SC. pag. 1213. Tom. II. Thesaur. Graeu.*
(c) *Exc. ad Tacit. Ann. Lib. III. C.*
(d) *De iure connub. pag. 160.*
(e) *De legib. pag. 87.*
(f) *De leg. et SC. §. 37.*
(g) *Leg. Pap. Popp. cap. 2.*
(h) *Lib. I. Inst. diu. cap. 16.*

BIU Cujas

poëtis celebratae deorum generationes: cur desierit iam Iupiter liberos tollere, quum fingatur salacissimus, quique se olim in omnes paene formas composuerit, vt amoribus furtiuis potiretur? *An*, inquit, *sexagenarius* factus est, quo aetatis anno non amplius licet vxorem ducere, liberorum quaerendorum caussa? *An* LEX PAPIA *fibulam imposuit?* Fibula vero, teste CORNELIO CELSO (a), erat circulus, quo verenda constringebant comoedi et cantores, qui vocem seruare, acutioremque reddere cuperent. Qua de re IVVENALIS (b):

Soluitur his magno comoedi FIBVLA, *sunt quae*
Chrysogonum cantare vetent.

Et MARTIALIS (c):

Dic mihi simpliciter, comoedis et citharoedis
FIBVLA, *quid praestas?*

Quum ergo infibulati isti nebulones non possent non ad Venerem tardiores esse: facile patet, quid sibi velit SENECA, dum Ioui lege PAPIA fibulam impositam esse, acute scribit.

Eodem quibusdam pertinere videtur locus VLPIANI: (d) *Aliquando vir et vxor solidum inter se capere possunt, si vtrique lege Papia Poppaea* FINITOS ANNOS *in matrimonio excesserint.* Eo enim confirmari videtur, quod visum est GOTHOFREDO ad sexagesimum vsque annum viris; ad quinquagesimum feminis permissas fuisse nuptias, eosque coniuges, qui illam aetatem in matrimonio excesserint, immunes fuisse a poenis orbitatis. Clarissimus porro videtur locus IVSTINIANI (e): *Nuptiae, quae inter masculos et feminas maiores vel minores sexagenariis vel quinquagenariis* LEGE IVLIA et PAPIA *prohibitae sunt, homines volentes contrahere, ex nullo modo vel ex nulla parte prohibeantur.*

Denique et spadonibus non magis, quam senibus licuisse per hanc legem nuptias contrahere, non solum ex *lege* 128. *D. de* Verb. Sign. colligi posse videtur, verum etiam ex hoc loco MARTIALIS (f):

Spadone

(a) *Lib. VII. cap.* 25.
(b) *Sat. VI. v.* 73.
(c) *Lib. XI. Epigr.* 17.
(d) *Fragm. tit.* 16. §. 1.
(e) *L.* 27. *C. de nupt.*
(f) *Lib. V. Epigr.* 42.

BIU Cujas

Spadone quum ſis euiratior fluxo,
Sedere in equitum an liceat tibi ſcamnis,
Videbo, Didyme: NON LICET MARITORUM.

Lege ergo aliqua ſpadonibus interdictum fuiſſe oportet, ne ducerent vxores, eaque non alia eſſe potuit, ac Papia Poppaea *de maritandis ordinibus.*

Sed quamtumuis haec ſpecioſa videantur: luculenter tamen, rem aliter ſe habere, docuit V. C. IAC. PERIZONIVS (a). Nam qui hujus capitis mentionem facit, SVETONIVS (b), tres eiusdem veluti periodos diſtinguit, dum de Claudio refert, *eum* CAPITI PAPIAE LEGIS, *a Tiberio Caeſare, quaſi ſexagenarii generare non poſſint*, ADDITO, OBROGASSE. Ex hoc vero quantiuis pretii loco, quem a vi priuata criticorum, et ipſius IAC. GOTHOFREDI iam vindicauit IAC. PERIZONIVS, clariſſime patet, primo nihil de ſexagenariorum et quinquagenariarum nuptiis prohibendis lege Papia Poppaea cautum fuiſſe: deinde illud caput ADDITVM fuiſſe a Tiberio Imperatore: ac denique ei capiti a Tiberio addito obrogaſſe Claudium. *Obrogare* autem *eſt aliquid mutare ex prima lege*, vti id vocabulum interpretatur VLPIANVS (c).

Quae ita paullo obſcurius notauit SVETONIVS, ea diſtinctius exponit VLPIANVS (d), cuius ipſa verba vt vt paullo prolixiora adſcribere iuuabit: *Qui intra ſexageſimum, vel quae intra quinquageſimum annum neutri legi paruerit, licet* IPSIS LEGIBVS *poſt hanc aetatem liberatus eſſet, perpetuis tamen poenis tenebitur* EX SC. PERNICIANO. *Sed* CLAVDIANO SC. *maior ſexagenario, ſi minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur, ac ſi minor ſexaginta annorum duxiſſet vxorem. - - Quod ſi major quinquagenaria minori ſexagenario nupſerit, impar matrimonium adpellatur, et* SC. CALVITIANO *cauetur, non proficere ad capiendas hereditates et legatas dotes. Itaque mortua muliere dos caduca erit.*

Ex hoc demum loco intelligimus, primo quale fuerit illud legis Papiae Poppaeae caput, cui SC. nouum quid adiecerit Tiberius. Auguſtus nimirum poenis caelibatus exemerat ſexagenarios et quinquagenarias, quibus ipſa effaeta ſenectute natura vacationem dediſſe videbatur praeſtandae rei publicae prolis. Idemque credere par eſt de ſpadonibus, qui, ne ſi vellent quidem, liberis locupletare poterant rem publicam. Vnde tale fuiſſe crediderim legis Papiae Poppaeae caput tertium:

Omnes

(a) *Diſſ. de lege Vocon. pag. 153. ſeq.*
(b) *Claud. cap. 23.*
(c) *Fragm. tit. 1. §. 3.*
(d) *Ibid. tit. 16. §. 3.*

BIU Cujas

Omnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quaerundorum cauſſa inire tenentor. Sexagenarii maſculi et quinquagenariae feminae, nec non SPADONES *a poenis huius legis liberi ſunto.*

Deinde idem VLPIANI locus argumento eſt, Tiberium, quum animaduerteret, multos, qui neutri legi paruiſſent, ad eam aetatem peruenire, auctorem fuiſſe ſenatusconſulti, quod *Pernicianum* vocat Vlpianus, quo patres conſcripti ſexagenariis maſculis et quinquagenariis feminis nuptias ad euitandas caelibatus poenas prodeſſe vetarent. Quare tale procul dubio fuit hoc SC.

Vti ſexagenariorum et quinquagenariarum nec non Spadonum, nuptiae ne ſient: ſiue ſient, vir et vxor poenis caelibatus perpetuo teneantur.

Tertio et qua in re Claudius Imperator capiti iſti, a Tiberio addito, obrogarit, ex eodem VLPIANI loco adparet. Perpetuis enim caelibatus poenis exemit ſexagenarios, dummodo non effoetas, et quibus vterus iam exaruiſſet, ſed quinquagenaria minores vxores duxiſſent, ſiquidem ex eo matrimonio adhuc proles quodammodo ſperari poſſe videbatur. Senatus conſultum ergo Claudianum ita ſe procul omni dubio habuit.

Vti qui maior ſexagenario minorem quinquagenaria duxerit, perinde habeatur, ac ſi minor ſexaginta annorum vxorem duxiſſet.

Haec omnia SVETONIVS obſeruauerat: VLPIANVS vero et id poſtremo addit, prodiiſſe demum SC, quod Caluitianum vocat, quo cautum, vt, quod ſeni maſculo, ducenti iuuenculam indulſiſſet Claudius, non procederet in nuptiis vetulae cum viro iuuene, ex quibus nulla ſpes eſſet proditurae ſobolis. Quamobrem tale fuiſſe oportet SC. Caluitianum:

Vti quae quinquagenaria maior minori ſexagenario nupſerit, quiue minor ſexagenario maiorem quinquagenaria duxerit, eis impar illud matrimonium ad capiendas hereditates doteſue legatas ne proficiat, ſed dos, mortua muliere, caduca fiet.

Hoc ergo eſt tertium legis Papiae Poppaeae caput: hae mutationes, quas illud paullatim ſubiit. Quibus obſeruatis, facile patet, quid de argumentis ſupra allatis ſentiendum ſit. SENECAE et IVSTINIANI teſtimonia, quamuis legis Iuliae et Papiae faciant mentionem, non tamen

BIU Cujas

de ipsa lege, sed de SCtis ad illam factis agunt. *Quae vero SCta ad leges sequuta, ea ipsis legibus saepe tribui solent*, vti ipse obseruat vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS (a), qui, quum id fateatur circa legem Iustiniani, idem facile procul dubio subolfeciſſet de loco SENECAE, si illum cum VLPIANO contendere voluiſſet paullo attentius. Quod vero ex eiusdem VLPIANI fragmento ducitur argumentum, plane est ἀπερσοδιόνυσον, quippe quo non demonstratur, legem Papiam Poppaeam inter sexagenarios et quinquagenarias nuptias prohibuisse, sed solidum inter se capere potuisse coniuges, tametsi orbos, dummodo illos annos in matrimonio exceſſiſſent. Qua de re infra, vbi de solidi capacitate erit agendum, plura monebimus.

III. Quum ergo quale fuerit tertium legis PAPIAE POPPAEAE caput, quaeque illi subinde SCta acceſſerint, satis adhuc fuerit demonstratum: proximum est, vt de singulis iam vberius agamus.

Diximus, Augustum poenis caelibatus soluiſſe eos easque, qui quaeue caelibes ad senectutem peruenisſent. Ita enim diserte VLPIANVS: *Qui intra sexagesimum, vel quae intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit*, IPSIS LEGIBVS *post hanc legem liberatus erat*. Itaque haec procul dubio exceptio fuit a regula, quam lex praescripserat, vt omnes puberes ac viri potentes inirent matrimonium, si poenas effugere coelibatus vellent. Hinc caput istud ita restituimus: *Omnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quaerundorum causſa inire tenentor. Sexagenarii masculi, quinquagenariae feminae, a poenis huius legis liberi sunto.*

Iussit ergo Augustus, VT OMNES PVBERES VIRIQVE POTENTES LIBERORVM QVAERVNDORVM CAVSSA INIRENT MATRIMONIVM. Nam huius modi quid hac lege cautum fuisse, non ipse tantum finis, qui Augusto obuersabatur, indicat, sed et ex veterum testimoniis idem clarissime intelligitur. Saltim TERTVLLIANVS (b) auctor est leges Papiam & Iuliam, quas ideo *vaniſſimas* vocat, COEGISSE *matrimonium contrahi, et liberos suscipi*. Et SCHOLIASTES HORATII a CRVCQVIO editus (c): *Lex marita*, inquit, *dicitur, quae de maritandis ordinibus lata erat, quae et Iulia dicta est. Caesar enim post bellum legem tulit, ne quis aut* CAELEBS *esset, aut vidua* NVBILIS, *quo posset iactura iuuenum reparari, quae bellis ciuilibus contigerat*. Hinc etiam ii, qui vxores duxerant, *liberorum quaerendorum causſa* dicebantur paruisse legi Iuliae et Papiae, veluti apud IVVENALEM (d) Vrsidius, de quo poeta:

Sed

(a) *Not. ad Leg. Pap. Popp. pag.* 332.
(b) *Apologet. cap.* 4.
(c) *Schol. ad Horat. Epod. XVIII.*
(d) *Sat. VI. v.* 38. *seqq.*

BIU Cujas

Sed placet Vrſidio LEX IVLIA, TOLLERE *dulcem*
Cogitat HEREDEM, *cariturus turture magno*
Mulorumque iubis et captatore Macello.

Et hinc legis iuſſu nubere dicebantur, qui iuſtum inibant matrimonium. MARTIAL. *Epigr. Lib. V. epigr.* 76.

Quae LEGIS IVSSV *nupſit tibi, Laelia, Quinte,*
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Et OVID. *de art. amand. Lib. II. verſ.* 157 *ſequ.*

Non LEGIS IVSSV *lectum vexiſtis in vnum,*
Fungitur in vobis munere legis amor.

APVLEI. *Apolog. II.* ſub finem: *vxorem ducis, leges iubent.* Quae omnia docent, legem Papiam, (etenim de hac loca iſta loquuntur), praeceptum hoc complexum eſſe, vt omnes ingenui puberes vxores ducerent, ceu et vir doctiſſimus, PETR. PERRENON. *Animaduerſion. Lib. I. cap.* 9. obſeruauit.

Voluerat igitur Auguſtus omnes puberes et nubiles contrahere matrimonium: eique capiti commode ſubiunxit exceptionem: SEXAGENARII MASCVLI, QVINQVAGENARIAE FEMINAE A POENIS HVIVS LEGIS LIBERI SVNTO. Vulgo ſexagenaria aetas credebatur generandi vires exſtinguere. Quamuis enim, ARISTOTELE (a) iudice, ad ſeptuageſimum annum veneri ſufficiant maſculi: neque deſint eorum exempla, qui multo prouectiore aetate liberos dicuntur procreaſſe (b): tamen, quum, vti recte apud PAVLLVM (c) noſtrum THEOPHRASTVS docet, τὸ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσι οἱ νομοθέται: ſexagenarios procreandis liberis haud ſufficere lex noſtra ſtatuit, qua aetate et arrogare demum licebat Romanis, quia antea magis liberorum creationi ſtudere debent patres familias (d). De femina vero inter omnes conſtabat, eam poſt quinquageſimum aetatis annum haud parere, idque et PAVLLVS (e) agnoſcit, dum ad edictum ſcribit: *ſi ſterilis ancilla ſit, cuius partus venit, vel* MAIOR ANNIS QVINQVAGINTA, *quum id emtor ignorauerit, ex emto tenetur venditor:* nec non ipſe IVSTINIANVS (f), qui conſultus ab aduocatione Caeſariana, *an ſi maior quinquagenaria partum ediderit, huius modi ſoboles patri ſuccedere debeat?* reſpondet, *licet mirabilis huius modi partus inueniatur, et raro contingat: nihil tamen eorum, quae probabiliter a natura noſcuntur eſſe producta, reſpui.* Quum ergo hos ſenes vel ad matrimonium adigere, vel eo tempore, quo generare & parere haud poterant, poe-

V 2 nis

(a) *Hiſt. animal. Lib. V.*
(b) *Plin. Hiſt. nat. Lib. VII. cap.* 14.
(c) *L.* 6. *D. de legib.*
(d) *L.* 15. §. 2. *D. de adopt. et emancip.*
(e) *L.* 21. *pr. D. de act. emt.*
(f) *L.* 12. *C. de legit. her.*

BIU Cujas

nis caelibatus ac orbitatis adficere, absonum videretur: Augustus eos ab illo tempore immunes esse iussit a poenis caelibatus, eatenus, vt post sexagesimum annum masculi, post quinquagesimum feminae, qui quaeue legi haud paruerant, poenis his non amplius subiicerentur, eaeque ab iis annis cessarent, quibus ipsa natura senibus vacationem huius muneris dedisset.

IIII. Eadem benignitate et SPADONIBVS gratiam legis Papiae Poppaeae fecit. Quum vero et alias speciatim spadones dicantur, οἱ βαλανηλοι, qui valetudine praepediti, aut vitio corporali, liberis operam dare nequeunt, et ita opponantur castratis et eunuchis, quibus necessaria ad generandum pars corporis deest (a): hic tamen tam *generalis est spadonum adpellatio: vt eo nomine et hi, qui natura spadones sunt, item thlibiae, et thlasiae, et si quod aliud spadonum genus est, contineantur* (b). Siue enim natura quis ad Venerem inhabilis, siue hominum aliorum scelere exsectus, euiratusque esset: nulla eius culpa erat, quae mereri videretur animaduersionem: nec magis exsectus liberorum procreationi studere poterat, quam quos morbus aut valetudo impediebat (c). Aliud statuendum de eo, qui se ipsum exsciderat. *Qui enim*, vti apud NONIVM (d) ait VARRO, *patriam, maiorem parentem, exstinguit, in eo est culpa: quod facit pro sua parte is, qui se* EVNVCHAT, *ut ne aliquando liberos producat.* Ita enim restituenda existimo verba extrema, *aut aliqua liberos producit.* Vbi et obiter moneo, legem *Maeniam* dictam fuisse, ad quam haec scripsit VARRO, non, uti alii vocant, *Maniam*, vel *Miniam.* Nota enim est gens MAENIA vel MAINIA, PATINO (e) etiam MAIANIA, cuius permulti denarii exstant apud VAILLANTIVM. Legem illam Io. FREINSHEMIVS (f) latam existimat anno v. c. 466. *M. Valerio Potito* et *C. Aelio Paeto* coss. Sed compertum mihi est, rogationi isti nomen esse inditum a *C. Maenio Nepote*, qui vna cum *L. Furio Camillo* consul fuit anno v. c. 416. Anno enim praecedente lex, teste LIVIO (g), lata est, *vt legum, quae centuriatis comitiis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent.* Et quamuis eam legem tribuere videatur Q. Publilio, dictatori: facile tamen fieri potuit, ut Publilius C. Maenium, consulem ex plebe designatum rogationem plebi secundissimam ad populum ferre iusserit; ab eo-

(a) *L. 6. L. 7. D. de aedil. edict. L. 14. D. de manumiss. vind. L. 6. D. de liber. et postum.*
(b) VLP. *Lib. 1. L. 128. D. de verb. signif.*
(c) *L. 15. §. 2. D. de adopt.*
(d) *De verb. sign. cap. 2. n. 289.*
(e) *De famil. Rom. p. 163.*
(f) *Suppl. Liu. Lib. XI. cap. 27. seqq.*
(g) *Lib. VIII. cap. 12.*

BIU Cujas

eoque lex dicta sit Maenia, quemadmodum eam binis locis NONIVS (a), et CICERO (b) ita vocant.

Tale fuit caput tertium legis PAPIAE POPPAEAE. Caue itaque credas, Augustum viris sexagenariis et mulieribus quinquagenariis nuptiis interdixisse. Saepe eius modi nuptias contrahebant Romani, non tantum ante legem Papiam, verum et illa iam lata. Notus est Ciceronis iocus, cuius meminit QVINCTILIANVS (c). Obiurgatus enim ab amicis, quod annos 62. natus Publiliam puellam duceret, respondisse fertur: *cras mulier erit.* Nec ignotum est Apuleii matrimonium cum Pudentilla, de quo mox plura dicemus. Equidem non videbatur id matrimonium honestum, quia LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA non contrahebatur, et hinc Augustus Septiciae, quae filiis irata cum iam parere non posset, Publicio seni admodum nupserat, et nuptias, et suprema iudicia, teste VAL. MAX. (d) improbauit, quin et dotem virum retinere vetuit, non autem ideo prohibitum erat inter senes matrimonium, eaque extraordinaria fuit Augusti seueritas, non tam nuptiis senilibus, quam defraudatione liberorum prouocata. Maneat itaque, primum hoc caput legi Papiae Poppaeae addidisse Tiberium, persuasum, generare non posse sexagenarios, vti iam e Suetonio vidimus.

V. Factum id est SCto, quod PERNICIANVM vocat VLPIANVS, sed perperam, quum Pernicius, qui illi SCto nomen facere potuerit, nullus in fastis monimentisque vetustis occurrat. Hinc ingeniose laudatissimus PERIZONIVS (e) conditum illud esse suspicatur sub consulatu PAVLLI FABII PERSICI, qui vna cum *L. Vitellio* fasces consulares tenuit, tertio ante excessum Tiberii anno. Fabios enim illos a solo plerumque cognomine Persicos adpellatos fuisse, cum e SENECA (f), tum ex illa Claudii imp. oratione apud GRVTERVM (g), vbi PERSICVS, NOB. VIR AMICVS CAES. memoratur, discimus. Vnde vix dubitandum, quin istud SC. non *Pernicianum*, sed *Persicianum* dicendum sit, ejusque natalis incidat in annum ab v. c. 786.

Ceterum eo cautum fuisse diximus, VTI SEXAGENARIORVM ET QVINQVAGENARIARVM NEC NON SPADONVM NVPTIAE NE SIENT. Opus itaque saepe numero erat probatione aetatis, quae ex tabulariis publicis petebatur, ita tamen vt si diuersae professiones proferrentur, non *ea potissimum staretur, quae noceret, sed caussa cognita veritas excuteretur, et ex eo potissimum anni computarentur, ex quo praecipuam fidem ea in*

(a) *Ibid. et num.* 785.
(b) *Brut. cap.* 14.
(c) *Inst. orat. Lib. VI. cap.* 4.
(d) *Lib. VII. cap.* 7. §. 4.
(e) *De leg. Vocon. pag.* 156.
(f) *De benefic. Lib. II. cap.* 21.
(g) *Inscr. pag.* 502.

BIU Cujas

re conſtare credibilius videretur, vti eleganter reſcripſit Traianus vel Hadrianus apud CELSVM (a). Ceterum plerique, qui vel in hoc SC. incidunt, vel iſtud ius ipſa lege Papia Poppaea ſtabilitum eſſe contendunt, illud parum recte videntur intellexiſſe. Irritas enim ac reſcindendas fuiſſe huiuſmodi nuptias, tantum non omnes putant, perperam intelligentes IAC. GOTHOFREDVM (b), qui *eas nuptias* ait *in totum fuiſſe prohibitas: item poſt hos annos contrahere nuptias nulli licuiſſe: ſenibus ademtam nuptiarum contrahendarum poteſtatem, et veluti fibulam fuiſſe impoſitam: denique nuptias has, veluti vero coniugii ſine deſtitutas, prohibitas hac lege indefinite fuiſſe*: et quae ſunt huius generis alia. Sed non magis has nuptias SCtum Perſicianum reſcindebat, quam lex Papia Poppaea matrimonium ſenatoris cum libertina. Iniuſtae erant iſtae ſenum nuptiae, quia contra SCtum fuerant contractae, unde et a poenis caelibatus haud amplius liberabant: attamen ideo non erant reſcindendae. Iniuſtae enim nuptiae conſtabant, quamuis ciuili effectu deſtitutae, adeo, vt vir accuſare huiusmodi vxorem poſſet adulterii (c), quod non poterat, ſi nullum eſſet inter virum et adulteram matrimonium (d). Hinc quum Pudentillam, quam ſexagenariam ferebant accuſatores, vxorem duxiſſet Apuleius: non id agebant tamen eius aduerſarii, vt reſcinderetur matrimonium, ſed poenam irrogatam volebant marito, quod feminam carminibus ac veneficio ad has nuptias pellexiſſet (e). Immo, quis ſibi perſuaſerit, ſenum nuptias reſciſſas fuiſſe poſt illud SCtum, quum ne ſpadonum quidem matrimonia reſcinderentur? Vulgo equidem docent, matrimonium eos contrahere non potuiſſe, *L.* 39. *D. de iure dot.* adeoque nec ancillam matrimonii cauſſa manumittere, *l.* 14. *fin. D. de manum. vind.* neque illis dotem fuiſſe, neque dotis actionem, *d. l.* 39. ſed vinculum illud oportuiſſe diſſolui, *l.* 60. *ſeq. de donat. inter vir. et vx. l.* 10. *C. de repud. Nouell.* XXXII. *cap.* 6. Enimuero conſtitiſſe etiam cum ſpadonibus matrimonium, facile demonſtrabitur. VLPIANVS (f) diſputans, an dotis actio locum habeat, ſi mulier ſpadoni nupſerit? Diſtinguendum arbitratur, caſtratus fuerit, nec ne, et in caſtrato quidem dotem eſſe negat, at in eo, qui non ſit caſtratus, quia ſit matrimonium, et dotem et dotis actionem eſſe adfirmat. Si caſtratorum nuptias ſtare non paſſae ſunt leges, quî potuit quaeſtio naſci de dote? Sic et alibi quaerit iureconſultus, poſſitne ſpado poſtumum heredem ſcribere? Eamque quaeſtionem

(a) CELS. *Lib. XXX. L.* 13. *D. de probat.*
(b) *Not. ad Leg. Pap. Popp. pag.* 318.
(c) *L.* 13. §. 1. *D. ad Leg. Iul. de adult.*
(d) *L.* 13. §. 4. *eod.*
(e) APVLEI. *Apol.* 11. *p.* 317.
(f) *L.* 39. *D. de iure dot.*

BIU Cujas

nem simili distinctione expedit (a). Quî potuisset huiusmodi quaestio incidere, si non constitissent spadonum matrimonia? Subsistebant ergo eatenus, vt non rescinderentur, quamuis iura maritorum ipsis negarent leges. Quin Romae huiusmodi nuptiae erant frequentissimae, postquam a virtute descitum, et ad vitia transcursum fuerat. Notat huiusmodi coniunctionem IVVENALIS (b):

Quum tener VXOREM DVCAT SPADO; *Maeuia Tuscum*
Figat aprum, - -
Difficile est Satyram non scribere.

Idemque alio loco (c) hanc eiusmodi impurorum complexuum rationem reddit, quod sic *abortiuo non sit opus*: quae ratio facile etiam inducere potuit feminas, vt tabulas cum spadonibus signarent: quemadmodum saeculo adhuc quarto nuptias celebrauit Eutropius spado, de quo CLAVDIANVS (d):

At soror, et si quid portentis creditur, VXOR
Mulcebat matres epulis, et more pudicae
Coniugis EVNVCHI *celebrabat vota* MARITI.

Non ergo huiusmodi nuptiae a Romanis rescindebantur, quamuis ipsi rectae rationi aduersarentur. Neque id probant leges, quas vulgo eam in rem allegant. De *l.* 39. *D. de iure dot.* iam egimus, vidimusque, vix potuisse incidere quaestionem de dote dotisque actione, si leges non passae essent stare huiusmodi matrimonium. Neque CAIVS et HERMOGENIANVS in *l.* 60. *et sequ. de donat. inter vir. et vxor.* de dissolutione huius matrimonii loquuntur, sed de iis, qui bona gratia ob sacerdotium vel sterilitatem, vel senectutem, vel valetudinem, vel militiam discedunt. Denique *L.* 10. *C. de repud.* mulieri quidem IVSTINIANVS concedit, vt viro mittat repudium, si intra biennium virum se haud praestitisset, idque repetit in *Nouella* XXII. *cap.* 6. *et Nou.* CXVII. *cap.* 12. nisi quod in priore ad triennium id spatium extendit; sed de matrimonio inter spadonem et mulierem, a magistratu rescisso, nihil vel in his, vel in aliis legibus memoratur.

Vnde multo minus senum nuptias hoc SCto rescissas fuisse dixeris, quamuis eodem cautum esset, VT VIR ET VXOR POENIS CAELI-

(a) *L. 6. pr. et §. 1. D. de lib. et postum.*
(b) *Sat. 1. v. 22.*
(c) *Satyr. VI. v. 367.*
(d) *Aduers. Europ. Lib. II. v. 83.*

BIU Cujas

LIBATVS PERPETVO TENERENTVR. Quum itaque ex lege PAPIA POPPAEA et caelibes immunes ab his poenis essent, si ad eam aetatem peruenissent: Senatusconsultum ne iis quidem pepercit, qui senes demum legi parere et inire matrimonium induxerant animum. Et haec quidem ratio est, cur senibus matrimonio interdixisse dicatur Tiberius.

VI. Sequitur SCtum Claudianum, quo capiti illi a Tiberio addito obrogatum fuisse refert SVETONIVS. Neque enim Claudius id caput *abrogauit*, vti IAC. GOTHOFREDVS rescribit, sed illud mutauit paullulum et mitigauit, sanciens, VT QVI MAIOR SEXAGENARIO MINOREM QVINQVAGENARIA DVXERIT, PERINDE HABEATVR, AC SI MINOR SEXAGINTA ANNORVM DVXISSET VXOREM. Multum referre putabat Claudius, vtrum senex iuuenculam, an aeque senem vetulamque duxisset. Occurrebant Catonis et Masinissae exempla, qui grandes natu liberos e puellis sustulerant (a). Hinc SCtum Persicianum non quidem sustulit: eidem tamen eatenus obrogauit, vt si sexagenario maior vxorem in viridi aetate constitutam duxisset, coniuges illi iisdem iuribus fruerentur, ac si ea vtriusque esset aetas, quae procreandis liberis sufficere videretur. Et hinc apud PLINIVM (b) Domitii Tulli vxor, quamuis diu vidua parum decore sequuta esset matrimonium diuitis senis, et ita perditi morbo, vt esse taedio posset vxori, quam iuuenis sanusque duxisset: tamen matrimonii nomine amplissimam bonorum partem ab eo iure capiebat, quia huiusmodi matrimonium ex SCto Claudiano non erat irritum.

VII. Quum vero id a quibusdam ad eum casum extenderetur, si quinquagenaria maior iuueni nupsisset: id occasionem dedit nouo SCto quod *Caluitianum* vocat VLPIANVS. Ast idem vir eximius IAC. PERIZONIVS, (c) illud *Caluisianum* potius vocandum esse monet, quum *Caluisiorum* cognomen sub Nerone et eius successoribus sit frequentissimum: *Caluitiorum* autem nusquam apud veteres fiat mentio. Quocumque tempore illud conditum sit, saltim cum CVIACIO (d) non rescribendum est *Claudianum*, a quo illud diserte VLPIANVS distinguit. Claudianum enim sexagenariis quinquagenaria minores ducentibus iura iusti connubii dedit: Caluisiano autem cautum, VT QVAE QVINQVAGENARIA MAIOR MINORI SEXAGENARIO NVPSERIT, QVIQVE MINOR SEXAGENARIO MAIOREM QVINQVAGENARIA DVXISSET, EIS IMPAR ILLVD MATRIMONIVM AD CAPIENDAS HEREDITATES DOTESVE LEGATAS NE PRO-

(a) PLIN. *Hist. Nat. Lib. VII. cap.* 13. *et X.* 5.
(b) *Lib. VIII. Epist.* 18.
(c) *De lege Voc. pag.* 63.
(d) *Ad Vlp. fragm. tit.* 16. §. 4.

BIU Cujas

PROFICIAT, SED DOS, MORTVA MVLIERE, CADVCA FIAT. Impar ergo dicitur matrimonium, quod cum imberbe contraxerat vetula, eamque adpellationem IVSTINIANVS (a) demum vna cum hoc ipso iure aboleuit. Vnde errare dixeris IAC. GOTHOFREDVM, qui omnes nuptias, contra legem PAPIAM POPPAEAM contractas, *impares* vocatas esse suspicatur, notatus ideo a viro consultissimo ANT. SCHVLTINGIO (b). Verum nec impar istud matrimonium rescissum est, sed dos, quae constante illo fungebatur, mortua demum muliere, caduca fiebat, saluis tamen, vti credere par est, impensis a marito in rem dotalem factis. Generatim enim PAPINIANVS: (c) *Dote propter illicitum matrimonium caduca facta, exceptis impensis necessariis, quae dotem ipso iure minuere solent, quod iudicio de dote redditurus esset, maritus soluere debet.*

VIII. Enimuero haec omnia statim ex eo tempore corruisse videntur, quo CONSTANTINVS M. omnes caelibatus orbitatisque poenas sustulerat (d). Noua tamen constitutione Persicianum et Caluisianum SCta sustulit IVSTINIANVS, (e) ita rescribens ad Ioannem, praefectum praetorio: *Sancimus, nuptias, quae inter masculos et feminas maiores vel minores sexagenariis vel quinquagenariis, lege Iulia vel Papia prohibitae sunt, homines volentes contrahere, et ex nullo modo, vel ex nulla parte tales nuptias impediri.* In qua lege FR. BALDVINVS (f) frustra expungi iubet verba: *vel minores.* Non tam enim de lege Papia Poppaea loquitur imperator, quam de SCtis ad legem Papiam Poppaeam factis, Persiciano et Caluisiano, quae inprimis sublata volebat.

Denique quod ad spadonum nuptias attinet, eas ne sub Christianis quidem principibus rescindi consueuisse, paullo ante Eutropii eunuchi exemplo ex CLAVDIANO demonstrauimus. At primus eas, vti recte a PETRO GREGORIO (g) obseruatum est, sustulit LEO imperator, singulari eam in rem scripta constitutione, (h) cuius sub finem sanciuit, *vt si quis eunuchorum ad matrimonium procedere comperiatur, et ipse stupri poenae obnoxius sit, et, qui sacerdos huiusmodi coniunctionem profanato sacrificio perficere ausus fuerit, sacerdotali dignitate denudetur.* Quare qui GREGORIVM erroris arguunt, non satis accurate discernere videntur nuptias illicitas ab iis, quas stare leges haud patiebantur.

(a) *L. 12. C. de legit. her.*
(b) *Iurisp. vet. anteiust. pag. 615.*
(c) *L. 61. D. de ritu nupt.*
(d) *L. vn. C. Theod. de infirm. poen. caelib.*
(e) *L. 27. C. de nupt.*
(f) *Iustinian. Lib. III.*
(g) *Lib. VII. Syntagm. cap. 2.*
(h) *Nouell. Leon. LXXXVIII.*

BIU Cujas

Quamuis enim iniuſtae ſemper viſae ſint ſpadonum nuptiae: eas tamen non diremtas fuiſſe, ſemel initas, iam ſupra demonſtrauimus.

* * * * * * * * * * * *

CAPVT IIII.

AD CAP. IIII. LEGIS PAP. POPP. DE CONCVBINATV.

I. *IN lege Papia Poppaea etiam de concubinatu actum, idque capite quarto factum videtur.* II. *Quale hoc caput fuerit?* III. *Ante legem Papiam Poppaeam concubinatus parum honeſtus videbatur. Pellex, concubina, amica quae dictae ſint ante et poſt hanc legem? Concubinatus ex hac lege honeſtus. An quis ſimul vxorem et concubinam habere potuerit?* IIII. *Concubinae eſſe poterant, quae vxores per has leges eſſe non poterant. An et propinquae et adſines? Concubinae et vxoris differentia.* L. 1. pr. D. de concub. *explicata. An coniunctio legitima dici poſſit concubinatus? Cur et viri nobiles concubinas adſumſerint? Ingenua, in quam ſtuprum committebatur, in concubinatu haberi non poterat. An* ἀντινομίαι *ſit inter* L. 3. pr. D. de concubin. L. 24. D. de rit. nupt. et L. 31. pr. D. de donat. V. *Conſtantinus M. primus indirecte tollere voluit concubinatum. Legitimatio per ſubſequens matrimonium cur inuenta?* VI. *Succeſſores Conſtantini legitimationem illam indulgentes tanquam beneficium ordinarium, concubinatum firmarunt. Leo ſuſtulit concubinatum tantum in oriente. In occidente ille diutiſſime viguit.*

I. DE concubinatu caput exſtitiſſe in lege Papia Poppaea, nec IAC. GOTHOFREDVS nec VINC. GRAVINA vidit: et tamen id videtur certiſſimum. Nam primo MARCIANVS (a) diſerte ſcribit, *concubinatum* PER LEGES *nomen adſumſiſſe*, id eſt per leges Iuliam et Papiam, κατ' ἐξοχὴν dictas νόμους vel *leges*, vti recte haec verba interpretatur EM. MERILLIVS (b). Deinde VLPIANVM (c) in commentario ad hanc

(a) *L. 3. §. 1. D. de concub.*
(b) *Lib. III. Obſ. cap. 25. et Lib. I. Variant. Cuiac. cap. 34.*
(c) VLP. *Lib. II. L. 1. D. de concub.*

BIU Cujas

hanc legem etiam de concubinatu egisse, argumento est fragmentum bene longum ex libro II. ex quo numero inferimus, illud fragmentum non ad caput de diuortio libertinae, de quo VLPIANVS demum libro III. egerat, sed ad hunc ipsum locum pertinere, adeoque de concubinatu praecepisse caput huius legis quartum.

II. Id vero, vti ex laudato VLPIANI fragmento liquet, tale fuisse videtur:

Quas personas per hanc legem vxores habere non licet, eas concubinas habere ius esto. Ingenuam honestam in concubinatu habere ius ne esto.

III. Quae priusquam more nostro interpretemur, paucis obseruandum videtur, ante hanc legem parum honestum visum fuisse concubinatum, nec quidquam inter *amicam*, *pellicem*, *concubinam*, interfuisse: postea vero hanc coniunctionem diserte permissam esse lege Papia Poppaea, ex eoque tempore simul CONCVBINATVS et CONCVBINAE vocabula sensu paullo honestiore accipi consueuisse, et id ipsum innuere MARCIANVM, dum *concubinatum* NOMEN *per leges adsumsisse*, scribit: nec non CLEMENTEM ALEXANDRINVM, (a) dum saepe conqueritur: καὶ τὸ λάγνον πᾶν ἐπικέχυται ταῖς πόλεσι, νόμος γενόμενον. *At nunc, quidquid est impudicum et libidinosum, diffusum est in ciuitatibus, et iam* PRO LEGE *habetur*: et paucis interiectis: Ταῦτα οἱ σοφοὶ τῶν νόμων ἐπιτρέπουσιν. *Haec sapientes leges permittunt.* Hinc MASVRIVS SABINVS apud PAVLLVM (b) refert, PELLICEM *apud* ANTIQVOS *eam habitam, quae quum vxor non esset, cum aliquo tamen viuebat, quam nunc vero nomine amicam,* PAVLLO HONESTIORE *concubinam adpellari.* Addit PAVLLVS, GRANIVM FLACCVM *in libro de iure Papiriano scribere, pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui vxor sit, corpus misceat, quondam,* (ita enim rescribendum puto pro *quosdam*, addicentibus etiam quibusdam codicibus,) *eam, quae vxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam* παλλακὴν *Graeci vocant.* Ex hoc loco patet, vocabula *amica, concubina, pellex* ante legem Iuliam promiscue accepta fuisse, quia non magis caelibis, quam mariti, consuetudo cum muliercula, aqua et igni non accepta, honesta iudicabatur. Tempore autem Masurii Sabini, et Granii Flacci, (quem sub Caesare floruisse, et hinc in Augusti tempora vitam producere potuisse, ex CENSORINO (c) docet CAR. ANDR.

(a) *Paedagog. Lib. III. cap. 3.*
(b) *L. 144. D. de Verb. Sign.*
(c) *De die natali cap. 3.*

BIU Cujas

DVKERVS,) (a), ea dici coepit *pellex*, quae cum eo, cui vxor erat, miſcebat corpus, illa autem *concubina* vel *amica*, quae vxoris loco ſine nuptiis in domo erat. Quum enim pellicis vocabulum, teſte GELLIO, (b) probroſum haberetur: non videbatur conuenire coniunctioni, quae per legem nomen adſumſerat: adeoque iſtud vocabulum tantum haeſit iis, quae alieno marito ſuccubuerant, reliquae concubinae dici malebant. Haec, vt paucis demonſtremus, palam eſt, veteres, qui ante Auguſtum floruerunt, auctores promiſcue vſurpaſſe *pellicis* et *concubinae* vocabula. *Pellex* Iunonis vocatur Alcumena apud PLAVTVM (c), quia cum Ioue, Iunonis marito, corpus miſcuerat:

- - - I hac mecum, vt videas ſimul
Tuam Alcumenam, PELLICEM, *Iuno mea.*

Et tamen Alexandro M. quoque, licet nondum marito *pellices* fuiſſe ſcribunt PLINIVS (d), DIODORVS SICVLVS, (e) et ex eo CVRTIVS (f): et apud OVIDIVM (g), Deianira Herculis vxor, Omphalem pellicem vocat quae marito ſuo ſuccumberet, ſe expulſa, dum canit:

Forſitan expulſa me Aetolide Deïanira,
Nomine depoſito PELLICIS, *vxor erit.*

Ita aeque promiſcue veteres accipiunt vocabulum concubinae. PLAVTO (h) concubina eſt meretrix pecunia a caelibe emta, vbi ſcribit:

Illam minorem in CONCVBINATVM *ſibi*
Volt emere miles quidam, qui illam deperit.

At CICERO (i) et eam concubinam vocat, quae ducta fuerat a patre familias Romae, vxorem habente in Hiſpania.

Ita ante legem Papiam Poppaeam pellices et concubinae pari paſſu ambulabant, neque melior erat harum, quam illarum, conditio: quam in rem multa egregia diſſeruit CHRISTFR. WAECHTLERVS, (k) dum magno adparatu docet, huius modi concubinatum, qualem in iure noſtro

(a) *De Latinit. ICt. pag.* 157.
(b) *Lib. IIII. cap.* 3.
(c) *Merc. act. IIII. Scen.* 1. *v.* 23.
(d) *Hiſt. Nat. Lib. XXXV. cap.* 10.
(e) *Lib. XVII. cap.* 77.
(f) *Lib. VI. cap.* 6.
(g) *Epiſt. VIIII. v.* 121.
(h) *Poen. prolog. v.* 102.
(i) *De orator. Lib. I. cap.* 40.
(k) *Act. Erud. anni* 1714. *p.* 371.

BIU Cujas

ſtro deſcribi videmus, nec apud Graecos, nec apud veteres Romanos receptum fuiſſe, ſed improbitatem ſub imperatoribus hoc augmentum accepiſſe. Poſteaquam vero concubinatus per leges nomen adſumſit, numquam concubina adpellata eſt *pellex*, ſed CONVICTRIX (a), ΓΑΥΚΥΤΑΤΗ ΣΥΜΒΙΟΣ (b), VXOR GRATVITA (c), id eſt, quae per coëmtionem haud conuenerat in manum, vti eleganter ea vocabula exponit EM. MERILLIVS (d), item SODALITIARIA, (e) AMICA, (quod vocabulum etiam in iure noſtro concubinam notat in illis: (f) *Titiae*, AMICAE *meae*, *cum qua ſine mendacio* (id eſt, ſine amoris diſſimulatione, *vixi*,) et quae ſunt aliae honeſtiores huius generis adpellationes. Pellicatus autem non fuit honeſta licitaque coniunctio, quum eo tempore, quo quis vxorem vel concubinam habebat, aliam concubinam habere non poſſet (g). Nec puto inſcriptiones, in quibus quidam profitentur, ſe monimentum fieri iuſſiſſe SIBI ET VXORI CONCVBINAE (h), ita interpretandas eſſe, ac ſi, qui monimentum fieri iuſſerant, eodem tempore et vxores, et concubinas habuerint, (neque enim id flagitium palam profeſſi eſſent homines, niſi quos omni pudori decoxiſſe dixeris,) ſed intelligenda arbitror de concubinis a morte vxorum ductis. Saepe enim Romanos vxoribus, vel vxores maritis, antea defunctis commune ſepulcrum fieri iuſſiſſe, in vulgus notum eſt. Exemplo eſſe poterit inſcriptio apud REINESIVM (i):

AELIO ATHENA
M. AELIO CHRISER
M. AELIO POLIBIO
ET M. AEMILIO MARITO PRIMIGENIO.
ET AELIOPO LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSS.

Ex qua quis profecto fruſtra colligeret, Aeliam Athenaidem vno tempore tot maritos habuiſſe.

(a) GRVTER. *pag.* 795. *num.* 8.
(b) *Id. ibid. num.* 9.
(c) *Id. pag.* 800. *num.* 21.
(d) *Obſ. Lib. II. cap.* 15.
(e) GRVT. *pag.* 602. *num.* 5.
(f) *L.* 35. *D. de aur. arg. aer. leg.*
(g) PAVLI. *Sent. Lib. II. tit.* 20. §. 1. *L. vlt.* §. 2. *D. de diuort.*
(h) GRVT. *pag.* 631. *num.* 5. *et pag.* 938. *num.* 2. REINES. *claſſ. XIIII. num.* 183.
(i) *Inſcript. claſſ. XIIII. num.*

BIU Cujas

IIII. Ad ipsum legis caput, quod attinet, eas tantum concubinas habere ius erat, QVAS PER HANC LEGEM VXORES HABERE NON LICEBAT. Hinc et ingenuus per hanc legem concubinam poterat habere iudicio publico damnatam (a), quaestu meretricio infamem (b), obscuro loco natam (c), ancillam (d), mulierem ex ea prouincia, in qua quis officium administrabat (e), quas omnes vxores duci non potuisse, iam supra obseruauimus. Quum etiam ex SCto Persiciano, de quo antecedente capite egimus, non esset iustum inter senes matrimonium: licebat contra cuiuscumque aetatis concubinam habere, dum ne minor esset annis duodecim (f).

Non abs re autem addidimus: PER HANC LEGEM. De solis enim legibus ciuilibus id erat intelligendum. Quare si coniunctioni vel naturalis verecundia, vel ipsa honestas obstabat: non magis concubinatui locus erat, quam nuptiis. Quemadmodum ergo nefas erat, duas simul habere vxores: ita et vnica habenda concubina: (g) semperque turpis ac infamis visa est vita, *inter stupra concubinarum, et oscula*, vel *mollia concubinarum et spadonum agmina* transacta, qualem in Sophonio Tigellino et Fabio Valente TACITVS, (h) in Commodo AEL. LAMPRIDIVS (i) reprehendit. Quin ipse IVSTINIANVS (l) eas, quae cum pluribus aliis uni viro corpora praebent, non concubinas, sed πορνευομένας *fornicantes* dicendas esse ait, nec eas aliarum concubinarum iuribus frui patitur. Quemadmodum deinde incestae erant nuptiae inter proximos cognatos et adfines: ita et nefandus erat inter has personas concubinatus. Saltim VLPIANO (m) prope nefaria videtur coniunctio, *si quae in patroni fuit concubinatu, deinde in filii esse coeperit, vel in nepotis, vel contra.* Et alibi idem iureconsultus, (n) verecundiae studiosissimus, eum *incestum committere ait, qui concubinam habuerit, sororis filiam*, licet libertinam. Vt adeo non iniuria CVIACIVM (o) erroris coarguat EM. MERILLIVS, (p) priuignam a Cocceio Cassiano in concubinatu haberi potuisse ex ea ratione existimantem,

(a) *L. 1. §. 2. D. de concubin.*
(b) *L. 16. D. de his quae vt indign. L. 3. pr. D. de concub.*
(c) *L. 3. pr. D. eod.*
(d) *L. 38. pr. D. de reb. auct. iud. poss.*
(e) *L. 5. D. de concub.*
(f) *L. 4. §. 4. D. eod.*
(g) *Nou. XVIII. cap. 5.*
(h) *Lib. I. Hist. cap. 72. Lib. III. cap. 11.*
(i) *Vit. Commod. cap. 15.*
(l) *Nou. XVIII. cap. 5.*
(m) VLP. *Lib. II. L. 1. §. 3. D. de concub.*
(n) *L. 56. D. de ritu nupt.*
(o) *Lib. V. obs. cap. 6.*
(p) *Lib. III. obs. cap. 17.*

BIU Cujas

tem, quia, quae vxores esse nequiuerint, in concubinatu tamen haberi omnino potuerint.

Eas itaque mulieres CONCVBINAS HABERE IVS ERAT. Nam non solum honestum erat concubinae nomen, (a) verum etiam LICITA *cum ea consuetudo* (b). Quamuis enim effectibus nuptiarum, qui ex iure ciuili sunt priuaretur, aut etiam effectus quosdam naturales legum impedimento amitteret ista coniunctio, atque hinc nec amica matronali ornamento fulgeret, nec liberi ex ea procreati in potestate patris essent: ab vxore tamen solo delectu et animi destinatione differebat, (c) nec quidquam inter eas, nisi dignitate, intererat (d). Hinc vxoris loco esse dicebatur, (e) liberique eius tametsi naturales vel nothi dicerentur, et nec heredes essent patri, nec eius nomen ferrent, sed vel maternum nomen retinerent, vel ei adderent cognomen patris: non tamen erant spurii, nec infamia, aut leuis notae macula notati credebantur, vti vulgo quaesiti, quamuis non essent pars familiae paternae. Quae omnia egregie illustrat marmor apud GRVTERVM (f):

C. MAMERCIO SP. F.
IANVARIO Q. AED. PRAET.
IIVIR. Q. ET.
P. PACCIVS IANVARIVS
FILIO NATVRALI ET
MAMERCIA GRAPTE
MATER INFELICISS. FILIO
ET COGNATAE PIISSIMIS
FECERVNT.

Positum est monimentum *C. Mamercio Ianuario*, et *Cognatae*, piissimis. *Cognata* enim hic non adpellatiuum videtur, sed nomen proprium feminae, vxoris forsan *C. Mamerci Ianuarii*. Nam et alibi *L. Cognatae* (g) et *Primigenii Cognati* (h) mentionem faciunt lapides. Is *C. Mamercius Ianuarius* erat filius naturalis *P. Paccii Ianuarii*, ex *Mamercia Grapta*. Vnde illud SP. F. non est *spurius filius*, vti in indice interpretatur

(a) L. 144. *D. ubi supra.*
(b) L. 5. *C. ad SC. Orphit.*
(c) PAVLL. *lib.* 11. *sent. tit.* 20. §. 1.
(d) L. 49. §. 4. *D. de Legat.* 3.
(e) L. 144. *D. de V. S.*
(f) *Inscr. pag.* 434. *num.* 4.
(g) *Ib. pag.* 601. *n.*4.
(h) *Ib. pag.* 952. *n.*3.

BIU Cujas

pretatur SCALIGER, sed antiqua formula: SINE PATRE FILIVS, quam liberorum extra matrimonium quaesitorum nominibus subiici consueuisse docet PLVTARCHVS (a). Neque enim spuriorum nomen inditum naturalibus vel ex concubina natis, sed *vulgo conceptis, qui patrem demonstrare non poterant, vel poterant quidem, sed eum habebant, quem habere non licebat*, vti ait MODESTINVS (b). Nec credibile est, parentes filium, tot honoribus in colonia functum, spurium vocare voluisse, quum nec vulgo, nec ex iniustis nuptiis conceptus esset, sed ex concubinatu. Fuerat enim Q. AED. PRAET. IIVIR Q. ET. id est, *Quaestor, Aedilis praetor, et Duumuir quinquennalis iterum*, ita enim IT pro ET rescribendum esse monet MARQV. GVDIVS. Ex quo simul patet, ne vllam quidem notam haesisse liberis naturalibus, siquidem ad maximos aliquando honores adspirabant, nec sibi ignominiae ducebant, nominibus suis adscribere hanc natalium conditionem. Sic et qui lapidem Praenestinum Fortunae Iouis pueri primigeniae dedicauit apud GRVTERVM, (c) adpellare se non dubitat NOTVM RVFICANAE L. F. PLOTILLAE. Et *Epipodius* quidam, (d) qui patri naturali monimentum ponit, sub finem addit

EPIPODIVS. FILIVS. NA.
PATRI PIENTISS.

In primis notandum, hunc *C. Mamercium* matris *Mamerciae* nomen retinuisse, quia ratione matris omnes liberi tam naturales, quam legitimi eiusdem iuris sunt: (e) eidem vero addidisse cognomen paternum *Ianuarii*: quemadmodum et *C. Modius Felix* apud GRVTERVM (f) quum ex Siluia et legitimum et naturalem filium habuisset: illum suo, hunc matris nomine *Siluinum* vocat. Inscriptio ita se habet:

C. MODIVS. FELIX.
ET. C. MODIO. FELICI. FIL.
ET. COCCEIO. SILVINO. FIL.
NATVR. ET. MODIO. RENATO.
LIB. ET. SATTIAE. SILVIAE.
VXORI. V. V. S. S. F.

Apud

(a) *Quaest. Rom. pag. 316.*
(b) *L. 23. D. de statu hom.*
(c) *Grut. pag. 76. num. 7.*
(d) *Ib. pag. 547. num. 8.*
(e) *§. pen. Inst. de SC. Orphit.*
(f) *Inscr. pag. 696. num. 9.*

BIU Cujas

Apud eumdem (a) *L. Oppii Valeriani* filius naturalis non Oppius vocatur, ſed A. FVLVIVS A. F. CELER, procul dubio ab A. FVLVIA CELERE matre. Equidem *Q. Lollii Felicis* filia naturalis, *Lollia Ionis*, nomen gentile patris naturalis fert in marmore: (b) ſed eadem et liberta erat patris naturalis. Libertos autem et libertas patroni nomen gentile adſumſiſſe, tralatitium eſt. Alias ſi vel maxime patres agnoſcerent liberos naturales vel extra matrimonium quaeſitos: non tamen gentile nomen ſuum ab illis ferri patiebantur, ſed nonnunquam cognomen tantum. Quemadmodum quum Iul. Caeſar, teſte SVETONIO, (c) *filium ex Cleopatra natum ſuo nomine adpellari pateretur*, is tamen non Iulius, ſed *Caeſario* dictus eſt, vti ex SVETONIO (d) et DIONE (e) diſcimus. Antonii vero liberorum ex Cleopatra natorum nemo Antonii nomen tulit, ſed omnibus nomina Ptolemaeorum familiae familiaria indita ſunt. Vnum enim *Ptolemaeum Philadelphum*, alterum *Alexandrum*, filiam *Cleopatram* dictos eſſe, ſcribit DIO CASSIVS (f).

Sed vt e diuerticulo in viam redeamus, quamuis nec inhoneſtus nec illicitus eſſet concubinatus, ſed veluti inaequale matrimonium (g): non tamen, vti recte contra CVIACIVM docuit MERILLIVS, *coniunctio legitima* dici poteſt. Id enim nomen ſoli matrimonio competit, non concubinatui, ob quem etiam nemo poenas caelibatus orbitatiſque effugiebat. Quare et ii fere, qui iam e iuſto matrimonio liberos procreauerant, patriaeque et Priamo fecerant ſatis, concubinam poſtea ſolebant adſciſcere, ne liberis inducerent nouercam, hereditatemque ſperatam iis interuerterent. Sic SVETONIVS (h) refert, ipſum *Veſpaſianum*, *Imperatorem*, *poſt vxoris exceſſum Caenidem*, *Antoniae libertam*, *et a manu*, *dilectam quondam ſibi*, *reuocaſſe* IN CONTVBERNIVM, *et habuiſſe*, *etiam Imperatorem*, PAENE IVSTAE VXORIS LOCO, id eſt, tanquam concubinam, quam vxoris loco eſſe, et iureconſulti dicere ſolebant (i). Sed et Antonius Pius amiſſa Fauſtina, concubinam habuit (l). Et M. Aurelius Antoninus, recti exempli imperator, concubinam ſibi adſciuit, procuratoris vxoris ſuae filiam, *ne tot liberis* NOVERCAM *ſuperduceret* (m). Denique praeſidibus, qui vxores non habebant, ſingulas concubinas, quod ſine his eſſe non poſſent, Alexander Imp. conceſſit: (n) proculdubio reſpiciens ad eos, qui vxores

(a) *Ib. pag.* 684.
(b) *Ib. pag.* 945.
(c) *Iul. cap.* 52.
(d) *Aug. cap.* 17.
(e) *Lib. XXXX.*
(f) *Lib. XXXXVIIII. pag.* 416.
(g) *L.* 3. *C. de natur. liber.*
(h) *Veſp. cap.* 3.
(i) *L.* 144. *D. de V. S.*
(l) IVL. CAPIT. *vit. Anton. cap.* 8.
(m) IVL. CAPITOL. *in vita Marci cap.* 29.
(n) LAMPRID. *Alex. cap.* 13.

BIU Cujas

amiserant. Idem et priuati facere solebant frequenter: eaque fortassis ratio fuit, quam ob rem Augustus concubinatum Romanis primum concesserat.

Adiecimus denique: INGENVAM HONESTAM IN CONCVBINATV HABERE IVS NE ESTO. Honesta vero erat ingenua, in quam stuprum committebatur. Eam enim regulam probat VLPIANVS (a), quod *solae illae in concubinatu haberi possint, sine metu criminis, in quas stuprum non committatur.* Stuprum vero committitur in virginem vel viduam ingenuam, et honeste viuentem (b). Non itaque in obscuro loco natam, ludionis, lenonis, arenarii filiam, vel eam quae quaestum fecerit corpore (c). In has, inquam, non committebatur stuprum, id est non erat is stupri ex lege Iulia de adulteriis reus, qui cum huiusmodi muliercula rem habuerat. Vnde et OVIDIVS (d) hos amplexus vocat *Venerem tutam*, et *concessa furta*, dum canit:

Este procul vittae tenues, insigne pudoris,
Quaeque tegis medios, instita longa, pedes.
Nos VENEREM TVTAM, CONCESSAQVE FVRTA *canemus:*
Inque meo nullum carmine crimen erit:

Sensus est, non se profiteri artem amandi ingenuas, vel insidias pudicis struendi, sed iis, in quas non admittatur stuprum. Et HORATIVS (e):

- - Me libertina, neque vno
Contenta Phryne macerat.

Et has proinde etiam concubinas licebat habere. Alioquin, si quis honestae vitae et ingenuam mulierem in concubinatum habere mallet, *id sine testatione, hoc manifestum faciente, non concedebatur*, vti eodem loco docet MARCIANVS (f), qui etiam addit, *necesse esse viro vel vxorem ingenuam habere, vel recusantem stuprum cum ea committere.* Sunt, qui postrema haec verba committunt cum iis, quae alio loco MODESTINVS et PAPINIANVS inculcant, et ἀνωνομίαν manifestam in his sibi videntur deprehendere. Quum enim MARCIANVS eum, qui honestae vitae atque ingenuam mulierem in torum recepit, neque eam iustam

vxorem

(a) VLP. *Lib. I. L. 1. §. 1. D. de concubin.*
(b) *L. 34. pr. D. ad L. Iul. de adult.*
(c) *L. 3. pr. D. de concub.*
(d) *De arte amandi Lib. I. v. 30.*
(e) *Epod. XIIII. v. 15.*
(f) *d. L. 3. pr.*

BIU Cujas

vxorem esse vult, stuprum committere dicat : MODESTINVS (a) contra ait : *In liberae mulieris consuetudine non concubinatus, sed* NVPTIAE *intelligendae sunt, si non corpore quaestum fecerit*, et in eumdem sensum PAPINIANVS (b) : *An maritalis honor vel affectio pridem praecesserit*, PERSONIS COMPARATIS, *vitae coniunctione considerata, perpendendum esse, respondi : neque enim tabulas facere matrimonium.* Sed salua res est. In dubio omnino praesumebatur ingenuam, quae cum viro miscuerat corpus, non esse concubinam, sed vxorem, nisi vel obscuro loco nata, vel vulgaris, vel iudicio publico damnata fuisset, vel testatio exstaret, quae mulierem sese in concubinatum dedisse faceret manifestum. Et ea est sententia MODESTINI. Ast si mulier, quantumuis ingenua, prostrauisset pudicitiam, vel artem ludicram fecisset : non censebatur vxor, sed concubina, etiamsi dotalia instrumenta exstarent, et vir eam pleno honore dilexisset : quale exemplum supra in Cocceii Cassiani V. C. concubina (c) vidimus. Tabulae enim non faciunt matrimonium inter eas personas, inter quas per leges non est ius connubii. Et haec est sententia PAPINIANI. Denique si vir ingenuam honeste viuentem, quacum consuetudinem habuerat, vxorem habere recusaret : praesumtio quidem militabat pro muliere, quod non in concubinatu, sed matrimonio vixerit, adeoque et illa vxoris iuribus fruebatur : sed maritus, qui eam vxorem habere recusabat, et concubinam tamen habere non poterat, tamquam stuprator merito habebatur. Et haec est sententia MARCIANI, inter quam et reliquas nihil omnino pugnae est.

V. Talis erat veterum Romanorum concubinatus, qui ex lege PAPIA POPPAEA nomen adsumserat. Eum quis primus subruerit, nondum inter omnes constat. Alii enim a LEONE eum putant sublatum, alii multo prius ab vsu recessisse contendunt. Sed reuera de eo profligando primus cogitauit CONSTANTINVS M. ita tamen vt quum imparem se fere esse intelligeret abolendae consuetudini tam inolitae, obliqua quasi via procederet, idque ageret potissimum, vt ciues, quas hactenus concubinas habuerant, eas in posterum vxores habere mallent. Primo itaque, quum obseruaret, et concubinis et liberis naturalibus donari legarique posse : non abs re suspicabatur, facilius tabulas signaturos ciues, si sibi eam facultatem ereptam viderent. Id vero factum esse a CONSTANTINO, discimus ex constitutione VALENTINIANI, (d) qua Constantini legem temperaturus, liberis naturalibus, si legiti-

(a) *L. 24. D. de ritu nupt.*
(b) *L. 31. pr. D. de donat.*
(c) *L. 16. D. de his quae vt indign.*
(d) *L. 1. C. Th. de natur. lib.*

BIU Cujas

mi liberi vel parentes exstent, vnciam; his vero non exstantibus, tres vncias testamento relinqui posse statuit, adeoque satis aperte innuit, Constantinum M. multo minus relinqui passum esse liberis naturalibus. Praeuidebat enim Imperator, parentes aegre laturos hanc liberorum conditionem, et cum concubina potius facturos iustas nuptias, quam vt eam liberosque ex se natos se mortuis in mendicitate viuere paterentur. Deinde eodem consilio et legitimationem per subsequens matrimonium inuexit, non vt ea perpetuus esset patriam potestatem consequendi modus, sed vt, quod recte obseruauit Des. Heraldvs, (a) liberi, qui ante id tempus ex concubinis nati fuerant, huius beneficii, in posterum nascituris haud profuturi, fierent participes, parentesque, eo inuitati, tanto aequiore animo iustas nuptias illegitimae consuetudini anteferrent. Equidem nec ea Constantini de legitimatione constitutio exstat: ex Zenonis (b) tamen epistola, quae illius mentionem facit, satis adparet, eum legitimationem non nisi iis liberis, qui antehac ex concubinis editi fuerant, prodesse voluisse. Vnde et Zeno eam legitimationem quidem renouat, sed itidem non in posterum valituram. Idem postea fecerunt Anastasivs (c) et Ivstinvs, (d) quorum hic non minus, ac antecessores, constitutionem suam ad casus postea exstituros proferri vetuit. Postremo Ivstinianvs, (e) vel ignarus scopi, quem sibi in his constitutionibus proposuerant anteriores principes, vel concubinatui non admodum infensus, constituit, vt subsequens inter virum et concubinam matrimonium ordinarius ac perpetuus esset legitimandi modus. Tertio ne viri in dignitatibus constituti, alios exemplo corrumperent: idem Constantinvs (f) durissimam illam, quam capite II. huius libri explicauimus, constitutionem edidit, et nec concubinas quidem viliores a viris perfectissimis haberi passus est. Quae itidem ad euertendum concubinatum comparata fuisse, facile est ad intelligendum, quum vix verosimile esset, mulierem ingenuam quantumuis obscuro loco natam viro etiam clarissimo perfectissimoue se daturam esse in concubinatum, quum nec sibi nec liberis inde quidquam sperare posset emolumenti.

VI. Nec forsan effectu caritura fuissent illa Constantini consilia, si eadem seueritate rem agere voluissent successores. Sed his rem parum curae fuisse, vel inde patet, quod non solum nullam, quae eo

(a) *Lib. I. Rer. et Quaest. quotid. cap. 4. §. 11.*
(b) *L. 5. C. de natur. lib.*
(c) *L. 6. C. eod.*
(d) *L. 7. C. eod.*
(e) *L. 10. C. eod. Nou. XII. cap. 4. Nou. XVIII. cap. 11. Nou. XVIIII.*
(f) *L. 1. C. de nat. lib.*

BIU Cujas

eo pertineat, constitutionem, praeter vnicam illam de pellicatu (a) codicibus inseri iusserint, verum etiam pleraque a CONSTANTINO sancita nouis legibus et constitutionibus suis subuerterint. Nam iam obseruauimus, vel naturalibus liberis aliquid relinqui passum esse Valentinianum, et Iustinianum legitimationem per subsequens matrimonium omnibus promiscue indulsisse. Hinc adhuc IVSTINIANI temporibus concubinatus erat *licita consuetudo* (b), in qua quis caste viuere posset (c); nec prius ille publica lege sublatus est, quam temporibus LEONIS (d), cuius tamen constitutio non nisi in oriente valuit. In occidente concubinatu nihil erat frequentius, inter Francos, Langobardos et Germanos reliquos: eumque ipsi clerici exemplo suo probabant, donec sub purioris religionis exortum publica lege vbique inter Christianos aboleretur. Qua de re in ANTIQVITATIBVS IVRIS GERMANICI a nobis fusius actum esse meminimus, vt non opus sit plura hic addere, vel nostra ipsorummet expilare scrinia.

(a) *L. vn. C. de concub.*
(b) *L. 5. C. ad SC. Orphit.*
(c) *Nouell. XVIII. cap. 5.*
(d) *Nou. Leon. LXXXXI.*

* * * * * * * * * *

CAPVT V.

AD CAP. LEGIS PAP. POPP. V. DE SPONSALIBVS.

I. *PRoximum caput de sponsalibus egit. Suetonii locus explicatus. Quid eo capite sancitum? Vlpiani locus vindicatus et expositus.* II. *Verba capitis V. Aliae gentes seram Venerem laudabant. Romani puellas vix viri potentes ducebant. An irrita fuerint sponsalia cum puella decenni minore? Intra biennium sponsa erat domum ducenda.* L. 17. D. de sponsal. *a* CVIACII *et* GOTHOFREDI *emendationibus vindicata. Quaenam iustae caussae sponsalia vltra biennium trahendi?* L. 2. C. de sponsalibus *expositа. Sponsae saepe adhuc infantes. Augustus an Iustinianus pubertatis terminum in feminis definierit. Impubes domum ducta non erat vxor, nisi ab anno aetatis duodecimo. Nuptiae aliquando inter pueros et puellas celebratae.* III. *Vacatio a morte viri vel diuortio data. Vacatio quid? An et viris vacatio huiusmodi data?* IIII. *A* GOTHOFREDO *adsuta*

BIU Cujas

lacinia de virginibus Vestalibus ad hanc legem non pertinet. V. *Vsus legis hodiernus.*

I. PRoximum legis PAPIAE POPPAEAE caput de sponsalibus egisse videtur. Inter prima saltim capita et hoc fuisse, vel inde patet, quod primo statim commentariorum libro de eo dixerit CAIVS, iureconsultus (a).

Vt vero, quid hoc capite Augustus sanxerit, paullo inquiramus accuratius: breuiter illud, sed eleganter, describitur a SVETONIO (b), qui, vbi de lege Iulia de maritandis ordinibus loquitur: *quum etiam*, inquit, *immaturitate sponsarum et matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi sentiret*, TEMPVS *sponsas habendi* COARCTAVIT, *diuortiis modum imposuit.* Nimirum, lata lege Iulia, nullum inter maritos et sponsos discrimen statuerat Augustus, sed hos aeque ac illos a poenis caelibatus immunes esse iusserat. Quemadmodum vero ingeniosa aduersus leges esse solet improbitas: ita inde occasionem arripiebant Romani, vim legis Papiae Poppaeae immaturitate sponsarum eludendi. Stipulabantur enim sibi puellas, nondum viri potentes, eoque obtentu, nuptias diutissime trahebant, donec potiti maritorum praemiis, sponsas repudiarent, fraudem hoc modo legi facientes impudentissime.

Quum itaque eo fieret, vt ex lege sapienter scripta haud magna ad rem publicam vtilitas redundaret: consultum visum est principi prudentissimo, tempus sponsas habendi coarctari, certosque definiri annos, intra quos eae domum ducendae essent, si quis sponsalia sibi prodesse vellet ad euitandas caelibatus poenas, praemiaque nuptiarum capienda. Rem omnem accuratius exponit DIO CASSIVS (c), cuius ipsa verba adscribemus: *Ὡς δὲ ἕν βρέφη πνὲς ἐγγυώμεναι τὰς μὲν τιμὰς γεγαμηκότων ἐκαρποῦντο, τὸ δὲ ἔργον αὐτῶν ἃ παρείχοντο, προσέταξε μηδεμίαν ἐγγύην ἰσχύειν, μεθ' ἣν ἃ δὲ* ΔΥΟΙΝ ΕΤΟΙΝ *διελθόντων γαμήσει τις· τοῦτ' ἔστι* ΔΕΚΕΤΙΝ *παντῶς ἐγγυᾶσθαι τὴν γέ τι ἀπ' αὐ τῆς ἀπολαύσαντα· δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμε ὥραν ἔτι πλήρη νομίζεται:* *at quum quidam puellas desponderent, et praemia nihilominus ferrent maritorum, rem opusque mariti non praestarent: statuit, nulla sponsalia firma esse, quae*, BIENNIO EXACTO, *nuptiae non sequerentur: hoc est, vt omnino* DECENNEM *despondere opus esset, si quis sponsionis eius fructum vellet percipere. Puellis enim duodecimus annus plenus ad nuptias definita aetas censetur.* Ex eo autem loco discimus, primo, sponsalia vltra bien-

(a) *Lib. I. L. 17. D. de sponsal.*
(b) *Aug. cap. 34.*
(c) *Lib. LIIII. pag. 531.*

BIU Cujas

biennium trahi non potuisse per legem Papiam Poppaeam: deinde desponderi non potuisse puellas decenni minores: postremo, duodecennes viris potentes iam eo tempore habitas esse.

Nec tantum de tempore sponsas habendi, hoc capite actum videtur, verum etiam de spatio, intra quod post coniugis mortem vel repudium ad secunda vota transeundum esset. Nam prioribus verbis statim subiungit SVETONIVS: *Diuortiis modum imposuit.* Quod non modo ita intelligendum, quod Augustus ea lege licentiae repudiandi vxores modum imposuerit, verum etiam, quod praecipue vitae caelibi post diuortium certos annos praefiniuerit, intra quos nuptiae rursum fieri deberent. Quam legis Papiae Poppaeae sanctionem ita describit VLPIANVS: (a) *Feminis lex* IVLIA *a* MORTE VIRI *anni tribuit vacationem, a* DIVORTIO *sex mensium: lex autem Papia a morte viri* BIENNII, *a repudio* ANNI ET SEX MENSIVM. Equidem primus hunc locum sollicitauit vir summus, IAC. CVIACIVS, qui pro *biennii* rescribi iussit *triennii*, quia ex SVETONIO (b), triennii vacationem ab Augusto datam esse, constet. Sed et τῷ πάνυ CVIACIO, et qui eius emendationem probauit, Is. CASAVBONO fraudi fuit male intellectus SVETONII locus, qui non de vacatione feminae a morte mariti, sed de vacatione ipsius non quidem Papiae sed Iuliae legis, ciuibus concessa, loquitur. Neque enim prius lex Iulia de maritandis ordinibus perlata est, quam vacatione triennii data, id est concesso iis, qui nondum vxores duxerant trium annorum spatio, πρὸς παρασκευήν, vti loquitur DIO, (c) id est, vt interea se praepararent ad ducendas vxores, procreandosque liberos. Quare et eximius vir IAC. GOTHOFREDVS, (d) et celeberrimus SCHVLTINGIVS (e) recte negarunt, mutandum aliquid esse in loco VLPIANI, quo, quid lege Iulia ea de re cautum sit, quidque postea mutauerit lex Papia Poppaea, tam distincte exponitur.

II. Ex his ergo adparet, tale fere fuisse legis PAPIAE POPPAEAE caput quintum:

> *Sponsam post hanc legem decenni minorem nemo habeto, desponsam intra biennium domum ducito: ni duxerit, praemiis maritorum ne fruitor. Feminis a morte viri biennii; a repudio anni et sex mensium vacatio esto.*

SPON-

(a) *Fragm. tit.* 14. §. 1.
(b) *Aug. cap.* 32.
(c) *Lib. LVI. pag.* 577.
(d) *Not. ad leg. Pap. Popp. pag.* 320.
(e) *Ad Vlpian. pag.* 609.

BIU Cujas

SPONSAM, ait lex, POST HANC LEGEM DECENNI MINOREM NEMO HABETO. Aliae gentes laudandos existimabant, qui sero animum adpellerent ad nuptias, rati, id quod res est, properatam Venerem robori et maturitati liberorum aeque ac ipsorum parentum officere. Hinc ARISTOTELES (a) expedire iudicat reipublicae, si mares circiter anno aetatis trigesimo septimo, feminae duodeuicesimo inirent matrimonium. Lycurgus, teste PLVTARCHO, (b) non quidem certos finiuit annos, sed tamen non nisi robustas et grandes virgines elocari voluit. Eamdem ob caussam non abs re maiores nostros collaudauit TACITVS, (c) *quod* SERA *apud illos fuerit iuuenum* VENVS, *et hinc inexhausta pubertas.* Eum enim morem patrium permultum contulisse ad inusitatum illud corporum Germanorum robur, singulari eaque pererudita diatriba eleganter suo more vir doctissimus, HERM. CONRINGIVS, demonstrauit. Denique, vt alia omittamus, de Africanis quibusdam memoriae prodidit NIC. DAMASCENVS, ὅτι τῶν θυγατέρων ἀρίστας κρίνουσι τὸν πλεῖστον χρόνον μεμενηκυίας παρθένους, *eas filias ab illis iudicari optimas, quae quam diutissime virgines manserint.*

At aliter rationes componebant Romani, quos PLVTARCHVS (d) teneras admodum puellas non modo despondere, verum etiam elocare et ducere consueuisse refert, ea huius consuetudinis reddita ratione, quod magna sit huius aetatis simplicitas, et sub institutione mariti vxor tam tenera illius mores facilius imbibat, atque ita publicae res priuataeque eo tranquilliores esse soleant. Hinc factum, vt saepe puellae adhuc infantes desponderentur pueris, ceu vel exemplo Caesaris patet, cui Cossutia, teste SVETONIO, (e) *adhuc tum praetextato desponsa fuerat.*

Quum vero ita legi Iuliae de maritandis ordinibus haud satisfieret, eaque sponsalia repudiis et diuortiis occasionem frequentissime darent: lege demum Papia Poppaea cautum est, ne quis sponsam decenni minorem in posterum haberet. Quod vero non ita intelligendum, ac si ex eo tempore nefas visum esset, stipulari sibi puellam decenni minorem. Id enim et sub Augusto, et post eius tempora frequentissime factum esse constat. Ipse enim Augustus natam ex filia Attici Agrippae filiam *vix* ANNICVLAM *Tiberio Claudio Neroni, Drusilla nato, priuigno suo* DESPONDIT, teste CORNELIO NEPOTE (f). Aliud exemplum marmor hoc apud GRVTERVM (g) memorat:

DIIS

(a) *Lib. VII. Polit. cap. 16.*
(b) *Compar. Lycurgi et Numae pag. 76.*
(c) *De mor. Germ. cap. 20.*
(d) *Ibid.*
(e) *Iul. cap. 1.*
(f) *Vit. Attic. cap. 19.*
(g) *Inscr. pag. 837. num. 2.*

BIU Cujas

DIIS. MANIBVS.
VALERIAE. M. F.
FORTVNATAE.
VIXIT. ANNOS. VIII.
MENSES. VIII. DIES. XVIII.
M. VALERIVS. ANICETVS.
VIX. ANN. XX. QVI. FVIT.
SPON.
EIVS.

Sed sensus legis est, sponsalia cum decenni minore, non futura legitima. Subsistebant ergo, sed ita, vt is, cui desponsa esset, sponsi iure non perfrueretur, quia eam secundum legem intra biennium domum ducere non posset. Hinc MODESTINVS (a), quem post hanc legem vixisse, nemo dubitat: *In sponsalibus*, inquit, *contrahendis*, AETAS *contrahentium* DEFINITA NON EST, *vt in matrimoniis.* (Eatenus nimirum, vt immatura sponsalia nulla vel irrita sint,) *Quapropter* A PRIMORDIO AETATIS *sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab vtraque persona intelligatur, id est, si non sint minores septem annis.*

Hinc porro sponso lex iniungit, VT DESPONSAM INTRA BIENNIVM DOMVM DVCAT, non quod lex inuitum cogeret facere nuptias, sed quod, si non duceret, praemiis maritorum non frueretur. Ea tamen necessitate sponsos eximebant iustae caussae, de quibus CAIVS (b): *saepe iustae ac necessariae caussae, non solum annum, vel biennium, sed etiam triennium vel quadriennium, et vlterius trahunt sponsalia, veluti valetudo sponsi sponsaeue, vel mortes parentium, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quae ex necessitate fiunt.* In hoc textu IAC. CVIACIO (c) abundare videntur verba *annum vel. Nusquam enim*, inquit, *huic rei annum fuisse praescriptum, legimus, sed biennium, vt consequens sit, Caium scripsisse: Saepe iustae ac necessariae caussae non solum biennium, sed etiam triennium, quadriennium et vlterius trahunt sponsalia.* Postea tamen verba ista retineri posse concedit, si dicamus, his, qui sibi despondissent puellam XI. annorum, legibus fuisse praescriptum annum, ad contrahendas nuptias. Enimuero nec de hac legis sanctione vel apud DIONEM vel apud quemquam veterum aut vola aut vestigium occurrit. Vnde IAC. GOTHOFREDVS (d) vel scriptum

(a) L. 14. *D. de sponsal.*
(b) CAI. *Lib. I. L. 17. D. de sponsi.*
(c) *Lib. XVI. obs. cap. 35.*
(d) *Not. ad leg. Pap. pag. 320.*

BIU Cujas

fuisse suspicatur *annu. M. VI.* id est, *annum, menses VI.* vel statuendum esse, Caium non de lege Papia Poppaea, sed de Iulia loqui, quae per annum tantum trahi sponsalia concesserit. Enimuero vti prius paullo argutius est: ita posterius plane non videtur verosimile. Diserte enim Dio et Svetonivs obseruant, legem Iuliam sponsis praemia maritorum indistincte indulsisse, et postea demum ob fraudem legi factam biennium, intra quod sponsae domum ducendae essent, praefinitum esse lege Papia Poppaea. Quid vero opus fuisset noua illa legis Papiae Poppaeae sanctione, si lex Iulia iam tempus, et quidem multo breuius, praefiniuisset, intra quod sponsi nuptias facere tenerentur? Neutra virorum summorum coniectura opus videtur. Rectissime enim se habent Caii verba, si ea de spatio temporis, ad quod vltra istud biennium ob iustam et necessariam caussam sponsalia trahi possint, intelligas, vt sensus sit: *Saepe iustae ac necessariae caussae* (vltra istud biennium, quod lex Papia Poppaea finiuit,) *non solum annum vel biennium, sed etiam triennium, et quadriennium, et vlterius trahunt sponsalia.*

Ceterum iustae illae ac necessariae caussae non omnes quidem, sed quaedam tantum exempli caussa a Caio adferuntur. In his est primo *valetudo sponsi sponsaeue*, puta diuturna, et talis, quae impedimento esse possit nuptiis. Deinde *mors parentium*, ob luctum, intra cuius tempus nuptias celebrare indecorum atque inauspicatum videbatur, adeo, vt ne exacto quidem luctus tempore, nuptias celebrare liceret mense Februario, quo Manibus parentum sacra piacularia fiebant. Qua de re Ovidivs (a):

Dum tamen haec fient, viduae cessate puellae,
Exspectet puros pinea taeda dies.
Nec tibi quae cupidae matura videbere matri
Comat virgineas hasta recurua comas.
Conde tuas, Hymenaee, faces, et ab ignibus atris
Auser: habent alias moesta sepulcra faces.

Excusabant porro *capitalia crimina.* Siue enim sponsus, siue sponsa, siue eorum parentes rei postulati essent criminis capitalis: inducae merito poscebantur nuptiis, ne, si alteruter sponsorum capitis damnaretur, alterum participem fieri oporteret istius calamitatis. Praeterea in parentum periculo liberi in tanto luctu ac squallore erant (b), vt non possent

(a) *Fastor. Lib. II. v. 557. seqq.* (b) *Liu. Lib. VI. cap. 20. Lib. XXXXIII. cap. 16.*

BIU Cujas

posſent ſine ignominia de nuptiis cogitare. Denique et *longas peregrinationes, quae ex neceſſitate fiunt*, iuſtis illis cauſſis accenſet CAIVS: quod procul dubio de abſentia rei publicae cauſſa intelligendum eſt, cuius ſolius rationem habuiſſe legem Papiam Poppaeam, ex VLPIANI (a) et PAVLLI (b) teſtimoniis, infra explicandis, patebit.

Quid vero ſi nulla vrgente huius modi cauſſa ſponſalia traherentur? Tunc ſponſus PRAEMIIS MARITORVM NON FRVEBATVR. Sed ea poena non ſufficiebat poſteris. CONSTANTINVS (c) enim praeterea ſponſae militis, (paganum enim, qui rei publicae cauſſa non aberat, ſponſa, niſi duodecenni minor, exſpectare non tenebatur,) permiſit, vt circumacto a ſponſalibus biennio, impune ſibi aliam conditionem quaereret. Quin et idem facere licebat patri, tutori vel curatori puellae ſi culpa penes ſponſum eſſet, per eumque ſtaret, quo minus puella domum duceretur (d). Nam ſi propter aetatem duci non poſſet: non licebat quidem ſponſae, circumacto a ſponſalibus biennio, aliam conditionem quaerere: at ſponſus interea praemiis mariti non fruebatur, quia contra legem immaturam et decenni minorem ſibi fuerat ſtipulatus (e).

Quum itaque Auguſtus puellas anno aetatis duodecimo virilis patientiae legem accipere poſſe ſtatuerit: non abs re quaeri poſſet, an non vana ſit IVSTINIANI (f) gloriatio, qua ſibi id tribuere videtur, quod pubertatis annos definiuerit, quum ſaltim, quod ad feminas attinet, id pridem fecerit Auguſtus? Sed facile vnus quiſque animaduertet, nec Iuſtinianum iure reprehendi, nec ad Auguſtum referri poſſe inuenti pubertatis termini originem. Nuſquam id ſibi tribuit IVSTINIANVS, quod pubertatis annos primus definiuerit, ſed quod, quum Caſſiani habitu corporis; Proculeiani annis; Priſcus Iauolenus vtriſque pubertatem aeſtimarent, ipſe ¡Proculeianorum ſententia firmata, liti iſti finem impoſuerit. Nec Auguſtus primus dici poteſt ſtatuiſſe, quo aetatis anno puberes cenſeantur feminae. Nam, vti recte CONTIVS (g) et VVLTEIVS (h) obſeruarunt, de earum pubertate apud veteres non quaerebatur, quia non aetate tutela liberabantur, ſed conuentione in manum. Si vero nubere vellent, non de pubertate quaeſtio erat, ſed

(a) *Fragm. tit. 16. §. 1. L. 36. et L. 38. D. ex quib. cauſſ. maior.*
(b) *L. 35. et L. 37. D. eod.*
(c) *L. 2. C. de ſponſal.*
(d) *L. 4. C. Th. eod.*
(e) *L. 6. C. Th. eod.*
(f) *L. vlt. C. quando tut. eſſe deſ.*
(g) *Lection. ſubſeciu. Lib. II. cap. 13. §. 5.*
(h) *Ad pr. Inſt. quib. mod. tut. fin.*

BIU Cujas

de viri potentia, quae, vti ampliſſimus BYNKERSHOEKIVS (a) coniecit, ex eo iudicari poterat, quod iam tributum menſtruum naturae ſoluere coepiſſent. Ex quo etiam patet, cur non vti in maribus, ita in feminis, inſpectione corporis opus eſſe crederent veteres. Vix enim matri vel nutrici poterat ignotum eſſe, quando id accidat puellae, ex quo matura viro et plenis nubilis annis iudicaretur. Quum vero id plerumque anno aetatis duodecimo contingat, legem Auguſtus tulit de eo, quod fit ἐπὶ τὸ πλεῖον. Poſtquam autem diſcrimen inter pupillarum et perpetuam feminarum tutelam inualuit, et puellae primum pupillari, ac ea aetate exacta, perpetuae et legitimae tutelae ſubeſſe coeperunt, ac demum perpetua mulierum tutela ſenſim ab vſu receſſit: etiam de puellarum pubertate quaeſitum, quam ipſam quoque anno duodecimo impleto incipere, e veteribus VLPIANVS (b) et MACROBIVS (c) obſeruarunt.

Vt autem ad legem noſtram reuertamur, diximus, ſponſam ſaltim duodecennem fuiſſe domum ducendam, quia tunc matura viro videbatur. Quid ergo, ſi quis eas inducias anteuertiſſet, et, puellam nondum viri potentem deduxiſſet domum? Tunc vero non prius iuſta vxor videbatur, quam legitimam illam aetatem attigiſſet. Hinc et dotem vir petere non poterat, antequam duodecimum aetatis annum impleſſet, quia nuptiae nondum vtiliter fuerant conſequutae (d). Ex eadem ratione ante eum annum, repudiata conditione diſcedens, rei vxoriae actione experiri non poterat, quia pecunia in cauſſam dotis numerata dos facta non fuerat: quamuis eidem liceret pecuniam condicere, eique condictioni dotis priuilegium daretur ex ſententia VLPIANI (e) et HERMOGENIANI (f). Sed et legatum cum conditione: *filiae meae*, QVVM NVPSERIT, *do lego*, peti non poterat ab ea, quae nondum nubilis in domum mariti deducta fuerat (g). Denique et vitium puellae immaturae, licet domum ductae, illatum vir non tamquam maritus, ſed tamquam ſponſus ex reſcripto D. Seueri perſequebatur (h): modo ſponſalia anteceſſiſſent: ſi quidem alias immatura domum ducta ne ſponſae quidem loco erat (i). Quae omnia breuiter complexus POMPONIVS (l): *minor*, inquit, *annis duodecim nupta tunc legitima vxor fit, cum apud virum expleuit duodecim annos.*

Non

(a) *Obſeruat. Lib. III. cap. 24.*
(b) *Fragm. tit. XI. §. 1.*
(c) *Saturnal. Lib. VII. cap. 7. et Somn. Scip. Lib. I. cap. 6.*
(d) *L. 68. D. de iure dot.*
(e) *L. 17. §. 1. D. de reb. auctor. iud. poſſid.*
(f) *L. 74. D. de iur. dot.*
(g) *L. 10. pr. D. de condit. et demonſtr.*
(h) *L. 13. §. 3. et §. 8. D. ad leg. Iul. de adulter.*
(i) *L. 9. D. de ſponſal.*
(l) *L. 4. D. de ritu nupt.*

BIU Cujas

Non ergo si duodecenni minor nupsisset, nuptiae rescindebantur, nec in patrem, qui filiam minorem duodecim annis nuptum dederat, dabatur actio in factum, *quia ignoscendum videbatur ei, qui filiam suam maturius in familiam sponsi perducere voluerit, quum id adfectu propensiore magis, quam dolo malo crederetur fecisse* (a): sed tamen hoc non censebatur matrimonium. Hinc et post legem Papiam Poppaeam saepe vel impuberibus nupsisse, vel domum deductas videmus virgines immaturas: In marmore Romano apud GRVTERVM (b), legimus:

HERACLAE. QVI. VIX.
ANN. XI. MENS. V. AVR.
PATRONA CONIVGI.
BEN. MER. FEC.

En maritum impuberem annorum XI. et V. mensium, quum diem supremum obiret. Vxoris ipso anno XII. defunctae elogium hoc exstat Baiis (c):

DIS. MANIBVS.
POBLICIAE. ALBANAE.
C. CANVLEIVS. L. F.
CON. B. M. V.
A. XII.

Octennem vxorem reperies in marmore apud eumdem (d):

SABINVS. REGVL.
V. F.
SIBI. ET.
FLORENTI. CONIVGI.
SEROTINAE.
AN. VIII.

Septennem denique in epigrammate quod post GRVTERVM (e) emendatius extulit FABRETTVS (f), in quo et haec legimus:

SEPTEM. ME. NATAM.
ANNORVM. GREMIO.
IPSE. RECEPIT. XXXX.
ANNOS. NATA. NECIS. POTIOR.

(a) *L.* 11. §. 3. *D. quod falso tutor. auctore.*
(b) *Inscript. pag.* 788. *num.* 8.
(c) *Ib. pag.* 815. *num.* 13.
(d) *Ib. pag.* 824. *n.* 1.
(e) *Ib. pag.* 1046. *n.* 6.
(f) *Inscr. cap.* 5. *pag.* 421.

BIU Cujas

Adderem exemplum impuriſſimarum nuptiarum Gytonis cum puella immatura apud PETRONIVM, (a) niſi ibi laſciuiam potius quam conſilium deprehenderem. Satis enim demonſtratum arbitror, deduci domum potuiſſe ſponſas etiam immaturas, quamuis tunc nec vir, nec vxor, nec dos, nec nuptiae intelligerentur, priuſquam nupta duodecimum aetatis annum in domo mariti expleuiſſet.

III. Altera huius capitis parte de vacatione feminis ſoluto matrimonio conceſſa agitur. Et huc pertinent verba: FEMINIS A MORTE VIRI BIENNII, A REPVDIO ANNI ET SEX MENSIVM VACATIO ESTO. *Vacatio*, vti a GOTHOFREDO obſeruatur, modo pro ſpatio temporis a lege ὡρὸς παρασκευὴν conceſſo accipitur, modo pro indulgentia ac lege ſolutione, quo ſenſu SVETONIVS (b) Claudium *ciuibus, naues mercaturae cauſſa fabricantibus*, VACATIONEM *legis Papiae Poppaeae* dediſſe, refert. Hic vero *vacatio* eſt ſpatium, intra quod viduae et repudiatae, quamuis maritum non haberent, immunes tamen erant a poenis caelibatus. Et viduis quidem a morte mariti biennii; repudiatis anni et ſex menſium, Auguſtus indulſerat, fortaſſis, quia viduis ob tempus luctus non tam cito liceret admittere procos, quam repudiatis, quae plerumque iam de conditione tranſegerant cum aliis, quando a viris diuertebant. Iureconſulti tamen et illis feminis biennii vacationem tribuiſſe videntur, quarum mariti non quidem naturalem, ſed ciuilem, mortem obierant, veluti qui ſerui poenae facti, vel quibus aqua et igni interdictum, vel qui deportati fuerant in inſulam. Haec enim coniugis calamitas ſtatim ſoluebat nuptias, et hinc proculdubio illico tanquam caelibes vel viduae habebantur vxores, quanquam hic caſus praeoccuparet mortem, et nonnunquam longum tempus occuparet. Nec tamen ſtatim caelibatus poenis ſuberant vxores deportatorum: ſed idem illis concedebatur ſpatium, quod viduis Auguſtus hac lege indulſerat. Id enim ex CAII (c) fragmento colligo, quod huc pertinere recte vidit IAC. GOTHOFREDVS (d).

Quando vero feminis tantum huiuſmodi vacationem datam eſſe teſtatur VLPIANVS: quid cauſſae eſſe dixeris, cur lex non et viris ſe aeque benignam praebuerit? IAC. CVIACIVS, (e) in hanc quaeſtionem incidens: *A die diuortii*, inquit, *vel mortis vxoris, cuius temporis vacatio data ſit maribus lege Iulia vel Papia, ignoro. Forſitan nulla: quoniam de feminis tantum Vlpianus ſcribit, in quas mitiores, quam in viros,*

(a) *Satyr. pag.* 25.
(b) *Claud. cap.* 18.
(c) CAI. *Lib. I. L.* 29. *D. de poen.*
(d) *Ad leg. Pap. Popp. pag.* 275.
(e) *Lib. VI. obſ. cap.* 37.

BIU Cujas

ros, leges fuere semper. Recte suspicatur CVIACIVS, nullam vacationem datam esse maribus; sed caussam non videtur peruidisse. Neque enim de sola legislatoris benignitate erga sexum infirmiorem hic cogitandum videtur, sed vel praecipue eum mouit, quod maribus semper in procliui sit, nouam quaerere conditionem, non item feminis, quas et luctus et ipsa sexus verecundia ad noua vota festinare, multoque magis sibi nouos maritos quaerere vetat. Vidua saltim x menses, lugere tenebatur maritum (a), et si sui iuris facta, antequam eluxerat, nuberet, infamia notabatur, (b) eandemque ignominiam subibant pater et mater, qui eam nuptum collocauerant, maritus, qui eamdem duxerat, et qui filium ducere iusserat, socer (c). Vnde haud parum mirati homines sunt Marci Imp. filiam, Lucii Veri viduam nondum decurso luctus tempore Claudio Pompeio nubentem (d). Deinde quomodo repudiatae statim reperissent maritum, quum huic verendum esset, ne grauidam in torum reciperet, quod in ipso Augusto reprehensum esse, docet ACRON ad HORAT. *Carm. Lib. III. od. 6.* Nihil horum imminebat maritis ad secunda vota transituris, quippe qui neque vxorem lugere, teste PAVLLO (e), neque a diuortio exspectare aliquamdiu, antequam nouas signarent tabulas, compellebantur. Quin tantum abest, vt eis spatium aliquod πρὸς παρεσκευὴν videretur indulgendum, vt plerumque iam cum noua nupta fuerit transactum, quando vxori priori dabatur repudium. Et id ipsum est, quod notat IVVENALIS (f):

Tres rugae subeant, et se cutis arida laxet:
Fiant obscuri dentes, oculique minores:
Collige sarcinulas, dicit libertus, et exi:
Iam grauis es nobis, et saepe emungeris, exi
Ocyus, et PROPERA, *sicco* VENIT ALTERA *naso.*

Quae si expendas paullo accuratius, non mirum videbitur, feminis, et marito orbatae, et repudiatae, vacationem aliquam concessam fuisse lege Papia Poppaea, quae concessa non fuerat maritis, qui vxores vel inuiti amiserant, vel vltro repudiarant.

IIII. Tale fuit quintum legis Papiae Poppaeae caput. Adfuit illi GOTHOFREDVS laciniam bene longam de virginibus Vestalibus e populo

(a) SEN. *Epist. LXV.* APVLEI. *Metam. Lib. VIII.*
(b) *L.* 2. *C. de secund. nupt.*
(c) *L.* 1. **L.** 8. **L.** 11. *D. de his qui not. infam.*
(d) *Iul. Capitolin. Marc. cap.* 20.
(e) *L.* 9. *pr. D. eod.*
(f) *Sat. VI. vers.* 143. *seqq.*

BIU Cujas

pulo legendis, forte ducendis, et more maiorum capiendis a pontifice maximo. Sed ipsum GELLII locum, ex quo sua hausit, et capite primo huius commentarii interpretati sumus, et eum non ad legem PAPIAM POPPAEAM, sed ad aliam, ab hac diuersam, legem PAPIAM pertinuisse, fusius demonstrauimus.

V. Ceterum quum hodie vix vlla sint maritorum, multo minus sponsorum praemia: superuacua videri posset quaestio, an et nostris temporibus id caput obtineat? Sed non inutiliter tamen quaeri potest, an, quae de viripotentiae termino, nec non de vacatione a soluti matrimonii tempore concessa lex praecipit, nostris temporibus obseruentur? Paucis ergo respondemus, quum pubertatem et viripotentiam in coniugibus ipse exigat matrimonii finis, eam etiamnum merito requiri in iis, qui de nuptiis cogitant. Equidem ius pontificium, quod in quaestionibus de matrimonio maximam vbique auctoritatem obtinuit, etiam impuberes duodecenni minoribus iungi patitur, si malitia, vti lepide pontifex loquitur, aetatem suppleat; (a) (quamuis ne id quidem ob NICOLAI PAPAE (b) prohibitionem sine dispensatione fieri posse putet AVG. BARBOSA. (c). At vix tamen vtiquam nuptiae huius modi conceduntur priuatis. Quin et ante plenam pubertatem masculis aegre indulgentur in Saxonia, quum parum prudentiae ad regendam vxorem et familiam inesse credatur imberbi iueni, qui, vt ait HORATIVS, (d)

Gaudet equis, canibusque et aprico gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque et amata relinquere pernix.

Attamen si meliora suadentes audire nolint, vel si iam benedictio sacerdotalis aut coitus accesserit: priore casu non impediunt nuptias, dummodo sponsi non sint impuberes: posteriore ne quidem impuberes, inter se coëuntes disiungunt, dummodo sint pubertati proximi. Quam in rem et CARPZOVIVS (e) quaedam notauit. Ita et soluto morte matrimonio feminis ob periculum impraegnationis ne conceditur quidem intra annum luctus nubere, tantumque abest, vt vacatio quaedam

(a) *Cap. impuberes 3. cap. de illis 9. et cap. vlt. X. de sponsal. imp.*
(b) *Cap. 2. X. eod.*
(c) *Ad c. 24. X. de sponsal.*
(d) *Art. poët. vers. 162. seqq.*
(e) *Iurisprud. consist. Lib. II. tit. 1. defin. 12.*

BIU Cujas

dam denegetur, vt ei impune per omnem vitam in viduitate permanere liceat. Sin vero vir vxorue cauſſam diuortio dedit, illi non intra quinquennium, quod THEODOSIVS et VALENTINIANVS (a) conſtituerunt, ſed aliquando in perpetuum nuptiis interdici ſolet. In hoc vero vſus hodiernus a iure antiquo facit diuortium, quod et vir amiſſam vxorem elugere teneatur ſex menſibus. Qui mos quamuis et honeſtus ſit, et fere vbique, teſte CYPRAEO, (b) receptus, facilius tamen maſculis gratia legis ſit, quam feminis, quarum impraegnatio ſemper videtur metuenda.

(a) *L.* 8. §. 4. C. *de repud.* (b) *Cap.* 13. *de ſponſal.* §. 96.

* * * * * * * * * * *

CAPVT VI.

AD CAPVT LEGIS VI.

DE POENIS INIVSTARVM NVPTIARVM.

I. *CAput VI. legis Papiae Poppaeae de poenis iniuſtarum nuptiarum egit. Verba capitis.* II. *In poenam incidebant, qui ſcientes dolo malo aduerſus legem coibant.* III. *Liberi quaeſiti contra legem non erant heredes ſui.* IIII. *Iidem non proderant parentibus.* V. *Nihil hi capiebant ex teſtamento.* VI. *Nec inter ſe quidquam capiebant. Aliquando in fraudem legis liberis relinquebatur, quod parentibus relinqui non poterat. In fraudem eiuſdem legis fiebant fideicommiſſa tacita. SC. Plancianum.* VII. *Dos quomodo caduca facta?*

I. QVae adhuc expoſuimus legis Papiae Poppaeae capita ab VLPIANO, CLEM. TERENTIO, et PAVLLO duobus primis, a CAIO et MARCELLO libro primo commentariorum explicata ſunt. Quum vero eodem libro II. VLPIANVS, TER. CLEMENS, et PAVLLVS, nec non eodem libro primo MARCELLVS de poenis iniuſtarum nuptiarum agant, ſeptimum autem legis caput, teſte GELLIO (c), iam ad praemia parentum et nuptorum pertinuerit: non poſſumus non *Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop.* A a exiſti-

(c) *Lib. III. cap.* 15.

BIU Cujas

existimare, sexto hoc capite de poenis iniustarum nuptiarum actum esse.

Et supra quidem ostendimus, legem hanc fuisse minus quam perfectam, quippe quae matrimonia in quasdam personas inhibuit, sed inita tamen et contracta non rescidit : idque primum mutatum esse diximus SCto vel oratione Marci Aurelii et Commodi Imperatorum. Nec tamen ideo extra poenas erant huiusmodi nuptiae : siquidem qui contra leges coierant, coniugum vel nuptorum iuribus haud perfruebantur, quamuis, vti diximus, non diuellerentur coniuges tam male conciliati. Recte itaque Em. Merillivs (a) obseruauit, sanctionem poenalem, quam titulo Institutionum de nuptiis inseruit Ivstinianvs (b), maximam partem ex lege Papia Poppaea esse descriptam. Vnde ex ea, aliisque veterum Prudentum fragmentis ita restituendum erit hoc caput :

Si qui scientes, dolo malo, aduersus hanc legem coierint : nec vir, nec vxor, nec socer socrusue nec gener nurusue intelliguntor : liberi quaesiti natiue legitimi et heredes sui ne sunto, neue parentibus prosunto : neue HEREDITATEM, QVAE EIS LEGE OBVENERIT, *legatumue ipsi coniuges, neque inter se quidquam capiunto : mortuaque muliere dos caduca esto.*

II. Poena ergo proponebatur non omnibus, qui aduersus legem inierant matrimonium, sed QVI SCIENTES DOLO MALO ADVERSVS LEGEM COIERANT. Oportebat nimirum eos, qui coierant, sciuisse, cuius conditionis vel viro nubant, vel vxorem ducant. Sine scientia enim dolus vel improbum consilium haud intelligitur. Per eam autem scientiam et hic legislatores non delatoriam curiositatem, sed talem notitiam, quae supinam ignorantiam excludit, intelligunt. Id quod ita eleganter explicat Vlpianvs (c) : *Nec* SVPINA IGNORANTIA *ferenda est, factum ignorantis, vt nec* SCRVPVLOSA INQVISITIO *exigenda. Scientia enim hoc modo aestimanda est, vt neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur.* Hinc si forte senatoris filia nupsisset Barbario Philippo, quem ingenuum, ciuem, et senatorem esse credebat, quum deinde seruus adpareret : vel si senator bona fide duxisset libertinam, ab omnibus pro ingenua habitam : ii sane a poena fuissent immunes, quia nec scientes, nec dolo malo aduersus leges coierant. Neque alteri coniugi alterius

(a) *Lib. V. obs. cap.* 11.
(b) §. 12. *Inst. de nupt.*
(c) *L. 6. D. de iur. et facti ign.*

BIU Cujas

alterius scientia fraudi erat. Quo pertinet fragmentum TERENTII CLEMENTIS (a) : *iniquissimum videtur, cuique* SCIENTIAM ALTERIVS, *quam suam, nocere, vel* IGNORANTIAM ALTERIVS *alii profuturam.* Quo ipso innuit, si Barbarius Philippus feminam ingenuam, conditionis mariti ignaram duxerit, tunc nec scientiam mariti vxori fraudi, nec vxoris ignorantiam illi emolumento futuram. Hanc enim ob illius scientiam non incurrere poenas iniusti matrimonii, illum autem ob huius ignorantiam non fieri iustum maritum. Haec est vera ac genuina harum legum sententia, quam adsequuti non videntur interpretes, qui has leges de scientia vel ignorantia procuratorum accipiunt, de qua specie non cogitasse iureconsultos, vel inscriptio eos docere poterat.

III. Ad poenas ipsas illegitimi concubitus quod attinet, primo NEC VIR, NEC VXOR, NEC SOCER SOCRVSVE, NEC GENER NVRVSVE INTELLIGEBANTVR. Quamuis enim non rescinderetur eiusmodi matrimonium : effectibus tamen eiusdem ciuilibus plane destituebatur. Hinc nec iura mariti viro, nec iura vxoris mulieri competebant, sed vterque poenis caelibatus et orbitatis suberat: qua de re iam supra quaedam obseruare me memini, quum de oratione Marci et Commodi dissererem. Quare nec inter socerum vel socrum et generum vel nurum ea intercedebant iura mutua et reciproca, quae alias secundum leges intercedebant. Sane quum lege Iulia *iudiciorum publicorum* cautum esset, *ne cui inuito denuncietur testimonium aduersus socerum vel generum:* id procul dubio cessauit in matrimonio iniusto et contra leges Iuliam et Papiam contracto. Eoque pertinet fragmentum PAVLLI (b), quo legem illam Iuliam iudiciorum publicorum recenset, nec non TERENTII CLEMENTIS (c) quo *soceri* et *socrus* vocabula interpretatur: ex quibus vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS (d) perperam exsculpere voluit hoc legis nostrae caput: *Gener socerue inuiti in reos testimonium ne dicunto.* Haec enim repetita fuisse lege Papia, quum iam Iulia de iudiciis publicis ea satis inculcasset, vix verosimile, nec legis nostrae scopo consentaneum est. Ex eo vero porro consequebatur, VT LIBERI QVAESITI NATIVE LEGITIMI ET HEREDES SVI NON ESSENT. Pertinet huc locus IVLII PAVLLI: (e) *sui heredes sunt primo loco filius, filia, in potestate patris constituti, nec interest, adoptiui sint,*

(a) TER. CLEM. *Lib. II.* L. 5. *D. eod.*
(b) PAVLL. *Lib. II.* L. 4. *D. de testib.*
(c) TER. CLEM. *Lib. II.* L. 146. *D. de Verb. Sign.*
(d) *Leg. Pap. Popp. cap. 6.*
(e) *Lib. IIII. Sent. tit.* 8. §. 4.

BIU Cujas

an naturales, et SECVNDVM LEGEM IVLIAM PAPIAMVE QVAESITI, *modo maneant in potestate.* Seruauit id PAVLLI fragmentum Pariator legum Mosaicarum et Romanarum, (a) quod interpretaturus PETRVS PITHOEVS, speciem ponit, quod mulier manumissa ea conditione, ne nuberet, intra annum praestiterit iusiurandum, se liberorum quaerendorum caussa nubere. Hos enim *liberos secundum legem Iuliam Papiamue quaesitos* dici eo loco existimat vir doctissimus. Sed vereor, vt recte PAVLLVM intellexerit. Describit ille heredes suos, talesque esse ait primo loco filios filiasue, in patria potestate constitutos: secundo loco nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, dummodo et ipsi in potestate aui proauiue sint, nec mortuo illo in alterius recidant potestatem. Addit iureconsultus, nihil interesse, naturales sint, an adoptiui, modo, si naturales, secundum legem Papiam Poppaeam quaesiti adeoque ex iustis nuptiis nati sint. Vt adeo particulae ET declaratiua hic sit significatio, qualem in pluribus iuris nostri locis notant IVL. PACIVS (b) et Io. STRAVCHIVS, (c) adeoque sensus emergat naturales licet liberos non esse heredes suos, si contra praecepta legum quaesiti sint. Hinc DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. (d) quaesiti per epistolam, an liberi ex ingenua et liberta procreati iusti patri filii nascantur? id adfirmabant, quia erant secundum legem Iuliam et Papiam quaesiti. Contra si Cocceius Cassianus v. c. de quo supra egimus ex Rufina vulgari muliere suscepisset liberos, illi tanquam contra legem quaesiti, illegitimi procul dubio fuissent: quum non possint iusti liberi, nisi ex iusto nasci matrimonio.

IV. Addidimus in lege: NEVE PROSVNTO, quibus verbis tertia iniustarum nuptiarum poena continetur. Diserte PAVLLVS (e): *Ex lege autem nati prosunt.* Ex lege nimirum Papia Poppaea, quam eo loco interpretatur iureconsultus, et quam κατ' ἐξοχήν dictam esse legem, obseruauimus. Ita recte inde colligas, aduersus legem natos quaesitosque non profuisse parentibus ad capienda foecunditatis praemia, quum absurdum videretur, praemia a lege constituta illis attribui, qui contra legis praecepta coierant.

V. Quarta poena est: NEVE HEREDITATEM, QVAE EIS OBVENERIT, LEGATVMVE IPSI CONIVGES CAPIVNTO. Qui enim contra leges inierant matrimonium, non erant coniuges, adeoque eiusdem conditionis

(a) *Tit. XVI. §. 3.*
(b) *Ad §. 1. Inst. de tutel. et §. 3. Inst. de interdict.*
(c) *Lexic. partic. iur. pag. 61.*
(d) *L. 15. C. de nupt.*
(e) PAVLL. *Lib. II. L. 37. §. 7. D. de op. libert.*

BIU Cujas

ditionis habebantur ac si in caelibatu permansissent. His vero quae quauis vltima voluntate destinata fuerant, ea vel aerario populi, vel principis fisco cedebant, nisi intra centum dies legi parerent (a). Primo ergo non capiebant HEREDITATEM LEGE OBVENIENTEM. Verba enim haec fuisse legitima, ex VLPIANI (b) fragmento, quo ista interpretatur, adparet. Et quamuis alias ea loquutio ad hereditatem legitimam vel successionem intestatorum pertineat: eo tamen sensu hic non accipitur in lege Papia Poppaea, quae innuptis non hereditatem legitimam, sed testamento relictam eripi iusserat. Vnde laudatus modo VLPIANVS: LEGE OBVENIRE *hereditatem non improprie quis dixerit et eam, quae ex testamento defertur, quia lege* XII. *tabularum testamentariae hereditates confirmantur.* Deinde nec legatum capiebant, immo nec mortis caussa donata, quia et mortis caussa donationem hereditati, quae ex testamento venit, et legatis senatus consulto adsimilatam esse, PAVLLVS (c) obseruat. Et hinc patet, cur quid inter mortis caussa donationem et omnia, quae mortis caussa quis ceperit, interfit, tam prolixe ad hoc caput explicet MARCELLVS (d). Enimuero postquam et caelibes capere aliquid ex testamento potuerunt ob constitutionem Constantini M. a SOZOMENO (e) etiam memoratam: procul dubio etiam haec poena iniustarum nuptiarum ab vsu recessit.

VI. Praeterea nec INTER SE QVIDQVAM CAPIEBANT. Cuius poenae testem locupletissimum habemus VLPIANVM (f), diserte scribentem: *Aliquando nihil inter se capiunt coniuges, id est, si* CONTRA LEGEM *Iuliam Papiamque Poppaeam contraxerint matrimonium, verbi gratia, si famosam quis vxorem duxerit, aut libertinam senator.* Nec intererat, per se, an per alios inuicem capturi essent coniuges. Omnibus enim institutionibus in fraudem legum inuentis, iura obstabant. Multa in fraudem legis excogitauerat improbitas, quae, tamen si palam fiebant, irrita erant, ac frustranea. Primo enim aliquando iniusta vxor, quia maritus capere per leges non poterat, vnum ex priuignis suis in patria potestate mariti constitutum scribebat heredem, non ignorans, sic hereditatem nihilominus adquisitum iri patri, cuius iussu filius eam aditurus esset. Et huc pertinet fragmentum VLPIANI (g): quo ea species tractata fuisse videtur, quamuis Tribonianus, abolitis iam caelibatus poenis, non integram legem, sed rationem decidendi tantum,

(a) VLPIAN. *tit.* 17. §. 1. *tit.* 22. §. 3.
(b) VLP. *Lib. II. L.* 130. *D. de V. S.*
(c) *L.* 35. *D. de mort. causs. donat.*
(d) MARCELL. *Lib. I. L.* 38. *D. eod.*
(e) *Lib. I. Hist. Eccl. cap.* 9.
(f) *Fragm. tit.* 16. §. 2.
(g) VLP. *Lib. II. L.* 79. *D. de adquir. vel omitt. her.*

BIU Cujas

omissa ipsa decisione, in pandectas retulisse videatur. Deinde et fideicommittere solebant coniuges in fraudem legis. Coniux enim dicis caussa scribebat heredem extraneum, addito fideicommisso tacito, vt hereditatem restitueret coniugi. Quam in rem et chirographum aliquando dabat heres scriptus, vt superstes coniux hereditatem quasi creditum condicere posset. Cuiusmodi species est apud QVINCTILIANVM (a), qui refert, vxorem, quae per leges institui non potuerit, testamentum subiecisse marito, et ab institutis heredibus exegisse chirographum, quo bona, tacito fideicommisso in fraudem legum obligata, ad se peruenirent. Similem fraudem refert CAIVS (b): *in fraudem*, inquiens, *iuris fidem accommodat, qui vel id, quod relinquitur, vel aliud tacite promittit restituturum se personae, quae legibus ex testamento capere prohibetur, siue chirographum eo nomine dederit, siue nuda pollicitatione repromiserit.* Formulam taciti huius modi fideicommissi reperies apud CALLISTRATVM (c), apud quem testator ad heredes scripserat: VOS ROGO, VT IN EO, QVOD A VOBIS PETII, FIDEM PRAESTETIS, PERQVE DEVM, VT FACIATIS, ROGO. Quaesitus ergo CALLISTRATVS, an id fideicommissum subsistat? negat, additque, *fere eo iam decursum esse, vt* FRAVS *legi fieri videatur, quoties quis neque testamento, neque codicillis rogaretur, sed domestica cautione et chirographo obligaret se ad praestandum ei, qui capere non potest.* Similis denique species est apud PAVLLVM (d): vt satis adpareat, nihil ea fraude, de qua infra capite libri III. vltimo erit dicendi locus, fuisse frequentius.

Et aliquamdiu quidem haec fideicommissa vtilia fuisse videntur. Diserte enim IVSTINIANVS (e): *quibus*, inquit, *non poterant hereditatem vel legata relinquere, si relinquebant, fidei committebant eorum, qui capere ex testamento poterant.* Sed postea, non modo lex Papia Poppaea haec fideicommissa, sed et, vt auctor est VLPIANVS (f), senatus irrita esse iussit fideicommissa omnia in fraudem legum facta, adeo, vt quod huius modi fideicommisso relictum esset, cederet fisco, et ne quarta quidem maneret penes heredem fiduciarium, sed et ea fisco, ex rescripto Antonini Pii occuparetur. Est id SC. PLANCIANVM, de quo MODESTINVS (g): *praeterea qui non capienti rogatus est restituere hereditatem, SC. Planciano non conceditur, quartam retinere, sed ea quarta, quam non retinuit, ad fiscum pertinet, ex rescripto D. Pii.* Quum ergo hoc

(a) *Lib. VIIII. Inst. Orat. cap. 2.*
(b) L. 10. *D. de his, quae vt indign.*
(c) L. 3. *pr. D. de iure fisci.*
(d) L. 48. *pr. D. eod.*
(e) §. 1. *Inst. de fideic. hered.*
(f) *Fragm. tit. 25. §. 17.*
(g) L. 59. §. 1. *D. ad leg. Falcid.*

BIU Cujas

hoc SCtum Antoninus Pius rescripto suo illustrasse dicatur eatenus vt quarta heredi fiduciario erepta non in aerarium populi, sed fiscum principis deferretur: consequens est, vt illud ante imperium Antonini factum sit. Deinde quum eiusdem nominis celebretur SCtum de agnoscendis liberis, et post id tempore Hadriani nouum SCtum factum esse dicatur (a): consequens est, vt et Hadriani temporibus anterior sit ille Plancius consul a quo ista SCta adpellantur. Quare non dubito, quin vtrumque SC. factum sit temporibus Vespasiani, sub cuius imperio M. Plancius Varus, praetura functus laudatur a TACITO (b), et in nummo Claudiopolitano apud IAC. SPONIVM (c) vocatur ΜΑΡΚΟΣ ΠΛΑΓΚΙΟΣ ΟΥΑΡΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. Is ergo procul dubio et consul suffectus aliquamdiu fuit, vt facile potuerit auctor huius SC. Planciani esse.

VII. Denique et ultima accedit poena: MORTVAQVE MVLIERE DOS CADVCA ESTO. Ita enim loquitur VLPIANVS (d), sed de nuptiis tantum quinquagenariis maiorum. Verum et ad alia iniusta matrimonia pertinuisse hanc poenam, PAVLLI (e) et PAPINIANI (f) loca persuadent, quorum prior id etiam in matrimonio eorum, qui officium in prouincia gerebant, cum muliere prouinciali obtinuisse ait, alter generatim de quouis matrimonio illicito: *dote*, inquit, *propter* ILLICITVM MATRIMONIVM *caduca facta, exceptis impensis necessariis, quae dotem ipso iure minuere solent, quod iudicio de dote, redditurus esset, maritus soluere debet.* Immo et ad nuptias contra mandata contractas id protulit ALEXANDER imp. in *epistola ad rationales*, quae etiamnum inter codicis GREGORIANI (g) fragmenta exstat. Caduca itaque dos non statim fiebat, inito matrimonio, (id enim, vti saepe dictum, leges non rescindebant,) nec dissoluto statim tali coitu, vti colligere quis posset ex verbis IVSTINIANI (h), quae tamen, obseruante eruditissimo SCHVLTINGIO (i), non ad quasuis nuptias contra legem Papiam Poppaeam initas, sed ad eas, quas nullas esse iusserat Marci imperatoris oratio, pertinent: sed demum mortua muliere, siue viduum relinqueret superstitem, siue ipsa vel soluto matrimonio vel vidua obiisset. Tunc vero dos occupabatur a fisco: quod cur BARN. BRISSONIVS (l) neget, et de

(a) L. 3. §. 1. D. *de agn. et al. lib.*
(b) *Lib. II. Hist. cap. 63.*
(c) *Itinerar. extr.*
(d) *Fragm. tit. 16. §. 4.*
(e) *L. 38. §. 1. D. de rit. nupt.*
(f) L. 61. D. *de ritu nupt.*
(g) *Lib. 5. tit. 1. §. 1.*
(h) §. 12. *Inst. de nupt.*
(i) *Iurispr. antiqu. Anteiustin. pag. 615.*
(l) *De iure connub. pag. 247.*

BIU Cujas

de sola dote, quae incestis nuptiis accesserit, accipiat, ego quidem rationem nullam video.

* * * * * * * * * *

CAPVT VII.

AD CAPITA LEGIS VII. & VIII.

DE PRIVILEGIIS MARITORVM ET PARENTVM IN GERENDIS PETENDISQVE HONORIBVS.

I. *Caput septimum et octauum de priuilegiis maritorum et parentum in gerendis petendisque honoribus egerunt.* II. *Verba capitis septimi restituta ex Gellio. Fasces quomodo alternis vicibus habuerint coss. An ad obtinendam praerogatiuam hanc profuerint liberi adoptiui? An auo nepotes? An bello amissi? Simulatae nuptiae. Quibusdam iura maritorum concessa.* III. *Candidati* πολύπαιδες *reliquis anteferebantur. Proderant etiam liberi, in potestate patria non constituti. Singuli anni per singulos liberos demissi. Leges annariae. Locus Liuii explicatus. Qui anni finiti singulis magistratibus?* IIII. *SCtum sub Nerone factum de liberis adoptiuis non profuturis.* V. *Ea priuilegia etiam ad decuriones producta.*

I. HActenus de iniustarum nuptiarum poenis: proxima capita de praemiis parentum egisse videntur. Septimum certe, teste GELLIO (a), ad priuilegia maritorum et parentum in gerendis honoribus pertinuit. Ait enim GELLIVS: *postquam soboles ciuitati necessaria visa est, et ad prolem populi frequentandam praemiis atque inuitamentis usus fuit: tum antelati in quibusdam rebus, qui vxorem, quique liberos haberent, senioribus, neque liberos, neque vxores habentibus: sic vti* CAPITE SEPTIMO LEGIS IVLIAE *priori ex consulibus fasces sumendi potestas fit, non qui plures annos natus est, sed, qui plures liberos, quam collega, aut in potestate habet, aut bello amisit. Sed si par vtrique numerus liberorum*

(a) *Lib. II. cap. 15.*

BIU Cujas

rorum est; maritus, aut qui in numero maritorum est, praefertur. Si vero ambo et mariti et patres totidem liberorum sunt: tum ille pristinus honos instauratur, et qui maior natu est, prior fasces sumit. Super his autem, qui aut caelibes ambo sunt, aut parem numerum filiorum habent, aut (lego *et*) *mariti sunt, et liberos non habent, nihil scriptum in lege de aetate est. Solitos tamen audio, qui lege potiores essent, fasces primi mensis collegis concedere, aut longe aetate prioribus, aut nobilioribus multo, aut secundum consulatum ineuntibus.*

II. Haec GELLIVS, ex quo patet septimum legis Iuliae et Papiae Poppaeae caput tale fuisse:

> *Qui plures liberos, quam collega, aut in sua potestate habet, aut bello amisit: ei priori ex consulibus fasces sumendi potestas esto. Si par vtrique numerus liberorum erit, maritus, aut, qui in numero maritorum est, praefertor. Sin omnes et mariti et patres totidem liberorum erunt, tum, qui maior natu erit, fasces prior sumito.*

Quum itaque e duobus collegis semper priori fasces darentur illi, qui collegam liberorum numero superaret: primo omnium dispiciendum, quid ante legem Papiam Poppaeam obtinuerit. Initio libertatis vtrique consuli fasces praeferebantur. DIONYSIVS enim HALICARNASSEVS (a) diserte: Ὡς δὲ κατεστήσαντο ταῦτα, δείσαντες, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μὴ δόξα τοῖς πολλοῖς ἐγγένηται περὶ τῆς καινῆς πολιτείας ὡς ἀληθὴς, ὅτι δύο βασιλεῖς κύριοι γεγόνασι τῆς πόλεως ἀνθ' ἑνὸς, ἑκατέρῳ τῶν ὑπάτων τὰς δώδεκα πελέκεις ἔχοντος, ὥσπερ εἶχον οἱ βασιλεῖς, ἐκρίναντο τὸ δέος ἀφελέσθαι τῶν πολιτῶν. *His ita constitutis, veriti, vt mihi videtur, ne falsam vulgus de immutata republica conciperet opinionem, quasi duos pro vno vrbi reges praefecissent, quia* VTRIQVE CONSVLI, *vti ante regibus,* DVODECIM SECVRES PRAEFEREBANTVR, *decreuerunt ciuibus terrorem eximere.* Brutus itaque et collega, a quibus libertatem auspicata fuerat ciuitas, iisdem, ac reges, insignibus aliquamdiu vtebantur, duodecim singulis fascibus ac securibus praelatis. Quum vero deinde animaduerterent, haec insignia terrori esse ciuibus, seque in duplicatae tyrannidis suspicionem venire, minuere decreuerunt potestatis inuidiam, instituentes, τῷ μὲν ἑτέρῳ ὑπάτων τὰς δώδεκα ἡγεῖσθαι πελέκεις, τοῦ δ' ἑτέρου δώδεκα ὑπηρέας ῥάβδους ἔχοντας μόνον, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι, καὶ κορώνας. Γίνεσθαι δὲ τῶν πελεκέων τὴν παραλήψιν ἐν περιτροπῆς ἕνα μῆνα

(a) *Lib. V. init. pag.* 279.

BIU Cujas

κατέχοντος αὐτοὺς παρ' ἄλλας ἑκατέρου. *Vt alterum consulem* DVODECIM SECVRES *praecederent, alterum duodecim lictores* CVM SOLIS FASCIBVS, *atque etiam cum coronis, vt a quibusdam est proditum : collegaeque secures singulis mensibus sibi inuicem traderent.* Ita nimirum vertendus locus; non *furcae*, vti vulgo fit, in locum coronarum substituendae. Latina enim voce hic vti DIONYSIVM, vel denarius Pisonis apud EZ. SPANHEMIVM (a) euincit, in quo fasces, coronis ornati exhibentur. Non satis distincte ergo rem retulit LIVIVS, (b) *id modo cautum esse*, scribens, a primis istis consulibus, *ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur.* Nam non tam fasces horrebant Romani, quam secures : ideoque et has non vtrique, sed singulis, alternis mensibus praeferri volebant.

Postea P. Valerius Poplicola non solum numerum fascium ad dimidiam partem minuit, sed et secures iis plane exemit, instituitque, teste DIONYSIO (c), vt consules securibus non in vrbe, sed extra illam duntaxat, vterentur. Quem morem ad suam aetatem seruatum esse, scribit DIONYSIVS. Ex eo tempore fasces alternis mensibus singulis praeferebantur, alterum antebat accensus, lictores cum virgis et bacillis pone sequebantur, eoque mense, quo quisque fasces tenebat, CONSVL MAIOR, vti a FESTO (d) traditum est, vocabatur. Sed nec id institutum perpetuo valuit. Mos enim iam anno 585. inualuerat, vt alternis non mensibus, sed diebus fasces mutarentur inter consules : idque discimus ex antiquissimo actorum diurnorum fragmento a LVDOVICO VIVE descripto, et postea edito a STEPH. VIN. PIGHIO (e).

V. K.

(a) *Diss. X. de vsu et praest. nu. pag.* 88. *Tom. II.*
(b) *Lib. II. cap.* 1.
(c) *Lib. V. p.* 292.
(d) Voce *maiorem.*
(e) *Annal. Rom. Tom. II. p.* 376.

BIU Cujas

V. K. APRILEIS.
FASCES. PENES. AEMILIVM.
- - - - - - - -
IV. K. APRILEIS.
FASCES. PENES. LICINIVM.
- - - - - - - -
III. K. APRILEIS.
FASCES PENES AEMILIVM.
- - - - - - - -
PRID. K. APRILEIS
FASCES PENES LICINIVM.

Antiquum denique morem retulit Iul. Caesar, vt pote quem SVETONIVS (a) instituisse tradit, *vt* QVO MENSE *fasces non haberet consul, accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur.* Sed vter tunc prior fasces sumsit? Aut fallor ego, aut aetatis habita est ratio, vel rerum gestarum. *M. Iunius Brutus*, vt est apud LIVIVM (b), *prior*, CONCEDENTE COLLEGA, *fasces habuit. Valerius Poplicola* ad Sp. Lucretium collegam adsumtum, *quia* MAIOR NATV *erat, priores fasces transferri iussit*, vti scribit VALERIVS MAXIMVS (c). Quin GELLIVS, loco supra laudato, et post legem Papiam Poppaeam aliquando aetatis rationem habitam esse testatur, atque inde vix dubito, quin et ante illam aetas praecipue valuerit ad concedendam collegae praerogatiuam.

Eodem modo fasces iam sub regno mutabant Decemuiri, interregni caussa constituti. *Vnus enim*, teste LIVIO (d), *cum insignibus imperii et lictoribus erat: quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuumque interuallum regni fuit.* Nec aliter, libera iam republica, Decemuiri, legum ferendarum caussa constituti: qui primo anno id seruabant, vt vnus fasces haberet, et hoc insigne regium in orbem, suam cuiusque vicem, per omnes iret (e). Quod quanto erat ciuilius, tanto maior ciuitatem pauor occupabat, quum altero anno, primum honoris diem denunciatione ingentis terroris insignem facerent, centumque et viginti lictores, secures fascibus illigatas praeferentes, forum implerent. Idem forsan de tribunis militum consulari potestate obseruandum, quos lictoribus et fascibus vsos esse, ex LIVIO (f); eosdem fasces alternis mensibus sumsisse, vel ex eorum numero colligas. Quamuis enim *interdum viginti* creatos fuisse, *interdum*

 plu-

(a) *Iul. cap.* 20.
(b) *Lib. II. cap.* 1.
(c) *Lib. III. cap.* 1. §. 1.
(d) *Lib. I. cap.* 27.
(e) LIV. *Lib. III. cap.* 36.
(f) *Lib. IV. cap.* 50.

BIU Cujas

plures, *nonnumquam pauciores*, non temere credam POMPONIO (a), sed ex VI factos a librariis esse *viginti*, et ipse cum BVDAEO, CVIACIO et MVRETO existimem : octenos tamen aliquando creatos fuisse, ex LIVIO (b), DIODORO SICVLO (c), ipsisque marmoribus apud GRVTERVM (d) videtur certissimum, et iam pridem demonstratum est a V. C. IACOBO PERIZONIO (e).

Ita se res ante legem Papiam Poppaeam habuit. Hac vero postea cautum, vti liberorum et coniugii haberetur ratio, isque prior sumeret fasces, qui PLVRES LIBEROS, QVAM COLLEGA, IN POTESTATE HABERET. In potestate autem quum non modo naturales, sed et adoptiui essent : hos quoque olim parentibus ad consequendam illam praerogatiuam profuisse, vel inde facile adparet; quod id primum mutatum sub Nerone, vti infra ad hoc caput notabimus. Quin etiamsi nepotes neptesque ex filio vna cum patre in aui potestate essent : tamen et hi patri petenti honores profuisse videntur. *Quod* enim AD HONORES *pertinet*, inquit VLPIANVS (f), *creditur in potestate filium habere etiam is, qui in patris potestate est.* Denique quum BELLO AMISSI *in perpetuum per gloriam viuere intelligantur* (g); etiam hi proderant parentibus, tum ad excusationem munerum publicorum, tum ad capessendos honores et προεδρίαν ante collegas obtinendam. Quamuis quum alias secundum legem Papiam Poppaeam bello amissos non omnes prodesse parentibus constet, sed eos tantum, qui in acie ceciderint (h); et hic eosdem duntaxat intelligendos esse, non dubitem.

Pergit lex : SI PAR VTRIQVE NVMERVS LIBERORVM ERIT, MARITVS, AVT QVI IN NVMERO MARITORVM ERIT, PRAEFERTOR. Pari ergo liberorum numero, maritus viduo, eiue qui vxorem repudiauerat, praeferebatur. Neque enim consuetudo cum concubina cuiquam proderat, neque simulatae nuptiae, de quibus CAIVS (i) : SIMVLATAE NVPTIAE *nullius momenti sunt.* Vbi *simulatae nuptiae* accipiuntur eo sensu, quo TERENTIANVS ille senex ait (k) :

- - *Hoc*

(a) *L. 2. §. 25. D. de orig. iur.*
(b) *Lib. VI. cap. 37.*
(c) *Lib. XV. p. 365.*
(d) *Inscr. p. 502.*
(e) *Animadu. Hist. cap. 2. p. 45.*
(f) *L. 2. D. de munerib.*
(g) *Princ. Inst. de excus. tut.*
(h) *L. 18. D. de excusat.*
(i) CAI. *Lib. I. L. 30. D. de rit. nupt.*
(k) *Andr. act. 1. scen. 1. v. 19. sequ.*

BIU Cujas

- - Hoc primum in re hac praedico tibi,
Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.
So. *Cur* SIMVLAS *igitur?*

Simulabantur autem saepe nuptiae, quando dicis caussa tabulae signabantur ab iis, quibus nunquam esset animus, sponsas domum ducere, sed eas statim, si maritorum praemia abstulissent, repudiare. Qualis est species, de qua DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, Augusti (a), hunc in modum rescribunt: *Neque sine nuptiis* INSTRVMENTA FACTA *ad probationem matrimonii sunt idonea,* DIVERSVM VERITATE CONTINENTE: *neque non interpositis instrumentis, iure contractum matrimonium irritum est, quum omissa quoque scriptura, cetera nuptiarum indicia non sint irrita.* Neque ergo ad auferenda maritorum praemia proderant fictae simulataeque nuptiae, si *fraus* pelluceret.

Nec maritus tantum, verum etiam, qui IN MARITORVM NVMERO ERAT, praeferebatur collegae. In maritorum vero numero erant partim sponsi, nondum elapso a sponsalibus biennio, quippe quos praemiis maritorum gauisos, iam supra diximus, dummodo feminas lege hac prohibitas sibi non essent stipulati (b): partim qui principum benignitate τὸ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα, vt DIO CASSIVS (c) vocat, id est, *iura maritorum* impetrauerant. Quemadmodum enim supra obseruauimus, mulieres maritis vilioribus nuptas aliquando *ornamenta consularis vel senatorii matrimonii* ab Imperatoribus obtinuisse: ita et ipsi caelibes saepe ab iisdem impetrabant *iura maritorum*, id est priuilegium aeque fruendi maritorum praemiis, ac si vxores liberorum quaerendorum caussa duxissent. Maxime militibus, vti DIO obseruat, id beneficium concessum, quippe quibus vel vxores habere, vel easdem in castra et hiberna secum ducere nefas erat. Locum adfero, quia eum nuper male intellectum video a viro docto. Ait DIO: Τοῖς τε στρατευομένοις, ἐπειδὴ γυναῖκας οὐκ ἐδύναντο ἐκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ ΤΩΝ ΓΕΓΑΜΗΚΟΤΩΝ ΔΙΚΑΙΩΜΑΤΑ ἔδωκε. *Militibus, quia ex lege vxores habere non possent,* IVRA MARITORVM *dedit.* Quae verba non ita accipienda, vti accepit vir doctus, ac si Claudius primus militibus concesserit ius vxores ducendi, sed quod et iis, qui non duxerant, nec per leges ducere poterant, *iura maritorum*, id est eadem iura, quibus mariti gaudebant, indulserit. Vt adeo *ius maritorum* eodem sensu accipiatur, quo *ius liberorum*, orbis etiam, vti nemo ignorat, concessum. Eodem modo intelligenda, quae

(a) *L.* 13. *C. de nupt.*
(b) VLP. *Lib. III. L.* 16. *D. de sponsal.*
(c) *Lib. IX. p.* 681.

BIU Cujas

de Nerone idem DIO (a) refert. Addit enim, eadem illum conceſſiſſe, ὅσα ὁ κλαύδιος ἐδεδώκει, *quae Claudius conceſſerat.* Nondum enim eo tempore licuiſſe militibus vxores ducere, patet ex TACITO (b), qui milites *neque coniugiis ſuſcipiendis, neque alendis liberis ſuetos*, ORBAS *ſine poſteris* DOMOS *relinquere* ait: patet ex TERTVLLIANO (c), qui *perire* ſcribit *caelibum familias, ſpadonum, et* MILITVM: patet denique ex teſtimonio CAII noſtri (d), qui et militiam accenſet cauſſis, *ob quas commode retineri matrimonium non poſſit.* Non quidem a Venere milites prohibebant leges veteres, ſed a Iunone, vti eleganter alicubi ſcribit LIPSIVS. Quamuis enim iis concederentur *mulieres focariae*, de quibus ANTONINVS in *L. 2. C. de don. inter vir. et vxor.* non tamen concedebantur iuſtae vxores, ante tempora SEVERI, quem recte HERODIANVS (e) obſeruat militibus primum permiſiſſe, γύναιξί τε συνοικεῖν, *cohabitare vxoribus.* A quibus temporibus et milites potuiſſe vxores ducere, ex CONSTANTINI (f), nec non VALENTINIANI, VALENTIS, et GRATIANI (g) conſtitutionibus adparet. At eas tamen vxores et liberos in ea loca, vbi militabant, deducere nefas erat, niſi imperatoris auctoritate, vti non modo lex CONSTANTII (h), verum etiam exempla huiusmodi conceſſionis apud AMMIANVM MARCELLINVM (i) et LIBANIVM (k) ſatis euincunt. Quum itaque non dolo malo et vagae libidinis cauſſa, ſed ob ſanctiones legum militibus abſtinendum eſſet ab vxoribus: non adeo mirum eſt, iis imperatores iura maritorum extra ordinem indulſiſſe, adeoque et eos ad dignitates euectos, collegis in caelibatu viuentibus non ſecus fuiſſe antelatos, ac ſi ipſi legi Papiae Poppaeae paruiſſent.

Quid vero ſi collegae ambo et mariti, et totidem liberorum parentes eſſent? Tunc, inquit lex, QVI MAIOR NATV, PRIOR FASCES SVMITO. Aetati ergo hoc caſu perinde, ac ante legem Papiam Poppaeam, honor habebatur, vt natu maior minorem anteiret. Quod et tunc obſeruatum ſcribit GELLIVS (l), *ſi ambo caelibes eſſent, et parem numerum filiorum haberent; aut ambo eſſent mariti, et liberos non haberent. Tunc enim audiuiſſe ſe ait, qui lege potiores eſſent, faſces primi menſis collegis concedere ſolitos eſſe, aut longe aetate prioribus, aut nobilioribus*

(a) *Lib. LXI. p. 690.*
(b) *Annal. Lib. XIII. cap. 27.*
(c) *Exhort. ad caſtitatem, p. 565. edit. B. Rhenani.*
(d) L. 60. *D. de donat. inter vir. et vxor.*
(e) *Lib. III. cap. VIII.*
(f) L. 7. *C. de repud.*
(g) L. 6. 7. *C. Th. de tiron. Lib. VII. tit. 13.*
(h) L. 10. *C. de re milit.* L. 3. *C. Th. eod. Lib. VII. tit. 1.*
(i) *Lib. XX.*
(k) *In Iuliani Imp. necem, pag. 284.*
(l) *Lib. II. cap. 15.*

BIU Cujas

ribus multo, aut secundum consulatum ineuntibus. Audiuisse se hoc scribit GELLIVS, eoque satis aperte indicat, temporibus Antonini Pii, quibus vixit, eam legem iam ab vsu recessisse. Siquidem imperatores fere suo lubitu consulatum per insequentium aliquot annorum menses fere singulos, quibuscumque lubebat, decernere, nec ea in re vel aetatis, vel nobilitatis, vel coniugii aut liberorum habere rationem solebant.

III. Caput octauum ex TACITO (a) et VLPIANO (b) restituendum, non minus, ac septimum, ad priuilegia circa honores, non capessendos quidem, sed petendos, comparatum, tale fuisse arbitramur:

Qui candidatorum plures liberos, secundum hanc legem, habebit, praefertor: petentibus honores SINGVLI ANNI PER SINGVLOS LIBEROS DEMITTVNTOR *: eisque honores citius, quam per leges annarias licet, petere sine* FRAVDE *sua liceto.*

Vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, haec capiti septimo iungit. Sed GELLIVS horum priuilegiorum plane non meminit, nec illius in capite VII. legis Iuliae vestigium deprehendit. Vnde magis est, vt octauum, et a superiore distinctum fuisse hoc caput, existimemus. Prioris partis meminit TACITVS. Quum enim de praetore in locum Vipsanii Galli, quem mors abstulerat, surrogando certamen intercessisset, et Germanicus ac Drusus Haterium Agrippam, propinquum suum, fouerent: *contra plerique nitebantur, vt numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod* LEX *iubebat.* Lex ergo eos, quibus numerosa proles esset, orbis vel pauciorum liberorum parentibus praeferebat: et quaenam vero, nisi Papia Poppaea, quae sola τῇ πολυπαιδίᾳ praemia constituit?

Ait vero lex: QVI CANDIDATORVM. Siue quis enim consulatum, siue praeturam, siue magistratum peteret: numerus liberorum praeualebat. De praetura iam vidimus exemplum ex TACITO. De tribunatu PLINIVS (c): *Calestrium Tironem familiarissime diligo. Ille me in tribunatu* LIBERORVM IVRE PRAECESSIT. Quin in ipsis imperatoribus deligendis aliquando liberorum non plane nullam habitam esse rationem, ex IOSEPHO (d) colligere licet, qui comparatis inter se Vitellio et Vespasiano, Οὐδὲ, inquit, ἀντὶ τοῦ ἡγεμόνος ἀγαθοῦ, τύραννον ὠμότατον, ΑΠΑΙΔΑ δὲ ἀντὶ ΠΑΤΡΟΣ αἱρεῖσθαι πρὸς ταύτην. *Neque enim pro bono Imperatore crudelissimum tyrannum,* NVLLOS *autem habentem* LIBEROS *prae*

PA-

(a) *Annal. Lib. II. cap.* 51.
(b) L. 2. *D. de minor.*
(c) *Lib. VII. epist.* 16.
(d) *De Bell. Iud. Lib. V. cap.* 10.

BIU Cujas

PATRE *optaturos principem.* Qua in re quamuis falsus sit IOSEPHVS, et Vitellio liberos fuisse, cum ex nummo vetere, tum ex SVETONII (a) TACITIQVE (b) testimoniis, satis demonstrarit EZ. SPANHEMIVS: (c) saltim id tamen inde discimus, et in principibus optandis haud parum ponderis habuisse liberorum numerum. Vt autem ad magistratus redeamus, liberi candidatis proderant, siue quis vrbanum, siue prouincialem magistratum peteret. Nam quamuis praesides iussu Augusti sorte legerentur: ea tamen sortitione, teste DIONE (d) non erat opus, εἴτῳ πολυπαιδίας, ἢ γάμου προνομίαν προσείη, *si cui* MVLTITVDINIS LIBERORVM *aut* NVPTIARVM *caussa faceret priuilegium.* Vnde et *propinqua sorte prouinciarum plerosque orbos fictis adoptionibus* ADSCIVISSE FILIOS, *eosque sortitos prouincias statim dimisisse*, TACITVS (e) refert. Sequitur in lege: PLVRES LIBEROS HABEBIT. Ita enim potius restituenda verba visa sunt: quam, vti in superiore capite: *qui plures liberos in potestate habuerit, aut bello amiserit*: quia et ei liberi in petendis honoribus, proderant, qui ipse erat in patria potestate. (f) Sed et adoptiuos profuisse, vel inde colligimus, quod vel ideo tot fictitiae adoptiones, teste TACITO, (g) celebrarentur, vt, quibus natura liberi non essent, ii tamen adoptiuorum ope illa parentum praemia auferrent.

Posteriorem capitis partem VLPIANVS (h) seruauit, qui obiter libro 19. commentariorum ad hanc legem nostram scribit: *Quod enim legibus cauetur*, VT SINGVLI ANNI PER SINGVLOS LIBEROS DEMITTANTVR, *ad honores pertinere D. Seuerus ait, non ad rem suam recipiendam.* Nimirum quum legibus Iulia et Papia cautum esset, vt singuli anni per singulos liberos demitterentur: erant, vt fieri solet, qui eam regulam inepte traherent ad curationem minorum, existimarentque, et hos rem suam maturius recipere a curatoribus, si liberos sustulissent, ita vt vnius filii vel filiae parens anno aetatis 24. duorum, anno 23. trium, anno 22. maiorennes censendi sint. Sed interceſſit Seuerus Imperator, idque priuilegium ad honores tantum pertinere, rescripsit.

Habebant Romani leges *annales*, vel vti FESTVS vocat, *annarias*, quibus certa aetas definiebatur eorum, qui magistratus essent petituri. Eae, vti est apud LIVIVM (i), primum latae a L. Villio, tribuno plebis, anno v. c. 573. vnde et ille *Annalium* cognomen reliquit genti Villiae. Ante hanc legem nullis annis adligata erat honorum petitio. Vnde

(a) *Vitell. cap. 6. Vesp. cap. 14.*
(b) *Hist. Lib. II. cap. 59.*
(c) *Diss. XI. de Vsu et praest. Num. pag. 327.*
(d) *Lib. 53.*
(e) *Lib. XV. Ann. cap. 19.*
(f) *L. 2. D. de muner.*
(g) *Lib. XV. Ann. cap. 19.*
(h) *L. 2. D. de min.*
(i) *Lib. XL. cap. 44.*

BIU Cujas

Vnde CICERO : (a) *itaque maiores noſtri, veteres illi admodum antiqui,* LEGES ANNALES NON HABEBANT : *quas multis poſt annis attulit ambitio, vt gradus eſſent petitionis inter aequales.* Et TACITVS : (b) *apud maiores virtutis id praemium fuerat, cunctiſque ciuium, ſi bonis artibus fiderent, licitum, petere magiſtratus* : *ac* NE AETAS QVIDEM DISTINGVEBATVR, *quin prima iuuenta conſulatum ac dictaturas inirent.* Quum vero legem annariam primum a L. Villio latam eſſe, ipſe LIVIVS fateatur : mireris ſane, eumdem, quaſi ſui oblitum, alibi referre, (c) iam multo ante tribunos plebis P. Scipioni, petenti aedilitatem, obſtitiſſe, *quod nondum* LEGITIMA *ad petendum* AETAS *eſſet.* Sunt qui ideo ante L. Villium annalem legem exſtitiſſe, cum IANO LANGLAEO (d) exiſtimant, nixi teſtimonio CICERONIS, (e) legem eiuſmodi annalem etiam a Pinario Ruſca, diſſuadente Seruilio, latam eſſe, tradentis. Enimuero, nec certum eſt, Ruſcam illum et Seruilium ante Villium vixiſſe : et LIVII locus alia ratione commode poteſt explicari. Nam quum P. Scipio tum vix XXII. annorum eſſet adoleſcens : per legitimam ad petendum aetatem tribuni plebis procul dubio intellexerunt maiorennitatem, indignum fore exiſtimantes Romanorum prudentia, quod iuueni rempublicam crederent, quem lex Laetoria, paullo ante a M. Laetorio Planciano lata, ne maiorennem quidem habeat. Annos aetatis, quibus ſinguli magiſtratus peti poſſent ex lege Villia, nec LIVIVS, nec quiſquam veterum, finiuit. Quum tamen ſubinde glorietur CICERO, ſe magiſtratus, quos geſſerit, omnes anno ſuo, hoc eſt, per leges finito, obtinuiſſe : acute inde collegit STEPH. VIN. PIGHIVS, (f) quaeſturae annum legitimum fuiſſe *trigeſimum primum* ; aedilitatis *trigeſimum ſeptimum* ; praeturae *quadrageſimum* ; conſulatus *quadrageſimum tertium.* His enim annis aetatis ſuae ſingulos iſtos honores geſſiſſe Ciceronem, ex hiſtoria eiuſdem ſatis liquet. Confirmat eam coniecturam, quod ad conſulatum attinet, ipſe CICERO, (g) dum ſcribit : *quid Macedo Alexander ? Quum ab ineunte aetate res maximas gerere coepiſſet, nonne tertio triceſimo anno mortem obiit ? Quae eſt aetas, legibus noſtris, decem annis minor, quam conſularis.*

(a) *Philipp. V. cap.* 17.
(b) *Lib. XI. Ann. cap.* 21.
(c) *Lib. XXV. cap.* 2.
(d) *Otii Semeſtr. Lib. VII. cap.* 10. *pag.* 377.
(e) *De Orat. Lib. II. cap.* 66.
(f) *Lib. II. Annal. Rom. p.* 334.
(g) *Philipp. V. cap.* 17.

BIU Cujas

Ante hos annos nemini licebat petere magistratus, nisi ob praecox ingenium et edita maturae virtutis specimina lege solueretur a senatu. Ita sane lege solutos reperio P. Scipionem Aemilianum, apud EPITOMATOREM LIVII, (a) et in primis Cn. Pompeium Magnum, quem CICERO (b) ait, *senatusconsulto legibus solutum, consulem ante factum, quam vllum alium magistratum per leges capere licuisset.* Postea et imperatores eodem exemplo lege quosdam soluebant, veluti Traianus Plinium, qui ipse se Calestrium Tironem in praetura consequutum esse scribit, *quum sibi Caesar annum remisisset.* (c)

Ab his itaque annariis legibus aliquid remiserat lex Papia Poppaea ob numerum liberorum, quippe qua cautum fuerat, vt SINGVLI ANNI PER SINGVLOS LIBEROS DEMITTERENTVR. Hinc quum praeturam petere nemo posset, quadragenario minor: legitima tamen aetas videbatur annorum triginta quinque, si quis quinque liberorum parens esset. Ita enim intelligendum verbum *demittere*, quod hic nihil aliud significat, ac gratiam facere aliquot annorum, vt non opus sit mutare textum, et pro *demittere* rescribere *remittere*. Demissis ex lege annis honores CITIVS, QVAM PER ANNARIAS LEGES LICEBAT, PETI SINE FRAVDE *poterant*. Hanc enim formulam legislatoribus sollemnem additam huic capiti fuisse, vel inde liquet, quod VLPIANVS (d) eodem libro III. quid inter *poenam* et fraudem *interfit* diligenter explicet.

IIII. Hactenus ipsa legis capita, sed variis obnoxia fraudibus. Nam primo quum mariti in petendis honoribus et sortitione prouinciarum ἀγάμοις praeferrentur: candidati adhuc caelibes, imminentibus comitiis, vel propinqua sortitione, vxores ducebant, quas, honore vel prouincia potiti, statim repudiabant. Huiusmodi sane fraudem in quaestore vltus et Tiberius, quem *quaestura remouit, quod vxorem pridie sortitionem ductam, postridie repudiasset.* (e) Deinde quum, vti diximus, olim et adoptiui liberi parentibus prodessent ad capiendos honores: occasionem inde captabant ciues, fictis adoptionibus legem in ludibrium vertendi, auferendique prolis numerosae praemia. Rem ita refert

(a) *Lib. L.*
(b) *Pro lege Manil. cap. 21.*
(c) *Lib. VII. Epist. 16.*
(d) *Lib. III. L. 131. D. de verb. sign.*
(e) SVET. *Tiber. cap. 35.*

BIU Cujas

fert TACITVS: (a) *Percrebuerat ea tempestate prauissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte prouinciarum, plerique orbi* FICTIS ADOPTIONIBVS *adsciscerent filios, praeturasque et prouincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptauerant.* Haec quum manifesto in fraudem legum Iuliae et Papiae essent inuenta, eo adegerunt patres, vt SCto cauerent, NE SIMVLATA ADOPTIO IN VLLA PARTE MVNERIS PVBLICI IVVARET, ET NE VSVRPANDIS QVIDEM HEREDITATIBVS PRODESSET. Quae omnia acta sunt, *C. Memmio Regulo* et *Verginio Rufo* coss. anno v. c. 815.

Ex eo tempore in nulla parte muneris publici adiuuit adoptio: id est, nec in petendis honoribus, nec in amoliendis muneribus publicis, profuerunt liberi adoptiui. Quin nec ad alia capienda πολυτεκνίας praemia. Nam et is, cui *in tempus liberorum* tertia pars relicta erat, vtique non poterat adoptando illam tertiam partem consequi, iudice VLPIANO. (b) Nec conditio fideicommissi, SI SINE LIBERIS DECESSERIT, deficiebat liberis per adoptionem quaesitis, vti PAPINIANVS (c) respondit.

V. Quemadmodum vero sub Nerone haec legis capita quodammodo restricta sunt: ita postea illa et ad magistratus municipales porrecta esse animaduertimus. Nam et PAPINIANI (d) temporibus iam inualuerat, *vt, qui* PLVRES LIBEROS *haberet in suo collegio, primus rogaretur sententiam, ceterosque honoris ordine praecelleret.* Et DIOCLETIANVS cum MAXIMIANO (e) rescripsit: *In albo decurionum praescriptis* PATREM *non habenti filios anteferri constat.* Eodem pertinet *l. 2. D. de munerib.* quam paullo ante explicauimus, quamque hic non arbitramur repetendam.

(a) *Lib. XV. Ann. cap. 19.*
(b) L. 51. §. 1. *D. de legat. 2.*
(c) L. 76. *D. de cond. et dem.*
(d) L. 2. §. 5. *D. de decurion.*
(e) L. 9. *C. eod.*

BIU Cujas

* * * * * * * * * * *

CAPVT VIII.

AD CAPVT LEGIS NONVM.

DE IMMVNITATE OB LIBERORVM NVMERVM.

I. *PRoximum caput de immunitate ob numerum liberorum egit. Capitis verba. Munera quid? Excusationes tantum ad munera personalia pertinebant. Quid potiorem nominare? Liberi Romae nati tres excusabant. Quid Romae continentia? Pomoeria subinde prolata. Proconsules porta egressi, cum imperio erant. Triumphaturis extra vrbem senatus dabatur.* II. *In Italia nati quatuor excusabant. Italiae termini temporibus diuersis. Solum Italicum ab Italia diuersum. An Augustus imitatus sit Spartanos?* III. *Quinque in prouinciis nati excusabant. Liberi excusabant naturales, non adoptiui; legitimi, non illegitimi; superstites, non defuncti; nisi bello amissi. An et bello capti? Explicata* L. 2. C. de his, qui num. lib. excus. *Cur Romani captiuos non redemerint?* IIII. *Munera intelliguntur personalia.* Lex 5. §. 2. D. de iur. immunit. *priuilegium complectitur.* V. *Fraus legi facta per oblationem liberorum alienorum. Hinc professio liberorum ad acta publica. Eius moris vetustas. Locus* IVLII CAPITOLINI *explicatus.*

I. POstquam lex nostra de iis parentum priuilegiis, quae ad honores capessendos petendosque pertinent, egit: sequente capite proculdubio simile praemium, quod ad excusationem a muneribus publicis pertineret, proposuit. Argumento est non solum materiae similitudo, verum etiam, quod quum de prioribus capitibus omnibus ab VLPIANO et TER. CLEMENTE actum fuerit libris commentariorum primo, secundo, et tertio: posterior hic de excusatione a muneribus publicis eodem *libro* III. disserat. (a) Ex quo consequitur, vt hoc loco quaedam huiusmodi priuilegia a lege Papia Poppaea fuerint proposita.

Cete-

(a) *Lib.* III. L. 147. *D. de verb. sign.* L. 16. *D. de prob.* L. 21. *D. de rit. nupt.*

BIU Cujas

Ceterum huius priuilegii tot exstant in iure nostro vestigia, vt de eius genuina sententia parum laborare debeamus. Neque enim est dubium, quin tale fuerit hoc legis caput:

> *Qui secundum hanc legem liberos tres*, ROMAE NATOS, INCOLVMES, *qui quatuor in Italia, quinque in prouinciis habebit, omnium munerum personalium immunitatem habeto.*

MVNERA quae fuerint apud veteres, satis e iure nostro constat. Quemadmodum enim *honores* gerebant, qui cum dignitate administrabant rem publicam, siue sumtus essent faciendi, siue sine erogatione dignitate perfruerentur (a): ita *munera* erant onera, seiuncta a dignitate, subeunda ab omnibus, lege, more, imperioue eius, qui iubendi habebat potestatem (b): et haec prout vel animi corporisue laboribus, vel patrimonii sumtibus et damno, vel vtrisque expediebantur, ita vel *personalia*, vel *patrimonialia*, vel *mixta* vocari solebant (c). A patrimonialibus et mixtis nulla priuilegia praestabant vacationem (d). Vnde et excusatio ob numerum liberorum ad sola personalia pertinet, qualia erant tutela, curatio calendarii, (cuius saepe et in marmoribus, et in ipso iure nostro mentio fit,) item productio tironum, equorumque, cursus vehicularis sollicitudo, emendi frumenti atque olei cura, calefactio balnei publici, aliaque ab ARCADIO CHARISIO (e) prolixius recensita.

Quum ergo haec munera nulla cum dignitate, multisque cum molestiis essent coniuncta: antiquitus prodita erant quaedam vacationum atque excusationum caussae, quibus munera non quidem patrimonialia et mixta, sed personalia tamen auerti possent. Nam aut *excusare* se poterant vocati ad munera publica, aut *nominare potiorem*, id est, alium indicare, iustamque exprimere caussam, cur is potius munus obire teneatur, verbi gratia, quia sit locupletior (f). Inter haec magnum intererat discrimen. *Excusati* enim omnino vacationem impetrabant. *Nominatores* ab onere quidem suscipiendi munus liberabantur, sed periculo tamen suo, si alius suscepisset, pro quo ipsi fideiussisse censebantur (g). Illis vero excusationum caussis antiquitus proditis, Augustus etiam numerum liberorum addidit, hac ipsa lege Papia Poppaea.

(a) L. 14. *pr. et* §. 1. *D. de mun. et honor.*

(b) L. 214. *D. de verb. sign.*

(c) L. 18. §. 1. *sequ.* L. 16. L. 26. L. 27. *D. de mun. et honor.*

(d) L. 10. L. 11. *D. de excus.* L. 6. §. *penult.*, L. *vlt.* §. 22. *D. de muner. et honor.*

(e) L. 18. §. 2. *D. de muner. et honor.*

(f) PAVLL. *Sent. rec. Lib.* IV. *tit.* 28. §. 12. L. 1. *C. de pot. ad mun.*

(g) *L.* 2. *D. de fideiuss.*

BIU Cujas

Excusabant vero liberi SECVNDVM HANC LEGEM SVSCEPTI, TRES ROMAE NATI. Legitima fuisse verba illa postrema, patet ex fragmento TER. CLEMENTIS (a), in quo illa hunc in modum explicantur: *Qui in continentibus vrbis nati sunt*, ROMAE NATI *intelliguntur*. Quamuis enim alias vrbis adpellatio muris finiretur (b), et certa eius essent pomoeria, tam libera adhuc republica a L. Cornelio Sulla, quam sub Imperatoribus a Iulio Caesare (c), Augusto (d), Claudio (e), Nerone, Traiano, non autem ab Aureliano (f) prolata: tam longe lateque tamen circa vrbem omnia occupata erant aedificiis, ut iam DIONYSIVS HALICARNASSEVS (g) scribat, si quis velit Romae magnitudinem exquirere, eum nullum habiturum signum, certum, quo dignoscatur, quousque sit haec vrbs progressa, aut vbi vrbs esse desinat. Cum vrbanis enim aedificiis ipsa suburbia nexu quodam perpetuo cohaerere, eaque spectantibus vrbis in infinitam longitudinem porrectae speciem praebere. Et ARISTIDES (h), eamdem ostendens Romae magnitudinem: *descendit*, inquit, *vsque ad mare, vbi commune emporium, communisque omnium, quae terra proueniunt, dispensatio. Quacunque in parte vrbis consliterit quis, nihil prohibet, quo minus sit pariter et in medio. Quidquid nunc Italiae restat, completum iri vniuersa mihi videtur, vnaque futura vrbs perpetua in Ionium mare protensa.* Quidquid ergo in continentibus illis Romae natum fuerat, Romae intelligebatur natum: quia VRBIS *adpellatio muris*; ROMAE *autem continentibus aedificiis finiebatur* (i). Quam distinctionem receptam fuisse, etiam ex his MARCELLI verbis (l) patet: VRBS *est Roma, quae muro cingeretur*: ROMA *est etiam, qua continenti* (lego continentia) *aedificia essent. Nam Romam non muro tenus aestimari, ex consuetudine quotidiana potest intelligi, quum dicamus, Romam nos ire, etiamsi extra vrbem habitaremus.* Et sane *vrbem* ab *vrbo* adpellatam esse, iam e veteribus obseruarunt VARRO (m) et POMPONIVS (n), *Vrbare* vero, iisdem testibus, est aratro definire. Quum ergo designaturi moenia aratro aptarent aeneum vomerem, iunctisque bobus, mare et femina, circum lineamenta, quibus futura moenia designauerant, sulcum profundum ducerent (o), idque illis *vrbare* diceretur:

(a) TER. CLEM. *Lib. III. L.* 147. *D. de verb. sign.*
(b) *L.* 2. *D. eod.*
(c) GELL. *Lib. XIII. cap.* 14.
(d) TAC. *Annal. Lib. XII. cap.* 23.
(e) *Idem ibid.*
(f) VOPISC. *Aurelian. cap.* 21.
(g) *Lib. IIII. pag.* 219.
(h) *Orat. in Rom. Tom. I. pag.* 345. *seq.*
(i) *L.* 2. *pr. D. de verb. sign.*
(l) *L.* 87. *D. de verb. sign.*
(m) *Lib. IIII. de Ling. Lat. cap.* 32.
(n) *L.* 239. *D. de verb. sign.*
(o) PLVT. *Rom. Quaest.* 24. DIONYS. HAL. *Lib. I. pag.* 75.

BIU Cujas

diceretur: facile est ad existimandum, vrbem moenibus vel pomoeriis fuisse finitam. Hinc quando ex veteri iure publico negabatur, licere proconsuli in vrbe cum imperio esse: extra vrbem is esse intelligebatur, simul ac paludatus pedem porta extulisset (a). Ex eadem ratione triumphaturis extra portam in suburbiis, vel *ad vrbem* senatus dabatur, ne portam ingressi priuati fierent (b). Ast vbi non de vrbe, sed de Roma erat sermo, id est, quoties de priuilegiis eorum, qui Romae habitarent, quaerebatur: Roma erat, qua continentia erant aedificia. Vnde et in vetere lege apud FRONTINVM *lib. II. de aquaeductibus* iunguntur VRBS ROMA, ET HAEC AEDIFICIA, QVAE VRBI CONTINENTIA SVNT. Quod spatium postremis temporibus centum ab vrbe lapidibus definitum videtur. Haec enim Romae dioeceseos saepe Italiae et prouinciis opponitur, veluti in constitutione CONSTANTINI (c), aliisque locis quamplurimis, iam a IAC. GOTHOFREDO (d) collectis, qui et alio loco (e) *regiones suburbicarias*, toties memoratas imperatoribus et scriptoribus medii aeui, de hoc ipso spatio, intra centesimum circa vrbem lapidem concluso, exponit, quod et facit vir summus, CL. SALMASIVS (f). Id saltim certum, has suburbicarias regiones, partes, vel prouincias, vocari etiam *vrbicarias* (g), quasi quae ad ipsam vrbem referrentur, itemque *vicinas* et *quatuor prouincias* (h), easque a reliqua Italia distinctas (i), et praefecto Vrbi, aliquando et consulari, subfuisse (l). Vnde sane recte colligas, easdem fuisse has regiones suburbicarias cum spatio illo centum ab vrbe lapidum, quod saeculis posterioribus pro Roma habitum, eosque egregie falli, qui, vt Pontifici Romano, ex vetustis canonibus suburbicariarum regionum Episcopo, dioecesim amplissimam vindicent, complures prouincias huic regioni suburbicariae adiiciunt. Quod sane facit EM. SCHELSTRATENVS (m), qui illum canonem 6. concilii Nicaeni non solum de Tuscia, sed et de Vmbria et reliquis Italiae regionibus ad Siciliam vsque exponere, easque regiones pontifici, tanquam metropolitae, totum occidentem, tanquam patriarchae, vniuersum orbem Christianum, tanquam capiti et Christi vicario paruisse, contendit.

Romae

(a) *Liu. lib. XXXXII. cap. 49.*
(b) SEN. *de Benef. cap. 14.*
(c) *L. 2. C. Theod. de in integr. restit. Lib. II. tit. 16.*
(d) *Ad Cod. Th. Tom. I. pag. 162.*
(e) *Diss. de suburbicar. region. cap. 4. et 5.*
(f) *Ad Trebell. Poll. de XXX. tyr. cap. 24.*
(g) *L. 9. C. Th. de extraord. cogn.*
(h) *L. 1. C. Th. de calc. coctor.*
(i) *L. 9. C. Th. de extraord. cogn.*
(l) *L. 9. C. Th. de annona.*
(m) *Antiquu. eccl. illustr. Tom. II. Diss. VI.*

BIU Cujas

Romae igitur, et qua continentia aedificia erant, immo, vt suspicor, postea in suburbicariis quoque regionibus, tres liberi excusabant. In huiusmodi enim priuilegiis, in quibus Roma ab Italia distinguitur, etiam suburbicarios melioris fuisse conditionis, quam reliquos Italos, quam plurimis exemplis constat. Vt vel vno rem illustrem: beneficium restitutionis in integrum in minori aetate laesis Romae olim, et intra centesimum vrbis milliarium, ad expletum vsque annum trigesimum; in Italia ad annum vigesimum nonum, in ceteris prouinciis ad annum vicesimum octauum dabatur (a). An dubitemus, quin eodem modo et tres liberi suffecerint Romae et in suburbicariis, quum plures in Italia et prouinciis exigerentur?

II. Nimirum, SI QVATVOR IN ITALIA quis sustulisset, vacationem munerum impetrabat. Et Italia quidem diuersimode accipitur. Antiquissimis temporibus ea non ab Alpibus, sed ab Audenna et Rubicone fluminibus et Apennino in Bruttios vsque et Lucanos porrigebatur. Reliquum enim tractum vltra et cis Padum ad Alpes vsque, Galli, Veneti, Histri, Ligures insederant. Quum vero Galli etiam, et reliqui populi inalpini, ciuitate donarentur: Italia ab Augusti temporibus vniuersa illa terra inter Alpes et vtrumque mare interiecta dici coepit. Et ea quidem vocis significatio obtinet, quoties opponuntur sibi inuicem *Italici* et *prouinciales*, quod saepe fit apud SVETONIVM (b), PLINIVM (c), et IVL. CAPITOLINVM (d). Quin et eundem tractum in animo habuit DIO CASSIVS (e), vbi τῶν ΤΗΝ ΝΥΝ ἸΤΑΛΙΑΝ οἰκούντων meminit. Denique quum vniuersa Italia ciuitate donata, multis etiam colonis atque vrbibus per prouincias ius Italicum dari soleret ab imperatoribus: et illa loca omnia dici coeperunt *solum Italicum*, veluti apud VLPIANVM (f), ad quem quaedam egregia suo more notauit V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (g). Quemadmodum vero prima capitis nostri pars non de ciuibus Romanis vbique, sed de Romae habitantibus: ita nec altera de iis, qui iuris Italici erant, sed qui Italiam incolebant, loquitur, adeoque altera vocis notio hic locum inuenit, et Italia ab Alpibus ad Siciliam vsque procurrit, excluſa tamen vrbe, et postea etiam prouinciis suburbicariis, vti paullo ante ostendimus. Et in hoc tractu quatuor liberi a muneribus personalibus excusabant. Qua in re quidem Spartanos imitatum esse Augustum, existimat IAC. GOTHOFREDVS (h): apud quos quatuor liberorum parentes ab omnibus muneribus

(a) *L. 2. C. Th. de in integr. rest.*
(b) *Vesp. cap. 9.*
(c) *Lib. VIIII. Epist. XXIII.*
(d) *Vit. Antonin. cap. 4.*
(e) *Lib. XXXVII. pag. 37.*
(f) *Fragm. tit. XVIIII. §. 1.*
(g) *Iurispr. antiqu. Anteiust. pag. 619.*
(h) *Not. ad leg. Pap. Popp. pag. 283.*

BIU Cujas

bus publicis excusatos fuisse, iam supra ex ARISTOTELE (a), et AELIANO (b) obseruauimus. Sed vix est, vt ea in re viro eximio adsentiamur. Neque enim tum ea erant tempora, quibus Romani a Graecis peterent leges: et ipsi Spartani a Lycurgi disciplina iam pridem desciuerant, adeoque non verosimilius est, Augustum ea in re Lacedaemonios, potius quam Persas esse imitatum, apud quos itidem quaedam πλυπαιδίας praemia obtinuisse, eodem loco monuimus.

III. Sequuntur prouincialium priuilegia. Hos QVINQVE LIBERI excusabant. Aequum enim videbatur, Romam incolentibus plus indulgeri, quam habitantibus Italiam, et hos denique melioris esse conditionis, quam qui in prouinciis degerent. Sicuti autem per Romam habitantes non ciues; per Italos non, qui Italici iuris erant, intelligi diximus: ita nec in prouinciis quidquam intererat, vtrum quis origine Romanus an in Italia, vel prouincia natus esset. Ad locum enim habitationis, non ad cuiusque originem attendebatur. Hinc e. g. Romanum in Cilicia habitantem, non nisi quinque liberi excusabant, quum contra ciui Romano, domo Cilici, sed Romae habitanti tres ibidem nati prodessent. Ex quo simul intelligitur, cur sublato licet ab Antonino Caracalla per orbem Romanum inter ciues et peregrinos discrimine (c), hoc tamen discrimen inter Romae, Italiae et prouinciarum incolas ad tempora vsque Iustiniani obtinuerit, quibus tres Romae natos, quatuor in Italia, quinque in prouinciis ad excusandos parentes profuisse vel ex institutionum libello (d) notum est.

IV. Excusabant porro liberi vtriusque sexus, tam naturales, quam adoptiui, antequam hi ob SC. sub Nerone factum prodesse desierunt (e). Excusabant deinde nati ex iustis nuptiis vel secundum legem Papiam Poppaeam quaesiti, postea et legitimati, non autem illegitimi (f), de quibus superiore capite VI. actum, nec imperfecti. Quod adeo verum est, vt GELLIVS (g) referat, accurate ac sollicite quaesitum esse Romae, an octauo mense ex vtero viuus editus infans, et statim mortuus, ius trium liberorum suppleret? Multa enim veteribus opinio erat, et tantum non vbique pro vera recepta, postquam mulieris vterus receperit semen, gigni hominem, mense septimo rariter, nunquam octauo, saepe nono, saepius decimo. Et hinc *abortio quibusdam, non partus videbatur mensis octaui intempestiuitas.* Immo ne e legitimis quidem et perfectis omnes proderant, sed SVPERSTITES tantum ET INCOLVMES.

(a) *Lib. II. Polit. cap. 9.*
(b) *Lib. VI. Var. Hist. cap. 6.*
(c) *L. 17. D. de statu hom.*
(d) *pr. Inst. de excus. tut.*
(e) *L. 2. §. 7. D. de vacat.*
(f) *L. 2. §. 3. D. de excus.*
(g) *Lib. III. cap. 16.*

BIU Cujas

MES. Sine liberis enim esse dicebantur, non solum qui nullos vmquam procreauerant, sed et qui amiserant procreatos: quemadmodum et apud Graecos, obseruante viro summo EZ. SPANHEMIO, liberis orbati saepe adpellantur ἄπαιδες vel ἄτεκνοι, veluti apud AESCHYLVM, a quo Persae (a) ob liberos in praelio Salaminio amissos τεκνῆες ἄπαιδες, *parentes* SINE LIBERIS dicuntur: qui et alibi ἀτέκνους πολέμαρχας deflet. (b) Eodem modo et Romani *orbos* vocabant promiscue, et qui numquam liberos sustulerant, et qui iis erant superstites. Qui itaque liberi turbato naturae ordine fata parentum praeuerterant, non excusabant, nisi acie cecidissent pro republica (c). Quo casu et nepotes ex filiis bello amissis superstites numerum liberorum supplere solere, PHILIPPI imperatores (d) statuunt. Contra iidem filium ab hostibus captum parenti prodesse negant, dum Seuero rescribunt (e): *Filium ab hostibus captum ac necdum reuersum ad excusationem munerum personalium patri proficere non posse, magis placuit.* Formula, qua Imperatores vtuntur, dubitatum ea de re esse, indicio est. Sed sane ex principiis Romanorum consultissima ratione nititur Philipporum decisio. Liberi enim ex lege nostra prosunt tantum SVPERSTITES atque INCOLVMES. Capitis vero deminutio maxima et media morti aequiparanda videbatur Romanis. Vnde, quam rationem vulgo allegant ex TRYPHONINO (f), *ac si Romani ciues bellica potius virtute, quam clementia hostium niti voluerint*, ea recte quidem se habet, si quaeritur, cur Romani captiuos non redemerint? Sed ad *legem illam* 2. *C. de his qui num. lib. vel paup. se excus.* explicandam, nihil omnino facit. Id potius monendum, ex filio bello amisso, nepotes in locum patris sui successisse, etiamsi hic inuitus vxorem duxerit (g). Quamuis enim pater filium iure cogere non posset ad vxorem ducendam, vti ad hoc caput scribit TER. CLEMENS (h); inito tamen semel matrimonio, etiam si id inuitus fecisset filius, nepotes auo proderant.

V. Verba postrema AB OMNIBVS MVNERIBVS PVBLICIS EXCVSANTOR, vti iam supra occupauimus, non ad munera *patrimonialia*, aut *mixta*, sed ad *personalia* tantum pertinent. A prioribus enim nec aetatem, nec numerum liberorum excusare, notat VLPIANVS (i). Priuilegium ergo

(a) PERS. *v.* 581.
(b) *Sept. Theb. pag.* 834.
(c) *L.* 1. §. *vlt.* L. 2. §. 3. L. 5. §. 5. *D. de vacat.*
(d) *L.* 3. *C. de his qui num. lib.*
(e) *L.* 2. *C. eod.*
(f) *L.* 12. *princ. D. de capt. et postlim.*
(g) *pr. Inst. de excus.*
(h) TER. CLEM. *Lib. III.* L. 21. *D. de rit. nupt.*
(i) *L.* 2. §. 4. *D. de vacat.*

BIU Cujas

go fuit, quando ad Syluium Candidum reſcribit Eluius Pertinax (a): *Εἰ καὶ μὴ πασῶν λειτουργιῶν ἀφιᾶσιν τοὺς πατέρας ὁ τῶν τέκνων ἀριθμὸς· ἀλλ' ἓν ἐπειδὴ ἑκκαίδεκα παῖδας ἔχειν διὰ τοῦ βιβλίου ἐδήλωσας, οὐκ ἐσὶν ἄλογον, ὥστε συγχωρῆσαι σχολάζειν τῇ παιδοτροφίᾳ καὶ ἀνεῖσθαί σε τῶν λειτουργιῶν. Etſi* NON AB OMNIBVS *muneribus excuſat patrem liberorum numerus: tamen, quia ſedecim filios habere te per libellum retuliſti, non eſt abſurdum, vt concedamus tibi vacare filiorum educationi, et hinc tibi remittamus munera.* Sed quamuis alioquin ad exemplum non trahantur huiuſmodi conſtitutiones: hanc tamen pro lege etiam poſt Iuſtiniani tempora valuiſſe, ex his CONSTANTINI HARMENOPVLI (b) verbis diſcimus: *ὁ ἔχων* ΔΕΚΑΕΞ ΠΑΙΔΑΣ, *πάντων λειτουργημάτων ἀπαλλάττεται. Qui* SEDECIM *habet* LIBEROS, *ab omnibus muneribus eximitur.*

VI. Quemadmodum vero nullum prope huius legis caput a fraudibus immune fuit: ita et in hoc ingenioſa admodum fuit improbitas. Nam excuſationem merituri ſaepe liberos alienos pro ſuis offerebant: de qua fraude adhuc conqueritur CONSTANTINVS M. (c) Ne itaque improles etiam ea priuilegia parentum inuaderent, prudenter ſanxit imperator, vt, ſi fraus patefieret, iſti immunitate priuarentur. Quo itaque certo conſtaret, liberos quemque ſuos, non alienos offerre principi: inſtitutum iam olim fuerat, vt parentes liberorum recens natorum nomina in tabulas publicas referenda curarent. Quae dicitur *natalis profeſſio*, (d) et a *profeſſione cenſuali* in iure noſtro (e) diſcernitur, nec non *παιδογραφία*, vel *natiuitatis ſcriptura.* (f) Hic mos vel paullo ante, vel ſtatim poſt legem noſtram inualuerat. Nam iam Caii Caligulae natiuitatem in acta relatam eſſe, SVETONIVS (g) refert. Eum autem *Germanico* patre et *C. Fonteio Capitone* coſſ. anno poſt legem Papiam Poppaeam tertio natum eſſe, ſatis conſtat. Sed fortaſſis eo tempore filii tantum illuſtrium actis inſcribebantur. Poſtea vero omnibus parentibus impoſita neceſſitas, liberos recens natos profitendi. Saltim id neceſſarium viſum eſt tempore TERENTII CLEMENTIS, (h) qui in ſuis ad legem noſtram commentariis diſquirit, an et a matre vel auo facta profeſſio filiorum vel nepotum recipienda ſit, idque adfirmat. Quin ante TER. CLEM. aetatem ſub Domitiano vel Traiano eius profeſſionis vſum vulgarem fuiſſe, docet IVVENALIS, (i) ita loquentem inducens adulterum:

(a) *L. 5. §. 2. de iur. immun.*
(b) *Lib. II. tit. 5. §. 7.*
(c) *L. vn. C. Theod. de his qui num. lib. Lib. XXII. tit. 17.*
(d) *L. 6. C. de fide inſtr.*
(e) *L. vlt. C. ſine cenſu vel reliqu.*

 Nullum

(f) *L. 2. §. 1. D. de excuſat.*
(g) *Calig. cap. 8.*
(h) TER. CLEM. *Lib. III. L. 16. D. de probat.*
(i) *Sat. VIIII. v. 82.*

BIU Cujas

Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide? nullum?
Quod tibi filiolus vel filia nascitur ex me.
Tollis enim, et LIBRIS ACTORVM *spargere gaudes*
Argumenta viri: foribus Iuspende coronas.
Iam pater es: dedimus, quod famae opponere possis.
Iura parentis habes.

Falluntur itaque, qui Marcum Antoninum Imp. primum vel professionem hanc inuenisse, vel tabulariorum publicorum vsum ideo in prouinciis instituisse, sibi persuadent, decepti verbis IVLII CAPITOLINI: (a) *inter haec liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet apud praefectos aerarii Saturni vnumquemque ciuium natos* LIBEROS *profiteri intra trigesimum diem, nomine impositio. Per prouincias tabulariorum publicorum vsum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romae apud praefectos aerarii: vt si forte aliquis in prouincia natus causam liberalem diceret, testationes inde faceret.* Sane non inuenisse Marcum professionem, ex Iuuenalis testimonio patet. Nec tabulariorum vsum eum per prouincias instituisse, discimus ex lapide vetere apud GRVTERVM: (b)

SILVANO. AVG.
SACRVM.
PRO SALVTE. IMP.
CAES. HADRIANI
ANTONINI. AVG. PII. P. P.
ET. LIBERORVM. EIVS.

ATIMETVS. LIB.
TABVL. P. H. C.

Si itaque Antonini Pii temporibus tabulariis per prouinciam Hispaniae citerioris praefuit Atimetus, Caesaris libertus, eodemque circiter tempore *patrem filiam Pudentillam sibi natam* MORE CETERORVM *professum esse*, APVLEIVS (c) scribit: quo pacto id institutum eius demum successori tribui posset? Quid ergo? An erasse dicemus Iulium Capitolinum? Neque id ego dixerim. Omnino M. Antoninus eam professionem primus *liberalium causarum gratia* fieri voluit: omnino tabulariorum prouincialium vsum ad eas causas primus produxit, quum antea

(a) *In vita Marci cap. 9.*
(b) *Inscr. pag. 63. num. 10.*
(c) *Apolog. II. pag. 539.*

BIU Cujas

antea ad id potissimum comparatum esset hoc institutum, vt liberorum numerus et aetas inde probaretur, nec improles parentum iura ac priuilegia inuaderent. Ex his ergo actis constabat, quot cuique essent liberi, quaeque eorum sit conditio. Ast quum et hic non raro fraudes admitterentur, et maxime quod ad liberales causas attinet, aliquando parentes dominis, vel hi parentibus facerent praeiudicium: non nisi praesumtio ex tabulariis petebatur, quam probationibus excludere liquidis cuiuis licere saepe rescripserunt Principes: (a) idemque iam olim senserat SCAEVOLA, (b) quum mulier grauida repudiata, filium enixa, absente marito, eum, vt spurium, in actis esset professa. Quia enim quaerebatur, vtrum is in potestate patris sit, et matre intestata mortua iussu patris hereditatem matris adire possit, an obsit patri professio a matre irata facta: veritati locum superfore, SCAEVOLA respondit.

(a) *L. 14. C. de probat. L. 15. L. 22. L. 24. L. 39. C. de liberali caussa.* (b) *L. 29. §. 1. D. de probat.*

* * * * * * * * * *

CAPVT VIIII.

AD CAPVT LEGIS DECIMVM.

DE IVRE QVIRITIVM OB LIBEROS CONSEQVENDO.

I. *Decimum legis caput egit de iure Quiritium ob liberos consequendo. Capitis sententia. Verba* TER ENIXA *ex SC. sunt. Legis Papiae Poppaeae capita nec non SCta a Iac. Gothofredo confusa distincte proponuntur.* II. *Legis caput non de Latinis Iunianis, sed colonariis egit. Anniculus et annicula quis quaeue?* Lex 132. D. de verb. sign. *exposita. Henr. Norisius laudatus. Ius Quiritium quale? An idem ac ius Latii? Buchnerus notatus. Iura Quiritium et ciuitatis non semper dicuntur promiscue. Illa ad iura priuata, haec ad publica pertinent. Cur in Inscriptionibus infantes etiam dicantur* BENE MERENTES. *Reinesii inscriptio explicata.* III. *Lex Iunia Norbana hoc priuilegium etiam ad libertinos Latinae conditionis protulit, sed non ad omnes. Minor 30. annis testamento manumissus an ex le-*

BIU Cujas

ge Aelia Sentia fuerit Latinus? Is ciuis fiebat, 1. si duxisset vxorem liberorum quaerendorum causſa. An et cum ciue Romana Latino fuerit matrimonium? Formula antiqua: LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA. *2. Si filium filiamue anniculum vel anniculam haberet. 3. Si cauſſam magiſtratui probaſſet. Hoc beneficium SC. etiam Latinis per epiſtolam vel inter amicos manumiſſis conceſſum.* IV. *SCtum incertae aetatis de Latina. Ea ter enixa iura Quiritium conſequebatur. Hoc SCtum non eſſe Tertullianum, contra Gothofredum demonſtratur.* V. *SCtum de liberis ciuis Romanae Latino nuptae, vt matris conditionem ſequerentur. Lex Menſia, cui hoc SCto derogatum. Latini an peregrini? Id demonſtratum contra M. Vertranium Maurum et alios. SCti huius aetas. Lex Menſia incertae aetatis atque originis.*

I. QVum ſemel de parentum priuilegiis agere coepiſſet lex PAPIA POPPAEA: procul dubio et illud, quod ad conſequenda iura Quiritium pertinuit, reliquis, de quibus adhuc diximus, praemiis ſubiunxit: idque vel inde patet, quod de ea re libro commentariorum ſecundo PAVLLVS; (a) tertio TER. CLEMENS (b) diſſeruerunt.

Caput illud, quod nobis decimum eſt, ita reſtituit IAC. GOTHOFREDVS: *Latinus, cui filius filiaue natus nataue, et anniculus anniculaue factus factaue erit, et Latina, ſi ter enixa fuerit, ius Quiritium conſequitor.* Sed vereor, vt rem acu tetigerit vir eximius. Scrupulum enim haud leuem iniicit VLPIANVS, (c) cuius ipſa verba adſcribo: *Latini*, inquit, *ius Quiritium conſequuntur his modis: beneficio principali*, LIBERIS, *iteratione, militia, naue, aedificio, piſtrino, praeterea* EX SCTO *veluti quae ſit ter enixa.* Et paucis interiectis: LIBERIS *Latinus ius Quiritium conſequitur, qui minor triginta annorum manumiſſionis tempore fuit. Nam* LEGE IVNIA *cautum eſt, vt ſi ciuem Romanum vel Latinam vxorem duxerit, teſtatione interpoſita, quod liberorum quaerendorum cauſſa vxorem duxerit, poſtea filio filiaue nato nataue, et anniculo facto poſſit apud Praetorem vel Praeſidem prouinciae cauſſam probare, et fieri ciuis Romanus, tam ipſe, quam filius filiaue eius, et vxor, ſcilicet, ſi et ipſa Latina ſit. Nam ſi vxor ciuis Romana ſit, partus quoque ciuis Romanus eſt* EX SENATVSCONSVLTO, *quod auctore D. Hadriano factum eſt.*

Ex

(a) PAVLL. *Lib. II. L. 134. de verb. ſign.*

(b) TER. CLEM. *Lib. III. L. 52. D. de legat. 2.*

(c) VLPIAN. *Fragm. tit. 3. §. 1. et 111.*

BIU Cujas

Ex his ergo VLPIANI fragmentis tria colligimus. Primum, quod Latina ter enixa iura Quiritium non sit consequuta ex lege Papia Poppaea, sed ex SCto quodam, fortassis ad illustrandam legem Papiam Poppaeam facto. Alterum, quod quidem Latinus, ducta sollemniter vxore, interpositaque testatione, se id liberûm quaerundorum caussa facere, et sibi, et liberis, et vxori meruerit iura Quiritium, simul ac anniculum anniculamue ex eo matrimonio habuerit; verum id ius non sit ex lege Iulia et Papia, sed ex IVNIA NORBANA, quae fere tota de libertinis Latinis egit, vt opus non sit textum sollicitare, et cum PETRO PITHOEO (a) rescribere: *lege Iulia*. Tertium, quod SC. aliquod factum sit auctore Hadriano Imp. quo ex patre Latino et vxore ciue Romana natus ciuis esse iuberetur, quum antea res secus se haberet per LEGEM MENSIAM. Omnia tamen haec legi Papiae Poppaeae adscribere non dubitat IAC. GOTHOFREDVS, quum sint originis diuersissimae.

Simile tamen quid etiam lege nostra cautum esse, vel ex laudata *L.* 134. *D. de verb. sign.* colligas, vbi PAVLLVS in commentariis ad legem Iuliam et Papiam, quid ANNICVLVS ANNICVLAVE sit, latius interpretatur. Quid vero opus fuisset eo excessu, si nec in lege id occurrisset vocabulum, nec SCtum in quo illud exstitisse nouimus, ad legem nostram pertinuisset? Res tamen satis clara videtur. VLPIANVS loquitur de Latinis per manumissionem ad hanc conditionem redactis. Tales vero non erant iis temporibus, quibus lex Iulia et Papia ferebatur. Quamuis enim et ex lege AELIA SENTIA quidam videri possent Latini facti, quum VLPIANVS (b) scribat: *testamento manumissum minorem triginta annis* LEX AELIA SENTIA *perinde haberi iubet, atque si domini voluntate in libertate esset, ideoque* LATINVS *sit*, similiaque etiam in fragmento veteris ICti a PETRO PITHOEO edito (c) legantur: nihil tamen certius est, quam Latinos hos factos esse, non ex lege Aelia Sentia, sed ex Iunia Norbana, quae omnes, non iuste manumissos, Latinae conditionis esse iubebat. Ex lege Aelia Sentia illi domini voluntate *in libertate* erant, quod facti est: sed non *erant liberi*, quod iuris. Dubiae itaque videbantur conditionis, donec lex Iunia Norbana omnes Latinos fieri voluit, non iuste manumissos, ceu iam IAC. CVIACIVS, (d) et ANTONIVS SCHVLTINGIVS (e) docuerunt. Quum itaque nulli sub Augusto essent Latini libertinae conditio-

(a) *Not. ad Pariator. Leg. Mos. et Rom. tit. XVI. §. 6. pag.* 798.
(b) *Fragm. tit.* 1. §. 12.
(c) §. 16. *apud* SCHVLTING. *p.* 807.
(d) *Obs. Lib. XVII. cap.* 20.
(e) *Not. ad* VLPIAN. *pag.* 560.

BIU Cujas

ditionis, sed ii demum a tempore latae legis Iuniae Norbanae, id est, ab anno v. c. 771. innotuerint: de iis sane agere non potuit legis nostrae caput. At multae tunc passim erant coloniae Latini iuris, de quibus accurate vir summus Ez. Spanhemivs. (a) His vero Latinis colonariis id priuilegium indulsisse videtur lex Papia Poppaea, vt si anniculum anniculamue filium filiamue sustulissent, iura Quiritium consequerentur. Quum enim iam olim, teste Livio, (b) lex fuisset sociis ac Latini nominis, *qui* stirpem *ex se domi relinquerent, vt ciues Romani fierent*: hoc priuilegium et renouasse, et magis perpoliuisse videtur Augustus, sanciens primum, vt illud et ad Latinos colonarios pertineret: deinde, vt ii, filio vel filia suscepto susceptaue, ciues fierent, quamuis non migrarent Romam, sed in coloniis suis manerent: denique, vt id beneficium consequerentur, non qui stirpem domi reliquissent, sed quibus anniculus anniculaue esset. Quae quum ita sint, tale omnino fuisse videtur legis nostrae caput:

> *Latinus, cui ex Latina filius filiaue natus nataue, et* annicvlvs annicvlave, *factus factaue erit, iura Quiritium consequitor.*

Quum deinde sub Tiberio ferretur lex Ivnia Norbana, eaque sanciretur, vt non iuste manumissi iure Latinorum in colonias deductorum fruerentur: etiam ad hos libertinos vel Latinos Iunianos prolatum est hoc priuilegium, additis quibusdam conditionibus. Caput itaque istud legis Iuniae Norbanae ita restituimus ex Vlpiano:

> *Latinus, qui minor triginta annorum testamento manumissus, ciuem Romanam Latinamue duxerit, testatione interposita, quod liberorum quaerendorum caussa vxorem duxerit, postea filio filiaue nato nataue et anniculo anniculaue facto factaue, apud praetorem vel praesidem prouinciae caussam probato, et tum ipse et filius filiaue, tum et vxor, si Latina fuerit, iura Quiritium consequitor.*

Quum vero paullo liberalius hac lege actum videretur cum vxoribus Latinorum, quae aeque ac mariti, vno edito partu, iura Quiritium consequebantur porro: SCtum hoc nouum accedit:

Vti

(a) *Orb. Rom. Exerc. I. cap. 9.* (b) *Lib. XII. cap. 8.*

BIU Cujas

Vti Latina ter enixa ius Quiritium consequeretur.

Denique quia frequentia esse coeperant Latinorum ciuiumque matrimonia, parumque dignum videbatur praerogatiua ciuium, vt liberi ex eo nati matrimonio patri potius Latino, quam matri, ciui Romanae, iura Quiritium deberent: sub Hadriano, eoque auctore, censuit Senatus,

Vt si ciuis Romana Latino nupserit, liberi, qui ex ea nascantur, matris sequerentur conditionem, et iura Quiritium consequerentur.

Ita discernendas existimamus sanctiones diuersissimas, quas eximius vir, IAC. GOTHOFREDVS, vti ex eius commentario patet, perperam confudit. Iam vero de singulis seorsum.

II. Ipsa Lex Papia Poppaea ait: LATINVS, CVI EX LATINA FILIVS FILIAVE NATVS NATAVE. Loquitur vero non de Latii incolis, vel sociis nominis Latini, qui multo ante Augustum legibus Iulia et Plotia ciuitatis iura consequuti fuerant, vti supra capite 1. demonstrauimus; nec de Latinis Iunianis, quorum nomen demum sub Tiberio audiri coepit: sed de iis, qui extra Latium iuris Latini erant. Sic Nemausiensibus ius Latii datum esse, STRABO (a) docet. Nouocomensibus idem ius concesserat vel Iul. Caesar, vel Pompeius Strabo (b), qui et omnes Gallos Transpadanos iure Latii donauerat (c). Omitto alias eius iuris colonias, quarum nummos iusto opere explicauit Io. FOY VAILLANTIVS. His Latinis non erat cum ciue Romana ius connubii, nisi id concessum esset a principe, vti testatur VLPIANVS (d). Hinc si inconsulto principe, duxissent ciuem: liberi inde nati non erant patris, sed tanquam extra nuptias quaesiti habebantur, adeoque nec vllo modo prodesse poterant parentibus. Hinc in lege nostra scriptum fuisse videtur, LATINVS, CVI EX LATINA FILIVS FILIAVE NATVS NATAVE: quia, vti dixi, cum ciue Romana Latino non erat ius connubii. Sequitur: ET ANNICVLVS ANNICVLAVE FACTVS FACTAVE ERIT. Talis, interprete PAVLLO (e), *non est infans, statim vt natus est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die incipiente plane, non exacto, quia annum ciuiliter, non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus.* Ergo dies

(a) *Lib. IIII. pag.* 157.
(b) EZ. SPANH. *Orb. Rom. Exerc. I.* §. 9. *pag.* 19.
(c) ASC. PAEDIAN. *ad Cic. in Pison. pag.* 2062.
(d) *Fragm. tit. V.* §. 4.
(e) PAVLL. *Lib. II. L.* 134. *D. de verb. sign.*

BIU Cujas

vltimus coeptus habebatur pro completo, quia hic de commodo aliquo vel priuilegio quaerebatur: eodem modo, quo minorum annus XXV. coeptus pro expleto accipitur, in petendis honoribus (a). Inde et amissus dicebatur anniculus, qui trecentesimo sexagesimo quinto die nondum elapso decesserat. Idem enim PAVLLVS ad aliud caput scribit (b): ANNICVLVS *amittitur, qui extremo anni die moritur. Et consuetudo loquendi id ita esse declarat: Ante diem decimum Kalendarum: post diem decimum Kalendarum: neque vtro enim sermone vndecim dies significantur.* Vexauit hic locus interpretes etiam maximos, qui quum existimarent, *Ante diem decimum Kal.* idem esse ac XI. Kal. deprehendere vix potuerunt, quomodo haec loquendi formula quidquam faciat ad eius iuris, quod Paullus explicat, illustrationem. Hinc LAVR. VALLA (c) et ALCIATVS (d) rescribi iubent: *Vtroque sermone vndecima dies significatur.* Rectius ANTONIVS AVGVSTINVS (e) legere mauult: *neutro sermone*, et ita Florentiae scriptum esse adseuerat. Sed eum hac in re omnino falsum esse existimat eminentissimus vir HENR. NORISIVS (f). Florentiae enim, vti se ἀνυπώστην obseruasse ait, non legi, *vtroque sermone*, nec *neutro sermone*, sed *neque vtro enim sermone*. Sed amplissimus BRENCMANNVS (g) vtrumque Florentiae esse testatur, alterum a prima, alterum a secunda manu, id est, a librario alterum, alterum a correctore, vti etiam exhibuit TAVRELLIVS. Eaque lectione alterutra nihil est verius. Ait enim Paullus, anniculum dici die trecentesimo quinto, incipiente plane, adeoque illo die vltimo amissum, anniculum decessisse videri. Id vero non absurdum esse probat argumento a vulgari loquendi consuetudine ducto, quae si quid *ante* X. *Kal.* factum dicitur, ipsum diem termini, nempe primas sequentes Kalendas computari iubet, non autem diem vndecimum, qui Kalendas sequitur, nempe diem mensis II. Vulgata enim formula ANTE DIEM DECIMVM KAL. vel POST DIEM DECIMVM KAL. non significari vndecimum diem, sed decimum Kalendarum, tot exemplis veterum demonstrauit laudatus modo HENRICVS NORISIVS (h), vt alia addere, idem videatur, ac actum agere.

Ipsum priuilegium Latinis, anniculi parentibus, concessum, qua in re constiterit, patet ex verbis insequentibus: IVRA QVIRITIVM CONSEQVITOR. *Iura Quiritium* latius accepta omnia iura et priuilegia, quibus

(a) L. 8. *D. de munerib.*
(b) L. 132. *D. de verb. sign.*
(c) *Elegant. Lib. IIII. cap.* 80.
(d) *Comment. ad* L. 132. *D. de verb. sign.*
(e) *Emendat. Lib. IIII. cap.* 6.
(f) *Cenotaph. Pisan. Diss. II. cap.* 17. *p.* 345.
(g) *Hist. Pand. lib. IIII. cap.* 4. *p.* 345.
(h) *Ibid. pag.* 342.

BIU Cujas

bus ciues Romani pollebant, complectuntur. Aſt ſtrictius intellecta opponuntur *ciuitati Romanae*, vel eiuſdem iuribus. Poſterioris notionis exemplum non vnum eſt apud PLINIVM (a), qui ſubinde aliis *iura Quiritium*, aliis *iura ciuitatis* petit a Traiano Imperatore. Vbi quidem AVG. BVCHNERVS per ius Quiritium intelligendum eſſe monet ius Latii: contra V. C. Io. FR. GRONOVIVS *iura Quiritium* et *ciuitatem Romanam* promiſcue accipi exiſtimat, cui et CHRISTOPHORVS CELLARIVS v. c. ſuum adiungit ſuffragium. Enimuero, quamuis negari nequeat, ius Quiritium et ius ciuitatis aliquando promiſcue dici, tamen in illo PLINII loco, quod pace tantorum Manium dixerim, neuter mihi rem acu videtur tetigiſſe. *Iura* enim *Quiritium* PLINIO ſunt iura ciuium Romanorum priuata, quae in iure libertatis, gentis, connubiorum, teſtamenti factionis, hereditatis atque vſucapionis conſiſtebant. *Ciuitas* vero *Romana* iura publica, veluti cenſus, militiae, tributorum, honorum, ſuffragiorum, ſacrorum, ſimiliaque complectebantur, vti poſt CAR. SIGONIVM (b) accuratius docuit vir ſummus, Ez. SPANHEMIVS (c). Sed legem noſtram latius accepiſſe arbitror iura Quiritium, ſiquidem VLPIANVS (d), cui eius notitiam debemus, vbi *Latinos* IVS QVIRITIVM *beneficio principis, liberis, iteratione, militia, naue, aedificio vel piſtrino ait conſequi*, ſtatim ſubiicit: *Beneficio principali Latinus* CIVITATEM ROMANAM *accipit, ſi ab Imperatore* IVS QVIRITIVM *impetrauerit.* Promiſcue ergo VLPIANVS in hoc capite ſumit *iura Quiritium* et *ciuitatis*, atque inde effici arbitror, Latinum, anniculi anniculaeue parentem, non modo iurium priuatorum, ſed publicorum quoque factum eſſe participem. Inprimis vero Latinis gratiſſimum erat hoc ius Quiritium, quia iam et capere poterant ex aliorum teſtamentis, et ipſi teſtamenta condere. Idque ius ipſis erat, etiamſi dubia tempore conditi teſtamenti fuiſſet eorum conditio: quo pertinet locus TERENTII CLEMENTIS (e): *Non oportet* PRIVS *de* CONDITIONE *cuiuſquam quaeri, quam hereditas legatumue ad eum pertineat.*

Haec lucem adfundere arbitror tot marmoribus vetuſtis, in quibus parentes liberos, etiam infantes, *bene de ſe meritos*, eſſe, profitentur. Sane apud GRVTERVM (f) legimus:

(a) *Lib. X. Epiſt. 4. et 32.*
(b) *De antiquo iure ciu. Rom. Lib. I. cap. 6.*
(c) *Orb. Rom. Exerc. I. §. 12.*
(d) *Fragm. tit. III. §. 1. 2.*
(e) TER. CLEM. *Lib. III. L. 52. D. de legat. 2.*
(f) *Inſcr. pag. 673. num. 5.*

BIU Cujas

DIS. MAN.
BLOSSIA. ONOMASTE.
MATER.
FILIO. BENEMERENTI.
FECIT.
BLOSSIO. VALENTI.
VIXIT ANNIS. II.
MENSIBVS. VII.

Hic sane mater puerum nondum triennem vocat filium *bene merentem*. Multo liberalius apud REINESIVM (a) mater:

FILIO. MEGETHO. BENE
MERENTI. DVLCISSIMO.
QVI. BIXIT. PLENOS. ANNO.

Vbi procul dubio lapicida pro PLENO sculpsit PLENOS nullo sensu. Non alio enimuero beneficio parentes demereri potuerunt filii biennes et anniculi, nisi hoc vnico, quod horum caussa illi iura Quiritium consequuti sunt, vel quod iisdem infantes illis ad solidi capacitatem profuerunt. Vnde ἐμφατικῶς in marmore posteriore additur: QVI BIXIT PLENO ANNO, vt viator eum sciret *anniculum* fuisse, et parentibus ad priuilegia quaedam legis Papiae Poppaeae consequenda profuisse.

III. Haec de legis nostrae capite. Illud vero ad libertos Latinos protulit lex IVNIA NORBANA, quam anno v. c. 772. M. Iunio Silano et L. Iunio Norbano coss. latam nouimus. Haec praeter libertinos *ciues* quibus Ser. Tullius; et *dedititios*, quibus lex Aelia Sentia hanc conditionem imposuerat, tertium reperit libertinorum genus, *Latinorum Iunianorum*, quales fiebant omnes non iuste manumissi, praeter tortos, vinctos, stigmate vstos, alioque adfectos supplicio (b). Eadem tamen lege prodita erant media quaedam, quibus Latini Iuniani ad iustam libertatem ciuitatemque Romanam peruenirent: quo et illud caput, quod paullo ante protulimus, pertinet.

LATINVS, lex inquit. Ast non loquitur de Latinis coloniariis, quibus iam lege Papia Poppaea abunde prospectum fuerat, sed de Iuniano, *eo* QVI MINOR TRIGINTA ANNORVM TESTAMENTO MANVMISSVS. Cautum enim fuerat lege Aelia Sentia, vt minor triginta annorum seruus ne manumitteretur, nisi caussa apud consilium probata. Hinc

sine

(a) *Inscr. Class. XX. n.* 128. (b) CAI. *Inst. Lib. I. tit.* 1. §. 2.

BIU Cujas

sine consilio, licet *vindicta*, manumissus seruus manebat: *Testamento* vero *manumissus*, inquit VLPIANVS (a), *perinde habebatur, atque si domini voluntate in libertate esset*: id est, uti supra id exposuimus, in libertate erat, quod facti est, non liber tamen, quod iuris. Ast quia lex Iunia Norbana omnes non iuste manumissos et dominorum tamen voluntate in libertate commorantes, Latinos esse iusserat, Vlpianus porro addit: *ideoque Latinus fiebat*, ex lege non Aelia Sentia, sed vti dixi, ex Iunia Norbana. Idcirco testatores cupientes seruos suos ante iustam aetatem manumissos ad ciuitatem perduci, in testamento suo datis libertatibus adscribebant formulam: LIBERI SVNTO, QVVM ANNORVM ERVNT XXX. (b) item: QVVM PER LEGES LICEBIT, LIBERI SVNTO (c). Vti iam ab aliis viris doctis post IAC. CVIACIVM (d) obseruatum est. Ita vero manumissus, interea, dum annum trigesimum nondum expleuerat, ex lege Aelia Sentia erat statu liber: adeoque sperare poterat libertatem plenam iuraque Quiritium, simulac illam aetatem legitimam attigisset. Contra si, conditione hac non adiecta, libertate esset donatus, liber quidem fiebat, sed Latinae conditionis, et licet iustam aetatem superasset, iurium tamen Quiritium exsors manebat.

Poterant autem et statu liberi, et sine conditione ante annum aetatis trigesimum manumissi, si anniculum anniculamque suscepissent, iura Quiritium consequi, certis conditionibus, quarum primam prae se ferunt verba: QVI CIVEM ROMANAM LATINAMVE DVXERIT, TESTATIONE INTERPOSITA, QVOD LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA VXOREM DVXERIT. Requirebatur itaque matrimonium. Quamuis enim Latinis Iunianis ius connubii neque cum ciuibus Romanis, neque cum Latinis esset, erat tamen ius matrimonii, id est, ius gentibus omnibus commune, cum muliere indiuiduam vitae consuetudinem ineundi, ex eaque procreandi liberos, quod saepe *matrimonium*, (e) nec non *matrimonium sine connubio* (f) vocant veteres, quemadmodum contra iis, qui loquebantur accuratius, sola coniunctio legitima ciuium NVPTIARVM et CONNVBII nomine veniebat. Quo autem adpareret, matrimonium inire libertinum, non in concubinatum feminam liberam adsumere, testatio initio ad acta publica, vti videtur, postea tabulis dotalibus interponenda erat, matrimonium iniri LIBERORVM

(a) *Fragm. tit. I. §. 12.*
(b) *L. 39. §. 2. D. fam. erc.* L. *46. D. de manum. testam.* L. *vlt. D. de reb. dub.* L. *13. §. vel. D. de statu lib.*
(c) *L. 38. D. de manumiss. test.*
(d) *Ad Vlpian. tit. 1. §. 12.*
(e) *L. 13. §. 1. D. ad L. Iul. de adult.*
(f) *Collat. Leg. Mos. et Rom. tit. 4. §. 5.*

BIU Cujas

QVAERENDORVM CAVSSA. Antiqua formula, qua iam Censores vsos nouimus, quibus teste GELLIO, (a) ius iurandum praestabant ciues, se vxorem liberûm quaesundorum caussa habere. Hinc apud ENNIVM (b) matrona: *Duxit me*, inquit, *vxorem, liberorum sibi quaesundûm caussa.* Postremis vero temporibus ob caput legis nostrae tertium hanc formulam tabulis matrimonialibus insertam fuisse, binis locis testatur AVGVSTINVS, (c) cuius verba iam alii exscripserunt.

Alteram conditionem exprimunt verba: POSTEA FILIO FILIAVE, NATO NATAVE ET ANNICVLO ANNICVLAVE FACTO FACTAVE. Exigebat enim lex non solum matrimonium liberorum quaerendorum caussa initum, verum etiam prolem ex eo matrimonio susceptam, nec hanc tantum, sed vt filius filiaue ex eo matrimonio natus nataue annum plenum vixisset. Quod quo pacto intelligendum sit, paullo ante explicauimus. Addit lex et tertiam conditionem: CAVSSA APVD PRAETOREM VEL PRAESIDEM PROVINCIAE PROBATA. Vnde non ipso iure ciuis erat Latinus, anniculi pater, sed caussa demum probata, id est productis tabulis, quibus, se matrimonium liberorum quaerendorum caussa inire, testationem interposuerat, exhibito testimonio publico magistratus, apud quem infantis recens editi nomen professus fuerat, testibus denique productis, qui infantem illum anniculum factum esse, confirmarent. His factis, TVM IPSE ET FILIVS FILIAVE, TVM ET VXOR, SI LATINA ESSET, (ciuis enim eo legis beneficio non indigebat) IVRA QVIRITIVM CONSEQVEBATVR.

Tale fuit legis Iuniae Norbanae priuilegium: quod tamen ad eos tantum qui testamento manumissi fuerant, pertinuisse iam monuimus. Nam minores triginta annis inter viuos, sed minus sollemniter manumissi, iteratione aliisque modis, supra explicatis iura Quiritium consequebantur. Postea tamen prodiit SCtum *ex quo et his*, teste VLPIANO, (d) *concessum est, etiam* LIBERIS *ius Quiritium consequi.* Sctum Largianum hic in animo habuisse VLPIANVM, suspicatur M. VERTRANIVS MAVRVS, (e) sed suspicatur tantum. Nam tale quid eo SCto inductum fuisse, nemo veterum prodidit memoriae.

IV. Hanc legem Iuniam et aliud SC. sequutum est, aeque incertae aetatis, quo cautum, VTI LATINA, SI TER ENIXA FVERIT, IVRA QVIRITIVM CONSEQVERETVR. Eo ergo legi Iuniae Norbanae eatenus

(a) *Lib. IIII. cap. 3.*
(b) FEST. *in voce* quaeso.
(c) *Adu. Iulian. Lib. III. et Serm. XLIV.*
(d) *Fragm. tit. III. §. 4.*
(e) *De iure liber. cap. 29.*

BIU Cujas

tenus derogatum est, vt Latinae non amplius in posterum anniculus anniculaue ad iura Quiritium consequenda sufficeret, sed SI TER ENIXA esset, tunc demum eius beneficii fieret particeps. Ter autem enixa videbatur, non solum, quae ter peperisset per interualla, sed et quae intra breuissimum temporis spatium tergeminos fudisset, vti rem ad caput legis XII. exponit PAVLLVS. (a) Neque enim exempla desunt, quod mulieres et quaternos et quinos enixae sint, etiam post quadragesimum a primo partu diem. (b) Quum vero idem PAVLLVS (c) vtero exsectos matri ad hoc beneficium consequendum profuisse neget: multo minus credibile est, ei profuisse partum monstrosum, quem alias profuisse in hac lege testatur VLPIANVS. (d)

Aetas huius SCti, vti aliorum plerorumque incerta est: nec magis expeditum, an de SCto Tertylliano loquatur Vlpianus, quod viro summo IAC. CVIACIO visum est. Saltim ex hoc SCto nostro profuisse videntur tres ex interuallo in lucem prodeuntes, vti paullo ante vidimus. In Tertulliano hi non profuerunt. (e) Senatus ita censuit: quo autem tempore id contigerit, nec Vlpianus addit, nec vllus veterum, quantum memini, prodidit memoriae.

V. Idem denique senatus censuit, VT SI CIVIS ROMANA LATINO NVPSERIT, LIBERI, QVI EX EA NASCANTVR, MATRIS SEQVERENTVR CONDITIONEM, ET IVRA QVIRITIVM CONSEQVERENTVR. Superuacuum hoc SC. videri poterat. Quum enim inter Latinum et ciuem non sit ius connubii: existimari posset, liberos non potuisse non conditionem matris sequi, aeque ac naturales et vulgo quaesitos, siquidem VLPIANO (f) *haec* LEX NATVRAE videtur, *vt qui nascitur sine legitimo matrimonio*, MATREM SEQVATVR. Sed addit eodem loco VLPIANVS: *nisi* LEX SPECIALIS *aliud inducit.* Qualis autem circa ius Quiritium lex specialis aliud induxerit, idem VLPIANVS (g) alibi ita ostendit: *Excepto eo, qui ex peregrino et ciue Romana peregrinus nascitur, quoniam* LEX MENSIA *ex alterutro peregrino natum* DETERIORIS PARENTIS *conditionem sequi iubet.* Non male ergo coniecit vir summus IAC. CVIACIVS, (h) SCto nostro derogatum esse LEGI MENSIAE. Et quamuis

(a) L. 137. *D. de verb. sign.*
(b) L. 3. *D. si pars her. pet. Plin. hist. nat. Lib. VII. cap.* 11.
(c) L. 132. §. 1. *D. de verb. sign.*
(d) L. 135. *D. de verb. sign.*
(e) PAVLL. *Rec. Sent. Lib. IIII. tit. 9.* §. 2.
(f) L. 24. *D. de statu hom.*
(g) *Fragm. tit. V.* §. 8.
(h) *Not. ad Vlpian. Fragm. tit. III.* §. 3. *et Obs. Lib. XV. cap.* 13.

BIU Cujas

quamuis M. VERTRANIVS MAVRVS intercedat, negetque legem Mensiam ad Latinos pertinuisse, quum peregrinorum tantum, non Latinorum, meminerit: nemo tamen ignorat, ratione status homines diuidi in ciues et peregrinos, adeoque omnes, qui ciues non erant, peregrinos fuisse. Equidem *peregrinos* aliquando a *Latinis* seiungi animaduertimus ab VLPIANO (a) et MARCIANO (b): sed accuratius qui loquuntur, et Latinos peregrinis accensent. Refert APPIANVS (c) Nouocomensem, qui et magistratum in patria gesserat et iura Quiritium fuerat consequutus, virgis a Marcello caesum esse in contumeliam Caesaris, additque: καὶ τὸν νοῦν ὑπὸ ὀργῆς ἀνεκάλυπτε, τὰς ΞΕΝΙΑΣ σύμβολον καὶ φέρειν αὐτὰς ἐκέλευε, καὶ δεικνῦναι τῷ καίσαρι. *Sic ille mentem suam iratus aperuit, atque pro* PEREGRINO *tractatum, ire, et notas ostendere Caesari iussit.* Non sane hic Marcellus Nouocomensi status mouit controuersiam, tanquam Latino, quod ius iam ante Caesarem omnes transpadani acceperant (d): sed tanquam ciui. Vnde ipse APPIANVS addit: ἃ πασχόντων τῶν Ρωμαίων; *quae alias pati non solent ciues Romani.* Latinum itaque pro peregrino tractauit Marcellus, eumque virgis lacerauit, vt se non ciuem, sed Latinum, id est, peregrinum esse intelligeret. Latinos enim, vti alios peregrinos, virgis caedi potuisse, docet DIODORVS SICVLVS (e), vbi de Clodio: τὸν μὲν πολιτικὸν τοῖς πατρίοις ἔθεσιν ἐκόλαζεν ἀπαρρησιάστως, τοὺς δὲ συμμάχους ῥαβδίοις ἐμαστίγου. *In Romanos quidem more maiorum animaduertit citra spem veniae:* SOCIOS *autem* NOMINIS LATINI VIRGIS CECIDIT. Sed & SALLVSTIVS (f) referens Turpillium praefectum Vaccae oppido impositum a Metello VERBERATVM *capitis poenas soluisse*: ne cui id mirum videatur, statim subiungit: *nam is ciuis* EX LATIO *erat.* Peregrini itaque erant, quia ciuitatis exsortes, quamuis melioris, quam prouinciales, conditionis. Quae quum ita sint, nihil omnino impedit, quo minus legi Mensiae hoc SCto derogatum esse cum CVIACIO dicamus.

Ipsius SCti originem ad Hadrianum refert VLPIANVS, et ita quidem, vt illud *eo auctore* factum esse testetur: id est eo vel consule, vel certe ad senatum referente. Quare, quum maximam partem imperii extra Romam fuerit: paene adducor, vt illius epocham in consulatum Hadriani II. et Salinatoris incidere existimem. Sed existimo tantum, ne quis sibi id praedictum neget.

Ast

(a) *Fragm. tit.* 5. §. 4. *tit.* 19. §. 4.
(b) L. 17. §. 1. *D. de poen.*
(c) *De bello ciu. Lib. II. p.* 443.
(d) ASCON. PAEDIAN. *in Cic. adu. Pison. pag.* 2062.
(e) *Exc. Peiresc.* 273.
(f) *Bell. Iugurth.*

BIU Cujas

Aſt quando lata ſit LEX MENSIA tam obſcurum eſt, vt ne familia quidem Menſia apud veteres celebretur. Non ignoti ſunt METTII, MESTRII, quos et MENSTRIOS dictos eſſe, REINESIVS (a) obſeruat, ac denique MESSII. Sed Menſiae familiae vix vola vel veſtigium occurrit, idque permouit, ni fallor, ANT. AVGVSTINVM (b) vt hanc legem non *Menſiam*, ſed *Meſſiam* adpellandam exiſtimaret. Rem tamen vtpote incertam ego aliorum indagini relinquere malim.

(a) *Inſcr. Claſſ. XV. num.* 24. (b) *De legibus et SCiis pag.* 1239. *Tom. II. Theſaur. Graeu.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT X.

AD CAPVT LEGIS VNDECIMVM.

DE LIBERTI LIBERATIONE AB OPERIS OB NVMERVM LIBERORVM.

VNdecimum legis caput quale fuerit? Eius legitima verba. I. *Ad quos libertinos hoc priuilegium pertinuerit? Operarum locatio ad beſtias depugnandas. Ludus beſtiarius, venatorius, matutinus, ſpoliarius.* II. *Liberti patrono debebant operas, dona, munera. Dona, munera et operae fabriles quomodo promiſſae. Serui initio vrbis opificiis paene ſoli vacabant. Donorum et munerum diſcrimen. Merces manumiſſionis non poterat promitti ſed dari. Alia, quae a libertis ſibi ſtipulabantur patroni.* III. *Liberatio ab his oneribus per duos liberos vel vnum quinquennem. Quinquennis filius iam olim libertinis aliquando profuit. Sc. apud* LIV. Lib. XLV. cap. 15.

NIhil veroſimilius eſt, quam priuilegia, ciuibus et Latinis colonariis conceſſa ſequutum eſſe multiplex illud πολυπαιδίας praemium, quod in liberatione ab operis conſtitit. Saltim eodem libro II. commentariorum PAVLLVS (a) egit de liberatione libertorum ab operis, et ipſa nobis ſeruauit legitima eius capitis verba, quae talia ſunt:

(a) PAVLL. *Lib. II. L. 35. L. 37. D. de op. libert.*

BIU Cujas

QVI LIBERTINVS DVO PLVRESVE A SE GENITOS NATASVE IN SVA POTESTATE HABEBIT, PRAETER EVM, QVI ARTEM LVDICRAM FECERIT, QVIVE OPERAS SVAS, VT CVM BESTIIS PVGNARET, LOCAVERIT, NE QVIS EORVM OPERAS DONI MVNERIS, ALIVDVE QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSSA PATRONO PATRONAE LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT, VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT, DARE, FACERE, PRAESTARE DEBETO. ET SI NON EODEM TEMPORE DVO IN POTESTATE HABVERIT, VEL VNVM QVINQVENNEM, OPERARVM OBLIGATIONE LIBERATOR.

I. Hoc itaque priuilegium pertinet ad LIBERTINOS, ſed non ad *Latinos Iunianos*, quales eo tempore nullos fuiſſe diximus, nec ad *dedititios*, quibus parum fauebat nullamque ſpem melioris conditionis reliquerat Auguſtus, verum ad eos, qui iuſtam conſequuti libertatem ciues Romani facti fuerant. Argumento eſt, quod in lege exſtant verba: QVI LIBERTINVS A SE GENITOS NATASVE IN SVA POTESTATE HABEBIT. In poteſtate vero liberos non habebant, niſi ciues Romani. Ex quo etiam colligas, non id caput pertinuiſſe ad libertas. Eae ſolis nuptiis operarum obligatione liberabantur, vti infra ad caput XXXVIII. demonſtrabimus. Innuptae vero non liberabantur, niſi eſſent maiores quinquaginta annis. (a) Quum vero lex non dicat, *qui libertinus duo pluresve* SIMVL *in poteſtate habebit*: non abs re PAVLLVS (b), liberos etiam amiſſos non ſolum ad operas quae imponuntur poſtea, ſed et ad eas, quae amiſſo vno et ſequente paullo poſt alterius natiuitate, promittuntur, amolienda profuiſſe, docet. Quod ita breuiter eloquitur ALEXANDER Imp. (c) *Qui autem duos filios in poteſtate vel* DIVERSIS TEMPORIBVS *habuit, lege Iulia de maritandis ordinibus obligatione operarum liberatur.* Proderant etiam hi liberi non ſolum parentibus, verum etiam fideiuſſoribus, quos libertus operarum cauſſa dederat, immo et expromiſſoribus (d). Non autem heredes liberti liberabantur, ſi ex eo poſtumi fuiſſent nati, quippe quos defunctus numquam in poteſtate habuerat (e).

Exceperat lex ab hoc beneficio EOS, QVI ARTEM LVDICRAM FECERANT, de quibus iam ad capita legis prima: nec non QVI OPERAS SVAS, VT CVM BESTIIS PVGNARENT, LOCAVERANT. Cur enim operis

(a) PAVLL. *Lib. II.* L. 35. *D. de op. libert.*
(b) PAVLL. *Lib. II.* L. 37. §. 1. 2. *eod.*
(c) L. 6. §. 1. *C. eod.*
(d) PAVLL. *Lib. II.* L. 37. §. *vlt. D. eod.*
(e) PAVLL. *Ibid.* L. 37. §. 7. *D. eod.*

BIU Cujas

ris honeſtioribus liberantur homines, qui ſe ipſi longe vilioribus addixerant, leuiſſimoque pretio *ſua vendiderant funera*, vti eleganter ait IVVENALIS (a)? Equidem Romani non modo e gladiatorum pugnis voluptatem capiebant, ſed et cum beſtiis committebant homines, et immani iſto ſpectaculo oculos paſcebant. Vnde gladiatores et beſtiarios coniungens SENECA (b), dubitare ait homines iſtos viliſſimi pretii, *vtrum ſe ad* GLADIVM *locent, an ad* CVLTRVM. Vocantur hi alias *beſtiarii* (c), *arenarii* (d), καπηλοπωλούμενοι (e), *venatores*, vel *familia venatoria* (f), quemadmodum et ipſum immane ſpectaculum *venatio* (g) *ludus venatorius* (h), κυνηγεσίαι vel κυνηγεσία (i) itemque *ludus beſtiarum* (l) dicebatur. Et olim quidem plerumque ſerui a dominis in poenam addicebantur venationi: poſteaquam vero id vetuit lex non *Paetinia*, vti PETRVS. FABER (m) credit, ſed *Petronia*, lata A. V. C. 813. C. Petronio Turpilliano et C. Caeſonio Paeto coſſ. (n) non defuerunt ex libertinis, ipſiſque ingenuis viliſſimae animae, qui operas ad id munus vltro locarent, quique aliquamdiu ſaginati in ſpoliario, poſtea cum beſtiis committebantur, et quidem mane, vti meridie gladiatores inter ſe conferebant manus, vnde et hi *meridiani*, illi *matutini* vocantur (o). LVDI ſane MATVTINI occurrunt in marmoribus (p) vti et LVDI SPOLIARII (q). Quamuis vero genti togatae, vti diximus, in deliciis eſſet immane iſtud ſpectaculum; infames tamen illis erant, qui mercede conducti, tam leui auctoramento ſe ad hanc feralem pugnam patiebantur ſaginari. Vnde nec mirandum, eoſdem etiam eo beneficio indignos viſos eſſe Imperatori optimo, quod aliis honeſtioris vitae libertinis, duorum liberorum parentibus hac lege noſtra indulſerat.

II. Quanam vero in re conſtiterit illud priuilegium, ex ſequentibus legis verbis adparet: NE QVIS EORVM OPERAS, DONI MVNERIS, ALIVDVE QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSSA PATRONO, PATRONAE, LIBERISVE EORVM, DE QVIBVS IVRAVERIT VEL PROMISERIT, OBLIGATVSVE ERIT, DARE FACERE PRAESTARE DEBETO. Patronum iuribus quibuſdam pinguiſſimis gauiſum eſſe in libertum, tralatitium eſt. Inter

 haec

(a) *Satyr. VIII. v.* 192.
(b) *Epiſt. LXXXVII.*
(c) SVET. *Claud. cap.* 34.
(d) GRVT. *pag.* 484. *num.* 6.
(e) XIPHIL. *Lib. LVIII.*
(f) GRVT. *pag.* 334. *num.* 11.
(g) SVET. *Ner. cap.* 4.
(h) L. 8. L. 11. *D. de poen.*
(i) REINES. *Inſcr. claſſ. V. num.* 65.
(l) SEN. *Ep. CXXI. et libro III. de ira, cap. vlt.*
(m) *Semeſtr. Lib. II. cap.* 11.
(n) L. 11. *D. ad* L. *Corn. de ſicar.*
(o) PET. FAB. *Lib. I. Semeſtr. cap.* 6.
(p) GRVT. *p.* 41. *nu.* 10. *p.* 335. *n.* 1. *et pag.* 411. *nu.* 1. REINES. *Claſſ. I. num.* 157.
(q) GRVT. *pag.* 489. *num.* 12.

BIU Cujas

haec etiam erant *operae*, *dona* et *munera*, quae patronus a liberto iure exigebat. *Operae* erant diurna officia, (a) et in *officiales* et *fabriles* diuidebantur. Illae in officio personae; hae in artificio consistebant. Illas libertus ipso iure: (b) has tunc demum debebat, si promisisset. (c) Illae soli patrono; (d) hae et aliis, quibus ille eas praestitas vellet, (e) immo et heredibus patroni (f) erant praestandae. Promittebant vero operas fabriles non serui ante manumissionem: (hi enim nihil promittere poterant domino,) sed iam manumissi, (g) et ita quidem, vt non solum stipulatio intercederet, sed et liberti iurarent, se illas patrono praestituros. Quod iusiurandum aeque, ac alias verborum obligationes, ratum fuisse, CAIVS (h) testatur, dum scribit: *Item et alio casu, vno loquente, et sine interrogatione alio promittente, contrahitur obligatio, id est, si libertus patrono aut donum, aut munus, aut operas se daturum,* IVRAVERIT. Ne autem fidem falleret libertus, et iurato promittere detrectaret manumissus, quod seruus sese iuraturum pollicitus fuerat: ita sibi prospiciebant domini, vt aut fideiussores sibi dari iuberent, aut expromissores. (i) Immo etiamsi hac cautione non vsus esset patronus: deprehenso tamen dolo libertatem praetor negabat liberto, qui iurare nollet super iis, quae seruus pollicitus fuerat. Eo pertinent illa CICERONIS: (l) *Itaque vsurpaui vetus illud Drusi, vt ferunt, Praetoris, in eo, qui eadem liber non iuraret, me istos* LIBEROS NON ADDIXISSE. Scilicet quamuis dominus circumacto in gyrum homine, illud sollemne: HVNC EGO HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO esset proloquutus: nondum tamen erat liber, nisi lictor vindicta eum tetigisset, et praetor addixisset liberum. Non vero addicebat Praetor, nisi seruus liberasset fidem, et iurasset, quae antea promiserat. Ceterum operae hae fabriles ad lucrum pertinebant, earumque praestatio pecuniaria vtilitate constabat. (m) Romulus enim, artes manuarias et sellularias parum conuenire nouae reip. suae existimans, istis operam dare vetuit ciues, et δούλοις τε καὶ ξένοις ἀπέδωκε μεθιέναι, *seruis ac peregrinis eas exercendas dedit.* Id quod diu Romae obseruatum esse testatur DIONYSIVS HALICARNASSEVS. (n) Artes ergo manuarias et opificia plerumque exercebant serui, eaque ratio

(a) L. 1. *D. de op. lib.*
(b) L. 26. §. 12. *D. de condict. inde.*
(c) L. 3. *pr.* L. 5. L. 7. *pr. D. de op. lib.*
(d) L. 9. §. 1. *D. de op. libert.*
(e) *d.* L. 9. §. 1.
(f) L. 6. *D. eod.*
(g) L. 7. §. 2. *D. eod.*
(h) *Lib.* IIII. *Inst. cap.* 9. §. 4.
(i) PAVLL. *Lib.* II. L. 37. §. *vlt. D. eod.*
(l) *Ad Attic. Lib.* VII. *Epist.* 11.
(m) L. 6. *D. de op. libert.*
(n) *Lib.* II. *pag.* 98.

BIU Cujas

tio est, cur illas *illiberales* adpellarent, tanquam indignas homine ingenuo. Praeterea et litteris imbuebantur serui, interque illos erant grammatici, litteratores, philosophi, medici, anagnostae, aliique eius generis viri docti. Quantum ex vtrisque operis lucri domini ceperint, facile est ad existimandum, idque vel exemplum Crassi illius diuitis docet, quem integras fabrorum familias habuisse, ex eorumque operis maximum lucrum fecisse, refert PLVTARCHVS. (a) Ne vero tanto lucro plane exciderent domini; a seruis quos manumissuri erant, certas sibi operas fabriles stipulabantur, quae aliquando etiam pecunia vel pensione annua solebant aestimari. (b) Id enim facere eis licebat, dummodo patronus operas liberti non locaret aliis, quibus ipse vti posset. (c) Si plus exigeret patronus, quam promissum erat, ei non adsistebat Praetor, eoque pertinet elegans species apud DOSITHEVM. (d) Conquerebatur patronus se a libertis circumuentum, qui tabernas suas exercentes, sibi nihil darent. Respondebat aduocatus a multo tempore libertos singulos patrono praestitisse denarium, eumque illos in posterum quoque praestituros pollicebatur, si eos pateretur negotiari. Dixit itaque Hadrianus Augustus: Φροντίσατε ἵν, μὴ πάλιν μέμψηται· ἀλλ' αὐτὸς νοῦν κοινὸν ἔχῃ. *Curate igitur, ne iterum queratur, sed et ipse* SENSVM COMMVNEM HABEAT.

Denique et DONA et MVNERA debebant liberti, si promisissent. Clare enim VLPIANVS: (e) *Iurare autem debet, operas, donum, munus se praestiturum.* Hinc libertus apud QVINCTILIANVM: (f) *Huic*, inquit, *debeo* MVNVS, *operas, testamentum.* Et CAIVS: (g) *exponendum hic, quid sit* DONVM, MVNVS, *aut operae.* Quam particulam, a reliquo corpore auulsam seruauit ANIANVS, sed ita, vt per eius industriam nihilo hodie simus instructiores, quam per alterum fragmentum PAVLLI: (h) *Egentem patronum libertus, obligatione* DONI, MVNERIS, *et operarum solutus alere cogendus est, pro modo facultatum suarum.* Quantum autem ex aliis iureconsultorum fragmentis intelligimus, (i) istud inter dona muneraque discrimen intererat, quod illa sponte; haec ob certam caussam praestarentur. Hinc veteres GLOSSAE NOMICAE: Μύνους τὰ μετ' αἰτίας δῶρον, ὡς τὸ γενεθλιακὸν ἢ γαμικόν. MVNVS, *quod ob caussam donatur, veluti natalitium, vel nuptiale.* Et FRONTO: MVNVS, *quod amicus, vel cliens, vel libertus* OFFICII CAVSSA *mittunt.* Ad *dona* ita-

 que

(a) *In vita Crassi.*
(b) L. 39. *pr. et §. 1. D. de op. libert.*
(c) L. 25. §. 1. *sequ. D. eod.*
(d) *Lib. III. Sentent. Hadr. Lib. III. §. 8. pag. 866.*
(e) L. 7. §. 3. D. *eod.*
(f) *Declam. vlt.*
(g) *Inst. Lib. II. tit. 9. §. 4.*
(h) *Sent. rec. Lib. II. tit. 32. §. 1.*
(i) L. 214. D. *de verb. sign.*

BIU Cujas

que referenda ſtrenae, xeniola, miſſio partis extorum; ad *munera* donationes nuptiales, natalitiae, luſtricae, Saturnales, ac ſimiles, quas, vti ex elegante TERENTII (a) loco conſtat, etiam a ſeruis domini ad rem attentiores flagitabant.

Horum omnium gratia fiebat libertis, qui liberos ſuſtulerant. Quin et ſi ALIVM QVIDQVAM LIBERTATIS CAVSSA PATRONO, PATRONAE, LIBERISVE EORVM ſe praeſtituras, IVRAVERINT vel PROMISERINT, eo omni ob liberos liberabantur ex lege noſtra. Solebant enim patroni ſibi mercedem manumiſſionis ſtipulari, idque inhibuerat lex Aelia Sentia, qua tamen non prohibebantur *patroni, a libertis mercedes capere, ſed obligare eos, itaque ſi ſponte ſua libertus patrono mercedem praeſtitiſſet, nullum libertus legis praemium conſequebatur*, vti loquitur TER. CLEMENS. (b) Poterat ergo per legem Aeliam Sentiam patronus mercedem ſponte oblatam capere, ſed non ſibi eandem ſtipulari. Sed et alia multa ſibi clam ſtipulabantur patroni ad rem attentiores, veluti, *ἵνα τὸν δημοσίως δεδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα, καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγεμένων γίγνοιτο τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία, φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν. Vt acceptum e publico frumentum menſtruum, et ſi qua alia liberalitate principum in egenos ciues conferuntur, patronis relinquant*, qualia exempla *αὐτόπτης* refert DIONYSIVS HALICARNASSEVS (c). Quin et liberis patronorum liberti aliquid promittebant, quo caſu *nihil intereſſe* cenſebatur, teſte PAVLLO, (d) *vtrum ipſi promiſerint patrono, an* EIS *qui* IN POTESTATE EIVS *erant.*

Horum nihil praeſtare cogebatur libertus, qui duos pluresue filios filiaſue ex ſe genitos nataſue in poteſtate ſua habuerat. Quo pertinent verba legis: NE QVIS EORVM DARE, FACERE PRAESTARE DEBETO. Liberabantur vero ab operis, muneribus, donis non ſolum futuris, ſed et praeteritis (e), quin etiamſi operae iam petitae eſſent, abſolutio videbatur facienda: niſi libertus operarum nomine condemnatus erat, quia iam pecuniam quaſi ex contractu debere coeperat (f). Quid vero ſi creditori ſuo libertum delegaſſet patronus? Tunc operis praeteritis non liberabatur libertus numero liberorum. Solutionis enim vicem continebat haec delegatio. *Poteſt tamen dici*, inquit PAVLLVS (g), *ſi* in

(a) *Phorm. act. 1. ſcen. 1. v. 51. ſequ.*
(b) L. 32. §. 1. *D. qui et a quib. manum.*
(c) *Lib. IIII. pag. 228.*
(d) PAVLL. *Lib. II.* L. 37. §. 3. *D. de op. libert.*
(e) IB. L. 37. §. 5. *D. eod.*
(f) IB. *d.* L. 37. §. 6. *eod.*
(g) IB. L. 37. §. 4. *D. eod.*

BIU Cujas

si in id, quod patrono promisit, alii postea delegatus sit, posse eum liberari ex hac lege: nam verum est, eum patrono expromississe, quamuis patrono nunc non debeat. Quod si ab initio delegante patrono libertus promiserit, non liberari eum.

III. Additur postremo: ET SI NON EODEM TEMPORE DVO IN POTESTATE HABVERIT, VEL VNVM QVINQVENNEM, OPERARVM OBLIGATIONE LIBERATOR. Quibus verbis duo indulgentur libertis. Alterum, vt liberarentur, quamuis non eodem tempore duos in potestate habuerint: alterum, vt et vnus filius quinquennis sufficeret ad liberandum ab operis libertum. Non additur *vnus vnaue* quinquennis: vti alias lex accurate vtrumque sexum coniungit. Ex quo efficitur, filiam vnam quinquennem patri libertino non profuisse. Nec, vt antea mentio fit donorum et munerum, sed operarum tantum. Ex quo colligo, ab his quoque solis, non ab illis filium quinquennem liberasse. Quod vero quinque annorum aetatem exigit lex Papia Poppaea, id ad veteris iuris rationem videtur pertinere. Iam olim enim, teste LIVIO (a), libertinis ex SCto filius quinquenni maior profuit, vt in tribus rusticas describerentur, quum alias omnes libertini in quatuor tribus vrbanas, tanquam minus honorificas, referrentur.

(a) *Lib. XXXXV. cap.* 15.

* * * * * * * * * *

CAPVT XI.

AD CAPVT LEGIS DVODECIMVM.

DE LIBERATIONE MVLIERVM A TVTELA OB NVMERVM LIBERORVM.

I. *LEgis nostrae caput* XII. *de mulierum liberatione a tutela egit, eoque pertinent verba* TER ENIXA *ex* L. 137. ff. de V. S. II. *Testimoniis probatum, mulieres ingenuas trium, libertinas quatuor liberorum matres a tutela liberatas. Caput nostrum quale fuerit?* III. *Ingenua ter enixa. Ius trium liberorum. Tutela mulierum perpetua. Horum tutorum potestas. Tutela haec vel testamentaria vel legitima vel datiua. Tutores a maritis testamento dati, et a feminis libera optione electi. Quaenam tutela cessitia? Cur conuentione in manum finita? Potestas mariti in vxorem, accuratius demonstrata. An et maritus*

BIU Cujas

maritus vxoris tutor fuerit? Ingenuae trium liberorum matres et inter viuos et per testamentum de rebus suis libere disponebant. Contra Em. Merillium ostensum, mulieres et in scriptis testari potuisse. L. 77. §. 24. ff. de leg. 2. *exposita.* IIII. *Libertinae quatuor liberorum iure liberatae tutela patronorum. Hinc et testamentum condere poterant, relicta patrono superstiti portione virili. Cur patrono in libertae bonis nihil iuris ex edicto datum? Quamdiu tutela mulierum durarit?*

I. DE praemiis parentum dum egit LEX PAPIA POPPAEA, verosimile est, eodem loco de liberatione a tutela, quae mulieribus ob numerum liberorum contingebat, actum esse. PAVLLVS (a) sane, dum eodem *libro II. commentariorum* explicauit verba TER ENIXA, non respexit ad caput x. vti visum GOTHOFREDO, in quo illa locum habere non potuisse, iam supra demonstrauimus, sed ad hoc ipsum caput duodecimum. Quod vero nullum praeterea in toto pandectarum opere occurrit fragmentum, quocum ista verba TER ENIXA coassari queant, id haud leui argumento esse poterit, verba haec pertinuisse ad ius, temporibus Iustiniani, paene abolitum. Quale profecto est tutela, cui mulieres suberant, perpetua, cui etiam verba PAVLLI accurate conuenire, paullo post res ipsa docebit.

II. Primo itaque veteres auctores veluti ex compacto testantur, feminas ingenuas, ter enixas, a tutela liberatas fuisse. PLVTARCHVS (b), vbi de virginibus Vestalibus, earumque priuilegiis scribit, inter alios honores indultum iis fuisse ait, διατίθεσθαι ζῶντος ἐξεῖναι πατρὸς, καὶ πάλιν πρᾶττειν ἄνευ κηδεστοῦ διάγουσας, ὥσπερ AI ΤΡΙΠΑΙΔΕΣ, *vt vel superstite patre iis testari liceret, et sine tutore libere administrare res suas, non secus, ac si* TRES ESSENT LIBERI. Ex quo loco, quem iam supra capite II. libri primi exposuimus, iam id duntaxat colligimus, trium liberorum matres non quidem tempore Numae, sed aetate PLVTARCHI, de rebus suis potuisse disponere ἄνευ κηδεστοῦ, sine tutore. Id vero et DIO (c) confirmat, dum iisdem Vestalibus ab Augusto concessa ait, ὅσαπερ AI ΤΕΚΟΥΣΟΙ εἶχον, vel, vt iam SCIPIO GENTILIS (d) et V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (e) legendum esse monuerunt, ὅσα περ AI ΤΡΙΣ ΤΕΚΟΥΣΑΙ εἶχον, *quaecumque habebant, quae* TER PEPERISSENT. Denique in fragmento regularum ex vetere iureconsulto superstite, et cum Pariatore legum Mosaicarum et Romanarum edito a PETRO PITHOEO legimus,

(a) PAVLL. *Lib. II. L. 137. D. de verb. sign.*
(b) *In Numa pag. 66.*
(c) *Lib. LVI. pag. 578.*
(d) *Ad Apulei. Apol. n. 1021.*
(e) *Iurispr. vet. anteiustin. pag. 605.*

BIU Cujas

(a) legimus: *mulier sine tutoris auctoritate libertatem dare non potest, nisi* LIBERORVM IVS HABEAT: *tunc enim ex vindicta sine tutore potest manumittere.* Quae omnia quin ex lege Papia Poppaea sint, vel inde colligas, quod illa et libertinas quatuor liberorum iure a tutela patronorum liberas esse iussit. En verba VLPIANI (b): *in bonis libertae patrono nihil iuris ex edicto datur, itaque, si intestata moritur liberta, semper ad eum hereditas pertinet. Licet liberi sint libertae, quoniam non sunt sui heredes matri, non obstant patrono. Lex Papia Poppaea enim postea libertas* QVATVOR LIBERORVM IVRE *tutela patronorum liberauit, et quum intulerit, iam posse eas sine auctoritate patronorum testari, prospexit, vt pro numero liberorum libertae superstitum virilis pars patrono debeatur.* Quae quum ita sint, vix dubitandum videtur, quin tale fuerit duodecimum hoc legis PAPIAE POPPAEAE caput:

> *Ingenua* TER ENIXA, *vel ius trium liberorum consequuta; libertina, quatuor liberorum iure, tutela liberator. Eidem sine patroni auctoritate, dum pro numero liberorum sibi superstitum virilem partem ei relinquit, testari fas esto.*

III. Prior itaque huius capitis pars ad mulieres ingenuas pertinet, et quidem TER ENIXAS, quae verba quemadmodum in hac lege accipiantur, iam supra ex PAVLLO (c) docuimus. Trium enim liberorum matres tantum a tutela liberabantur, nisi lege solutae ius trium liberorum senatus, vel postea principis beneficio, consequerentur. Vnde additum fuisse videtur: VEL IVS TRIVM LIBERORVM CONSEQVVTA. Sic ipsa Liuia Augusti vxor, tametsi bis enixa, tutela tamen non liberabatur, nisi lege soluta. (d) Et Statia Irene apud GRVTERVM (e) monimentum donationis mancipationisque caussa tradens, quoties nomen suum repetit, addit IVS LIBERORVM HABENS, vel per sigla: I. L. H. vt intelligerent lectores, cur nulla adhibita tutoris auctoritate donare et mancipare res suas potuerit. Quo de iure trium liberorum plura infra adspergemus. Iam vt caput vniuersum rectius intelligatur, quaedam de tutela mulierum delibanda sunt.

Romae ab antiquissimis temporibus feminae non modo impuberes, sed et adultae et nubiles et ad senectutem decliues sui iuris ob sexus

(a) *Fragm. Reg. ex vetere ICto* §. 15.
(b) *Fragm. tit. XXVIII.* §. 2. 3.
(c) PAVLL. *Lib. II.* L. 137. *D. de verb. sign.*
(d) DIO *Lib. XXXXVIII. pag.* 414.
(e) *Inscript. pag.* 1081.

FACULTÉ DE DROIT
BIBLIOTHÈQUE
DE PARIS
BIU Cujas

lubricitatem in perpetua tutela erant. *Maiores* enim, inquit Cato apud LIVIVM (a) *nullam, ne priuatam quidem rem, agere feminas sine* AVCTORE *voluerunt, in* MANV *esse parentum, fratrum, virorum.* Erant ergo mulieres *in manu parentum*, quamdiu durabat patria potestas: *in manu fratrum* aliorumque agnatorum, tamquam legitimorum tutorum, si essent sui iuris, ac denique *in manu virorum*, quibus cum in manum conuenerant. Sic et CICERO: (b) *Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores nostri in* TVTORVM POTESTATE *esse voluerunt. Mulieres omnes*, inquit, puta quae nec in patria potestate, nec in maritorum manu erant.

Ceterum ea mulierum tutela vel *pupillaris* erat, vel *perpetua.* Illa finiebatur anno XII: hac et puberes vel viri potentes tenebantur. Tutor impuberis et gerebat, et interponebat auctoritatem: puberis auctor quidem fiebat, quoties mulier vel lege aut legitimo iudicio agere, vel se obligare, vel ciuile negotium gerere, vel rem mancipi alienare, vel denique libertae permittere vellet, vt in alieni serui contubernio moraretur: sed non gerebat, vti obseruat VLPIANVS (c). Hinc et recte illi sine tutoris auctoritate soluebatur: (d) recte illa alienabat res, nec mancipi, (e) aliaque huius generis negotia explicabat, quae pupillae non nisi tutore auctore peragunt. Porro tutela haec vel TESTAMENTARIA erat, vel *legitima*, vel *datiua. Testamentariam* plerumque omittunt. Vnde de ea agendum paullo accuratius. Paullo post a nobis demonstrabitur, vxores, quae in manum conuenerant, in potestate fuisse maritorum, tamquam filiasfamilias. Quemadmodum itaque paterfamilias liberis pupillis poterat tutores testamento dare: ita maritus morti proximus testamento tutorem dabat vxori, tamquam filiaefamilias. Quod eo frequentius fiebat, quo minus aliquando feminae proximorum agnatorum tutelae subesse vellent. Quin saepe factum nouimus, vt mariti de tutela quidem vxorum testarentur, tantum vt excluderent legitimos, sed ita vt plures nominarent, adiicerentque conditionem, si vxor hunc vel illum sibi elegerit. Quamuis enim persona incerta tutor dari iure non possit: (f) potest tamen tutor sub conditione dari; (g) possunt et plures alternatiue testamento instituti. Nam quod AFRICANVS (h) negat, ita recte tutorem dari: *illi aut illi*

(a) *Lib. XXXIIII. cap. 9.*
(b) *Pro Muraena cap. 12.*
(c) *Fragm. tit. XI. §. 25. 27.*
(d) CIC. *Topp. cap. 11.*
(e) VLPIAN. *ibid.*
(f) L. 20. *pr.* L. 30. *D. qui test. tut.*
(g) L. 28. §. 2. *D. eod.*
(h) L. 23. *pr. D. eod.*

BIU Cujas

illi filiis meis, vtri eorum volet, Titius tutor esto: id tantum ideo fit, quod Titius forte constituere nolit, vtri ex filiis tutor esse velit. Id vero non verendum erat, de muliere, cui relicta fuerat optio, quae facile constituebat, vtri ex tutoribus sibi testamento datis subesse mallet. Ne vero hanc testamentariam mulierum tutelam fingere videamur: vades dabimus locupletes, et primo quidem CICERONEM, (a) a nullo fere interpretum recte intellectum. De fictionibus enim et interpretationibus ICtorum agens: *Quum*, inquit, *permulta praeclare legibus essent constituta, ea iureconsultorum ingeniis pleraque corrupta sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt; hi inuenerunt genera tutorum, quae* POTESTATE MVLIERVM *contineantur.* Habemus tutores qui mulierum potestate continentur, qui non alii sunt, quam hac lege testamento mariti dati vt optio penes mulieres esset. Multo dilucidior est locus LIVII, (b) qui inter praemia Hispalae Fecenniae ob prodita Bacchanalia a senatu decreta et hoc fuisse refert, *vt Fecenniae Hispalae datio, diminutio, gentis enuptio,* TVTORIS OPTIO *item esset, quasi ei* VIR TESTAMENTO *dedisset.* Sequitur tutela mulierum LEGITIMA, quae ita continebatur potestate agnatorum, vt quodammodo in bonis esse videretur. Hinc non solum de legitima hac tutela nihil sine omnium tutorum auctoritate poterat deminui, (c) vel vsucapi, (d) verum etiam ipsa haec tutela recte in iure cedebatur aliis. (e) Agnati enim eam poterant transcribere in extraneum, tamdiu futurum tutorem, quamdiu illibatum esset ius cedentium. Hinc cedentibus mortuis vel capite minutis, ius cessionarii exspirabat: et cessionario mortuo vel deportato, tutela ad cedentem redibat, cui ab ipsa lege vocato, alius non poterat anteferri (f). Ceterum tutelam hanc *cessitiam* lex Claudia quodammodo coarctauit, de qua idem VLPIANVS: (g) *Feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustinet, excepta tutela patronorum.* Ita enim lego cum v. c. ANT. SCHVLTINGIO, et vocabulum SVSTINET interpretor *conseruat*, vt sensus sit, legem Claudiam legitimas tutelas conseruare, dum eas non patiatur cedi extraneis, praeterquam tutelas legitimas patronorum. Quare dum CONSTANTINVS (h) scribit: *In feminis* TVTELAM *legitimam consanguineus vel patronus non recusset*, non ille sustulit legem Claudiam, vti visum viro summo IAC. CVIACIO, sed eam ad patronos

(a) *Pro Muraena cap.* 12.
(b) *Lib. XXXVIIII. cap.* 19.
(c) CIC. *pro Flacco cap.* 34.
(d) *Id. ad Attic. Lib. I. Epist. V.*
(e) VLP. *tit. XI. §. 6.*
(f) *Id. ibid. §. 7.*
(g) *Ibid. §. 8.*
(h) *L. 2. C. Th. de tut. et curat.*

BIU Cujas

quoque protulit, et ne ab his quidem tutelas libertarum legitimas extraneis cedi passus est. Denique et DATIVAE tutelae erat locus, si vel maritus, quod ad tutelam vxoris, intestatus decessisset, vel non esset; cui deberetur tutela legitima, vel agnatus tutor impubes esset. Tunc vero in vrbe praetor cum maiore parte tribunorum plebis ex lege Attilia: in prouinciis Praesides ex lege Iulia et Titia tutorem mulieri dabant, veluti ad dotem dandam dicendam promittendamue. Quod et exemplum Hispalae Fecenniae et caput legis nostrae 14. confirmat, de quo infra erit differendi locus.

Talis erat mulierum tutela, quae variis modis finiebatur, veluti sacerdotio Vestali, morte, et capitis deminutione, cuius et in manum conuentio erat species. Vxores enim Romanorum, teste GELLIO (a) vel *in manum* conueniebant, vel *in matrimonium*. In manum conueniebant *confarreatione*, *coemtione* et *vsu*. In matrimonium solo consensu, cuius sequiore aeuo signum erant tabulae vel instrumenta dotalia. Confarreatae, coemtae vel vsucaptae erant in *manu maritorum*, (b) adeoque in eorundem potestate, quum *manum* in iure potestatem notare, tralatitium sit. Eaedem, teste GELLIO, (c) erant *in mancipio*, id est in dominio iuris Quiritium, unde non solum coemi, et vsucapi, verum etiam remancipari (d) et interrumpi earum vsus poterat. Inde etiam est, quod in manum conuentionem capitis deminutionem vocat VLPIANVS, (e) quod intelligi non potest, nisi vxorem sui iuris esse desiisse, fatearis. Redigebatur ergo vxor in manum conuentione in potestatem mariti, adeo vt loco filiae familias, et heredis sui DIONYS. HALICARNASSEO (f) et GELLIO (g) testibus, esset, nullusque sit effectus patriae potestatis, quin se huiusmodi matrimonio exsereret. Hinc maritus animaduertebat in vxores vinosas, adulteras, aliisque vitiis pollutas, ceu alibi exemplis demonstratur. Nec ignotum est iudicium de moribus, ob quos maritus vxorem vel dote vniuersa, vel eius parte mulctatam domo expellere poterat, (h) tam libere, vt quidam data opera vxores male moratas, sed beatas dote, quaererent, tantum vt hanc dotem lucrarentur. Cuius rei exemplum est apud PLVTARCHVM (i) et VALER. MAXIMVM. (l) Vti porro pater adquirebat per

(a) *Lib. XVIII. cap. 6.*
(b) VLP. *tit. 9. rubr.* LIV. *lib. XXXIIII. cap. 3.*
(c) *Lib. IIII. cap. 3.*
(d) RAEVARD. *ad XII. Tab. pag. 98.*
(e) *Fragm. tit. XI. §. 13.*
(f) *Lib. II. pag. 95.*
(g) GELL. *Lib. XVIII. cap. 6.*
(h) L. 1. C. *Th. de iure dot. et ibi* IAC. GOTHOFR.
(i) *In Mario pag. 247.*
(l) *Lib. VIII. cap. 2. §. 3.*

BIU Cujas

per filium: ita vxoris bona omnia dotis nomine marito esse adquisita, docet CICERO. (a) Quin dum VLPIANVS (b) scribit: *adquiritur nobis etiam per eas personas, quas in potestate, manu, mancipioue habemus*, procul dubio etiam de vxoribus loquitur, quas in manu mancipioque fuisse paullo ante vidimus. Sicuti porro patri liberos aliis venumdare, mancipare et in adoptionem dare iure licebat: ita et Romanos vxores aliis cessisse ac veluti vendidisse legimus. Nam Catonem Vticensem vxorem Marciam praesentem despondisse Hortensio: Augusto vero Tiberium Neronem Liuiam vxorem, etiam praegnantem cessisse, auctores locupletissimos PLVTARCHVM, (c) TACITVM, (d) DIONEM (e) habemus. Denique vti liberi patri erant heredes sui, et pater contra liberis, si quod peculium haberent, iure succedebat: ita idem obtinebat in vxoribus, quae maritis, quibusque mariti heredes legitimi erant. Hinc GELLIVS (f) eas in familiam maritorum et in sui heredis locum venisse ait, et SERVIVS ad illa VIRGILII: (g)

Quaesitas sanguine DOTES,
Abnegat, externusque in regnum quaeritur HERES.

De IVRE, inquit, *traxit, vt non generum, sed* HEREDEM *diceret. Nam per coëmtionem facto matrimonio coniuges sibi inuicem succedebant.* Quae quum ita sint, manifestum profecto videtur, vxores conuenientes in manum redactas esse in potestatem maritorum, adeoque tanquam capite minutas in tutorum potestate esse desiisse.

Ex eo vero etiam patet, maritum non fuisse tutorem vxoris. Aut enim in manum conuenerat, aut in matrimonium. Si prius: non magis ei tutore opus erat, quam filio familias, in patria constituto potestate. Sin posterius: matrimonio nihil diminuebatur de tutela legitima, iidemque, qui antea, manebant tutores. Et ita intelligendum marmor apud GRVTERVM (h): vbi *Furfannia*, L. F. *Saturnina* monimentum se fecisse profitetur SIBI CONIVGI ET TVTORI SVO. Furfannia enim ista non conuenerat in manum, nec tutorem habebat coniugem, sed alium, qui ante matrimonium eius tutor fuerat. Illum enim vocat M. VALERIVM ISAVRVM; hunc L. ISYCHIVM: vt mirum videatur, quemquam eruditorum ex hoc marmore inferre potuisse, maritos olim fuisse vxorum suarum tutores.

(a) *Top. cap. 3.*
(b) *Fragm. tit. 19. §. 18.*
(c) *In Catone.*
(d) *Annal. Lib. V. cap. 1.*
(e) *Lib. XXXXVIII. pag. 384.*
(f) *Ibid.*
(g) *Aen. Lib. VII. v. 423. sequ.*
(h) *Inscript. pag. 552. num. 2.*

BIU Cujas

Hiſce modis quibus mulieris finiebatur tutela, alium adiecit lex Papia Poppaea, ius trium liberorum. Et hinc facile intelliguntur legis verba: INGENVA, TER ENIXA, VEL IVS TRIVM LIBERORVM CONSEQVVTA, TVTELA LIBERATOR. Tutela, ait lex, adeoque non tantum *legitima*, de qua haec capit IAC. GOTHOFREDVS, ſed omni, ſiue teſtamentaria, ſiue datiua, vt poſſet libere res ſuas adminiſtrare, et de iiſdem vel inter viuos, vel mortis cauſſa diſponere.

Ex quo facem allucere licebit verbis PAPINIANI (a), quae ICtum eximium, EM. MERILLIVM (b) in ſententiam admodum paradoxam deduxerunt. Profert ibi PAPINIANVS elegantem hanc e teſtamento paterno formulam: *Mando filiae meae, pro ſalute ſollicitus ipſius, vt*, QVOAD LIBEROS TOLLAT, *teſtamentum non faciat. Ita enim poterit* SINE PERICVLO *viuere.* Inde vir laudatus colligit, non licuiſſe olim mulieribus teſtari niſi per nuncupationem, quia alioquin vix excogitari poſſit ratio, cur pater ſaluti filiae teſtamentum conditurae metuerit, niſi quod mulieres ſemper oportuerit teſtari per nuncupationem, adeoque nunquam occulta fuerit ſuprema earum voluntas. Addit teſtimonia Graecorum, HARMENOPVLI (c) et ATTALIOTAE (d), qui non magis mulieres aiunt teſtari poſſe μυστικῶς, quam ἀναλφαβήτους. Denique multa differit de Zelotypia maritorum, ob quam non paſſi ſint Romani feminas ſcribere occulta, ne forte eo obtentu ad moechos exararent.

Arcana verba notata manu.

Sed falli hic virum eximium, vel inde patet, quod multa apud veteres commemorentur *ſcripta* feminarum teſtamenta. *Tabularum* Aebutiae, *plenarum furoris* meminit VAL. MAXIMVS (e). Galba quum e Liuiae Auguſtae teſtamento HS quingenties praecipuum habuiſſet, *quia* NOTATA *non* PERSCRIPTA *erat ſumma, Tiberio legatum ad quingenta reuocante, ne haec quidem accepit*, ait SVETONIVS (f). In ſcriptis ergo teſtata fuerat Liuia; alias locus non fuiſſet errori circa notas numerorum. Ne vero, quod Liuiae licuit, aliis feminis haud licuiſſe exiſtimes, de Verania refert PLINIVS (g) eam, vt in periculo credulam, *popoſciſſe codicillos, et legatum Regulo* SCRIPSISSE: et paucis interiectis de Aurelia, ornata femina: *Aurelia* SIGNATVRA *teſtamentum ſumſerat pulcher-*

(a) L. 77. §. 24. D. *de legat.* 2.
(b) *Obſ. Lib. II. cap.* 1. *et Lib. IIII. cap.* 39.
(c) *Lib. V. tit.* 1. §. 32.
(d) *Synopſ. tit.* 32.
(e) *Lib. VII. cap.* 8. §. 2.
(f) *Galb. cap.* 5.
(g) *Lib. II. Epiſt. XX.*

BIU Cujas

pulcherrimas tunicas, Regulus quum veniſſet ad ſignandum: Rogo, inquit, has mihi leges. Aurelia ludere hominem putabat, ille ſerio inſtabat. Nec multa: coëgit mulierem, aperire tabulas, et ſibi tunicas, quas erat induta legare. Obſeruauit SCRIBENTEM, *inſpexit an* SCRIPSERIT. Ita et in ipſo iure noſtro mentio ſit *filiae a matre* SCRIPTAE *heredis* (a), *teſtamenti a Titia facti, in quo* MANV SVA *quaedam cauiſſet* (b), *heredum a femina* SCRIPTORVM (c) TABVLARVM *pupillarium, a matre factarum* (d), et ſimilium: vbi fruſtra MERILLIVS intelligit teſtamenta nuncupatiua, quum et in ſcripturam redacta nuncupatione, natura tamen teſtamenti haud mutetur, nec ideo heres eſſe incipiat *ſcriptus*, qui *nuncupatus* ante fuerat, quum hic *ſcripto* in iure noſtro opponitur (e). Quidquid ergo ſit de Graecorum ſequioris aeui moribus, quantamcumque curam adhibuerint Romani, ne occulta ſcriberent mulieres: certiſſimum ſaltim eſt, eas omnino in ſcriptis condere potuiſſe teſtamenta. Quid ergo de loco PAPINIANI? Is, ſi quid video, ad legem noſtram pertinet. Femina, ſiue in ſcriptis teſtaretur, ſiue per nuncupationem, nunquam poterat teſtari tam occulte, vt heredis nomen euulgatum non iri certo poſſet confidere. Teſtamentum enim condere haud poterat, niſi auctore tutore, quamdiu erat in tutela (f). Siue ergo tutorem praeteriiſſet, ſiue eum inſtituiſſet heredem, ſiue per eumdem heredes ſcripti legitimiue praeteriti reſciſcerent, ſibi vel deſtinatam vel ademtam eſſe hereditatem: teſtamentum facile fiebat internecinum. Quare optimum pro filia conſilium capiebat pater, dum ei mandabat, ne teſtamentum faceret, *donec ſuſtuliſſet liberos*. Trium enim liberorum matres a tutela liberabantur, et ex eo tempore occulte iis teſtari licebat, adeoque ſine periculo viuere. Ita lex perſpicua videtur, et intellectu facillima.

IIII. Haec de ingenuarum tutela. Libertinae eodem fruebantur priuilegio, ſi quatuor enixae eſſent liberos, vel ius quatuor liberorum impetraſſent. Hinc in lege noſtra porro ſequitur: LIBERTINA QVATVOR LIBERORVM IVRE TVTELA LIBERATOR. Libertinae, ciuitatem Romanam conſequutae, id eſt manumiſſae teſtamento, cenſu vel vindicta, aeque ac ingenuae, in tutela perpetua erant, vel patroni, ſi ſuperſtes eſſet, vel eius filiorum, nepotumue, ſi ad plures abiiſſet. Eius tutelae ratio erat conſultiſſima. Patroni enim libertis quaſi agnati erant. Eorum hi adoptabant nomina, iis tamquam agnatis hereditatem inteſtati

(a) L. 19. *D. de inoff. teſt.*
(b) L. 37. §. 6. *D. de legat.* 3.
(c) L. 3. *C. de inoff. teſt.*
(d) L. 33. *D. de vulg. et pupill. ſubſt.*
(e) L. 21. *pr. D. qui teſt. fac. poſſ.*
(f) VLPIAN. *tit.* 20. §. 15.

BIU Cujas

ſtati relinquebant, ſi ipſis non eſſent liberi et heredes ſui. Vnde IVSTINIANVS in conſtitutione Graeca, quam e baſilicis exſcripſit CVIACIVS (a), redditurus huius ſucceſſionis rationem, ait: Ἐπειδὴ δὲ δοκοῦσι ΣΥΓΓΕΝΕΙΣ εἶναι τῶν ἐλευθερωθέντων οἱ ἐλευθερώσαντες αὐτούς. *Siquidem* AGNATI *libertorum videntur, qui illos manumiſerunt.* Quum itaque libertis tamquam agnati ſuccedant patroni: credebant veteres, *voluiſſe legem, etiam tutelas ad eos pertinere, quum et agnatos, quos ad hereditatem lex vocat, eoſdem et tutores eſſe iuſſiſſet: quia plerumque, vbi ſucceſſionis eſt emolumentum, ibi et tutelae onus eſſe debet* (b). Ex quo conſequebatur, vt et libertae in perpetua eſſent patronorum tutela, eaeque nec omnino teſtari, nec alienare, nec quidquam agere poſſent ſine eorum auctoritate.

Aſt ea tutela libertae liberabantur quatuor liberorum iure, ſiue totidem liberos eſſent enixae, ſiue id ius impetraſſent vel priuilegio vel beneficio Principis. Beneficio ſane principis id ius nonnumquam datum eſſe exemplo Corneliae Zozimae patet, cui dedicatum marmor apud GRVTERVM (c), HABENT IVS QVATTVOR LIBER. BENEFICIO CAESAR. Priuilegio contra feminis naues mercaturae cauſſa fabricantibus ius quatuor liberorum dederat Claudius Imp. teſte SVETONIO (d).

Additum in lege noſtra fuerat: EIDEM SINE AVCTORITATE PATRONI TESTARI FAS ESTO, DVM PRO NVMERO LIBERORVM SIBI SVPERSTITVM VIRILEM PARTEM PATRONO RELINQVAT. Ita enim legem *et intuliſſe* et *patrono proſpexiſſe* ait VLPIANVS (e), vt mirum ſit, poſtrema haec verba omiſſa eſſe a IAC. GOTHOFREDO, et contra ex lege Falcidia huic capiti ab eo adſutam eſſe laciniam: *eique, quibus quid ita datum legatumue ſit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto*, vt huc referre poſſet *L.* 131. *pr. D. de verb. ſign.* vbi quid fraus ſit exponit VLPIANVS, cuius tamen alio pertinuiſſe fragmentum iam ſupra ad caput legis octauum oſtendimus. Quater ergo enixa, vel ius totidem liberorum conſequuta, libere teſtabatur. Videtur quidem liberta, et cum in tutela erat, teſtari potuiſſe, ſed eodem fere iure, ac prodigus, quia patrono hereditatem nullo modo poterat interuertere. Non ei erant liberi et heredes ſui, qui excluderent patronum. Si vel liberos vel alium quemcumque heredem inſtituere vellet liberta: patronus non fiebat auctor. Idem, ne tutela ſolueretur, et ipſe hereditate excideret, illam in manum conuenire non patiebatur. Ergo non erat, quod patronus hereditatis

(a) *Obſ. Lib. XX. cap. 34.*
(b) *§. 7. Inſt. de legit. patr. tut.*
(c) *Inſcr. pag. 631. num. 2.*
(d) *Claud. cap. 19.*
(e) *Tit. XXVIIII. §. 3.*

BIU Cujas

reditatis iacturam metueret: et inde facile patet ratio, cur VLPIANVS (a) scribat: *in bonis libertae patrono nihil iuris ex edicto datur.* (Quid enim ei opus erat auxilio praetoris, quum ipse sibi posset consulere?) *Itaque si intestata moriatur liberta, semper ad eum hereditas pertinet.* Testari itaque, vti dixi, aliter non poterat, quam auctore tutore. Liberata vero tutela, heredem quemcumque iure instituebat. Ne tamen omni lucro excideret patronus, ei pro numero liberorum superstitum vel heredum relinquenda erat PORTIO VIRILIS. Melior ergo ex hac lege erat conditio libertorum, quam libertarum. Illi si non haberent C. sestertiûm, libere testabantur, et patronum iure excludebant: sin centenarii, et vel ἄπαιδες, vel vnius filii filiaeue parentes essent: dimidiam, sin duo essent liberi, portionem virilem, sin tres, nihil patronis relinquere cogebantur (b). Hae semper patrono debebant portionem virilem, siue vnum siue plures liberos haberent superstites, donec IVSTINIANVS libertos libertasque ad eamdem conditionem redegit (c).

Ceterum id priuilegium tamdiu viguit, quamdiu ipsa feminarum tutela. Ea vero mansit ad tempora saltim LEONIS Magni, qui ad Erythrium Praefectum praetorio rescripsit: (d) *constitutione diuae memoriae Constantini, lege Claudia sublata, pro antiqui iuris auctoritate, saluo manente agnationis iure, tam consanguineus, id est frater, quam patruus, ceterique legitimi ad pupillarum feminarum tutelam vocantur.* Interpolatam esse hanc Leonis constitutionem, additumque epitheton *pupillarum*, vel inde patet, quod ad legem Claudiam prouocauerat LEO, quam non ad pupillarem, sed perpetuam feminarum tutelam pertinuisse iam supra monuimus. Post Leonem tamen paullatim ab vsu recessisse videtur haec tutela, idque vel inde colligas, quod Iustinianus nullam eius volam vel vestigium in tota iuris digestione exstare passus est.

(a) *Ibid.* §. 2.
(b) §. 2. *Inst. de succeff. libert.*
(c) §. 3. *Iust. eod.*
(d) L. 3. *C. de legit. tut.*

BIU Cujas

* * * * * * * * * * * *

CAPVT XII.

AD CAPVT LEGIS DECIMVM TERTIUM.

DE DIVORTIO LIBERTAE PROHIBITO.

I. *Caput* XIII. *de diuortio libertae egit.* II. *Gothofredus illud multis laciniis auxit. Eius legitima verba.* III. *Diuortia initio permissa viris, non vxoribus. Hae quando a viris diuertere coeperint? Locus Martialis expositus. Libertae non licebat a patrono diuertere. Quaenam libertae, et qui patroni intelligantur? An desponsatae patronis repudium dare potuerint? an concubinae recte a patrono discesserint?* L. 1. pr. D. de concub. exposita. *An de concubina aliquid in lege fuerit? Quando cesserit hoc ius patronorum?* IIII. *Lacinia de genero ac socero a Gothofredo adsuta quo pertineat?*

I. SVperiori capiti illud proxime subiunctum fuisse videtur, quod itidem ad libertinas, et quidem patronis nuptas pertinuit, easque a viris prohibuit diuertere. Quamuis enim vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS id ipsi capiti septimo praemittat, huc tamen potius illud pertinere vel ideo arbitramur, quod VLPIANVS (a) et MARCELLVS (b) libro demum tertio, PAVLLVS (c) libro II. commentariorum de hoc patronorum priuilegio egerunt.

II. Et GOTHOFREDVS quidem, quamuis legitima huius capitis verba exstent, illis tamen varias lacinias adsuere non dubitauit, ipsumque caput tale fuisse fingit:

> *Si secundum H. L. nuptiae contractae fuerint,* DIVORTII FACIVNDI POTESTAS LIBERTAE, QVAE PATRONO NVPTA EST, INVITO PATRONO, *cumque altero connubii ius,* QVAMDIV PATRONVS VXOREM EAM ESSE VOLET NE ESTO. GENER SOCERVE *inuiti in reos testimonium ne dicunto. Liberta quae patroni voluntate nupta erit, operarum obligatione liberator. Quae in concubinatu patroni erit, ab*

(a) VLP. *Lib.* III. L. *vlt. D. de diuort.* L. 27. L. 29. L. 48. *D. de rit. nupt.*

(b) MARCELL. *Lib.* III. L. 50. *D. de rit. nupt.*

(c) PAVLL. *Lib.* II. L. 2. *D. de concub.* L. 63. *D. sol. matr.*

BIU Cujas

ab inuito eo discedere, alterique se in matrimonium vel concubinatum dare ius esto.

Enimuero eum rem acu tetigisse vix arbitror. Quamuis enim primo hanc formulam: *Si secundum* H. L. *nuptiae contractae fuerint*, sollemnem fuisse largiamur legi Papiae Poppaeae, non tamen est, cur eam hic locum habuisse existimemus, quum statim sequatur: QVAE PATRONO NVPTA EST. Deinde nemo temere crediderit, ei capiti aliquid de generi soceriue priuilegio in dicendo testimonio additum fuisse, quum et ex alia lege Iulia id priuilegium descendat, et cum capite nostro vix quidquam habeat commercii. De liberta porro ab operis liberanda non hoc caput egit: sed longe posterius, quod nobis XXXVIIII. vti suo loco demonstrabimus. Denique quae de liberta concubina addidit GOTHOFREDVS, ea et parum accurate expressa, et non tam ex ipsa lege, quam eiusdem interpretatione esse, paullo post adparebit. Quae quum ita sint, collatis inter se fragmentis VLPIANI, (a) ita potius restituenda arbitramur legitima huius capitis verba:

NE DIVORTII FACIVNDI POTESTAS LIBERTAE, QVAE NVPTA EST PATRONO, QVAMDIV IS EAM VXOREM ESSE VOLET, NEVE INVITO ILLO ALII NVBENDI POTESTAS ESTO.

Sic ergo id vnum hoc capite cauetur, ne liberta, patrono nupta, ab illo inuito diuortat, aliique se det in matrimonium.

III. De ea re lex ait: NE DIVORTII FACIVNDI POTESTAS LIBERTAE ESTO. Diuortiorum, vti in vulgus notum, magna erat apud Romanos licentia, maxime, ex quo vxores in manum conuenire coeperant paullo rarius. Saltim olim maritis non sine causa sontica: vxoribus nullo modo diuortia permiserat Romulus, vti iam PLVTARCHVS (b) obseruauit. Quam legem et in XII tabulas migrasse, e loco CICERONIS (c) colligunt. Sed et PLAVTI (d) temporibus nondum vxoribus ius videtur fuisse diuortendi a maritis. Apud illum enim grauiter conqueritur Syra:

Ecastor, lege dura viuunt mulieres,
Multoque iniquiore miserae, quam viri.

(a) VLP. *Lib. III. L. vlt. pr. D. de divort.* L. 45. *pr. D. de rit. nupt.*
(b) *In Romulo pag. 39.*
(c) *Philipp. II. cap. 28.*
(d) *Mercat. Act. IIII. Scen. 6. v. 1. sequ.*

BIU Cujas

Nam si vir scortum duxit, clam vxorem suam,
Id si resciuit vxor, impune est viro:
Vxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit CAVSSA, *exigitur matrimonio.*
Vtinam lex esset EADEM, *quae* VXORI *est, viro!*

Et paucis interiectis: (a)

Ecastor faxim, si itidem plectantur viri,
Vti ILLAE EXIGVNTVR, *quae in se culpam commerent,*
Plures viri sint VIDVI, *quam nunc mulieres.*

Tantum ergo abest, vt primis reip. temporibus a maritis diuortere potuerint vxores, vt Sp. Caruilium mirarentur Romani, anno ab V. C. circiter quadringentesimo, vxorem primum repudiantem, ceu DIONYSIVS HALICARN. (b) PLVTARCHVS (c) et VALER. MAXIMVS (d) referunt. Ast posteaquam rarius, vti dixi, vxores conuenire coeperunt in manum; hae quoque maritis repudium mittere, aliisque nubere religioni sibi non ducebant. Exemplum Paullae Valeriae est apud CICERONEM, (e) quae *diuortium sine vaussa fecerat, quo die vir e prouincia venturus erat, nuptura D. Bruto.* Similia repudia tam frequenter paullatim mitti coeperant, vt in ea passim inuehantur auctores grauissimi. SENECA (f) sane: *Numquid iam*, inquit, *vlla repudio erubescit, postquam illustres feminae non consulum numero, sed* MARITORVM, *annos suos computant, et exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii?* Et IVVENALIS: (g)

- - - *Sic fiunt* OCTO MARITI
Quinque per auctumnos. - - -

Denique MARTIALIS: (h)

- - - *Toties quae nubit, adultera* LEGE *est,*
Offendar moecha simpliciore minus.

Qui postremus locus ex ipsa lege nostra videtur interpretandus, qua Augustum

(a) *Ibid. v.* 10. *sequ.*
(b) *Lib. II. pag.* 96.
(c) *In Romulo p.* 39. *et in Numa p.* 77.
(d) *Lib. II. cap.* 1.
(e) *Lib. VIII. ad Famil. Epist.* 7.
(f) *Lib. III. de Benef. cap.* 16.
(g) *Sat. VI. v.* 20.
(h) *Lib. VI. Epigr.* 7.

BIU Cujas

Auguſtum diuortiis modum impoſuiſſe, teſtis locupletiſſimus eſt SVETONIVS. (a) Si qua ergo mulier ſine iuſta ac legitima cauſſa, viro miſiſſet repudium, aliique nupſiſſet: adultera habebatur, quia nec prius matrimonium iuſte ſolutum, nec poſterius ratum erat. Id ſi vxor feciſſet ſaepius, non ſimplex erat adultera, ſed quauis moecha deterior, pluribuſque probris inquinata.

Quamuis vero iſte mos inualuiſſet, vt frequenter vxores a viris diuorterent: non tamen DIVORTII FACIVNDI POTESTAS *erat* LIBERTAE, QVAE PATRONO NVPTA ERAT. Loquitur lex de LIBERTA, et quidem de ciue Romana per cenſum vel vindictam manumiſſa. Cum ea ſola enim connubii ius erat, non cum Latina vel dedititia. Loquitur porro de ea, quae ius aureorum annulorum non fuerat conſequuta. Licet enim et id beneficium iura patronatus nemini adimeret: ex libertina tamen faciebat ingenuam, (b) et quum nuptiae ad ius patronatus non pertineant, vix videbatur ad eam porrigendum, quod de ſola liberta lege cautum fuerat. Et huc procul dubio pertinet fragmentum VLPIANI: (c) *Etiam* FEMINAE *ius annulorum aureorum impetrare, et natalibus reſtitui poterunt.* Nec deinde ad eam libertam pertinebat hoc priuilegium, quae libertatem ex fideicommiſſo fuerat conſequuta. Ita enim a principe reſcriptum eſſe teſtatur MARCELLVS, (d) cuius haec verba ſunt: *Proxime conſtitutum dicitur, vt quum quis libertam ſuam duxerit vxorem, quam* EX FIDEICOMMISSI CAVSSA *manumiſerit, liceat libertae inuito eo nuptias contrahere: puto, quia non ferendus*, (forſan *praeferendus*) *is, qui ex neceſſitate manumiſit, non ſuo arbitrio: magis enim debitam libertatem praeſtitit, quam vllum beneficium in mulierem contulit.* Hactenus MARCELLVS, qui quum Antonini Pii aetate potiſſimum floruerit, ab eoque Imperatore, teſte IVLIO CAPITOLINO in ſanciendo iure adhibitus fuerit in conſilium, et tamen de conſtitutione iſta, tanquam ſibi non niſi ex fama nota ſcribat: *Proxime conſtitutum dicitur*: veroſimile eſt, auctorem illius eſſe Hadrianum. Meminit eiuſdem exceptionis MODESTINVS, (e) vbi patrono inuito libertam ab eo diſcedere poſſe negat, *niſi* EX CAVSSA FIDEICOMMISSI *manumiſſa ſit: tunc enim poſſe, licet eius ſit liberta.* Contra non licebat libertae communi ab alterutro, cui nupſerat patrono diſcedere. Quamuis enim ei id ius vindicaſſet Priſcus Iauolenus: plerique tamen, teſte CAIO, (f) recte probarunt, libertam eo caſu ad

(a) *Aug. cap.* 34.
(b) L. *pen. et vlt. D. de iur. aur. ann.*
(c) VLP. *Lib.* III. L. 4. *D. eod.*
(d) MARCELL. *Lib.* III. L. 50. *D. de rit. nupt.*
(e) L. 10. *D. de diuort.*
(f) L. 46. *D. de rit. nupt.*

BIU Cujas

hoc ius non esse admittendam, *quia libertam eius esse, negari non possit, licet alterius quoque sit liberta.*

Addit lex: QVAE PATRONO NVPTA ERIT. Patronus est, qui manumisit eum eamue, quem quamue in iusta seruitute habuerat. Nec interest, diuturna fuerit haec seruitus, an momentanea. Vnde et is patronus erat, *qui hac lege emerat, vt manumitteret.* (a) Quod ius quidem VLPIANVS ex rescripto Imperatoris sui et diui patris eius, id est, ex constitutione Antonini Caracallae et Seueri esse ait: sed simile quid iam olim a Marco Aurelio Antonino et Commodo constitutum esse, ex aliis VLPIANI fragmentis, (b) et rescripto ALEXANDRI (c) patet. Vnde malim existimare, Seuerum, et Caracallam hoc ius nouis constitutionibus renouasse, quam sollicitare textum, et cum HALOANDRO in *d. L. 45. D. de rit. nupt.* legere *D. Marci* pro *D. patris.*

Deinde et filius familias hoc iure gaudebat, si castrensis peculii ancillam matrimonii caussa manumisisset. Erat enim et hic, patronus secundum constitutiones, nec patri eius vllum ius in libertam competebat, vti censet VLPIANVS. (d) Quaerit idem, an pari iure fruatur, qui iurauerit, se patronum esse? idque negat, (e) quum alibi id videatur diserte adfirmare. (f) Sed omnino arbitror veteres discreuisse iura patronatus, quae in sola reuerentia consistunt, ab iis, quae cum praestationibus quibusdam essent coniuncta. Quorum illa et ei, qui sese patronum esse iurauerat, concedenda; haec eidem deneganda existimabant. Hinc nolebant quidem eum, qui se patronum esse iurauerat, in ius vocari; at minime illi concesserunt ius succedendi ab intestato, (g) nec passi sunt ab eo impediri libertam, meditantem diuortium, et in alterius torum concessuram.

Negat praeterea VLPIANVS, eum hoc iure frui, qui non suis numis compararit ancillam, quam manumisit, (h) vel ab alio, vt manumitteret, pecuniam acceperit. (i) Ast in diuersa itum video circa quaestionem, an et captiuo patrono ius sit, intercedere secundis nuptiis libertae, sibi nuptae? De ea enim specie ita differit VLPIANVS: (l) *si ab hostibus patronus captus esse proponatur, vereor, ne possit ista connu-*

(a) VLP. *Lib. III.* L. 45. *pr. D. de rit. nupt.*
(b) L. 3. §. 3. *D. de suis et legit.* L. 10. *pr. D. de in ius voc.*
(c) L. 3. *C. si mancip. ita fuerit alien.*
(d) VLP. *Lib. III.* L. 45. §. 3. *D. de rit. nupt.*
(e) IB. L. 43. §. 1. *D. eod.*
(f) L. 8. §. 1. *D. de in ius voc.*
(g) L. 14. *D. de iure patr.*
(h) VLP. *Lib. III.* L. 45. §. 2. *D. de rit. nupt.*
(i) L. 3. §. 4. *D. de oper. libert.*
(l) VLP. *Lib. III.* L. 45. §. *vlt. D. de rit. nupt.*

BIU Cujas

connubium habere nubendo, quemadmodum haberet, si mortuus esset. Et, qui IVLIANI *sententiam probarent, dicerent, non habituram connubium, putat enim* IVLIANVS, *durare eius libertae matrimonium etiam in captiuitate propter patroni reuerentiam. Certe si in aliam seruitutem patronus sit deductus, procul dubio dissolutum erit matrimonium.* Fuere itaque qui id ius patrono esse cum Iuliano concederent: fuere, qui illud eidem negarent. VLPIANVS, qua erat modestia, timidiuscule Iuliani sententiam deserit, vsus formula: *vereor ne possit*, qua vsos esse veteres, qui inter dissentientes proferebant sententiam, exemplis ostendit FR. DVARENVS. (a) Existimat itaque, ex principiis iuris omnino exspirasse captiui patroni ius in libertam, eamque impediri non posse, quo minus sibi nouam conditionem quaerat: saltim id certum esse, si Patronus in aliam seruitutem fuerit ductus, veluti si seruus poenae factus atrocitate sententiae, vel si pretii participandi caussa se passus sit venumdari. Denique quum ius patronatus non solum ad manumissorem, sed et ad eiusdem liberos pertineret: consequens erat, vt et filius familias ancillam a patre manumissam, quam vxorem duxerat, posset impedire, quo minus a se discederet, aliamque conditionem matrimonio suo anteferret. Idemque dicendum videbatur, si alterius patroni filius, viuo altero, communem libertam duxisset (b). Si filiusfamilias iussu patris ancillam matrimonii caussa manumiserat, eamque deinde duxerat pater: ea liberta, IVLIANO (c) iudice, perinde habebatur, atque si ab ipso patre esset manumissa, et proinde, pater qui eam vxorem duxerat, hoc beneficio legis Papiae Poppaeae aduersus illam recte vtebatur. Denique id ius non erat illi, qui libertam fratri adsignatam a patre vxorem duxerat, quia omne ius libertorum adsignatorum in eum transtulerat, senatus, cui id pater tribuisset. (d)

Non abs re lex nostra porro addit QVAE PATRONO NVPTA EST. Vbi enim iustae nuptiae non interuenerant, nec beneficio huic locus esse videbatur. Hinc non impediebat lex, quo minus desponsa liberta patrono mitteret repudium (e), aliique nuberet. Inuitam enim patronus ducere non poterat, neque eousque porrigenda videbatur debita patrono reuerentia, vt liberta inuita cum eo indiuiduam vitae consuetudinem inauspicato inire cogeretur (f), nisi ea lege manumissa esset, vt patrono nuberet (g). Quid vero si is, cui per leges libertam ducere nefas erat, eandem tamen pleno adfectu diligeret, ac pro vxore haberet?

(a) *Disp. anniuers. Lib. II. Disp. XI.*
(b) L. 48. *pr. D. de rit. nupt.*
(c) L. 51. §. 1. *D. eod.*
(d) L. 48. §. 2. *D. eod.*
(e) VLP. *Lib. III.* L. 45. §. 4. *D. eod.*
(f) L. 28. *D. de rit. nupt.*
(g) VLP. *Lib. III.* L. 29. *D. eod.*

BIU Cujas

haberet? Ea tantum abeſt, vt a patrono diſcedere non poſſet, vt ne liceret quidem patrono, eamdem habere in matrimonio, quamdiu id maneret impedimentum. Sin autem patronus v. c. ſenator, libertinae iunctus eam dignitatem amiſerat: in ea conditione erat liberta, vt vxor eſſe inciperet, ex eoque ſequebatur, vt iam ab eo tempore patronus, ſenatu motus, eam meditantem diuortium iure prohiberet. Et haec ipſa ſpecies eſt, quam ad hoc legis caput tractauit VLPIANVS (a), dum ſcribit: *ſi quis in ſenatorio ordine agens libertinam habuerit vxorem, quamuis interim vxor non ſit, attamen in ea conditione eſt, vt, ſi amiſerit dignitatem,* VXOR ESSE INCIPIAT.

Ob eamdem rationem patrono denegabatur id beneficium, ſi contra legis praeſcriptum feciſſet nuptias cum liberta, quae artem ludicram, aut quaeſtum corpore feciſſet (b). Sed quid de liberta concubina dicamus? IAC. GOTHOFREDVS, vti ſupra vidimus, eam quoque a patrono diſcedere, et alii vel nubere vel ſeſe in concubinatum dare potuiſſe ſtatuit. Sed falſum primo eſt, ea de re legem noſtram quidquam cauiſſe: nec magis deinde verum videtur, libertae ex concubinatu patroni in alterius cuiuſdam matrimonium tranſire fuiſſe integrum. Fraudi viro eximio fuit locus hic vexatiſſimus VLPIANI (c), quem expendere iuuabit paullo accuratius. *Quae in concubinatu eſt, ab inuito patrono poterit diſcedere, et alteri ſe in matrimonium aut in concubinatum dare. Ego quidem probo in concubina, adimendum ei connubium, ſi patronum inuitum deſerat, quippe quum honeſtius ſit patrono, libertam concubinam, quam matremfamilias habere.* Verba haec paene perplexa quibuſdam et ἀνεπλεγόμενα videntur. Initio enim legis VLPIANVS concubinam ab inuito patrono diſcedere, aliique aut nubere aut ſe in concubinatum dare poſſe concedit: deinde vero ſtatim ſubiungit contrarium, adimendum eſſe libertae connubium, ſi patronum inuitum deſerat. Id quod adeo torſit interpretes quoſdam, vt prius comma plane expungere non dubitarent (d). Accedit, quod VLPIANVS in hac lege concubinae patronum inuitum deſerenti concedat, vt alii ſe poſſit in concubinatum dare, quum tamen alibi (e) cum IVLIANO diſerte ſcribat, *eam nec* IN CONCVBINATV *alterius patroni*, (*vel* vti HALOANDER reſcribi iubet, *alterius, quam patroni*,) *eſſe poſſe.* Denique vix adparet, quomodo huic deciſioni VLPIANI quadret addita ratio: *Quippe quum honeſtius ſit patrono, libertam concubinam, quam matremfamilias habere.* Enimvero vix eſt, quod nodum in ſcirpo quaeramus. Pleriſque, ſi quid video, vna

(a) VLP. *Lib. III. L. 25. D. de rit. nupt.*
(b) *L. 48. §. 1. D. eod.*
(c) *L. 1. pr. D. de concubin.*
(d) SCHARD. *Lex. iurid. voce* concubina.
(e) VLP. *Lib. III. L. 11. pr. D. de diuort.*

BIU Cujas

vna littera perperam posita illusit. Prima periodus nec adulterina est, nec, quod IAC. GOTHOFREDO visum, VLPIANI complectitur sententiam: sed est ipsa quaestio, quam proponit iureconsultus. Quaerit VLPIANVS: *quae in concubinatu est*, AN (ita lego pro AB) *inuito patrono poterit discedere, et alteri se aut in matrimonium, aut in concubinatum dare?* Dissensisse enim circa hanc quaestionem veteres, vel ex IVLIANI sententia patet, qui libertae ne concubinatum quidem, nedum matrimonium cum alio, quam cum patrono, concedit (a). Quid vero VLPIANVS? *Ego quidem*, inquit, *probo in concubina, adimendum ei connubium, si patronum inuitum deserat.* Negat ergo, concubinam, patrono deserto, alii nubere posse, ast non, vti IVLIANVS, negat, eamdem se alii in concubinatum dare posse, addita ratione, *quippe quum honestius sit patrono, libertam concubinam, quam matremfamilias habere.* Quorum verborum non is sensus est, quem ei vulgo adfingunt interpretes, et in his vir eximius, BARN. BRISSONIVS (b), ac si honestius sit patrono, libertinam in concubinatu habere, quam in matrimonio: (ea enim ratio ἀπερισσολογίαν esset, nec quadraret decisioni VLPIANI,) sed id innuit VLPIANVS, honestius esse patrono, concubinam quae ab eo inuito discesserit, alterius concubinam esse, quam ad dignitatem matrisfamilias adspirare, eumque fructum capere illatae patrono iniuriae, vt melioris apud virum alterum conditionis sit, quam apud patronum.

Ita textus VLPIANI nihil habet, quod offendere possit. Iam id addo, libertam concubinam ne tunc quidem in concubinatum se dare potuisse alii, si patronus furere coeperit. Ita enim PAVLLVS (c) non in libro XII. ad legem Iul. et Papiam, (quum decem tantum scripserit,) sed in libro II. *si patronus libertam concubinam habens furere coeperit: in concubinatu eam esse*, (id est concubinatum furore non solui, nec libertam se alii vel in matrimonium, vel in concubinatum dare posse) *humanius dicitur.* Cuius decisionis hanc rationem reddit VLPIANVS (d), quod *inuitus accipiatur non solum, qui dissentit, verum etiam, qui non consentit*, adeoque et ignorans et furiosus.

Ceterum libertae tamdium non licebat a patrono discedere, QVAMDIV PATRONVS EAM VXOREM ESSE VELLET. Quare patronus hoc excidebat beneficio, simul ac vel patronus esse, aut cum liberta in

(a) L. 11. *pr. D. de diuort.*
(b) *De iure connub. pag.* 260.
(c) PAVLL. *Lib. II. L.* 2. *D. de concubin.*
(d) VLP. *Lib. III. L.* 45. §. 5. *D. de rit. nupt.*

BIU Cujas

matrimonio viuere velle desiisset (a). Velle autem desiisse videbatur, non solum qui libertae diuortium diserte concessisset, verum etiam, qui quidquam fecisset, ex quo posset colligi, eum a libertae nuptiis abhorrere: veluti qui contra discedentem actionem rerum amotarum instituisset, vel eamdem accusasset adulterii, vel noua fecisset sponsalia, vel concubinam aliam sibi adhibuisset (b).

Denique in lege sequitur, *libertae* NEC ALII, PATRONO INVITO, NVBENDI POTESTATEM *esse*. Quod si itaque in alterius torum concesserat: cuicumque nupsisset, pro non nupta habebatur, et nec dos, nec nuptiae intelligebantur. Hinc etiam, soluta altera coniunctione illegitima, denegabatur ei dotis actio (c). Et ex eadem ratione liberos ex isto coitu natos legitimos haud fuisse, facile est ad intelligendum. Quamuis autem liberta, discedens a patrono inuita maneret vxor, diuortiumque ipso iure nullum esset: in poenam tamen illatae patrono iniuriae eorum commodorum faciebat iacturam, quae alioquin vxoribus competunt. Hinc negabatur ei bonorum possessio ex edicto VNDE VIR ET VXOR. De qua VLPIANVS (d): *si diuortium quidem sequutum sit, veruntamen iure durat matrimonium: haec successio locum non habet. Hoc autem in huiusmodi speciebus procedit; Liberta ab inuito patrono diuortit:* LEX IVLIA *de maritandis ordinibus retinet istam in matrimonio, dum eam prohibet alii nubere inuito patrono. Item Iulia de adulteriis, nisi certo modo* (adhibitis praeter libertum septem testibus,) *diuortium factum sit, pro infecto habet.* Nec dubito, quin huius modi libertae, tamquam indignae eripuerit fiscus, quidquid ante isthoc diuortium ei patronus secundum leges decimarias testamento destinauerat.

IIII. Addit huic capiti GOTHOFREDVS verba: GENER SOCERVE *inuiti in reos testimonium ne dicunto.* Sed ab ea hoc loco aliena esse et ad caput VI. pertinere, iam supra obseruauimus. Explicat quidem TER. CLEMENS in *lib. II. commentariorum* (e) vocabula SOCER et SOCRVS: sed legem eis id dedisse vt aduersus se inuicem soceri et generi nurusue testimonium dicere non cogerentur, id vero non addit. Nec id priuilegium ex lege PAPIA POPPAEA est, sed, vti ex PAVLLI (f) et CAII (g) commentariis, aliisque locis (h) constat, ex lege Iulia de iudiciis publicis. Qua occasione vero iureconsulti huius iuris meminerint, iam ad caput sextum ostendimus.

CAPVT

(a) VLP. *Lib.* III. L. 11. §. 1. *D. de diuort.*
(b) IB. L. 11. §. 2. *D. de diuort.*
(c) IB. L. 11. *pr. D.*
(d) L. 1. §. 1. *D. unde vir et vxor.*
(e) L. 146. *D. de verb. sign.*
(f) L. 4. *D. de testib.*
(g) L. 5. *D. eod.*
(h) L. 10. *pr. D. de grad. et affin.*

BIU Cujas

* * * * * * * * * *

CAPVT XIII.

AD CAPVT LEGIS DECIMVM QVARTVM.

DE TVTORE MVLIERI DOTIS CAVSSA DANDO.

I. CAput decimum quartum quale fuerit? II. Dotis apud Romanos ratio. Quid dotem dare, dicere, promittere? Tutoris ad id datio. Cur praetori, et non simul tribunis plebis id negotium datum? III. Tria SCta, quae ad hanc legem accesserunt. Eiusdem abrogatio.

I. QVaecumque hactenus expendimus legis Papiae Poppaeae capita, ea omnia in tribus prioribus VLPIANI et TER. CLEMENTIS commentariis locum habuerunt. Quum vero adhuc vnicum ex libro III. superſit TER. CLEMENTIS (a) fragmentum, quod de tutore dotis cauſſa dato agit: de ſequentibus autem capitibus omnibus aliis libris agatur: non abs re ſuſpicamur, decimum quartum legis caput egiſſe de tutore ad dotem dandam, dicendam, promittendamue dato. Et quia ex nullo fragmento Pandectarum, quale id fuerit, ſuſpicari licet: veroſimile ſane eſt, illud fragmentum TERENTII ad ius, Iuſtiniani temporibus abrogatum, pertinuiſſe. Tale vero eſt, quod nobis ita deſcribit VLPIANVS (b): *ex lege* IVLIA *de maritandis ordinibus tutor datur a praetore vrbis ei mulieri virginiue, quam ex hac ipſa lege nubere oportet, ad dotem dandam, dicendam, promittendamue, ſi legitimum tutorem pupillum habeat.* Ex his ergo verbis, quibus TER. CLEM. fragmentum accurate quadrat, tale fuiſſe patet hoc decimum quartum legis noſtrae caput:

> *Ei mulieri virginiue, quam ex H. L. nubere oportebit, tutor ad* DOTEM DANDAM, DICENDAM PROMITTENDAMVE, *ſi legitimum tutorem pupillum habeat, a praetore vrbano dator.*

Eodem modo hoc caput, quod ipſi quintum eſt, extulit IAC. GOTHOFREDVS, niſi quod vltima verba, CHARONDAM ſequutus ita ſiſtit:

(a) *Lib. III. L. 61. D. de iur. dot.* (b) *Fragm. tit. XI. §. 20.*

BIU Cujas

si legitimum tutorem non habeat: quae tamen lectio, et codici TILIANO, in quo noſtra occurrit (a), plane aduerſatur.

II. Dabatur ergo ex hac lege tutor MVLIERI VIRGINIVE QVAM EX H. L. NVBERE OPORTEBAT, adeoque tam impuberi quam viri potenti. Quamuis enim legitimus annus, quo femina nubere poſſet, ex capite huius legis quinto eſſet duodecimus: eodem tamen loco monuimus, etiam infantia maiores potuiſſe deſponderi, et ſaepe deſponſas eſſe, adeoque et dotem procul dubio recte ab iis datam, dictam promiſſamue eſſe. Quorum nihil explicari ab iis poterat, ſine auctoritate tutorum. Ad feminas vero adultas et maiores id caput pertinuiſſe, vel ideo nemo negauerit, quod eas in perpetua vixiſſe tutela, nec quidquam ſine tutorum auctoritate promittere aut alienare potuiſſe, iam ſupra oſtendimus.

Hic porro in lege ſequitur: TVTOR AD DOTEM DANDAM, DICENDAM PROMITTENDAMVE DATOR. Dotis apud Romanos longe alia ratio erat, ac apud alias gentes. Pleraeque olim nationes iis moribus vtebantur, vt maritus ſibi coëmeret vxorem. De Hebraeis, Syris, aliiſque gentibus orientalibus res clara eſt. Sane Saul pro filia Michol popoſcit centum Philiſtaeorum praeputia (b). Calebus filiam Axam ei promiſit, qui capturus eſſet Cariath Sepher (c): quam operam pro pretio ſponſae fuiſſe obſeruat V. C. Io. DOVGHTAEVS (d). Ita et Iacobi vxores ſe a Labane patre venditas, id eſt, pro opera quatuordecim annorum marito addictas conqueruntur (e). Apud Aſſyrios patres mercatum filiarum inſtituiſſe, docet AELIANVS (f), idemque de Armeniis IVSTINIANVS (g) tradit. Similia de Germanis noſtris obſeruat TACITVS (h) ex quo, nec non ex legibus, a Lindenbrogio editis, conſtat, pleraſque originis Germanicae gentes hunc morem ſeruaſſe quam diutiſſime, vt vxores ſibi pretio coemerent, et dotem non vxor marito, ſed maritus vxori adferret (i).

Dotem itaque apud pleraſque gentes non vxor marito, ſed maritus vxori conſtituebat: Haec vero ſi quid adferret ad maritum, id ideo fiebat, quia moribus antiquis non filiae ſed filii parentum hereditatem cerne-

(a) CVIAC. *ad Vlp. eod. et Lib. XXVII. Obſ. cap.* 28.
(b) 1. *Sam. XVIII.* 25.
(c) *Ioſ. XV.* 16.
(d) *Annal. S. ad* 1. *Sam. XVIII.* 25.
(e) *Gen. XXXI.* 14.
(f) *Hiſt. var. Lib. IIII. cap.* 1.
(g) *Nou. XXXI.*
(h) *de Mor. Germ. cap.* 18.
(i) *V.* C. NIC. HIER. GVNDH. *de emt. vx. cap.* 1.

BIU Cujas

cernerent, ceu praeclare docuit V. C. IAC. PERIZONIVS (a). Hinc aliquid dabatur filiabus, quo augerent virorum patrimonium, ne plane exsortes essent bonorum paternorum, quale quid etiamnum inter principes passim obtinere nouimus.

Ast apud Romanos alia erat dotis natura et indoles. Ii enim ante legem Voconiam, et postea, quum eam ciuitatis opulentia peruertisset, filias aeque ac filios ad successionem in bona paterna vocabant, et nihilominus illis dabant dotes, quas ad sustinenda matrimonii onera ad virum adferrent. Nimirum apud Romanos et vxor maritum, et maritus vxorem coëmebat. De coëmtione mariti praeclarus locus VARRONIS exstat apud NONIVM (b), vbi *nubentes*, *veteri* lege *Romana*, *tres asses ad maritum venientes ferre solitas*, ait, *quorum unum*, *quem in manu tulerint* EMENDI CAVSSA, *marito dederint*; *alterum*, *quem in pede habuerint*, *in foro larium familiarium posuerint*, *tertium*, *in sacciperione conditum*, *in compito vicinali consueuerint resignare*. De vxoris vero coëmtione et marmora testimonium perhibent, et in illis Patauinum, in quo legimus:

PVBL. CLAVD. QVAEST.
AER.
ANTONINAM. VOLVMNIAM.
VIRGINEM.
VOLENT. AVSPIC.
A. PARENTIBVS. SVIS. COEMIT.
ET. FAC. IIII. IN. DOM.
DVXIT.

Quemadmodum vero illi tres asses, quos secum noua nupta adferebat, quasi arrha erant emtionis: ita dos veluti iustum pretium habebatur: eoque fiebat, vt, quamdiu iste coëmtionis ritus Romae vigebat, vix maritum reperiret virgo indotata. Hinc apud PLAVTVM (c) Euclio:

Virginem habeo grandem; DOTE CASSAM *atque* ILLOCABILEM!
Neque eam queo locare cuiquam.

(a) *De lege Voc. pag.* 87.
(b) *Cap.* 22. *num.* 1.
(c) *Aulul. Act. Scen. II. v.* 14.

BIU Cujas

Quin et postea vix virum inueniebat indotata, adeo vt PAVLLVS (a) noster scribat: *Reipublicae nostrae interest, mulieres dotes saluas habere,* PROPTER QVAS *nubere possunt.* Si qua vero indotata reciperetur in torum: ea magis concubina videbatur, quam materfamilias. Et ita intelligenda illa Lesbonici apud PLAVTVM (b):

Nolo ego mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leues,
Sed vt inops, infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in CONCVBINATVM *tibi*
Sic SINE DOTE *dedisse magis, quam in matrimonium.*

Hinc quamuis nec dos nec domum deductio faceret nuptias: plerumque tamen illae e dotalibus instrumentis iudicabantur, non secus ac hodie ex ἐκφωνήσει ecclesiastica. Quod pluribus demonstrare non opus est.

Dos illa vel DABATVR, vel DICEBATVR, vel PROMITTEBATVR. *Dabatur* et *promittebatur* a quocumque: *Dicebatur* a muliere nuptura, eiusue debitore, itemque patre vel auo paterno (c). DABATVR ita, vt pecunia dotalis consignata pridie nuptias apud auspices deponeretur, in crastino nuptiarum viro tradenda: quemadmodum Messalina super flagitia cetera atque dedecora etiam C. Silio nupsisse dicebatur, DOTE *inter auspices* CONSIGNATA (d): quod et TACITVS (e) confirmat, et IVVENALIS (f), qui plane iuridice:

- - - Dudum, inquit, *sedet illa parato*
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et RITV *decies centena* DABVNTVR.
ANTIQVO, *veniet cum* SIGNATORIBVS AVSPEX.

DICTIO DOTIS fiebat verbis sollemnibus (g), nulla tamen praecedente hanc obligationem interrogatione, vti obseruauit CAIVS (h). Quamuis enim haec conciliare sibi non posse videatur vir summus, CL. SALMASIVS (i), et ideo, sollemnia verba vel ideo interceſſisse neget, quod stipulatio non fuerit adhibita: eum tamen hic fugit ratio, parum quippe cogitantem, non sola stipulatione verborum obligationem constitisse,

(a) L. 2. *D. de iure dot.*
(b) *Trin. Act. III. Scen. II. v. 62.*
(c) VLPIAN. *Tit. VI. §. 1. 11.*
(d) SVET. *Claud. cap. 26.*
(e) *Annal. Lib. XI. cap. 27.*
(f) *Sat. X. v. 329.*
(g) L. 3. *C. Theod. de inc. nupt.*
(h) *Inst. Lib. II. tit. 9. §. 3.*
(i) *de Modo vsur. cap. 16.*

BIU Cujas

constitisse, sed et aliis modis, veluti dotis dictione, et promissione operarum iurata, de quibus modis, quos Tribonianus silentio transmittit, CAIVS (a) agit paullo accuratius. Credibile autem est, dotem dicturum expressisse summam, eamdemque acceptasse sponsum, quemadmodum apud TERENTIVM (b) Chremes:

- - - Dos, inquit, *Pamphile est*
Talenta quindecim.

Cui Pamphilus statim respondet: *Accipio.* Similes fere formulae in iure nostro (c) passim occurrunt.

PROMITTI denique dos solebat a quocumque, dum promittens interrogatus responderet et stipulato promitteret. Cuiusmodi promissionis exemplum est apud PLAVTVM (d):

LY. *Isthac lege, cum ista dote, filiam tuam sponden' mihi vxorem dare?*
CA. *Spondeo.*

Nihil vero horum sine auctoritate tutoris explicari potuisse ab ipsa muliere, iam supra monuimus: idemque confirmat CICERO (e): *Dotem Valeria pecuniam omnem suam dixerat. Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderis illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit, quaecumque* SINE HOC AVCTORE *est dicta* DOS, *nulla est.* Quum vero contingere posset, vt legitimus tutor quem habebat nuptura mulier, adhuc esset impubes: eo casu tutor ei ex hac lege dabatur ad dotem *dandam, dicendam, promittendamue.* Nullum huius tutoris in pandectis nostris exstat vestigium, sed eum fere vbique expunxit Tribonianus, quia eius temporibus illa mulierum tutela plane ab vsu recesserat. Seruauit tamen nobis nescio quo fato fragmentum TER. CLEMENTIS (f), sed interpolatum, siquidem in eo *curatoris dotis dandae caussa constituti* meminit, loco *tutoris*. Ex eo autem primo discimus, vanam fuisse dotis promissionem, licet auctore tutore factam, si amplius doti promissum esset, quam facultates mulieris valerent, siquidem quod amplius erat promissum, quam promitti oportuerat, infirmari solebat. Deinde ex eodem textu patet (g), tutorem huiusmodi res quidem mulieris dotis nomine tradere, non autem easdem in id vendere potuisse,

(a) *Ibid.* §. 3. 4.
(b) *And. Act. V. Scen. IV. v.* 47.
(c) L. 25. L. 44. §. 1. L. 46. L. 57. L. 59. D. de iur. dot.
(d) *Trinum. Act. V. Scen. II. v.* 39.
(e) *Pro Flacc. cap.* 34. *sequ.*
(f) TER. CLEM. *Lib. III.* L. 61. *pr. D. de iur. dot.*
(g) *d.* L. 61. §. 1. *D. eod.*

BIU Cujas

tuisse, vt pretium in dotem daretur. Quod si tamen aliter honeste nubere non posset mulier, tutor huiusmodi intrabat apud iudicem, qui eum constituerat, eumque rogabat, vt caussa cognita ei dotem, rerum venditione celebrata, constituere permitteret.

Ait porro lex, tutorem hunc dari oportere a PRAETORE *vrbano*: quum tamen alioquin tutores mulieribus ex lege Atilia non a solis praetoribus, verum etiam a maiore parte tribunorum plebis darentur, ab iisque etiam tutorem acceperit Hispala Fecennia. Ast Augustus, qui tribuniciam potestatem aeque ac alia munia ad se traxerat, nihil opus esse iudicabat, tribunis, quibus tum vix vmbra pristinae potestatis supererat, hanc potestatem dandi tutores deferri. Hinc soli praetori id dabat negotii, vnde et huiusmodi tutor, aeque ac ille, qui mulieri pupilloue, cum tutore suo lege aut legitimo iudicio acturis, dabatur, PRAETORIANVS vel PRAETORIVS dictus videtur (a), pro quo Tribonianum vbique in pandectis scripsisse *curatorem*, iam ab aliis (b) recte obseruatum est.

III. Accesserunt ad hoc legis nostrae caput tria SCta. Nam quum primo eum casum expressissent legislatores, SI MVLIER TVTOREM LEGITIMVM PVPILLVM HABERET: senatus, teste VLPIANO (c), censuit, *vt et in locum* MVTI, FVRIOSIVE *tutoris alius daretur ad dotem constituendam*. Parum enim interesse videbatur, pupillumne tutorem haberet mulier nuptura, an mutum, vel furiosum. Deinde altero SCto fuerat cautum, *vt et tutor daretur mulieri, cuius* TVTOR ABESSET (d), et quidem *in omnem rem*, vti PAVLLVS (e) loquitur, id est, non solum ad dotem constituendam, sed omnia alia negotia eius auctoritate explicanda, excepta tamen liberta, quae absente patrono tutorem non petebat, nisi *ad hereditatem adeundam, et contrahendas nuptias* (f). Vbi frustra M. VERTR. MAVRVS (g) fingit, hunc quoque tutorem datum esse ad constituendam dotem. Denique quum lex solis vrbanis mulieribus prospexisset; tertium quoque accessit SCtum, *vt etiam* IN PROVINCIA *similiter a praesidibus earum, ex eadem caussa tutores darentur* (h). Quale quid et ad caput legis XXXV. constitutum esse, infra ostendemus. Sed de horum SCtorum aetate nihil certi constat, eaque tam facilia sunt, vt interpretatione prolixiore indigere haud videantur.

(a) VLP. *Fragm. tit. XI.* §. 24.
(b) *Ob. Giphan. ad* §. *vlt. Inst. de auct. tut.*
(c) *Fragm. tit.* XI. §. 21.
(d) VLP. *ibid.* §. 22.
(e) L. 15. *D. de tut. et cur. dat.*
(f) VLP. *ibid.*
(g) *De iure liber. cap.* 31.
(h) VLP. *Fragm. tit.* XI. §. 20.

CAPVT

BIU Cujas

* * * * * * * * * * *

CAPVT XIIII.

AD CAPITA LEGIS XV. XVI. XVII. XVIII. XVIIII. SIVE LEGES DECIMARIAS.

I. *PRoxima capita leges decimarias complexa sunt, quarum plures fuerunt. Eae ex Vlpiano recensitae. Cur decimariae leges inuentae?* II. *Decima nomine matrimonii percepta. Quid* CAPERE *? Decima quo modo computata?* III. *Decimae ob liberos ex alio matrimonio superstites captae. Liuia lege hac soluta.* IIII. *Decimae ob communes filios filiasque praemortuos. Quales liberi profuerint? Nominum dies. Primordia. Marmora liberis* ἀνονύμοις *posita. Nomina aliquando infantibus statim a natiuitate data.* V. *Vsusfructus vel proprietas tertiae partis bonorum legata.* L. 10. D. de praescr. verb. et L. 43. D. de vsufr. leg. *explicatae. Cur tam frequenter coniuges sibi inuicem legarint sub conditione liberorum?* VI. *Dotis praelegatum.* L. 53. D. de leg. 2. *explicata.* VII. *Fraus his legibus facta. Dotalia pacta. Donationes inter viuos. Tacita fideicommissa.* L. 25. pr. D. de his quae vt indign. *et verba Tertulliani illustrata.* VIII. *Priuilegia contra has leges decimarias concessa. An Constantinus eas sustulerit? Primi eas abrogarunt Honorius et Theodosius iunior.*

I. QVae adhuc expendimus, legum capita, ea VLPIANVS et TER. CLEM. libris commentariorum tribus: CAIVS et PAVLLVS duobus exposuerunt. E sequente VLPIANI et TER. CL. libro ea tantum supersunt fragmenta, quae manifesto ad leges decimarias pertinent. Vnde has iam ordine sequi verosimile est. Quum vero haec legis pars non solum *lex decimaria* vocetur THALELAEO (a); sed et πληθυντικῶς *leges decimariae* ab ipso IVSTINIANO (b) memorentur: non abs re existimare nobis videmur, non vnum fuisse huiusmodi caput, vti IAC. GOTHOFREDO visum, sed plura, quae nobis VLPIANVS seruauit (c). Ex eo itaque illa hunc in modum restituimus:

(a) *Ad Libr. Basil. XLV. tit. 1.*
(b) *Rubr. C. de infirm. poen. caelib. et orbit. et decimar. leg. sublat.*
(c) *Fragm. tit. 15.*

BIU Cujas

CAP. XV. *Viro et vxori inter se matrimonii nomine decimam capere ius esto.*

CAP. XVI. *Si ex alio matrimonio liberos superstites habebunt, praeter decimam, quam matrimonii nomine capiunt, totidem decimas pro numero liberorum capiunto.*

CAP. XVII. *Item communis filius filiaue, post nominum diem amissus amissaue, decimam adiicito. Duo, post nominum diem amissi, duas decimas adiiciunto.*

CAP. XVIII. *Praeter decimam etiam vsumfructum tertiae partis bonorum coniugis praemortui, et quotcunque liberos habebunt, eiusdem partis proprietatem capere ius esto.*

CAP. XVIIII. *Hoc amplius mulieri praeter decimam dotem legatam sibi petere ius esto.*

Quamuis itaque praemia plurima Augustus adhuc proposuisset iis, qui liberorum quaerendorum caussa iniissent matrimonium: ea tamen quodammodo hisce legibus decimariis temperauit, quarum hanc rationem reddit CONSTANTINVS Imp. (a) *quod coniugum* FALLACES BLANDITIAE *ita visae sint cohibendae.* Nimirum finis legis Papiae Poppaeae praecipuus is erat, vt ciues ad ineunda matrimonia procreandosque liberos incitarentur. Ast periculum erat, ne id cum graui Romanarum gentium et familiarum detrimento esset coniunctum. Facile enim coniux a coniuge poterat hereditatem eblandiri, eoque efficere, vt nullis licet exstantibus liberis, demortui tamen coniugis propinqui bonis auitis spoliarentur. Quod ne contingeret, prudenter sanxerat Augustus, vt coniuges non nisi quibusdam casibus solidum; aliis vnam vel alteram decimam: aliquando etiam ne hanc quidem inter se capere possent.

II. Vt vero iam ad ipsas leges decimarias progrediamur: caput xv. ita se habuisse diximus: VIRO ET VXORI INTER SE MATRIMONII NOMINE DECIMAM CAPERE IVS ESTO. VIRO et VXORI id concedebatur priuilegium, id est iis, qui iustum inierant matrimonium, non concubinariis et concubinis. Quumque, si liberi essent superstites, coniuges inter se solidum capere possent, vti sequente capite adparebit: facile patet, legem nostram loqui de iis, qui liberos communes non sustulerant, vel certe sublatos pridem amiserant. Paullo iniquior itaque ea in re visa est haec lex decimaria. Nam concubinae quantumcunque legari ac relinqui poterat, et milites, qui stupro cognitas heredes habere non pote-

(a) *L. vn. C. Theod. de infirm. poen. caelib.*

BIU Cujas

poterant (a), recte tamen instituebant concubinas vel focarias, ceu exemplum docet in marmore Rauennatensi:

D. M. M. AVRELII VITALIS
MILITIS VALERIA FAVSTI-
NA FOCARIA ET HERES
EIVS BENE MERENTI PO-
SVIT.

Ast coniux coniugi, quantum vellet, relinquere non poterat, atque ita accidebat, vt reuera melior esset concubinae, quam iustae vxoris, conditio. Quod exagitans Trachallus apud QVINCTILIANVM (b): *Placet hoc ergo*, inquit, *o leges diligentissimae pudoris custodes* DECIMAS *vxoribus dari*, QVARTAS *meretricibus?*

CAPIEBANT inter se coniuges MATRIMONII NOMINE, quantumuis sterilis, modo iusti et legitimi. *Capere* autem generale vocabulum est, quod omnes denotat modos, quibus quid ex vltima voluntate ad alterum peruenit. De iis enim proprie hoc verbum accipitur, veluti apud MANILIVM:

Ille patri natisue reus, quas CEPERAT *ipse,*
Non legabit opes, censumque immerget in ipso.

Et apud IVVENALEM (c)

\- - - - - - - *Si* CAPIENDI
Ius nullum vxori.

Vnde coniux coniugem nec heredem, nisi in sola decima, instituere, nec eidem plus legare, aut per fideicommissum relinquere poterat. Quin et ad mortis caussa capiones (d), et ad donationes inter viuos, morte donatoris confirmatas (e), legem illam animaduertimus porrectam, eatenus, vt quod vltra donatum esset, non valeret, nisi donata res aliena, quaeque posset vsucapi (f). Denique et ad ipsa pacta dotalia, quibus

(a) L. 14. *D. de his quae vt indign.*
(b) *Lib. VIII. Inst. cap. 5.*
(c) *Sat. 1. v. 55.*
(d) L. 38. *D. de mort. causs. don.*
(e) L. 1. *C. de bon. proscr.*
(f) L. 25. *D. de don. inter vir. et vx.*

BIU Cujas

bus conuenerat, vt mortua vxore maritus dotem retineret, ea lex pertinebat (a), siquidem et tunc ita aliquando scena instruebatur, vt dotis nomine plus caperet maritus, quam decimam.

Capiebat itaque coniux a coniuge DECIMAM omnium defuncti bonorum. Quapropter, ne quid in fraudem legis fieret; opus erat bonorum aestimatione, de qua ex instituto ad hoc caput in commentariis suis egerunt PAVLLVS (b) et TER. CLEMENS (c), quorum tamen verba TRIBONIANVS, vti acute coniecit IAC. GOTHOFREDVS, in titulum de lege Falcidia transtulit, quia abrogatis legibus decimariis, aestimationi bonorum ob quartam Falcidiam commode poterant adplicari. Ex his vero fragmentis discimus, pretia rerum in aestimandis bonis non ex affectu, nec ex vtilitate singulorum, sed communiter functa esse, adeoque nec filium proprium nec alienum aliter aestimatum quam hominem, nec seruum ob noxam quam nocuit, vel ob institutionem nondum adita hereditate, neque bona ob nomina mala maioris aestimata fuisse: habitam tamen fuisse rationem loci temporumque, quae nonnullam pretio adferre solent varietatem: denique et subduci consueuisse, quod lex Falcidia exceperit, vt quod reliquum esset, si non excederet portionem lege statutam, id demum coniugi superstiti deberetur. Haec PAVLLVS et TER. CLEMENS, quibus VLPIANVS (d) addit, legato annuo relicto, per annos singulos inspecta conditione legatarii, et si plurium seruo legatum, singulorum dominorum spectatis personis, definiendum esse, quantum quisque capere posset. Vnde in censum aestimationemque haud veniebant, quae legatario ex alia caussa, veluti depositi, crediti, aut mercedis debebantur, dum modo a legatario doceretur, omnem legis fraudem abesse (e). Quod ultra decimam coniugi fuerat relictum, id fiscus, tanquam caducum occupabat (f), puta, si ita relictum esset, vt penes coniugem permaneret. Nam si coniugem rogasset coniux, vt, quod ex testamento ad eam peruenerat, restitueret alii: etiam plus quam decimam, immo et solidum, capere poterat, testibus IAVOLENO (g), PAVLLO (h) et SCAEVOLA (i). *Aliud* enim, inquit VLPIANVS (l), *est* CAPERE, *aliud* ACCIPERE. *Capere cum effectu accipitur. Accipere, etsi quis non accepit, vt habeat: ideoque non videtur quis capere, quod erit restituturus: sicut peruenisse illud proprie dicitur, quod est remansurum.*

III. Sic

(a) *L. vlt. C. Th. de inoff. dot.*
(b) PAVLL. *Lib. II. L. 63. D. ad L. Falc.*
(c) TER. CLEM. *Lib. IV. L. 67. D. eod.*
(d) VLP. *Lib. IV. L. 23. D. quando dies leg. cedat.*
(e) *L. 27. D. de prob. L. 37. §. 5. 6. D. de legat. 3.*
(f) VLP. *tit. 17. §. 1.*
(g) *L. 42. D. de legat. 2.*
(h) *L. 28. D. de legat. 3.*
(i) *L. 68. pr. D. de aur. arg. mund. leg.*
(l) *L. 71. pr. D. de verb. sign.*

BIU Cujas

III. Sic ordinarie decimam inter se capiebant coniuges. Aliae insuper decimae adiiciebantur pro numero liberorum ex alio matrimonio superstitum, de quibus sequente capite decimo sexto: SI EX ALIO MATRIMONIO LIBEROS SVPERSTITES HABEBVNT, PRAETER DECIMAM, QVAM MATRIMONII NOMINE CAPIVNT, TOTIDEM DECIMAS PRO NVMERO LIBERORVM ACCIPIVNTO. Proderant ergo ad has decimas capiendas liberi, singuli etiam ex alio suscepti matrimonio, sed superstites tantum non amissi: naturales, non adoptiui, de his enim SCto supra explicato, sub Nerone fuerat cautum, vt non modo in nulla parte muneris publici, sed *ne quidem ad hereditates* capiendas prodessent (a). Hinc vnus vnam, duo binas, tres trinas adiiciebant decimas, adeoque si quis nouem ex priore matrimonio liberos habebat superstites, solidum capere poterat, quia vnius decimae matrimonii nomine, reliquarum ob liberos capax videbatur. Ita Domitius Tullus homo pecuniosus vxori, quam senex duxerat, amoeniſſimas villas et magnam pecuniam reliquerat, teste PLINIO (b), quum tamen nullus exstaret communis filius filiaue. Sed addit PLINIVS eam *diu viduam*, MATREM *olim fuisse*. Siue autem ex priore matrimonio supereſſent liberi, siue post testamentum vel ex hoc vel ex nouo matrimonio nati essent, decimas pro eorum numero capere poterat coniux superstes, si *in tempus liberorum* esset legatum (c). Hinc etiamsi specialiter id expressisset testator, quod has decimas legauerit in eam conditionem, si vxor ex se post testamentum liberos enixa fuerit: nihilominus ea iudice TER. CLEMENTE (d) admittenda est ad legatum, etiamsi ex alio post mortem mariti liberos enixa sit. Quid vero si viuo testatore, factoque diuortio, mulier ex alio pepererit? De his sane sensisse testatorem non erat verosimile, etiamsi postea soluto matrimonio ad priorem maritum rediisset. Et huc pertinet species apud IVLIANVM (e): *Quum vir vxori*, QVANDOQVE LIBEROS HABVERIT: (*quandoque* posito pro quandocunque (f), vti in L. 2. D. soluto matr. L. 13. D. de reb. cor. qui sub tut. L. 13. D. de acceptil.) *fundum legat: si mulier* DIVORTIO FACTO LIBEROS EX ALIO *procreauerit, deinde soluto secundo matrimonio ad priorem maritum redierit, non intelligitur expleta conditio, quod testatorem verosimile non est de liberis sensisse, qui* SE VIVO EX ALIO *suscepti fuissent.*

(a) TACIT. *Annal. Lib. XV. cap. 19.*
(b) *Lib. VIII. Epist. XVIII.*
(c) L. 61. D. *de cond. et dem.*
(d) TER. CLEM. *Lib. IV.* L. 62. *pr. D. eod.*
(e) L. 25. D. *eod.*
(f) SANCT. MINERV. *Lib. III. pag. 359.*

BIU Cujas

Ceterum, quod recte a v. c. ANT. SCHVLTINGIO (a) obseruatum est, insignem inde lucem capit locus DIONIS (b). Quum enim, teste SVETONIO (c), Augustus Tiberium inter primos heredes ex parte dimidia et sextante, id est ex besse: Liuiam ex tertia parte instituisset: DIO CASSIVS addit, petiisse eum a Senatu, αὐτῇ καὶ παρὲξ τὸν νόμον καταλιπεῖν δυνηθῆναι, *vt tantum sibi liceret Liuiae* PRAETER LEGEM *relinquere*. Quaerunt, quae lex Liuiae quominus tertiam capere possit obstiterit? et vulgo cum CVIACIO (d) respondent, ob legem Voconiam ad illam tantum peruenire haud potuisse. Sed rem eos acu non tangere, vel inde patet, quod legi Voconiae iam tum fuisset lege Papia Poppaea derogatum, permissumque feminis nuptis, vt possent aliquid ex maritorum testamentis capere. Quare nihil erat, cur ea lege Liuiam solutam vellet Augustus. Verum ex lege Papia non nisi duas decimas capere potuisset Liuia: alteram nomine matrimonii, alteram ob Tiberium filium, ex prisco susceptum matrimonio. Communis enim, quem ex Augusto immaturum enixa fuerat, vel ideo non proderat Liuiae, quod ad nominum diem non aduixisset. Vt igitur trientis esset capax, lege hac decimaria erat soluenda, ne, quod vltra duas decimas legatum fuerat, aerarium occuparet. Et haec ipsa lege solutio est, quam iam libro LV. notauerat DIO, dum Liuiae ius trium liberorum datum obseruarat.

IIII. Filius filiaue ex alio susceptí matrimonio non nisi superstites adiiciebant decimam. Ast sequente capite XVII. cautum fuerat, VT COMMVNIS FILIVS FILIAVE POST NOMINVM DIEM AMISSVS AMISSAVE DECIMAM ADIICERET. Communis filius filiaue superstes ad solidi, post nominum diem amissus amissaue ad decimae capacitatem proderat. Quum autem haec lex ad cohibendam testandi libertatem comparata odiosa quodammodo videretur: non tam curiose in conditionem liberorum, vti alias in hac lege fiebat, videbatur inquirendum. Hinc prodesse etiam censebatur partus monstrosus (e), etiam apud hostes susceptus reuersusque postliminio (f), apud hostes enim exstinctus nunquam videbatur fuisse, adeoque nec intelligebantur parentes eum habere desiisse, quem nunquam habuerant (g): immo et, qui post nominum diem in seruitutem fuisset redactus (h). Neque tamen filius dubiae originis proderat, quantumuis eum Praetor nutriri vel ali oportere decreuisset: quia

(a) *Ad Vlpian. p. 610.*
(b) *Lib. LVI. pag. 590.*
(c) *August. cap. 101.*
(d) *Ad pr. Inst. de lege Falc.*
(e) VLP. *Lib. IV.* L. 135. *D. de verb. sign.*
(f) VLP. *Lib. IV.* L. 9. *D. de capt. et postlim.*
(g) PAVLL. *Lib. III.* L. 208. *D. de reg. iur.*
(h) VLP. *Lib. IV.* L. 209. *D. de reg. iur.*

BIU Cujas

quia quaestioni de veritate, an quis sit filius? praeiudicium facere non debebat caussa alimentorum (a). Multo minus ratio parentum habebatur ob filium in seruitute quaesitum, nisi in patriam potestatem postea redigeretur beneficio principis (b), id est, ceu ex ipsa tituli rubrica adparet, nisi fuisset per rescriptum principis arrogatus. Omnia enim haec fragmenta ad leges decimarias pertinere praeclare docuit IAC. GOTHOFREDVS, cum in commentario ad legem nostram (c), tum in praestantissima interpretatione regularum iuris (d).

Quamuis vero et amissus amissaue prodesset: amissos tamen eos esse oportebat non statim a natiuitate, sed POST NOMINVM DIEM. Ita enim VLPIANI textum ex codice Tiliano omnium praestantissimo restituit EM. MERILLIVS (e), quum in plerisque editionibus legatur: *post nonum diem. Nominum* autem *dies* erat, quo nomen dabatur infanti recens nato, vt postea id nomen, vt supra dixi, referretur in acta publica: id quod apud Graecos die quinto (f); vel decimo (g), apud Romanos vel octauo, si puella; vel nono, si puer natus esset, fiebat, ceu praeclare docent FESTVS (h), MACROBIVS (i), et PLVTARCHVS, (l) qui et rationem huius ritus suo more reddere conatur. Dicebatur iste dies etiam *lustricus*, quia infans non solum nomen tunc accipiebat, verum etiam *lustrabatur*, vel, vti TERENTIVS (m) loquitur, *initiabatur*. Quo de ritu PERSIVS (n):

Ecce auia, aut metuens diuûm matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque vda labella
Infami digito et LVSTRALIBVS *ante saliuis*
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes:
Hunc optent generum rex et regina: puellae
Hunc rapiant, quidquid calcauerit hic, rosa fiat.

SVETONIVS in Caligula (o): *Infantem autem Iuliam Drusillam adpellatam* PER OMNIVM DEARVM *templa circumferens, Mineruae gremio imposuit,*

(a) VLP. *Lib. IIII. L.* 10. *D. de his qui sui vel al. iur.*
(b) VLP. *Lib. IIII. L. vlt. D. de adopt.*
(c) *Cap.* 12.
(d) *Ad L.* 209. *pag.* 797. *sequ.*
(e) *Obs. Lib. II. cap.* 33.
(f) HESYCH. *voce* ἀμφιδρόμια. ATHEN. *Lib. II. cap.* 24. *et Lib. VIIII. cap.* 2.
(g) SVID. voce ἀμφιδρόμια. POLLVX *Lib. I. cap.* 1. *num.* 24.
(h) *Voce* Lustrici.
(i) *Saturn. Lib. I. cap.* 16.
(l) *Quaest. Rom. p.* 288.
(m) *Phorm. Act. I. Sc.* 1.
(n) *Sat. II. v.* 31.
(o) *Cap.* 25.

BIU Cujas

fuit, alendamque et instituendam commendauit. Et in Nerone (a): *Eiusdem futurae infelicitatis signum euidens* DIE LVSTRICO *exstitit. Nam C. Caesar, rogante sorore, vt infanti, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium, eius se dixit dare.* Denique IVL. CAPITOLINVS (b): *quum rarum esset, aquilas in his locis videri, in quibus natus est Albinus, septimo eius die, hora conuiuii, quod* CELEBRITATI PVERI *deputabatur, quum ei fierent nomina, septem aquilae paruae de nido allatae sunt.* Ex quo loco simul discimus, septimum etiam diem non nunquam fuisse lustricum. Quod vero non nulli ex eodem IVLIO CAPITOLINO (c) colligunt, tricesimo circiter die nomen liberis impositum: is error est, ex male interpuncto eius loco natus. Dum enim scribit: *inter haec liberales caussas ita muniuit, vt primus iuberet apud praefectos aerarii Saturni vnumquemque ciuium natos Liberos profiteri* INTRA TRIGESIMVM DIEM, *nomine imposito:* non sane sensus est, nomen impositum esse trigesimo die, nec, vti SALMASIVS emendat, professionem factam esse *intra trigesimum a nomine imposito diem*, sed professionem non prius fieri potuisse, quam imposito iam nomine, non tardius quam intra trigesimum a natiuitate diem. Nomen itaque imponebatur die lustrico: postea professio fiebat, intra trigesimum a natiuitate diem, paullo laxiore spatio professioni, quam impositioni nominum, dato. Ante diem lustricum *primordia* erant, de quibus SERVIVS (d): *nam ipsum puerum inter ipsa* PRIMORDIA, *id est, nono die periisse, manifestum est.* Vnde intra primordia exstinctos crediderim liberos, quibus in vetustis lapidibus nulla imposita sunt nomina. Ita apud GRVTERVM (e) legimus:

D. M.
D. AEMILIVS. P. F. FELIX.
FILIAE. SVAE. FECIT.

Apud eumdem (f):

CALPVRNIA. C. F.
MAXIMA. MATER.
DOLENS. ET. MERENS.
FILIEIS. FECIT. SVEIS.

Et

(a) *Cap. 6.*
(b) *Albin. cap. 4.*
(c) *In Marco cap. 9.*
(d) *Ad Virgil. Ecl. IV.*
(e) *Inscr. pag. 666. num. 2.*
(f) *Ib. pag. 674. num. 11.*

BIU Cujas

Et denuo (a):

DIDIA. T. F. FABIA.
MATER. IN. MEO. DOLORE.
IN. HOC. SEPVLCRO.
NOMEN. IN HIS. ADSCRIPSI. MEVM.
HIC. EST. DOMVS. MEA. CVM. MEIS.

Attamen et ſtatim poſt natiuitatem aliquando nomina impoſita fuiſſe infantibus, argumento eſt inſcriptio elegans apud eundem (b):

D. M.
IVLIO. DIADVMENO.
FILIO.
IVLIVS. CORVNCANIVS.
VIX. HOR. IV.
HORA. BREVIS. VITAE.
LETVM FVIT.

Soli itaque, qui ad hunc nominum diem aduixerant, DECIMAM ADIICIEBANT. Infantes enim intra primordia exſtincti, dicti *ſanguinolenti*, ἀωρογόητοι, *neglecti*, et non magis pro natis habebantur, ac ſi numquam fruiti eſſent lucis vſura. (c) Additur in lege: DVO POST DIEM NOMINVM AMISSI DVAS DECIMAS ADIICIVNTO. Quod procul dubio de gemellis aeque ac liberis diuerſo tempore procreatis intelligendum. Sufficiebat enim, duos exſtitiſſe liberos communes, qui impoſitis nominibus ſpes parentum morte immatura deſtituiſſent. De tribus liberis communibus nihil hoc capite dicitur. Tres enim poſt nominum diem amiſſi non decimas tres adiiciebant, ſed ad ſolidi capacitatem proderant parentibus (d), adeoque ad aliud caput haec ſpecies pertinebat.

V. Nouum coniugibus beneficium indulget caput legis XVIII. quo cautum, vt PRAETER DECIMAM ETIAM VSVMFRVCTVM TERTIAE PARTIS, ET, QVANDOQVE LIBEROS HABVERINT, EIVSDEM PARTIS PROPRIETATEM CAPERE IVS ESSET. Ita ſe verba habent apud *Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Popp.* L l Vl-

(a) *Ib. pag. 680. num. 5.*
(b) *Ib. pag. 688. num. 8.*
(c) CVIAC. *Paratitl. ad tit. C. de infirm. poen. caelib.*
(d) VLP. *Fragm. tit. XVI. §. 1.*

BIU Cujas

VLPIANVM; nec est, quod in iis quidquam mutatum velimus. Alias per leges teste apud VLPIANVM CELSO (a) omnium bonorum vsusfructus legari poterat, modo ne excederet dodrantis aestimationem. Ast ea libertas legandi haud parum adstricta inter coniuges. Distinguit enim lex, purene coniux coniugi leget, an sub conditione, QVANDOQVE LIBEROS HABVERIT: quale exemplum vidimus ad caput XVI. Si pure legasset, non solum decima matrimonii nomine, sed et vsusfructus tertiae partis bonorum; sin sub conditione liberorum, praeter decimam illam et tertiae partis bonorum proprietas legari poterat. Plura passim in iure nostro occurrunt huius rei vestigia, quae paullo curiosius legere iuuabit. Ait IAVOLENVS (b): PARTIS TERTIAE VSVMFRVCTVM *legauit: heredis bona ab eius creditoribus distracta sunt: et pecuniam, quae ex aestimatione partis tertiae fiebat, mulier accepit fruendi caussa: et per ignorantiam stipulatio praetermissa est: Quaero an ab herede mulieris pecunia, quae fruendi caussa data est, repeti possit, et qua actione? respondi in factum actionem dari deberi.* Species clara est. Maritus vxori legauerat vsumfructum tertiae partis bonorum, quod licebat per leges decimarias, etiamsi nulli exstarent liberi. Aestimatione bonorum facta, quam fieri debuisse, supra docuimus, heredis bona a creditoribus vendebantur, et ne legato excideret vidua, ei pecunia ex tertia bonorum parte redacta quasi vtenda fruenda dabatur. Heres autem ex ignorantia iuris non interposuerat stipulationem de restituenda pecunia, nec satisdationem exegerat, quam alioquin in vsufructu quantitatum rerumque fungibilium oportebat interponi. Mortua muliere finitoque quasi vsufructu, quaerebat heres, an pecuniam datam et qua actione a mulieris heredibus repetere posset: Actionem dari manifestum videbatur, quia mortua muliere quasi vsusfructus fuerat finitus. Ast non poterat ex stipulatu agi, quia stipulatio non fuerat interposita: nec vindicari, quia non species, sed quantitas fuerat data, nec condictio sine caussa institui, quia non inter heredem et mulierem, sed inter hanc et creditores hoc interceserat negotium. Ergo supererat actio *praescriptis verbis*, vel *in factum*, cui locus est, quotiescunque ex stricta iuris ratione omnis agendi via praeclusa videtur, et pro acturo tamen militat aequitas. (c)

Ad eandem legem pertinet lex SCAEVOLAE (d): *maritus vxori suae* VSVMFRVCTVM TERTIAE PARTIS, ET, QVVM LIBEROS HABVISSET,

(a) CELS. *Lib. XXXII.* L. 29. *D. de vsufr.*
(b) *L.* 10. *D. de praescr. verb.*
(c) *L.* 11. *D. de praescr. verb.*
(d) *L.* 48. *D. de vsur.*

BIU Cujas

BVISSET, PROPRIETATEM *legauit: eam vxorem heredes falsi testamenti, et aliorum criminum accusaruni, qua re impedita est legatorum petitio: interea et filius ei mulieri natus est, eoque* CONDITIO LEGATI EXSTITIT. *Quaesitum est, quum testamentum falsum esse non adparuerit, an fructus etiam mulieri praestari debeant? Respondi praestandos.* Species plane ad hanc legem decimariam attemperata est. Legata fuerat vxori tertia pars vsusfructus, et si liberos sustuliſſet, eiusdem partis proprietas. Interea dum heredes testamentum tanquam falsum impugnant, conditio exstitit et testamentum falsum esse, non adparuit. Itaque mulier finita lite non solum legatum petit, sed et fructus, nimirum a tempore aditae hereditatis, a quo dies legati vsusfructus cedit. Obiecisse videntur heredes, diem legati conditionati a momento demum, quo exstitit conditio, cedere (a), adeoque et ex eo tempore tantum peti posse fructus. Ast SCAEVOLA respondet praestari debere a tempore aditae hereditatis, quia et antequam exsisteret conditio, vsusfructus, pure legatus, debebatur, idque legatum a momento aditae hereditatis deberi, iuris erat expeditissimi. (b) Auxilio etiam mulieri esse potuisset Seueri et Antonini constitutio. Nam ex horum rescriptis vsuras praestare tenebantur, quicumque frustrationis caussa beneficium legum implorabant (c). Sed hanc Seueri et Antonini constitutionem per aetatem Scaeuola Ceruidius videre non potuit.

Denique ad idem caput referenda sunt verba vexatissima VENVLEII (d): *nihil interest, vtrum* BONORVM *quis, an* RERVM TERTIAE PARTIS VSVMFRVCTVM *legauerit. Nam si bonorum vsusfructus legabitur, etiam aes alienum ex bonis deducitur, et quod in actionibus est computabitur: at si certarum rerum vsusfructus legatus erit, non idem obseruabitur.* Dici non potest, quam difficile hoc fragmentum visum fuerit interpretibus: ex quibus alii cum HALOANDRO legunt: *Nonnihil interest*: alii ex vulgata: *multum interest* rescribi iubent. ANT. FABER, (e) in emendando parum modestus, non modo τὸ *multum interest* probat, sed et pro verbis: *rerum tertiae partis* rescribit: *rerum certarum*, HERALDVS (f) et HVGO GROTIVS: (g) *rerum certae partis.* Denique vir eximius GER. NOODT (h) hac postrema quidem emendatione nihil opus esse recte censet, siquidem cur tertiae partis bonorum me-

(a) *L. 5. §. 2. D. quando dies leg.*
(b) *L. vn. §. 2. D. quand. dies vsusfr. leg. ced.*
(c) *L. 89. §. 1. D. ad L. Falc.*
(d) *L. 43. D. de vsufr. leg.*
(e) *Coniect. Lib. I. cap. 14.*
(f) *Rer. iudic. Lib. II. cap. 3.*
(g) *Flor. Sparſ. ad h. t.*
(h) *Lib. I. Obſ. cap. 12. et de vsufr. Lib. I. cap. 33.*

BIU Cujas

minerit VENVLEIVS, ex legibus decimariis ratio satis commode reddi potest: ast ipse quaedam textu excidisse censet, legitque: *si rerum, et quod in actionibus erit computabitur.* Enimuero etiamsi admissa hac viri clarissimi emendatione recte se habere videantur omnia: ego tamen religioni mihi duco, auctoritatem codicis Florentini deserere, vbi nulla adigit necessitas. Tres inter se species, vti vir summus CORN. VAN BYNKERSHOEK docet, contendit Venuleius. Titius vxori legauerat *vsumfructum tertiae partis bonorum*: Caius *tertiae partis rerum*: IAVOLENVS vsumfructum *tertiae partis certarum rerum.* Quaeritur, an omnes hae vsufructuariae sint eiusdem conditionis, eatenus, vt aes alienum sit deducendum, et quod in actionibus est computandum, ante quam tertiae illius partis ponatur ratio? Respondet VENVLEIVS, *nihil interesse* inter duas species priores. Siue enim legatus sit vsusfructus *partis tertiae bonorum*, siue *tertiae partis rerum*, et aes alienum deduci oportere, et id quod in actionibus est, computari. Expediti enim iuris est, *res* et *bona* hic dici promiscue, actionesque etiam res incorporales, et in bonis esse (a). Ast in tertia specie, *si vsusfructus tertiae partis certarum rerum legatus sit*, idem obseruari negat VENVLEIVS, et recte negat, quum nec aes alienum certam rem singularem afficiat, et actiones ad ipsam bonorum vel rerum vniuersitatem pertineant. Quae omnia tam luculenter expendit vir quem laudaui, illustris, CORN. VAN BYNKERSHOEK (b), vt vel verbum addere superuacuum videatur.

Denique eodem pertinent omnia illa veterum artis nostrae conditorum fragmenta, in quibus mariti vxoribus legasse dicuntur sub conditione: SVBLATIS LIBERIS (c), QVANDOQVE LIBEROS HABEBVNT (d), QVVM LIBEROS HABVERINT (e). Qui vero liberi tunc profuerint, iam paullo ante ex *L.* 25. *D. de condit. et demonstr.* exposuimus.

VI. Postremum inter leges decimarias, id est vndevigesimum PAPIAE POPPAEAE caput id quoque lucrum concedit vxoribus, vt HOC AMPLIVS PRAETER DECIMAM DOTEM LEGATAM SIBI PETERE possent. Dos itaque non computabatur in decimam, quam matrimonii nomine vxor capiebat, quia illa est proprium patrimonium vxoris, adeoque nec ei legatur a marito, sed relegatur, vel praelegatur, tanquam res vxoris iam propria (f). Praecipue huc referenda est species, quam

(a) *L.* 49. *D. de verb. sign.*
(b) *Obs. Lib. II. cap.* 24.
(c) *L.* 24. *D. de adim. vel transf. leg.*
(d) *L.* 25. *D. eod.*
(e) *L.* 62. *pr. D. de cond. et dem. L.* 4. *C. quand. dies leg. vel fideic. ced.*
(f) CVIAC. *Obs. Lib. IIII. cap.* 23.

BIU Cujas

quam tractat TERENTIVS CLEMENS (a). *Quum ab vno herede mulieri* PRO DOTE *compensandi animo legatum esset, eaque dotem suam ferre, quam legatum maluerit: vtrum in omnes heredes, an in eum solum, a quo legatum est, actio ei de dote dari debeat? quaeritur.* Maritus qui v. c. mille Philippûm dotis loco ab vxore acceperat, huic moriens non ipsam hanc summam relegauerat, sed certum fundum, ab vno coheredum praestandum in compensationem dotis. Non quaerebatur, an subsisteret legatum? (subsistebat enim per legem nostram decimariam:) nec, an mulier legato repudiato, ipsam dotem repetere posset: (Neque enim id dubium erat ob ambiguam fundi aestimationem.) Sed id quaerebatur, si dotem mallet, vtrum aduersus omnes heredes, an aduersus eum, a quo ipsi fundus in compensationem dotis legatus fuerat, haberet actionem? *Et Iulianus quidem in eum primum, a quo legatum sit, actionem dandam putat: nam quum aut suo iure, aut iudicio mariti contenta esse debeat, aequum esse, eum, a quo ei maritus aliquid pro dote legauerat, vsque ad quantitatem legationis huius aeris alieni sustinere, reliqua parte dotis ab herede ei praestanda.* Liquida est decisio. Non ab omnibus heredibus fundum illum legauerat maritus, sed ab vno: nec tamen illi plus oneris imposuerat, testator, quam vt fundum loco dotis praestaret. Ex eo ergo consequebatur, vt actio primum instituenda esset aduersus heredem, a quo legatum erat, vt tantum solueret, quanti esset fundus, et si istud pretium mille Philippûm non conficeret, in subsidium reliqui coheredes tenerentur, quia dos facit partem aeris alieni, ab omnibus exsoluendi heredibus.

Sequitur altera apud CLEMENTEM species (b): Maritus dotis compensandae caussa vxorem cum aliis instituerat heredem, eique Titium coheredem substituerat. Illa, repudiata hereditate, dotem praeferebat. Quaerebatur, vtrum ab omnibus heredibus, an a solo Titio sibi substituto eam petere debeat? Respondet ICtus: *Eadem*, (quae videlicet de superiore specie dixerat,) *erunt dicenda, si* (vxor) *heres instituta pro dote, omiserit hereditatem: vt in substitutum* (primum) *actio detur*, (reliqui coheredes teneantur in subsidium,) *et hoc verum est.*

Denique et tertiam speciem adiicit (c). Maritus vxori legat dotem ab vno coheredum, Titio, eumque et aliis legatis onerat. Posita ratione Titius deprehendit, quum ex dote relegata quarta Falcidia detrahi

(a) TER. CLEM. *Lib. IIII. L. 53. D. de leg. 2.*

(b) TER. CLEM. IB. *L. 53. §. 1. D. de leg. 2.*

(c) ID. IB. *L. 53. §. 2. eod.*

BIU Cujas

hi nequeat (a), ea exsoluta sibi vel nihil vel parum superfore. Quaeritur, idne damnum solus Titius sentiat, an illud ad omnes coheredes pertineat? Respondet TER. CLEMENS, aequum esse, vt damnum ad omnes pertineat, ex eadem puta ratione, quod dos facit partem aeris alieni. Et ita intelligenda postrema TER. CLEMENTIS verba: *sed de legatis, et legis Falcidiae ratione belle dubitatur, vtrum is, in quem solum dotis actio detur, legata integra ex persona sua debeat, perinde ac si omnes heredes dotem praestarent*, (id est vtrum coheres solus perinde omne damnum ferat, ac ferre deberent omnes, si ab omnibus legata fuisset,) *an dotem totam in aere alieno computare*, (adeoque is quartae suae supplementum a coheredibus petere possit,) *quia in eum solum actio detur? Quod sane* (posterius) *magis rationem habere videtur.*

VII. Quemadmodum vero leges istae haud parum odiosae semper visae sunt ciuibus Romanis: ita hi varias excogitarunt artes, quibus fraus illis vtcumque fieret. Primum enim saepe huiusmodi pacta dotalia fiebant, vt dos, etiam quae vniuersa mulieris bona exhauriebat, mortua vxore penes maritum maneret. Sed hanc in fraudem legis constitutam dotem irritam esse iubebat CONSTANTIVS (b). Nec est quod cum CVIACIO *ad hanc legem* existimemus, legem Papiam certam quantitatem praestituisse dotibus. In fraudem enim legis Papiae constituta dos non est, quae vltra decies centena datur, sed quae ita datur, vt plus, quam per leges decimarias liceat, ad coniugem superstitem perueniat, ceu recte in commentario docet vir eximius IAC. GOTHOFREDVS, et ante eum EM. MERILLIVS *Obs. lib.* III. *cap.* VI. Nam si lege Papia modus praestitutus fuisset dotibus, et plus in dotem dedisset mulier, id non in fraudem legis, sed contra ipsam legem factum fuisset. Vnde palam est, de ea fraude loqui legem, qua coniux coniugi titulo dotis daret, quod per leges capere non posset.

Deinde quum *capere* sit aliquid ex testamento lucrari: leges decimarias commode eludebant donationibus inter viuos, quia Seuerus et Antoninus anno v. c. 959. Fuluio Aemiliano et Numio Albino coss. auctores fuerant senatui, vt et inter coniuges donationes ratas esse censeret, si morte donatoris vel donatricis confirmarentur (c). Verum et huic fraudi legibus recentioribus (d) obuiam itum esse, iam supra notauimus.

Denique

(a) L. 81. §. 1. 2. *D. ad L. Falc.*
(b) L. *vlt. C. Th. de inoff. dot.*
(c) L. 32. §. 1. *D. de don. int. vir. et vxor.*
(d) L. 1. *C. Theod. de bon. proscr.*

BIU Cujas

Denique quam maxime huc faciebant tacita fideicommissa. Si quis enim plus, quam per leges licebat, coniugi vellet relictum: is tunc in speciem alios instituebat heredes, sed tacito fideicommisso obstrictos, vt vel omnia bona, vel maximam eorum partem restituerent coniugi superstiti. Vnde lucem capiunt duo praeclara fragmenta, PAPINIANI alterum, alterum TERTVLLIANI. Ille ait (a): *si gener socerum heredem reliquerit*, TACITI FIDEICOMMISSI *suspicionem sola ratio paternae adfectionis non admittit.* Manifesto Papiniano proposita fuerat haec species. Titius moriens reliquerat coniugem, quae praeter decimam matrimonii nomine, et vsumfructum tertiae partis bonorum, per legem nihil capere poterat. Heredem ergo instituerat eius patrem, idque suspicionem iniecerat heredibus ab intestato, testamentum hoc conditum esse in fraudem legis decimariae, tacitoque fideicommisso obstrictum esse socerum, vt hereditatem filiae, Titii viduae, restitueret. Quaerebant ex *Papiniano*, an iusta sit illa suspicio? idque negabat 1Ctus, et, si alia deessent rei testimonia, hanc solam affectionis paternae rationem eam suspicionem non admittere, respondebat.

Alter locus TERTVLLIANI (b) talis est: *Tu modo, vt* SOLIDVM CAPERE *possis, hoc meae admonitionis* FIDEICOMMISSVM *Deus faciat.* Manifesto ille patrum iuris consultissimus in animo habuit leges decimarias. Quemadmodum lex Papia multa nuptis praemia pollicebatur: ita TERTVLLIANVS vxori, si sanctae viduitatis propositum seruasset, non pauciora praemia, quae partim ad praesentem vitam, partim ad futuram et sempiternam pertinent, proponit. Ea vt in solidum vxor capiat, optat, fingitque eleganter, tacito fideicommisso, id est, precibus se rem commisisse Deo, quemadmodum mariti fideicommittere soleant heredibus, quod ad vxores contra leges decimarias peruenire vellent. Enimuero huic quoque fraudi obicem positurus CONSTANTINVS M. (c) (non, vti in quibusdam editionibus est, Constantius,) ad Maximum, Rationalem Hispaniae rescribit, tacita huiusmodi fideicommissa praemiis propositis esse detegenda. Et quidem, si ipse cuius fideicommissum fuerit, rem enunciet, tertiam bonorum partem ei praemium futuram. Sin vxor rem deferat, eam dimidiam hereditatem cum optione habituram: occultatorem contra, omni patrimonio exutum, in insulam deportatum iri. Seuera ista constitutio paullo incautius in codicem Iustinianeum translata est a Triboniano eiusque sociis, siquidem Iustiniani temporibus,

(a) L. 25. *pr. D. de his quae vt indign.*
(b) *Ad vxor. Lib. I. cap. 1.*
(c) L. *vn. C. de his qui se defer.*

BIU Cujas

bus, abolitis, vti mox demonstrabimus, legibus decimariis, vix istis fideicommissis tacitis amplius erat opus.

VIII. Ceterum leges illae decimariae paullatim ab vsu recesserunt: ac denique in vniuersum abrogatae sunt. Quod, quibus gradibus sit factum, diligentius iam inuestigandum est. Primum Claudius Imp. teste SVETONIO (a) ciuibus, naues mercaturae caussa fabricantibus, vacationem legis Papiae Poppaeae concessit. Quod quamuis de legibus decimariis praecipue intelligendum sit, ipsae tamen illae leges per saecula insequentia constanti vsu viguerunt: siquidem sub Vespasianorum tempora eorum meminit QVINCTILIANVS; sub Antoninis SCAEVOLA, sub Seuero TERTVLLIANVS, sub Caracalla PAPINIANVS et VLPIANVS, sub Alexandro VENVLEIVS, quorum loca hoc capite passim allegauimus. Quin quarto adhuc saeculo Christiano, quamuis CONSTANTINVS M. poenas caelibatus ac orbitatis sustuliisset, ipsae tamen leges decimariae ab eo intactae seruatae sunt, ceu ex constitutione in codice Iustinianeo mutila (b), in Theodosiano (c) integriore, adparet, vbi CONSTANTINVS, abolitis coelibatus poenis; *Verum huius beneficii*, inquit, *maritis et vxoribus inter se vsurpatio non patebit, quorum fallaces plerumque blanditiae vix etiam oppositio iuris rigore cohibentur, sed maneat inter istas personas* LEGVM PRISCA AVCTORITAS. Mansisse ergo sub Constantino leges decimarias, cum ex his verbis, tum et ex seuera illa epistola ad Rationalem Hispaniae, paullo ante allegata, adparet. Confirmauit tamen idem Imperator nauicullariis priuilegium, a Claudio Imp. olim concessum, vt ex constitutione in codice Theodosiano superstite (d) discimus.

Sub Constantini M. filiis, proximisque successoribus, mansisse leges decimarias, vel inde patet, quod eae adhuc sub Theodosio M. viguerunt, qui et ipse tamen decurionibus et curialibus legum istarum gratiam fecit, eosque singulari constitutione (e) solidi capaces esse iussit.

Primi anno erae Christianae 410. has leges penitus sustulerunt HONORIVS et THEODOSIVS (f), in perpetuum valitura lege decernentes, vt *inter virum et vxorem ratio cesset ex lege Papia* DECIMARVM, *et, quamuis non interueniant liberi, ex suis tamen in* SOLIDVM *capiant testamentis, nisi forte lex alia imminuerit, derelicta:* quin *vt tantum posthac maritus et vxor sibi inuicem relinquere possint, quantum superstes amor exegerit.*

(a) *Claud. cap.* 18.
(b) L. 1. *C. de infirm. caelib. poen.*
(c) L. 1. *C. Theod. eod.*
(d) L. 7. *C. Theod. de nauicul.*
(e) L. 124. *C. Theod. de decur.*
(f) L. 2. *C. Th. de iur. lib.* L. 2. *C. de inf. poen. caelib.*

BIU Cujas

exegerit. Ceterum, quamuis hac constitutione leges decimariae sublatae sint: non tamen simul omne orborum et parentum discrimen, sublatum est, vti ALCIATVS (a) ideo a DVARENO (b) notatus, existimat. Hoc enim discrimen primus plane sustulit Iustinianus. Verba autem in constitutione HONORII et THEODOSII: *Nisi forte alia lex imminuerit*, ad legem Falcidiam et eas, quae de inofficioso testamento scriptae sunt, respicere, recte obseruauit IAC. GOTHOFREDVS (c). Quum vero nec parentes et liberi legitima portione fraudari, nec heredes coniugis caussa vltra dodrantem onerari possent: tamen post hanc legem, quod vltra modum coniux coniugi reliquerat, non amplius occupabat fiscus, sed ii, quorum intererat, vel actione in factum, vel querela inofficiosi experiebantur, vt, quod sibi deerat, iis actionibus consequerentur.

(a) *Ad* L. 137. *D. de verb. sign.*
(b) *Disp. Anniuers. Lib. I. cap. 40.*
(c) *Ad Cod. Theod. Tom. II. pag. 649.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT XV.

AD CAPITA LEGIS XX. XXI. XXII. XXIII. XXIIII. XXV. XXVI. XXVII. ET XXVIII. DE SOLIDI CAPACITATE.

I. *PRoximae fuerunt leges de solidi capacitate. Eae quotuplices? Illarum restitutio.* II. *Solidum inter se capiebant coniuges ob aetatem. Breuitas matrimonii an obstiterit? Aetas, qua liberi exigebantur. Locus Tertulliani explicatus. Fr. Connanus notatus.* III. *Solidum inter se capiebant coniuges ob diuturnitatem matrimonii. Maritus annorum sexaginta, vxor quinquaginta lege hac soluti.* IV. *Ob cognationem qui inter se solidum capere potuerint? Cuiacii et Grauinae lapsus.* V. *Solidi capaces erant absentes reip. caussa. Iac. Gothofredus notatus. Quinam absentes reip. caussa? Mulieres in prouincias duci non poterant.* VI. *Solidi capacitas ob liberos, vel vnum communem superstitem, vel puberem amissum. Aetas legitima. Duo quoque trimi proderant parentibus. Quando infantes mamma fuerint depulsi? Proderant et tres post nominum diem vel vnus intra annum* Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop.

BIU Cujas

et sex menses amissus. Iac. Gothofredus notatus. Substitutiones, in fraudem legis inuentae. L. 6. D. de vulg. et pup. substit. *explicata.* VII. *Solidi capacitas ob postumum.* VIII. *Solidi capacitas ob ius liberorum impetratum. Quis illud concesserit? An in capite nostro id concedendi facultas populo data?* IX. *Solidi capacitas ex testamento extranei. Pater solitarius. Marmor Viennense expositum contra Ios. Scaligerum.* L. 72. D. de her. inst. *exposita.* X. *Quando femina solidum ceperit ex testamento extranei?* XI. *Priuilegia aduersus leges has concessa. Ius trium liberorum.* L. 2. et 3. C. Th. de iur. lib. *explicatae. Quando ea constitutio in Occidente valere coeperit? An hae leges* L. vlt. C. de iur. lib. *abrogatae sint?*

I. QVando vnam vel alteram decimam inter se capere potuerint coniuges, superiore capite ostendimus: Has leges decimarias excepisse capita *de solidi capacitate*, cum ex argumenti similitudine, tum ex fragmentis TERENTII CLEMENTIS et VLPIANI colligi potest, quippe quos eodem libro commentariorum quarto de solidi capacitate egisse animaduertimus. Ceterum solidum vel inter se capiebant coniuges, vel quicumque alii ex testamentis quorumcumque. Quibus casibus inter se ceperint coniuges, ostendit VLPIANVS (a), ex quo septem haec capita, a viro eximio, IAC. GOTHOFREDO, excepto illo de absentibus reip. caussa, in vnum conflata, ita restituimus:

CAP. XX. *Viro et vxori solidum inter se capiundi ius esto, si vterque vel alteruter nondum eius aetatis sit, qua liberi ex hac lege exiguntur.*

CAP. XXI. *Item si vtrique finitos hac lege annos in matrimonio excesserint, solidum capiundi ius esto.*

CAP. XXII. *Item si cognati inter se coierint, vsque ad sextum gradum, eis solidum inter se capiundi ius esto.*

CAP. XXIII. *Si vir abest reip. caussa, donec abest, et intra annum, postquam abesse desiit, libera inter eum et vxorem testamentifactio esto.*

CAP. XXIIII. *Item qui filium filiamue communem superstitem habebunt aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim, vel qui duos trimos vel tres post nominum diem, aut qui intra annum et sex menses etiam vnum cuiuscunque aetatis impuberem amiserunt, eis solidum inter se capiundi ius esto.*

CAP. XXV.

(a) *Fragm. tit. XVI. §. 1.*

BIU Cujas

CAP. XXV. *Item vxori, quae post mortem viri intra decem menses ex eo pepererit, solidum ex bonis eius capiundi ius esto.*

CAP. XXVI. *Item, qui quaeue ius liberorum a senatu impetrauerint, solidum inter se capiunto.*

Quando vero ex testamentis aliorum quisque capere potuerit, duo sequentia ostendunt capita, quae itidem ex VLPIANI rubrica tituli XIII, nec non ex IVVENALE (a) et *L. 8. et L. 9. C. Th. de bon. proscriptorum* ita restituimus:

CAP. XXVII. *Ex aliorum testamentis* PATER SOLITARIVS *solidum capito.*

CAP. XXVIII. *Item femina ingenua, si tres liberos habebit, et libertina, si quatuor, solidum ex testamento capiunto.*

II. Primum casum, quo solidum inter se capiebant coniuges, ita lex describit: VIRO ET VXORI SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS ESTO, SI VTERQVE VEL ALTERVTER NONDVM EIVS AETATIS SIT, QVA LIBERI EX HAC L. EXIGVNTVR. Pertinet itaque lex ad VIRVM ET VXOREM, orbos, non τοὺς ἀγαμους, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν, ad eos, *qui intra annum* XXV. *nondum inierant* MATRIMONIVM, *vti legem accepisse videtur* SOZOMENVS (b). Exigebatur enim matrimonium rite contractum, ita tamen, vt et breuissimum sufficeret. *Non tantum* enim *duorum mensium, sed et minoris temporis maritus vxoris testamento scriptus succedebat, nec legata, vel fideicommissa seu donationes temporis huius angustia capi prohibebat*, vti ad Niconem rescribunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. (c) Ex qua lege infert vir summus, IAC. CVIACIVS (d), prisca quadam lege, forsan Iulia et Papia, cautum fuisse ante hanc constitutionem, ne aliter noui nupti ius solidi inter se capiundi haberent, quam si duorum saltim mensium spatio vna fuissent, eiusque sanctionis eam fuisse caussam, vt nouus νεογάμων calor coërceretur, quo aestuantes facile sua omnia nouo coniugi elargiri soleant. Quale quid et Germanis in mentem venisse, in Antiquitatibus Germanicis notauimus. Verum quantumuis acuta ea coniectura sit: veterum tamen testimonio illa destituitur: nec id ex hac constitutione liquet, quum Nicon Imperatoribus huiusmodi speciem proponere

(a) *Sat. VIIII. v. 86.*
(b) *Hist. eccl. Lib. I. cap. 9.*
(c) L. 19. *C. de legat.*
(d) *Obs. Lib. XVIII. cap. 9.*

BIU Cujas

potuerit, ex qua nasceretur dubium, an solidi capax sit maritus, quocum vxor bimestre tantum exegerit matrimonium, adeoque Principes non tam ad legem aliquam, quam ad propositum sibi casum respexerint.

His coniugibus SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS erat: siue alter alterum heredem instituisset, siue per donationem inter viuos mortisue caussa omnia bona transtuliſſet in coniugem. Ad hos enim modos omnes CAPIVNDI vocabulum porrigi, iam superiore capite monuimus. Non tamen solidum capiebant semper, sed SI VTERQVE VEL ALTERVTER EORVM NONDVM EIVS AETATIS ESSET, QVA LEX LIBEROS EXIGIT. Si vterque infra eam aetatem erat, vterque; sin alteruter; is, qui nondum eius aetatis erat, solidi capax habebatur.

Ast quaenam illa aetas, qua lex exigebat liberos? Ipse VLPIANVS (a) ita haec verba interpretatur: *Id est, si vir minor* ANNORVM VIGINTIQVINQVE *sit, aut vxor* ANNORVM VIGINTI *minor.* Neque dubitandum, quin VLPIANI et insequentibus temporibus res se ita habuerit, maxime, quum et SOZOMENVS (b) meminerit εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν. Sed tanto magis dubito, an hi sint anni, ipsa lege Papia Poppaea praefiniti, ob locum TERTVLLIANI (c) notatu dignissimum: *Nonne vanissimas* PAPIAS *leges, quae ante liberos suscipi cogunt, quam* IVLIAE *matrimonium contrahi, post tantae auctoritatis senectutem heri Seuerus, constantissimus principum, excluſit?* Ex hoc sane testimonio discimus, primo, seueram admodum fuisse legem Papiam Poppaeam, quippe quae prius suscipi coëgerit liberos, quam lex Iulia de maritandis ordinibus matrimonium iniri. Deinde eadem opera nos docet TERTVLLIANVS, Seuerum, principum constantissimum, leges illas Papias excluſisse, non, quod eas aboleuerit, (id enim demum postremis factum est reip. temporibus:) sed quod paullo maiorem finiuerit aetatem, et fortassis eam, quam lex Iulia de maritandis ordinibus olim inuexerat, in vsum reuocarit. Quae quum ita sint, consequens sane est, vt illi viginti quinque anni maritis, et viginti vxoribus praefiniti, non sint ex lege Papia Poppaea, sed ex constitutione Seueri, vel fortassis ex lege Iulia a Seuero in vsum reuocata. Quibus vero annis lex Papia Poppaea exegerit liberos, aeque incertum est, ac quibus lex Iulia de maritandis ordinibus iniri iusserit matrimonium: Si coniecturae locus esset,

(a) *Fragm. tit. XVI. §. 1.*
(b) *Ibid.*
(c) *Apolog. cap. 4.*

BIU Cujas

esset, dixerim ego, legem Papiam vti matrimonium inire iusserat omnes puberes et viri potentes, ita liberos flagitasse a maribus anno aetatis duodeuigesimo, a feminis forte XVI. Illum enim annum iam veteribus in maribus visum fuisse procreandis liberis idoneum, vel inde patet, quod adoptantem annis octodecim praecedere oportuerit adoptiuum (a). Quod si itaque lex Iulia mares anno XX; feminas anno XVIII. quibus plerumque nuptiis idonei creduntur homines, matrimonium inire iussit: facile intelligemus, cur vanitatis legem Papiam accuset TERTVLLIANVS, prius quippe exigentem liberos, quam Iulia iusserat matrimonium iniri. Vtut sit: errare saltim liquet eos, qui cum viro eximio, FR. CONNANO (b) scribunt, legem Papiam Poppaeam neminem ante annum vicesimum quintum ad iustae vxoris amplexum inuitasse. Id enim ex SOZOMENI et HISTORIAE TRIPERTITAE lacunis eum hausisse, nemo non animaduertit.

III. Sequente capite fuerat cautum, VT SI VTRIQVE LEGE HAC FINITOS ANNOS IN MATRIMONIO EXEGERINT, IIS SOLIDVM CAPIVNDI IVS ESSET. Quemadmodum itaque ante annos, quibus lex liberos exigebat, orbitas non impediebat coniuges, quo minus solidum inter se caperent: ita nec fraudi amplius erat senibus, si liberos in matrimonio tam diuturno non sustulissent. Anni vero isti legibus finiti in viris erant sexagesimus, in feminis quinquagesimus. Ita enim ipse VLPIANVS (c) hoc caput interpretatur: *Id est, vir* SEXAGINTA *annos, vxor* QVINQVAGINTA. Quemadmodum enim qui intra hos annos nec matrimonium iniissent, nec procreassent liberos, ipsis poenis caelibatus orbitatisque liberabantur capite huius legis tertio: ita et solidi capaces erant, qui hos annos exegissent IN MATRIMONIO, tanquam qui iam patriae priamoque satisfeciissent.

IIII. Sequitur caput legis XXII: ITEM SI COGNATI INTER SE COIERINT VSQVE AD SEXTVM GRADVM, EIS SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS ESTO. Romanos in coniunctionibus honestatis potissimum habuisse rationem, nec promiscue inter cognatos concessisse nuptias, in vulgus notum est. In linea recta illae prohibitae erant in infinitum: in collaterali aequali demum in gradu quarto inter consobrinos; in inaequali tantum inter eas personas, quae sibi inuicem parentum liberorumque loco haud erant, permittebantur. Si qui vero cognati, quos leges coire non prohibebant, inierant matrimonium:

(a) L. 40. §. 1. *D. de adopt.*
(b) *Comment. iur. cin. Lib. VIII. cap. 4. num. 3.*
(c) *Tit. 16. §. 1.*

BIU Cujas

aequum videbatur, duplex istud vinculum coniugibus ad solidi capacitatem prodesse. Non abs re autem additur VSQVE AD SEXTVM GRADVM. Nam et his solis Praetor dabat bonorum possessionem, non habita vlteriorum graduum ratione, nisi ex septimo sobrino sobrinaque nati nataeue (a). Immo non facile, quum de naturali cognatione quaeritur, septimus gradus exceditur, quatenus vltra eum fere gradum rerum natura cognatorum vitam consistere non patitur, vti ait MODESTINVS. (b)

Praecipue autem lex prudenter adiecerat: SI INTER SE COIERINT, ne id priuilegium ad sponsos pertinere existimaretur. Quos alioquin maritorum iure frui passa erat lex Iulia et Papia: Nam his cognatis qui haud inter se coierant, hoc legis beneficio ne quidem opus erat, quia sibi inuicem quaeuis relinquere iure poterant, dum ne alias essent solidi incapaces. Male ergo vir summus, IAC. CVIACIVS (c), haec ad caelibes producit, existimans, eos vtilitate testamentaria excidisse, nec solidum potuisse capere, nisi ex testamentis cognatorum intra sextum gradum. Male etiam vir doctissimus, IAN. VINC. GRAVINA (d), qui longius ratiocinando progressus, agnatos sine fraude legis Papiae Poppaeae vsque ad decimum gradum existimat inter se capere potuisse, quia is sit gradus agnationis extremus (e). Enimuero inter cognatos et agnatos lex nostra haud distinguit, nec ICtorum est, huiusmodi leges ad alios proferre casus, de quibus altum est in ipsa lege silentium.

V. Capite XXIII. cauebatur: SI VIR ABEST REIP. CAVSSA, DONEC ABEST, ET INTRA ANNVM POSTQVAM ABESSE DESIERIT, LIBERA INTER EVM ET VXOREM TESTAMENTI FACTIO ESTO. Vir laude nostra maior, IAC. GOTHOFREDVS (f), non modo hanc particulam a reliquis de solidi capacitate capitibus seiungit, ex eaque singulare constituit caput, quod ipsi est duodeuigesimum: verum etiam illud ita refingit: *Si vir commodi sui caussa absit, ex bonis vxoris suae solidum ne capito: at si sine detrectatione reip. caussa aberit, et donec abest, et intra annum, postquam abesse desiit, libera inter virum et vxorem testamenti factio esto.* Consilii sui diuulsaeque a reliquis capitibus huius particulae eam rationem reddit vir eximius, quod VLPIANVS (g) libro demum commen-

(a) §. *vlt. Inst. de succeſſ. cogn.*
(b) L. 4. *pr. D. de grad. et adfin.*
(c) *Paratitl. C. de infirm. poen. caelib.*
(d) *De leg. et SCto num. 51. pag. 584.*
(e) §. *vlt. Inst. de succ. cogn.*
(f) *Ad leg. Pap. Popp. cap. 18.*
(g) L. 36. *et* 38. *D. ex quib. causs. maior.*

BIU Cujas

commentariorum sexto, quid sit reip. causſa abesſe, exponat, quum de solidi capacitate egerit libro quarto. Quae de viro sui commodi causſa absente adsuit, ea niti ait epigrammate hoc MARTIALIS (a):

Nescio quid de te non belle, Dento, fateris,
Coniuge qui ducta iura paterna petis.
Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, et in patriam serus ab vrbe redi.
Nam dum tu longe deserta vxore domoque
Tres quaeris natos, quattuor inuenies.

Ex quo GOTHOFREDVS infert, eos, qui ab vxore abesſe vellent, ius liberorum petere consueuisſe a principe. Enimuero, quum VLPIANVS (b) hanc legem reliquis de solidi capacitate adiungat, nec verosimile sit, legem nostram accurate scriptam, capita, quae de solidi capacitate agunt, hunc in modum diuulsisſe: non abs re suspicamur, illa VLPIANI fragmenta de absentia reip. causſa ad aliud caput legis nostrae pertinuisſe, de quo infra videbimus. Deinde ex MARTIALIS epigrammate, vti iam V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (c) obseruauit, frustra probatur, virum qui commodi sui causſa abfuerit, hoc beneficio ab ipsa lege fuisſe priuatum. Nec Dento, in quem ludit MARTIALIS, ideo ius liberorum petebat, vt ab vxore abesſet, sed idcirco aberat, quia petebat ius liberorum. Id autem facile largimur viro eximio, e textu VLPIANI excidisſe verba REIPVBLICAE CAVSSA: quia annus vacationis non dabatur absentibus quibusuis, sed iis, qui postquam reipublicae causſa abfuerant, domum reuertissent.

Ait ergo lex: SI VIR ABEST REIP. CAVSSA: adeoque id beneficium non conceditur iis, qui sui commodi, veluti commerciorum causſa aberant (d), nec qui alterius grandis commodi causſa id agebant, vt reip. causſa abesſent (e), vti saepe libera republica legationes liberae impetrabantur ab iis, quibus negotia essent in prouinciis, nec qui data opera id affectarant, aut profecti erant maturius, aut dicis gratia reip. causſa aberant (f): sed qui auctoritate publica, et bono

(a) *Lib. VIII. Epigr.* 31.
(b) *Fragm. tit.* 16. §. 1.
(c) *Ad* VLPIAN. *pag.* 612.
(d) L. 1. §. 1. L. 36. *ex quib. causſ. maior.*
(e) L. 4. *D. eod.*
(f) L. 5. *D. eod.*

BIU Cujas

bono publico peregre versabantur (a) veluti magistratus, euntes in prouincias (b), eorumque comites, ministri, milites (c), et quicumque ad negotium reip. caussa expediendum amandabantur (d), veluti legati.

His omnibus id competebat priuilegium, DONEC ABESSENT, ET INTRA ANNVM POSTQVAM ABESSE DESIERANT. Quae vacatio annua ab eo incipiebat momento, quo finito munere, Romam redibant (e). Hinc non proderat illis absentia, qui in prouincia vltra tempus, constitutionibus conceſſum, adsederant (f). Nisi princeps adsidere diutius speciatim permisisset (g). Ad reuertendum vero tantum illis laxamenti indulgebatur, vt commode in vrbem reuerti possent, nec proficiebat eis tempus, quo aliquo deflexerant suae rei causla, praeterquam si infirmitate impediti, iter continuare haud possent. Tunc enim ratio habebatur humanitatis, sicuti haberi solebat et hiemis, et nauigationis, ceterorumque, quae casu contingunt (h).

Iusto vero tempore reuersi anni habebant vacationem, non solum, vt excusarentur a muneribus publicis, verum etiam, vt LIBERA interea INTER CONIVGES esset TESTAMENTI FACTIO, adeoque alter ex alterius testamento solidum iure caperet, etiamsi nullos vel superstites haberent, vel amisissent communes liberos.

Ratio huius priuilegii a more antiquo videtur arcessenda, quo feminis haud licebat viros, ituros in prouincias vel castra, comitari. De libera re publica id certissimum est, laudaturque a M. SENECA (i) vir grauissimus Flaminius, quod exiturus in prouinciam vxorem a porta dimiserit. Quae vetus disciplina ad Augustum vsque mansit, sub quo lex nostra lata est. De eo enim SVETONIVS (l): *Disciplinam*, inquit, *seueriſſime rexit, ne legatorum quidem, niſi grauate, hiberniſque demum menſibus, permiſit* VXOREM INTERVISERE. Quamuis itaque Augustus ipse, Liuia comite, aliquando obiret prouincias: non tamen id indulgebat aliis. At sub Tiberio non solum Agrippina cum Germanico in prouinciam iuit, verum etiam Caecinae, referenti ad Senatum, ne quem magistratum, cui prouincia obueniſſet, vxor comitaretur, grauiter a Valerio Messalino, ipsoque Druso reclamatum, eoque

(a) L. 36. *D. ex quibus cauſ. maiores.*
(b) L. 16. *D. de off. praeſ.* L. 32. *quib. ex cauſſ. mai.*
(c) L. 33. *§.* 4. *D. eod.*
(d) L. 8. L. 35. §. 1. *D. eod.*
(e) L. 38. §. 1. *D. eod.*
(f) L. 37. *D. eod.*
(g) L. 38. *pr. D. eod.*
(h) L. 38. *§.* 1. *D. eod.*
(i) *Controu. Lib. IIII.*
(l) *Annal. Lib. III. cap.* 32.

BIU Cujas

eoque conuicio eius sententia eluſa eſt, teſte TACITO (a). Frequenter itaque ab eo tempore vxores magiſtratuum haerebant in prouinciis, veluti vxor Pilati (b), et Druſilla Felicis (c) Procuratorum Caeſaris per Iudaeam, C. Plinii Secundi, Propraetoris prouinciae Ponticae conſulari poteſtate in Bithynia (d), aliorumque virorum recti exempli domi militiaeque. Hinc de ſuo tempore VLPIANVS (e): *Proficiſci autem procoſ. melius eſt ſine vxore, ſed et* CVM VXORE POTEST, *dummodo ſciat, Senatum Cotta et Meſſalla Coſſ.* (adeoque ſub Tiberio anno V. C. 772.) *cenſuiſſe, futurum, vt, ſi quid vxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis ratio et vindicta exigatur.* Quum ergo eo tempore, quo lex noſtra lata eſt, nondum vxoribus aditus pateret in caſtra et prouincias: facile reddi poterit ratio, cur Auguſtus abſentes reip. cauſſa a legum rigore eximendos cenſuerit, eo tempore, quo ab vxoribus ſecubare auctoritate publica cogerentur: et cur iiſdem anni dederit vacationem, vt reduces ſpatium haberent, communem ſibi filium filiamue quaerendi. Ex quo vero, laxata hac diſciplina, vxores coeperant cum viris in prouincias ire, ceſſaſſe id priuilegium ſaltim in iis, quibus vxor indiuidua comes haeſerat, facile eſt ad exiſtimandum.

VI. Sequitur caput XXIV., quod tale fuit, teſte VLPIANO: ITEM SI FILIVM FILIAMVE COMMVNEM HABEANT, AVT QVATVORDECIM ANNORVM FILIVM, VEL FILIAM DVODECIM AMISERINT, VEL SI DVOS TRIMOS, VEL SI TRES POST NOMINVM DIEM AMISERINT, AVT SI INTRA ANNVM ET SEX MENSES ETIAM VNVM CVIVSCVMQVE AETATIS IMPVBEREM AMISERINT, SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS ESTO. Proderant ergo et liberi ad ſolidi capacitatem, et quidem vel ſuperſtites, vel amiſſi. Superſtes proderat etiam VNVS vel VNA, FILIVS FILIAVE COMMVNIS, id eſt ex illis parentibus, qui ſolidum inter ſe capiebant natus nataue. Quare ſi quando *liberis interuenientibus* ſolidum capi potuiſſe, πληθυντικῶς dicitur (f): id non ita intelligendum eſt, ac ſi vnus vnaue non ſuffecerit: ſed quod ibi Imperator omnes caſus lege hac expreſſos coniunxerit.

Porro parentes aut vnum amiſerant, aut duos, aut tres, idque vel iam pridem, vel intra annum et ſex menſes. Vnus vnaue iam pridem amiſſus amiſſaue ſolidum praeſtabat, ſi FILIVS QVATVORDECIM ANNORVM vel FILIA DVODECIM turbato naturae ordine ante parentes obiiſ-

(a) *Annal. Lib. III. cap.* 32.
(b) *Matt. XXVII.* 19.
(c) *Act. XXIIII.* 24.
(d) PLIN. *Lib. VIIII. Epiſt. CXXI.*
(e) L. 4. §. 2. *D. de off. procoſ.*
(f) L. 7. *C. de nauicular.*

BIU Cujas

set. Eum enim terminum ordinarium pubertatis et viripotentiae esse, nemo ignorat. Equidem in codice Tiliano, vnde hos VLPIANI titulos primum restitutos nouimus, vocabulum DVODECIM non exstare, obseruat EM. MERILLIVS (a); sed probum id omnino videtur et genuinum: partim quod ad pubertatis annos respexit legislator, quam ipse in feminis capite huius legis v. duodecim annis finiuerat: partim quod ea aetas procul dubio ab hac lege Papia Poppaea, quam κατ' ἐξοχήν legis nomine venisse animaduertimus, LEGITIMA dici solebat veteribus, veluti in marmore apud IAN. GRVTERVM (b):

D. M.
IVLIAE. SECVNDINAE. FILIAE.
ET. FORMA. SINGVLARI. ET.
MORIBVS. PIISSIMIS. DOCTRI
NAQVE. SVPER. LEGITIMAM.
SEXVS. SVI. AETATEM. PRAES
TANTISSIMAE. QVAE. VIX
IT. ANN. XI. MENS. VIIII
D. XX.

Iulia illa Secundina vix duobus mensibus aberat a pubertate vel viripotentia, eamque parens in monimento vocat LEGITIMAM SEXVS SVI AETATEM, id est, vti ego interpretor aetatem, quam lex Papia Poppaea feminis ad pubertatem virique potentiam sufficere statuerat: quemadmodum et in iure nostro haec aetas aliquando LEGITIMA (c) vel IVSTA adpellatur (d), quum alias, vti BARN. BRISSONIVS (e) demonstrauit, maiorennes demum ad iustam vel legitimam aetatem dicantur peruenisse.

Sufficiebant porro DVO TRIMI AMISSI, vel quod ante triennium Romani mamma infantes depellere non solerent, ab eoque tempore demum iis alimenta decernerentur (f), vti viro summo, IAC. CVIACIO (g) visum est, vel quod veteres trimos, teste PLINIO (h), ad dimidiam futurae mensurae peruenisse crederent, et hinc duos trimos vni puberi aequipararent: quam rationem reddit EM. MERILLIVS (i), subtiliorem

(a) *Obs. Lib. XI. cap. 37.*
(b) *Inscr. pag. 690. n. 4.*
(c) L. 50. §. 6. D. *de legat. 3.*
(d) L. 8. D. *de condict. causs. dat.*
(e) *De verb. sign. Lib. X. pag. 317.*
(f) L. 9. C. *de patr. pot.*
(g) *Obs. Lib. XVIIII. cap. 40.*
(h) *Lib. VII. Hist. nat. cap. 16.*
(i) *Obs. Lib. II. cap. 37.*

BIU Cujas

tiliorem tamen, si quid video, quam veriorem. CVIACII ratio, tanquam simplicior sese commendaret, dummodo certiore niteretur fundamento. Quod enim ex historia Maccabaeorum (a) excitatur testimonium, si quid veri inest, ad Ebraeorum magis, quam Romanorum, mores pertinet. Vltra biennium tamen vbera suxisse infantes Romanos, vel exemplo Tiberii patet, quem bimulum cum Liuia matre in fuga fuisse scribit VELLEIVS PATERCVLVS (b), quo tempore, teste SVETONIO, (c) vagitu suo paene bis prodidit parentes, semel, quum a nutricis vbere, item, quum a sinu matris raptim auferretur. Alii infantes adhuc tardius depellebant vberibus: et de Plotino suo refert PORPHYRIVS (d) eum iam octennem, adhuc tamen ad nutricem diuertere, sugendique lactis auiditate, eius nudare papillas consueuisse.

Denique et ob TRES POST NOMINVM DIEM (ita enim pro *nonum diem* iterum rescribendum esse, recte monuit EM. MERILLIVS (e). AMISSOS solidum inter se capiebant coniuges. Quum vero de nominum die iam supra plus satis dictum sit, nihil est, quod hic plura addere velimus.

Hactenus de liberis iam pridem amissis. Sin non ita multum temporis praeteriisset a morte infantis, locum habebant, quae porro in lege nostra sequuntur: AVT SI INTRA ANNVM ET SEX MENSES ETIAM VNVM CVIVSCVNQVE AETATIS IMPVBEREM AMISERINT, SOLIDVM INTER SE CAPIVNDI IVS ESTO. Vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS haec partim ad priora refert, partim nouam inde format regulam, et hinc verba capitis talia fuisse suspicatur: *Vel si tres post nonum diem amiserint, intra annum tamen et sex menses. Etiam vnus cuiuscumque aetatis impubes amissus solidi capiendi ius praestato.* Sed si vnus cuiuscumque aetatis impubes amissus solidi capiendi ius praestitit: cur non idem praestiterint tres post nominum diem amissi, nisi intra annum et sex menses fuerint elati? Sane ea sententia non fluit ex VLPIANI (f) verbis, quae ita sunt interpungenda: *Vel si tres post nonum* (nominum,) *diem amiserint, vt intra annum tamen et sex menses etiam vnus cuiuscumque aetatis impubes amissus solidi capiundi ius praestet.* Nouus ergo hic casus est, et veluti exceptio a regula. Quum enim non nisi ob puberem vnum amissum solidi capaces essent parentes: haec statim additur exceptio, quod et impubes vnus amissus profuturus sit, si intra annum et sex menses proximos decessisset. Id vero spatium eodem

(a) 2. *Macc.* 7.
(b) *Lib.* II.
(c) *Tiber. cap.* 6.
(d) *Vit. Plotini. cap.* 3.
(e) *Ibid.*
(f) *Fragm. tit.* XVI. §. 1.

BIU Cujas

modo computandum esse monuit PAVLLVS (a), quo computari solebat aetas anniculi, puta vt vltimus dies coeptus pro expleto haberetur. Eo enim illud PAVLLI fragmentum ex libro commentariorum secundo commode referri posse arbitramur.

Quod si nec communis exstabat filius filiaue, nec vllus vllaue erat amissus vel amissa: coniuges inter se solidum capere non poterant, nisi per substitutionum ambages, quibus leges caducarias eludi consueuisse IVSTINIANVS (b) obseruat. Quo pertinet lex TERENTII CLEMENTIS (c), a pluribus tentata, quam expedita, cuius species talis est. Titius filius impuberem ex priore susceptum matrimonio heredem instituerat, eidemque substituerat Maeuiam vxorem, quae ex Titio nunquam pepererat, adeoque nec solidi ex eius testamento capax erat. Attamen et ipsa capere poterat ex testamento alterius, veluti quod ex priore matrimonio tres liberos haberet superstites. Quaerebatur, an Maeuia substituta, mortuo intra pubertatem herede, hereditatem capere posset, quum solidi ex testamento mariti esset incapax? Aliter respondit IVLIANVS, aliter TERENTIVS CLEMENS. Hic ait: *Si is, qui ex bonis testatoris solidum capere non possit*, (qualis hic est Maeuia) *substitutus sit ab eo* (testatore) *impuberi filio eius: solidum ex ea causa capiet, quasi* (non a testatore marito, sed) *a pupillo*, (adeoque extraneo,) *capiat.* Ille vero distinguit inter bona pupillo adquisita, et quae ex testamento paterno ad illum peruenerint. Hinc pergit TER. CLEMENS: *Sed hoc ita interpretari Iulianus noster videtur, vt ex bonis, quae testatoris fuerant, amplius capere non possit*, (quam per decimarias leges licet.) Quod *si pupillo praeterea aliquid adquisitum esset, aut si exheredato esset substitutus, non impediri eum capere, quasi a pupillo capiat.* A pupillo autem priuigno solidum capere Maeuia poterat, tamquam ex testamento alterius, quia trium liberorum mater erat. Ita diuersa sunt horum ICtorum responsa, quamuis praeferenda videatur TER. CLEMENTIS decisio, quia postquam semel ad pupillum peruenerant Titii bona, ea paterna esse desierant, eaque Maeuia reuera non a Titio, sed a pupillo priuigno cui fuerat substituta, capiebat. Quum etiam quod vltra, quam per legem quis capere posset, fuerat legatum, aerarium vel fiscus praeriperet: ad eum excludendum nouam excogitauerant

(a) PAVLL. *Lib. II.* L. 134. *D. de verb. sign.*

(b) L. *vn. pr. C. de caduc. toll.*

(c) TER. CLEM. *Lib. IIII.* L. 6. *D. de vulg. et pupill. substit.*

BIU Cujas

uerant ſubſtituendi formam, cuius meminit CAIVS (a): VT SI IS HERES NON ESSET, QVISQVIS SIBI HERES ESSET, IS IN PARTE QVOQVE DEFICIENTIS ESSET HERES. Tunc enim partem deficientem non fiſcus adimebat, ſed pro qua quiſque parte heres exſiſtebat, pro ea parte eum in portione deficientis vocari placebat.

VII. Proximum eſt caput XXV. ITEM VXORI, QVAE POST MORTEM VIRI INTRA DECEM MENSES EX EO PEPERERIT, SOLIDVM EX BONIS EIVS CAPIVNDI IVS ESTO. Alioquin vel vnus ſuperſtes exigebatur, vel plures amiſſi: venter vero nec ſuperſtes erat, nec amiſſus quia nondum ex veterum principiis homo, vel animal dici poterat, ſed pars viſcerum maternorum. Addit tamen lex, futurum quoque vel poſtumum matri profuturum ad ſolidi capionem. Quum vero periculoſum videretur hoc priuilegium, quod viduam facile ad ſtuprum partuſque ſuppoſitionem inuitaret, ſi ſe a viro heredem inſtitutam noſſet, quale fere eſt exemplum apud TACITVM, a P. Quirinio, diuite atque orbo delatae, ac ſi partum ex ſe poſt repudium ſimulaſſet (b): cautionem lex addiderat: ſi INTRA DECEM MENSES EX EO PEPERERIT. Decem vero iſti menſes ita computabantur, vt et dies, quo maritus exceſſerat, connumeraretur, quo modo intelligenda verba VLPIANI (c): *ſi quis ſic dixerit, vt intra diem mortis eius aliquid fiat, ipſe quoque dies, quo mortuus, eſt connumeratur.*

Hinc non proderat partus, niſi intra menſem decimum vel eius ſaltim vltimo die fuſus a vidua, ſiquidem decem menſes non modo inceptos, ſed et exactos hominem gignendi ſummum finem eſſe, veteres credebant, teſte SVIDA (d) et GELLIO (e), qui etiam huc refert illa PLAVTI (f).

\- - - - *Tum illa, quam compreſſerat,*
DECIMO *poſt* MENSE EXACTO, *hic peperit filiam.*

Multo minus vltra menſem a morte mariti decimum pariens mulier ſolidum capiebat ex mariti teſtamento, niſi ſingularis feminae ſanctitas benigniorem principi ſententiam ſuaderet. Quale quid poſtea decretum ab Hadriano. Nam idem auctor eſt GELLIVS (g), *Romae feminam bo-*

 nis

(a) CAIVS *Lib. III. L. 5. D. de vulg. et pupil. ſubſt.*
(b) TAC. *Annal. Lib. III. cap. 22.*
(c) VLP. *Lib. IIII. L. 133. D. de verb. ſign.*
(d) SVID. *voce* Αελιων.
(e) *Lib. III. cap. 16.*
(f) *Ciſtellar. Act. I. Scen. III. v. 14. 15.*
(g) *Ibid.*

BIU Cujas

nis atque honestis moribus, non ambigua pudicitia, in vndecimo mense post mariti mortem peperisse, factumque esse negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepissset, quoniam decemuiri in decem mensibus gigni hominem, non in vndecimo scripsissent: sed D. Hadrianum caussa cognita, decreuisse, in VNDECIMO *quoque* MENSE *partum edi posse*, in eoque decreto, a Gellio etiam lecto, scriptum fuisse, *id Hadrianum statuere requisitis veterum philosophorum et medicorum sententiis.* Id in mentem venisse Hadriano eo minus videtur mirandum, quod Gracchum, primum ita dictum, duodecim mensibus teste CHARISIO (a) in vtero fuisse dicatur, et tredecim mensium partum iam olim a L. Papirio praetore admissum esse, Massurii Sabini fide PLINIVS (b) refert, cuius haec verba et apud GELLIVM (c) sunt. *Massurius auctor est, L. Papirium praetorem, secundo herede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, quum mater partum se* TREDECIM MENSIBVS *tulisse diceret, quoniam nullum certum tempus pariendi statutum ei videretur.* Quantuscumque vero ea de re fuerit veterum dissensus: ab Augusti saltim temporibus ad Hadriani imperium, non nisi ei mulieri, quae intra decem menses a morte mariti postumum postumamue enixa fuerat, solidi capiendi ius fuit. Et quum eum terminum, dissimulato Hadriani decreto, retinuerit VLPIANVS: facile patet, illud, quod iste in singulari specie decreuerat, ad exemplum trahi non consueuisse: adeoque recte intelligendum esse, quod ipse scribit VLPIANVS (d): *Quodcumque Imperator cognoscens* DECREVIT, *vel de plano* INTERLOQVVTVS *est*, LEGEM *esse constat.* Decreta enim et olim iuris vel legis vigorem habebant inter partes, ad exemplum non trahenda, nisi vel princeps iuberet, vel eadem per omnia species similem decisionem posceret. Sed haec de lege nostra. Eodem IAC. GOTHOFREDVS refert fragmentum TER. CLEMENTIS (e): *Sed si hoc specialiter expresserit testator, etiamsi ex alio post mortem suam liberos procreauerit, nihilominus eam ad legatum admitti.* Ex quo colligit vir eximius, potuisse viduam ex mariti testamento solidum capere, etiamsi non EX EO, sed ex alio pepererit, modo hanc conditionem speciatim expresserit testator. Enimuero res ipsa docet, TER. CLEMENTEM non loqui de solidi capione, sed de legato, quod mulieri fuerat sub conditione relictum si liberos habuerit, adeoque illud veteris ICti fragmentum ad leges potius decimarias pertinet, ad quarum caput XVIII illud iam supra retulimus.

VIII.

(a) *Institut. Gramm. Lib. II.*
(b) *Lib. VII. Hist. nat. cap. 5.*
(c) *Ibid.*
(d) **L. 1. §. 1. D.** *de Const. princ.*
(e) **L. 62. pr. D.** *de cond. et dem.*

BIU Cujas

VIII. Caput XXVI. vltimum complectitur casum, quo solidum inter se capiebant coniuges, de quo VLPIANVS (a): ITEM QVI IVS LIBERORVM A SENATV IMPETRAVERINT, SOLIDVM INTER SE CAPIVNTO. *Ius liberorum* definiente ISIDORO HISPALENSI, (b) est *coniugum* SINE LIBERIS *inuicem pro loco pignorum hereditatis alterna conscriptio*, id est, ius, quo impetrato coniuges, etiam proles, non minus ac si liberos sustulissent, se inuicem ex asse heredes scribere poterant. Eodem enim modo et DIO CASSIVS (c) ius liberorum describit, dum illud viris feminisque concessum refert, quibus fata negassent liberos. Nec aliter PLINIVS (d) Suetonio, *parum felix matrimonium experto*, ius liberorum petens, et MARTIALIS (e), ad principem scribens,

Quod FORTVNA *vetat, fieri permitte videri,*
Natorum genitor CREDAR *vt esse trium.*

Quum vero alioquin modo ius trium, modo quatuor liberorum memoretur: hic sufficiebat generatim IVS LIBERORVM, quia et vnus vel vna filius filiaue communis ad solidi capionem proderat. Vocatur alias IVS COMMVNE LIBERORVM apud GRVTERVM (f), quamuis ibi errasse crediderim vel lapicidas, vel descriptorem, positumque coniiciam: IVS COMMVNIVM LIBERORVM. Communes enim liberos has leges de solidi capacitate exegisse, iam supra vidimus.

Ius hoc tempore Augusti, quo lex nostra lata est, non concedebatur a principe, quemadmodum de suae aetatis consuetudine loquitur VLPIANVS (g): nec a populo, vti hoc caput extulit IAC. GOTHOFREDVS: nec a plebe vrbana, ceu ex marmore paullo ante allegato perperam collegit vir summus, IOS. SCALIGER, in Indice Gruteriano, quum tamen ibidem diserte legatur: CVI IMP. --- IVS COMMVNE LIBERORVM CONCESSIT: sed a senatu. Concessio enim huius priuilegii erat species lege solutionis. Lege vero iam libera republica multoque magis sub Augusto non populus soluebat, sed Senatus. Quamuis enim temporibus antiquissimis Senatusconsultum, quo quis legibus solueretur, vix ratum esset, nisi illud populus tributim valere iussisset: ASCONIVS tamen PAEDIANVS (h), qui id obseruat, recte

(a) *Fragm. tit. XVI.* §. 1.
(b) *Lib. V. Orig. cap.* 35.
(c) *Lib. LV. pag.* 549.
(d) *Lib. X. Epist. LXXXV.*
(e) *Lib. II. Epigr. LXXXI.*
(f) *Inscr. pag.* 322. *n.* 8.
(g) *Fragm. tit. XVI.* §. 1.
(h) *Schol. in Cic. pro C. Cornelio p. m.* 1307.

BIU Cujas

cte addit, iam libera republica ea de re desitum esse ad populum referri, et ne formulam quidem amplius adscribi consueuisse SCtis: VT DE EA RE AD POPVLVM FERRETVR. Hinc quum anno V. C. 686. C. Calpurnio Pisone M. Acilio Glabrione coss. C. Cornelius, Tribunus plebis, senatui infensus, promulgasset legem, *ne quis nisi* PER POPVLVM *legibus solueretur*, eam ob tumultum perferre non poterat, et hinc iterum ferre coepit, *ne quis* IN SENATV *legibus solueretur, nisi ducenti adfuissent, neue quis, quum solutus esset, intercederet.* Itaque per legem Corneliam salua ac illibata senatui mansit auctoritas, isque et ante et post ea tempora semper eo iure legibus, quoscumque vellet, soluendi vsus est. Ita, teste CICERONE, (a) non populus, sed SENATVS *Brutum, referente Antonio*, LEGE SOLVIT, *qua ei non licuisset ab vrbe plus, quam decem dies abesse.* Idem auctor est (b), *Pompeium*, EX SC. LEGIBVS SOLVTVM, *consulem ante factum, quam vllum alium magistratum per leges capere licuisset.* Caesarem porro apud senatum, licet frustra, ambiisse, vt legibus, per quas eius absentis ratio non haberi poterat, solueretur, refert SVETONIVS (c). Apud LIVIVM (d) porro legimus, SENATVM *Campanis concessisse, vt iis ciues Romanas vxores ducere liceret, et si qui prius eas duxissent, vt habere eas, et ante eum diem nati, vti iusti iis liberi heredesque essent.* Manserunt huius iuris vestigia sub Imperatoribus, saltim sub Augusto. Ipse enim Octauiam sororem, ex defuncto nuper Marcello praegnantem, Antonio daturus vxorem, a Senatu prius impetrabat, vt lege solueretur (e). Eodem ergo exemplo tunc ius liberorum nec a principe nec a populo, sed a Senatu, erat impetrandum. Diserte enim DIO CASSIVS (f): Οἷς γὰρ ἂν τὸ δαιμόνιον εἴτ' ἔν ἀνδρῶν εἴτε γυναικῶν μὴ δῷ τοσαυτάκις τεκνῶσαι, τούτων πσίν ὁ νόμος, πρότερον μὲν ΔΙΑ ΤΗΣ ΒΟΥΛΗΣ, νῦν δὲ διὰ τοῦ αὐτοκράτορος τὰ τῶν γεγεννηκότων δικαιώματα χαρίζεται. *Quibus enim seu viris seu feminis fatum aliquod prouentum tot liberorum negauit, iis lex antea quidem* PER SENATVM, *nunc autem per principem iura gratificatur natorum.* Vnde mireris, GOTHOFREDVM (g), accuratissimum alioquin virum, scribere non dubitare: *Liberorum communium ius populus tribuebat. Vid. Dion. Lib.* LV. *postea princeps.* Alia enim omnia dicere vidimus DIONEM. Mature tamen eam

(a) *Philipp. II. cap.* 18.
(b) *Pro lege Manil. cap.* 21.
(c) *Iul. cap.* 18.
(d) *Lib. XXXVIII. cap.* 36.
(e) PLVTARCH. *in Anton.*
(f) *Lib. LV. pag.* 549.
(g) *Ad Leg. Pap. XIII. pag.* 289.

BIU Cujas

eam facultatem, ius liberorum concedendi, vti alia pleraque, senatui extorserunt principes. Saltim iam sub Domitiano a solo principe hoc ius impetrandum fuisse, saepiuscule monet MARTIALIS, in primis, vbi de se ipso canit:

Natorum mihi ius trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
SOLVS QVI POTERAT. *Valebis vxor:*
Non debet DOMINI *perire munus.*

Postea et Traianus haud paucis ius liberorum dedit, rogante in primis PLINIO (a). Vnde facile patet, cur VLPIANVS de sua aetate scripserit: *si ius liberorum* A PRINCIPE *impetrauerint.*

VIIII. Hactenus de solidi capacitate inter coniuges: iam de iis qui ex aliorum testamentis capiebant solidum. Alia vero masculorum, alia feminarum erat conditio. De illis dicitur capite XXVII: EX ALIORVM TESTAMENTIS PATER SOLITARIVS SOLIDVM CAPITO. Proprium ac legitimum hoc fuisse legis Papiae Poppaeae vocabulum, vel ex VLPIANI fragmentis (b) patet, in quibus rubrica *de caelibe, orbo et* SOLITARIO PATRE supereſt, quamuis ipse titulus rubricae haud respondeat. *Pater* vero *solitarius* est, qui vel vnicum habet filium. Sufficit enim vel vnus ad euitandas orbitatis poenas. Vnde CAIVS (c), aliud interpretaturus legis nostrae caput: *Non est*, inquit, *sine liberis, cui vel vnus filius vnaue filia est. Haec enim enunciatio:* HABET LIBEROS, *semper pluratiue numero profertur, sicut et pugillares et codicilli.* Solitarii huiusmodi parentis mentionem fieri arbitror in marmore hoc Viennensi apud GRVTERVM (d):

D. M.
MEMORIAE. AETERNAE.
SOCCHIAE. EMEADIS
DVLCISSIM. ET. SVPER. AE
TATEM INGENIO. NOBI
LISSIMO. QVI. VIXIT. AN.
- - MENSES VIII. D. XXIIII.
- - L. BOCONIVS PHOLINVS. PA
TER.

(a) *Lib. II. Epist.* 13. *Lib. VII. Ep.* 16. *Lib. X. ep.* 11.
(b) *Fragm. tit. XIII.*
(c) L. 148. *D. de verb. sign.*
(d) *Inscript. pag.* 1037. *num.* 7.

BIU Cujas

TER. PARENTES. INFELICIS
SIMI. REPENTINA. HVIVS. A
MISSIONE. ORBATI. FILIO.
KARISSIMO. VNICO. PRAE
CL. P. S. AETATEM. SIBI. EREPTO.
ET SIBI. VIVI. POSTERISQVE.
SVIS. PO. ET. SVB. ASCIA
DEDICAVERVNT.

Quamuis enim litteras ſingulares et verba ſequentia: P. S. AETATEM. SIBI. EREPTO ita exponat ὁ πάνυ Ios. SCALIGER in indice abbreuiationum, PER SENILEM AETATEM SIBI EREPTO: ea tamen interpretatio vel ideo non veroſimilis eſt, quia vnico amiſſo filio, parentes tamen adhuc ſperant *poſteros*, quibus et monimentum ſimul dedicant. Vnde eius procul dubio fuere aetatis, qua nondum iis decollauit ſpes omnis procreandi ſobolem. Quare quum ſimul eum filium, tanquam vnicum, defleant: ego inſcriptionem ita legerem: *Parentes infeliciſſimi, repentina huius amiſſione orbati, filio cariſſimo, vnico, praeclaro,* et *parentibus ſolitariis, aetatem,* (id eſt in perpetuum) *ſibi erepto, et ſibi viui, poſteriſque ſuis dedicauerunt.*

Ceterum patrem ſolitarium ſolidum capere potuiſſe ex aliorum teſtamentis vel ex loco notiſſimo IVVENALIS (a) patet, qui moecho, alterius vxorem impraegnanti, lepidum hunc ac perridiculum ſermonem adfingit

Nullum ergo meritum eſt, ingrate et perfide, nullum?
Quod tibi filiolus vel filia naſcitur ex me?
Tollis enim, et libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri: foribus ſuſpende coronas,
Iam PATER *es, dedimus, quod famae opponere poſſis:*
Iura PARENTIS *habes, propter me* SCRIBERIS HERES,
LEGATVM OMNE *capis, nec non et dulce caducum.*

Qui enim nec pater erat, ſed orbus, is plane incapax erat ſolidi, eoque adludit TERTVLLIANVS (b): *Aliud eſt, ſi apud Chriſtum legibus* IVLIIS *agi credunt, et exiſtimant, caelibes et orbos ex teſtamento Dei* SOLIDVM CAPERE *non poſſe.* Aliud tamen IVLIANO et TER. CLEMENTI (c) dicendum videtur, ſi hereditas diſſoluendo aeri alieno non ſufficiat,

(a) *Sat. VIIII. v.* 82. *ſequ.*
(b) *De monogam. cap.* 16.
(c) TER. CLEM. *Lib. IIII. L.* 72. *D. de her. inſt.*

BIU Cujas

sufficiat, adeoque fiscus nullum inde speret lucrum. Ita enim intelligenda eius verba: *Si quis solidum, a lege capere non possit, et ex asse sit institutus ab eo, qui soluendo non est:* IVLIANVS *eum ex asse heredem esse respondit. Legi enim locum non esse, in ea hereditate, quae soluendo non est.* Ratio, cur hoc casu legi locus non sit, satis manifesta est. Nam nec fiscus quidquam lucratur, nec heres licet ex asse institutus, reuera capit. *Capere* enim in his legibus cum effectu esse accipiendum, iam supra ex VLPIANO (a) monuimus.

X. Denique quod ad feminas attinet, de iis ita cautum fuisse arbitramur capite XXVIII: ITEM FEMINA INGENVA, SI TRES LIBEROS HABEBIT, ET LIBERTINA, SI QVATVOR, SOLIDVM EX TESTAMENTIS CAPIVNTO. Feminis ergo ingenuis tribus opus erat liberis, si solidum ex aliorum testamentis capere vellent. Id enim innuit DIO (b), dum iuris trium liberorum hanc vim esse ait, ἵνα ἄν τις τι αὐτοῖς τελευτῶν καταλίπῃ, λαμβάνωσιν, *vt si quis mulieribus aliquid moriens relinquat, id illae capere possint.* Libertinis vero quatuor liberis opus fuisse videtur ad solidi capacitatem. Generatim enim de his PAVLLVS (c): *Libertina, vt ius liberorum consequi possit,* QVATER *eam* PEPERISSE *sufficit.*

XI. Hactenus ipsas leges de solidi capacitate breuiter expositimus, quae quibus gradibus processibusque sensim ab vsu recesserint, iam paucis erit disquirendum. Et initio quidem, naues mercaturae caussa fabricantibus, militibus ipsisque nauicularis nec non decurionibus id priuilegium concessum esse, vt solidum eis capere liceret, iam supra obseruauimus. Ipsas has leges de solidi capacitate CONSTANTINVS M. non magis sustulit, quam decimarias. Iuris enim liberorum etiam ab insequentibus Imperatoribus impetrati passim fit mentio in legibus nostris: saltim anno 396. ARCADIVS et HONORIVS dum singulari constitutione (d) cauent, ne ius liberorum petentibus aetas impedimento sit, non ipsum hoc ius tollunt, sed consuetudinem veterem, qua, teste AVGVSTINO (e), non temere cuiquam ius liberorum dabatur, *nisi quum amborum anni computati et simul ducti centum transisse dicerentur*, id est nisi masculus sexaginta, femina quinquaginta annorum esset. Qui mos, saeculo tertio inuectus, postea ab Arcadio et Honorio sublatus videtur. Primus solidi capiendi ius coniugibus omnibus pro-

(a) L. 71. *D. de verb. sign.*
(b) *Lib. LVI. pag. 677.*
(c) *Sentent. Lib. IIII. tit. VIIII. §. 7.*
(d) L. 1. *C. Theod. de iure lib.*
(e) *Adu. Iulian. Lib. III.*

BIU Cujas

miſcue dedit THEODOSIVS iunior (a), qui inter alia: *nemo*, inquit; *poſthac a nobis* IVS LIBERORVM *petat, quod ſimul hac lege* OMNIBVS *concedimus.* Quum autem et poſt Theodoſium ius liberorum aliquando petitum eſſe animaduerterint M. VERTR. MAVRVS (b) et FR. DVARENVS (c): in eam ingreſſi ſunt ſententiam, a Theodoſio non ſublatas eſſe has leges, neque parentibus aequiparatos orbos, ſed tantum modum impetrandi ius liberorum aliquantulum fuiſſe immutatum. Hinc fingunt, eos, qui legitimum liberorum numerum ſuſtulerint, ante hanc conſtitutionem ſolitos eſſe id inſinuare principi, ab eoque impetrare ius liberorum. Quum vero id ſuperuacuum viſum ſit Theodoſio, eum ſemel id ius omnibus, quibus legitimus liberorum numerus eſſet, indulgere voluiſſe. Sed ea in re maxime opinione ſua falluntur viri doctiſſimi. Quis enim eos dixerit ius liberorum a principe impetraſſe, quibus natura ſuffecerat legitimum liberorum numerum? Iam paullo ante ex DIONE vidimus, iis id priuilegium liberorum datum eſſe, οἷς τὸ δαιμόνιον μὴ δῶ τοσαυτάκις τεκνῶσαι, *quibus* FATVM *eum liberorum numerum* NEGAVERIT. Iis vero, qui ipſi liberos procreauerant, MARTIALIS opus eſſe negat hoc beneficio, dum ita ludit in maritum parum fortem:

Vxor quum tibi ſit formoſa, pudica puella:
Quo tibi natorum iura Tibulle trium?
Quod petis a noſtro ſupplex DOMINO*que* DEO*que*
Hoc dabis ipſe tibi, SI POTES.

Rectius itaque IAC. GOTHOFREDVS (d) hac Theodoſii conſtitutione ſublatas quidem eſſe exiſtimat leges Papias, ſed quum ea ad orientem tantum pertinuerit, facile contingere potuiſſe, vt in occidente adhuc ius liberorum peteretur ab HONORIO (e) et VALENTINIANO (f).

Addunt nonnulli, quod et IVSTINIANVS (g) ſingulari conſtitutione ius liberorum dederit omnibus, eoque ipſo aboleuerit has leges: ſed eam legem non ad legem Papiam Poppaeam, verum ad SCtum Tertullianum pertinere, ipſa verba docent, et allegatio eiuſdem in inſtitutionibus noſtris (h). Obſoleuit ergo ius liberorum in oriente per con-

(a) L. 3. C. *Theod. de iur. lib.*
(b) *De iure liberor. cap.* 45. *ſequ.*
(c) *Diſp. Anniuerſ. Lib. I. cap.* 40.
(d) *Ad* L. 3. C. *Th. de iure lib. et* L. *vn. de his, qui num. lib. excuſ.*
(e) L. *vlt. C. Th. de iur. lib.*
(f) *Nou. Valent. tit. IIII.*
(g) L. *vlt. C. de iur. lib.*
(h) *§.* 4. *Inſt. de SCto Tert.*

BIU Cujas

constitutionem THEODOSII: in occidente autem, postquam IVSTINIANVS (a) eamdem corpori suo inseruit. Atque inde est, cur huius iuris tam pauca, ac paene nulla exstent in opere Iustinianeo vestigia.

(a) L. 1. C. *de iure lib.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT XVI.

AD CAPITA LEGIS XXVIIII. ET XXX.

DE LEGATIS ET LIBERTATE DATA SVB CONDITIONE CAELIBATVS.

I. DVo capita sequentia qualia fuerint? II. *Capitis* XXVIIII. *sententia. Conditio caelibatus vel viduitatis saepe imposita heredibus et legatariis. Ea conditio pro non adiecta habita. Variae, quae huc pertinent, leges.* L. 22. D. de cond. et dem. *et* L. 14. pr. D. de legat. 3. *expensae. Conditiones:* SI INTRA TEMPVS NON NVPSERIT, SI HVIC NON NVPSERIT, SI A LIBERIS IMPVBERIBVS NON NVPSERIT, SI ARICIAE NON NVPSERIT, *an valuerint? Cur conditiones legibus aduersae contractus infirmarint, non vltimas voluntates?* cap. vlt. x. de condit. adpos. *rationibus iuris repugnat.* III. *SCtum de viduitatis conditione expositum.* Lex 1. C. de indict. vid. cond. *exposita. Cur hoc caput veniat nomine legis Iuliae Miscellae? An aliquis Iulius Miscellus legem tulerit? Lex haec quando abolita?* L. 2. C. de indict. vid. condit. *explicata. Variae Iustiniani eam in rem editae constitutiones.* IIII. *Caput* XXX. *de conditione caelibatus libertis imposita. Lex Aelia Sentia iam hanc conditionem manumissionis improbauit. Eius a lege Papia Poppaea differentia. Iusiurandum liberto remissum. Permittere pro remittere. Gratiam iurisiurandi facere solebant principes.*

QVae adhuc exposuimus legis Papiae Poppaeae capita, ea quatuor prioribus commentariorum libris exposuerunt VLPIANVS et TER. CLEMENS. Quum vero ea, teste PAPINIANO (b), *legis nostrae fuerit sen-*

(b) L. 72. §. 4. *D. de cond. et demonstrat.*

BIU Cujas

tentia, ne quod omnino nuptiis IMPEDIMENTVM *inferretur*, vel, vti alibi loquitur (a), *ne quod in fraudem legis* AD IMPEDIENDAS NVPTIAS *ſcriptum eſt, vllam vim haberet*, et de huiuſmodi nuptiarum impedimentis variis ea, quae ex VLPIANI et TER. CLEMENTIS libro V. ſuperſunt, fragmenta agant : non dubito, quin haec ipſa materia proximum in lege noſtra locum occuparit.

II. Huiusmodi nuptiarum impedimentum fuit, ſi quis alteri ea conditione aliquid reliquiſſet, vt heres vel legatarius non iniret matrimonium : qua de conditione caelibatus ita cautum fuit legis noſtrae capite XXVIIII :

> *Si quis caelibatus aut viduitatis conditionem heredi legatarioue iniunxerit : heres legatariusue ea conditione liberi ſunto, neque eo minus* DELATAM HEREDITATEM *legatumue ex hac lege conſequuntor.*

Ait lex : SI QVIS CAELIBATVS CONDITIONEM HEREDI LEGATARIOVE INIVNXERIT. Magna Romae fuiſſe orbitatis pretia, iam ſupra demonſtrauimus. Ea ſaepe ſubegerunt parentes, vt, quos maxime amarent liberos, eos in caelibatu aetatem agere cuperent. Hinc vt voti damnarentur, ſaepe ea lege illos inſtituebant heredes, *ſi non inierint matrimonium*. Aliquando et intempeſtiuus amor, vel cura liberorum mouebat maritos, ne viduas aliis viris nubere paterentur. Non nunquam et religio et neſcio quae honeſtatis opinio in cauſſa erant et gentilibus et Chriſtianis primaeuis, vt vel virginitatem perpetuam ſuis iniungerent, vel viduitatem. Nimirum ſemper non modo virginitatem, verum etiam viduitatem maximi fecerunt veteres : ipſaeque matronae ſummae ſibi laudi duxerunt, defuncti mariti cineres perpetua viduitate colere, et a ſecundis abſtinere nuptiis, quae neſcio quid incontinentiae habere videbantur. Graecis ſane praeclarum viſum, μονανδρῆναι, eoque maxime nomine illis celebrata Penelope, quod vidua credita tot procos, tanquam coruos deluſit hiantes, ſaepe ingeminans illud apud HOMERVM (b) :

> Τείην γὰρ κεφαλὴν ποθέω, μεμνημένη αἰεὶ
> Ανδρὸς, τῦ κλέος εὐρὺ καθ' ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος.
>
> *Tale enim caput deſidero, ſemper memor*
> *Viri, cuius lata eſt gloria per Graeciam et medium Argos.*

Con-

(a) L. 79. §. vlt. D. eod. (b) Iliad. α. v. 352.

BIU Cujas

Contra ad infamiam Helenae pertinere voluit AESCHYLVS (a), quod eam πλυάνδρᾳ γυναῖκα; et LYCOPHRON, quod πεντάλεκτρον δυάδα adpellat. Quin Charondas, celeberrimus ille Thuriorum legislator, senatu comitiisque eos moueri iusserat, qui mortuis vxoribus liberis nouercam induxerint (b). Non mitius de secundis nuptiis senserunt gentes aliae. Inter Carthaginenses ab iis in tantum abhorruit Dido, vt apud VIRGILIVM (c) dicat:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Ante, pudor, quam te violem, aut tua iura resoluam.
Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, seruetque sepulcro.

Aegyptii quoque nescio quid incontinentiae et impuritatis inesse rati secundis nuptiis Apidis Sacerdotium non nisi monogamo deferebant, teste LVD. COELIO RHODIGINO (d). Non temere autem eius continentiae studiosior vlla gens fuisse videtur maioribus nostris, de quibus TACITVS (e): *Melius quidem adhuc eae ciuitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe votoque vxoris semel transigitur. Sic vnum accipiunt maritum, quomodo vnum corpus, vnamque vitam, ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament.* Quin inter eos Erulos adeo perosos esse intelligimus secundas nuptias, vt inuisa et infamis esse crederetur vidua, quae se ad viri sepulcrum non statim indueret laqueo (f). Denique et apud ipsos Romanos permulta deprehendimus, quae ad secundarum nuptiarum odium iure referas. Solis vniuiris fas erat Fortunae muliebris, matris Matutae et Pudicitiae signum attingere (g). Solae, teste VALERIO MAXIMO (h) corona pudicitiae honorabantur. Solae inter Sacerdotes Dearum allegebantur (i), adeo vt et ad Vestae Sacerdotium potius Domitii Pollionis, quam Fonteii Agrippae filia admitteretur, non ob aliud, vti obseruat TACITVS (l), quam quod mater eius in eodem coniugio maneret, quum Agrippa domum discidio minuisset. Hinc mirifice laudatur pudicitia Corneliae, Gracchorum matris, cui tantum supererat pudicitiae et magnanimitatis, vt et Ptolemaei, eam ambientis, nuptias repudiaret (m). Nec minorem consequuta gloriam Cornelia altera,

(a) *Agam. v. 62.*
(b) DIOD. SIC. *Lib. XII. cap. 12.*
(c) *Aeneid. Lib. IIII. v. 25.*
(d) *Lect. antiqu. Lib. XXVIII. p. 1079.*
(e) *De morib. Germ. cap. 19.*
(f) PROCOP. *de bello Goth. lib. II.*
(g) FEST. *voce* signum Pudicit.
(h) *Lib. II. Cap. 1.*
(i) TREB. POLL. *de* XXX. *Tyr. cap. 32.*
(l) *Lib. II. Annal. cap. 86.*
(m) PLVTARCH. *vit. Ti. Gracchi init.*

BIU Cujas

tera, ita adloquuta L. Aemilium Paullum apud PROPERTIVM (a):

Iungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili
In lapide hoc VNI NVPTA *fuisse legar.*

Ex quo simul discimus, honori sibi duxisse feminas, si in posterum, vni eas nuptas fuisse, in monimentis sepulcralibus legeretur. Qualis plane est lapis apud THOM. REINESIVM (b), in quo T. Freganius, T. F. Liberalis monimentum fecisse legitur D. M. REIANIAE C. F. MAECIANAE CONI. INCOMPARABILI. VNIVIRAE ET CASTISSIMAE. Contra secundae nuptiae *scaeui ominis et infaustum connubium* videbantur APVLEIO (c), viduaeque apud Romanos teste PLVTARCHO (d), diebus festis nuptias facere iubebantur, vt tam frequenti populi concursu eo magis erubescerent.

Quae quum ita essent, saepe parentes ac mariti liberis vxoribusque perpetuam commendabant viduitatem: veluti Cornelia Paulli apud PROPERTIVM (e):

Filia, tu specimen censurae nacta paternae,
Fac teneas vnum, nos imitata, virum.

Quum vero Augustus conditionem huiusmodi legi aduersam intelligeret, eam pro non adiecta haberi iussit lege Papia Poppaea. Quare si testator scripserat: MAEVIAE, SI NON NVPSERIT, FVNDVM LEGO; confestim illa legati fiebat particeps, etiamsi nuberet (f): idemque obtinebat, si mulier haberet collegatarium, quamuis eo deficiente illi nihil accresceret. Hinc PAPINIANVS (g): *mulieri et Titio vsusfructus,* SI NON NVPSERIT MVLIER, *relictus est. Si mulier nupserit, quamdiu Titius viuet et in eo statu erit, partem vsusfructus habebit: tantum enim beneficio legis ex legato concessum esse mulieri intelligendum est, quantum haberet, si conditioni paruisset, nec si Titius, qui conditione defectus est, legatum repudiet, ea res mulieri proderit.* Perinde quoque est, siue quis ipsi mulieri sub ea conditione legauerit, siue ei, cuius illa in potestate erat, quique iure eius potestatis nuptias prohibere poterat. Nam et illud legatum, quod ad impediendas nuptias et in fraudem

(a) *Lib. IIII. Eleg. XII.*
(b) *Inscr. classs. XIIII. n. 73.*
(c) *Apol. II. pag. 543.*
(d) *Quaest. Rom.* CV.
(e) *Ibid.*
(f) L. 72. §. 5. D. de cond. et dem.
(g) L. 74. D. eod.

BIU Cujas

dem legum fuerat scriptum, nullam vim habebat teste PAPINIANO, (a) qui hanc eam in rem formulam allegat: TITIO PATRI CENTVM, SI FILIA, QVAM HABET IN POTESTATE, NON NVPSERIT, HERES DATO. Quod non minus statuendum, si quis patri ea conditione legauerit, SI FILIVS VXOREM NON DVXERIT. Quumque legata et fideicommissa pari passu ambulent: haec quoque capiebat mulier, etiamsi sub huius modi conditione relicta essent. Hinc quum scripsisset testator: TITIO, SI MVLIER NON NVPSERIT, HERES CENTVM DATO, et Titium illum idem testator rogasset, vt pecuniam eamdem mulieri conditionem adimplenti restitueret: respondit PAPINIANVS (b), etiamsi nupsisset, tamen eam die legati cedente fideicommissum petere posse.

Quid vero, si non sub conditione caelibatus legasset testator, sed potius legatariam obstrinxisset, *vt non alii, quam Titio nuberet?* Tunc si indigna haec esset legataria conditio, non magis valebat, quam si caelibatus ei fuisset iniunctus (c). Eadem ratione si vel pater filiae, vel cuicumque puellae extraneus legatum reliquerat sub conditione: SI NVBERET ARBITRATV L. TITII: haec quoque conditio pro nihilo erat, mulierique, sibi sine L. Titii arbitratu quaerenti conditionem, legatum nihilominus debebatur (d). Sin duplex proposita fuerat conditio, nubendi et non nubendi, maiorque pecuniae summa ei destinata, si non nupserit, minor, si nupserit: mulier maiorem capiebat, non vtramque simul, quia ridiculum videbatur PAPINIANO, (e) *eamdem et vt nuptam admitti.* Denique et haec bella incidebat quaestio: an si ea conditione legatum fuerit mulieri: SI NON NVPSERIT, eiusdemque fidei commissum, vt Titio restitueret, si nupserit, an ea nupta fideicommissum praestare teneatur? Circa quam speciem in diuersa itum esse, existimare licebit. IVLIANVS (f) enim respondet: *Commode statuitur,* ETSI NVPSERIT, *legatum eam petere posse, et non esse cogendam, fideicommissum praestare.* Ast CAIVS (g) longe aliter: *Non dubium est, quin si vxori legatum sit,* SI NON NVPSERIT, *idque alii restituere rogata sit,* COGENDA SIT, *si nupserit,* RESTITVERE. Varia, vt fit, comminiscuntur interpretes, quae tollendo isti dissidio videntur idonea. Alii particulam QVIN in posteriore lege explicandam monent, per *quod non.* Alii priorem legem de conditione caelibatus;

Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Popp. P p po-

(a) L. 79. §. 4. D. eod.
(b) L. 77. §. 2. D. eod.
(c) CAI. Lib. III. L. 63. §. 1. D. eod.
(d) L. 28. pr. L. 72. §. 4. D. eod.
(e) L. 100. D. eod.
(f) L. 22. D. eod.
(g) L. 14. pr. D. de legat. 3.

BIU Cujas

posteriorem de conditione viduitatis loqui censent, minus inuidiosam hanc fuisse rati quam illam. Ast vir amplissimus, quem honoris caussa nomino, ZACH. HVBERVS (a) etiam sine his εὑρήμασι ac sine iactu puluueris hanc litem componit. Prius fideicommissum per modum poenae fuerat relictum, vti adparet ex verbis: VT TITIO RESTITVAT, SI NVBAT. Poenale autem fideicommissum iure nullum atque euanidum habebatur, addita quippe poena iniusta, cui lex Papia Poppaea intercedebat. Alterum fideicommissum non erat poenale, sed conditionale, et hinc legataria statim legato potiebatur, etiamsi postea nuptura esset, quia haec conditio habebatur pro non scripta. Ast inde non sequebatur, vt fideicommissum non restitueret Titio, simul ac nupserit, quum quiuis legatarius fideicommisso posset grauari.

Ceterum alia erat conditio SI NON NVPSERIT, alia si *huic viro*, vel si *intra certum tempus*, vel si *illo loco* non nupserit. Nec enim pro non scripta habebatur conditio, si legato adscriptum esset: SI L. TITIO NON NVPSERIT (b): nec altera: SI NEQVE TITIO NEQVE SEIO, NEQVE MAEVIO NVPSERIT (c), siquidem, si vel maxime his conditionibus pareret mulier, ei tamen nec caelibatus nec viduitatis iugum impositum videbatur. Sed et, si certum tempus, intra quod non nuberet, fuisset definitum, veluti SI A LIBERIS IMPVBERIBVS NE NVPSERIT (d), vel generatim esset legatum: QVOAD VIDVA ERIT (e), etiam his casibus aut conditiones erant adimplendae, aut repudiandum legatum, quia non imposita fuerat viduitatis conditio. Quid si, ne *certo loco nuberet*, legato adscriptum esset, veluti: SI ARICIAE NON NVPSERIT? Respondet TER. CLEMENS (f), interesse, an fraus legi facta sit. Nam si ea sit mulier, quae alibi nuptias non facile possit inuenire, interpretandum esse, ipso iure rescindi, quod fraudandae legis gratia esset adscriptum. *Legem* enim *vtilem reipublicae, sobolis scilicet procreandae caussa latam, adiuuandam esse interpretatione.*

Quod ipso iure rescindi ait CLEMENS, id ita lege nostra exprimitur: EA CONDITIONE LIBERI SVNTO, NEQVE MINVS DELATAM HEREDITATEM LEGATVMVE EX HAC LEGE CONSEQVVNTOR. Conditio huiusmodi legibus aduersabatur, Iuliae nimirum et Papiae. *Quae* vero *conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quae legum*

(a) *Part. II. Diss. VIII.* §. 12. *edit. prior.*

(b) TER. CLEM. *Lib. V.* L. 64. *pr. D. de cond. et dem.*

(c) GAI. *Lib. III.* L. 63. *pr. D. eod.*

(d) L. 62. §. *vlt. D. eod.*

(e) L. 96. §. 1. *D. eod.*

(f) TER. CLEM. *Lib. V.* L. 64. §. 1. *D. eod.*

BIU Cujas

gum vicem obtinent, id est contra edicta praetorum, SCta, prudentum placita, diuturnos mores et consuetudinem, *scriptae*, *vel quae contra mores sunt*, *pro* NON SCRIPTIS *habentur*, vti ait MARCIANVS. (a) In vltimis voluntatibus ea regula dubio caret. Ast in contractibus secus se res habet, quos conditione lege vel natura impossibili infirmari constat (b). Eius tamen discriminis ratio in promtu est. Qui enim contrahit, consensisse censetur in conditionem turpem vel impossibilem, idque dum fecit, vel iocatus esse, vel emotae mentis fuisse censetur. Neuter vero recte contrahit. Ast quod ad vltimas attinet voluntates, in conditiones huiusmodi nec heres nec legatarius consensit, et tamen defunctus voluisse censetur, vt supremum iudicium suum exitum haberet. Quod quum, nisi detracta conditione turpi vel impossibili, fieri nequeat: illam merito pro non scripta habent leges nostrae.

Quam consultissimam iuris rationem peruidisse haud videtur Pontifex (c) dum conditionem quidem contra leges matrimonii adscriptam tabulis dotalibus, v. c. ne liberi procreentur, vel vt sponsa quaestum corpore faciat, sponsalia irrita reddere concedit, reliquas autem conditiones vel facto vel lege impossibiles pro non adiectis haberi iubet. Quae enim vera sunt de vltimis voluntatibus, ea perperam proferuntur ad conuentiones, in quibus partis vtriusque consensus intercedit. Quasi enim, qui huiusmodi conditionem probauit, mereatur, vt in eius fauorem illa habeatur pro non adiecta. Et tamen ex his lacunis Nectar sibi haurire videntur digni hoc haustu canonistae. Ceterum detracta conditione, et legatum capiebat, cui id sub conditione relictum fuerat, et HEREDITATEM DELATAM. Quae verba interpretatus TER. CLEMENS (d): DELATA, inquit, HEREDITAS *intelligitur*, *quam quis possit adeundo consequi*. Hinc si tempore testamenti factionis ac apertarum tabularum capax erat heres: non ei nocebat, si postea incapax fieret, quia quod alias in institutione conditionali respicitur ad capacitatem tempore existentis conditionis, id hoc casu, quo conditio pro non adscripta erat, non habebat locum.

III. Hactenus de ipso capite XXVIIII. Ei vero deinde quodammodo derogatum est, quod ad conditionem viduitatis: quum seuerius habendae viderentur viduae, quae iam matrimonii dulcedinem degustauerant, quam virgines. Quo tempore haec facta sit mutatio, explorare equidem nondum potui: attamen id animaduerto, haud multo post Augusti tem-

 pora,

(a) L. 14. *pr. D. de condit. inst.*
(b) L. 31. *D. de obl. et action.*
(c) *Cap. vlt. X. de condit. adposit.*
(d) VLPIAN. *Lib. V.* L. 151. *D. de verb. sign.*

BIU Cujas

pora, inualescente per orbem Romanum religione Christiana, illam, quam supra exposuimus opinionem de viduitatis praestantia et turpitudine secundarum nuptiarum reuixisse. Sane saeculo Christiano secundo ATHENAGORAS (a) secundas nuptias vocat *speciosum adulterium*, CLEM. ALEXANDRINVS (b) *fornicationem*, quibus similibusque verbis eodem saeculo vtuntur IRENAEVS (c) et TERTVLLIANVS (d): insequente ORIGENES (e), qui *tale coniugium homines eiicere e regno Dei*, contendere non dubitat. Hinc circa haec tempora a Christianis tantum non omnibus monogamiam seruatam legimus apud THEOPHILVM ANTIOCHENVM (f) et MINVCIVM FELICEM (g), qui eos *cupiditatem procreandi aut unam sciuisse*, ait, *aut nullam*. Multo grauius saeculo insequente quarto aduersus iteratas nuptias disputarunt BASILIVS (h), GREGORIVS NAZIANZENVS (i), AMBROSIVS (l), AMPHILOCHIVS (m), ipsique Patres conciliorum NICENI (n), LAODICENI (o), NEOCAESARIENSIS (p) et CARTHAGINIENSIS quarti (q). Saeculo quinto iisdem secundis nuptiis bellum veluti indixerant HIERONYMVS (r), GELASIVS (s) et auctor operis imperfecti in Matthaeum, perperam attributi CHRYSOSTOMO (t), ex quo hic locus in ipsum GRATIANI decretum (v) migrauit: *Hac ratione et Apostoli permisere secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere secundum praeceptum Apostoli est: secundum veritatis autem rationem vere fornicatio est. Sed dum permittente Deo publice et licenter committitur, fit honesta fornicatio.* Non mirum itaque, eam sententiam iterum placere coepisse paganis, et leges quasdam secundis nuptiis parum amicas peperisse. Talis sane est, quam ex LIBANII epistola MSC. extulit IAC. GOTHOFREDVS (x), quaque cautum, vt mater iterum nupta non esset liberorum e priore matrimonio susceptorum heres, sed ei ipse auus maternus praeferretur. Nec alia causa est mutati huius capitis. Nam saeculo, vt opinor, tertio, SCto nescio quo, cuius ipse IVSTINIANVS (y) meminit, cautum est (z), *Vt*

(a) *Apolog. pag.* 37.
(b) *Lib. III. Strom.*
(c) *Lib. III. cap.* 19.
(d) *Exhort. ad cast. cap.* 18.
(e) *Homil. in Luc.* 17.
(f) *Ad Autolyc. Lib. III.*
(g) *Octau. cap.* 31.
(h) *ad Amphiloch. can.* LV.
(i) *Orat. XXXI.*
(l) *De offic. lib.* 1. *cap. vlt.*
(m) *Orat. in occurs. dom. p.* 32.
(n) HARDVIN. *Consil. Tom. I. p.* 511.
(o) *Ibid. p.* 782.
(p) *Ibid. pag.* 788.
(q) *Ibid. pag.* 985.
(r) *Comm. ad Hagg. et lib.* 7. *adu. Iouinian.*
(s) *Epist. V. cap.* 32.
(t) *Homil. XXXII.*
(v) *Can.* 39. *causs.* 31. *qu.* 1.
(x) *Ad Cod. Theod. Tom. I. p.* 285.
(y) **L.** 3. C. de ind. viduit.
(z) **L.** 2. C. eod.

BIU Cujas

Vt si coniux intra annum a morte coniugis iurasset, se liberûm quaerendorum causſa ad ſecundas nuptias tranſire, conditio viduitatis ei a coniuge adſcripta remitteretur. Sin iurare intra annum nollet, non aliter, quod ei teſtamento relictum caperet, ac praeſtita cautione Muciana.

Non ergo ſemper conditio viduitatis poſt hoc SCtum pro non adſcripta habebatur, quemadmodum conditio, quae caelibatum imponebat: ſed tunc demum ſi intra annum luctus ex formula antiqua iuraſſet, *ſe* LIBERORVM QVAERENDORVM CAVSSA *ad ſecunda vota tranſire.* Si intra annum id iuſiurandum haud praeſtitiſſet, tunc ſi legato nondum potita nuberet, peremta erat legati petitio: ſin nondum nupta legatum peteret, non admittebatur, niſi praeſtita cautione Muciana ſecuros reddidiſſet heredes, ſe ſi nupſerit, legatum cum fructibus intermedii temporis reſtituturam (a). Ad priorem tamen caſum, quidquid videatur viro eximio, IAC. GOTHOFREDO (b), non pertinet conſtitutio haec GORDIANI: (c) *Legatum alii ſub conditione ſic relictum:* SI VXOR NVPTVI SE POST MORTEM MARITI NON COLLOCAVERIT, *contractis nuptiis conditione deficit, ideoque peti nequaquam poteſt.* Nam in ea nec iuriſiurandi intra annum haud praeſtiti fit mentio, nec vxori id legatum relictum fuerat ſub conditione viduitatis, ſed ALII: ea lege, ſi vxor teſtatoris nuptui ſe haud collocaſſet. Quis vero legatum huiuſmodi conditione defici dubitaret, ſi vxor ad ſecunda vota tranſierit?

Ceterum hoc ius paſſim LEGIS IVLIAE MISCELLAE nomine venit, veluti in rubrica et legibus quibuſdam (d) tituli *de indicta viduitate et* LEGE IVLIA MISCELLA *tollenda*, nec non in *Nouella* XXII, *cap.* 43. et apud Graecos (e) in ſcholiis ad *L. vlt. ff. de ſtatu lib.* vbi pro τὸν Σμίκελλιον νόμον recte FABROTTVS legendum monet τὸν Μίσκελλον νόμον. Vnde vero id nomen? IVSTINIANVS in Nouella, paullo ante laudata, hoc ius repetit a neſcio quo Iulio Miſcello, dum ſcribit: *Sed hanc quoque adiectionem ipſe* IVLIVS MISCELLVS *haud inuenit, ſed Q. Mucius Scaeuola praeſanciuerat.* Enimuero hunc Iulium Miſcellum tota antiquitas ignorat, nec dubito quin interpres ſemi Latinus, quum in Graeco textu eſſet ὁ νόμος Ἰουλιανὸς Μίσκελλος, illud ὁ νόμος praeteruiderit, et inde ſibi abſurde finxerit legiſlatorem quemdam *Iulium Miſcellum.* Veroſimilius eſt, ipſum hoc caput dictum eſſe *legem Iuliam Miſcellam*, quemadmodum alia capita *legis Iuliae decimariae*, alia *caducariae*, nomine

 venie-

(a) L. 7. *pr. D. de cond. et demonſtr.*
(b) *Ad Leg. Pap. cap.* 17. *p.* 330.
(c) L. 1. *C. de ind. viduit.*
(d) L. 2. *et* L. 3. *C. eod.*
(e) *Ad Baſil. Lib. XLVIII. tit.* v. *p.* 435. *Tom. VI.*

BIU Cujas

veniebant. At vero cognomen huic capiti non ideo inditum, quod de viris aeque ac mulieribus ageret, quam rationem reddit vir summus IAC. CVIACIVS (a), sic enim innumerae essent leges miscellae, nec, vti MERCATORI (b) visum, quod varias res complecteretur, conditionem puta caelibatus et viduitatis: (de caelibatus enim conditione ne γρῦ quidem in hoc SCto,) sed quod miscellaneum veluti esset hoc caput, quippe ex lege Iulia et Papia, ex SCto de quo paullo ante diximus, et cautione Muciana conflatum, vti recte vidit IAC. GOTHOFREDVS, cuius sententiae illam interpretis Nouellarum de Iulio Miscello, legis auctore, antehabitam esse a IANO VINC. GRAVINA (c), maxime equidem miror.

Sed et hanc legem Miscellam sustulit IVSTINIANVS, ineunte anno 531. post *Lampadii* et *Orestis* consulatum (d), sanciens, vt nec ius iurandum in posterum hoc casu exigatur, nec cautio Muciana, sed suo arbitrio viduae, quibus viduitatis conditio a maritis imposita fuerit, possint ad secunda vota transire, nec poenae legis Miscellae subsint, sive habeant liberos, sive non habeant, dum ne in verba mariti iurarint. Id tamen quod hoc modo relictum, ea lege eas capere iubet, vt, salua liberis proprietate, vsumfructum tantum percipiant. Addit IVSTINIANVS rationem satis piam: *vt ne necessitate legis et sacramento colorata* PERIVRIVM *committatur*. Sed quale hic periurii periculum? Crediderat aliquando, *periurium* in hac lege capi pro iureiurando temerario et superuacuo: maxime quum statim addat imperator: *quum enim mulieres ad hoc natura progenuerit, vt partus ederent, et maxima eis cupiditas in hoc constituta sit; quare scientes prudentesque periurium committi patimur?* Sane, si mulier natura fertur ad procreandam sobolem, sique maxima eius rei cupiditate flagrat, iurans se liberorum quaerendorum caussa nupturam, non incidet in suspicionem periurii: sed ius iurandum hoc potius videbitur superuacuum et temerarium, aeque ac si mercator conceptis verbis iurare iuberetur, lucri caussa negotiari. Sed iam aliter sentio. Ex *Nouella* enim XII. *cap.* 43. adparet, longe subtilius ratiocinatum esse Iustinianum, et ideo metuisse periurium, *quia plurimae mulieres desiderio nuptiarum*, NON PROPTER FILIORVM PROCREATIONEM, *sed propter necessitatem*, v. c. paupertatem, *teneantur*, et iurare tamen iubeantur, se *liberorum quaerendorum* caussa nubere.

Sub

(a) *Ad tit. C. de ind. vid.*
(b) *Notat. I. 2.*
(c) *De legib. et SCtis*, §. 56.
(d) *L. 2. C. de ind. viduit.*

BIU Cujas

Sub finem eiusdem anni noua constitutione (a) superiorem ita interpretatur IVSTINIANVS, quod ea non solum ad feminas, sed et masculos pertineat. Simul a lege superiore excipit species ab VLPIANO in libris ad Sabinum adlatas, vbi mulieri legatum fuerat, sub conditione: SI VIDVA ERIT, vel QVOTIES VIDVA ERIT, vel QVVM VIDVA ERIT; masculo autem sub lege: SI AMISERIT VXOREM, vel QVANDO AD CAELIBATVM PERVENERIT. Hae enim species non pertinebant ad legem Iuliam Miscellam, quia iis non imponebatur viduitatis conditio, sed legatum tantum erat in id tempus, quo coepisset viduitas. Vnde mulier non solum vsumfructum, sed et ipsam huius modi legati proprietatem capere posse statuit Iustinianus, *quasi* PRO SOLATIO *suae tristitiae.*

Enimuero ne in eo quidem subsistit IVSTINIANVS, quem ideo *trocho versatiliorem* vocat IAN. VINC. GRAVINA (b). Nam anno 536. post Belisarii V. C. consulatum, et cautionem Mucianam, et legem Iuliam Miscellam quodammodo restituit, noluitque eas, quibus a testatore viduitatis conditio imposita fuerat, capere legatum intra annum, nisi spe nuptiarum prorsus exstincta, veluti si mulier se Deo deuouisset: post annum autem, non nisi praestita cautione Muciana, cuius rationes magno verborum apparatu in Nouella ista (c) exponit. Iam id addo, quum in Gallia Nicolaus Morillo et Anna Petit coniuges tabulis dotalibus donationem inuicem ea lege fecissent, vt si superstes spreta viduitate ad secunda vota transiret, ea euanesceret, et Anna, mortuo Nicolao iterum nupsisset, donationem illam repetentibus Nicolai heredibus, senatum curiae Parisiensis anno 1592. censuisse, donationis legem esse seruandam, et Annam ab omni donationis emolumento esse repellendam. Quem casum egregie enucleatum dedit ANNAEVS ROBERTVS in rebus iudicatis (d).

IIII. Eodem libro V. commentariorum TER. CLEMENS et VLPIANVS agunt de conditione caelibatus libertis imposita. Vnde proximum caput XXX. ad illud ius pertinuisse, perquam videtur verosimile. Illud vero tale fuit, teste PAVLLO (e)

Si patronus iusiurandum in hoc liberto imposuerit, ne vxorem ducat, vel libertae, ne nubat: iusiurandum permittitor, nuptiasque ex H. L. *contrahendi liberto libertaeue ius esto.*

Solitos

(a) L. 3. C. *de ind. viduit.*
(b) *Ibid.*
(c) *Nou. XXII. cap. 43.*
(d) *Lib. II. cap. 7.*
(e) L. 6. §. 4. D. *de iur. patr.*

BIU Cujas

Solitos esse patronos a seruis manumissis varia sibi stipulari, iam supra obseruauimus. Frequentissime autem ea lex adiiciebatur manumissionibus, ne liberti ducerent vxorem, nec libertae nuberent. Quum enim legibus XII. tabularum cautum esset (a), vt si libertus intestatus moreretur, cui suus non esset heres, ad patronos patroniue liberos peruenirent hereditas: intererat omnino patroni, libertos libertasque se habere caelibes, ne, si liberos tollerent, legitima hereditate exciderent. Idcirco libertos iureiurando obstringere solebant, ne vxores ducerent; libertas, ne nuberent. Quam frequenter id factum sit temporibus Augusti, vel id argumento est, quod binis sub hoc principe legibus coërcita sit improba haec habendi cupiditas. Primo enim lege Aelia Sentia cautum est, vt iuribus patronatus excideret, qui vel ipse, vel quo conscio alius (b) a liberto libertaue stipulatus sit, ne vel vnquam, vel ad certum tempus, vel cum certa persona (c) iniret matrimonium, neue liberos tolleret (d); nisi forte iure iurando ad hoc adactus sit libertus castratus, vel matrimonio inhabilis (e), vel liberta iurarit, se non alii, ac patrono (f), vel non contra leges (g), vel non prius, quam liberi ad pubertatem peruenissent (h), cuiquam nupturam. His enim casibus patronus non incidebat in legem Aeliam Sentiam.

Deinde seuerius hoc cacoëthes coercuit lex Iulia et Papia. Quamuis enim Aelia Sentia patronos iniustum hoc iusiurandum a libertis exigentes iure suo priuaret: non tamen gratiam iurisiurandi libertis faciebat. Ast lege demum nostra cautum, vt iuris iurandi religione exsoluerentur liberti libertaeue, qui quaeque huiusmodi iusiurandum praestitissent.

Ait lex: SI PATRONVS IVSIVRANDVM IN HOC LIBERTO IMPOSVERIT, NE VXOREM DVCAT, VEL LIBERTAE, NE NVBAT. Patronus erat manumissor, nec non quem talem caussa cognita iudicauerat Praetor, non, qui se patronum esse iurasset: quod ad hoc caput diserte VLPIANVS (i): Perinde vero erat, siue ipse patronus, siue eo conscio, vel non impediente, filius familias libertum in verba sua adegisset. Quemadmodum enim ex sententia TER. CLEMENTIS (l) et

(a) VLP. *Fragm. tit. XXVIIII.* §. 1.
(b) L. *6. pr. D. de iur. patr.*
(c) L. *15. D. eod.*
(d) L. *3. §. 5. D. de suis et legit. her.*
(e) L. *6. §. 2. D. de iur. patr.*
(f) L. *6. §. 3. eod.*
(g) L. *3. §. 5. D. de suis et leg. her.*
(h) TER. CLEM. *Lib. V.* L. *31. D. qui et a quib. manum.*
(i) VLP. *Lib. V.* L. *14. D. de iur. patr.*
(l) L. *32. pr. D. qui et a quib. manumiss. liber. non fiant.*

BIU Cujas

et tunc patronus incidiſſe videbatur in legem Aeliam Sentiam, quia, dum non remitteret iusiurandum, dolo malo facere videbatur: ita idem obtinuiſſe ex lege IVLIA et PAPIA, ex CLEMENTIS fragmento colligimus. Non magis intererat, ſiue liberto ſiue libertae iniuncta eſſet caelibatus conditio, dum habiles eſſent ad procreandam ſobolem.

Quamuis vero alioquin iuſiurandum a liberto praeſtitum eſſet ſpecies obligationis verborum, non minus valida, ac ſtipulatio, vel dotis dictio (a): lex tamen noſtra ſanxerat, VT IVSIVRANDVM PERMITTERETVR, NVPTIASQVE EX H. L. CONTRAHENDI IIS IVS ESSET. Pro *permittitur*, quo PAVLLVS (b) hic vtitur, reſcribendum videri poſſet *remittitur*, niſi his verbis promiſcue vterentur auctores noſtri, veluti *permittere pecuniam* pro remittere (c), *accuſationem permittere* pro remittere (d), qualia exempla iam collegerunt CVIACIVS (e), LIPSIVS (f), aliique viri docti. Saepe enim hoc modo gratiam iuriſiurandi faciebant principes vel leges, ceu ſingulari eaque pererudita diſſertatione docuit ZACH. HVBERVS (g), vbi et hunc effectum huius remiſſionis fuiſſe docet, vt a ciuili periurii poena immunes eſſent, quibus gratia facta fuiſſet iuriſiurandi.

(a) CAI. *Inſt. Lib. II. tit. 9. §. 4.*
(b) L. *6. §. 4. D. de iur. patr.*
(c) L. *37. D. de pact.*
(d) L. *3. D. de publ. iud.*
(e) *Obſ. Lib. XXI. cap. 29.*
(f) *Ad* TACIT. *Annal. Lib. I. cap. 8.*
(g) *Part. II. Diſſ. LII.*

* * * * * * * * * *

CAPVT XVII.

AD CAPVT LEGIS XXXI.

DE IVRE ADFINITATIS INTER VITRICVM VEL NOVERCAM ET PRIVIGNOS, SOCEROS ITEM ET GENERVM VEL NVRVM.

I. *EOdem libro V.* VLPIANVS *etiam de genero et ſocero ſocruque videtur egiſſe.* GOTHOFREDI *de huius capitis materia ſententia reiecta. Lex Iulia de publicis iudiciis cum noſtra nihil commune habuit. Coniectura de hoc capite. Eius rationes.* II. *Adfinitas olim morte finita.* VINNIVS *et* B. H. REINOLDVS *laudati. Quis gener et nurus? Quaſi adfinitas.* III. *Quando hoc caput fuerit abrogatum?*

BIU Cujas

I. EOdem libro V. Commentariorum, quo de superioribus nuptiarum impedimentis egerat VLPIANVS, etiam de *soceris*, *genero* et *nuru* eum quaedam commentatum esse animaduerto. Modo enim docet, etiam nepotis ex filia vxorem nurum dici, et sponsum sponsamque *generi nurusque* nominibus intelligi, et soceri socrusque adpellatione etiam sponsorum parentes contineri (a): modo generi adpellationem etiam ad neptis et proneptis tam ex filio quam ex filia editarum maritos producit (b). Sed et CAIVS (c) libro commentariorum quarto, similiter quis gener et socer vocetur, ostendit. Non autem huc pertinent et fragmenta PAVLLI (d) et TER. CLEMENTIS (e), quibus eadem vocabula interpretantur, nec numeri librorum in inscriptionibus in mendo cubant. Alio enim ea referri posse, iam supra docuimus. Quum itaque legis nostrae interpretes hic, quid socer, quidue gener et nurus sit, tam sollicite disputarint: nemo sane inficias ibit, in hac legis nostrae parte exstitisse caput, quod ad *socerum*, *socrum*, *generum* et *nurum* praecipue pertinuerit.

Quid de his adfinibus sanxerit Augustus, id nec ex vllo horum fragmentorum, nec ex alio iuris nostri loco discimus: id quod argumento nobis esse poterit, et istud caput ius aliquod antiquum et desuetudine postea inumbratum continuisse. Quale vero illud fuerit, pro instituto nostro paullo curiosius indagare iuuabit. IAC. GOTHOFREDVS, (f) qui alioquin in fragmentis veterum inuestigandis lynceis plane oculis esse solet, loca TERENTII CLEMENTIS et PAVLLI refert ad caput suum sextum, et inde hanc exstruit sententiam:

GENER SOCERVE *inuiti in reos testimonium ne dicunto.*

Textus vero VLPIANI et CAII pertinuisse existimat ad caput suum 15. quod nobis est 35. vbi ita refingit verba MARCIANI L. 19. D. de Rit. Nupt.

Qui liberos, quos in potestate habent, iniuria prohibuerint vxores ducere vel nubere, vel qui dotem dare nolunt, in matrimonium GENERO NVRVIVE *collocare et dotare per Praetorem vrbanum coguntor.*

Ita

(a) VLP. *Lib. V.* L. *6. D. de grad. et adfin.*
(b) VLP. *Lib. V.* L. *136. D. de verb. sign.*
(c) CAI. *Lib.* IIII. L. *5. D. de test.*
(d) L. *4. D. eod.*
(e) L. *146. D. de verb. sign.*
(f) *Ad leg. Pap. cap. 6. et 15.*

BIU Cujas

Ita haec commentatorum fragmenta disponenda restituendaque loco suo putat vir eruditissimus, IAC. GOTHOFREDVS: cui tamen vt ea in re adsentiar, nondum fateor a me possum impetrare. Nam primo de testimonio, genero nuruiue, nec non socero et socrui inuitis haud denunciando, non lex Papia Poppaea cauit, sed lex Iulia publicorum iudiciorum. Ita ex compacto docent PAPINIANVS (a), PAVLLVS (b) et VLPIANVS (c), qui et caput legis illius LXXXVII de eo iure egisse obseruat. Simile vero quid in lege Papia Poppaea fuisse, nec ex istis PAVLLI, VLPIANIque textibus, nec ex fine et scopo legis nostrae colligi potest, vti recte obseruauit ANT. SCHVLTINGIVS (d). Et quid opus erat haec in lege Papia Poppaea repeti, quae iam satis perspicue scripta fuerant in lege Iulia publicorum iudiciorum? Deinde nec felicius coniecisse videtur vir doctissimus, dum *L.* 19. *D. de Rit. Nupt.* verba GENERO NVRVIVE inseruit. Quam frigida enim est loquutio: *filium filiamue in matrimonium genero nuruiue collocare?* Cui vero alii collocari poterant, quam *genero nuruiue*? Non sane ferebat legislatorius veterum stilus, vt huiusmodi vocabula insererent, non minus sane hic otiosa, quam si quis dicere vellet, *liberis naturalibus, quos mater aliqua enixa sit, alimenta deberi.* Non magis enim fieri potest, vt filius filiaue elocatus elocataque intelligatur sine genero et nuru, quam liberi naturales sine matre. Et cur quaeso tam operose haec verba interpretati sunt VLPIANVS, CAIVS, PAVLLVS, TER. CLEMENS, si nihil aliud lex dixerit, quam genero nuruiue in matrimonium collocandos esse liberos? An hic scire interfuit, etiam sponsum sponsamque generi nurusque appellatione contineri? Hic ergo, si quid video, nihil vidit vir eximius: nec eius coniectura quidquam habet, quo se commendet, verosimilitudinis.

Quum vero et nos in his tenebris praeter coniecturam nihil promittere possimus: operam saltim dabimus, ne illa omni ratione veterumque testimonio destituatur. Caput nimirum istud XXXI. tale fuisse suspicamur:

> *Adfinitas, praeterquam inter nouercam et priuignum, vitricum et priuignam, nec non* SOCERVM SOCRVMVE *et* GENERVM NVRVMVE, *morte diuortioue soluitor.*

Quia enim, vti iam superiore capite docuimus, ea legis nostrae fuit

(a) L. 2. *D. de accus.*
(b) L. 4. *D. de test.*
(c) *Collat. legg. Mos. et Rom. tit* 9. §. 2.
(d) *Iurisprud. ve t. ante-iust. pag.* 767.

BIU Cujas

sententia, *ne quod omnino nuptiis inferretur* IMPEDIMENTVM (a), et legislatores iam huiusmodi quaedam impedimenta remouerant: commode etiam incidit ius adfinitatis, quod multa turbare posse videbatur matrimonia. Saepe enim viduam adpetebat aliquis ex defuncti mariti familia, qui eius mores perspexerat accurate, qui eam commodam liberis suis nouercam fore, seque iis nuptiis res suas constabiliturum, existimabat: sed obstabat ei ius adfinitatis, quod non videbatur ferre, vt iustum esset inter se eamque mulierem connubium. Quumque vterque haud facile parem alibi conditionem reperiret: inde fiebat, vt impedirentur vtriusque nuptiae, legique ad procreandam sobolem comparatae minus satisfieret. Ei vero impedimento legem hanc opposuisse videtur Augustus, qua nuptias inter adfines, paucis exceptis, permisit: idque colligere mihi videor primum ex CONSTANTINI, CONSTANTIS et IVLIANI (b) constitutione, qua LICITVM *veteres credidisse ait, nuptiis fratris solutis ducere fratrem vxorem*, LICITVM *etiam, post mortem mulieris aut diuortium, contrahere cum eiusdem sorore coniugium.* Ex qua constitutione id saltim patet, adfinitatem veteribus visam esse solui, simul ac nuptiae vel morte vel diuortio fuerint solutae, adeoque non amplius eam obstitisse adfinibus, nouum inituris matrimonium. Quum vero alioquin vniuersam graduum et adfinitatis prohibitionem ex MORIBVS descendere dicat PAVLLVS (c): illud tamen ius, quod paullo ante commemorauimus, *Romanis* LEGIBVS tribuere non dubitant DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. (d) in celeberrima, quam Pariator legum Mosaicarum et Romanarum seruauit, constitutione. Ast de quibus *legibus* loqui dicamus Principes? De illis profecto, quarum AVGVSTVS auctor est. Id enim docet locus praeclarus PAVLLI (e) ex libro XXXV ad Edictum, quo leges nuptiales explicauit, vbi postquam fuse exposuit, quaenam *nouerca* sit, qui, *socer, socrus, nouerca*, demum et de *priuigna* addit: *Priuigna non solum ea mihi intelligitur, quae vxoris mei filia est, sed et neptis, et proneptis, vt nullam earum ducere possim. Item eius matrem, quam sponsam habui, non posse me vxorem ducere*, AVGVSTVS *interpretatus est: fuisse enim eam socrum.* Certissimum ergo videtur Augustum has personas coniungi vetuisse: inter reliquos adfines permisisse matrimonium. Quumque eo de iure non tam ad legem Iuliam de adulteriis, quam ad legem Iuliam Papiam tam

(a) L. 72. §. 4. *D. de cond. et dem.*
(b) L. 2. *C. Th. de incest. nupt.*
(c) L. 39. §. 1. *D. de Rit. nupt.*
(d) *Coll. LL. Mos. et Rom. tit. VI. §. 4.*
(e) L. 14. §. *vlt. D. de Rit. nupt.*

BIU Cujas

tam prolixe egerint interpretes: verosimillimum sane videtur, totum illud ius inuectum esse lege Iulia et Papia Poppaea.

II. Vt ergo ad legem ipsam progrediamur, ait Augustus: ADFINITAS MORTE, DIVORTIOVE SOLVITOR. *Adfines*, vti MODESTINVS (a) definit, *sunt viri et vxoris cognati, dicti ab eo, quod duae cognationes, quae diuersae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit. Namque coniungendae adfinitatis caussa fit ex nuptiis.* Quum itaque necessitudinis illius caussa sint nuptiae: consequi existimabant veteres, vt solutis morte vel diuortio nuptiis, et adfinitas soluta intelligatur. Ita rationes subduxere gentes etiam humanissimae, et castitatis imprimis studiosae. Ebraeis, haud pauci eiusmodi doctrinam tribuunt, partim ob locum Leuit. XVIII, 18. partim ob verba PHILONIS (b): Δεσμὸς γὰρ οἰκεῖων ἀθνείων αἱ ἐπιγαμίαι, τὴν ἀλλοτριότητα συνάγων, ἐξ ἧς λυθέντος λέληπται καὶ τὸ τῆς κοινωνίας. *Connubia familiis externis sunt pro vinculo, quo soluto*, SOLVITVR *et* ADFINITAS. Inter Graecos iam EVRIPIDES (c) cecinerat:

Παλαιὰ καινῶν λείπεται κηδευμάτων,
VETERES *nouis cedunt* ADFINITATIBVS.

Nec non ISOCRATES (d): Οὕτω δὲ σφόδρα ἠγάπησε τὴν τοῦ πατρὸς φιλίαν, ὥς τ' ἀποθανόσης ἐκείνης ἄπαιδος, αὖθις ἠγάγετο τὴν ἀνεψιὰν τοῦ πατρὸς, ἐ βελόμενος διαλύσασθαι τὴν πρὸς ἡμᾶς οἰκειότητα. *Tantopere patris mei amicitia delectatus est, vt quum amita mea sine liberis decessisset, rursus patris consobrinam duxerit, quo necessitudo inter nos et* ADFINITAS *permaneret.* Saepe etiam ad hos mores Graecos adludit TERENTIVS (e), apud quem Laches:

Haud ita decet, si perpetuam vis esse AFFINITATEM *hanc,*
Celare te iras, si quid est peccatum a nobis, profer.

Et alio loco (f):

AFFINITATEM *hanc sane* PERPETVAM *volo,*
Sin est, vt aliter tua sit sententia,
Accipias puerum.

(a) L. 4. §. 3. D. de grad. et adfin.
(b) Legat. ad CAI. pag. 776.
(c) In Medea.
(d) In Aegenet. pag. 386.
(e) Hecyr. Act. II. Scen. II. v. 10.
(f) Act. IIII. Scen. IIII. v. 14.

BIU Cujas

Principium itaque hoc placuisse etiam priscis Romanis, inter primos obseruauit VINNIVS (a), qui dubitanter, *credere se*, ait, *apud Romanos* IVRA ADFINITATIS *morte vnius e coniugibus*, PRO EXTINCTIS *habita fuisse*. Postea et v. c. HENR. BERN. REINOLDVS (b), et celeberrimus GER. NOODT (c) eam *Vinnii* sententiam aliquot exemplis et e constitutione, quam allegauimus CONSTANTINI, CONSTANTIS et IVLIANI probarunt. Nos vero eius iuris historiam paullo accuratius expediemus. Iam libera republica id valuisse principium, ipse iam vidit VINNIVS. Ego illud et sub regibus, et deinde iis exactis valuisse arbitror. Tarquinium enim superbum, adhuc priuatum, Tulliam Aruntis fratris vxorem duxisse, DIONYS. HALICARNASSAEVS (d) et LIVIVS (e) referunt, nec est qui liberos ex eo matrimonio natos illegitimos fuisse habitos, putet, quum tamen nec Seruius nec eius vxor eam coniunctionem probarent. M. Crassum deinde libera adhuc republica defuncti fratris viduam duxisse, liberos eius sibi retinuisse, PLVTARCHVS tradit (f). Quod matrimonium tantum abest, vt reprehensionem incurreret, vt Crassi continentiam in eo laudet PLVTARCHVS. Nec liberos eius vnquam illegitimos visos esse constat. Eodem fere tempore CICERO (g) scribit, *diuortia esse* AFFINITATVM DISCIDIA, non alia de caussa quam quod affinitatis iura morte non magis, quam diuortiis finiri non ignoraret. Sed libera republica etiam in linea recta, soluta adfinitate, nuptias locum habere existimabant. Quamuis enim viri honesti ac probi huiusmodi coniunctiones detestarentur: non tamen illae erant illegitimae eatenus, vt vel diuellerentur coniuges, vel connubium ipsum effectu ciuili destitueretur. Rem miro exemplo demonstrabimus ex CICERONE (h). Sassia, A. Cluentii Auiti mater, crudelis et libidinosa femina, Cluentiam filiam elocauerat A. Aurio Melino, iuueni nobili, Cluentiae consobrino. Quum essent hae nuptiae plenae dignitatis, plenae concordiae, repente Sassia socrus deperire coepit generum, atque ita instruxit scenam, vt subito facto diuortio, Cluentia a Melino discederet. Quid postea Sassia? *Diutius*, vt ait CICERO, *suspicionibus obscuris laedi famam suam noluit: lectum illum* GENIALEM, *quem biennio ante filiae suae nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari, & sterni, expulsa atque exturbata filia, iubet.* NVBIT *genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium.*

(a) *Comment. ad §. 6. Inst. de nupt.*
(b) *Var. cap. 24.*
(c) *Ad tit. D. de Rit. nupt. pag. 495. Tom. II. op.*
(d) *Lib. IIII. pag. 225.*
(e) *Lib. I. cap. 46.*
(f) *In Crasso ab init.*
(g) *Pro Cluent. cap. 67.*
(h) *Ibid. cap. 5. sequ.*

BIU Cujas

omnium. En nuptias inter generum et ſocrum, quas quidem, tanquam inhoneſtas et nefandas, exſecratur CICERO, legibus tamen illas repugnare, aut Saſſiae et Aurio Melino ideo diem dictum, vel eandem dote mulctatam eſſe, nuſquam ſcribit, id ſane non praetermiſſurus, niſi ea turpitudo extra legum animaduerſionem fuiſſet. Vnde profecto patet, inhoneſtas quidem viſas huiuſmodi nuptias, ſed nullam tamen legem, quo minus fierent, obſtitiſſe, donec per Auguſtum primum

Mos & LEX maſculoſum edomuit nefas.

Ille enim vetus quidem ſeruauit principium, adfinitatemque morte et divortiis ſolui conceſſit: ſed excepit tamen nuptias inter PRIVIGNVM et NOVERCAM, VITRICVM et PRIVIGNAM, SOCERVM ET NVRVM, GENERVM et SOCRVM. Tanta enim inter has perſonas videbatur neceſſitudo, vt ſibi inuicem parentum liberorumque loco eſſent (a), et hinc ſe patres liberosque ſalutarent (b). Et has ſolas perſonas excipiunt, quicumque poſt Auguſtum ad quartum vſque ſaeculum Chriſtianum iura interpretati ſunt, quum tamen alias in iure *adfinitates non eae, quae quondam fuerunt, ſed praeſentes intelligantur.* (c) VLPIANVS (d): *Eam, quae nouerca vel priuigna, vel nurus, vel ſocrus noſtra* FVIT, *vxorem ducere non poſſumus.* ἐμφατικῶς dicit: *quae* FVIT, vt oſtenderet, hic locum non habere vetus principium, quo, matrimonio ſoluto, et adfinitas pro exſtincta habeatur. Eodem modo PAVLLVS (e): *Nec ſocrum, nec nurum, nec priuignam, nec nouercam* ALIQVANDO, *citra poenam inceſti vxorem ducere licet.* En denuo addit *aliquando*, quod vocabulum ad antecedentia pertinet, vt ſenſus ſit, has omnes perſonas duci non poſſe, dummodo *aliquando* adfines fuerint, quamuis alias adfinitas morte vel diuortio perimatur. Porro DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA (f): *Itemque ex adfinibus priuigna, nouerca, ſocru, nuru, ceterisque, quae antiquo iure prohibentur, a quibus cunctos volumus abſtinere.* Inter easdem perſonas ſolas matrimonium prohiberi aiunt CAIVS (g), PAVLLVS (h), aliique, quorum in Digeſtis fragmenta occurrunt. Ita et in inſtitutionibus noſtris ob adfinitatem matrimonium prohibetur tantum cum priuigna aut nuru (i), ſocru et nouerca (l), et vtrobique additur: *Quod ita ſcilicet accipi debet, ſi*

(a) L. 16. *D. ſolut. matr.* L. *vlt. D. de his quae vt indign.*
(b) PLIN. *Lib. VII. Hiſt. nat. cap.* 13.
(c) L. 3. §. 1. *D. de poſtul.*
(d) *Tit. XI. §. 6.*
(e) *Rec. Sent. Lib. II. tit.* 19. §. 5.

FVIT
(f) *Coll. LL. Moſ. et Rom. tit.* 6. §. 4.
(g) *Inſt. Lib. I. tit.* 4. §. 5.
(h) L. 14. *D. de Rit. nupt.*
(i) §. 6. *Inſt. de nupt.*
(l) §. 7. *Inſt. eod.*

BIU Cujas

FVIT *nurus aut priuigna tua*: item: *Quod ipsum* DISSOLVTA DEMVM ADFINITATE, *procedit*, vt intelligatur, iura adfinitatis, quae alias soluto matrimonio exstinguuntur, hic non exstingui. Contra extra lineam rectam nulla occurrit in iure nostro prohibitio. Hinc fratris viduam, vel uxoris sororem ducere, nemini erat religioni, quia adfinitas cum matrimonio videbatur finita. Saeculo secundo Sicinius Pudens, teste APVLEIO (a) fratris Pontiani viduam ducturus erat, et Pudentilla ipsa, Apulei vxor, primum Sicinio Amico, posteaque eiusdem fratri Sicinio Claro desponsa erat (b), neutrum connubium improbantibus legibus, ceu iam BRISSONIVS (c) obseruauit, et post eum repetierunt alii. Vnde ANIANI manum olent illa CAII (d): *Sed nec vni viro duas sorores vxores habere, nec vni mulieri duobus fratribus iungi permittitur.* CAII enim aetate nondum prohibita fuisse huiusmodi matrimonia, sed CONSTANTINVM cum CONSTANTE fratre ea primum vetuisse, vel exemplo Marci Antonini sanctissimi principis, Lucillam filiam fratri Lucio Vero nuptum collocantis (e) patet, et paullo post demonstrabimus pluribus.

Iam itaque facile intelligemus veterum, quae huc pertinent, fragmenta. PRIVIGNVS et PRIVIGNA non solum intelligebantur mariti vel vxoris liberi, sed et nepotes et neptes, pronepotes et proneptes (f), quemadmodum et liberorum nomine nepotes, neptes, et reliqui posteri, continebantur. SOCER et SOCRVS contra non solum dicebantur vxoris vel mariti parentes, sed et auus et auia, proauus et proauia (g), quin et mariti vel vxoris vitricus et nouerca (h). GENERI et NVRVS adpellatione non solum liberorum, sed et nepotum et neptium, pronepotum et proneptium ceterorumque liberorum coniuges (i), immo et eorumdem sponsi sponsaeque, continebantur (l). Quod CAIVS exemplo legis Iuliae publicorum iudiciorum illustrat, vbi ea cognationis vocabula aeque late accipiuntur. Inter has omnes ergo personas tanta erat ob adfinitatem veneratio, vt inter eas nullo modo subsisterent nuptiae, quantumuis soluto per mortem vel diuortium matrimonio.

III. Sed istud caput demum seuerior Christianorum disciplina exclusit,

(a) *In Apolog. II. pag.* 548.
(b) *Ibid. pag.* 517.
(c) *De iur. Connub. pag.* 283.
(d) *Inst. Lib. I. tit.* 4. §. 7.
(e) *Iul. Capitolin. Marc. cap.* 9. *Luc. Ver. cap.* 2.
(f) L. 14. §. *vlt. D. de Rit. nupt.*
(g) *d. L.* 14. *et* TER. CLEM. L. 146. *D. de verb. sign.* L. 3. §. 2. *D. de postul.*
(h) L. 14. §. *vlt. D. de Rit. nupt.*
(i) L. 14. *eod.* VLP. *Lib. V.* L. 136. *D. de verb. sign.*
(l) CAI. *Lib. IIII.* L. 5. *D. de test.* VLP. *Lib. V.* L. 6. *D. de grad. et adfin.*

BIU Cujas

sit, quae et inter collaterales adfines matrimonia quaedam prohibuit. Saltim a fratris vxore et vxoris sorore omnes abstinere anno Chr. 355. seuere iusserunt CONSTANTINVS, CONSTANS et IVLIANVS (a), qui simul veterem illam iuris regulam de adfinitate morte vel diuortio soluenda haut obscure proscripserunt, rescribentes ad Volusianum, Vicarium vrbis: *Etsi* LICITVM *veteres crediderunt*, NVPTIIS FRATRIS SOLVTIS *ducere fratrem vxorem: licitum etiam*, POST MORTEM MVLIERIS, *aut* DIVORTIVM, *contrahere cum eiusdem sorore coniugium: abstineant huiusmodi nuptiis vniuersi, nec aestiment, posse legitimos liberos ex hoc consortio procreari: nam spurios esse conuenit, qui nascentur.* Quum vero haec constitutio, edita Romae, et ad vicarium vrbis missa, ad occidentem tantum pertineret: in oriente huiusmodi coniunctiones nondum ab usu recesserant, defendentibus eas etiam Christianis quibusdam, quorum argumenta scriptis ad Diodorum, Episcopum Tarsensem, litteris magno molimine oppugnat BASILIVS (b). Hinc noua lege THEODOSIVS M. (c) vetuit, *ne quis fratris vxorem duceret, vel duabus sororibus coniungeretur*, NE DISSOLVTO QVIDEM QVOCVNQVE MODO CONIVGIO. Idem paullo post firmarunt ARCADIVS et HONORIVS (d) anno Chr. 396. poenam quidem viuicomburii et proscriptionis bonorum, a Theodosio propositam, temperando, sed nihilominus iubendo, vt nec liberi ex eo coitu nati legitimi habeantur, nec parentes testandi habeant facultatem, et dos praeterea tanquam caduca publicetur. Cui poenae diserte et eos subiiciunt Principes, qui sese nuptiis fratris vxoris funestarint. Anno 415. Imperatores HONORIVS et THEODOSIVS iunior (e) eos, qui post prioris coniugis amissionem eius sororem duxerint, easque, *quae post interitum mariti in germani eius nuptias adspirandum crediderint, tanquam* INCESTVM *commiserint, habendos esse*, edixerunt. Quae constitutio eo est notabilior, quo magis constat, Honorium ipsum duas Stilichonis filias, sorores germanas, vnam post alteram habuisse in matrimonio, vti ZOSIMVS (f) et MARCELLINVS COMES (g) testantur. Sequuta est constitutio ZENONIS (h), qua haec prohibitio etiam ad fratrum coniuges, quae adhuc virgines dicebantur, producitur, *quamuis et Aegyptii adhuc eum morem tenerent, et certis* LEGISLATORIBVS *inter has personas nullam adfinitatem esse, placuisset.* Postremo et ANASTASIVS (i),

(a) L. 2. C. *Theod. de inc. nupt.*
(b) *Epist. CLXXXXVII.*
(c) L. 5. C. *de incest. nupt.*
(d) L. 3. C. *Theod. de inc. nupt.* L. 6. C. *eod.*
(e) L. 4. C. *Th. eod.*
(f) *Lib. V. cap.* 28.
(g) *Chron. ad ann.* 308.
(h) L. 8. C. *eod.*
(i) L. *ult.* C. *eod.*

BIU Cujas

quum huiusmodi connubia saepe rescriptis vel pragmaticis constitutionibus permissa esse intellexisset, noua ea constitutione inhibuit incestaque declarauit. Ex quo constitutionum numero facile est ad intelligendum, quam aegre sibi Romani istud principium extorqueri passi sint, quod cum ipsa paene vrbe natum, constanti tot saeculorum vsu iuris auctoritatem iam pridem fuerat consequutum.

* * * * * * * * * * *

CAPVT XVIII.

AD CAPITA LEGIS TRIGESIMVM SECVNDVM ET TRIGESIMVM TERTIVM,

DE PRIVILEGIIS ABSENTIVM REIP. CAVSSA, ET INDVLGENTIA SENATVS.

I. *Connexio huius capitis cum superioribus. Iac. Gothofredi de hac lege sententia expensa. Capitis huius sententia.* II. *Breuis huius capitis explicatio.* III. *Caput* XXXIII. *quale fuerit?* IV. *Eius explicatio. Principes sibi solis ius lege soluendi vindicarunt. Quot modis lege soluerint?*

I. QUemadmodum ad impedimenta nuptiarum antecedentia capita pertinuerunt: ita iisdem oppositum videtur id, quod proxime sequitur, de quo VLPIANVM libro commentariorum sexto egisse, animaduertimus. Et primum quidem ex eius (a) et PAVLLI (b) fragmentis quibusdam suspicari licet, sequens caput XXXII. egisse de absentibus reipublicae caussa. Qui enim videantur reip. caussa abesse, vterque explicat tam operose atque accurate, vt eos textus dignos iudicaret Tribonianus, quos in titulum digestorum: *Quibus ex caussis maiores viginti quinque annis in integrum restituuntur*, quo plane non pertinebant, referret. Quid vero de his absentibus hoc capite cautum fuerit, vix liquet, faciliusque diuinatur, quam certis rerum argumentis cognoscitur. Vir summus, IAC. GOTHOFREDVS (c), quum obseruaret, inter leges de solidi capacitate ab VLPIANO (d) et hanc referri, quod absentes reipublicae caussa quamdiu absunt et intra annum, postquam

(a) VLP. *Lib. VI. L. 36. L. 38. D. quib. ex causs. maior.*
(b) PAVLL. *Lib. III. L. 35. et L. 37. D. eod.*
(c) *Ad Leg. Pap. cap.* 18.
(d) *Tit. XVI. §. 1.*

BIU Cujas

quam abesse desierint, liberam habeant testamenti factionem : illam caussam solidi capionis a reliquis seiungit, et hoc caput, quod ipsi est XVIII. inde constituit.

Si vir commodi sui caussa absit, ex bonis vxoris suae solidum ne capito : At si sine detrectatione reipublicae caussa aberit, donec abest, et intra annum, postquam abesse desierit, libera inter virum et vxorem testamenti factio esto.

Sed quum hoc priuilegium, absentibus reip. caussa datum, ad leges de solidi capacitate pertinuerit, de quibus TER. CLEMENS et VLPIANVS libro quarto commentariorum suorum egerant : quis credat, vel legislatores, vel ipsos legis interpretes, tam fuisse incuriosos ordinis, vt istud caput, a reliquis diuulsum, loco hoc plane alieno proponerent? Quare maluimus, VLPIANVM auctorem sequuti, ista loca ad leges de solidi capacitate referre : quo loco etiam illa satis superque exposuimus.

Quum itaque GOTHOFREDVM hic deserere cogamur : age diuinabimus, qua de re egisse hoc caput, verosimillimum sit. In eo hactenus fuisse vidimus legislatorem, vt, quae nuptiis moram obiiciunt, impedimenta tolleret. Inter haec et absentia procul dubio fuit. Magnas saepe ac longissimas peregrinationes tum suscipiebant Romani (a). Alii officiis praeerant in prouinciis, alii procul ab vrbe faciebant stipendia, vel in prouinciis inter legiones praesidiarias consenescebant. Erant etiam, qui in diuersis orbis Romani prouinciis vel vectigalia conducerent, vel negotiarentur, vel suo periculo naues exercerent. Quorum quam immensus numerus fuerit, vel inde patet, quod per solam Asiae prouinciam Mithridates, teste PLVTARCHO (b), vno edicto centum et quinquaginta ciuium Romanorum millia iugulari iusserit. Quanto plures tum per alias prouincias vagatos existimemus? Haec absentia quantam vastitatem vrbi et Italiae intulerit, iam Iulius Caesar viderat, qui, ut exhaustam vrbem noua sobole expleret, teste SVETONIO (c), sanxerat, *ne quis ciuis, maior annis* XX, *minorue* XL, *qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo* ITALIA ABESSET, *neu quis senatoris filius, nisi contubernalis aut comes magistratus,* PEREGRE PROFICISCERETVR. Quum itaque et Augustus animaduerteret, ciuium quamplurimos vrbe abesse, eoque obtentu nuptias vel differre, vel

(a) *Pr. Inst. de codicill.*
(b) *In Sulla p. 467.*
(c) *Iul. cap. 42.*

BIU Cujas

plane adſpernari : commentus videtur caput, quo abſentiam iſtam, ea excepta, quae ob reipublicae vtilitatem ciuibus indiceretur, coerceret. Id autem ita eum feciſſe arbitramur, vt eos omnes qui peregrinationis ſtudio nuptias et ſobolis procreationem differebant, praeterquam qui reip. cauſſa abeſſent, caelibatus orbitatisque poenis ſubeſſe iuberet. Aut multum ergo fallimur, aut tale fuit legis noſtrae caput XXXII.

Qui REIPVBLICAE CAVSSA *ſine detrectatione abſunt, donec abſunt, et intra annum, poſtquam abeſſe deſierunt, vacationem a lege habento. Reliqui, qui ſui commodi cauſſa abſunt, poenis ex H. L. tenentor.*

Mouet me primo, quod et alias ſollemne fuiſſe video Auguſto, abſentibus reipublicae cauſſa vacationem legum ſuarum dare. Nam et legi Iuliae de adulteriis adſcriptum nouimus : NE QVIS INTER REOS REFERAT EVM, QVI TVM SINE DETRECTATIONE REIP. CAVSSA ABERIT (a). Deinde, quod generali iuris regula receptum eſſet, abſentiam eius, qui reip. cauſſa abeſt, neque ei, neque alii, damnoſam eſſe debere (b). Denique quod interpretes noſtri tam accurate computant, quando, qui reip. cauſſa abfuerunt, abeſſe deſinant (c), ſimulque ab his diſtinguunt eos, qui abſunt ſui commodi cauſſa (d). Quod ſane alio pertinere non poteſt quam ad vacationem annuam iis, qui reip. cauſſa abſunt, concedi ſolitam, poenamque iis, qui ſui commodi cauſſa abſunt, propoſitam.

II. Ait itaque lex : QVI REIP. CAVSSA ABSVNT. Eos vero iam recenſuimus ad caput legis XXIII. vbi etiam illa explicauimus : DONEC ABSVNT, ET INTRA ANNVM, POSTQVAM ABESSE DESIERVNT, vt nihil hic adiiciendum videatur, praeter verba : SINE DETRECTATIONE, quae quum in legibus frequentiſſime occurrant (e), cum GOTHOFREDO libenter adoptauimus. *Sine detrectatione* vero abeſſe dicebantur, qui non alicuius rei detrectandae vel declinandae cauſſa peregre abibant. Vnde facile patet, illos, qui eo tantum conſilio in prouinciam ire adfectabant, vt ne legi parere cogerentur, nullam poenae vacationem habuiſſe. VACATIONEM vero A LEGE HABERE dicuntur, quibus laxamenti aliquid datum, intra quod neceſſitate ineundi matrimonium procrean-

(a) L. 15. §. 1. D. *ad L. Iul. de Adult.*
(b) L. 140. D. *de R. I.*
(c) VLP. *Lib. VI.* L. 38. §. 1. D. *quib. ex cauſſ. mai.*
(d) VLP. IB. L. 36. L. 37. §. 1. D. *eod.*
(e) L. 15. §. 1. D. *ad L. Iul. de ad.* L. 12. *pr.* D. *de accuſ.* L. 19. *pr.* D. *de teſt.* L. 22. *fin.* D. *de fideic. libert.*

BIU Cujas

creandique liberos soluerentur, vt nihilominus interea a poenis caelibatus atque orbitatis essent immunes, praemiaque maritorum ac parentum caperent. Quo sensu VLPIANVM (a) et SVETONIVM (b) haec verba accipere, iam supra monuimus. Et sane huiusmodi vacationem competiisse absentibus reip. caussa, per pleraque legis capita facile potest demonstrari. Sponsam vltra biennium ex hac lege habere nemo poterat: ast poterat tamen is, qui ex necessitate (c), id est, ut ego interpretor, reip. caussa aberat, sponsalia non solum annum vel biennium, sed et vltra, differre. Quum deinde ex eadem lege feminae nupturae daretur tutor dotis constituendae caussa: non dabatur tamen, si tutor necessario abesset. Id enim SCto postea demum inuectum esse, docent VLPIANVS (d) et PAVLLVS (e). Solidi capacitatem et ei qui reip. caussa abesset, et eius vxori fuisse, iam ante docuimus. Absentibus porro reip. caussa, veluti militibus, plerumque ius liberorum a principe datum esse, paullo post adparebit. Ita procul dubio absenti reip. caussa centum illi dies, intra quos vxorem eum ducere oportebat, si vellet hereditatem capere, non currebant. Adeoque certissimum videtur, absentibus reip. caussa, et dum abessent, et intra annum, postquam abesse desiissent, vacationem legis fuisse.

Additum fuisse arbitramur: RELIQVI, QVI SVI COMMODI CAVSSA ABSVNT, POENIS EX H. L. TENENTOR. Id enim nuptiarum impedimentum praecipue sublatum oportuit. Nec obscure ad id respicere videtur VLPIANVS (f), dum scribit: *Reipublicae caussa abesse eos solos intelligimus, qui non* SVI COMMODI CAVSSA, *sed coacti, absunt.* His itaque nulla legis dabatur vacatio, adeoque non minus caelibatus orbitatisque poenis subiacebant, ac reliqui, qui peregre non iuerant. Hinc VLPIANVS (g) negat, eos *qui crimen admiserunt*, ob eamque rem in prouincia morantur, *habere priuilegium eorum, qui reip. caussa absunt.* Idemque repetit de eo, qui finito officio in prouincia morabatur, vel aliquo deflexerat suae rei caussa (h). Rationes vero huius iuris satis idoneae sunt. Primo enim absentia haec erat voluntaria, adeoque non indulgendum videbatur ei, qui vltro, antequam legi paruisset, eiusmodi peregrinationem susceperat. Deinde is vel eo nomine veniam non merebatur, quod legi et absens parere posset, si vellet. Nam et

(a) *Fragm. tit. XIV.* §. 1.
(b) *Aug. cap.* 34.
(c) L. 17. *D. de sponsal.*
(d) *Fragm. tit.* XI. §. 22.
(e) L. 15. *D. de tut. et cur. dat.*
(f) VLP. *Lib. VI.* L. 36. *D. quib. ex causs. mai.*
(g) VLP. IB. L. 38. *pr. eod.*
(h) IB. L. 38. §. 1. *eod.*

BIU Cujas

abſenti abſens deſponderi poterat, idque fiebat quotidie (a), modo rei non ignarus eſſet abſens, vel factum ratum haberet (b). Immo et abſens vir poterat ducere vxorem, in patria commorantem, quamuis nubere abſens non poſſet femina. Hinc PAVLLVS (c): Vir ABSENS *vxorem ducere poteſt*: FEMINA ABSENS *nubere non poteſt.* Quod eleganter explicat POMPONIVS (d): *Mulierem abſenti per litteras eius, vel per nuncium poſſe nubere placet, ſi in* DOMVM *eius* DVCERETVR. *Eam vero, quae abeſſet, ex litteris vel nuncio duci a marito non poſſe: deductione enim opus eſt in mariti, non in vxoris domum, quaſi in domicilium matrimonii.* Quamuis enim alioquin conſenſu fiant nuptiae: inter abſentes tamen conſenſus facto aliquo erat declarandus, idque commodiſſime fieri videbatur domum deductione. Feminâ vero domum deductâ, quamuis nondum cum ea conſueſſet abſens maritus, matrimonium tamen tam perfectum erat, vt Cinna, teſte VLPIANO (e), reſponſum eſſe ſcriberet, eum, qui abſens accepiſſet vxorem, et deinde rediens ad Tiberim periiſſet, ab vxore lugendum: et PAVLLVS (f) huiusmodi vxorem, quamuis nihil muliebre paſſam, et dotem et de dote actionem habere, cenſeat. Quum itaque et abſenti liceret legi parere, ac vxore domum ducta poenas effugere caelibatus: nihil profecto cauſſae erat, cur et ſui commodi cauſſa abſentibus idem daretur privilegium, quod in gratiam eorum, qui reip. cauſſa abeſſent, fuerat inuentum. Bella ſpecie id illuſtraſſe videtur CAIVS (g) noſter, quamuis ſuo more rationem tantum decidendi ſeruarit Tribonianus. Titius, ex priore matrimonio pater ſolitarius, ſui commodi cauſſa peregrinabatur vna cum vxore Caecilia et filio eiusdem impubere. Vxor heredem inſtituerat filium, eumque fideicommiſſo obſtrinxerat, ut moriens hereditatem relinqueret Titio vitrico. Dum nauigant mare, naufragio pereunt mater et filius, Titius euadit, petitque hereditatem. Si reip. cauſſa abfuiſſet, libera inter eum et vxorem fuiſſet teſtamentifactio. Aſt ſui commodi cauſſa abſens, ſolidum non capiebat. Non ab vxore, quia nullus exſtabat filius communis: nec ab impubere Caeciliae filio, cui fuerat ſubſtitutus, quia heres matris factus non intelligebatur, ſiquidem, vti ait CAIVS, *ſi mulier cum filio impubere naufragio periit,* PRIOREM FILIVM *necatum eſſe intelligitur.* Excidit ergo heredi-

(a) *L.* 4. §. 1. *D. de ſponſ.*
(b) **L.** 5. *D. eod.*
(c) *Lib. II. recept. ſent. tit.* XIX. §. 8.
(d) *L.* 5. *D. de Rit. nupt.*
(e) **L.** 6. *D. eod.*
(f) *L.* 7. *D. eod.*
(g) CAI. *Lib. V.* **L.** 23. *D. de reb. dub.*

BIU Cujas

hereditate, sibi testamento destinata, praeter decimas, quarum matrimonii nomine, et ob filium filiamue, ex priore matrimonio superstiti tem capax erat. Idem etiam capere poterat vsumfructum tertiae partis bonorum: non autem legatum annuum, quod tertiae partis vsumfructum excederet. Qua occasione idem CAIVS (a) de discrimine annui et ususfructus legati differuisse videtur.

III. Sequitur caput XXXIII. de quo eodem libro commentariorum sexto egit VLPIANVS, id quod tale fuit:

Si cui senatus gratiam huius legis faciet: ei nuptiae iustae, liberiue legitimi sunto, et omnia ex H. L. praemia capere ius esto.

Eam sane capitis huius sententiam nobis suggerit VLPIANVS (b), dum scribit: *si senatori* INDVLGENTIA PRINCIPIS *fuerit permissum, libertinam iustam vxorem habere: potest iusta vxor esse.* Id enim exemplum est, quo illustrat regulam, ad vniuersam procul dubio legem nostram pertinentem. Nimirum impedimento nuptiis aliquando erat repulsa, et quod nulla esset idonea conditio. Erant, qui vel ob formae vitium, vel ob paupertatem, morbos, aliasue huiusmodi causas dignam suo ordine conditionem nusquam reperirent. Iis, ne innoxii poenas infelicitatis suae luerent, consulendum putarat Augustus, atque hinc iis id indulserat beneficium, vt a senatu lege soluerentur.

IIII. Ait lex: SI CVI SENATVS. Huic enim non tantum tempore liberae reip. sed et sub Augusto id ius competiisse, iam supra, vbi de solidi capacitate actum, demonstrauimus. Nec video, quo iure vir summus, IAC. GOTHOFREDVS, obuertere nobis possit exemplum Hispalae Fecenniae apud LIVIVM (c), quum is auctor eam SCto lege matrimoniali solutam esse, diserte fateatur. Equidem, libera adhuc republica, huius modi SCta, quibus aliquid contra leges indulgebatur, saepe solebant tribuum suffragio firmari. Quale quid factum nouimus, quum senatus C. Valerium Flaccum, Aedilem, qui ob flaminium Diale in leges iurare non poterat, ea lege soluisset (d). Sed tantum abest, vt illud adhuc fieret temporibus Augusti, vt iam libera republica ea de re desitum esse ad populum ferri, referat ASCONIVS PAEDIANVS, cuius locum iam supra expendimus. Multo minus itaque hoc factum sub Imperatoribus, partim quod res non esset tanti momenti, vt ideo tribus in suffragia mitterentur, partim quod rarius tunc indicerentur

(a) *Lib. V. L. 8. D. de ann. legat.*
(b) *Lib. VI. L. 31. D. de rit. nupt.*
(c) *Lib. XXXVIIII. cap. 19.*
(d) LIV. *Lib. XXXI. cap. vlt.*

BIU Cujas

cerentur comitia, et ea, exstincto paullo post Augusto, a Tiberio, teste TACITO (a), e campo in curiam penitus transferrentur. Senatum sane ipsi Caligulae Imp. legis caducariae gratiam feciſſe, DIO CASSIVS testis locupletiſſimus est (b).

Enimuero id ius sibi paullo post principes vindicasse, ex VLPIANI verbis paullo ante adlatis discimus. Cuius mutationis originem iam supra ad Vespasiani tempora retulimus, cui, vt est in tabula Capitolina apud GRVTERVM (c), SCto conceſſum,

VTI, QVAECVMQVE EX VSV REIP. MAIESTATE DIVINARVM HVMANARVM PVBLICARVM PRIVATARVMQVE RERVM ESSE CENSVERIT, EI AGERE FACERE IVS POTESTASQVE ESSET.

Domitianum saltim saepe lege Papia Poppaea soluisse, ex pluribus MARTIALIS epigrammatibus constat. Immo de ipso Vespasiano exempla paullo post occurrent.

Sequitur in capite nostro: SI CVI SENATVS GRATIAM HVIVS LEGIS FECERIT. Ita enim loqui solebant veteres, quando lege quendam solui, dicere vellent: quemadmodum et notae sunt loquutiones: *Gratiam facere iurisiurandi* (d), *gratiam facere decreti* (e), *gratiam facere criminis* (f), aliaeque similes. Equidem IAC. GOTHOFREDVS (g) ita verba restituit: *Si cui populus prohibitas H. L. nuptias contrahere permiserit*: sed licet VLPIANVS huius solius speciei meminerit: vix tamen verosimile est, hanc lege solutionem ad solum caput primum et secundum de nuptiis senatorum et plebeiorum pertinuisse. Nullum enim fere est legis nostrae caput paullo maioris momenti, cuius non gratiam quibusdam vel senatus vel principis beneficio factam esse norimus. Prohibitas nuptias aliquando conceſſas esse senatoribus, VLPIANVS obseruat (h). Plebeiis ingenuis, maxime militibus, ius connubii cum vxoribus, quas contra leges duxerant, datum esse a Vespasiano, Domitiano, et Traiano: marmora apud GRVTERVM (i) et SPONIVM (l) docent. Si qui contra hanc legem contraxerant nuptias: nec vir nec mulier, nec dos, nec nuptiae, nec liberi legitimi intelligebantur. Et tamen saepe principes talia matrimonia (m), liberorumque statum (n) confir-

(a) *Lib. I. Ann. cap. 15.*
(b) *Lib. LIX. p. 747.*
(c) *Inscr. p. 242.*
(d) SVET. *Tib. cap. 34.* L. *6. D. de iureiur.*
(e) L. 1. §. *vlt. D. de quaestion.*
(f) SVET. *Calig. cap. 15.*
(g) *Ad Leg. Pap. cap. 19.*
(h) VLP. *Lib. VI. L. 31. D. de Rit. Nupt.*
(i) *Inscr. p. 573. num. 2. 574. nu. 5. 575. n. 1.*
(l) *Miscell. p. 244.*
(m) L. 38. §. *6. ad L. Iul. de adult.*
(n) L. 57. §. 1. *D. de Rit. Nupt.*

BIU Cujas

confirmasse, vel inde patet, quod ne in incestis quidem coniunctionibus id beneficium semper denegarent. Petentibus honores saepe principes iura liberorum dabant, saepe annos aliquot, etiamsi liberos tot non sustulissent, remittebant, ceu exemplis Calaestrii Tironis et Plinii Secundi discimus (a). Idem ius liberorum saepissime datum nouimus ob immunitatem a muneribus, ob liberationem a tutela (b), ad consequenda iura Quiritium, et solidi capacitatem (c). Immo et lege caducaria quosdam solutos esse, iam Caligulae exemplo ex DIONE (d) demonstratum est. Quis ergo dubitet, quin hoc caput nostrum ad totam legem Papiam Poppaeam pertinuerit? Quis dubitet, quin initio senatui, posteaque principibus, licuerit quarumcumque sanctionum gratiam facere?

Si cui autem id beneficium obtigerat: ei et IVSTAE NVPTIAE et LIBERI LEGITIMI ERANT, et IVS POTESTASQVE PRAEMIA EX H. L. CAPIENDI. Prius ex verbis VLPIANI patet (e): *Potest iusta vxor esse.* Si autem iusta vxor erat, consequitur, vt et iustae nuptiae, et liberi haberentur legitimi. Posterius autem exempla docent. Sic Calaestrius iure liberorum; Plinius anni remissione impetrata non minus aliis praeferebantur candidatis, ac si liberos sustulissent (f). Liuia (g) et Irene (h) impetrato trium liberorum iure non minus tutela liberabantur, ac si matres essent trium liberorum. Eadem Liuia, lege soluta, non minus tertiam bonorum partem ex testamento mariti capiebat, ac si legi Iuliae et Papiae satisfeciisset (i). Quae quum ita sint, certissimum videtur, hanc ipsam, quam expressimus, fuisse huius capitis nostri sententiam.

(a) PLIN. *Lib. VII. Epist.* 17.
(b) GRVT. *pag.* 1081. *n.* 1.
(c) VLP. *tit. XVI. §.* 1.
(d) *Lib. LVIIII. pag.* 747.
(e) VLP. *Lib. VI.* L. 31. *D. de Rit. nupt.*
(f) PLIN. *ibid.*
(g) DIO *Cass. Lib. XXXXVIIII. p.* 414.
(h) GRVTER. *ib.*
(i) DIO *Lib. LVI. pag.* 590.

* * * * * * * * * * *

CAPVT XVIIII.

AD CAPVT LEGIS XXXIIII.

DE DIVORTII MODO ET POENA.

I. CAput XXXIIII. *qua de re egerit? Locus Suetonii expositus. Diuortii causſae. Redditio dotis, retentio ex dote, graues et leuiores ma-*

BIU Cujas

riti et vxoris mores puniti. Caput restitutum. II. *Caussae diuortii. Poena eiusdem. Restitutio dotis. Quo tempore fieri debuerit? Graues leuesque mariti mores quomodo coerciti? nec non graues leuesque mores vxoris. Quid praeterea ex dote retentum?* III. *Variae huius capitis mutationes.*

I. CApite sequente de diuortiis actum esse, varia ostendunt VLPIANI ex libro septimo (a), PAVLLI ex libro tertio (b), et MARCELLI (c) ex libro eodem commentariorum, fragmenta. Exstat etiam pars verborum legitimorum huius capitis, ex quibus facile patet, diuortiis hoc caput fuisse oppositum. Quale vero id fuerit, paullo accuratius iam videtur inuestigandum, maxime quum hic ipse vacillet vir summus, IAC. GOTHOFREDVS. Is enim ita ordinanda putat capita insequentia:

CAP. XX. *Fundum dotalem Italicum maritus, inuita vxore, ne alienato, neue, consentiente ea, obligato.*

CAP. XXI. *Soluto citra culpam vxoris matrimonio, vir, quidquid ex vxoris eiusue libertorum bonis* AD EVM PERVENIT, AVT DOLO MALO EIVS FACTVM ERIT, QVO MINVS AD EVM PERVENIRET, *tam ipse, quam heres eius,* QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM VXORI DATO.

Caput XXII restituere non audet; addit tamen in margine: *Cap.* XXII. *de* DOTIS *repetitione et retentionibus, vt existimo:* et in ora paginae allegat VLP. LIB. VII. *L.* 64. *D. sol. matrim.*

Enimuero caput illud, quod viro eximio est vigesimum primum, non esse ex lege Iulia et Papia, (vti sibi ante GOTHOFREDVM iam persuaserat PAVLL. MANVTIVS (d), sed ex lege Iulia de adulteriis, manifestum videtur ex loco PAVLLI (e). Quo animaduerso, ipse GOTHOFREDVS in commentario sententiam priorem deserit, et ita scribit (f): *Verum retrahit me Paullus Lib. 2. sent. tit. 21. quo loco id, quod lege Iulia de fundo dotali cautum fuit, legi Iuliae de adulteriis nominatim tribuit. Et vero id confirmant apertissime inscriptiones ex* VLPIANI, PAPINIANI, PAVLLI *libris de adulteriis,* L. 2. 6. 12. 13. 14. D. de fund. dotal. *Quo igitur pertinebit tractatus ille Caii in* L. 7. D. de

(a) VLP. *Lib. VII.* L. 64. *D. sol. matr.* *Rit. nupt.*
(b) PAVLL. *Lib. III.* L. 8. *fin. D. de captiu.*
(c) MARCELL. *Lib. III.* L. 33. *D. de*
(d) *De Leg. Rom. cap. 16.*
(e) *Rec. sent. Lib. II. tit. 21.*
(f) *Comm. ad L. Pap. p. 335.*

BIU Cujas

de cens.? (quem antea ad caput suum XX retulerat) *Nempe eodem, quo ex Vlpiani Lib.* VII. L. aedificia 139. D. de verb. sign. *At quo vtrumque? ad* DIVORTIA, *vt puto, quae, septem ciuibus Romanis puberibus adhibitis fieri oportuit.* Ex sententia igitur ipsius Gothofredi posteriore totum delendum est caput XX, eiusque loco reponendum aliud, quo cautum, vt diuortia, septem ciuibus Romanis, praeter libertum adhibitis, fierent. Enimuero ne sic quidem res in vado est. Praeterquam enim quod tractatus ille CAII in *L. 7. D. de cens.* et VLPIANI in *L. 139. D. de Verb. sign.* nihil facit ad septem testes, in diuortio, adhibendos: posteriores hae Gothofredi curae iisdem premuntur difficultatibus, ac priores. Nam et illud ius de septem testibus diuortio adhibendis non legi Iuliae Papiae, sed legi Iuliae de adulteriis tribuitur a PAVLLO (a) et VLPIANO (b). Vnde ipse Gothofredus pergit: *At*, inquies, *hoc lege Iulia de adulteriis cautum. Quid tum? Simile aliquid antea cautum hac lege Papia omnino existimo, etsi postea plenius lege Iulia recautum.* Sed praeterquam, quod antiquiorem lege Iulia esse hanc Papiam nostram, nondum expeditum est: idem sibi vir eximius respondere poterat de fundo dotali. Quis vero crediderit, intra breuissimum temporis spatium Augustum bis idem cauere et recauere, id est, actum agere voluisse?

Quae de capite XXII suspicatus est IAC. GOTHOFREDVS, probabiliora videntur, quamuis accuratius docere potuisset, quid de repetitione et retentione dotis Augustus sanxerit. Quod quum non fecerit, Lectorem vbique dubium, et veluti sub cultro, quod aiunt, relinquit.

Periculum itaque facere iuuat, an post GOTHOFREDVM liceat nobis hanc legem veluti de fuga retrahere, suaeque restituere integritati. Saepe diximus, praecipue hactenus id dedisse operam Augustum, *ne quod omnino nuptiis impedimentum inferretur* (c). Nullum vero erat impedimentum nuptiarum grauius, quam promiscua illa diuortiorum licentia, quae paullo ante tempora Augusti ita inualuerat, vt ob leuissimam quamuis suspicionem, ob simultates cum socru muliebres, ob spem conditionis pinguioris, ob secretum cum liberta colloquium, matrimonia auspicatissima diuellerentur. Quum ergo tristis illa conditio et viros et feminas complures a matrimonio absterreret: nihil prius nihilque antiquius sibi habuit Augustus, quam vt istam licentiam lege nostra prudenter coerceret.

Id eum fecisse lege PAPIA POPPAEA, ita docet SVETONIVS (d):

(a) L. 9. D. de diuort.
(b) L. vn. D. vnde vir et vx.
(c) L. 72. §. vlt. D. de cond. et dem.
(d) Aug. cap. 34.

BIU Cujas

quumque etiam immaturitate sponsarum, et matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi sentiret: tempus sponsas habendi coarctauit, DIVORTIIS *modum imposuit.* Circa quem locum dupliciter errare video viros doctos, quorum quidam cum v. c. BARN. BRISSONIO (a) SVETONIVM de lege Iulia de adulteriis loqui existimant, quum manifesto agat de lege Papia Poppaea: alii vero verba eius ita interpretantur, vt Augustum diuortiis certam formam dedisse, et in iis sollemnitates quasdam exegisse, dicant, quo sensu ipse GOTHOFREDVS verba historici accepisse videtur. Sed vnusquisque videt, *modum diuortiis imponere* hic idem esse, ac diuortia coercere, vt tam frequenter non fiant: quemadmodum auctoribus nostris lege Falcidia *modus* legatis constitutus (b), legata non vltra ciuilem *modum* relicta (c), et vsuris *modus* esse, dicuntur. Eadem forma leges nostrae eleganter dicunt *modum adiicere*, *L. 6. §. 3. D. de offic. procos. moderari*, et *modum rei excedere*, *cit. loc.* Ex quo sane sequitur, vt Augustus sanctionibus poenalibus coërcuerit diuortia. Id quod etiam clarissime patet ex verbis PAVLLI de vxore captiua, nolente ad virum redire: (d) *quod si noluerit, nulla caussa probabili interueniente*, POENIS DISCIDII *tenebitur.*

Qua in re autem istae *poenae discidii* constiterint, facile discimus ex parte verborum legitimorum, quae seruauit VLPIANVS (e). Nempe in redditione dotis. Quum vero haec redditio in se poena non sit, quum maritus, soluto matrimonio, dotem cogatur reddere, etiamsi nihil aduersus leges admiserit: alio loco nobis ostendit VLPIANVS (f), quid circa redditionem dotis obtinuerit, si vel mariti vel vxoris culpa factum esset diuortium. Nimirum si maritus moribus occasionem huic discidio dedisset, dos in quantitate consistens ob mores grauiores praesens, ob mores leuiores senûm mensium die; quae non consistebat in quantitate, cum fructibus tantis, quanti per quadriennium capi possent, reddenda erat. Sin culpa mulieris, aut patris, cuius in potestate erat, factum fuerat diuortium: dotem non integram recipiebat mulier, sed praeter ea, quae propter impensas in res dotales factas, vel propter res donatas, amotasque a muliere, nec non propter liberos penes maritum manebant, quaedam etiam morum nomine retinebantur, quae omnia accurate idem exponit VLPIANVS (g), infra a nobis interpretanda pluribus. Equidem id ius ex formula vetere actionis rei vxoriae QVANTVM AEQVIVS

(a) *Ad leg. Iul. de adult. pag.* 123.
(b) *L. 1. pr. et L. 81. in fin. D. ad leg. Falc.*
(c) TACIT. *Ann. Lib. I. cap. 8.*
(d) *Lib. III. L. 8. D. de capt. et postlim.*
(e) VLP. *Lib. VII. L. 64. §. 6. et §. 10. D. solut. matr.*
(f) *Fragm. tit. 6. §. 13.*
(g) *Ibid. §. 10. sequ.*

BIU Cujas

QVIVS MELIVS arcessit BOETHIVS (a): sed recte a SCHVLTINGIO obseruatum est, ICtos non potuisse interpretando definire certas partes, et praeterea, id ius ex *lege vetere* esse, diserte scribit THEODOSIVS iunior (b). Quum itaque antea, libera adhuc republica, ob mores graues vxoris tota dos penes virum maneret, testibus PLVTARCHO (c) et PLINIO (d), apud VLPIANVM autem certa tantum dotis pars retineri posse dicatur: non abs re colligere mihi videor, illud ius inuectum esse lege Papia Poppaea, post quam nullius legis exstat memoria, qua inuectam credere liceat hanc dotis retentionem.

Quae quum ita sint, ego quidem tale fuisse censeo caput legis nostrae XXXIIII:

> *Soluto citra culpam vxoris matrimonio, si mulier ob mores viri diuortit, vir eam dotem, quae annua, bima, trima die reddi debet, ob maiores mores praesentem, propter minores senûm mensium die reddito. Quod ad dotem, quae praesens reddi solet, et dotale praedium Italicum, et* QVIDQVID EX VXORIS *vel libertorum eius* BONIS AD EVM PERVENIT, NEC NON, SI DOLO MALO FACTVM SIT, QVO MINVS PERVENIRET: QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM *ipse eiusue heredes* DATO, *et vir simul fructum quadriennii praestato. Sin mulieris culpa discidium factum, morum nomine maritus, grauiorum quidem sextam, leuiorum octauam dotis partem retineto.*

II. SOLVTO, inquit lex, CITRA CVLPAM VXORIS MATRIMONIO. Non ergo Augustus sustulit diuortiorum libertatem, sed modum illis imposuit, nec ea, nisi ex iusta causa, nempe ob mores alterius coniugis intolerabiles, fieri voluit. Vti vero iam CICERONIS (e) aeuo non quaerebatur, vter coniugum nuncium miserit, sed penes quem culpa esset? ita idem valuit post legem Papiam Poppaeam (f). Quum autem quisque secundum se dare soleat sententiam: opus erat arbitrio iudicis, qui, vtrius culpa diuortium esset factum, definiret. Quem in finem prodita erat *actio malae tractationis*, quam ex QVINCTILIANI *Declamationibus* (g) ac *Institutionibus oratoriis* (h) in lucem protraxerunt CHARONDAS (i) et ANT. SCHVLTINGIVS (l). Apparebat itaque,

(a) *Ad Topic. Cic.* **Lib. VI.**
(b) *Nouell. Theod. tit.* 17. *de repud.*
(c) *In Mario pag.* 274.
(d) *Hist. Nat. Lib. XIIII. cap.* 13.
(e) *Topic. cap.* 4.
(f) QVINCTIL. *Instit. Lib. VII. cap.* 4.
(g) *Decl. VIII. XVIII.* CCCLXXXIII.
(h) *Lib. VII. cap.* 3.
(i) *Ad* VLP. *tit.* 6. §. 13.
(l) *Ibid. pag.* 586.

BIU Cujas

finito hoc iudicio, diuortium factum esse vel culpa vtriusque, vel culpa mariti, vel culpa vxoris. Si par vtriusque esset culpa, neuter quidquam ex alterius bonis lucrabatur. Et eo pertinet elegans textus SCAEVOLAE (a): *Quum mulier viri lenocinio adulterata fuerit, nihil* EX DOTE *retinetur. Cur enim improbet maritus mores, quos ipse aut ante corrupit, aut postea probauit?* Sin culpa teneret maritum, adeoque VXOR OB MORES VIRI DIVORTISSET, tunc aequissimum erat, ei dotem cum lucro reddi. Sunt vero MORES vel *grauiores*, siue *maiores*, vti VLPIANVS (b) vocat, vel *leuiores* siue *minores*. Grauiores sunt adulteria: leuiores reliqui omnes, quos coniux in coniuge ferre nequeat. Vtroque casu maritus, qui moribus male compositis occasionem diuortio dederat, vxori reddere tenebatur dotem. Hinc PAVLLVS apud BOETHIVM (c): *si* DIVORTIVM *est matrimonii, et hoc sine culpa mulieris factum est,* DOS INTEGRA *repetetur.* Sed quia, vti monui, haec quidem redditio dotis nihil in se poenae habet, quippe ad quam, et morte soluto matrimonio, non modo maritus, sed et eius heredes sunt obstricti: hinc Augustus eam conditionibus paullo durioribus circumscribendam existimabat. Nimirum dos aut pondere, mensura numeroue, aut in fundis aliisque rebus haud fungibilibus constabat. De illa lex addit: VIR EAM DOTEM, QVAE ANNVA BIMA TRIMA DIE REDDI DEBET, OB MORES MAIORES PRAESENTEM, PROPTER MINORES SENVM MENSIVM DIE REDDITO. Res fungibilis in dotem data, reddenda erat ordinarie pensionibus tribus, id est, annua, bima, trima die, nisi, vt praesens redderetur, diserte conuenerit (d). Quemadmodum enim plerumque, qui dotem promiserant, eam non praesentem, sed, annua, bima, trima die, numerabant, ceu ex CICERONE (e) et POLYBIO (f) erudite docet V. C. GER. NOODT (g): ita et iisdem pensionibus eam reddi, videbatur aequissimum. Sed hoc beneficio excidebat maritus, qui moribus improbis occasionem diuortio dederat. Nam OB MAIORES MORES, id est, ob adulterium stuprumue alteri illatum, dotem PRAESENTEM REDDERE tenebatur. Ex quo consequebatur, vt statim soluto matrimonio veniret dies, adeoque ab eodem momento vsurae ob moram iudicio rei vxoriae, tanquam actione bonae fidei, peti possent. Amittebat itaque maritus interusurium trium annorum, adeoque, si tria Philippûm millia dotis loco acceperat, eaque foenori locauerat pro vsuris centesimis: septingentorum ac viginti Philippûm vsuras amit-

(a) L. 47. *D. soluto matr.*
(b) *Ibid.* §. 12. *sequ.*
(c) *In Topic. Cic. Lib. II.*
(d) VLP. *Fragm. tit. 6.* §. 8.
(e) *Lib. XI. ad Att. Epist. 4. 23. vlt.*
(f) *Excerpt. Peiresc. p. 154.*
(g) *Lib. III. de foen. et vsur. cap. 6.*

BIU Cujas

amittebat, quas percipere potuisset, si ei licuisset soluere annua, bima, trima die. Sin ob mores leuiores diuortisset mulier: maritus SENVM MENSIVM DIE, id est post semestre spacium, dotem renumerare tenebatur, adeoque amittebat vsuras centesimas quingentorum et quadraginta Philippûm. Quid vero si dos in rebus non fungibilibus, veluti in fundis, consisteret? Ea dos iam olim praesens reddi debebat, etiamsi maritus nihil deliquisset. Diserte enim VLPIANVS (a): *Reliquae dotes*, (quae pondere, mensura, numero, non continentur,) STATIM *redduntur*. Quod et nouo iure mansit (b), quo tamen prius istud ius de annua, bima, trima die mutatum, et, vt dos in re fungibili data intra annum a soluto matrimonio solueretur, sancitum est. Vt ergo et ita poenam sentiret maritus, cautum fuerat: QVOD AD EAM DOTEM, QVAE PRAESENS REDDI SOLET, ET DOTALE PRAEDIVM ITALICVM, ET QVIDQVID EX VXORIS VEL LIBERTI BONIS AD EVM PERVENIT, NEC NON, SI DOLO MALO FACTVM SIT, QVO MINVS PERVENIRET, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM IPSE HERESVE EIVS DATO. Nimirum dos vel in fundis, vel in aliis rebus non fungibilibus consistebat. Fundus vel Italicus erat, vel prouincialis. Italicus non solum Romae et in Italia quaerendus, verum etiam in iis locis extra Italiam, quae iure Italico fruebantur. Ea praedia, quum nec inuita vxore alienari, nec volente obligari a marito possent, statim in specie erant restituenda. Atque inde facile intelligitur quid sibi velint verba: QVOD AD EAM DOTEM, QVAE PRAESENS REDDI SOLET, DOTALE PRAEDIVM ITALICVM, DATO. Vindicari itaque ab vxore poterat praedium dotale Italicum, siue id possideret maritus, siue dolo malo possidere desiisset. Ex quo facile patet, cur tam sollicite ad hunc locum iureconsulti nostri disquirant, quaenam aedificia dicantur ROMAE AEDIFICATA (c), et quaenam coloniae sint iuris Italici, quarum magnum numerum init CAIVS (d). Ea omnia enim ad explicanda verba: PRAEDIVM DOTALE ITALICVM pertinuisse, facile est ad intelligendum. Quia autem saepe et in aliis rebus dos constituebatur, vti in fundis prouincialibus, seruis, aliisque, quae alienari poterant, hinc additum: ET QVIDQVID EX VXORIS VEL LIBERTI EIVS BONIS AD EVM PERVENIT, QVANTA EA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM DATO. Hinc si vir seruum dotalem voluntate mulieris manumiserat, debebat vxori restituere, quidquid ea occasione ad eum peruenisset. (e) Inde etiam, quod libertatis caussa ei imposuerat, id vxori praestabat

(a) *Ibid.*
(b) L. *vn.* §. 7. C. *de rei vx. act.*
(c) VLP. *Lib. VII.* L. 139. *D. de verb. sig.*
(d) CAI. *Lib. VI.* L. *vlt. D. de cens.*
(e) VLP. *Lib. VII.* L. 64. *pr. D. sol. matr.*

BIU Cujas

bat (a) : veluti si sibi a liberto vxoris stipulatus fuerat, quod ad eum ex alterius hereditate peruenturum esset. Eo enim pertinere arbitramur locum CELSI (b). Non autem debebat operas, quas ei praestiterat libertus (c). Quid, si quid ex bonis huius liberti ad maritum peruenisset ? Id quoque praestabat, dum illud iure patronatus adquisiuerit. Nam si quid liberti beneficio percepisset, aut si hic eum ex maiore parte, quam ex lege debebat, scripsisset heredem : quod amplius relictum fuerat, non reddebat vxori (d), quia propter eam id non acceperat. Perinde etiam erat, siue iam percepisset aliquid ex bonis vxoris, siue percipere potuisset. *Peruenisse enim accipimus*, inquit VLPIANVS (e), *siue iam exegit, siue exigere potest, quia actio ei delata est.* Quum vero diserte addiderit lex : QVANTA EA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM DATO : colligunt inde Vlpianus, et CELSVS, non liberti hereditatem eum praestare debere, sed eius aestimationem, nisi ipsas res tradere mallet (f), vt adeo optio sit mariti, res malit restituere, an praestare aestimationem. Additur : VT ET SI DOLO MALO FACTVM SIT, QVO MINVS PERVENIRET, veluti si, ne reddere cogeretur, liberto munera, dona, aliaque quae promiserat, remisisset. Hinc si abesset dolus, veluti si filium, ad quem hereditas liberti debuisset peruenire, exheredem scripsisse : heres eius hoc nomine non tenebatur, quia nec ad ipsum, nec ad heredem quidquam peruenerat (g). Haec omnia tum ipse praestabat maritus, tum eius heredes. Horum enim disertis verbis lex meminerat, non autem soceri, eiusue successorum. Vnde ex mente LABEONIS et VLPIANI (h) aduersus hos ne vtilis quidem dabatur actio. Nec iniuria fiebat heredi, quod hac actione rei persequutoria teneretur : Ast, quae sequuntur, poenam continent, et hinc ad solum maritum, cuius grauiores mores caussam diuortio dederant, non ad eius heredes pertinent. Addit enim lex : ET VIR SIMVL FRVCTVM QVADRIENNII PRAESTATO. Hinc si fundus esset sex millium Philippûm, et inde quotannis ad eum redire potuissent CCCLX. Philippici : mulieri praeter fundum reddere tenebatur mille quadringentos et quadraginta Philippicos. Quamuis vero ita legamus apud VLPIANVM (i) : existimant tamen quidam, eius textum in mendo cubare, quia sic maritus grauius puniretur in reddenda dote non fungibili,

(a) VLP. IB. L. 64. §. 1. *et* 3. *eod.*
(b) CELS. *Lib. XXXII.* L. 97. *de verb. sign.*
(c) IBID. §. 2. *eod.*
(d) VLP. IB. L. 64. §. 5. *eod.*
(e) IB. L. 64. §. 6. *eod.*
(f) IB. L. 64. §. 10. *D. eod.* CELS. IB. L. 97. *de verb. sign.*
(g) VLP. IB. L. 64. §. 8. *D. eod.*
(h) IB. L. 64. §. 9. *D. eod.*
(i) *Fragm. tit. VI.* §. 13.

BIU Cujas

bili, quam in fungibili. Quum enim in hac ipsi triennii periret interusurium : in illa praestare eum oportuisset fructus quadriennii, quod vix probabile videtur etiam clarissimo SCHVLTINGIO (a), qui ideo *triennium* rescribi posse iudicat. Sed mihi nihil videtur mutandum. Numerata enim pecunia in dotem data vsuras proferebat certas, et apud Romanos quidem satis amplas. Ast ex fundis non vsurae, sed fructus proueniunt, quorum raro tanta esse solet aestimatio, quantae sunt vsurae legitimae. Hinc nemo mirabitur, marito dotem non fungibilem reddituro, iniungi simul, vt non triennii, sed quadriennii fructus praestet, si ob mores eius inhumanos et peruersos diuortium fuisset factum.

Denique et de modo feminarum mores puniendi, lex agit. Ait enim : SIN MVLIERIS CVLPA DISCIDIVM FACTVM, MORVM NOMINE MARITVS, GRAVIORVM QVIDEM SEXTAM, LEVIORVM OCTAVAM DOTIS PARTEM RETINETO. Culpa mulieris intercedere videbatur, si vel mores graues, puta adulterium, probarentur, vel certe maritus ob leges vxorem retinere haud posset. Hinc PAPINIANVS (b), quaesitus ab eo, qui ream adulterii vxorem duxerat, damnatamque mox repudiauerat, an caussam discidii praestitisse videretur? respondit : *Quum per legem Iuliam huius modi vxorem retinere prohibeatur, non videri eum caussam discidii praestitisse, quare id ius tractandum esse, quasi culpa mulieris facto diuortio.* Quid si capta ab hostibus fuisset mulier? Tunc sane non eius culpa, sed iuris rigore (c) matrimonium fuerat solutum, nec vxor iure postliminii recuperari poterat, nisi vltro ad maritum reuerteretur, et consensu renouaret matrimonium (d). Si reuerti ad eum nollet, nec vlla ei iusta nolendi caussa esset : merito poenis legis nostrae tenebatur. Ita enim PAVLLVS (e) noster : *Non vt a patre filius, ita vxor a marito iure postliminii recuperari potest : sed tunc, quum et* VOLVERIT *mulier, et adhuc alii post constitutum tempus nupta non est. Quod si voluerit, nulla caussa probabili interueniente, poenis discidii tenebitur.* Verum quamuis ita legatur Florentiae, manifestum tamen est, pro : *Quod si voluerit* rescribendum esse : *quod si noluerit.* Manifestum etiam, quod iam a IAC. CVIACIO (f) obseruatum, illa *post constitutum tempus* sapere emblema Triboniani. Tempus enim quadriennii vel quinquennii, quod oporteat coniugem exspectare reditum coniugis absentis, non Paulli aeuo, sed multo post a CONSTANTINO (g) et IVSTINIANO (h) constitutum esse, ex legi-

(a) *Ad* VLPIAN. *pag.* 586.
(b) L. 11. §. 13. *D. ad* L. *Iul. de adult.*
(c) L. 1. *D. de diuort.* L. 56. *D. sol. matr.*
(d) L. 14. §. 1. *D. de captiu.*
(e) PAVLL. *Lib.* III. L. 8. *D. eod.*
(f) *Ad Nouell.* XXII.
(g) L. 7. *C. de repud.*
(h) *Nou.* XXII. *cap.* 7.

BIU Cujas

bus noſtris liquet. Intercedente autem vxoris culpa, maritus MORVM GRAVIORVM NOMINE RETINEBAT SEXTAM DOTIS PARTEM; (non, vti veteres editiones habent, SEXTAS,) LEVIORVM OCTAVAM. Hinc mulier ob adulterium repudiata, ſi dotem viginti quatuor millium ad virum attuliſſet, quatuor millia; ob mores leuiores dimiſſa tria millia amittebat. Et inde lucem capit elegans AVSONII *epigramma*, quod eſt 88.

Iuris conſulto cui viuit adultera coniux,
PAPIA lex *placuit*, IVLIA *diſplicuit.*

Contendit inter ſe poëta legem Papiam, quae et ipſa Iulia dicitur, et Iuliam de adulteriis. Placebat illa ICto, adulterae marito, quia dotis partem ob mores vxoris graues lucrari poterat: at diſplicebat Iulia, quae vxorem in adulterio deprehenſam repudiari iubebat, niſi maritus pro lenone haberi vellet. *L. 29. D. ad leg. Iul. de adulter. L. 2. C. eod.* Id autem ipſi vel ideo videbatur incommodum, quod totam dotem retinere, quam eiuſdem partem lucrari mallet. Ergo interim, dum fluctuauit, dubiamque traxit ſententia mentem, vere ipſi

Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.

Sunt equidem veterum loca, quae non partis cuiuſdam dotis, ſed totius, amiſſae meminiſſe videntur, quaeque ideo a Triboniano interpolata eſſe ſuſpicantur CVIACIVS (a), BALDVINVS (b) et BRISSONIVS (c): ſed cauſſam iam ANTONIVS SCHVLTINGIVS (d) dixit. Quando enim MARCELLVS (e) interrogatur: *ſi probetur culpa mulieris matrimonium diſſolutum, an poſſit maritus propter culpam mulieris* DOTEM RETINERE? Et quando DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS (f) reſpondent, DOTEM, *culpa vxoris diſſoluto matrimonio, penes maritum* REMANSISSE: id non eſt intelligendum de dote vniuerſa, ſed de tanta eius parte, quantam lex retineri concedit, quae et alio loco *lucrum ex dote*, vel *commodum dotis* adpellatur (g). Quum vero id iudicium ad vindictam eſſet comparatum: facile patet, illud non datum, niſi marito, eiuſque heredem non magis agere potuiſſe, quam eius, qui aliquam paſſus erat iniuriam. Hinc PAVLLVS (h) libro VII. ad Sabinum, vbi de nuptiis et rei vxoriae actione egit: *Heredi mariti quidem prodeſſe* ait *compenſationes*, veluti ob res donatas et amotas, et impenſas: MORVM *vero* COERCITIONEM *eum non habere.*

III. Ve-

(a) *Obſ. Lib. XXI. cap. 17.*
(b) IVSTINIAN. *Lib. II.*
(c) *Ad* L. *Iul. de adult. pag. 142.*
(d) *Ad* VLPIAN. *p. 585.*
(e) L. 38. *D. ſolut. matrim.*
(f) L. 24. *C. de iure dot.*
(g) L. 11. §. 3. *D. ad* L. *Iul. de adult.*
(h) L. 15. §. 1. *D. ſolut. matr.*

BIU Cujas

III. Verum id quoque caput varias subiit mutationes. Nam primi THEODOSIVS et VALENTINIANVS Imperatores (a) certas causſas, ob quas diuortium fieri posſet, praescripserunt, addideruntque, vt si sine tali causſa factum esſet diuortium, vxor dotem, maritus donationem propter nuptias amitteret, iisque matrimonio interdiceretur in quinquennium. Deinde ANASTASIVS (b) permisit diuortium, bona coniugum gratia factum, mulierique, eo modo discedenti a marito, concesſit, ne quinquennium exspectare teneretur. IVSTINIANVS (c) postea anno Chr. 528. reliquis diuortii causſis et eam adiecit, si maritus intra duos annos continuos cum vxore ob naturae imbecillitatem coire non posſet. Eo enim casu et sine dotis donationisque propter nuptias amittendae periculo coniuges dissociari posſe sanxit. Eodem anno (d), alia edita constitutione, tres causſas diuortii superioribus adiecit, puta si mulier abortum procurarit, si commune lauacrum cum viris habuerit, et si constante matrimonio de aliis nuptiis inierit consilium. Poenas quoque iniusti diuortii eatenus auxit, vt si maritus vxorem indotatam sine causſa repudiasſet, ei praestare cogeretur quartam partem bonorum suorum, dum ne illa centum librarum auri summam excederet, siquidem quantumcunque ipsi esſet substantiae, non vltra centum auri libras vxori numerat. Id quod etiam ex parte mulieris obseruatur, quae marito nihil tale merito repudium mittit. Omnes has causſas a Theodosio, Anastasio, et se ipso proditas denuo noua constitutione stabiliuit anno 536. (e) Idemque fecit anno 541. nisi quod, sui dissimilis, diuortia bona gratia facta, praeterquam si castitatis concupiscentia coniuges a se discederent, denuo inhibeat (f), et causſarum numerum ad pauciores reducat (g). Ex iisdem constitutionibus nouis, sublato de moribus iudicio, dos vel donatio propter nuptias cedit communibus liberis, vel iis non exsistentibus coniugi innocenti (h). Quae omnia, quum diuortia hodie priuata auctoritate fieri non soleant, iudicis fere arbitrio apud nos definiuntur.

(a) L. 8. C. *de repud.*
(b) L. 9. C. *eod.*
(c) L. 10. C. *eod.*
(d) L. 11. C. *eod.*
(e) *Nou. XXII. cap. 4. sequ. cap. 14. sequ.*
(f) *Nou. CXVII. cap. 10.*
(g) *Nou. CXVII. cap. 8. 9.*
(h) *Nou. CXVII. cap. 13. Nou. CXXVII. cap. 4. Nou. CXXXIIII. cap. 11.*

* * * * * * * * * *

CAPVT XX.

AD CAPVT LEGIS XXXV.

DE COGENDIS PARENTIBVS, VT LIBEROS ELOCENT.

I. RAtio ordinis. *Legitima capitis verba.* II. *Liberi inuitis parentibus vxorem ducere vel nubere non poterant. Multae causſae,*

BIU Cujas

cur eos elocare nollent. III. *Legis verba explicata. Conſtitutio Seueri et Antonini. An parentes coacti ſint dotem dare? Ius nouum. Cur ſoli praetori vrbano id negotium datum, vt parentes cogeret? Conſtitutione D. Seueri et Antonini eadem poteſtas data praeſidibus.*

DE capitis xxxv. ſententia, non eſt, quod multum laboremus. Nam et numerum eius, et verba legitima nobis ſeruauit MARCIANVS (a), cuius locum ad legem noſtram pertinere, iam ſupra a me demonſtrari memini. Ex eo fragmento tale fuiſſe diſcimus caput legis Iuliae et Papiae xxxv:

QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBEBVNT DVCERE VXORES, VEL NVBERE, IN MATRIMONIVM EOS COLLOCARE PER PRAETOREM VRBANVM COGVNTOR.

Quum enim nihil reliqui fecerit Auguſtus, vt impedimenta nuptiarum omnia, quantum fieri poſſet, remoueret: praecipue autem parentes haud raro in culpa eſſent, quo minus liberi inirent matrimonium: operae pretium fore duxit, ſi etiam ea de re caueret diſtinctius.

II. Ait lex: QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBVERINT DVCERE VXOREM VEL NVBERE. In vulgus notum eſt, inuito patre nec filium, nec filiam familias, inire potuiſſe matrimonium. Quod adeo verum eſt, vt praecedere oporteret iuſſum parentis, et idcirco, ſi pater in furorem incidiſſet, dubitaretur ante IVSTINIANI (b) deciſionem, an liberis fas eſſet contrahere matrimonium. (c) Ita et captiuorum liberi olim vxores non ducebant, niſi vel triennium elapſum eſſet a tempore captiuitatis (d), vel filius eam duxiſſet vxorem, cuius conditionem patrem non adſpernaturum, eſſet probabile (e).

Quum itaque irritum eſſet initum ſine patris conſenſu matrimonium: haud raro parentes intercedebant nuptiis liberorum, eoſque vel vxores ducere vel nubere prohibebant. Cauſſa haud vna erat. Filii familias, ducentes vxores, vna cum liberis in domo patris, et ex eius re viuebant, eademque ibi fruebantur menſa (f), nec parum ſumtuum accedebat patri, cui filiorum vxores liberique pro cuiuſque conditione ac dignitate erant alendi. Deinde haud raro priuignorum nuptiis vel

(a) L. 19. *D. de Rit. nupt.*
(b) L. 25. *C. de nupt.* L. 28. *C. de epiſc. aud.*
(c) *pr. Inſt. de nupt.*
(d) L. 9. §. 1. L. 10. *D. de Rit. nupt.*
(e) L. 11. *D. eod.*
(f) PLVTARCH. *in Craſſo ab init.*

BIU Cujas

vel intercedebant nouercae, vel ipsi patres qui nurus socrumque nolebant eadem domo contineri, memores illorum, quae sapienter dicit Laches apud TERENTIVM (a):

- - Vestrarum nulla est, quin gnatum velit
Ducere vxorem: et, quae vobis placita conditio est, datur,
Vbi duxere impulsu vestro, vestro impulsu easdem exigunt.

Quot ergo fuisse putemus, tam suae tranquillitatis immemores, vt nurum domum duci paterentur, quam scirent perpetuam fore iurgiorum materiam? Denique et filias sine dote maritos haud facile reperisse, iam supra obseruauimus. Plerumque autem Euclionibus graue erat, dote data sibi mercari generos, et ex ea quoque caussa saepe impediebant, quo minus liberi legi Papiae satisfacerent, legitimaque prole locupletarent rempublicam.

Si qui vero parentes tam male consulerent liberis, ii ex lege nostra coercendi erant. Prohibere vero liberos videbantur non solum, qui ducturis vxorem vel nupturis consensum negabant, verum etiam, qui conditionem iis non quaerebant (b). Plerumque enim ipsi parentes, vti ex comicis patet, liberis vxores vel maritos quaerebant. Perinde etiam erat, siue pater naturalis prohiberet, siue adoptiuus. Recte enim ad caput nostrum scripsit PAVLLVS (c): *onera eius, qui in adoptionem datus est, ad* PATREM ADOPTIVVM *transferuntur.* Vnde et hunc decet liberis adoptiuis de nuptiis prospicere. Idem de nepotibus ex filiis dicendum, non ex filiabus. *Neque enim*, inquit MARCELLVS (d), *quemadmodum masculorum liberorum nostrorum liberi ad onus nostrum pertinent: ita et in feminis est. Nam manifestum est, id, quod filia parit, non auo, sed patri suo esse oneri, nisi pater aut non sit superstes, aut egens est.* Vnde facile intelliguntur verba legis: QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE, INIVRIA PROHIBVERINT.

De his vero pergit legislator: IN MATRIMONIVM EOS COLLOCARE PER PRAETOREM VRBANVM COGVNTOR. Praesidum enim vel ideo lex non meminerat, quia illa initio magis ad amplificandum ciuium vrbanorum numerum, quam ad augendam prouincialium multitudinem, erat comparata. Quumque nemini inuito ius suum sit eripiendum: facile intelligitur, nec Praetorem potuisse parentes cogere, si illis iustae essent prohibendi caussae. Vnde procul dubio caussae cognitione opus erat, an parentes iniuria prohibere viderentur? Moueor, quod

(a) HECYR. *Act. II. Scen. II. v. 43.*
(b) L. 19. *D. de Rit. Nupt.*
(c) PAVLL. *Lib. III.* L. 45. *D. de adopt.*
(d) L. 8. *D. de agn. et al. lib.*

BIU Cujas

iam libera republica huiusmodi iudicia etiam in municipiis sociorum data videam, si mortuo patre inter tutores et matrem de filia elocanda disceptaretur. Auctor enim est LIVIVS (a), quum virginem formosissimam Ardeatem duo iuuenes ambirent, vnus plebeii generis, cui tutores; alter nobilis, cui mater fauebat, idque certamen domi et inter priuatos parietes componi nequisset, ventum esse in ius, postulatuque matris et tutorum vtrinque audito, magistratum secundum matris arbitrium ius nuptiarum dedisse. Audiendus ergo fuit pater, si forte filius mulierem luxuriosam, probrisque omnibus coopertam domum ducere vellet, vel si filia nuptias genere suo indignas, vel rei patris familiari exitiosas, concupisceret. Si horum nihil adpareret: tum PRAETOR interposito decreto parentes, vt nuptias fieri paterentur, cogebat. Id quod etiamnum in hagiosynedriis per Germaniam obseruari memini, si quando pater, tantum vt bonis liberorum aduentitiis eo diutius fruatur, nuptias eorum quasuis fastidiose reiicit. Tunc enim, caussa cognita, si id sine ratione iusta fieri adparet, synedria consensum parentum, vti pragmatici loquuntur, ex officio supplent, dotemque patrem dare iubent.

III. At hoc legis caput constitutione Seueri et Antonini illustratum et ad prouincias porrectum esse, iam supra monuimus. Nimirum duo deesse videbantur legi saluberrimae: alterum, quod de dote constituenda nihil illa cauisset: alterum, quod extra Romam coactioni illi non esset locus. Vtrumque suppleuit principum illorum prudentia. Nam primo constitutione sua (b) cauerunt, vt parentes liberos, in potestate sua constitutos, etiam *dotare* cogerentur. Et ad hanc demum constitutionem respicere arbitror Imperatorem IVSTINVM (c), dum ait: *non incognitas esse* LEGES, *quibus cautum sit, omnino paternum esse officium, dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare progenie.* Primo enim nullus ICtorum, qui parentes ex necessitate dotare scripsit, Seueri atque Antonini temporibus est antiquior. Deinde LABEO (d) speciem proponit, quod pater filiae nomine promiserit centum, *quum commodissimum esset.* Quae sane promissio non magis est eius, qui ex necessitate dotem debet, quam illa ex CELSO (e): *ne a se, neue a filio dos peteretur, ab alio vero, quam filio herede, dos peteretur:* Deinde sub omnibus titulis, qui de dote eiusque promissione agunt, primae sunt Seueri et Antonini constitutiones, neque vlla occurrit iis vetustior: vt satis manifestum videatur, ab iis temporibus iura dotium quodammodo fuisse immutata, impositamque parentibus necessitatem, filiabus

(a) *Lib. IIII. cap. 9.*
(b) *d.* L. 19. *D. de Rit. Nupt.*
(c) L. 7. *C. de dot. promiss.*
(d) L. 79. §. 1. *D. de iur. dot.*
(e) L. 10. *D. de pact. dot.*

BIU Cujas

filiabus dotem constituendi. Denique ius patriae potestatis antiquum non ferebat, vt pater ad dotandam filiam cogeretur, quam et exheredem scribere, et impune praeterire testamento poterat.

Vtcumque se res habeat, id saltim certum exploratumque est, post Seueri et Antonini tempora lege obstrictos fuisse patres, vt filiabus (a); imo et auos, vt neptibus dotem constituerent (b). Quae lex CELSI, filii, Seueri quidem antiquior est, sed ita loquitur, vt inde non pateat, eo tempore huius modi necessitatem incubuisse parentibus. Species enim haec erat. Auus paternus pro nepte dederat dotem. Mortuo auo, ipsaque nepte in matrimonio defuncta, quaerebatur, an dotem patri reddi oporteat? Respondet CELSVS: *occurrit aequitas rei, vt quod pater meus propter me filiae meae nomine dedit, perinde sit, atque ipse dederim.* Addit rationem: *quippe* OFFICIVM *aui circa neptem ex officio patris erga filium pendet, et quia pater filiae, ideo auus propter filium nepti dotem dare debet.* Non sane hic CELSVS ait, cogendum esse auum, vt dotem det: sed *officium aui hoc esse*, vt det dotem. *Officii* vero *et voluntatis esse* dicuntur iureconsultis nostris, quae iure imperfecto debentur, et quae non sunt necessitatis, vti loquitur PAVLLVS (c). Atqui necessitatem quamdam insinuare videntur sequentia: sed non insinuant. En verba: *quid si filius a patre exheredatus est? Existimo, non absurde etiam in exheredato filio idem posse defendi: nec infauorabilis sententia est, vt hoc saltim habeat ex paternis, quod propter illum datum est.* Non ergo dicit CELSVS, etiam nepti ex filio exheredato dotem debere auum, eumque recusantem a praetore posse coërceri, sed si dederit, dotem illam ad patrem exheredatum merito reuerti: quamuis ipsa haec CELSI sententia non placeat SERVIO et LABEONI (d). Post hanc Seueri constitutionem et auum teneri ad dotandam neptem ex filio, nemo dubitat. Nec interest, sua sit filia, an emancipata, egena an locuples. Ita enim distinguere non licet, ob generaliter conceptam IVSTINI (e) constitutionem. Non tamen dos debetur filiae illegitimae (f), vel ingratae (g), vel viro ignominioso nuptae (h). Nec mater cogitur, nisi pater sit inops, vel ob causam probabilem et legem specialiter expressam (i), qualis est si mater haeretica filiam orthodoxam indotatam habeat (l). Omnium minime cogitur frater vel soror (m), quamuis et eis honestum sit, sororem dotare,

(a) *L. vlt. C. de dot. promiss.*
(b) *L. 6. D. de collat.*
(c) *L. 17. §. 3. D. commodat.*
(d) *L. 79. pr. D. de iur. dot.*
(e) *L. vlt. C. de dot. promiss.*
(f) *L. 41. §. 11. D. de legat. 3.*
(g) *Nou. CXV. cap. 3. §. 11.*
(h) *L. 3. §. 5. D. de bon. poss. contr. tab.*
(i) *L. 14. C. de iur. dot.*
(l) *L. 19. §. 1. C. de haeret. et Manich.*
(m) *L. 12. §. pen. L. 13. fin. D. de adm. tut.*

BIU Cujas

dotare, idque saepe factum esse referant veteres, inprimis PLAVTVS (a), apud quem vix sibi persuaderi patitur Lesbonicus adolescens, qui patria bona abliguriuerat, ne sororis sponso dotem obtrudat. Ceterum dum praetor cogere dicitur parentes, vt filiabus nupturis dotem constituant: res ipsa docet, quantitatem eius definiendam esse pro facultatibus et pro dignitate patris et generi (b), adeoque non tantumdem petere posse filiam vnam, quantum datum esse alteri meminerit, nisi par sit vtriusque mariti, cui nubunt, conditio.

Deinde eadem Seueri atque Antonini constitutione hoc ius de cogendis parentibus ad prouincias prolatum est. Iam supra vidimus exemplum simile. Tutor enim ex lege hac dabatur in vrbe a Praetore mulieri nupturae ad dotem dandam, dicendam, promittendamue. De prouinciis nihil hac lege expressum fuerat, antequam SCto caueretur, vt etiam in prouinciis similiter a Praesidibus ex eadem caussa tutores darentur (c). Nec absimilis est constitutio diuorum fratrum (d), qua, quod priores leges de actione serui suis nummis emti aduersus dominum in vrbe concesserant, etiam ad prouincias protulerunt. Immo id in antiquissimis etiam legibus obseruatum nouimus. Lege Atilia cautum fuerat, vt pupillis et feminis, quibus nec testamentarius, nec legitimus tutor esset, tutor a praetore et maiore parte tribunorum plebis daretur. *pr. Inst. de Atil. tut.* Sed ea lex quum Romae dumtaxat, teste VLPIAN. *Fragm. tit.* XI. §. 18. locum haberet, postea ad eas producta est prouincias, quibus praetores praeerant. Hinc DIO in *Excerpt. Peireſcian. pag.* 397. τῶν γὰρ ἄλλων στρατηγῶν ἐισδότων διδόναι σφίσιτοις τοῖς ὀρφανοῖς καὶ γυναιξὶν ἐρήμοις συγγενῶν, ὅτος ἑαυτὸν τούτων ἀνέδειξε φροντιστήν: *nam quum reliqui* (Siciliae) *praetores pupillis ac viduis agnatorum cura destitutis tutores dare soliti essent:* hic (L. Asellius) *eius modi personarum ipse tutelam suscepit.* Denique lege Iulia et Titia a. v. c. 732. cautum, vt et reliqui praesides in prouinciis tutores darent. *pr. Inst. de Atil. tutor.* Ex eo tempore L. Asellii exemplum imitari non poterant praesides, nec se ipsos tutores dare, *L. 5. D. de offic. praesid.* quemadmodum nec praetori vrbano id permittebatur. *L. 4. D. de offic. praet. L. 4. D. de tutorib. dat.* Eodem itaque exemplo et hac Seueri et Antonini constitutione negotium datum est Praesidibus, vt parentes in prouinciis perinde ac Praetor nuptum liberos collocare et dotare cogerent, quum lex Iulia et Papia solis vrbanis filiis filiabusque familias prospexisset.

(a) *Trinum. Act. III. Scen. II. v. 62.*
(b) *L. 69. §. 4. L. 60. D. de iur. dot.*
(c) VLP. *Fragm. tit.* 11. §. 20.
(d) *L. 5. pr. D. de manumiss.*

CAPVT

BIU Cujas

* * * * * * * * * * *

CAPVT XXI.

AD CAPITA LEGIS XXXVI. ET XXXVII. DE POENIS CAELIBATVS ET ORBITATIS.

I. *Ratio ordinis. Varia de his capitibus testimonia. Eorumdem sententia.* II. *Caelibum poena. Centum dies cretionis. Caelibes nec hereditatem capiebant, nec bonorum possessionem agnoscebant, nec legati erant participes. Nec per filium aliquid capere poterant.* III. *Orbi qui? li semisses capiebant. Exceptis genere proximis.* IIII. *Vtriusque capitis abrogatio.*

I. LIbris commentariorum quinto, sexto et septimo hactenus de variis nuptiarum impedimentis egerunt VLPIANVS et TER. CLEMENS, quos duces praecipue sequi placuit. Sequente libro VIII. iidem disputasse videntur de caelibatus orbitatisque poenis. *Incitandis* vero *caelibum poenis*, *legem Papiam Poppaeam* vel maxime *sanxisse* Augustum, auctor est TACITVS (a), praeter quem et alii veteres *poenarum* (b), ἐπιπμίων (c), ἐπιπμίων τῆς ἀπαιδίας (d), *mulctae*, *qua coelibes notati* (e), *poenarumque caelibatus ac orbitatis* (f), immo et *terrorum et damnorum*, quae innuptis et orbis imminebant (g), meminerunt.

Qua in re illae caelibatus orbitatisque poenae constiterint, ex multis veterum testimoniis satis superque constat. Solidum eos capere non potuisse, TERTVLLIANVS (h) testatur, dum ait: *Aliud est, si et apud Christum legibus Iuliis agi credunt, et existimant,* CAELIBES *et* ORBOS *ex testamento Dei* SOLIDVM *non posse capere.* Eosdem hereditatis plane incapaces fuisse, obseruat PLVTARCHVS (i), dum acute scribit: Ῥωμαίων πολλοὶ γαμοῦσι καὶ γεννῶσι, ἐχ ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν, ἀλλ' INA KAHPONOMEIN ΑΥΝΩΝΤΑΙ. *Romanorum plerique vxores ducunt, et liberos procreant, non vt heredes habeant, sed* VT HEREDES *ipsi* ESSE POSSINT. Quin IVVENALIS (l) addit, eosdem ne legatum quidem capere potuisse, et ideo illudentem marito adulterum sistit, gloriantemque lepide:

\- - - - - *Propter me* SCRIBERIS HERES,
LEGATVM *omne* CAPIS, *nec non et dulce caducum.*

Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop. V v Quod

(a) *Annal. Lib. III. cap. 25.*
(b) L. 11. *D. de vulg. et pup. subst.*
(c) DIO *Lib. LIIII. pag. 531.*
(d) *Id. Lib. LV.*
(e) *Panegyr. Maxim. et Const. dict. cap. 2.*
(f) *Schol. ad* IVVEN. *Sat. VIIII.*
(g) L. *vn. C. Th. de infirm. poen. cœlib.*
(h) *De monogam. p. 583. edit. B.* RHEN.
(i) περὶ φιλοστοργίας.
(l) *Satyr. VIIII. v. 86. sequ.*

BIU Cujas

Quod et his VLPIANI (a) verbis confirmatur : *Quod caelibi relictum, caducum fit, nisi intra centum dies* LEGI PARVERIT. Plenissime vero omnium SOZOMENVS (b) : Νόμος ἦν, inquit, Ρωμαίοις παλαιοῖς, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν, τῶν ἴσων ἀξιοῦσθαι κολύων τὰς ἀγάμους τοῖς μὴ τοιούτοις, περὶ ἄλλα τε πολλὰ, καὶ τὸ ΜΗΔΕΝ ΚΕΡΔΑΙΝΕΙΝ ΕΚ ΔΙΑΘΗΚΗΣ, τὰς μὴ γένει ἐγγυτάτω πεφυκότας· τὰς δὲ ἄπαιδας ἡμισῶν ΤΟ ΗΜΙΣΥ τῶν καταλελειμμένων. *Lex vetus erat Romanis, quae eos, qui intra annum aetatis* XXV. *nondum inierant matrimonium, inter alia,* QVIDQVAM EX ALIORVM TESTAMENTIS CAPERE *prohibebat, nisi essent cognatione proximi. Eos vero, qui liberos haud sustulerant, non nisi* SEMISSEM *eorum, quae testamento iis relicta fuerant, capere patiebatur.* Vbi tamen in eo fallit SOZOMENVS, quod aetatem annorum XXV. ad ἀγάμους vel *caelibes* refert, quam ad *orbos* pertinere iam supra ad caput XX. monuimus. Denique et EVSEBIVS (c) paullo confusius, τὰς παλαιὰς νόμους ἄπαιδας χερῶσαι τῆς τῶν γονίμων διαδοχῆς, *leges veteres orbos propinquorum successione priuasse* ait. Quod quatenus recte dictum vel a veritate alienum sit, paullo post adparebit.

Ex tot itaque veterum testimoniis haec exstruimus capita trigesimum sextum et septimum :

CAP. XXXVI. *Caelibes, nisi intra centum dies legi paruerint, neque* HEREDITATEM, *neque* LEGATVM *ex testamento, nisi proximorum genere, capiunto.*

CAP. XXXVII. *Si qui coniugum masculus vltra* XXV. *annum, femina vltra vicesimum, orbi erunt : semissem relictorum tantum capiunto. Qui genere proximi erunt, vsque ad gradum sextum, quod relictum est, iure antiquo capiunto.*

Prius ergo caput ad caelibes, posterius ad orbos pertinet. De vtroque quaedam pro instituti ratione.

II. Caput XXXVI. CAELIBES plectit, quales hic sunt non solum, qui nunquam vxorem domum duxerant, verum etiam, qui ductam vel amiserant vel repudiarant. Ita et feminae caelibatus poenas dabant, quae vel nondum nupserant, vel virum morte aut diuortio amiserant, modo priore casu essent eius aetatis, vt lex nubendi iis necessitatem imponeret, posteriore autem vacationis tempus elapsum esset. Feminis enim a morte viri biennii, a diuortio anni et sex mensium datam esse vacationem, ad caput huius legis quintum obseruauimus, quemadmodum et ad tertium docuimus, sexagenarios et quinquagenarias,

(a) *Fragm. tit. XVII.* §. 1. *et tit. XXII.* §. 3.

(b) *Hist. eccl. Lib. I. cap. 9.*

(c) *Vit. Const. Lib. IIII. cap. 26.*

BIU Cujas

rias, quamuis caelibes, poenis legis fuisse solutos. Nec est quod quis eos quoque, qui in matrimonio vixerant, caelibes dictos esse miretur. Ita enim loquutos esse veteres, depromtis ex MARTIALE, (a) TACITO (b), et SVETONIO (c) exemplis docet v. c. SCHVLTINGIVS (d).

Ne tamen ea poena poenitentiam excludere videretur, laxamenti quid concessum est ἀγάμοις, si forte spes lucri ex testamento adfulgens eos subigeret, vt legi parere, et nuptias contrahere animum inducerent. Hinc additum: NISI INTRA CENTVM DIES LEGI PARVERINT. (e) Vltra quatuor itaque mensium inducias iis dederat Augustus, intra quas, poenamne subire, an factis nuptiis eam euitare mallent, serio secum statuerent. Ducta enim intra hos centum dies vxore, hereditatem legatumue capere iure poterant. Eoque pertinet lepidum MARTIALIS (f) epigramma:

Quae LEGIS CAVSSA NVPSIT *tibi Laelia, Quinte,*
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Centum vero dies ideo praefinitos arbitramur, quod iam olim iure vetusto dies centesimus erat dies cretionis, ceu et VLPIANI (g) fragmenta, et quaedam in digestis veteris iuris reliquiae (h) euincunt. Quum itaque *cretio*, VLPIANO ibidem definiente, *esset certorum dierum spatium, quod dabatur instituto heredi ad deliberandum, vtrum expediret ei, adire hereditatem, nec ne:* idemque spatium praetor concedere soleret extraneis, sine cretione institutis, vel de hereditate adeunda deliberaturis (i), vel agnoscere volentibus bonorum possessionem (l): commodissimum etiam Augusto visum est, idem spatium et illis dari, qui, caelibes quum essent, hereditatem tamen vel legatum ex testamento capessere cuperent. Ast nec id beneficium post SCtum Persicianum patebat masculis sexagenariis, vetulam ducentibus, nec post SCtum Caluisianum feminis quinquagenariis, siue iuueni siue seni nubentibus, quia ex huiusmodi nuptiis nulla spes prolis reliqua videbatur. Qua de re supra ad caput legis tertium copiosius egimus.

Si intra hos centum dies legi non paruissent caelibes: tunc NEQVE HEREDITATEM, NEQVE LEGATVM EX TESTAMENTO CAPIEBANT.

(a) *Lib. IIII. Epigr. LXVIIII.*
(b) *Lib. XII. Annal. cap. 1.*
(c) *Claud. cap. 26. Galb. cap. 5.*
(d) *Iurisp. vet. Anteiust. p. 606.*
(e) VLP. *Fragm. tit. XVII. §. 1. tit. XXII. §. 3.*
(f) *Lib. V. Epigr. LXXV.*
(g) *Tit. XXII. §. 27.*
(h) L. 22. §. 1. *D. quando dies leg. ced.* L. 3. §. 8. *D. de min.* L. 2. §. *vlt. D. de suis et leg. her.*
(i) L. 2. *D. de iur. delib.*
(l) L. 1. §. 9. *D. de succeff. ed.*

BIU Cujas

Excidebant itaque hereditate, non legitima, vti existimasse videtur EVSEBIVS (a), sed, testamento delata. Et quum eam hereditatem quodammodo aemuletur bonorum possessio secundum tabulas, ea quoque non dabatur caelibi, eoque pertinet locus PAVLLI (b): *Hereditatis adpellatione bonorum quoque possessio continetur.* Idem de LEGATO dicendum. Facile enim in fraudem legis legari caelibi potuisset saltim dodrans bonorum, nisi et huius tituli singularis nominatim facta fuisset mentio. Ex qua ratione veteres ICti idem ius etiam ad fideicommissa et mortis caussa donationes protulerant. Atque ita intelligenda verba PAVLLI (c): *Et* FIDEICOMMISSVM *et* MORTIS CAVSSA DONATIO *adpellatione legati continentur.* Vt paucis dicamus, caelebs nihil capiebat ex vltima voluntate. Et quamuis quidam in fraudem legis non caelibem, sed filium, in eius potestate constitutum, instituerent, vt, quod ipse directe capere non posset, per filium caperet: tamen et huic fraudi obuiam itum a ICtis, qui prohibitionem legis Iuliae ad hanc quoque speciem interpretatione sua produxisse videntur. Hinc fiscus et hanc hereditatem vel legatum sibi vindicabat, nisi filio militi ad res militares vel castrenses comparandas aliquid relictum fuisset. Id enim, quia ad castrense filii peculium pertinebat, adeoque patri caelibi haud adquirebatur, non eripiebat fiscus. Et haec ratio est fragmenti VLPIANI (d): *si mulier* extranea *filio viri* cuiusdam caelibis *militi ad castrenses vel militares forte res comparandas reliquerit pecuniam: vtique* CASTRENSI PECVLIO *ea, quae comparantur, adnumerari incipiunt.*

Denique additur: NISI PROXIMORVM GENERE. Diserte enim SOZOMENVS hanc adiicit exceptionem. Genere proximi autem et hic videntur numerati vsque ad sextum gradum, quia et alias eo vsque solidi capacitatem extendit lex Papia Poppaea (e). Hi itaque ex cognatorum testamentis iure antiquo capiebant, quamuis vel nondum nuptiis adpulissent animum, vel viduitatem connubio anteferrent (f). Quemadmodum autem alias hereditas legatumque eripiebatur ei, qui testatorem occidisse conuincebatur (g): ita nec cognationis ius ei prodesse poterat ad hereditatis legatiue capionem, qui testatorem vel interemerat, vel caussam mortis caedem mandando praebuerat. Id enim inculcat

(a) *Ibid.*
(b) PAVLL. *Lib. IIII. L. 138. D. de verb. sign.*
(c) PAVLL. *Lib. IIII. L. 87. D. de Legat. 3.*
(d) VLP. *Lib. VIII. L. 3. D. de castr. pecul.*
(e) VLP. *tit. XVI. §. 1.*
(f) CVIAC. *Parat. C. de inf. poen. caelib.*
(g) *L. 7. §. 4. D. de bon. damn.*

BIU Cujas

inculcat VLPIANVS (a), dum scribit: *Nihil interest, occidat quis, an* CAVSSAM MORTIS *praebuerit*: ὁ ἐντειλάμενος τινὶ φονεῦσαι, ὡς φονεὺς κείνεται. *Mandator caedis pro homicida habetur.* Ad quam legem DIONYS. GOTHOFREDVS scribit: *Immo multum*, inquit, *interest: nam qui suis manibus malum medicamentum suppossuit, occidit: qui dedit, vt offerretur, magis caussam dedit, quam occidit. L. 7. §. 6. L. 9. D. ad L. Aquil.* Sed quantumcumque interst, quod ad poenam legis Corneliae attinet: nihil tamen interest, quod ad fisci iura circa eripiendam huiusmodi homicidae hereditatem, de quibus VLPIANVM agere, vel ex inscriptione legis discere vir doctus potuisset.

III. Haec de caelibatu. Ad orbos quod attinet, de iis cautum fuerat capite sequente, vt mitius quidem haberentur, quibus non culpa, sed naturae vitium obstaret: sed iidem tamen non omnis poenae essent immunes, quia, vt eleganter scribit IAN. VINC. GRAVINA, (b) *agnita coniugis sterilitate, ad feliciores nuptias, missio repudio, migrare debuissent.* Ait ergo lex: SI QVI CONIVGVM, MASCVLVS VLTRA XXV, FEMINA VLTRA XX ANNVM ORBI ERVNT. *Orbi* alias sunt, qui turbato naturae ordine liberis viuunt superstites, vel, vti apud FESTVM (c) est, *qui patrem aut filios, quasi oculos, amiserunt.* Ast lex nostra orbos vocat ἀτέκνους, et quidem illos, qui vel liberos legitimos non susceperant, vel susceptos amiserant. Legitimos enim naturales solos profuisse parentibus, non adoptiuos (d), nothos et spurios, iam supra haud semel diximus. Amissi quidem aliquando solidi capacitatem praestabant; sed inter solos coniuges (e). Ex testamento enim alterius masculus non nisi pater solitarius, et femina, trium liberorum iure subnixa solidum capiebant. Neque tamen omnes orbi poenas dabant, sed qui VLTRA ANNVM XXV, vel quae VLTRA ANNVM XX AETATIS liberos nondum sustulerant. His enim annis demum liberos exegisse non quidem legem Papiam, quae multo maturius parentes esse iusserat, sed constitutionem Seueri, quae legem Iuliam sequuta videtur, supra, vbi de solidi capacitate a nobis actum est, iam occupauimus, vbi etiam ex VLPIANO monuimus, eos easque, qui quaeue hos annos in matrimonio nondum excesserant, solidum capere potuisse (f). Quaeritur autem, an poenas orbitatis effugerint, quibus paullo post testatoris mortem infans nasceretur? Nec dubitat ANT. SCHVLTINGIVS, eos effugisse, dum infans intra centum illos dies, intra quos

(a) VLP. *Lib. VIII.* L. 15. *D. ad L. Corn. de sicar.*
(b) *De Leg. et SCtis.* §. 51. *p.* 585.
(c) *Voce* Orba.
(d) VLP. *Lib. VIII.* L. 51. §. 1. *D. de legat.* 2.
(e) VLP. *tit. XVI.* §. 1.
(f) VLP. *ibid.*

BIU Cujas

hereditas cernenda erat, vel antequam dies legati cederet, nasceretur. Regulam enim Catonianam, quae alioquin huic hereditati vel legato obstat, ad leges has nouas non pertinuisse, satis constat (a). Idem obtinebat, si mulier, quum moreretur, exciso vtero, infantem edidisset, vel paullo post filius ab hostibus remeasset, vti censet VLPIANVS (b). Alias si nec antea exstarent liberi, nec postea infans nasceretur: poenae rei erant, quae qualis fuerit, indicant verba sequentia: SEMISSEM RELICTORVM TANTVM CAPIVNTO. Quod ita intelligendum, vt si pure plus relictum esset, id omne caperet fiscus: quod autem sub conditione liberorum legatum, non statim exstingueretur, sed exspectanda esset conditio. Talis conditionis: SI LIBEROS HABVERIT, DARI VOLO, et VLPIANVS (c) ad hoc caput meminit, eamque supra iam tetigimus. Quum vero eo casu incertum esset, an tempore aditae hereditatis vel apertarum tabularum capax futurus sit heres vel legatarius: prudenter testatores relinquere solebant tantum, quantum tunc capere possent. Vnde formulae, QVANTVM PLVRIMVM PER LEGEM ACCIPERE POTEST, DARI VOLO, vel QVAM MAXIMAM PARTEM DARE POSSVM, DAMNAS ESTO HERES MEVS EI DARE, quas formulas suo more interpretatur VLPIANVS (d). Si tunc legatarius et caelebs esset et orbus, nihil capiebat, si coniux quidem, sed orbus, semissem dabat heres, si pater solitarius, vel mater ingenua trium aut libertina quatuor liberorum: detracta Falcidia reliquum legatarius legatariaue accipiebat. Vsus vero huius formulae vel ideo erat maximus, quod ita nihil eripiebat fiscus, sed omnia, quae capere non posset legatarius, apud heredem manebant. Ceterum non tantum ad ea, quae testamento relicta fuerant, haec prohibitio pertinuisse videtur, sed et ad donationes inter viuos. Saltim PLINIVS (e) id videtur innuere, cum scribit: *Non esse satis honestum, dare* (aliquid) *et locupleti, et* ORBO, (a matre exheredato:) *in summa* NON PROFVTVRVM *ei, si donassem, profuturum, si cessissem: esse autem me paratum, cedere, si inique exheredatum mihi liqueret.*

Ast iterum exceptionem adiecerat lex nostra: QVI GENERE PROXIMI ERVNT, VSQVE AD GRADVM SEXTVM, QVOD RELICTVM EST, IVRE ANTIQVO CAPIVNTO. Quemadmodum, si huius modi cognati coissent, ii solidum inter se capere poterant: ita et ex testamento cognati

(a) *Ad* VLP. *p. 616.*
(b) VLP. *Lib. VIII.* L. 141. *D. de Verb. sign.*
(c) VLP. *Lib. VIII.* L. 51. §. 1. *de legat. 2.* L. 61. *D. de cond. et dem.* L. 36. *D. de mort. causs. don.*
(d) VLP. *Lib. VIII.* L. 51. *pr. D. de leg. 2.*
(e) *Lib. V. epist.* 1.

BIU Cujas

gnati extranei capiebant. Verba ipsa iam supra exposuimus, nihil vt hic addendum videatur amplius.

IIII. Sed has inimicas caelibatui atque orbitati leges funditus sustulit CONSTANTINVS M. valde ideo collaudatus ab EVSEBIO (a) et SOZOMENO (b). Et exstat integra constitutio huius principis (c), quam eius filiis perperam in codice IVSTINIANEO (d) tribui, obseruat GOTHOFREDVS, cui procul dubio adsentieris, nisi suspicari mecum malis, filios illud patris edictum iisdem paene verbis, vt solet fieri, firmasse. Saltim vix verosimile est, vel Tribonianum, vel librarios, non modo inscriptionem, sed et subscriptionem legis citra rationem voluisse mutatam. Ea enim quae codici nostro est inserta, edita dicitur *Kal. Apr. Romae Constantio iterum et Constante AA. coss.* id est anno erae Christianae 339. Altera, in Theodosiano superstes, data *Prid. Kal. Febr. Serdicae PP. Kal. Apr. Romae, Constantino Aug.* VI. *et Constantio C. coss.* id est anno 320. Vtraque lege cautum, *vt, qui iure veteri caelibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita viuant, ac si numero maritorum matrimonii foedere fulcirentur, sitque omnibus aequa conditio capessendi, quod quisque mereatur.* Deinde et de orbis sancitum, *vt ne quisquam orbus habeatur, ne proposita huic nomini damna noceant.* Praeterea, quum durior esset feminarum, quam masculorum, conditio, si quidem illae ingenuae non nisi trium, libertinae quatuor liberorum iure subnixae, hi, modo patres solitarii essent, solidum caperent: Constantinus et feminis consuluit, *earumque ceruicibus imposita iuris imperia, veluti quaedam iuga, soluit promiscue omnibus.* Haec omnia Constantinus, teste EVSEBIO, statuit, partim religione adductus, ne virginitatis studium, ἄξιον ὑπερθαυμάζειν ἀλλ' ὃ κολάζειν, poenis reprimeretur, partim ipsa motus aequitate, ne, quae culpa vacat, ἀσθενείας τῆς φύσεως mulctaretur: quamuis si vera fateri velis, gliscentem potius in ecclesia superstitionem, quam religionem veram sanamque pietatem sapiat illa caelibatus virginitatisque admiratio. Nec leuiter quoque SOZOMENVS errat, dum scribit: Καὶ νόμον τῷ δήμῳ προσεφώνησεν, ὥστε ἐπ' ἴσης πάντων τῶν ὁμοίων ἀπολαύειν τοὺς ἀγάμους τε καὶ ἀπαιδας. *Et legem tulit, vt eodem iure per omnia fruerentur caelibes et orbi.* Neque enim praemia parentum et nuptorum cum orbis et ἀτέκνοις communicauit CONSTANTINVS, neque leges decimarias, vt supra diximus, sustulit, de quibus hanc legi adiecit limitationem in codice Iustinianeo omissam: *Verum huius beneficii* MARITIS *et* VXORIBVS *inter se vsurpatio non patebit,*

(a) *Vit. Constant. Lib. IIII. cap. 26.*
(b) *Hist. eccl. Lib. I. cap. 9.*
(c) L. 1. C. *Th. de infirm. poen. caelib.*
(d) L. 1. C. *de infirm. poen. caelib.*

BIU Cujas

bit, quorum fallaces plerumque blanditiae vix etiam oppoſito iuris rigore cohibentur, ſed maneat inter iſtas perſonas LEGVM PRISCA AVCTORITAS. Solidum ergo ex eo tempore capere poterant caelibes et orbi, ſed ex teſtamentis tantum aliorum, non vero coniuges orbi inter ſe plus capiebant, quam licebat per leges decimarias, quas a Theodoſio demum iuniore et Iuſtiniano ſublatas eſſe, docuimus.

* * * * * * * * * * *

CAPVT XXII.

AD CAPITA LEGIS VLTIMA,

DE IVRIBVS PATRONATVS.

I. *POſtrema partis prioris capita de iuribus patronatus egerunt. Ea reſtituta.* II. *Liberta, voluntate patroni nupta, operis liberabatur. Huius priuilegii ratio. An libertae nupturae ſemper opus fuerit patroni conſenſu? Liberta etiam nupta in officio patronae patronique filiarum eſſe tenebatur.* III. *Cap.* XXXVIIII. *de liberto centenario minore. Lex* XII. *tabularum de ſucceſſione liberti. Edictum praetorium. Lex Papia Poppaea. Centenarius quis? Quis ſine liberis?* IIII. *Cap.* XL. *de liberto centenario. Alienatio, a liberto vel in fraudem legis, vel in fraudem patroni facta.* L. 16. D. de iur. patr. *expoſita et emendata. Reuocari aliquando dicitur, quod ipſo iure nullum eſt. Portio virilis patrono debita. Noua Iuſtiniani conſtitutio.* V. *Cap.* XXXXI. *de filia patroni. Ei non ſuccurrebat praetor. Fictio, filiam patroni eſſe filium. Quando liberto ſucceſſerit ex L. Papia Poppaea?* VI. *Cap.* XXXXII. *De bonis libertae.* VII. *Cap.* XXXXIII. *De ſucceſſione patronae.* VIII. *Cap.* XXXXIIII. *Quando patronae liberi liberto ſucceſſerint?* VIIII. *Concluſio libri primi ad L. Papiam Poppaeam de maritandis ordinibus.*

I. LIbros VLPIANI et TERENTII CLEMENTIS ſequentes nonum, decimum et vndecimum materia de iuribus patronatus occupat, adeo hac lege immutatos, vt PAVLLVS ſingularem librum *de iure patronatus, quod ex lege Iulia et Papia venit*, ſcripſerit. Quin TER. CLEMENS iam ſub finem libri octaui caput aliquod huc pertinens videtur tractaſſe,

et

BIU Cujas

et quidem, quod de operis libertarum egit (a). Quum itaque eo loco scribat: *Plane quum liberta desierit nupta esse, operas peti posse, omnes fere consentiunt:* vix dubitandum videtur, quin tale fuerit caput legis nostrae XXXVIII:

> *Liberta, quae patroni voluntate nupta erit, operarum obligatione liberator.*

Reliqua capita fere IVSTINIANVS (b) et VLPIANVS (c) seruarunt, ex quibus, talia ea fuisse, adparet:

> CAP. XXXVIIII. *In bonis liberti, centenario minoris, patronus patroniue liberi masculi, si libertus liberos non habebit, ius antiquum habento. Sin liberos habebit, ius nullum in bonis liberti habento.*
> CAP. XXXX. *In centenarii liberti bonis, qui vnum duosue liberos habebit, siue is testamento facto, siue intestatus decedat, patrono, patroniue liberis masculis* VIRILIS PARS *seruator. Sin tres liberos habebit, patronus patroniue liberi masculi nihil iuris in bonis liberti habento.*
> CAP. XXXXI. *Patroni filia, si ius trium liberorum habebit, eadem iura in bonis liberti paterni, quae et ipse patronus patroniue filii ex edicto praetoris habent, habento.*
> CAP. XXXXII. *In bonis libertae, etiam quatuor liberorum iure subnixae, pro numero liberorum libertae, mortis eius tempore superstitum,* VIRILIS PARS *patrono patroniue liberis masculis debetor.*
> CAP. XXXXIII. *Patrona ingenua, duobus liberis honorata, libertina tribus, idem ius, quod patronus ex edicto Praetoris habet, habento.*
> CAP. XXXXIIII. *Liberi quoque ingenuae patronae, trium liberorum iure honoratae, idem ius habento.*

Ea iam ordine percensebimus, nostroque more illustrabimus breuiter.

II. Trigesimo octauo cauetur, vt LIBERTA PATRONI VOLVNTATE NVPTA operis liberetur. Libertam sine auctoritate patroni nubere haud potuisse, iam supra docuimus. Erat enim in perpetua ac legitima eius tutela, de qua sine illius auctoritate nihil poterat imminui. Neque tamen iureiurando obstringere libertam poterat patronus, ne nuberet. Id enim si fecisset, non solum gratia eius iurisiurandi fiebat, vti supra ad *Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop.*

(a) TER. CLEM. *Lib. VIII. L. 14. D. de op. lib.*
(b) *§. 2. sequ. Inst. de succes. libert.*
(c) *Fragm. tit. XXVIII. §. 3. sequ.*

BIU Cujas

caput xxx. probauimus: sed et patronus iure patronatus excidebat ex lege AELIA SENTIA. Vnde ex eo tempore tanto magis nubere poterat, cuicumque vellet: idque est, quod ad hoc caput tractauit TER. CLEMENS (a). Sufficiebat autem et tacitus patroni consensus, immo et ratihabitio subsequuta (b), dummodo patronus esset iustae aetatis. Nam impuberis patroni consensus parum proderat, nisi auctoritas accessisset tutoris (c), eaque praeterea sollemnitas, quae in alienatione rerum pupillarium exigitur (d). Quia tamen et libertas quatuor liberorum gratia legitima patronorum tutela solutas, ex eoque tempore illas sine patroni auctoritate et res suas administrasse, et testari potuisse diximus: nullum sane est dubium, quin tunc et ad secunda vota transire potuerit inuito patrono, eoque connubio nihilominus liberata sit operarum obligatione. Nuptam enim consentiente patrono libertam OPERARVM OBLIGATIONE LIBERATAM, diserte testatur ALEXANDER Imperator (e), eiusque priuilegii hanc rationem reddit HERMOGENIANVS (f), quod nupta liberta *in officio mariti esse debeat*. Parum sane decorum videbatur, libertam adsectari patronum, dum interim maritus domi nihil opis aut officii ab vxore perciperet. Quae causa quum deficeret in liberto, nec ei, licet marito, turpe videretur, etiam in patroni officio esse: hinc is non nuptiis, sed demum liberorum iure operarum obligatione liberabatur (g). Vt vero ad libertam redeamus, ea nupta voluntate patroni, non solum huic operas officiales nullas exhibebat, verum nec eius filiis, nepotibus, pronepotibus. At nihilominus eas operas debebat patronae, nec non patroni filiabus et neptibus, quia nec nuptae libertae indecorum erat, mulieri esse in officio (h). Ex quo etiam porro consequebatur, vt, si patronus in libertae nuptias consensisset, eae autem non essent consequutae, operae ab ea iure exigerentur (i). Multoque magis ea reuiuiscebat obligatio, si liberta nupta esse desiisset (l), partim quod causa priuilegii, ab HERMOGENIANO prodita, in viduam vel repudiatam haud caderet, partim quod ex iuris principiis patronus, in nuptias libertae consentiendo, amisisse non videretur iura patronatus (m).

III. Sequitur caput XXXVIIII. de bonis liberti centenario minoris. Nimirum lege XII. tabularum generatim fuerat cautum, vt si libertus intesta-

(a) TER. CLEM. *Lib. VIII.* L. 32. *D. qui et a quib. man.*
(b) L. 13. §. 5. *D. de op. libert.*
(c) *d.* L. 13. §. 4. *eod.*
(d) L. 22. *C. de admin. tutor.*
(e) L. 2. *C. de obs. patr.*
(f) L. 48. *pr. D. de op. lib.*
(g) L. 13. §. 3. *D. eod.* L. 37. *D. eod.*
(h) L. 48. *pr.* §. 2. *D. eod.*
(i) L. 48. §. 1. *eod.*
(l) TER. CLEM. *Lib. VIII.* L. 14. *D. eod.*
(m) L. 11. §. 1. *C. eod.*

BIU Cujas

intestatus moreretur, cui non esset heres suus, hereditas ad patronum eiusque liberos gradu proximos deuolueretur (a). Quum itaque et testamento patronus excludi posset, nec ei vlla spes esset ab intestato succedendi, si liberos suos siue naturales, siue adoptiuos, reliquisset libertus: emendandum id ius putauerat Praetor, edixeratque (b), vt si intestatus obiisset libertus, liberis naturalibus haud relictis, patronus eiusue liberi ex lege XII. tabularum succederent: sin liberos naturales haberet, siue suos, siue emancipatos, siue in adoptionem datos, ii patronum excluderent, adoptiui dimidiam caperent, alterius dimidiae patrono bonorum possessio daretur. Denique si testamentum conderet libertus, is patrono relinqueret semissem bonorum, et si minus vel nihil reliquisset, patrono contra tabulas, heredi scripto secundum tabulas daretur partis dimidiae bonorum possessio. Denique *patronorum iura*, IVSTINIANO (c) teste, *adauxit lex Papia Poppaea*, vt tanto maiore contentione liberos quaererent liberti, si scirent, non nisi numerosa prole se facultatem de rebus suis disponendi consequuturos. Distinxit autem lex Papia libertos in CENTENARIIS MINORES et CENTENARIOS. De illis caput nostrum ait: IN BONIS LIBERTI CENTENARIO MINORIS. Libertus hic est a patrono ciue Romano manumissus. Addo: ciue Romano. Si enim Latinus vel peregrinus manumitteret, nec illi, nec eorum liberi his iuribus patronatus fruebantur. Vnde est, quod PLINIVS (d) quibusdam Postumii Marini propinquis ciuitatem rogat, vt sint in patria potestate, *et iis in libertos seruetur* IVS PATRONORVM. Quamuis vero ii nonnunquam ingenuitatis iura, impetrata aureos annulos gestandi facultate, consequi solerent: nihilominus tamen et tunc ratione obligationis manebant liberti, quamuis, quod ad statum attinet, non libertini, sed ingenui, haberentur (e). Et huc pertinent verba non PAVLLI, sed vt in melioribus editionibus est, VLPIANI (f): *Is, qui ius annulorum impetrauit, vt ingenuus habetur, quamuis ab* HEREDITATE *eius patronus non excludatur.* Quod secus se habebat, si natalibus restitutus esset libertus. Ius enim patroni, hoc impetrato, amittebatur (g), libertusque, quantum ad totum ius pertinet, habebatur perinde, atque si ingenuus natus esset, adeo, vt *patronus eius nec posset ad successionem venire* (h). Quare etiam non te-

(a) VLP. *Fragm. tit. XXVIIII.* §. 1.
(b) VLP. *tit. vlt.* §. 1. *et* 3. §. 1. *Inst. de succeſſ. libert.* L. 6. *D. de bon. poſſeſſ.*
(c) §. 2. *Inst. eod.*
(d) *Lib. X. Epist. 6.*
(e) L. 6. *D. de iur. aur. ann.*
(f) VLP. *Lib. VIIII.* L. 5. *D. eod.*
(g) L. 5. *pr. D. de natal. rest.*
(h) L. 2. *D. eod.*

BIU Cujas

mere dari solebat hoc beneficium, nisi consentiente, cuius quam maxime intererat, patrono (a), eiusue filiis (b).

Nec de omni, vti diximus, liberto hic sermo est, sed de CENTENARIO MINORE. *Centenaria* alias sunt, quae vel centum assibus vel centenis sestertiis veneunt. Vnde FESTVS (c): CENTENARIAE *coenae*, inquit, *dicebantur, in quas lege Licinia non plus* CENTVSSIBVS *praeter terra nata, impendebatur: id est,* CENTVM ASSIBVS, *qui erant breues numi ex aere.* Et SALMASIVS ad IVLII CAPITOLINI Pertinacem cap. 11. CENTENARIA DIGNITAS *illius, qui centena sestertia in salarium accipiebat.* Ast in lege Papia *centenarii*, vel, vti AFRICANVS (d) noster id eloquitur, *rem* CENTVM *habentes* sunt, qui *sestertium centum millium patrimonium habent* (e), id est aureorum mille. Augusti autem aeuo aureum XVII denariorum fuisse, ex DIONE (f) accurate probauit v. c. Io. Fr. GRONOVIVS (g). Cui tantum rei non erat, is appellabatur centenario minor. Verum, decrescentibus hominum facultatibus, IVSTINIANVS (h) constitutione Graeca, cuius partem ex Basilicis eruit CVIACIVS (i), pro mille sestertiis vnum aureum computari iussit, vt ab eo tempore centenario minor haberetur, qui ne quidem centum aureorum rem vel patrimonium reliquisset. Aestimabatur vero liberti patrimonium, deducto aere alieno, adeo, vt si libertus, habens creditores, in eorum fraudem iusto plures seruos manumisisset, non omnium impediretur libertas, sed qui primi erant, liberi essent, donec creditoribus suum solueretur. Ita TER. CLEMENS (l), qui addit, si eius, qui prius manumissus, pretium aeris alieni summam excesserit, tum posteriorem minoris pretii seruum libertatem fuisse consequutum. Quemadmodum vero deducendum erat aes alienum: ita contra computabatur, quidquid debebatur liberto. Quod ita effert VLPIANVS (m): *id apud se quis habere videtur, de quo habet* ACTIONEM: *habetur enim, quod* PETI POTEST. Denique et in censum veniebat, quidquid dolo malo a liberto alienatum fuerat. Solebant enim liberti, ne centenariis maiores haberentur, vel patronum vt defraudarent, partem rerum suarum alii donare inter viuos, tantum ne quid ad patronum perueniret. Quod si factum esset in fraudem legis: alienatio

(a) L. 2. L. 5. *pr. D. eod.*
(b) L. 4. *D. eod.*
(c) *Voce* centenaria.
(d) L. 16. *D. de bon. libert.*
(e) §. 2. *Inst. de succ. libert.*
(f) *Lib. LV. p.* 555.
(g) *De pecun. vet. p.* 365.
(h) §. 3. *Inst. eod.*
(i) *Obs. Lib. XX. cap.* 34.
(l) TER. CLEM. *Lib. VIIII.* L. 14. *D. qui et a quib. manum.*
(m) VLP. *Lib. VIIII.* L. 143. *D. de verb. sign.*

BIU Cujas

natio ipso iure irrita erat: sin in fraudem patroni, illa ipso quidem iure valebat, sed reuocari tamen poterat actione Fauiana et Caluisiana, de qua re ad caput proximum disseremus.

Ceterum in bonis huiusmodi liberti centenario minoris PATRONVS PATRONIVE LIBERI MASCVLI, SI LIBERTVS LIBEROS NON HABERET, IVS ANTIQVVM HABEBANT. Habebant, inquam, patroni eorumue liberi ius antiquum, id est ex lege XII. tabularum succedebant ab intestato, modo iis ius patronatus saluum esset, quippe quo verbi caussa excidebant, qui libertum accusassent capitis, aut nomen eius, non petita postea abolitione, detulissent. Hos enim a bonorum possessione excludi, docet TER. CLEMENS (a). Deinde, etiamsi salua essent iura patronatus, non tamen succedebat patronus, si exstarent liberi liberi, quorum vel vnus ex lege XII. tabularum patronum excludebat. Quamuis enim lex πληθυντικῶς loquatur SI LIBERTVS LIBEROS NON HABEBIT: eleganter tamen haec verba ita interpretatur CAIVS (b) noster: *non est sine liberis, cui vel* VNVS FILIVS, *vnaue filia est. Haec enim enunciatio:* HABET LIBEROS *semper pluratiuo numero profertur, sicut et pugillares et codicilli.* Ad hunc locum casus perquam bellos enucleant auctores nostri. Sic apud TER. CLEMENTEM (c) occurrit haec species. Tiro libertus vnicum habebat filium, ex eoque aliquot nepotes. Exheredato filio, quaerebatur, patronusne ab intestato admittendus sit, an eidem praeferendi liberi nepotes? Respondet iureconsultus: *Quod vtique sic dirimendum est, vt viuo filio, donec in potestate eius liberi manent, non admittantur ad bonorum possessionem, ne qui suo nomine a bonorum possessione summouentur,* (leg. *summouetur*) *per alios eam consequantur.* (leg. *consequatur.*) *Sin autem emancipati a patre fuerint, vel alio modo sui iuris effecti: sine aliquo impedimento ad bonorum possessionem admittantur.* Idem TER. CLEMENS quaerit (d), si filius liberti vnicus a paterna hereditate abstineat, an tunc videatur libertus sine liberis decessisse, admittendusque patronus? Et respondet: *Hoc patrono proficere.* Perinde enim est, iudice CAIO, (e) *siue filius liberti ius suum spernat, siue tempore bonorum possessionis finito exclusus sit, siue ante mortuus sit, quam petierit bonorum possessionem.*

Denique adiicitur: SI LIBEROS HABEBIT, IVS NVLLVM IN BONIS

(a) TER. CLEM. *Lib. VIIII.* L. 10. *de iure patron.*

(b) CAI. *Lib. VIII.* L. 148. *D. de verb. sign.*

(c) TER. CLEM. *Lib. VIIII.* L. 38. *D. de bon. libert.*

(d) IB. L. 38. §. 1. *D. eod.*

(e) CAI. *Lib. VIII.* L. 4. *D. de bon. possess.*

BIU Cujas

LIBERTI HABENTO. Liberos enim et iure vetere decemuirali excluſiſſe patronos, iam ante monui. Vnde adparet, legem Papiam Poppaeam nihil circa ſucceſſionem patroni in bonis liberti *centenario minoris* mutaſſe. Quum autem plerumque, ubi ſucceſſionis emolumentum, ibi et tutelae onus eſſe ſoleat, et ex ea ipſa ſpe ſucceſſionis legitima patronorum tutela, teſte IVSTINIANO (a), deſcendat: quaeſitum videtur, an et tutor eſſe teneatur patronus, qui hoc modo a ſucceſſione plane excluditur? Puto eum oportuiſſe tutelam ſuſcipere, eoque fortaſſis comparata fuit lex, quam IVLIVS CAPITOLINVS (b) de tutelis libertorum a Marco Aurelio latam refert, ſimul obſeruans, *eum* IVS *magis* VETVS RESTITVISSE, *quam nouum feciſſe*. Si iuſte excuſaretur patronus: tum Praetor liberti liberis tutorem ex lege Atilia dare poterat, dum ne ſe ipſum daret, quod fieri poſſe, VLPIANVS (c) diſerte negat.

IIII. Iam de liberto *centenario* agit caput XXXX. aitque: IN CENTENARII LIBERTI BONIS. Quis centenarius ſit, quibuſque fraudibus id egerint liberti, ne centenarii haberentur, vel, vt patrono minus relinquerent, iam diximus. Nihil enim procliuius erat, quam moribundos quaedam alienare per donationem inter viuos, ne poſita patrimonii ratione, centum ſeſtertium millia vel ſaltim ne multo plus reperiretur. Quaerit itaque VLPIANVS (d), an iſta alienatio valeat? Et reſpondet intereſſe, in fraudem legis, an in fraudem patroni alienarit libertus. Quae enim in fraudem legis alienata, eorum alienationem ipſo iure non valere: quae in fraudem patroni, per Fauianam et Caluiſianam actionem reuocari. In fraudem vero legis alienaſſe videbatur, *qui* alienando *ſe minorem centenario fecerat, ad hoc, vt legis praeceptum euerteret.* In fraudem patroni, *qui, alienatione facta, nihilominus erat centenarius.* Quaerit porro, ſi quis, plures res ſimul alienando, minorem ſe centenario fecerit, quarum vna reuocata, vel omnium partibus, maior centenario eſſet futurus libertus, vtrum reuocentur omnes, an aliquid pro rata ex ſingulis? Species itaque talis eſt. Libertus alienauerat aedes, duos hortos, gregem ouium, et equorum quadrigam. Ea facta alienatione, minor iam eſſe coeperat centenario. Patronus haec omnia reuocabat. Elidebatur eius actio exceptione, quod, ſi vel ſolae aedes, vel vnus hortus, cum dimidio gregis et tribus equis reuocarentur, hereditas centenaria futura ſit: quaeſtio erat, an nihilominus omnia, quae fuerant alienata, reuocanda ſint? Reſpondet, *magis eſſe, vt omnium rerum alienatio*, tanquam in fraudem legis facta, *nullius momenti ſit.*

(a) §. *vn. Inſt. de legit. patr. tut.*
(b) *Marc. Anton. cap.* 11.
(c) VLP. *Lib. VIIII.* L. 4. *D. de tut. dat.*
(d) VLP. *Lib. X.* L. 16. *D. de iur. patr.*

BIU Cujas

sit. Denique libertus alienauerat aedes, et nihilominus tum adhuc erat centenarius: sed postea etiam hortis donatis centenario minor esse coeperat. Quaerit VLPIANVS (a), omnesne, an quaedam harum rerum reuocandae sint? et respondet: *Alienatio earum rerum, quae postea alienatae sunt, ipso iure non reuocabitur, sed priorum. In posterioribus Fauianae locus erit.* Verba haec aliquid contorti habere videntur, nec satis conueniunt superiori fundamento. Procul dubio res posteriores erant alienatae in fraudem legis, quia sic desinebat esse centenarius: priores in fraudem patroni, quia, si nihil amplius alienasset, mansurus centenarius fuisset. Quî ergo dici potest, *in posterioribus locum esse Fauianae?* Et quid est: *ipso iure non reuocabitur?* Ipse, si quid video, sensus postulare videtur hanc emendationem: *Alienatio earum rerum, quae postea alienatae sunt, ipso iure reuocabitur, sed non priorum, in quibus* (vel *in prioribus*) *Fauianae locus erit.* Traiectum ergo videtur NON, quod saepe contigit. Τὸ QVIBVS vero vel τῶ PRIORIBVS a scriba, cui, quod antecesserat, τῶν *priorum* in mente haeserat, facile pro abbreuiatione haberi potuit vocabuli oppositi *posterioribus.* Sic sane VLPIANVS sibi ipsi constat. Dicit enim, alienationem eorum, quae postea alienata sint, ipso iure nullam esse, tanquam in fraudem legum factam: non autem priorum alienatorum, quae alienatio tantum suscepta fuerit in fraudem patroni, in his adeoque locum esse actioni Fauianae. Nec est, quod quem turbet loquutio: *ipso iure reuocabitur.* Saepe enim ICti et libertatem in fraudem creditorum datam *rescindi* (b), *retrahi* (c), *reuocarique* (d) dicunt, quum eum, qui in fraudem creditorum manumittit, *nihil agere*, vel dupondii non ignorent.

Centenarius huiusmodi vel vnum duosue liberos habebat, vel tres pluresue. Priore casu, SIVE IS TESTAMENTO, SIVE INTESTATO DECEDERET, PATRONO PATRONIVE LIBERIS MASCVLIS VIRILIS PARS SERVABATVR. Itaque quum vnum filium filiamue heredem reliquerat libertus, perinde pars dimidia debebatur patrono, *ac si is sine vllo filio testatus decessisset.* Ita enim legendum esse apud IVSTINIANVM (e) pro *intestatus*, iam alii viderunt (f). Quum vero duos duasue heredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono. Eo non exsistente, eius liberi masculi gradu proximi hanc portionem virilem capiebant. Nec adimi illis poterat haec pars hereditatis, vtpote legitima, nisi vel patronus, vel eius filius capitis libertum accusasset. Tunc enim ne quidem

(a) IB. L. 16. §. 2. *D. eod.*
(b) L. 5. §. 2. *qui et a quib. manum.*
(c) L. 45. §. 3. *D. de iur. fisc.*
(d) L. 1. *C. qui manum. non poss.*
(e) §. 2. *Inst. de succes. libert.*
(f) CVIAC. *Obs. Lib. III. cap.* 13.

BIU Cujas

dem *ad legitimam hereditatem, quae ex lege* XII. *tab. defertur*, teſte VLPIANO (a), *admittebatur*, nedum ad hoc beneficium ex lege Papia. Quid vero eſt, quod idem ſcribit VLPIANVS (b): VIRILIS *adpellatione interdum etiam totam hereditatem contineri dicendum eſt?* An, qui aſſem hereditatis capit, portionem virilem capere dicetur? Doctiſſimus IAC. CVIACII diſcipulus, IAC. LABITTVS (c), ea verba accipit de caſu, ſi libertus inteſtatus ſine liberis decedat. Sed perperam, quia tunc patrono non portio virilis, ſed integra hereditas debetur. Aliud in mente fuit id ſcribenti VLPIANO. Finge, Tironem reliquiſſe filium, hunc vero vel abſtinuiſſe ab hereditate paterna, vel tempus, intra quod bonorum poſſeſſio agnoſcenda erat, elabi paſſum, vel ante eam petitam plane mortuum eſſe: quos caſus ſupra ex CAIO recenſebamus (d): patronus ſane ex aſſe erit heres, quum tamen a lege, exſiſtente filio filiaue, tantum in portionem virilem vocetur. Additur denique: SI TRES LIBEROS HABEBIT libertus: PATRONVS PATRONIQVE LIBERI MASCVLI NIHIL IVRIS IN BONIS LIBERTI HABENTO. Quum itaque ex XII. tabulis liberi quotcumque; ex edicto Praetoris naturales ſaltim quotcumque ſufficerent ad excludendum patronum: Auguſtus non niſi tres ſufficere voluit. Verum et id ſuſtulit laudata paullo ante conſtitutione IVSTINIANVS (e). Ea enim cautum, vt ſi libertus inteſtatus deceſſerit, nulla relicta progenie, patronus patronique liberi ad vniuerſam hereditatem vocarentur. Sin liberos ſiue tres, ſiue pauciores haberet, cuiuſcunque ſexus vel gradus: hi ſoli ad ſucceſſionem parentum deducerentur, patrono omnibus modis cum ſua progenie ſemoto: Denique, ſi libertus vel nullos liberos habens, vel, quos habet, exheredes ſcribens, vel mater filios, vel auus nepotes ex filia praeteriens, patronum teſtamento praeterierit, tunc ei poſſeſſio non quidem, vti ex edicto, dimidiae, ſed tertiae partis bonorum daretur, vel, quod huic tertiae deeſſet, ex conſtitutione repleretur, ſi quando minus tertia parte bonorum libertus ei reliquiſſet. Hanc autem tertiam partem patronus eiuſue liberi ex eo tempore tam liberam capiebant, vt, quum alias fideicommiſſa praeſtarentur certis perſonis ab illis, qui peterent bonorum poſſeſſionem contra tabulas (f), idque onus olim etiam patrono incumberet (g): patronus tamen ex hac tertia ne liberis quidem liberti libertaeue legata vel fideicommiſſa praeſtaret, ſed ad eius coheredes id onus vniuerſum deuolueretur.

V. Proxi-

(a) VLP. *Lib. X.* L. 11. *D. de iur. patr.*
(b) VLP. *Lib. X.* L. 145. *D. de verb. ſign.*
(c) *Vſu Indic. ad D. p.* 291.
(d) L. 4. *D. de bon. poſſeſſ.*
(e) §. 3. *Inſt. de ſucceſſ. libert.*
(f) L. 1. *D. de leg. praeſt.*
(g) L. 4. *D. de cond. et dem. et* L. 64. §. *vlt. D. ad SCtum Trebell.*

BIU Cujas

V. Proximum est caput XXXXI, quod ad patroni filiam iura successionis porrexit. Quamuis enim lex XII. tabularum inter patroni filios filiasque non distingueret, et has perinde ad successionem liberti paterni vocaret, ac illos (a): Praetor tamen contra tabulas liberti aut ab intestato contra heredes suos non naturales bonorum possessionem tantum dabat masculis, nisi quod nonnunquam filiam fingebat filium, quam παλαιὰν ὑποκρισιν vel παρεκτήρησιν memorat aboletque constitutione saepe laudata IVSTINIANVS (b). Verum et hoc ante IVSTINIANVM emendandum duxerat Augustus, siquidem ex lege Papia Poppaea, teste VLPIANO (c), et filia patroni id ius succedendi nanciscebatur, *si ius trium liberorum haberet.*

Ait itaque lex: PATRONI FILIA, qua adpellatione non solum ea, quae in potestate patris est, continetur, verum etiam alteri in adoptionem data. Nam et haec, teste TER. CLEMENTE (d), si in adoptiua familia sit, *ad bona libertorum paternorum admittitur.* Quamuis enim ita filia paterna gente et familia excederet, et adoptiui, teste APPIANO (e), eosdem cum adoptante agnatos et libertos haberent: id tamen non obseruabatur in legibus nouis, *ex quibus et hereditates et tutelae plerumque sic deferebantur, vt personae designarentur* NATVRALITER, quemadmodum obseruat PAVLLVS (f). Ex qua ratione colligimus, etiam emancipationem et in manum conuentionem non impediuisse patroni filiam, quo minus liberto paterno succederet. Non omnis tamen patroni filia huius beneficii erat particeps, sed quae IVS TRIVM LIBERORVM HABEBAT. Qua in re paullo deterior erat filiarum, quam filiorum, conditio. Hi enim succedebant, etiamsi nullos suscepissent liberos; illae non nisi trium liberorum iure honoratae, siue ter enixae essent, siue id ius impetrassent beneficio principis. Tunc enim EADEM IVRA IN BONIS LIBERTI PATERNI, QVAE ET IPSE PATRONVS PATRONIVE FILII EX EDICTO PRAETORIS HABENT, HABEBANT. Quemadmodum itaque patronus eiusue filii dimidiae bonorum possessionem consequebantur, si aut testatus decessisset libertus, iisque nihil vel minus parte dimidia reliquisset, aut intestatus heredem suum adoptiuum haberet superstitem (g): ita idem ius erat filiabus. Naturales autem liberi liberti vti patronum eiusque filios, ita et filiam, trium liberorum iure subnixam, ex-

(a) VLP. *fragm. tit. XXVIIII.* §. 4.
(b) BASIL. *Lib. XXXXVIIII. tit. I. p.* 594. *Tom. VI.*
(c) VLP. *ibid.*
(d) TER. CLEM. *Lib. X.* L. 39. *D. de bon. lib.*
(e) *De bell. ciu. Lib. III. p.* 586.
(f) L. 7. *pr. D. de capit. min.*
(g) §. 1. *Inst. de succ. libert.*

BIU Cujas

cludebant. Enimuero, poſtquam IVSTINIANVS caput ſuperius emendauit, idem ius, quod dederat patrono eiuſque filiis, etiam produxit ad filias, nec non ad eos, qui ex tranſuerſo latere veniebant, vſque ad quintum gradum (a).

VI. Hactenus de bonis libertorum. In libertae bonis melior erat patroni eiuſque liberorum conditio. Nam capite XXXXII. cautum fuerat: IN BONIS LIBERTAE, ETIAM QVATVOR LIBERORVM IVRE SVBNIXAE, PRO NVMERO LIBERORVM LIBERTAE, MORTIS EIVS TEMPORE SVPERSTITVM, VIRILIS PARS PATRONO PATRONIQVE LIBERIS MASCVLIS DEBETOR. Denuo ſucceſſio defertur patrono, patronique liberis, niſi vel ille libertam accuſando eo ſe beneficio indignum reddidiſſet (b), vel libertatis cauſſa impoſita libertae reuendidiſſet (c). Eo ipſo enim iuribus patronatus excidebat patronus, nec audiebatur, ſi ſe cum ea ſocietatem libertatis cauſſa iniiſſe diceret (d). Contra non obſtiſſe patrono videtur libertae communis matrimonium, quod cum altero patrono inierat, eoque fortaſſis referendum eſt fragmentum CAII (e) ex libro commentariorum octauo ſuperſtes. Nihil itaque hic, vti in libertorum ſucceſſione, intererat, liberos haberet liberta, nec ne, item inteſtata deceſſiſſet, an condidiſſet teſtamentum. Nam primum, etiamſi liberos haberet, ii tamen matri non erant ſui, adeoque nec legitimi heredes. Vnde et VLPIANVS (f) ſcribit: *In bonis libertae patronis* NIHIL IVRIS EX EDICTO *datur*, non quod a ſucceſſione excluderentur, ſed quod non opus iis eſſet auxilio praetoris, qui iure legitimo ſuccedebant. Deinde, etiamſi liberta, quatuor liberorum iure honorata, et tutela liberaretur, et condere poſſet teſtamentum: eadem tamen lex Papia Poppaea, quae libertabus iſtud priuilegium dederat, ita proſpexerat patronis, vt virilem partem, tanquam portionem legitimam, patrono teneretur relinquere (g). Iſta vero pars virilis aeſtimabatur PRO NVMERO LIBERORVM, LIBERTAE MORTIS EIVS TEMPORE SVPERSTITVM, adeoque ſi quinque haberet liberos, patrono ſextans, ſi quatuor, quinta pars, ſi tres, quadrans, ſi binos, triens, ſi vnum ſemis, ſi nullum, integer as debebatur. Numerabantur vero liberi omnes, etiam in vtero relicti. Diſerte enim TER. CLEMENS (h): *Intelli-*

(a) §. 3. *Inſt. de ſucc. libert.*
(b) VLP. *Lib. XI.* L. 17. *D. de iur. patron.*
(c) VLP. *Lib. XI.* L. 37. *D. de bon. libert.*
(d) VLP. *Lib. XI.* L. 36. *D. de oper. libert.*
(e) CAI. *Lib. VIII.* L. 46. *D. de Ritu Nupt.*
(f) *Fragm. tit. XXVIIII.* §. 11.
(g) *Ibid.* §. 3.
(h) TER. CLEM. *Lib. XI.* L. 153. *D. de verb. ſign.*

BIU Cujas

Intelligendus est MORTIS TEMPORE *fuisse, qui in vtero relictus est.* De exheredatis, vel hereditatem maternam repudiantibus, frustra tunc quis mouisset quaestionem, quum eo tempore nondum matribus succederent liberi. Ex quo etiam sequitur, vt non ita intelligenda sint verba legis nostrae, ac si portio virilis patrono eiusue liberis, reliquae liberis libertae cessissent. Cedebant hae iis, quibus liberta eas destinauerat testamento. Si intestata moriebatur, patronus ante SCtum Orphitianum totam bonorum vniuersitatem capiebat. Post illud etiam hoc casu portione virili contentus esse tenebatur, quia SCtum illud etiam libertae liberos ad successionem in bonis maternis vocasse, satis constat.

VII. Ast id ius in bonis libertae olim tantum patrono, eiusque liberis masculis, competebat. Hinc capite sequente XXXXIII. etiam de iure succedendi patronae concesso agitur. Ea vel ingenua erat, vel libertina. Si ingenua: ex lege XII. tabularum libertis quidem intestatis, liberos non habentibus, succedebat (a). Sed lex Papia ei ius dederat paullo pinguius, vt DVOBVS LIBERIS HONORATA IDEM IVS, QVOD PATRONVS EX EDICTO PRAETORIS HABET, HABERET. Ergo in eo erat deterior patronae, quam patroni, conditio, quod illa non nisi duorum liberorum iure, hic semper ius haberet petendi bonorum possessionem. Quare non abs re suspicari mihi videor, patronas, liberorum iure destitutas, sibi partem aliquam bonorum a libertis stipulari solitas, quumque huiusmodi pactum contra bonos mores videretur, eo nomine accepisse fideiussores, *qui, quanto minus a libertis consequuturae essent, tantum dare sponderent.* Eo enim casu non dubitabatur, quin si nihil a libertis fuisset consequuta, totum deberent fideiussores, quod liberti debuerant. Ita enim ego interpretor fragmentum CAII (b), alioquin difficillimum. In eo vero patrono patronaeque ius erat aequale, quod vtrique daretur bonorum possessio ad consequendam dimidiam bonorum, siue intestatus decessisset libertus, adoptiuo relicto, siue testatus, nullis relictis liberis. Si liberto essent liberi naturales: patrona non minus, quam patronus, excludebatur. Idem ius datum videtur patronae, libertinae conditionis, TRIBVS HONORATAE LIBERIS. In tota enim hac lege maiorem liberorum numerum a libertina, quam ab ingenua, et sicubi huic tres sufficiunt, ab illa quatuor, sin huic duo, ab illa tres exigi, animaduertimus.

(a) VLP. *Fragm. tit. vlt.* §. 6.

(b) CAI. *Lib. VIIII.* L. 150. *de verb. sign.*

BIU Cujas

VIII. Denique quamuis de patronae liberis nihil cautum esset lege XII. tabularum, neque ea ex iuris antiqui principiis ius succedendi ad liberos transmittere posset, quia suos non habebat: tamen et his, teste VLPIANO (a), prospexit lex Papia Poppaea, dum ita sanxit capite XXXXIIII: LIBERI QVOQVE INGENVAE PATRONAE, TRIVM LIBERORVM IVRE HONORATAE, IDEM IVS HABENTO. Dabatur ergo illa dimidiae bonorum possessio patronae liberis, vtriusque sexus. Nec intererat, cuius in potestate essent. Hinc quia inter matrem et liberos nullum erat ius agnationis, quod solum adoptione perimebatur: consequens erat, vt siue in potestate patris naturalis, siue in adoptionem dati essent liberi, succederent tamen matris liberto. Et id CAIVS innuit (b): *Satis constat, etiamsi in potestate sit parentis filius patronae, nihilominus legitimo iure ad eum pertinere hereditatem.* Attamen non omnium patronarum liberis hoc ius erat, sed ingenuarum, quae TRIVM LIBERORVM IVRE ERANT HONORATAE. Ipsi patronae ingenuae sufficiebant duo liberi, vt succederet: sed ad ius illud in liberos transmittendum non nisi tres sufficiebant. An haec lex et libertina patrona natis prospexerit, incompertum est. Id vero certissimum, erroris eos recte postulari a M. VERTR. MAVRO (c), qui filias patronae, liberto materno successuras, eodem iure liberorum indiguisse existimant. Saltim id non constat ex verbis VLPIANI, cui soli eius capitis notitiam debemus.

VIIII. Et haec quidem sunt, quae ad partem legis Papiae Poppaeae priorem pertinent, capita quaeque, tanquam fractas e naufragio tabulas, post viri eximii IAC. GOTHOFREDI industriam, colligere licuit. Iam eamdem operam nauabimus legi Iuliae Papiae CADVCARIAE, quam alterius veluti adpendicem fuisse, iam supra obseruauimus.

(a) *Ibid.* §. 7.
(b) L. 22. *D. de iur. patron.*
(c) *De iure lib. cap. 26.*

LIBER

BIU Cujas

* * * * * * * * * *

LIBER III.

AD LEGEM CADVCARIAM VEL DE CADVCIS.

* * * * * * * * * *

CAPVT I.

DE NOMINE, FINE ET CAPITIBVS LEGIS CADVCARIAE.

I. *Pars legis Papiae posterior de caducis egit. Lex caducaria.* II. *Ea ad locupletandum aerarium fuit comparata. Aerarii ratio tempore Augusti. Aerarium militare. Fiscus. Vtriusque administratio.* III. *Lex haec odiosa, et multis veterum improbata.* IIII. *Capita legis vnde restituenda? Fragmenta veterum per laterculos dispositа secundum ordinem capitum. Ipsa lex cum notis et allegationibus exhibita.*

I. DVae fuerunt legis IVLIAE ET PAPIAE POPPAEAE partes, quarum altera de maritandis ordinibus, parentum et coniugum praemiis, poenisque caelibum et orborum; posterior de bonis caducis, ereptitiis, et vacantibus egit. Vnde haec posterior pars lex Iulia CADVCARIA dicitur. Sane ita adpellatur ab VLPIANO in *Fragmentis* (a), vbi legimus: *populo bona deferuntur* ex LEGE IVLIA CADVCARIA, non autem in *L. 4. §. 17. D. de fideicomm. libert.* vbi pro *caducis legionis*, *caducarias leges* reponi, acute quidem, sed perperam iubet IAC. CVIACIVS (b), ab EM. MERILLIO (c), IANO A COSTA (d) et IAC. GOTHOFREDO (e) hinc merito notatus. Quare mireris, eam emendationem probare se potuisse FR. HOTOMANO (f). Alibi simpliciter haec lex vocatur IVLIA (g), item lex PAPIA, vel LEGES ANTIQVAE (h), quae adpellationes, opinor, fraudi quibusdam fuerunt, vt hanc posteriorem legis nostrae partem pro lege singulari et a superiore de maritandis ordi-

(a) *Tit.* ***XXVIII.*** §. 7.
(b) *Ad* VLP. *ibid.*
(c) *Var.* CVIAC. *Lib. III. cap.* 20.
(d) *Ad* §. 1. *Inst. de ea cui lib. cauſſ.*
(e) *Ad Leg. Pap. p.* 341.
(f) *De Legib. p.* 282.
(g) *L. 96. §. 1. D. de legat.* 1.
(h) *L. vn. pr. §. 12. C. de caduc. toll.*

BIU Cujas

dinibus diuersa haberent, a quo errore nec FR. HOTOMANVS (a), a nobis paullo ante laudatus, sibi satis cauisse videtur.

II. Quemadmodum autem pars legis prior ad augendam prolem explendumque ciuium numerum; ita posterior haec, vt supra diximus, ad locupletandum aerarium fuit comparata. Qua de re TACITVS (b): *legem Papiam Poppaeam*, inquit, *senior Augustus post Iulias rogationes, incitandis caelibum poenis, et* AVGENDO AERARIO *sanxit.* Et PLINIVS (c) iunior, insectatus mores malorum principum: *Locupletabant et fiscum et* AERARIVM, *non tam Voconiae et* IVLIAE LEGES, *quam maiestatis singulare et vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent.* Denique et ipse IVSTINIANVS (d) noster, *et nomen et materiam* CADVCORVM *ex bellis ortam et auctam ciuilibus, quae in se populus Romanus mouerit, et belli calamitate introductam esse*, refert, eoque ipso innuit, exhausto bellis ciuilibus aerario, id vnum superfuisse remedium, vt priuatorum incommodo publica leuaretur inopia, magnaque priuatorum patrimoniorum pars interuerteretur. [Id quod et alio loco innuit imperator in *Constit. tanta* §. 6. *de confirm. Digestor.* vbi redditurus rationem, cur de caducis in Pandectis nihil occurrere passus sit: *sed in his*, inquit, *nihil de caducis a nobis memoratum est, ne causa, quae in rebus non prospere gestis et tristibus temporibus Romanis increbuit calamitatibus, bello coalescens ciuili, nostris maneat temporibus, quae fauor caelestis et pacis vigor firmauit, et super omnes gentes in bellicis victori periculis supposuit, ne luctuosum monimentum laeta saecula inumbrare concedatur.* Quamuis, dum in mediis bellis ciuilibus legem hanc latam existimat, haud adeo accurate eius historiam expendisse videatur vel imperator, vel quisquis eius nomine hanc constitutionem concinnauit.]

Ea res repetenda est paullo altius. Augustus rerum potitus, tantum tueri imperium haud potuisset, nisi, obsequutus prudenti Maecenatis consilio, copiosum aluisset militem, in pace decus, in bello praesidium, imperio suo columen ac munimentum futurum. Non e re amplius erat, latus praebere militi legionario, veteri ritu delecto e ciuibus, et cui rerum nouarum studium inspirare posset recens adhuc pristinae libertatis memoria: sed opus videbatur militia mercenaria, quae nunquam arma deponeret e manibus, quamque stipendii dulcedo et spes praemiorum principi soli deuinciret. Quum autem nec quies sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine aerario suppetant: prudenter apud DIONEM (e) Maecenas Augusto commendat curam aerarii

(a) *De legib. Rom. voce* Iulia de caducis.
(b) *Annal. Lib. III. cap. 25.*
(c) *Paneg. cap. 42.*
(d) *L. vn. pr. C. de caduc. toll.*
(e) *Lib. LII.*

BIU Cujas

rarii publici, ſuadetque, vt illud, exhauſtum bellis ciuilibus, non per ſcelera, ſed bonis artibus, expleatur. Eum in finem illi inferri oportere ait ſpolia, praedam, et publicarum rerum, conditionibus, quantum fieri poſſit, pinguiſſimis diſtrahendarum pretia. Addit, publicam iſtam pecuniam, vt tacite in maius creſcat, mediocri foenore aliis mutuam dandam, agros fundoſque publicos pro certa mercede annua locandos, adiungendas metallifodinarum primitias, vectigalia iis bonis, quae quaeſtum inſignem poſſeſſoribus ferant, imponenda, donec ratio redituum et erogationum neceſſitas inter ſe congruant. Haec conſilia ſequutus Auguſtus, teſtibus SVETONIO (a) et DIONE (b), aerarium militare inſtituit cum vectigalibus nouis, inter quae praeter centeſimam rerum venalium, iam antea poſt bella ciuilia inſtitutam (c), praecipue lucroſa erat viceſima hereditatum et legatorum, ab heredibus et legatariis extraneis huic aerario inferenda (d). Equidem IAN. VINC. GRAVINA (e) viceſimarium iſtud vectigal hac ipſa lege Iulia caducaria inuectum putat, eamque ideo vocat *legem Papiam Poppaeam de caducis, vel caducariam, et de* VICESIMIS: ſed eius quidem rei in vetuſtis hiſtoriarum monimentis nec vola exſtat, nec veſtigium, quum tamen alias ipſius viceſimae hereditatum veſtigia quaedam in iure noſtro deprehenderit vir ſummus, IAC. CVIACIVS (f), qui et alibi rectius ſcribit: *quae lex viceſimam ſanxit, eadem de aperiendis tabulis teſtamenti cauit.* Vtrumque autem factum *lege Iulia* VICESIMARIA, paullo ante Papiam Poppaeam lata, et libris commentariorum duobus explicata ab AEMILIO MACRO (g). In idem vero aerarium militare deferenda erant caduca, iiſque illud quam maxime videtur locupletatum. Vnde et ſublata iam viceſima, lex tamen caducaria, tanquam praecipuum, quo militare aerarium nitebatur, ſubſidium manſit vſque ad tempora IVSTINIANI.

Aerario huic Auguſtus praefecerat tres viros praetorios, ſorte legendos ſingulis trienniis (h). At poſtea ipſi principes ſuo arbitrio hanc curam demandabant iis, qui PRAEFECTI AERARII MILITARIS appellantur, et diuerſi ſunt a PRAEF. AERARII SATVRNI. Amborum paſſim fit mentio in marmoribus, maxime C. Plinio Secundo dedicatis (i), qui non ſemel vocatur PRAEF. AERARII SATVRNI, PRAEF. AERARII MILIT.

(a) *Auguſt. cap.* 49.
(b) *Lib. LV. p.* 565.
(c) TACIT. *Annal. Lib. I. cap.* 78. *Lib. II. cap.* 42.
(d) DIO CASS. *Lib. LV. p.* 563.
(e) *De Leg. et SCtis.* §. 60.
(f) *Lib. V. Obſ. cap.* 16. *Lib. VIIII. cap.* 24.
(g) L. 37. *D. de religioſ.* L. 68. *D. ad L. Fal.* L. 154. *D. de verb. ſign.*
(h) SVET. *Aug. cap.* 36. DIO *Lib. LV. ib.*
(i) *Inſcript. pag. m.* 28. *n.* 5.

BIU Cujas

MILIT. Horum ergo fuit, et caduca vindicare aerario. Ab initio enim principatus diuersae erant fisci ac aerarii rationes, vel vti DIO vocat, τῦ βασιλικῦ καὶ ταμείυ: sed plerumque tamen princeps vtroque vtebatur pro lubitu, vt, ipso fatente DIONE (a), vix liqueret, quid inter Augusti et publicum interesset aerarium. Eoque factum, vt, nondum sublato illo discrimine, promiscue tamen aliquando acciperentur fiscus et aerarium, et postremi principes demum omnia vectigalia ac caduca non in aerarium populi, sed in fiscum, inferri iuberent. Vnde vetus glossa: Ταμεῖον *fiscus, aerarium.* Quae itaque caduca antea vindicabant praefecti aerario militari, ea postea occupabant procuratores fisci, et in prouinciis procuratores Caesaris, quamuis et singulares passim constituti essent PROCVRATORES CADVCORVM IN PROV. quorum in tribus vetustis marmoribus apud FABRETTVM (b) et PHIL. A TVRRE (c) fit mentio, quemadmodum et alibi memorantur PROCVRATORES HEREDITATIVM PRIVATI PATRIMONII, EXACTORES HEREDITATIVM, LEGATORVM et PECVLIORVM, PROCVRATORES et PROMAGISTRI XX. HEREDITATIVM, vt satis adpareat, et hereditatibus, principi testamento relictis, et vicesimis, et caducis vindicandis, singulares praefuisse procuratores et principis administros, diuersos a PROCVRATORIBVS FISCI, vel ΚΑΘΟΛΙΚΟΙΣ RATIONALIVM, qui causas fiscales generatim curabant, de quibus iam plusçula addere nihil attinet.

III. Ceterum quemadmodum inuidiosa esse solent, quaecumque ad locupletandum e priuatorum opibus aerarium excogitantur: ita nec mirandum, legem de caducis reprehensione haud caruisse. Ipse sane IVSTINIANVS (d) eam ait *prudentissimis viris* DISPLICVISSE, *multasque ab iis inuentas esse vias, per quas caduca non fierent*, additque, *inuidiosam fuisse* CADVCORVM *obseruationem.* Immo quod iam sub Tiberio de moderanda lege Papia Poppaea actum esse scribit TACITVS (e), id praecipue intelligendum videtur de lege caducaria, ceu vel ex verbis sequentibus adparet: *ceterum multitudo periclitantium glisçebat, quum omnis domus delatorum interpretationibus subuerteretur.* Delatores enim eum in finem constitui et praemiis incitari solebant, vt caduca fisco nunciarent, iique altius quotidie penetrauerant, vrbemque et Italiam, et quod vsquam ciuium, ita corripuerant, *vt multorum excisa statu, terror omnibus intentaretur*, ceu idem TACITVS (f) paucis interiectis refert. Vel ex his ergo, quam inuidiosa fuerit caducorum

(a) *Lib. LIII. pag. 511.*
(b) *Inscript. cap. 3.*
(c) *Monim. vet. Antu. cap. 6.*
(d) *L. vn. pr. C. de caduc. toll.*
(e) *Lib. III. Cap. 19. sequ.*
(f) *Ibid.*

BIU Cujas

rum obseruatio, satis superque adparet, vt non opus sit pluribus id firmare.

IIII. Qualia autem fuerint legis Iuliae caducariae capita, ex pluribus, quae supersunt, veterum ICtorum fragmentis, et luculenta IVSTINIANI *de caducis tollendis* constitutione satis adparet. Ea nos more nostro redigemus in ordinem, restitutoque inde legis textui singulorum ICtorum periochas ita aptabimus, vt, ad quod quaeque caput pertinuerit, vel vno obtutu possit intelligi.

IVRECONSVLTORVM VETERVM FRAGMENTA, AD LEGEM IVLIAM CADVCARIAM PERTINENTIA.

CAP. LEG.	VLPIAN. LIB. XIII.	TER. CLEM. LIB. XII.	CAIVS LIB. X.	PAVLL. LIB. V.	MAVRICIAN. LIB. II.	MARCELLVS, ex cuius libris postremis, qui ad legem caducariam pertinuerunt, nihil supereſt.	IVSTINIAN.
CAP. I. de aditione hereditatis, et quando dies legatorum cedat. CELS. LIB. XXXIII.				*L.* 80. *D. de adquir. vel omitt. her. L.* 20. *D. de codicill.*			*L. vn. C. de caduc. toll.* §. 1.
CAP. II. de iis, quibus caduca iure antiquo deferuntur. CELS. LIB. XXXIII. *L.* 19. *D. de leg. L.* 191. *D. de reg. iur.*		*L.* 40. *D. de bon. libert. L.* 10. *D. de adsign. libert.*	*L.* 13. *D. de suis et legit. hered. L.* 149. *D. de verb. signif.*				IVSTINIAN.
CAP. III. de iis, quae pro non scriptis habentur. CELS. LIB.	*L.* 4. *D. de his, quae pro non scriptis hab.*	*L.* 21. *D. de liberat. legat.*		*L.* 71. *D. de her. instit. L.* 88. *D. de legat.* 3. *L.* 6. *D. de adim. vel transfer. legat.*		§. 2. 3.	

BIU Cujas

CAP. LEG.	VLPIAN. LIB. XIII.	TER. CLEM. LIB. XII.	CAIVS LIB. X.	PAVLL. LIB. V.	MAVRIC. LIB. II.	IVSTINIAN.
CAP. IIII. de causſa caduci. CELS. LIB. XXXIIII. L. 27. D. de legat. 2.	L. 59. D. de cond. et demonſtr. L. 31. D. de legib.	———	L. 152. D. de verb. ſign.	———	L. 23. D. de vſu et vſufr. leg. L. 57. D. de legat. 2.	§. 4.
CAP. V. de caduc's ob heredem vel legatarium ante apertas tabulas decedentem. CELS. 1B.	L. 81. D. de adqu. vel omitt. her. L. 10. 12. D. teſt. quemadm. aper. L. 7. D. de ſeruit.	———	LIB. XI. L. 11. D. teſtam. quemad. aper. L. 14. D. de iure fiſci.	L. 68. D. de adqu. her. L. 49. D. de legat. 2.	———	§. 5-9.
CAP. VI. de caducis ob heredis vel legatarii incapacitatem. CELS. LIB. XXXV. L. 1. D. de reg. Cat.	L. 64. D. ad leg. Falc.	LIB. XIII. L. 54. D. de legat. 2.	LIB. XII. L. 55. D. de legat. 2. L. 18. D. de manumiſſ.	L. 28. D. de legib. L. 69. D. de reb. auct. iud. poſſ. L. 4. D. pro herede.	———	———
CAP. VII. de caducis ob heredem vel legatarium ante exiſtentem conditionem decedentem. CELS. ibid.	———	———	LIB. XIII. L. 73. D. de hered. inſt. L. 69. D. de condit. et dem. L. 31. D. de ſtatu lib.	———	———	———
CAP. VIII. de bonis ereptitiis. CELS. ibid.	LIB. XIIII. L. 9. D. de his, quae vt indign.	LIB. XIIII. ex quo nullae deſumtae leges.	———	———	———	§. 12.

CAP.

BIU Cujas

CAP. LEG.	VLPIAN.	TER. CLEM.	CAIVS	PAVLL.	MAVRIC.	IVSTIN.
	LIB. XIIII.	LIB. XV.	LIB. XIII.	LIB. V.	LIB. II.	
CAP. VIIII. de bonis vacantibus. CELS. ibid.	——	*L.* 16. *D. de opt. legat. L.* 59. *D. de legat.* 2.	*L.* 14. *D. de suis et legit. hered.*	——	——	——
	LIB. XV.	LIB. XVI.		LIB. VI.		
CAP. X. de fraudibus aduersus hanc legem commissis. CELS. ibid.	*L.* 22. *D. de vsu et vsufr. leg. L.* 37. *D. de mort. causſa donat.*	*L.* 82. *D. de adqu. vel omitt. her.*	——	*L.* 35. *D. de mort. cauſſ. donat. L.* 12. *D. de condict. cauſſ. dat. cauſſ. non ſequut. L.* 29. *D. de liberat. leg. L.* 29. *D. de legat.* 1. *L.* 65. *D. ad leg. Falc.*	——	——
CAP. XI. de iure adcreſcendi. CELS. ibid. *L.* 80. *D. de leg.* 3.	LIB. XVI. (et XVII. ex quo nulla lex exſtat.)	LIB. XVII. *L.* 17. *D. de opt. legat.*	LIB. XIIII. *L.* 58. *D. de legat.* 2. *L.* 53. *D. de adquir. vel omitt. her.*	*L.* 140. *D. de verb. ſignif. L.* 89. *D. de legat.* 3. *L.* 142. *D. de verb. ſignif.*	——	§. 10. *ſequ.*
CAP. XII. de tranſmiſſione legatorum. CELS. ibid.	*L.* 60. *D. de legat.* 2.	——	*L.* 56. *D. de legat.* 2.	*L.* 24. *D. quando dies legat. ced.*	——	§. 13.
	LIB. XVIII.	LIB. XVIII.	LIB. XV.	LIB. VII.		
CAP. XIII. de tacitis fideicommiſſis. CELS. LIB. XXXVI. *L.* 29. *D. de leg.* 2.	*L.* 6. *D. de iur. et facti ignor. L.* 83. *D. de adquir. hered.*	*L.* 1. *D. de adem. libert. L.* 5. *D. de operis ſerv.*	*L.* 10. *D. de his, quae vt indign.*	*L.* 90. *D. de legat.* 3.	——	——
CAP. XIIII. de praemiis delatorum. CELS. ibid.	*L.* 16. *D. de iure fiſci.*	——	——	*L.* 13. *D. de iure fiſci.*	LIB. III. *L.* 15. *D. de iure fiſci.*	——

BIU Cujas

CAP. LEG.	VLPIAN. LIB. XVIII.	TER. CLEM. LIB. XVIII.	CAIVS LIB. XV.	PAVLL. LIB. VII.	MAVRIC. LIB. III.	IVSTIN.
CAP. XV. de oneribus fisci. CELS. ibid.	*L.* 66. *D. ad leg. Falc.* *L.* 61. *D. de legat.* 2.	———	———	*L.* 60. *D. de condit. et demonstr.* *L.* 21. *D. de usu et usufr. leg.* *L.* 7. *D. si cui plus, quam per leg. Falc.*	Ex reliquis nihil exstat.	

Hoc nixi fundamento, posteriorem quoque legis Papiae Poppaeae partem facile restituere, et in pristinum redigere ordinem licebit. Quod eadem methodo, qua primo libro in priore legis parte usi sumus, praestare pro virili conabimur.

(*) CAP. LEG. XXXXV. vel CADVCAR. I. (a Gothofr. omissum.)

De aditione hereditatis, et quando dies legatorum cedat.

(a) HEreditatem (b), si plures sint coheredes extranei (c), tabulis testamenti apertis, demum adire liceto (d), neque ante dies legatorum, pure vel in diem certum relictorum, cedito.

(*) Primum hoc fuisse legis caducariae caput, testis est Iustinianus, dum in *L. vn.* §. 1. *C. de caduc. toll. materiam atque* EXORDIVM *caducorum legem Papiam ab aditionibus, quae circa defunctorum hereditates procedebant, sumsisse*, scribit.

(a) Hanc sententiam capitis suggerunt IVSTIN. *d. L. vn.* §. 1. *C. de caduc. toll.* et VLPIAN. *Fragm. tit.* XXIIII. §. 31.

(b) Heres enim ex asse statim adire poterat. CVIAC. *Obs. Lib.* VI. *cap.* 37. Conf. *L.* 3. *C. de iure delib.* et *L.* 1. §. 4. *D. eod.* An vero pro parte adire potest, qui ex asse scriptus est heres? Vid. PAVLL. *Lib.* V. *L.* 80. *D. de adqu. vel omitt. hered.*

(c) Puta, si testamentum fuerit scriptum. Quid si nuncupatiuum? Vid. PAVLL. *Lib.* V. *L.* 20. *D. de iur. codicill.*

(d) SCtis hanc capitis partem tribuit IVSTINIANVS *L. vn.* §. 1. *C. de caduc. tollend.* Ipsi legi contra VLPIANVS *Fragm. tit.* XXIIII. §. 31.

CAP.

BIU Cujas

CAP. XXXXVI. vel II. (Gothöfr. XXVIIII.)

De iis, quibus caduca iure antiquo deferuntur.

(a) SI quis (b), testamento facto, decedit, isque (c) liberos suos parentesue vsque ad tertium gradum (d) heredes habebit, siue alios quoscumque (e), qui liberos habebunt, heredes instituet: hi caduca (f) iure antiquo capiunto. (Gothofredus: *si quae hereditas, si quod legatum post H. L. caducum erit, heredibus amplius ne defertor, extra quam, si quis testamento facto decedat; isque liberos suos heredes parentesue habebit. Liberi namque parentesue vsque ad tertium gradum heredes instituti, quod quis ex eo testamento non capiet, capiunto. Item, si alii quicumque heredes instituti liberos habebunt, caducum ex eo testamento iure antiquo capiunto.*)

(a) Sententiam huius capitis suppeditant VLPIAN. *Fragm. tit.* XVIII. et IVSTINIANVS in L. *vn. pr. C. de caduc. toll.*

(b) Ad successiones enim intestatorum leges caducariae non pertinent. PAVLI. *Sent. recept. Lib.* IIII. *tit.* 8. §. 26.

(c) Non ergo caduca liberi iure antiquo capiebant ex testamento materno, quia matri non erant liberi sui: nec ex testamento auiae, ob eamdem rationem. CAIVS *Lib.* X. L. 13. *D. de suis et legit. hered.*

(d) Exheres enim filius nihil capit, praeterquam quod ei obuenit ex bonis libertorum, si pater testamento cauit, vt ius in libertos saluum ei esset. TER. CLEM. *Lib.* XII. L. 40. *D. de bon. libert. et* L. 10. *D. de adsign. libert.*

(e) Extraneos quoque caduca iure antiquo cepisse, si liberos haberent, patet ex IVVENAL. *Sat.* VI. *v.* 87. et VLPIAN. *Fragm. tit.* XXV. §. 17. Liberos vero habet, etiam cui vnicus est. CAIVS *Lib.* X. *L.* 149. *D. de verb. signif.* Rationem reddit CELS. *Lib.* XXXIII. L. 19. *D. de legib.* Immo et is huius beneficii erat capax, cui princeps ius liberorum dederat, quamuis non haberet liberos. Quid vero si princeps id tamquam viuenti concesserat ei, qui iam mortuus fuerat? Vide CELS. *Lib.* XXXIII. L. 191. *D. de reg. iur.*

(f) Ita vocatur ius, quod ante legem Papiam Poppaeam obtinuit, de quo VLP. *tit.* I. §. 19. *tit.* XVII. §. 2. *tit.* XVIII. L. 29. *D. de legat.* 2. L. *vn. pr. C. de caduc. toll.*

BIU Cujas

CAP. XXXXVII. vel III. (Gothofred. xxx.)

De his, quae pro non ſcriptis habentur.

(a) QVae (Gothofr. *Item ea quae*) (b) ab initio deficient, vel in quibus teſtator poſtea (c) mutauerit voluntatem, ea pro non ſcriptis habentor, eaque ii, a quibus relicta ſunt, iure antiquo capiunto. (Gothofr. *ab initio deficient, et pro non ſcripto inutiliaue erunt, vel in quibus teſtator voluntatem ſuam poſtea mutauerit, ii, a quibus* cet.)

(a) Ita huius capitis ſententiam deſcribit IVSTINIANVS L. *vn.* §. 2. 3. *C. de caduc. toll.*

(b) Veluti iis relicta, qui tempore conditi teſtamenti in rebus humanis non erant, vel qui tum captiui ab hoſtibus detenti, ibi deceſſerant. VLP. *Lib.* XIII. L. 4. *D. de his, quae pro non ſcript.* Item, quae relicta fuerant per captatoriam inſtitutionem. PAVLL. *Lib.* V. L. 71. *D. de hered. inſt.*

(c) Veluti ſi ſpeciem nouam ex re legata fecerit, eaque ad priorem ſpeciem reduci nequeat, PAVLL. *Lib.* V. L. 88. *D. de legat.* 3. vel ſi legata liberatione debitorem poſtea liberarit, vel ab eo ſibi ſatisfieri paſſus ſit. TER. CLEM. *Lib.* XII. L. 21. *D. de liberat. leg.* Item ſi legatum diſertis verbis ademerit, non, ſi tranſtulerit in alium. PAVLL. *Lib.* V. L. 6. *D. de adim. legat.*

CAP. XXXXVIII. vel IIII. (Gothofr. xxx.)

De cauſſa caduci.

(a) SI quicumque (b) hominum heres legatariuſue, viuo teſtatore, poſt teſtamentum conditum decedet (c), conditione deficiet, relictum IN CAVSSA CADVCI eſto, et (d) populo quaſi caducum defertor. (Gothofredus: *ſuperioribus perſonis et cauſſis ceſſantibus, cuicumque homini priuato delata hereditas legatumue ex ſequentibus cauſſis caducum caducaue erit, populo defertor. Si viuo teſtatore, poſt teſtamentum conditum, heres legatariusue viuo teſtatore* cet.)

(a) L. *vn.* §. 2. *et* §. 4. *C. de caduc. toll.*

(b) Homo, ſiue mas, ſiue femina. CAIVS *Lib.* X. L. 152. *D. de verb. ſignif.* Nec excipitur auguſta, niſi eam lege ſoluat princeps, qui et ipſe lege ſolutus. VLP. *Lib.* XIII. L. 31. *D. de legib.* Quamuis eo iure non gauderent auguſtarum coheredes et collegatarii. MAVRICIAN. *Lib.* II. L. 57. *D. de legat.* 2.

(c) Veluti ſi heres legatariuſue ante conditionis euentum deceſſerit, vel ſeruus poenae factus ſit, VLP. *Lib.* XIII. L. 59. *D. de condit. et dem.* vel aliam paſſus ſit capitis diminutionem, MAVRIC. *Lib.* II. L. 23. *D. de vſufr. legat.* Quid ſi plures conditiones adſcriptae? CELS. *Lib.* XXXIIII. L. 27. *D. de legat.* 2.

(d) Poſtea fiſco vel principi ex conſtitutione Antonini Caracallae. VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 2.

CAP.

BIU Cujas

CAP. XXXXVIIII. vel V. (Gothofr. xxx.)

De caducis ob heredem vel legatarium ante apertas tabulas decedentem.

(a) SIue heres (b) pro parte, legatariuſue, quibus pure vel in certum diem hereditas legatumue relictum erit, poſt mortem teſtatoris (c), ante apertas tabulas teſtamenti (d), decedet, vel (e) pereger fiet, ea hereditatis (f) pars legatumue caduca ſunto, populoque deferuntor.

(a) Hoc caput ita fere extulit IVSTINIANVS L. *vn.* §. 2. *C. de caduc. toll.* et ante eum VLP. *Fragm. tit.* XVII.

(b) Heres enim ex aſſe ſi deficeret, hereditas non incidebat in caſum, ſed res ad cauſſam inteſtati redibat. L. 80. *D. de adqu. hered.* Quid ſi ſeruus communis plurium dominorum, ſolus inſtitutus? Vid. PAVLL. *Lib.* V. *L. 68. D. eod.*

(c) Hinc tam ſollicite de aperiendis tabulis diſputant VLP. *Lib.* XIII. L. 10. *et* L. 12. *D. teſtam. quemadm. aper.* et CAIVS *Lib.* XI. L. 11. *D. eod.* Ab eo enim tempore dies legatorum cedebat, excepto legato vſusfructus, cuius dies ab adita hereditate cedit, non autem aliarum ſeruitutum praedialium. VLP. *Lib.* XIII. L. 7. *D. de ſeruit.*

(d) An vero, adita iam hereditate, ſubſtitutionem ad heredes ſuos transfert? Vid. VLP. *Lib.* XIII. L. 81. *D. de adquir. vel omitt. her.*

(e) VLPIAN. *Fragm. tit.* XVII. §. 1.

(f) Dummodo id exſtet. Quid ſi perierit? Quid ſi legata teſſera frumentaria, vel res commercio heredis exemta? Vid. PAVLL. *Lib.* V. *L. 49. D. de legat.* 2. Ceterum fiſcus caduca haec occupat cum onere. PAVLL. *ibid.* et CAI. *Lib.* XI. L. 14. *D. de iur. fiſci.*

CAP.

BIU Cujas

CAP. L. vel VI. (Gothofr. xxx.)

De caducis, ob heredis vel legatarii incapacitatem.

SIue (a) caelibi, vel (b) alteri cuiuis, plus, quam ex h. l. licebit, relictum erit, et id (c) caducum esto, populoque vindicator.

(a) Huc pertinent fragmenta TER. CLEM. *Lib.* XIII. L. 54. *D. de legat.* 2. VLP. *Lib.* XIII. L. 64. *D. ad leg. Falc.* Nisi intra centum dies legi paruerit. Neque enim ad nouas leges pertinebat regula Catoniana: L. 5. *D. de reg. Cat.* eoque referendum fragmentum CELSI, *Lib.* XXXV. L. 1. *D. eod.*

(b) Cuicumque incapaci; qualis etiam libertus Latinus, nisi intra centum dies iura Quiritium consequatur. VLP. *Fragm. tit.* XVII. §. 1. Atqui haec non ex lege Papia Poppaea, sed ex Iunia Norbana sunt. Id quidem verum est, sed posteriores leges ad priores pertinent, nisi sint contrariae. PAVLL. *Lib.* V. L. 28. *D. de legib.* Seruo instituto hereditario, capacitas non aestimatur ex persona defuncti, nec ex persona heredis futuri, et hinc hereditatem hic sine vllo impedimento adquirit. CAI. *Lib.* XII. L. 55. *D. de legat.* 2.

(c) Quid si iam heres legatariusue vsuceperit? PAVLL. *Lib.* V. L. 4. *D. pro hered.* Quid si hereditas non sit soluendo? Tunc fisco praefertur et incapax, quia nihil capit, sed creditores bona vendunt, exceptis tamen statuis. PAVLL. *Lib.* V. L. 29. *D. de reb. auct. iud. poss.* An vero eo casu creditores, venditis bonis, manumittere possunt? CAI. *Lib.* XII. L. 18. *D. de manum iss.*

CAP. LI. vel VII. (Gothofr. XXXI.)

De caducis ob heredem vel legatarium ante euentum conditionis decedentem.

SIue heres legatariusue post mortem testatorum (a), ante euentum (b) conditionis, deficiat, hereditas legatumue caduca sunto, populoque deferuntor.

(a) Dies enim legati conditionalis vel in diem incertum relicti a tempore exsistentis conditionis cedit. *L. vn.* §. 7. *C. de caduc. toll.* Eo pertinent fragmenta CAII *Lib.* XIII. L. 69. *D. de condit. et demonstr.* L. 31. *D. de statu lib.*

(b) Si quis sub conditione heredem instituit, eique substituit, an et substitutus sub conditione institutus censetur? CAI. *Lib.* XIII. L. 73. *D. de her. inst.*

CAP.

BIU Cujas

CAP. LII. vel VIII. (Gothofr. XXXI.)

De bonis ereptitiis.

(a) QVae hereditas, quodue legatum (b), tamquam indigno erepta ereptumue erit, illa illudue (c) populo defertor. (Gothofr. *Si velut indigno hereditas legatumue ereptum erit, populo vindicator.*)

(a) Suppeditat hanc capitis sententiam L. *vn.* §. 12. C. *de caduc. toll.*

(b) Plures causſae, propter quas hereditas ceu indignis eripitur, explicantur singulari titulo Pandectarum. Indigni sunt etiam, qui testatori maledixerunt, vel ei mouerunt controuersiam status. VLP. *Lib.* XIIII. L. 9. *D. de his, quae vt indign.*

(c) Aliquando tamen erepta indignis manebant apud heredes. VLPIAN. *Fragm. tit.* XVIIII. §. 16. IVSTINIAN. L. *vn.* §. 12. *C. de caduc. toll.*

CAP. LIII. vel VIIII. (Gothofr. XXXII.)

De bonis vacantibus.

(a) SI (b) ante aditam hereditatem (c), agnitumue legatum, per damnationem, sinendi modo, vel per praeceptionem relictum, (Gothofr. *has species omittit*) heres legatariusue decedat, (Gothofr. addit: *hereditas legatumue ceu vacantia populo vindicantor. Item si*) siue heres legatariusue (d) ius suum omittat repudietue: hereditas legatumue, ceu vacantia, populo vindicantor, neue heredibus, (Gothofredus addit *eorum*) deferuntor.

(a) De hoc capite vid. L. *vn.* §. 5. C. *de caduc. toll.*

(b) Nam non adita hereditas non transmittitur, nisi heredes sint sui. CAI. *Lib.* XIII. L. 14. *D. de suis et legit. hered.*

(c) Differentia fuit inter varia legatorum genera. Inprimis excipiebatur legatum vindicationis. Quo pertinet fragmentum TER. CLEM. *Lib.* XV. L. 16. *D. de opt. leg.*

(d) Ita VLPIAN. *Fragm. tit.* XXIIII. §. 11. *tit.* I. §. 19. *tit.* XXVIII. §. 7. Eodem pertinet fragmentum TER. CLEM. *Lib.* XV. L. 59. *D. de legat.* 2.

BIU Cujas

CAP. LIIII. vel x. (Gothofr. xxxiii.)

De fraudibus aduerſus H. L. commiſſis.

NE quis (a) in fraudem H. L. quo magis caduca et ereptitia (Gothofredus omittit *ereptitia*,) is, qui capere non poteſt, capiat, quidquam admittere velit.

(a) Multa in fraudem legis excogitata fuerant: veluti mortis cauſſa donationes. VLP. *Lib.* XV. L. 37. *D. de mort. cauſſ. donat.* PAVLL. *Lib.* VI. L. 35. *D. eod. et* L. 12. *D. de condict. cauſſ. dat. cauſſ. non ſequut.* Inſtitutiones filiorum familias, per quos patres adquirerent. PAVLL. *Lib.* VI. L. 140. *D. de verb. ſign.* Inſtitutio ſerui, a domino incapace ante additionem manumittendi. TER. CLEM. *Lib.* XVI. L. 82. *D. de adquir. vel omitt. her.* Pecunia credita incapaci, eidemque legata liberatio. PAVLL. *Lib.* VI. L. 29. *D. de lib. leg.* Debitum legatum cum aliquo emolumento. PAVLL. *Lib.* VI. L. 29. *D. de legat.* 1. Vſusfructus tamquam reditus perpetuus relictus. VLP. *Lib.* XV. L. 22. *D. de vſufr. legat.* Non autem fraudibus accenſebantur ſubſtitutiones, de quibus IVSTINIANVS L. *vn. pr. C. de caduc. toll.* nec legatum ſub ea conditione relictum, cuius meminit PAVLL. *Lib.* V. L. 65. *D. ad leg. Falc.*

CAP. LV. vel XI. (Gothofr. xxxiiii.)

De iure adcreſcendi.

(a) ANte apertas tabulas aditamque hereditatem, inter coniunctos heredes legatarioſue, (b) ius adcreſcendi in iis, quae (c) caduca vel in cauſſa caduci ſunt (d), excepto vſufructu legato, ne eſto. (Gothofr. *Inter coniunctos heredes legatarioſue ius adcreſcendi ne eſto.*)

(a) VLPIAN. *tit.* XXIIII. §. 13.

(b) Ad ea, quae pro non ſcriptis habita, hoc caput non pertinuit, ſed ad caduca et quaſi caduca, in quibus quum quaedam perſonae fiſco praeferrentur: (vid. caput legis 46.) in iis quomodo obtineat ius adcreſcendi, accurate docent PAVLL. *Lib.* VI. L. 89. *D. de leg.* 3. L. 142. *D. de verb. ſignif.* CAI. *Lib.* XIII. L. 58. *D. de legat.* 2. TER. CLEM. *Lib.* XVII. L. 17. *D. de opt. leg.* CELS. *Lib.* XXXV. L. 80. *D. de leg.* 3.

(c) Non itaque, quae adita iam hereditate deficiebant. CAI. *Lib.* XIIII. L. 53. *D. de adqu. vel omitt. hered.*

(d) *L.* 1. *pr. D. de vſufr. accreſc.*

CAP.

BIU Cujas

CAP. LVI. vel XII. (Gothofr. omisit.)

De transmissione legatorum.

(a) LEgatum pure aut in diem certum per vindicationem relictum (b), post apertas tabulas; reliqua, non nisi agnita; conditionalia denique, post conditionis euentum (c), ad heredes transmittuntor.

(a) Sententiam capitis suppeditat IVSTINIANVS L. *vn.* §. 13. C. *de caduc. toll.*

(b) Hinc si a filio herede legatum fuit Seio, fideique eius commissum, sub conditione, vt Titio restituat, et pendente conditione Titius decessit: fideicommissum ad Titii heredem non transmittitur, nec apud filium, sed apud Seium manet. VLP. *Lib.* XVI. L. 60. *D. de legat.* 2. Si vel penus legata vel fundus, vel, si heres non dederit, decem, legatariusue postquam interpellauit heredem, decessit: legatarii heres non penum vel fundum, sed decem petere potest. PAVLL. *Lib.* VI. L. 24. *D. quando dies leg. ced.*

(c) Quod tamen principi relictum, qui, antequam dies legati cedat, hominibus ereptus est, ex constitutione Antonini successori debetur. CAIVS *Lib.* XIIII. L. 56. *D. de legat.* 2.

CAP. LVII. vel XIII. (Gothofr. XXXV.)

De tacitis fideicommissis.

SI qui heres legatariusue in fraudem H. L. a testatore tacite (a) rogatus sit, ei restituere (b), qui per H. L. capere prohibetur, isque (c) sciens (d), dolo malo, tacitam fidem testatori adcommodauerit (e), hereditate legatoue sibi relicto priuator, eaque populo vindicantor.

(a) Siue chirographum eo nomine dederit, siue nuda pollicitatione repromiserit. CAI. *Lib.* XV. L. 10. *D. de legat.* 3.

(b) Qui incapax est tempore conditi testamenti. Quid si postea capere non posse inciperet? Tunc fideicommissum apud eum manebat, a quo fuerat relictum. CAI. *Lib.* XV. L. 10. *D. de his, quae vt indign.* Inter incapaces autem non est concubina. CELS. *Lib.* XXXVI. L. 29. *D. de legat.* 2.

(c) Quis sciens? VLP. *Lib.* XVIII. L. 6. *D. de iur. et facti ignor.*

(d) Dolus non imputabatur filio familias, qui iussu patris tacitam fidem accommodauerat. CAI. *Lib.* XV. L. 10. §. *vlt. D. de his, quae vt indign.*

(e) Etiam libertatis legatum perimebatur. TER. CLEM. *Lib.* XVIII. L. 1. *D. de adem. libert.* L. 5. *D. de oper. seruor.* Heres fiduciarius amittebat ius accrescendi. VLP. *Lib.* XVIII. L. 83. *D. de adquir. vel omitt. hered.* Partem tamen ex constitutione D. Traiani auferebat, qui se ipse detulerat. PAVLL. *Lib.* VII. L. 13. *D. de iure fisci.*

BIU Cujas

CAP. LVIII. vel XIIII. (Gothofr. XXXVI.)

De praemiis delatorum.

(a) SI quis incapaci relictum ad aerarium detulerit, et comiserit, is praemii nomine ---- (b) partem bonorum consequitor.

(a) Delatores praemiis inducti. TACIT. *Annal. Lib.* III. *cap.* 19. MAVRICIAN. *Lib.* III. L. 15. *D. de iure fisci.* Si ipsi incapaces se deferebant, ipsis pars bonorum relinquebatur ex constitutione Traiani. VLP. *Lib. XVIII.* L. 16. *et* PAVLL. *Lib.* VII. L. 13. *De de iure fisci.*

(b) Quotam partem acceperint, ignoratur. Neronem vero id praemium ad quartam reduxisse, auctor est SVETON. *Neron. cap.* 10.

CAP. LVIIII. vel XV. (Gothofr. XXXVII.)

De oneribus fisci.

CAduca, non nisi (a) deducto aere alieno (b), iisque conditionibus, et oneribus, quibus relicta erunt, populo adquiruntor. (Gothofredus: *supradictis tamen casibus omnibus, bona caduca, deducto aere alieno* cet.)

(a) Ita VLPIAN. *Lib.* XVIII. L. 66. *D. ad leg. Falcid.*

(b) Eo pertinent fragmenta VLP. *Lib.* XVIII. L. 61. *D. de legat.* 2. PAVLL. *Lib.* VII. L. 60. *D. de cond. et dem.* L. 21. *D. de vsu et vsufr. leg.* L. 7. *D. si cui plus, quam per leg. Falc.* Conferatur L. 96. §. 1. *D. de legat.* 2.

Et de his quidem capitibus singulis iam seorsum acturi, id operam dabimus, vt, si qua paullo obscuriora videbuntur, ea in luce, quantum fieri potest, clarissima collocemus.

CAPVT

BIU Cujas

* * * * * * * * * * *

CAPVT II.

AD CAPVT LEG. CADVC. PRIMVM,

DE ADITIONE HEREDITATIS, ET QVANDO DIES LEGATORVM CEDAT.

I. *Caput hoc, a* IAC. GOTHOFREDO *omissum, primum fuisse demonstratur. An SCto ad hanc legem facto cautum, vt dies legatorum ab apertis tabulis cederet? Caput ipsum restitutum.* II. *Olim tabulae sine sollemnitate apertae ab ipsis propinquis et heredibus. Sollemnitas postea obseruata. Lex Iulia vicesimaria hanc sollemnitatem inuexit. Dies denicales. Cretionis sollemnitas. Heres ex asse scriptus et ante apertas tabulas recte adibat.* L. 80. D. de adqu. vel omitt. her. *explicata. Nec apertione opus in testamento nuncupatiuo.* III. *Quando olim dies legatorum cesserit? Regula Catoniana. Quid lege Papia Poppaea immutatum?* IIII. *An tempore Vlpiani id ius immutatum? Eius vestigia in Pandectis notata. Primus hoc caput abrogauit Iustinianus. Ius nouum.*

I. MAteriam atque EXORDIVM *caducorum*, inquit IVSTINIANVS, (a) *lex Papia ab* ADITIONIBVS, *quae circa defunctorum hereditates procedebant, sumsit, et ideo non a morte testatoris, sed ab apertura tabularum dies cedere legatorum, SCta, quae circa legem Papiam introducta sunt, censuerunt, vt, quod in medio deficiat, hoc caducum fiat.* Ex his vero Imperatoris verbis colligimus, primum hoc fuisse legis Papiae Poppaeae caput, eoque cautum esse, vt ante apertas tabulas nec hereditatem adire liceret, nec dies legatorum cederet. Quamuis enim posteriorem capitis articulum nescio quibus SCtis tribuat Iustinianus, neque ego dubitem, quin subtile istud ius de cessione diei legatorum SCtis quamplurimis explicatum illustratumque fuerit: ipsum tamen istud principium, quod dies legatorum a tabulis demum apertis cedat, per vniuersam legem caducariam regnat, vt dubitare vix liceat, quin illud ipsa inuexerit lex Papia Poppaea. Saltim id adfirmat VLPIANVS (b), qui, quum SCta circa leges facta alias diligentissime

(a) L. vn. §. 1. C. de caduc. toll. (b) *Fragm. tit. XXIIII. §. 31.*

BIU Cujas

notare soleat, de cessione tamen diei legatorum diserte scribit: *legatorum, quae pure vel in diem certum relicta sunt, dies cedit, antiquo quidem iure, ex mortis testatoris tempore, per* LEGEM *autem* PAPIAM POPPAEAM *ex apertis tabulis testamenti.*

Quae quum ita sint, VLPIANI sequutus auctoritatem, tale fuisse arbitror caput legis caducariae primum:

> *Hereditatem, si plures sint coheredes extranei, tabulis testamenti apertis demum adire liceto, neque ante dies legatorum, pure vel in diem certum relictorum, cedito.*

II. HEREDITATEM, inquit lex, TABVLIS DEMVM APERTIS ADIRE LICETO. Iure antiquo heredes et propinqui ipsi statim, et quandocumque liberet, inspiciebant testamentum. et cognita testatoris voluntate, vel ea iam antea comperta, hereditatem adibant vel repudiabant, neque vlla hic opus erat sollemnitate, nulla iudicis opera, nisi forte lis quaedam circa tabularum γνησιότητα, vel ipsam supremam testatoris voluntatem incideret. Ast lege Iulia vicesimaria, quam paullo ante legem Papiam Poppaeam latam diximus, sollemnis tabulas aperiendi ritus inualuit, quo non obseruato, nulla videbatur hereditatis aditio. Aperiendae erant tabulae statim: et ita iusserat lex vicesimaria (a): neque tamen prius, quam de morte testatoris certo constaret (b). Secretum enim esse oportebat supremum viui testatoris iudicium, neque quidquam maiorem inuidiam conflauit prudentissimo principi, Augusto, quam quod viui Antonii testamentum, quod is Romae de Cleopatrae liberis inter heredes nuncupatis reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curasset (c): quod factum PLVTARCHVS ἀλλόκοτον καὶ δεινὸν; DIO CASSIVS ἔργον παρανομώτατον haud abs re vocat, quippe poena legis Corneliae de falsis (d) dignum, si a priuato fuisset admissum. Quum autem ea, quae statim vel illico fieri dicuntur, aliquot dierum laxamentum admittere soleant: receptum fuerat, vt tabulae aperirentur die tertio vel quinto inter praesentes, absentibus iis, quorum intererat, intra eosdem dies, postquam superuenerant (e). Sed merito quaeritur, a quo temporis momento illi tres vel quinque dies continui numerati sint? Ex mea sententia, computari non potuerunt

(a) PAVLL. *Recept. Sent. Lib. IIII. tit. 6. §. 3.*

(b) L. 13. §. 1. L. 31. *D. de adqu. vel omitt. her.*

(c) SVET. *Aug. cap.* 17.

(d) L. 1. *D. ad* L. *Corn. de falsi.* L. 38. *D. de poen.*

(e) PAVLL. *ibid.*

BIU Cujas

runt a die mortis, sed a tempore, quo iusta facta fuerant testatori, id est, a die decimo, qui mortem testatoris sequebatur. Septem enim dies cadauer domi deplorabatur, octauo efferebatur ad rogum, nono colligebantur tumuloque condebantur reliquiae: decimo lustrabatur familia. Vnde hi dies dicti DENICALES, de quibus FESTVS (a): DENICALES *feriae colebantur, quum hominis mortui caussa familia purgabatur. Graeci enim νέκυν mortuum dicunt.* Intra hos dies nihil auspicato agebat familia. Excusabat funeris familiaris cura militem, etiam sacramento adactum, vt die constituto sine fraude sua abesset (b). Excusabat reum, vt sine fraude sua vadimonium desereret, nec cautionibus iudicio sistendi caussa factis obtemperaret (c). Immo ne priuati quidem negotii quidquam suscipi potuisse intra hos dies, vel inde colligas, quod ne mulos quidem per dies denicales iungi patiatur COLVMELLA (d). Quare non inepte quidam suspicantur (e), IVSTINIANVM (f), dum intra nouem dies heredem a creditoribus vrgeri vetuit, ad hos ipsos dies denicales respexisse, quia et inter Christianos cura funeris facile nouem dies absumeret, quamuis lustratio familiae, quae die decimo fieri solebat, cum ipsa religione obsoleuisset. Quis ergo crediderit, coactos fuisse per hos dies heredes de aperiendis tabulis cogitare? Quare hos dies tres vel quinque, intra quos aperiendae erant tabulae, demum ab exactis diebus denicalibus computatos esse, vero videtur simillimum.

Hos intra dies tres vel quinque primo omnium tabulae offerendae erant magistratui competenti (g). Nisi enim, vt oportebat, essent oblatae, heres scriptus in possessionem mitti frustra desiderabat (h). Deinde praetor, coactis signatoribus, agnitis signis, rupto lino, (ita enim tabulas inuolui signarique Nero, teste SVETONIO (i), iusserat,) aperiebat tabulas, recitandasque curabat, et facta describendi copia, exemplar authenticum, signo publico notatum, in archiuo reponi iubebat, vt, si quando exemplum intercidisset, esset, vnde peteretur (l). Si signatores quidam abessent: tabulae ad eos mittebantur, vt signa agnoscerent, ne suo incommodo se ad locum hereditatis iacentis conferre, officiumque sibi damnosum praestare tenerentur (m). Sin plures vel omnes abessent: praesentibus optimae opinionis viris, tabulas aperiebat praetor, factoque instrumento, descripto et recognito, eas ad absentes mittebat.

(a) *Voce* denicales.
(b) GELL. *Lib. XVI. cap.* 4.
(c) L. 4. §. 2. *D. si quis caut. iud. sist.*
(d) *De Re rust. Lib. II. cap.* 22.
(e) MYNSING. *ad* §. 8. *inst. de R. D.*
(f) *Nou. CXV. cap.* 1. §. 1.
(g) L. *vlt. C. de edicto D. Hadr. toll.*
(h) PAVEL. *Rec. Sent. Lib. III. tit.* 5. §. 17.
(i) *Neron. cap.* 17.
(l) PAVLL. *Lib. IIII. tit.* 6. §. 1. L. 4. L. 6. *D. test. quemadm. ap.*
(m) L. 7. *D. eod.*

BIU Cujas

bat (a). Id quod etiam in municipiis, coloniis, oppidis, praefecturis, vicis, castellis et conciliabulis erat obseruandum, vbi in foro vel basilica, praesentibus testibus vel honestis viris tabulae debebant recitari, exemploque sublato ab iisdem rursus magistratibus, quibus praesentibus aperta fuerant, obsignari, et quidem inter horam diei secundam et decimam (b), quia hora diei tertia, vti ex MARTIALE (c) obseruat V. C. ANT. SCHVLTINGIVS (d) forum feruere incipiebat.

Tabulis ita sollemniter apertis, tum demum HEREDITATEM ADIRE LICEBAT. Et quidem sine cretione instituto Praetor plerumque dabat tempus ad deliberandum, dierum saltim centum, intra quod aut adeunda, aut repudianda erat hereditas (e). Cum cretione institutus, intra dies cretionis ab herede finitos, qui modo sexaginta (f), modo centum erant (g), cretionis verba sollemnia recitare et adire tenebatur, excludendus ab hereditate, nisi rite creuisset. Dies hi vtiles erant, si heres institutus esset cum cretione vulgari, id est, cum formula: IN DIEBVS CENTVM PROXIMIS, QVIBVS SCIERIS POTERISQVE, CERNITO. Omissis his verbis cretio dicebatur continua, et tunc illi quoque dies computabantur, quibus quis ignorasset, se heredem institutum, vel sciuisset quidem, sed non creuisset (h). Haec omnia circa aditionem hereditatis erant obseruanda. Quumque, nondum concesso beneficio inuentarii, vix credibile sit, quemquam heredem id deliberandi spatium anteuertere, et citius adire hereditatem voluisse: facile patet, aliquot saltim menses, praesente etiam herede, potuisse elabi, antequam tabulis apertis hereditas adiretur.

Hac necessitate, post apertas demum tabulas adeundi, omnes obstringebantur HEREDES EXTRANEI. Necessarius enim hereditatem non adeundo consequebatur (i), sed ipso iure cogente heres erat. Multo minus dubitabatur, quin liberi in patris sui potestate constituti, clausis tabulis possent heredes exsistere (l), quum incertum non esset, illis hereditatem deberi. Ex qua GORDIANI constitutione etiam id discimus, id ius obtinuisse tantum, SI PLVRES essent COHEREDES. Ex asse enim scriptus etiam clausis tabulis heres erat, eoque pertinet locus PAVLLI: (m) *Idem dicemus, si ex asse heres institutus, non putet, se bonorum possessionem petere posse ante apertas tabulas: Quod si nesciat, esse tabulas, in facto*

(a) L. 2. L. 7. *D. eod.*
(b) PAVLL. *ibid.* §. 2.
(c) *Lib. IV. Epigr.* 8.
(d) *Iurisp. vet. Anteiust. p.* 403.
(e) L. 2. *D. de iure delib.*
(f) CIC. *ad Att. Lib. XIII. Epist.* 46.
(g) VLPIAN. *tit. XXII.* §. 27.
(h) *Idem ibid.* §. 31. *sequ.*
(i) L. 151. *D. de verb. sign.*
(l) L. 3. *C. de iure deliber.*
(m) L. 1. §. 4. *D. de iur. et facti ign.*

BIU Cujas

facto errat. In iure itaque errare ait heredem, qui ex asse scriptus, se ante apertas tabulas adire vel bonorum possessionem petere non posse existimet. Caussa eius exceptionis non ea est, quam comminiscitur EM. MERILLIVS (a), quod heres certus esse debeat, ex qua parte, et quo modo heres sit: (poterat enim et heres ex asse, purene an sub conditione scriptus sit, ignorare;) sed, quod vno scripto herede, fisco locus non esset. Quum enim, vti infra dicemus, ideo hoc ius inuexerint leges Iulia et Papia Poppaea, ne, quod ante apertas tabulas deficit, coheredibus accresceret, sed ab aerario vel fisco occuparetur: eo εὑρημα sane opus non erat, si unus ex asse esset heres, quo exstincto, nec iuri adcrescendi nec fisco erat locus, sed res ad caussam successionis intestatorum redibat (b). Quare eo tantum casu, quo plures erant scripti heredes extranei, aditio apertas tabulas sequebatur, quia eo tantum casu portio ante apertas tabulas deficiens caduca fiebat, vti recte obseruauit VLPIANVS (c).

Hinc facile intelligitur, quo pertineant bina PAVLLI fragmenta, quae capiti huic primo aptanda duximus. Altero PAVLLVS (d) quaerit, si quis solus heres ex pluribus partibus fuerit institutus, an quasdam partes possit omittere? Id quod negat, adeo, vt ne quidem, si in quibusdam partibus substitutum habeat, id fieri posse concedat. Procul dubio itaque eo loco egit de herede ex asse instituto, pro quo omnino habendus erat, qui solus vel in minima parte fuerat institutus, quia ex iuris Romani principiis pro parte testatus, pro parte intestatus decedere nemo poterat. Porro quaerit PAVLLVS (e), si quis aliis mixtus heredibus ex pluribus partibus heres institutus sit, an adeundo vnam, omnes adquirat? Idque adfirmat. Sed, quia hic de herede ex asse non erat quaestio, statim addit: *Omnes adquiro, si tamen delatae sint.* Nam heredem solum scriptum etiam non delatas partes adquirere, paullo ante vidimus: quod non procedit, si quis habet coheredes. Sequitur tertia quaestio (f), si seruus noster ex parte heres institutus sit pure, ex parte sub conditione, dato coherede, isque iussu nostro hereditatem adierit, deinde manumisso eo seruo, alterius portionis conditio exstiterit, an nobis ea quoque portio prima aditione censeatur adquisita? Et respondet PAVLLVS, non nobis illam portionem adquiri, sed liberto. Quamuis enim alioquin tabulis apertis, hereditatem vel a nobis, vel iussu nostro a seruo nostro

(a) *Obs. Lib. V. cap. 9.*
(b) VLP. *tit. XXVI.* §. 5.
(c) *Tit. XVII.* §. 1.
(d) PAVLL. *Lib. V.* L. 80. *D. de adquir. vel omitt. hered.*
(e) *d.* L. 80. §. 1.
(f) *d.* L. 80. §. 2.

BIU Cujas

ſtro adiri poſſe, expediti iuris ſit: non tamen id licet, herede ſub conditione inſtituto, qui exſiſtente demum conditione adit. Quum itaque ſeruus, antequam pars poſterior adiretur, libertatem ſit conſequutus, nobis ſane non cedit portio, quam, quum iam ſeruus noſter eſſe deſiiſſet, adquirit. *Omnia enim*, inquit PAVLLVS, *paria permanere debent in id tempus, quo alterius portionis conditio exſtet, vt adquiratur ei, cui prior pars adquiſita eſt.* Denique idem diſquirit (a), ſi ſeruus idem priore parte adquiſita in eadem conditione permaneat, an exſiſtente conditione noua aditione opus ſit? Quod adfirmat, *quia illud, quod dicimus, ſemel adeundum, in eiuſdem perſona locum habet, non quum per alium adquirenda eſt hereditas.* Nemo itaque non videt, totum hoc PAVLLI fragmentum referendum eſſe ad aditionem hereditatis, quam poſt apertas tabulas primum hoc caput legis PAPIAE caducariae exigebat.

Sed nec id praetermittendum eſt, quum ſollemnitas illa, in aperiendis tabulis obſeruanda, non niſi in teſtamento ſcripto locum habere potuerit, nuncupatum heredem adire potuiſſe, quandocumque liberet, vti recte obſeruauit EM. MERILLIVS (b). Quum vero Titius heredem palam nuncupaſſet, et legata complura in tabulis contuliſſet: quaeſtio incidebat, ſollemniterne aperiendae eſſent hae tabulae, an heres ſtatim adire poſſit? Et recte IVLIANVS negabat, TABVLAS *teſtamenti intelligi, quibus heres ſcriptus non eſſet, et magis codicillos, quam teſtamentum, exiſtimandas eſſe.* Cui Iuliani ſententiae et PAVLLVS (c) in libro commentariorum quinto ſuffragatur.

III. Haec de aditione hereditatis: iam ad legata progredimur, de quibus lex noſtra: NEQVE ANTE DIES LEGATORVM PVRE VEL IN DIEM CERTVM RELICTORVM CEDITO. Dies legatorum, pure vel in diem certum relictorum, teſte VLPIANO (d), iure antiquo cedebat a tempore mortis teſtatoris, idque clariſſime adparet ex regula Catoniana. Quum enim viri eruditiſſimi veluti ex compacto iſtius regulae auctorem faciant Catonem, M. Porcii Cenſorii filium natu maiorem, ante patrem in praetura defunctum, quippe quem iuris peritiſſimum fuiſſe habitum, GELLIVS (e) teſtatur: ex eius teſtimonio, quid ante Auguſtum obtinuerit, ſatis erit manifeſtum. Regula vero Catoniana, *quod*, SI TESTAMENTI FACTI TEMPORE DECESSISSET TESTATOR, *inutile foret, id quandocumque deceſſerit, non valere*, definiuit (f). Si vero iam eo tempore dies legatorum ab apertis tabulis ceſſiſſet, fruſtra ſane Cato monuiſſet,

(a) *d.* L. 80. §. *vlt.*
(b) *Obſ. Lib. V. cap. 9.*
(c) PAVLL. *Lib. V.* L. 20. *D. de iure codicill.*
(d) *Fragm. tit. XXIIII.* §. 31.
(e) *Lib. XIII. cap.* 18.
(f) L. 31. *D. de regul. Caton.*

BIU Cujas

nuisset, fingendum esse, testatorem tempore facti testamenti decessisse. Atque inde est, quod cum VLPIANO (a) agnoscunt omnes, regulam Catonianam ad leges nouas, ex quibus dies legatorum ab apertis demum tabulis cedit, non pertinere.

Ita dies legatorum, iure antiquo, id est, ante legem Papiam Poppaeam, a morte testatoris cessit. Quid vero lex nostra? NEC ANTEA, quam tabulae apertae sollemniter, DIES LEGATORVM, PVRE VEL IN DIEM CERTVM RELICTORVM, CEDITO. Hinc legatarius, ante apertas tabulas exstinctus, vel capite minutus, vel alio modo incapax factus, nec ad heredes transmittebat legatum, nec illud legatariis, quocumque modo coniunctis, adcrescebat, sed, vti infra adparebit, tanquam caducum a fisco occupabatur. Id autem tantum ad legata PVRE VEL IN DIEM CERTVM RELICTA pertinebat. Eorum enim, quae sub conditione relinquebantur, dies cedebat a momento, quo conditio exstitisset (b). Vnde nec antea quidquam transmittebatur, nisi vel ea esset conditio, quam Praetor remitteret (c), vel per legatarium non staret, quo minus impleretur (d). Idem iuris erat, si quid in diem incertum relinqueretur. Dies enim incertus facit conditionem (e), adeoque nec dies cedit, ante quam dies adiecta exstiterit (f).

IIII. Tale fuit legis Iuliae caducariae principium. Ex quo quae consectaria elicuerint veteres, paullo post erit dicendi locus. Iam id monemus, ius antiquum luculenta illa de caducis tollendis constitutione in vsum reuocasse IVSTINIANVM (g). Equidem vir doctissimus, FR. HOTOMANVS (h), multo prius, ipsisque VLPIANI temporibus, repudiatam esse censet hanc legis caducariae regulam, idque colligit ex verbis ipsius IVSTINIANI, *ipsis quoque olim prudentibus legem Papiam displicuisse, multasque ideo inuentas* VIAS, *ne caducum fieret.* Inter has enim vias et eam fuisse existimat, quod iureconsulti diem legatorum a morte testatoris cedere voluerint. Sed fallitur procul dubio vir insignis. Viae enim illae, quibus legem caducariam eludere solebant veteres, ad substitutiones pertinent. Vlpiani autem tempore omnino adhuc ab apertis tabulis diem legatorum cessisse, ex aliquot eius locis (i) manifestum est. Immo et in fragmentis IVLIANI (l), AFRICANI (m) et PAVLLI (n), quae Tribonia-

(a) L. *vlt. D. eod.*
(b) VLP. *tit. XXIIII. §. 31. L. 5. §. 2. D. quando dies leg.*
(c) L. *5. §. 3. eod.*
(d) *d.* L. *5. §. 5. eod.* L. *161. D. de R. I.*
(e) L. *75. D. de cond. et demonstr.*
(f) L. *21.* L. *22. D. quando dies leg.*
(g) L. *vn. §. 1. C. de cadue. toll.*
(h) *De reg. Caton. p. 57.*
(i) *Fragm. tit. XXXI.* L. *3. §. 4. de her. inst.*
(l) L. *42. D. eod.*
(m) L. *31. D. de condit. et demonstr.*
(n) L. *104. D. de cond. et demonstr.* L. *44. D. de donat. mort. cauſſ.*

BIU Cujas

bonianus, iuris noui immemor, in pandectis exstare passus est, expressissima istius iuris vestigia adparent, vt dubitari nequeat, quin istud ex lege caducaria principium quam diutissime, et ad IVSTINIANI vsque tempora viguerit, neque prius eo usque dies legatorum cesserit, quam ab apertis tabulis.

Ast primus, vt dixi, finem ei iuri attulit IVSTINIANVS, qui in laudata constitutione, *Primum hoc*, inquit, *corrigentes, et antiquum statum renouantes, sancimus, omnes habere licentiam*, A MORTE TESTATORIS *adire hereditatem, similique modo legatorum vel fideicommissorum, pure vel in diem certam relictorum, diem* A MORTE TESTATORIS *cedere.* Quamuis vero ea constitutio edita sit, Iustiniano A. IV. et Paullino v. c. Coss. anno erae Christianae 534, id est, sequente post confirmationem digestorum: iam antea tamen de ea edenda cogitasse Imperatorem, vel inde patet, quod Tribonianus eiusque συνεργοὶ pleraque veterum fragmenta ad legis Iuliae caducariae principium attemperata, ita immutarunt, vt iam vbique fere in pandectis ius antiquum a Iustiniano reuocatum, regnare videatur. Quod TRIBONIANI emblema iam v. c. Io. IAC. WISSENBACHIVS (a) recte notauit.

Itaque hodie statim hereditatem iure adeunt heredes scripti, nec opus est apertione tabularum sollemni. Sed et legati pure et indiem certum relicti dies statim a morte testatoris cedit, adeo, vt si post mortem huius decesserit legatarius, legatum vel fideicommissum etiam ignorans ad heredes suos transmittat (b). Paucorum tamen legatorum dies hodienum non quidem ab apertis tabulis, sed a tempore aditae hereditatis cedit, veluti legatum libertatis (c), seruitutumque personalium, vt vsusfructus, vsus, habitationis, (d). Id quod tamen non ex lege Papia, sed ex ipsa horum legatorum natura arcessendum est. Quum enim nec libertatis, nec seruitutis personalis legatum ad heredes transmittatur: nihil etiam rationis fuit, cur leges huiusmodi legatorum diem a mortis tempore cedere iuberent. Quamobrem et IVSTINIANVS (e), quamuis sublata lege caducaria ius antiquum reuocarit, haec tamen legata nominatim excepit. Non autem excepit legatum optionis. Quamuis enim nec ius optandi olim ad heredes transmitteretur (f), et hinc eius quoque legati dies non a morte testatoris, sed ab adita hereditate cederet (g): ex quo tamen constitutione sua sanxit IVSTINIANVS

(a) *Emblem. Tribon. Part. D. v. p.* 110.
(b) L. 5. *pr. et* §. 1. *D. quando dies leg.*
(c) L. 8. *D. eod.*
(d) L. *vn.* §. 2. *D. quando dies vsusfr. leg., ced.*
(e) L. *vn.* §. 6. *C. de caduc. toll.*
(f) §. 23. *Inst. de legat.*
(g) L. 16. *D. de opt. vel elect. leg.*

BIU Cujas

NVS (a), vt, si legatarius viuus non optasset, eius heredi id facere liceret: procul dubio et eius legati dies hodie ab ipsa testatoris morte cedit.

(a) L. *vlt.* C. *commun. leg. et fideic.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT III.

AD CAPVT LEGIS SECVNDVM.

DE IIS, QVIBVS CADVCA DEFERVNTVR.

I. *Caducum quid? Non omnia caduca fisco cedebant. Capitis secundi sententia.* II. *Leges caducariae non pertinuerunt ad hereditates legitimas. Caduca capiebant heredes sui, et parentes ad tertium gradum. An etiam exheredati? Nec* FISCVS *praeferebatur iis, qui liberos habebant. Quid sit caducum capere?* III. *Ius nouum.*

I. CADVCA VLPIANVS (b) et ISIDORVS (c) ita dicta existimant, *quod eius heredes ceciderint.* Magis tamen γραμματικῶς id vocabulum inde deriuandum videtur, quod hereditas legatumue per leges non subsistant, sed cadant. Quemadmodum enim et alias *caduca glans* (d) et *oliua* (e) dicitur, quae cecidit, et *aqua caduca*, quae ex castello vel fistula cadit (f.): ita *caducae hereditates* sunt, quae deficiunt, et, vti CONSTANTINVS M. (g) loquitur, *in casum* CADVNT.

Quare non satis accurate glossae Graeco-Latinae apud BRISSONIVM caducum definiunt, τὸ χωρῶν εἰς τὸν φίσκον, *quod in fiscum migrat.* Nam primo et antequam lex caducaria eiusmodi bona aerario vel fisco vindicaret, fuere tamen caducae hereditates, quarum ipse CICERO (h) meminit, ita ludens in Antonium: *Etsi ne C. quidem Antonii celeritas contemnenda est, quem nisi in via* CADVCAE HEREDITATES *retardassent, volasse eum, non iter fecisse diceres.* Vbi sane caducae hereditates non sunt αἱ χωρῆσαι εἰς τὸν φίσκον, sed quos heredes scripti non capiebant.

(b) *Fragm. tit. XVII. §. 1.*
(c) *Orig. Lib. V. cap. 25.*
(d) L. 30. D. *de verb. sign.*
(e) COLVMELL. *Lib. XII. cap. 49.*
(f) FRONTIN. *de aquaeduct. Lib. II.*
(g) L. *pen.* C. *de delator.*
(h) *Philipp. X. cap. 5.*

BIU Cujas

bant. Deinde lex caducaria non omnia caduca addixit aerario, sed quaedam etiam heredes iure adcrescendi capiebant, quaedam adcrescebant collegatariis. Et de hisce personis, quibus ius antiquum seruatum est, hoc capite secundo actum esse, ex variis TERENTII CLEMENTIS et CAII fragmentis patet, ex quibus et VLPIANI (a) titulis tale hoc caput fuisse colligimus.

Si quis, testamento facto, decedit, isque liberos suos parentesue vsque ad tertium gradum heredes habebit, siue alios quoscumque, qui liberos habebunt, heredes instituet, ii caduca iure antiquo capiunto.

II. Ait lex: SI QVIS TESTAMENTO FACTO DECEDIT. Nam ad successiones intestatorum leges caducariae non pertinebant, de quibus PAVLLVS (b): *Ex pluribus heredibus, iisdemque legitimis, si qui omiserint hereditatem, vel in adeundo aliqua ratione fuerint impediti, his, qui adierunt, vel eorum heredibus omittentium portiones adcrescunt. Quod in herede* INSTITVTO *euenire non poterit.* Quare ea tantum, quae heres testamento scriptus vel legatarius per leges non capiebat, caduca fiebant; legitimae autem hereditatis portio deficiens coheredi eiusdem gradus adcrescebat, vel ad vlterioris gradus propinquos deuoluebatur. Ea autem caduca non semper vindicabat fiscus: sed ei personae quaedam praeferebantur, et primo quidem liberi, de quibus lex nostra: ISQVE LIBEROS SVOS HEREDES HABEBIT. Non autem interfuisse videtur, cuius gradus essent, filii, nepotes, pronepotes, an abnepotes. Restrictio enim illa: *vsque ad tertium gradum* non ad liberos, sed ad parentes pertinet, quemadmodum in Graeco textu Nouellae LXXXIIII. cap. vlt. simile quid de bonis damnatorum cautum esse obseruat v. c. ANT. SCHVLTINGIVS (c), quippe quae Imperator deferri iubet descendentibus, εἰ δὲ μὴ ὑπεισι κατιόντες, ἀλλ' ἀνιόντες ΑΧΡΙ ΤΡΙΤΟΥ ΒΑΘΜΟΥ αὐτὸς ἔχειν. *Si vero nulli descendentes subsint, sed adscendentes* AD TERTIVM GRADVM, *ii quoque obtinerent.* Nec lex distinguit, naturales sint liberi, an adoptiui, dum SVI essent. Vnde facile patet, liberos a matre institutos eo beneficio non gauisos, nec, vno eorum deficiente, portionem hanc adcreuisse reliquis. *Nulla enim* FEMINA, vti ad hoc caput CAIVS (d) scribit, *aut habet* SVOS HEREDES, *aut desinere habere potest propter capitis deminutionem.* Ex quibus vltimis verbis simul colligo, nec a patre quidem

(a) *Fragm. tit. XVIII. §. 1.*
(b) *Recept. Sent. Lib. IIII. tit. VIII. §. 26.*
(c) *Iurispr. Anteiust. pag. 618.*
(d) CAI. *Lib. X. L. 13. D. de suis et legit. hered.*

BIU Cujas

quidem instítutos filios eo beneficio gauisos, si quamcumque passi essent capitis deminutionem, veluti serui poenae effecti atrocitate sententiae, vel deportati, vel in adoptionem dati aut emancipati. Nec absque ratione adiecimus: HEREDES HABEBIT. Nam et exheredati exsortes erant huius priuilegii. Hinc si fingamus, patrem ex duobus filiis Caium instituisse heredem, Maeuium exheredem scripsisse: deficiens sane Caii portio, tanquam caduca, non deferebatur Maeuio, sed aerario vindicabatur. Exceptum tamen erat ius in liberto adsignato, de quo prolixius ad hunc locum disputat TER. CLEMENS (a). Si enim pater decedens, institutis liberis omnibus, vni eorum libertum sub conditione vel in diem adsignasset: interim pendente die vel conditione omnia perinde obseruabantur, ac si adsignatus non esset, itaque mortuo liberto interim ad omnes hereditas et bonorum possessio pertinebat. Sin libertus vni pure, alteri sub conditione fuerat adsignatus, is, cui pure adsignatus, pendente conditione, solus patroni ius habebat (b). Denique si pater Caio instituto soli adsignasset libertum, Maeuioque exheredato cauisset, *vt ei ius in libertum saluum esset*: eodem iudice TER. CLEMENTE (c), *nihil ei ad hanc rem nocebat exheredatio.* Ita enim cautum fuerat SCto Velleiano de adsignandis libertis, vt si ex liberis is, cui libertus fuerat adsignatus, in ciuitate esse desiisset, neque ei liberi vlli essent, ceteris eius liberis, qui manumiserat, perinde omnia iura seruarentur, AC SI NIHIL EO DE LIBERTO EAVE LIBERTA IS PARENS SIGNIFICASSET (d).

Haec de liberis suis. Eodem beneficio per hanc legem gaudebant PARENTES VSQVE AD TERTIVM GRADVM. Hinc si quis patri, matri, auo, auiae, proauo vel proauiae instituto institutaeue coheredem dedisset, huiusque portio aliqua caduca fieret, ea adcrescebat adscendentibus institutis, iique aeque ac liberi fisco vel aerario anteferebantur. In eo itaque melior erat parentum, quam liberorum, conditio, quod quum hi non nisi in potestate testatoris constituti, caduca caperent: illi etiamsi descendentes in potestate non haberent, caducorum tamen ex eorum testamentis fierent participes.

Tertio eo beneficio gaudebant ALII QVICVMQVE, QVI LIBEROS HABEBANT, HEREDES INSTITVTI. Quamuis enim eorum non meminerit VLPIANVS (e), vbi ex instituto *de iis, qui ius antiquum in caducis habeant*,

(a) TER. CLEM. *Lib. XII. L. 10. pr. D. de adsign. lib.*
(b) *d. L. 10. §. 1.*
(c) TER. CLEM. *Lib. XII. L. 40. D. de bon. libert.*
(d) *L. 1. L. vlt. D. de adsign. lib.*
(e) *Fragm. tit. XVIII. §. 1.*

BIU Cujas

beant, agit: plura tamen ibi resecauit Aniani manus. Sed alia eius rei argumenta suppetunt, ex quibus id acute demonstrauit IAC. GOTHOFREDVS (a). Primo enim alio loco scribit VLPIANVS (b): *Si quis in fraudem tacitam fidem adcommodauerit: non potest* CADVCVM *vindicare ex eo testamento*, SI LIBEROS HABEAT: vbi sane non est, quod cum IAC. CVIACIO reponamus: *si ex liberis exsistat.* Commodus enim est ICti sensus, ob fraudem legi caducariae factam, heredem fiduciarium amittere ius vindicandi caduca, quod alias ob liberorum numerum haberet. Deinde idem liquet ex IVVENALIS Satyra saepe laudata (c), vbi adulter:

- - - - Propter me, inquit, *scriberis heres,*
Legatum omne capis, nec non et DVLCE CADVCVM,
Commoda praeterea iunguntur multa caducis,
Si numerum, si tres impleuero.

Ex quibus verbis simul discimus, suffeciſſe ad hoc ius obtinendum vel vnum vnamue filium filiamue superstitem. Idque lucem insignem adfundit fragmento CAII (d), qui ad locum hunc scripsit: *Nam quem sine liberis esse dicere non possumus, hunc necesse est dicamus* LIBEROS HABERE. Sensus enim est, vel ideo vnum vnamue sufficere ad capiendum caducum, quod is, cui filius filiaue est, non dicatur sine liberis esse: is vero, qui sine liberis non sit, omnino liberos habere dicendus sit. Et sane, quum lex caducaria exosa esset: non abs re monuerat CELSVS (e), *in ambigua eius voce eam potius accipiendam esse significationem, quae vitio careat, praesertim quum etiam voluntas legis ex hoc intelligi possit.* Ex quo etiam collegisse videntur veteres, eum quoque iure antiquo capere posse caduca, qui ius liberorum a principe impetrarit. Eoque refero legem eiusdem CELSI (f), cuius species obscurissima semper visa est: *Neratius consultus, an quod beneficium dare se quasi viuenti Caesar rescripserat, iam defuncto dedisse aestimaretur? respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem viuere existimabat, concessisset, defuncto concessisse: quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius aestimationem esse.* Vir summus, IAC. GOTHOFREDVS (g), recte vidit periocham hanc ad legem Papiam Poppaeam pertinere, quam Celsus libris Digestorum XXX. et sex sequentibus illustrarit. Sed quum dubius haereat, quodnam libri

XXXIII.

(a) *Ad Leg. Pap. Popp. cap.* 39.
(b) *Fragm. tit. XXV.* §. 17.
(c) *Sat. VIIII. v.* 87.
(d) CAI, *Lib. X. L.* 149, *D. de verb. sign.*
(e) CELS. *Lib. XXXIII. L.* 19. *D. de LL.*
(f) IBID. *L.* 191. *D. de verb. sign.*
(g) *Comm. ad Reg. iur. pag.* 748.

BIU Cujas

XXXIII. argumentum, et vtrum iſte ad legem de maritandis ordinibus, an ad legem caducariam pertinuerit: duplicem effingit ſpeciem. Prior eſt, quod princeps alicui nuptias contra hanc legem indulſerit quaſi viuenti: poſterior, quod princeps alicui quaſi viuenti conceſſerit ius teſtandi contra hanc legem. Vtroque enim caſu, mortuo interea eo, cui Princeps id beneficium dederit, quaeri potuiſſe, an id et iam defuncto dediſſe aeſtimaretur? Carpit ideo Gothofredum I. B. D'ANTOINE (a), ſed argumentis leuiſſimis, et valde dilutis. Nam et legem Papiam in his capitibus tum iam abrogatam fuiſſe, et Principem potius leges tueri, quam quidquam contra eas indulgere debuiſſe, vrget. Quorum prius manifeſto falſum: poſterius ridiculum eſt, quum ipſa lex, vt ſupra vidimus, quaedam contra legem a Senatu, et poſtea a Principe, indulgeri permiſerit. Maneat itaque, quod recte ſcripſit IAC. GOTHOFREDVS, ſpeciem hic ponendam eſſe, quae pertineat ad Legem Iul. et Papiam. Sed quum commodius ea referri poſſit ad Legem caducariam, quam ad partem priorem de maritandis ordinibus, ſiquidem hic de effectu beneficii principis poſt mortem eius, qui illud impetrauerat, manente quaeritur: ſpeciem ita fingo. Titius orbus aditurus hereditatem opimam, praeuidebat, eam pro dimidia a fiſco occupatum iri, tanquam caducam. Petiit itaque a Principe ius liberorum, quod a Traiano, ſub quo Neratius Priſcus vixit, ſaepe fuiſſe datum, vel ex PLINII epiſtolis liquet. Interea, adita hereditate, ad plures abit Titius, eoque mortuo demum ſequitur principis reſcriptum, quo ei ius liberorum indulgetur. Quaeſtio itaque nata eſt, vtrum id beneficium et mortuo datum cenſeatur, adeoque pars caduca, quam Titius, ſi viueret, iure antiquo cepiſſet, ad eius heredes tranſmiſſa ſit, an ea ab aerario vel fiſco poſſit vindicari? Reſpondit Neratius ab heredibus conſultus, *non videri ſibi principem, quod ei quem viuere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe.* Quumque ratio huius interpretationis ſit coniectura et praeſumtio de Principis mente et voluntate, quod non videatur ille mortuo ius liberorum dare voluiſſe, eius vero voluntatis ſuae interpres optimus ipſe Princeps eſſe poſſit (b): recte addit Neratius: *Quem modum eſſe vellet beneficii ſui, ipſius aeſtimationem eſſe* Principis. Ita ego hanc legem capio, nec quidquam in ſpecie noſtra eſſe arbitror, quod vel ordini fragmentorum CELSI, vel eius argumento, de quo hoc libro egit, aduerſetur.

Superſunt verba: II CADVCA IVRE ANTIQVO CAPIVNTO. Caduca *Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop.* C c c ergo

(a) *Dans les regles du Droit ciuil, regl.* 191.

(b) L. 43. *pr. D. de vulg. et pupill. ſubſt.*

BIU Cujas

ergo ita capiebant hae personae, vt fisco anteferrentur, siue portio coheredis deficeret, siue legatarii. Generatim enim VLPIANVS (a): *Vi heredibus illis institutis*, QVOD QVIS EX TESTAMENTO NON CAPIT, *ad hos pertineat, aut totum, aut ex parte, prout pertinere posset.* Totum nimirum adcrescebat, si solus esset coheres, vel collegatarius coniunctus: ex parte, si plures essent, siue heredes siue collegatarii, quibus posset adcrescere. Quid vero si Titio, testatoris auo, Maeuio, extraneo et orbo, et Sempronio institutis, huius portio deficeret? Ea sane adcrescere debebat vtrique pro parte dimidia. Sed quia Maeuius non erat inter personas, quae ius antiquum in caducis habebant: dimidia illa non Titio, sed aerario vel fisco cedebat. Et id sibi volunt verba Vlpiani: *prout pertinere posset.* Hae autem personae non solum aerario, vel fisco praeferebantur, verum etiam in eo melioris, quam fiscus, erant conditionis, quod quum in hunc caduca cum onere transirent, adeoque is et legata praestaret, alioquin ab eo, cuius partem occupauerat, praestanda: personae contra illae non omnes eo onere premerentur. Sane de liberis diserte scribit CELSVS (b): *si filio heredi pars eius, a quo nominatim legatum est, adcrescit*, NON PRAESTABIT LEGATVM, *quod* (id est, quia) *iure antiquo capit.* Quale quid et IVLIANVS (c) habet, ad cuius verba tamen notat VLPIANVS, alio iure nos vti post constitutionem Seueri et Antonini, cuius mentio fit in L. 74. D. de legat. 1.

III. Immo ipsum hoc secundum legis caducariae caput non quidem antiquatum, sed minus necessarium factum est, lata constitutione IVSTINIANI de tollendis caducis. Postquam enim ille ius adcrescendi reuocauit in vsum, caduca non solum his personis, sed aliis quibuscumque coheredibus et coniunctis, etiam extraneis et orbis delata sunt, iisdemque etiamnum deferuntur.

(a) *Fragm. tit. XVIII.* §. 1.
(b) L. 29. §. *vlt.* D. *de leg.* 2.
(c) L. 61. §. 1. D. *de legat.* 2.

CAP.

BIU Cujas

* * * * * * * * * *

CAPVT IIII.

AD CAP. LEGIS TERTIUM.

DE HIS, QVAE PRO NON SCRIPTIS HABENTVR.

I. *Ex caducaria de diuersorum generum bonis egit. Alia pro non scriptis habita, alia in caussa caduci, alia caduca, alia ereptitia, alia vacantia. Capitis nostri sententia.* II. *Quae dicantur ab initio deficere. Legata relicta codicillis testamento non confirmatis. Legata denotandi caussa relicta. Captatoriae institutiones. Mutata testatoris voluntas. Pro non scriptis habita apud heredes manebant. Locus Plinii explicatus.*

I. HAec de personis, quibus ius antiquum circa caduca seruauerat lex Papia Poppaea: iam de ipsis bonis, de quibus lex eadem egit, disserendum. Horum quinque genera sunt. Quae enim ab initio deficiebant, pro NON SCRIPTIS habebantur: quae a tempore conditi testamenti ante mortem testatoris; IN CAVSSA CADVCI erant: quae post mortem testatoris ante apertas tabulas, CADVCA: quae tanquam indignis auferebantur, EREPTITIA: et denique vbi heres vel legatarius plane deerat, ea VACANTIA dicebantur.

De singulis ordine egit lex caducaria, et capite quidem tertio, ceu ex VLPIANI (a), TER. CLEMENTIS (b) et PAVLLI (c) fragmentis adparet, de iis, quae pro non scriptis habentur. Quid vero de his lege nostra cautum sit, accurate expressit IVSTINIANVS (d) cuius fide hoc exstruimus caput tertium:

> *Quae ab initio deficiunt, vel in quibus testator postea mutauerit voluntatem, ea pro non scriptis habentor, eaque ii, a quibus relicta sunt, iure antiquo capiunto.*

II. Pro non scriptis itaque sunt, QVAE AB INITIO DEFICIVNT, id est, iis legata, quorum in personis ab initio non consistunt. Talia primo

(a) VLP. *Lib. XIII. L. 4. D. de his, quae pro non script.*

(b) TER. CLEM. *Lib. XII. L. 21. D. de liberat. legat.*

(c) PAVLL. *Lib. V. L. 71. D. de her. inst. L. 88. D. de leg. 3. L. 6. de adim. vel transf. leg.*

(d) *L. vn. §. 2. 3. C. de caduc. toll.*

BIU Cujas

mo sunt, quae quis sibi ipse, vel ei, quem in potestate habet, adscripsit (a). Tantum enim abest, vt haec praestare cogatur is, a quo relicta sunt, vt legatarius iste falsi reus sit ex SCto Liboniano (b), nisi de iussu testatoris ex eius subnotatione constet (c). Deinde et ea deficere ab initio censentur, quae tam sunt obscura, vt intelligi nullo modo possint. *Quae enim non intelliguntur, quid significent, ea*, teste ALFENO VARO (d), *perinde sunt, ac si scripta non essent.* Et eo colore vsum arbitror Tiberium, dum Galbae legata, a Liuia relicta, praestare renuit. HS enim quingenties quum praecipuum inter legatarios habuisset, quia notata, non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta reuocante, ne haec quidem accepit, teste SVETONIO (e). Inde enim patet, paullo obscurius notatam fuisse summam, et quum incertum videretur, vtrum de quingenties HS, an de quingentis senserit testatrix, Tiberium id initio de minore summa interpretatum, postea autem id legatum tamquam obscurum habuisse pro non scripto, et sibi retinuisse. Multo magis itaque pro non scriptis sunt, quae inter se pugnant, veluti si contraria legatario vel heredi iniunxerit testator, siquidem eo casu neutrum ratum est (f).

Eadem porro erat conditio legatorum, relictorum iis, qui iam eo tempore non erant in rebus humanis, vti ad hoc caput nostrum VLPIANVS (g) notauit. Quumque et capitis deminutio maxima et media instar mortis sit: etiam, quod his relictum fuerat, pro non scripto habebatur, veluti quod relictum erat ei, *qui tunc in hostium potestate erat, quum testamentum fieret, quique ab hostibus non redierat*, quamuis post testatorem decessisset. Ita enim IVLIANVM sensisse, idem testatur VLPIANVS (h). Putares, id, tanquam quasi caducum vel caducum, potius a fisco occupandum esse, quia incapaci fuerit relictum. Sed consultissima huius decisionis ratio est. Ex lege enim Cornelia, qui in captiuitate moritur, eo momento, quo captus est, decessisse fingebatur, adeoque perinde erat, ac si ab initio legatum istud defecisset.

Sed et illa pro non scriptis erant, quae in eam caussam peruenerant, vnde incipere non possent: veluti si quid legatum esset seruo alieno, eumque postea testator redemisset (i). Ita enim legatum per hunc seruum adquisiuisset ipse heres, quod absonum est. Quae incapaci-

(a) L. 1. L. *vlt. D. de his quae pro non script.*
(b) L. 1. §. 7. L. 6. L. 14. *et sequ. ad* L. *Corn. de falsf.*
(c) L. 14. *pr.* L. 15. §. 1. *eod.*
(d) L. 2. *D. de his quae pro non script.*
(e) *Galb. cap.* 5.
(f) L. 188. *D. de Reg. iur.*
(g) VLP. *Lib. XIII.* L. 4. *pr. D. de his quae pro non script.*
(h) IBID. *d.* L. 4. §. 1. *eod.*
(i) L. 3. §. 2. *D. eod.*

BIU Cujas

pacibus erant destinata, ea palam relicta pro non scriptis erant (a), clam data a fisco eripiebantur, tamquam indignis (b). Praeterea pro non scriptis erant iure antiquo, quae relinquebantur codicillis testamento non confirmatis. Diserte enim PLINIVS (c): *Tu quidem pro cetera tua diligentia admones me, codicillos Aciliani, qui me ex parte instituit heredem, pro non scriptis habendos, quia non sint* CONFIRMATI TESTAMENTO. *Quod ius ne mihi quidem ignotum est, quum sit iis etiam notum, qui nihil aliud sciunt.* Quod et PAPINIANVS (d) confirmat. Sed ei iuri postea eatenus derogatum constitutione Seueri et Antonini, vt codicilli etiam testamento non confirmati rati sint, dum appareat, testatorem a voluntate, quam in codicillis expresserat, in testamento subsequuto non recessisse (e).

Non autem rata sunt legata turpia, et *quae* DENOTANDI *magis legatarii gratia scribuntur.* Ea enim pro non scriptis odio scribentis haberi, ait POMPONIVS (f). *Denotare* idem esse, ac notare infamia, egregie probauit v. A. CORN. VAN BYNKERSHOEK (g), eique notioni egregie quadrat exemplum PAVLLI (h): *si barbaro vel laruali habitu processeris, do lego.* Turpe enim ac prope infame visum esse Romanis, exuta toga, Graecum pallium, nedum habitum barbaricum sumere, vel e TERTVLLIANI libello de pallio satis adparet.

Denique et captatorias institutiones pro non scriptis esse habitas, satis constat: quamuis id ius non e lege Papia Poppaea, sed ex SCto esse, referant PAPINIANVS (i) et PAVLLVS (l), ex cuius loco vir summus, IVSTVS LIPSIVS, perperam colligit, legem nostram SCtum fuisse. Erant vero captatoriae institutiones, definiente PAPINIANO (m), *non, quae mutuis affectionibus iudicia prouocabant*, veluti, si qui me honorauit, eum ego in testamento meo heredem instituam, sed *quarum conditio conferebatur ad secretum alienae voluntatis.* Quae verba egregie interpretatus vir summus, CORN. VAN BYNKERSHOEK (n), illas institutiones omnes captatorias dictas esse docet, quae eo consilio factae, vt et alteri extorqueretur pars hereditatis. Vnde perinde erat, siue quis captionem in ipsum testatorem dirigeret, veluti: QVA EX PARTE TITIVS ME HEREDEM SCRIPTVM IN TABVLIS SVIS RECITAVERIT, EX EA PARTE HERES ESTO (o), siue in personam tertii, veluti:

(a) *d.* L. 3. *pr. eod.*
(b) L. 10. L. 23. *D. de his, quae vt indign.*
(c) *Lib. II. Ep.* 16.
(d) L. 5. *D. de iure codicill.*
(e) §. 1. *Inst. de codic.*
(f) L. 54. *pr. D. de leg.* 1.
(g) *Obs. Lib. I. Cap.* 2. *p.* 16.
(h) *Rec. Sent. Lib. III. tit.* 4. §. 11.
(i) L. 70. *D. de her. instit.*
(l) PAVLL. *Lib. V.* L. 71. *D. eod.*
(m) *d.* L. 70. *eod.*
(n) *De captat. instit. Cap.* 4. *seqq.*
(o) L. 1. *D. de his quae pro non script.*

BIU Cujas

veluti: TITIVS SI MAEVIVM TABVLIS TESTAMENTI SVI HEREDEM A SE SCRIPTVM OSTENDERIT, PROBAVERITQVE, HERES ESTO (a): vel, quas formulas vir, quem laudaui, illuſtris (b) adiungit: TITIVS, SI ME TABVLIS TESTAMENTI SVI HEREDEM A SE SCRIPTVM OSTENDERIT, PROBAVERITQVE, MAEVIVS HERES ESTO. Item: QVA EX PARTE TITIVS SEMPRONIVM HEREDEM SCRIPSERIT, EX EA PARTE MIHI MAEVIVS HERES ESTO. Omnes iſtae captatoriae inſtitutiones aeque, ac legata captatoria, (nam et haec non valuiſſe, CAIVS (c) teſtatur,) pro non ſcriptis habebantur ex SCto paullo ante laudato. Atque inde facile intelligitur, cur PAVLLVS (d) ad hoc caput tam accurate diſputet de inſtitutionibus captatoriis. Primo enim quaerit, an captatoria ſit inſtitutio, ſi quis ita heredem ſcripſerit: *qua ex parte Titius me heredem inſtituit, ex ea parte Maeuius heres eſto?* idque negat, *quia in praeteritum, non in futurum, inſtitutio conferatur.* Iam ſupra autem vidimus, non videri captare, qui eum, a quo honoratus ſit, remunerandi cauſſa heredem inſtituat. Deinde pergit: *Sed illud quaeri poteſt, an idem ſeruandum ſit, quod ſenatus cenſuit, etiamſi in aliam perſonam captionem direxerit, veluti, ſi ſcripſerit*: TITIVS SI MAEVIVM HEREDEM TABVLIS TESTAMENTI SVI HEREDEM A SE SCRIPTVM OSTENDERIT, PROBAVERITQVE, HERES ESTO? Et reſpondet; *Id in ſententiam SCti incidere, non eſt dubium.* Perinde enim eſſe diximus, ſiue in ipſum teſtatorem, ſiue in tertium captio directa eſſet. Dubia, quae hic morari lectorem poſſent, iam a viro laudatiſſimo ſublata ſunt.

Haec omnia pro non ſcriptis habentur, quia ab initio deficiunt. Sed eiuſdem generis ea etiam erant, IN QVIBVS TESTATOR VOLVNTATEM SVAM POSTEA MVTAVERAT. Ea voluntatis mutatio vel in tranſlatione vel in ademtione legati antea relicti conſiſtit. De tranſlatione accurate ad hoc caput diſputat PAVLLVS (e), vbi eam quatuor modis fieri docet, aut *a perſona in perſonam*, vt, ſi Titio legetur, quod Maeuio fuerat relictum: *aut ab eo, qui dare iuſſus erat, vt alius det, veluti*: FVNDVM, QVEM SEMPRONIO A MAEVIO LEGAVI, TITIVS DARE DAMNAS ESTO: *aut quum res pro re datur, vt pro fundo decem aurei: aut quum, quod pure legatum transfertur ſub conditione*, vt: STICHVM QVEM TITIAE LEGAVI, TVM HABETO, SI NVPSERIT. In omnibus his prius legatum adimitur, *quia nouiſſima voluntas ſeruatur.* Ita PAVLLVS diſtinguit, vt doceret, an legatum quocumque modo tranſlatum pro non ſcripto habeatur?

(a) L. 71. *pr. D. de her. inſtit.*
(b) BYNKERSH. *ibid. cap.* 7.
(c) L. 64. *D. de legat.* 1.
(d) PAVLL. *Lib. V. d.* L. 71. *D. de her. inſt.*
(e) PAVLL. *Lib. V.* L. 6. *pr. D. de adim. vel transf. leg.*

BIU Cujas

beatur? Reſponſio non difficilis videtur. Pro non ſcripto habetur legatum prius, quia id, vti diximus, ademtum videtur. Hinc, *ſi id quod a Titio dederam, a Maeuio dem, quamuis eſſe ſoleant duo eiuſdem rei debitores, tamen verum eſt, hoc caſu ademtum eſſe legatum, quaſi dixerim, ne Titius det* (a). Ex quo conſequitur, vt quod de Titio antea praeceperam, pro non ſcripto habeatur. Ita et, *ſi pro fundo decem legentur, verius eſt, prius legatum ademtum*, adeoque eatenus pro non ſcripto eſſe (b). Aſt non ſemper legatum huiuſmodi pro non ſcripto erat eo ſenſu, vt penes heredem maneret. Nam ſi ſcripſerim: *fundum quem Titio legaueram, Maeuio do lego*, nihil manet apud heredem, quamuis priori legatum ademtum ſit. Nec fundus apud heredem manet, ſi eum primum Titio pure, ac poſtea ſub conditione legauerim, eaque conditio exſtiterit. Si autem centum, quos a Sempronio legaueram, poſtea legem a Iauoleno, centum penes Sempronium manent, idemque contingit, ſi pro fundo decem legem, ſiquidem et tunc fundum retinet heres. Haec eſt mens PAVLLI, dum de tranſlatione legatorum agit.

Nec dubium eſt, quin et ademto legato intelligatur mutata voluntas: ſiue ipſo iure, ſiue per modum exceptionis, ſiue verbis expreſſis, ſiue tacite ademtum dicatur. Et poſtremum hunc adimendi modum exemplis quam plurimis illuſtrant iureconſulti. Nam ſi rem legatam teſtator deſtruxerit (c), vel ſi eamdem in aliam formam mutauerit, ita, vt ad priorem ſpeciem reduci nequeat, nullum dubium eſt, quin mutata ſit teſtatoris voluntas, eoque pertinet PAVLLI (d) noſtri fragmentum, quo *lana legata, veſtem inde confectam; materia legata, nauem armariumue ex ea factum; naue* denique *legata*, eaque *diſſoluta, materiam* aliamue nouam *nauem deberi* negat. Ea enim omnia ita comparata ſunt, ut ad priſtinam ſpeciem reduci nequeant, quum contra, *maſſa legata, ſcyphi inde facti* recte et iure *exigantur*, quia facile ſoluuntur in maſſam priorem. Eadem ademtio inde colligitur, ſi teſtator rem legatam, nulla vrgente neceſſitate, diſtraxerit (e), vel ſi nomen, quod legauerat, exegerit (f), vel ſi aedes, quas Titio legauerat, eidem viuus coëmerit, et quae ſunt alia huius generis facta: qualia complura et TER. CLEMENS (g) ad hoc caput recenſet. Nam ſi mille, quos mihi debebat Titius, vel ipſi, vel Sempronio legauerim, aſt eoſdem poſtea vel a Titio ſolutos acceperim, vel ei acceptos tulerim: legatum prius pro non ſcripto

(a) IBID. §. 1.
(b) IBID. §. 2.
(c) L. 65. §. 2. *D. de legat.* 1.
(d) PAVLL. *Lib. V.* L. 88. *D. de legat.* 3.
(e) §. 12. *Inſt. de legat.*
(f) §. 21. *eod.*
(g) TER. CLEM. *Lib. XII.* L. 21. *D. de liber. legat.*

BIU Cujas

pto erit, quia mutasse videor voluntatem. Ex quo porro infert TERENTIVS: *Vnde* IVLIANO *placuit, et si debitori heres exstiterit creditor, posteaque ipse creditor decesserit, legatum exstingui: et hoc verum est, quia confusione perinde exstinguitur obligatio, ac solutione.* Hinc si Titius debitori suo Sempronio legauerit liberationem, Sempronius autem Titium heredem instituerit, isque etiam mortuo Sempronio hereditatem adierit: statim perimitur obligatio per confusionem. Quid si ergo et Titius decesserit: an tunc vtile erit legatum liberationis, quod in testamento eius exstat? Minime; quia confusione et haec obligatio pridem exstincta est. Similis est tertia species a TERENTIO exposita. Titius legauerat Sempronio liberationem, sub conditione, si nauis ex Asia rediisset. Heres id legatum Sempronio interuertere cupiens, debitum exigit. Expuncto nomine, nauis redit ex Asia: exstinctumne censebitur legatum? Negat id TERENTIVS, *quia in arbitrio heredis esse non debeat, vt quandoque conditione exsistente, neque ipsi legatario debeatur legatum, si tum viuat, et capere possit, neque ei, ad quem hoc commodum peruenerit, si legatarius capere non possit.* Sensus est, absurdum esse, conditionem ab herede occupari, eoque effici, vt exsistente conditione nec legatarius legatum capiat, nec ad eum perueniat id commodum, ad quem peruenire debeat, si legatarius capere non possit. Ast quis ille ad quem tunc istud commodum deberet peruenire? Respondet glossa: *si legatum relictum alii sub hac conditione, si legatarius capere non possit: vel dic forsan, coniuncto vel substituto.* Immo tu potius intelige fiscum vel aerarium, cui legata incapacibus relicta cedebant. Absurdum enim esse ait ICtus, in arbitrio heredis esse, vel legatario interuertere legatum, vel fisco, cui id vindicaretur, si legatarius esset incapax.

Et de his quidem omnibus lex nostra cauit, vt PRO NON SCRIPTIS HABERENTVR, quae verba ita interpretatur IVLIANVS (a), quod *perinde habeantur, ac si inserta testamento non fuissent.* Quemadmodum ergo legatum, si testamento insertum non esset, apud eum, a quo relictum fuerat, permaneret: ita et pro non scriptis habita non occupantur ab aerario vel fisco, sed EA ILLI, A QVIBVS RELICTA SVNT, IVRE ANTIQVO RETINENT. Et inde est quod PLINIVS (b) codicillos Aciliani, testamento non confirmatos, et pro non scriptis habendos seruaturus, eam etiam consilii sui reddat rationem: *praesertim quum* DELATORI *locus non sit. Nam si verendum esset, ne, quod ego dedissem,* POPVLVS *eriperet, cunctatior forte et cautior esse deberem. Quum vero licent*

(a) L. 1. D. *de his, quae pro non script.* (b) *Lib. II. Epist. 16.*

BIU Cujas

liceat heredi donare, QVOD IN HEREDITATE SVBSEDIT, *nihil est, quod obstet illi meae legi, cui publicae leges* (caducariae) *non repugnant.* Quemadmodum deinde, si nihil in testamento de hoc legato scriptum fuisset, nec onus aliquod incubuisset heredi: ita inde consequitur, vt et pro non scriptis habita sine onere in hereditate subsideant. Paucissimis tamen casibus et cum onere apud heredem remanet huiusmodi legatum, veluti, si quis sibi aliquid, quod alii restituere a testatore iussus erat, adscripserit (a), si miles legauerit, quod pro non scripto habetur (b), si incapaci legatus fuerit seruus cum onere fideicommissae libertatis (c). Fauore enim libertatis inualuit, vt et heres, apud quem seruus remanet, eum manumittere teneatur ex fideicommisso.

Et hoc quidem ius etiamnum obtinet, illudque, *quasi antiquae beneuolentiae consentaneum, et naturali ratione subnixum intactum illibatumque custodire praecepit* IVSTINIANVS (d), *in omne aeuum*, vti ominatur, *valiturum.* Id modo obseruandum, reuocato in vsum iure adcrescendi, non semper hodie pro non scriptis habita apud heredes eosue, a quibus relicta sunt, subsidere, sed his aliquando substitutum, aliquando coniunctum collegatarium praeferri.

(a) L. 5. *D. eod.*
(b) *d.* L. 5. *fin. D. eod.*
(c) L. 26. §. 6. *D. de fideic. lib.*
(d) L. *vn.* §. 3. *C. de caduc. toll.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT V.

AD CAPVT LEGIS QVARTVM,

DE CAVSSA CADVCI.

I. CAput quartum egit *de bonis, quae erant* IN CAVSSA CADVCI. *Eius sententia.* II. *Id caput omnes tenebat, praeter principem. An et Augusta legibus soluta? Caussa quid hic significet? Caussa testamenti, caussa pignoris, caussa bonorum, caussa caduci. In caussa caduci erat, quod relictum ei, qui post conditum testamentum viuo testatore decesserat. Nec non cuius conditio viuo testatore deficiebat. Vsusfructus repetitus.* Lex 23. D. de vsufr. leg. *vindicata et exposita. Quae* Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Pop.

BIU Cujas

in cauſſa caduci erant, aerarium vindicabat. Poſtremis temporibus fiſcus quaſi caduca occupabat. An iam Hadriani temporibus ? Emblemata Triboniani in L. 20. D. de hered. petit. *et* L. 96. D. de legat. I. III. *Ius nouum.*

I. HActenus de bonis, quae pro non ſcriptis habentur : proxima ſunt, quae olim IN CAVSSA CADVCI erant, de quibus capite ſequente actum eſſe vel inde patet, quod de eo iure adhuc libro XIII. diſſerit VLPIANVS (a) libro X. CAIVS (b), quum tamen inſequentibus libris tribus idem iam de caducis agat. Sententiam vero capitis nobis ſuggerit IVSTINIANVS. *L. vn.* §. 4. *C. de caduc. toll.* ex qua ita illud concipimus :

Si quicumque hominum heres legatariuſue viuo teſtatore poſt teſtamentum conditum decedat, conditioue deficiat, relictum in cauſſa caduci eſto, et populo, quaſi caducum defertor.

II. Primo, vt ne quis ſe ab hac lege exemtum putaret, his verbis vſi videntur legislatores : SI QVICVMQVE HOMINVM HERES LEGATARIVSVE. Vocabulum enim HOMO ad hoc caput interpretatus eſt CAIVS (c), vt, quin illud legitimum fuerit, dubitari nequeat. Quum enim in pleriſque legibus poenalibus melior eſſet ſexus feminini, quam maſculini, conditio, ipſaque lex Papia Poppaea cum iis aliquando benignius, aliquando paullo durius egerit : ad hoc caput monendum duxit CAIVS, *hominis adpellatione tam feminam, quam maſculum, contineri.* Ne quis porro et principem hominis adpellatione hic contineri putaret: eum diſerte exemit, legibuſque caducariis ſolutum fuiſſe docet VLPIANVS (d), dum ad hoc ipſum caput ſcribit : *Princeps legibus ſolutus eſt.* Quamuis enim in dubium vocare nolim ἀνυπεύθυνον principum imperium: id tamen ex hoc textu, qui de ſolis legibus caducariis agit, non probatur. Initio enim ſtatus monarchici principes multis libertatis ſimulacris deliniebant ciues, ſeque legibus omnibus, aeque ac alios ciues, teneri fingebant. Si tamen ſua intereſſe putarent, legi non parere, facile impetrabant a Senatu, ſibi plane obnoxio, vt lege ſoluerentur. Ita lege Cincia Augu-

(a) VLP. *Lib. XIII.* L. 59. *D. de cond. et demonſtr.*

(b) CAIVS *Lib. X.* L. 152. *D. de verb. ſign.*

(c) CAI. *Lib. X. d.* L. 152. *D. de verb. ſign.*

(d) VLP. *Lib. XIII.* L. 31. *D. de legib.*

BIU Cujas

Augustus; his ipsis legibus caducariis Caius Caligula, teste DIONE CASSIO (a), soluebatur. Quo semel facto, successoribus plerumque idem honor, qui antecessoribus habitus fuerat, decernebatur, puta *vt quibus legibus scriptum fuerit, ne diuus Augustus, Tiberiusue aut Claudius tenerentur, iis legibus et successores soluti essent*, ceu ex notabili illo SCto in honorem Vespasiani facto adparet (b). Hinc minime videbitur mirandum, etiam Seuerum, Caracallam, Alexandrum, sub quibus Vlpianus vixit, non ipsa vi imperii, sed Senatus beneficio se legibus solutos profiteri voluisse, quum et ciuilis esset ea professio, et tantumdem iuris illis daret lege solutio, quantum sibi alii principes ex aliis principiis solent arrogare. Vt autem ad Vlpianum reuertamur, postquam ille de augusto principum priuilegio dixit, etiam de Augusta quaerit, an legibus, caducariis puta, soluta sit? respondetque: *Augusta autem licet legibus soluta non est: principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quae ipsi habent.* Mira videri posset haec VLPIANI decisio. Siccine enim princeps, ipse soluendus legibus, Augustam soluere poterat? Siccine priuilegium, quo ipse alieno beneficio fruebatur, vxori impertiebatur? Sane olim id se non posse existimabant principes, quamdiu libertatis vmbra oculis ciuium obiicienda videbatur. Ast vbi Romani principem ferre didicerant: non amplius Augustae opus esse existimabant indulgentia senatus, sed fingebant, principem semel legibus a senatu solutum, soluere etiam posse augustam, quia ei et in eum omne ius suum populus lege regia detulerit. Hinc quum olim Liuiam non Augustus, sed senatus, teste DIONE, legibus quibusdam soluisset: postea ipsi principes eadem Augustis vxoribus priuilegia tribuebant, quae ipsi habebant.

Enimuero, si Augustae eodem priuilegio, quo ipsi principes, perfruebantur: quid, quaeso, sibi vult IVNIVS MAVRICIANVS (c), dum ita ad legem nostram differit: *si augustae legaueris, et ea inter homines esse desierit: deficit, quod ei relictum est, sicuti* D. HADRIANVS *in Plotinae, et proxime Imperator in Faustinae Augustae persona constituit, quum ea ante inter homines esse desiit, quam testator decederet?* Ex his verbis vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS (d), colligit, augustam his legibus non fuisse solutam. Sed praeterquam, quod iam vidimus, VLPIANVM aliud sentire, lex quoque nostra non quaerit, an Augu-

(a) *Lib. LVIIII. pag.* 747.
(b) GRVTER. *Inscr. pag.* 242.
(c) MAVRICIAN. *Lib. II. L.* 51. *D. de legat.* 2.
(d) *Comment. ad* L. *Iul. et Pap. pag.* 344.

BIU Cujas

ſta caduci vel quaſi caduci capax, adeoque legibus caducariis ſoluta ſit? ſed an, quod ipſi relictum, in cauſſa caduci ſit, ſi ante teſtatorem decedat? Legatum fuerat Plotinae et Fauſtinae: iis ante teſtatores mortuis, earum collegatarii portiones iure adcreſcendi exigebant: negabat fiſcus, legatum illis deberi, quod in cauſſa caduci ſit: illi ſe non priuatarum, ſed Auguſtarum collegatarios eſſe vrgebant: re ad Hadrianum et Antoninum delata, vterque pro fiſco reſpondit, non quod Auguſtam, ſed quod Auguſtae collegatarios his legibus ſolutos negarent. Contra ea ſi fingamus, Fauſtinae et Titio coniunctim relictum fuiſſe fundum Cornelianum, et hunc ante teſtatorem deceſſiſſe: eius pars ſane in cauſſa caduci fuiſſet ſecundum leges; ſed Fauſtina fiſco procul dubio fuiſſet praelata, quia *Auguſta, licet legibus ſoluta non eſt, principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quae ipſi habent* (a).

Antequam autem, quae in cauſſa caduci fuerint, explanemus: paucis ipſum hoc vocabulum erit interpretandum. IN CAVSSA CADVCI idem eſt, ac *quaſi caducum*. CADVCVM proprie erat, quod poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas deficiebat. Quae definitio quum non quadraret iis, quae ante teſtatoris mortem deficerent, et ea tamen aeque aerario vel fiſco vindicarentur: ea non niſi ἀναλόγως caduca vocari poſſe legiſlatores animaduertebant, atque hinc QVASI CADVCA, vel elegantius, IN CAVSSA CADVCI eſſe dicebant. *In cauſſa* enim ſaepe pereleganter pro *quaſi* ponitur in iure noſtro. Sic VLPIANVS (b): *hoc interdictum* (de tabulis exhibendis,) *pertinet non tantum ad teſtamenti tabulas, verum ad omnia, quae ad* CAVSSAM TESTAMENTI *pertinent, vt puta et ad codicillos, pertinet.* Vbi codicilli *ad cauſſam teſtamenti* pertinere, id eſt, quaſi teſtamenta eſſe dicuntur. Alio loco PAPINIANVS (c) legatarios *pignoris cauſſam*, id eſt, *quaſi pignus*, quippe non per conuentionem, ſed per legem conſtitutum, habere ſcribit. Sed et iterum VLPIANVS (d), vbi quaerit, an, ſi teſtamento manumiſſus, hereditate nondum adita, rem teſtatori oppignoratam ſurripuiſſe dicatur, actio ex edicto locum habeat? Reſpondet, eam locum habere: *plenius enim* CAVSSAM BONORVM *hic accipi pro vtilitate*: quaſi dicat, pignus quidem non in bonis eſſe, ſed tamen *quaſi in bonis*, quia heredibus praeſtet vtilitatem, eorumque interſit, illud non fuiſſe ſurreptum. Eodem itaque ſenſu et bona quaedam IN CAVSSA CADVCI, id eſt, *quaſi caduca* eſſe dicuntur.

Quae-

(a) *d.* L. 31. D. *de Legib.*
(b) L. 1. §. 2. D. *de tab. exhib.*
(c) L. 4. §. 1. D. *de ſeparat.*
(d) L. 1. §. 10. D. *ſi is, qui teſtam. lib.*

BIU Cujas

Quaenam autem? Lex noſtra duo *quaſi caducorum* genera complectitur. De priore: SI VIVO, inquit, TESTATORE POST TESTAMENTVM CONDITVM HERES LEGATARIVSVE DECEDAT. Heredem itaque vel legatarium deceſſiſſe oportebat VIVO TESTATORE: quia, ſi eo iam extincto ante apertas tabulas deceſſiſſet, legatum vere caducum habebatur (a). Additur: POST TESTAMENTVM CONDITVM. Nam ſi heres vel legatarius iam eo tempore, quo teſtamentum fiebat, inter mortales eſſe deſierat: legatum, ceu ſuperiore capite iam obſeruauimus, pro non ſcripto erat (b). Nihil autem intererat inter HEREDEM et LEGATARIVM: quia ſublato iure adcreſcendi, pars ſiue hereditatis, ſiue legati, nec in hereditate ſubſidebat, nec accreſcebat coheredibus vel collegatariis, ſed ab aerario, vel poſtea a fiſco occupabatur. Ex quo ſimul intelligitur, ei iuri tunc tantum fuiſſe locum, ſi pluribus inſtitutis heredibus, vnus deficeret. Nam ſi vnus, ex aſſe ſcriptus, ante teſtatorem deceſſerat, teſtamentum quidem erat deſtitutum, ſed excluſo aerario vel fiſco res ad cauſſam inteſtati redibat (c).

Alterum quaſi caducorum genus his verbis in lege noſtra exprimitur: CONDITIOVE DEFICIAT, vbi ἀπὸ τῆς κοινῆς repetenda verba priora: *viuo teſtatore poſt teſtamentum conditum.* Si enim conditio, vt legatarius, ante euentum conditionis poſt teſtatoris mortem, deficeret: legatum non erat in cauſſa caduci, ſed proprie caducum (d). Deficiebat autem conditio, non ſolum, ſi aliquid, quod conditioni aduerſaretur, eueniret, veluti, ſi nauis ex Aſia reditura viuo teſtatore periiſſet, et ab eo tamen euentu ſuſpenſa eſſet heredis inſtitutio, (quo caſu pro vno legato haberi monet CELSVS (e), ſi vel alternatiue res diuerſae, vel res eaedem ſub conditionibus contrariis, vel a diuerſis perſonis legentur,) verum etiam, ſi quid in perſona legatarii contingeret, quod ipſum conditionem adimplere prohiberet, veluti ſi ante conditionis euentum diem ſupremum obiret. Quo pertinent illa VLPIANI: *Intercidit legatum, ſi ea perſona deceſſerit, cui legatum eſt ſub conditione.* Quid vero ſi inſtitutus non deceſſerit, ſed in inſulam fuerit deportatus? Tunc idem VLPIANVS (f) magis pendere ait conditionem, quam deficere, quia ſpes reſtitutionis ſupereſſet. Aſt ſi ea poena in illum ſtatuta fuerit, quae irrogat ſeruitutem, legatum exſtingui concedit, quia

(a) VLP. *tit. XVII.* §. 1.
(b) L. 4. *D. de his, quae pro non ſcript.*
(c) VLP. *tit. XXVI.* §. 5.
(d) L. *vn.* §. 7. *C. de caduc. toll.*
(e) VLP. *Lib. XIII.* L. 59. *pr. D. de cond. et demonſtr.*
(f) *ibid.* §. 1.

BIU Cujas

ſeruitus morti adſimiletur (a). Singulare quid obſeruatur in legato vſufructu: ſi repetatur. Repeti autem dicitur vſusfructus, quum teſtator ei, cui vſumfructum legauit, eidem relegat, in eum euentum, ſi amiſſus fuerit. Idque fit vel palam, his verbis: QVVM AMISSVS FVERIT, vel QVOTIES AMISSVS ERIT, vel tacite, quum teſtator ad tempus vitae, vel in certos annos, legauit (b). Quum itaque huiuſmodi legatum non pro vno, ſed pro multis habeatur, quorum dies per ſingula tempora cedit (c): non abs re inde collegerunt veteres, quotieſcumque legatarius, capite minutus, vſumfructum amiſerit, illum repeti poſſe, ſiue tacite ita legatus ſit, ſiue palam: quamuis hoc poſterius, tanquam iuri publico aduerſum, aegrius, et diu poſt Antonini conſtitutionem admitteretur. Quare ſiue teſtator ſcripſiſſet: TITIO VSVMFRVCTVM, QVOTIES AMISSVS ERIT, DO LEGO: ſiue TITIO VSVMFRVCTVM, QVOAD VIXERIT, DO LEGO: vſufructuarius capite minutus priorem quidem vſumfructum amiſiſſe intelligebatur, ſed nouum tamen ſimul reſumebat (d).

Et hoc ius ad hoc caput noſtrum tractauit IVNIVS MAVRICIANVS, (e) quamuis eius fragmentum crucem quodammodo figat iureconſultis. Vulgo ita legitur, etiam Florentiae: *licet teſtatori repetere legatum vſusfructus, vt etiam poſt capitis deminutionem deberetur, et hoc nuper Imperator Antoninus ad libellum reſcripſit, tunc tantum eſſe huic conſtitutioni locum, quum in annos ſingulos relegaretur.* Sed *id falſum eſt*, inquit vir ſummus, IAC. CVIACIVS (f), *Vlpianus enim et Marcianus diſerte docent, et palam et tacite repeti poſſe vſumfructum* (g). Quin Mauricianus ſecum ipſe pugnat. Quum enim initio ſcribat: Licet teſtatori repetere legatum vſusfructus, VT ETIAM POST CAPITIS DEMINVTIONEM DEBERETVR, (quod idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet, licere teſtatori, vſusfructus legatum palam repetere:) ſtatim pergit, ex conſtitutione Antonini, tacite tantum repeti poſſe. Quomodo vero licebit palam repetere, ſi tacite tantum licet? Quum itaque haec manifeſto inter ſe pugnare videantur: HALOANDER et RVSSARDVS pro *tunc tantum* reſcribunt *tunc tamen*, quae medicina tamen parum opis adfert. CVIACIVS legi iubet *nec tantum*, eumque plerique ſequuntur: quum tamen paullo violentior ſemper criticis viſa ſit emendatio, quae nullius inni-

xa

(a) *Ibid.* §. 2.
(b) L. 2. L. 3. *quib. mod. vſusfr. amitt.*
(c) L. 1. *D. quando dies vſusfr. leg. ced.*
(d) L. 3. §. 2. *D. quib. mod. vſusfr. amitt.*
(e) MAVRICIAN. *Lib. II.* L. 23. *D. de vſufr. leg.*
(f) *Obſ. Lib. XIIII. cap.* 17.
(g) L. 1. §. *vlt.* L. 2. §. 1. *D. quib. mod. vſusfr. amitt.*

BIU Cujas

xa codicis auctoritate, textui infarcit particulam ſalutarem *non*, vel *nec*. Ex mea ſententia ſanus eſt MAVRICIANI textus, nec auctorem ſecum pugnare puto, dummodo recte intelligatur. *Licet*, inquit, *teſtatori repetere legatum vſusfructus*, eo effectu, *vt etiam poſt capitis deminutionem deberetur*. Non itaque haec verba modum repetendi innuunt, quaſi palam hac formula legatum vſusfructus repetere liceret, ſed effectum, vt repetitum etiam poſt capitis deminutionem debeatur. Pergit MAVRICIANVS : *et hoc*, (puta, quod vſusfructus repetitus etiam poſt capitis deminutionem debeatur,) *nuper Imperator Antoninus ad libellum reſcripſit, tunc tantum conſtitutioni locum eſſe*, ſi non expreſſe et palam in fraudem legum repetatur, ſed tacite, id eſt, *quum in annos ſingulos relegaretur*. Ita MAVRICIANVS ſecum non pugnat. Aſt pugnat tamen cum VLPIANO. Quaſi vero pugna ſit inter aeui diuerſi iureconſultos, et eam Antonini Pii conſtitutionem, cuius MAVRICIANVS meminit, mutare non potuerint Principes inſequentes. Quod Antonini aetate prohibitum adhuc erat, id ſane facile poſtea vel nouis principum conſtitutionibus, vel tacite inualeſcente contraria conſuetudine, permitti potuit.

His caſibus bona in cauſſa caduci erant. De iis vero cautum fuerat lege noſtra, vt QVASI CADVCA POPVLO DEFERRENTVR. Conſultum Auguſtus voluerat aerario, et hinc quaſi caduca populo, cuius aerarium erat, deferri iuſſerat. Aerarium temporibus ſaltim Auguſti caduca omnia occupaſſe, teſtis eſt TACITVS (a), qui Auguſtum refert ſanxiſſe, *vt ſi a priuilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium*, POPVLVS, *vacantia teneret*. Idem obtinuiſſe ſub Traiano et Hadriano, docent PLINIVS (b), MAVRICIANVS (c) et PAVLLVS (d), qui aliquoties mentionem faciunt bonorum, quae quis capere nequeat, ad aerarium delatorum. Primus, quae antea aerario inferebantur, fiſco addixerat Antoninus Caracalla, de quo VLPIANVS (e) : *Hodie ex conſtitutione* IMP. ANTONINI *omnia caduca* FISCO *vindicantur, ſed ſeruato iure antiquo liberis et parentibus*. Nec eſt, quod vel fidem VLPIANO abrogemus, vel eius textum cum CVIACIO ideo ſollicitemus, quod iam IVLIANVS (f) Hadriani temporibus fiſco ceſſiſſe caduca teſtetur. Tribonianum enim, eiuſue ſocios, ex inſtituto ſuo, pro aerario ibi fiſcum repoſuiſſe, vel inde patet, quod aliquando, vno loco praeteruiſo, alterum

(a) *Ann. Lib. III. cap. 25.*
(b) *Lib. II. Epiſt. 16. Lib. IIII. Epiſt. 12. et Paneg. cap. 42.*
(c) *L. 15. §. 1. 3. D. de iur. fiſci.*
(d) *L. 13. princ. D. eod.*
(e) *Fragm. tit. XVII. §. 11.*
(f) *L. 20. §. 6. D. de her. petit. L. 96. §. 1. D. de legat. 1.*

BIU Cujas

terum mutauerint, aliquando in eadem paene periodo et aerarium reliquerint, et fiscum reposuerint pro aerario. Sic in *L. 13. pr. D. de iure fisc.* legimus, *Edicto D. Traiani, quod proposui, significatur, vt, si quis, antequam causſa eius ad* AERARIVM *deferatur, professus esset, eam rem, quam possideret, capere sibi non licere, ex ea partem* FISCO *inferret, partem ipse retineret.* Ea manum Triboniani produnt, quae priore colo vocabulo AERARIVM pepercit, posteriore, illo expuncto, rescripsit: FISCVM. An vero dubitemus, quin idem in textibus VLPIANI factum sit?

III. Hactenus de ipso capite legis nostrae. Id autem mutationem aliquam sub Nerone passum est, SCto, (si recte vidit MERILLIVS (a) Trebelliano, quod legata et fideicommissa, quae viuo testatore deficiant, apud eos, a quibus relicta erant, manere voluit (b). Deinde idem caput vna spongia deleuit IVSTINIANVS (c), dum ea omnia, quae olim in causſa caduci esse dicebantur, aeque ac pro non scriptis habita, apud eos manere voluit, a quibus relicta fuerant, vel apud eos qui fideicommisso erant grauati, nisi et in hunc casum eos vel substitutus vel coniunctus antecederet. Addidit etiam, vt his omnibus ea portio accresceret cum onere, siue illud in faciendo dandoue, siue in modo, siue in conditione consisteret. Quo iure etiamnum vtimur.

(a) *Obseru. Lib. VII. cap. 22.*
(b) *L. 26. D. de her. instit. L. 60. D. de legat. 2.*
(c) *L. vn. §. 4. C. de caduc. toll.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT VI.

AD CAPITA V. VI. ET VII.

DE CADVCIS.

I. *Sequitur doctrina de caducis. De iis non vnum, sed tria capita in hac lege exstitisse, probatur. Eorum sententia profertur.* II. *Caduca erant, quae mortuo testatore ante apertas tabulas deficiebant. Non tamen si deficeret heres ex asse.* L. 68. D. de her. inst. *explicata. Tabulae quando dicerentur apertae? Pereger factus quis videatur? Peregri, peregrem, peregre.* L. 81. D. de adqu. vel omitt. her.

BIU Cujas

her. *et* L. 49. D. de legat. 2. *expoſitae.* III. *Caelibi vel alii incapaci relictum caducum fiebat. An et quod Latino Iuniano relictum? Seruo hereditario inſtituto ex cuius perſona aeſtimata capacitas?* L. 55. D. de legat. 2. *explicata. Quibus caſibus haec fiſcus ceperit?* IIII. *Ob conditionem deficientem id, quod relictum erat, caducum fiebat. An conditio heredi adſcripta ad ſubſtitutum quoque pertineat?* V. *Ius nouum.*

I. TErtium bonorum genus, de quo lege caducaria cautum fuerat, ſunt CADVCA κυρίως dicta, id eſt, quae mortuo teſtatore ante apertas tabulas deficiunt. De his permulta exſtant VLPIANI, TER. CLEMENTIS, PAVLLI et CAII fragmenta, ex quibus manifeſtum eſt, caput de quaſi caducis proxime excepiſſe doctrinam de caducis. Non autem vnum cum ſuperiori hoc fuiſſe caput, vel ex eo adparet, quod de quaſi caducis a CAIO actum *libro* X, *de caducis libro* XI. XII. *et* XIII, ex quo librorum numero ſimul colligimus, totidem fuiſſe de caducis capita, maxime, quum de aliis caducis libro XI. de aliis, ſequentibus agat. Quamobrem ductu VLPIANI (a) et IVSTINIANI (b) tria illa capita ita concipimus:

CAP. V. *Si heres pro parte, legatariuſue, quibus pure vel in certum diem hereditas legatumue relictum erit, poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas teſtamenti decedet, vel pereger fiet, ea hereditatis pars legatumue caduca ſunto, populoque deferuntor.*

CAP. VI. *Siue caelibi, vel alteri cuiuis, plus, quam ex H. L. licebit, relictum erit, et id caducum eſto, populoque vindicator.*

CAP. VII. *Siue heres legatariuſue poſt mortem teſtatoris ante euentum conditionis deficiat, hereditas legatumue caduca ſunto, populoque deferuntor.*

II. Primum itaque caſum, quo hereditas legataue caduca fiebant, ita expreſſimus: SI HERES PRO PARTE LEGATARIVSVE, QVIBVS PVRE, VEL IN DIEM CERTVM HEREDITAS LEGATVMVE RELICTVM ERIT, POST MORTEM TESTATORIS DECEDET, VEL PEREGER FIET. Intelligenda lex DE HERede PRO PARTE. Nam ex aſſe inſtitutus non ſolum, quandocumque vellet, hereditatem recte adibat, ſed et, ſi ante aditionem deficeret, eam hereditatem non ad fiſcum, ſed ad here-

(a) *Fragm. tit. XVII.* (b) *L. vn. §. 2. C. de caduc. toll.*

BIU Cujas

des ab inteſtato deuoluebat (a). Hinc PAVLLVS (b) ad hoc caput eleganter quaerit, *quum ſolus ſeruus heres inſtitutus ſit, an ſicut licet vno tempore omnium dominorum iuſſu adire hereditatem, ita et ſeparatis temporibus ſingulorum iuſſu recte adeat* ? Species belliſſima, et cuius occaſione quaeſtionem non vnam tractaſſe videtur iureconſultus. Titius Stichum, communem Iauoleni, Caii et Maeuii ſeruum heredem ex aſſe inſtituerat. Non poterat Stichus, niſi dominorum iuſſu, adire. Iubebat Iauolenus: Caius et Maeuius ſibi amplius deliberandum putabant. Sticho itaque iuſſu Iauoleni hereditatem non totam, ſed pro parte adeunte, quaeſtio incidebat, an ea aditio pro parte rata ſit, et an is poſtea et Caii et Maeuii iuſſu reliquas hereditatis partes ſeparatim adire queat? Adfirmabat id PAVLLVS, addita ratione: *Nam quia ſeruus ſaepius adit, non ex teſtamento, ſed ex* IVRE DOMINORVM *venire vtilitatis cauſſa videtur, ne alterius feſtinatione alterius ius laedi videatur.* Hinc perinde erat, ac ſi non vnus ex aſſe, ſed ſinguli Stichi domini pro parte dominii inſtituti fuiſſent. Ex eo altera naſci poterat quaeſtio, quae praecipue ad hoc caput pertinet, et a Triboniano videtur omiſſa, an Caio et Maeuio ante apertas tabulas exſtinctis caducae eorum portiones eſſent, et a fiſco vindicarentur? Quamuis vero hic nihil lex definiat, et ex eodem principio, quod ſeruus non tam ex teſtamento quam ex dominorum iure veniat, conſequi videatur, vt partes illae tanquam deficientes fiſco cedant: benigniorem tamen ſententiam praeualuiſſe putauerim, partim quod portio nulla vere deficeret, deficiente non herede, ſed heredis domino: partim quod iſtud principium *vtilitatis tantum cauſſa, et ne alterius feſtinatione alterius ius laederetur*, receptum, in odium coheredum non erat detorquendum.

Lex itaque ad ſolos pro parte inſtitutos heredes, nec non ad LEGATARIOS pertinebat, ſiue HEREDITAS LEGATVMVE iis PVRE, ſiue IN DIEM CERTVM RELICTVM eſſet, modo POST MORTEM TESTATORIS ANTE APERTAS TABVLAS DECESSISSENT. *Heres* enim tunc nihil transmittebat, quia nondum adire potuerat: nec *legatarius*, quia dies legatorum pure vel in diem certum relictorum demum ab apertis tabulis cedebat: nec is cui ſub conditione vel in diem incertum aliquid relictum fuerat, quia huiusmodi legati dies exſiſtente demum conditione vel die cedebat: vti ad primum legis caducariae caput plenius notauimus. Additur: POST MORTEM TESTATORIS. Nam quod defecerat iam ante conditum teſtamentum, *pro non ſcripto*; quod poſt illud ante mortem teſtatoris, *in cauſſa caduci* erat. Sed et ſequentia verba: ANTE APERTAS

(a) *L.* 80. *D. de adqu. hered.*

(b) PAVLL. *Lib. V. L. 68. D. de adqu. vel omitt. her.*

BIU Cujas

TAS TABVLAS non sine ratione adiecta sunt. Iis enim apertis, hereditas statim poterat adiri, et semel adita transmittebatur ad heredes, multoque magis legatum, cuius dies ab apertis tabulis cedebat, statim transmittebatur. Inde est, quod veteres tanto cum adparatu ad hoc caput disseruerint de aperiendis tabulis. Quum enim quaereretur, si duo exstent exempla tabularum, an, alterutro patefacto, apertae videantur tabulae? VLPIANVS interesse ait, vtrum alterutrum, an vtrumque sit authenticum. Priore casu, exemplo aperto, nondum apertum esse testamentum (a): posteriore sufficere, si alterutrum fuerit patefactum (b). Quumque porro dubitaretur, an testamentum sua natura apertum, pro aperto habendum sit, idem VLPIANVS (c) id quoque adfirmat, nec referre scribit, (puta quod ad ius accrescendi,) a quo apertum sit. Idem (d) eleganter quaerit, quid iuris sit, si tabulae non exstent, veluti si exustae sint, vel ab herede alioue supprimantur? respondetque, *futurum esse, vt subueniri legatariis debeat*, si nimirum aliunde constet, quid quantumque iis relictum sit? Praeter haec CAIVS (e) monet, codicillos aeque ac tabulas secundas, (id est, in quibus substitutiones scriptae erant, quas tabulas secundas dici consueuisse iam BRISSONIVS obseruauit,) testamenti vel tabularum principalium partem obtinere. Ex quo sequebatur, vt, iis apertis, dies legatorum cederet, etiamsi codicilli nondum essent aperti; adeoque et substitutiones saluae essent, etiamsi tabulae secundae nondum fuissent apertae.

Ita ex lege nostra dies legatorum pure vel in diem certum relictorum cedebat ab apertis tabulis, et, quod ante earum aperturam deficiebat, id aerario vel fisco deferebatur. Quum vero vsusfructus non transiret ad heredes, eiusque legati dies cederet ab adita hereditate; facile patet, ad hoc legatum ius illud non pertinuisse. Magis autem dubitabatur de seruitutibus praedialibus, quando earum dies cederet? PAVLLVS (f) videtur existimasse, huius quoque legati diem cedere ab adita hereditate, eamque sententiam adoptauit vir summus, IAC. CVIACIVS (g). At ex MARCELLO (h) tamen verosimilius est, diem legatae seruitutis statim a morte testatoris cessisse. Quam in rem quae a BACHOVIO (i) et WISSENBACHIO (l), viris clarissimis, disputentur, repetere nolumus, sed id tantum obseruamus, eamdem quaestionem

(a) VLP. *Lib. XIII. L. 12. D. testam. quemadm. aper.*
(b) IDEM *Lib. XIII. L. 10. pr. D. eod.*
(c) IBID. *d. L. 10. §. 1. D. eod.*
(d) IBID. *d. L. 10. §. 2. D. eod.*
(e) CAI. *Lib. XI. L. 11. D. eod.*
(f) *L. vlt. comm. praed. rust. et vrb.*
(g) *Obs. Lib. I. cap. 23.*
(h) *L. 3. D. de seru. legat.*
(i) *Vol. II. Disp. XIII. th. 7.*
(l) *Ad tit. D. de seru. leg. Thes. 1.*

BIU Cujas

tractaſſe videri VLPIANVM (a), dum ad hoc caput de ſeruitutibus praedialibus egit, ex quo tractatu tamen non niſi pauciſſima haec verba Tribonianus decerpſit: *ius cloacae mittendae ſeruitus eſt.*

Aerarium itaque occupabat iis relicta, qui ante apertas tabulas poſt conditum teſtamentum DECESSERANT. Quid vero ſi coheredes ſibi inuicem fuiſſent ſubſtituti? Fingamus Caium et Titium heredes fuiſſe ſcriptos, addita ſubſtitutione, vt ſi alteruter heres non ſit, alter heres eſſet: fingamus, mortuo teſtatore Titium adiiſſe, Caium repudiaſſe ſuam partem, tunc ſane quaeſtio oriri potuit, an Titius ſine noua aditione partem Caii deficientem adquirat? Eleganter reſpondet VLPIANVS (b): *totiens videtur heres inſtitutus etiam in cauſſa ſubſtitutionis adiiſſe, quotiens adquirere ſibi poſſit: nam ſi mortuus eſſet, ad heredem non transferret ſubſtitutionem.* Poterat itaque Titius etiam Caii partem ſine noua aditione adquirere, quia adquirere ſibi poterat. Aſt ſi eum, antequam Caius repudiaret, deceſſiſſe ponamus: heredes Titii partem Caii repudiatam non cepiſſent, etiamſi Titius iam ſuam partem adiiſſet.

Nec minus caducum fiebat, quod ei fuerat relictum, qui poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas PEREGER FACTVS erat. Ita enim rem exprimit VLPIANVS (c), non, vti editiones vulgares praeferunt, *pereger*, nec, vt CVIACIVS mallet, *peregrinus*. Probum enim et antiquum eſt τὸ *pereger*, aeque ac *celeber*, *acer* et ſimilia. Argumento ſunt non ſolum aduerbia *peregre* et *peregri* (d): ſed et accuſatiuus vetus *peregrem* quo adhuc vſus eſt AVSONIVS (e), dum ſcripſit: *nedum me* PEREGREM *exiſtimes*. Pereger autem fiebat deportatus, vel cui aqua et igni fuerat interdictum. Is enim *ad peregrinitatem redigi dicitur* SVETONIO (f) et VLPIANO (g), quia iura ciuitatis omnia amittebat, adeo, vt et togae iure careret, teſte PLINIO (h). Quidquid ergo ei pure vel in certum diem relinquebatur, fiebat caducum, tanquam ſi heres vel legatarius ante apertas tabulas deceſſiſſet. Quod ſub conditione fuerat teſtamento datum, non ſtatim perimebatur, quia ante exſiſtentem conditionem poterat in ciuitatem reſtitui. Quid vero ſi heres tempore conditi teſtamenti in hoſtium poteſtate eſſet, ibique deceſſiſſet? Tunc ſane pars ei relicta non cedebat fiſco, ſed tanquam non ſcripta in hereditate ſubſidebat, etiamſi mortuo teſtatore ante apertas tabulas deceſſiſſet,

(a) VLP. *Lib. XIII. L. 7. D. de ſeru.*
(b) VLP. *Lib. XIII. L. 81. D. de adqu. vel omitt. her.*
(c) *Fragm. tit. XVII. §. 1.*
(d) VOSS. *Analog. Lib. IIII. cap. 20.*
(e) *Epiſt. XVII. ad Symmach.*
(f) *Claud. cap. 16.*
(g) *L. 10. §. 6. D. de in ius voc.*
(h) *Lib. IIII. Epiſt. 11.*

BIU Cujas

ceſſiſſet, quia ex lege Cornelia fingebatur ipſo captiuitatis momento mortuus eſſe (a).

His caſibus autem EA HEREDITATIS PARS LEGATVMVE CADVCA ERANT, POPVLOQVE DEFEREBANTVR. Non itaque caduca ſubſidebant in hereditate, nec accreſcebant coheredi vel collegatario, ſed aerario vindicabantur, cuius iura deinde fiſcum inuaſiſſe diximus. Quid vero ſi res legata periiſſet? Tunc non plus capiebat aerarium, quam ipſe legatarius, ſi viueret, accepiſſet. Quam in rem elegans eſt PAVLLI (b) ad hoc caput tractatio. *Mortuo boue*, inquit, *qui legatus eſt, neque corium neque caro debetur.* Quamuis enim alioquin noſtrum etiam ſit, quod e re noſtra ſupereſt (c): aliud tamen in legatis obtinet, quod rei interitu exſtinguitur: vt adeo nec ad aerarium vel fiſcum inde quidquam perueniat. Quaerit deinde PAVLLVS (d): An *ſi Titio frumentaria teſſera legata ſit, et is deceſſerit*, legatum exſtinguatur? Erant autem *teſſerae frumentariae*, Graecis καλάμιοι vel ψῆφοι, ſignum, quo quiſque exhibito frumenti menſtrui portionem teſſerae illi inſcriptam, principis liberalitate accipiebat, et vnde diribitores frumenti teſſerarii dicebantur, de quibus quaedam CVIACIVS (e), HADR. TVRNEBVS (f), PETITVS (g) et viri docti ad PERSIVM (h), quae hic non repeto. [Id tamen addere viſum, teſſerarum illarum venditionem etiam in marmoribus memorari, ſi recte legit REINES. *Inſcript. claſſ.* XV. *n.* 12.

HIC. SEPTIMVM. DECIMVM
FRVMENTVM PVBLICVM
ACCEPIT
SEXTVM. DECIMVM. VENDIDIT

Plura de teſſeris frumentariis habent IAC. GVTHERIVS *de offic. dom. auguſt. Lib.* II. *cap.* 9. LIPSIVS *Elector. Lib.* I. *cap.* 8. IAC. GOTHOFRED. *ad Cod. Th. Lib.* XIIII. *tit.* 17. *de annon. ciuic. et pane gradil. Tom.* V. *pag.* 241. et VINC. CONTAREN. tractatu ſingulari *de re frumentaria.*] Id modo obſeruo, teſſeram non ita legatam intelligi, ac ſi teſtator ſuam teſſeram, quam beneficio principis acceperat, legare alii potuerit: (perſonale enim erat beneficium, quod non magis ac aliae principum liberalitates in heredes tranſmittebatur:) ſed ſolebant

 teſtato-

(a) L. 4. §. 1. *D. de his, quae pro non ſcript.*
(b) *Lib. V.* L. 49. *D. de legat.* 2.
(c) L. 49. §. 1. *D. de rei vind.*
(d) IB. *d.* L. 49. §. 1. *D. de leg.* 2.
(e) *Obſ. Lib. VI. cap.* 33.
(f) *Aduerſ. Lib. XVIIII. cap.* 26.
(g) *Lect. var. Lib. I. cap.* 8.
(h) *Sat. V. v.* 73.

BIU Cujas

teſtatores heredem damnare, vt alicui teſſeram huiuſmodi compararet, vel, ſi id non poſſet, eius praeſtaret aeſtimationem. Hinc aliquoties huiuſmodi legatorum vel fideicommiſſorum mentio fit in iure noſtro: *heres libertis meis teſſeram frumentariam emito* (a). *Seio teſſeram frumentariam comparari volo poſt diem trigeſimum a morte mea* (b). *Liberto meo tribum emi iubeo* (c): nam et inde tribules commoda et liberalitates principales conſequebantur. Quaerit itaque PAVLLVS, ad quem iam redeo, an eiuſmodi legatum teſſerae frumentariae, decedente legatario, exſtinguatur? Idque negat, quia *cui teſſera vel militia legatur, ei aeſtimatio videatur legata.* Quod adeo verum eſt, vt, ſi legatarius frumentariam teſſeram ex cauſſa lucratiua habere coepiſſet, pretium tamen teſſerae praeſtandum videretur, quia tale legatum vel fideicommiſſum magis in quantitate, quam in corpore conſiſteret. (d) Vnde et SCAEVOLA, legata tribu, non modo tribus aeſtimationem, ſed et commodorum et liberalitatum principalium, quas legatarius ex eadem tribu vſque in diem mortis ſuae cenſequuturus fuiſſet, deberi, docet (e). Ex quo facile patet, deficiente ante apertas tabulas legatario, aerarium etiam vel fiſcum frumentariae iſtius teſſerae aeſtimationem ab herede petere potuiſſe. Bella quoque tertia PAVLLI (f) quaeſtio, an ſi rem, quae in commercio non eſt, teſtator reliquerit, legatum exſtinguatur? Intereſſe ait, reſne in commercio legatarii ſit, an in nullius. Si nec in legatarii nec in vllius commercio ſit, nullum eſſe legatum, cum PRISCO FVLCINIO ſtatuit, quamuis ita vtiliter legari olim exiſtimauerit C. TREBATIVS TESTA. Sin quis heredem ſuum eum fundum, cuius commercium ipſe non habuit, dare iuſſit ei, qui eius commercium habet, Proculo putat aſſentiendum, qui huiuſmodi legatum deberi, et vel rem, ſi in bonis teſtatoris fuerit, vel aeſtimationem eius peti poſſe, docebat. Quemadmodum idem et in ſtipulationibus obtinet, ſi quis mihi rem commercio ſuo exemtam promiſerit (g). Ex quo denuo conſequitur, vt caduco huiuſmodi legato, etiam aerarium vel fiſcus eodem iure vteretur, et vel rem vel aeſtimationem ab herede recte exigeret. Quod et obtinebat, *ſi teſtator dari quid iuſſiſſet, aut opus fieri, aut munus dari.* Nullum enim eſt dubium, quin ſi legatum hoc caducum fieret, aerarium vel fiſcus idem petere potuerit, quod petiiſſet legatarius. Aſt contra, ſi heredes, a quibus huiuſmodi quid relictum fuerat, deficerent, eorumque portiones

(a) L. 52. §. 1. D. de iudic.
(b) L. 87. pr. D. de legat. 2.
(c) L. 35. pr. D. de legat. 3.
(d) L. 87. pr. D. de leg. 2.
(e) d. L. 35. pr. D. de legat. 3.
(f) PAVLL. Lib. V. d. L. 49. §. 2. 3. de legat. 2.
(g) L. 34. D. de verb. oblig.

BIU Cujas

portiones occuparet fiscus: is idem dare vel facere erat obstrictus, quod dedissent fecissentue heredes. Et eo pertinere videntur postrema PAVLLI (a) verba: *pro portione sua eos praestare, quibus pars hereditatis accresceret, aeque atque cetera legata, placet.* Quamuis hic Tribonianus quaedam videatur immutasse, et loco fisci posuisse heredes, quibus pars hereditatis accrescat, quum eo tempore ius accrescendi hoc casu non haberet locum. Omnia enim onera subire aerarium vel fiscum etiam ex SCto Silaniano hereditates occupantem, quae heredi legatarioue, si cepisset, incubuissent, postremo capite docebimus, et ad hoc ipsum caput monuit CAIVS (b), dum scripsit: *Dicitur, ex asse hereditates ex Silaniano cum fiscus vindicasset, vt nec libertates nec legata tueatur, quod aperte nullam habet rationem, quum ex quibuslibet aliis caussis fisco vindicatis hereditatibus, et* LIBERTATES *et* LEGATA *maneant.*

III. Alterum caducorum genus capite sexto hunc in modum describitur: SIVE CAELIBI VEL ALTERI CVIVIS PLVS, QVAM EX H. L. LICEBIT, RELICTVM ERIT. Caelibem iam puberem nihil capere potuisse ex aliorum testamentis, nisi testatori cognationis vinculo iunctum, superiore libro demonstrauimus. Si quid ergo ei relictum fuerat; id tanquam caducum vindicabat aerarium, nisi intra centum dies, cretioni olim praefinitos, vxorem ducendo nubendoue, legi paruisset (c). Quamuis enim obstare videatur regula Catoniana, quam CELSVS (d) ad hoc ipsum caput refert et interpretatur, quippe qua cautum, vt *quod, si testator testamenti facti tempore decessisset, inutile foret, id legatum, quocumque tempore decesserit, non valeret*: tamen, ipso monente CELSO, haec definitio in quibusdam falsa est, nec ad nouas leges, teste VLPIANO (e), pertinet. Poterat itaque caelebs legatum capere, si intra centum dies legi pareret: alias fisco erat locus. Quod quum molestum esset testatoribus, ignaris, vtrum tempore apertarum tabularum heres vel legatarius caelebs adhuc futurus sit, an habiturus vxorem: id agere solebant, vt aerarium vel fiscum, quoquo modo excluderent. Eo sane comparatum erat elegans istud ἕυρημα, cuius ad hoc caput meminit VLPIANVS (f). Testator L. Titio, ob caelibatum incapaci, legauerat decem, sperans fore, vt ante mortem suam vxorem duceret. Veritus autem, ne, si in caelibatu permaneret, fiscus id legatum praeriturus et Titio nihil relicturus sit: hac formula fuerat vsus: HERES MEVS

(a) PAVLL. *ibid. d. L.* 49. §. *vlt. de leg.* 2.
(b) CAI. *Lib. XI. L.* 14. *D. de iure fisci.*
(c) VLPIAN. *Fragm. tit. XVII.* §. 1.
(d) CELS. *Lib. XIII. L.* 1. *D. ad reg. Cat.*
(e) *L.* 5. *D. eod.*
(f) VLP. *Lib. XIII. L.* 64. *D. ad L. Falcid.*

BIU Cujas

MEVS L. TITIO DECEM DARE DAMNAS ESTO, ET QVANTO QVIDEM MINVS PER LEGEM, (Tribonianus de suo addidit *Falcidiam*,) CAPERE POTERIT, TANTO AMPLIVS EI DARE DAMNAS ESTO. Quaerebatur, an, praereptis a fisco decem illis, Titio legatis, heres nihilominus Titio alios decem praestare teneretur? Respondebat VLPIANVS *sententiae testatoris standum esse.* Accipiebat itaque hoc casu fiscus decem, Titio legatos, tanquam caducos: sed heres tunc eam iacturam resarcire tenebatur Titio: idque fiscus, cui iam satisfactum fuerat, iure non impediebat. Saepe etiam fiebat, vt legatarii caelibis interesset, speciem quandam, veluti fundum, domum, seruum habere. Quum autem eius legati incapax esset, operam dabat testator, vt, si non lucrum, rem saltim haberet. Hinc fundum v. c. centum dignum, ita legabat: SI CENTVM HEREDI, VEL ALII CVILIBET DEDISSET. Quaestio incidebat, an fisco locus esset? Idque procul dubio erat negandum, quia ita legatarius nihil capiebat lucri, rem accipiens pro iusto pretio. Sed quum videretur id legatum inutile, quo legatarius nihilo fieret locupletior: respondit TER. CLEMENS (a), VBERRIMVM *videri esse legatum: nam alias interesse legatarii, fundum potius habere, quam centum: saepe enim confines fundos etiam supra iustam aestimationem interesse nostra adquirere.*

Nec tantum, quod caelibi, sed et, quod ALTERI CVIVIS PLVS QVAM PER H. L. LICEBAT, RELICTVM FVERAT, tamquam caducum aerario vel fisco deferebatur. Sic orbi non capiebant vltra semissem. Si quid vltra relictum esset; id fiscus occupabat, nisi ante apertas tabulas, filium filiamue sustulissent. Et quamuis additum fuisse videatur: PER HANC LEGEM: non minus tamen legi caducariae locus erat, si quis per aliam nouam legem tantum, quantum relictum fuerat, capere non posset. Hinc VLPIANVS (b) etiam quod Latino Iuniano relictum fuerat, caducum esse scribit, nisi intra centum dies iura Quiritium consequeretur. Id quod sane non est ex lege Iulia et Papia Poppaea, sed ex Iunia Norbana. Verum eius rei rationem eleganter reddidit PAVLLVS (c), cum ad hoc caput scripsit: *Sed et* POSTERIORES LEGES *ad priores pertinent, nisi contrariae sint, idque multis argumentis probatur.* IAC. enim GOTHOFREDO, id fragmentum ad regulam Catonianam referenti, vel ideo adsentiri non possumus, quod regula Catoniana non fuit lex, vt ad eam lex Papia Poppaea referri potuerit, sed canon, a ICto inuentus. Commodior itaque sensus est, caducariam legem etiam locum habere in iis, quae lex Iunia Norbana capere vetuerit libertinos Lati-

(a) TER. CLEM. *Lib. XIII. L.* 54. *D. de legat.* 2.

(b) *Tit.* 22. §. 111.

(c) PAVLL. *Lib. V. L.* 28. *D. de Legib.*

BIU Cujas

Latinos, quia haec lex, tametsi Iulia et Papia posterior, ei tamen non repugnet.

Semper itaque aerarium occupabat, quod cuicumque incapaci fuerat relictum. Seruo autem instituto, nonnunquam incidebat quaestio, cuius ex persona aestimanda esset capacitas? Equidem si seruus Titii caelibis esset institutus, nullum erat dubium, quin fisco locus esset, quia alias in fraudem legis cuique incapaci per seruos relinqui quiduis potuisset. Nec ambigebatur, quin, si Stichus seruus communis institutus heres alterum dominum capacem, alterum incapacem haberet, fiscus portionem huic adquirendam occuparet. Sed paullo incertior res erat, si quid ad seruum hereditarium, hereditate iacente, peruenturum esset ex testamento. Quam bellam speciem ad hoc caput tractauit CAIVS (a). Quum enim, seruo hereditario legatum fuisset: non parum disceptabatur tractantibus de capacitate, herediſne an defuncti persona, an neutrius, spectanda esset? *Et post multas varietates demum placuit, vt, quia* NVLLVS SIT DOMINVS, *in cuius persona de capacitate quaeri possit, sine vllo impedimento legatum adquireretur hereditati, atque ob id omnimodo ad eum pertineret, quicunque postea heres exstiturus sit, secundum quod accipere possit, reliqua autem pars ad eos, qui iure vocentur, veniret.*

Id omne, de quo diximus, lex nostra CADVCVM ESSE, POPVLOQVE VINDICARI IVSSERAT. Omnia enim quasi caduca et caduca olim in aerarium, posteaque in fiscum principis, illata fuisse, haud semel monuimus. Huic ergo locus fuisse videtur, etsi heres vel legatarius incapax rem se vsucepisse adfirmabat. Id enim mihi colligere posse videor ex fragmento PAVLLI (b): *constat eum, qui testamentifactionem habet, pro herede vsucapere posse.* Quum itaque cum incapace non esset testamentifactio: is nec pro herede nec pro legato vsucapiebat. Nam *et legatorum nomine nemo potest vsucapere, nisi is, cum quo testamentifactio est, quia ea possessio ex iure testamenti proficiscitur*, inquit IAVOLENVS (c). Et HERMOGENIANVS (d): *pro legato vsucapit, cui* RECTE *legatum relictum est: sed et, si* NON IVRE *legatum relinquatur, vel legatum ademptum est, pro legato vsucapi, post magnas varietates obtinuit.* Vbi RECTE *relictum* dicitur, quod relictum capaci, NON IVRE *relictum*, quod non ea forma, quam leges requirunt, relictum, quemadmodum *iniustum* vel *non iure factum* vocatur testamentum, cui exter-

(a) CAI. *Lib. XII.* L. 55. §. 1. *D. de legat.* 2.
(b) PAVLL. *Lib. V.* L. 4. *D. pro herede.*
(c) L. 7. *D. pro legato.*
(d) L. 9. *D. eod.*

BIU Cujas

nae iuris ſollemnitates deſunt (a). Incapax ergo, quod ſibi relictum fuerat, nec pro herede, nec pro legato vſucapiebat: aſt qui ex teſtamento non iure facto, vel ex codicillis teſtamento non confirmatis ceperat, eum vſucapere poſſe, poſt multas varietates demum obtinuit. Deinde fiſcus non praeferebatur incapaci inſtituto, ſi hereditas non ſoluendo eſſet. Quum enim *capere* in tota hac lege cum effectu accipiatur, neque is *capere* videatur, qui ſit reſtituturus (b): iſtius ſane nullum lucrum erat, quod fiſcus praeriperet, cui adita hereditate creditores bona omnia hereditaria adimebant. Bona autem ſemel auctoritate iudicis poſſeſſa a creditoribus vendebantur, praeter ſtatuas in publico poſitas. Has enim *bonis diſtractis eius, cuius in honorem poſitae erant, non eſſe emtoris bonorum, ſed aut publicas, ſi ornandi municipii cauſſa poſitae eſſent, aut eius, cuius in honorem poſitae erant, et nullo modo detrahi poſſe*, ex FVFIDIO obſeruat PAVLLVS (c). Ex quo et CAII fragmentum intelligitur. Quum enim Titius obaeratus Maeuium incapacem inſtituiſſet, et bona eius a creditoribus poſſeſſa venirent: creditores, perfecta venditione, ſed bonis nondum traditis, ſeruum manumiſerant: quaerebatur, an libertas rata ſit? Sane ſi heres manumiſiſſet, nihil egiſſet ob legem Aeliam Sentiam. Aſt quum ipſi creditores, qui bona vendiderant, ſeruo donaſſent libertatem: CAIVS (d) ad hoc caput reſpondet: *eum, qui venierit, venditor, et promiſſor, quem promiſerit manumittere poteſt.* Quamuis enim ſeruus cum reliquis bonis eſſet venditus, vel promiſſus bonorum emtori, neque dubitari poſſet, quin hic aduerſus venditores vel promiſſores recte ageret in id, quod intereſſet: ante traditionem tamen venditores vel promiſſores *perſeuerabant domini, et ideo manumittendo libertatem ſeruo hereditario* iure *praeſtabant*, vti reſcripſit ALEXANDER Imperator (e). Haec ſunt, de quibus occaſione huius capitis ſexti diſputarunt interpretes: iam reliquum eſt, vt ad ſeptimum progrediamur.

IIII. Hoc ſeptimo capite tertius caſus, quo caduca fiebant, ita deſcribitur: SIVE HERES LEGATARIVSVE POST MORTEM TESTATORIS ANTE EVENTVM CONDITIONIS DEFICIAT. Relictum aliquid fuerat vel pure, vel ſub conditione, vel in diem, eumque vel certum, vel incertum. Si quod pure, vel in diem certum relictum, poſt aditam hereditatem apertaſue tabulas deficeret, id fiſcum non reddebat locupletiorem, quia hereditas adita, legatumue, ad heredes tranſmittebatur. Sin ſub

(a) L. 1. *D. de iniuſt. rupt. irrit. teſtam.*
(b) L. 71. *pr. D. de verb. ſign.*
(c) *Lib. V.* L. 29. *D. de reb. auct. iud. poſſid.*
(d) CAIVS *Lib. XII.* L. 18. *D. de manumiſſ.*
(e) L. 3. *C. de his qui a non dom.*

BIU Cujas

sub conditione, vel in diem incertum, qui pro conditione erat (a), aliquid relinqueretur, fiscus illud occupabat tanquam caducum, modo heres legatariusue, ante conditionis euentum, vel ante exsistentem diem defeciſſet, quia antea dies huiusmodi legati non cedit (b). Hinc CAIVS (c) refert, quum in testamento expressum esset: TITIO, SI VOLVERIT, DO LEGO: id legatum Proculo conditionale visum esse, Titiumque illud ad heredes non transmisisse, nisi ipse, se velle, viuus declarasset. Idem (d) alio loco hanc speciem tractat. Titius libertatem legauerat Sticho, sub conditione, SI REDDIDERIT RATIONES. Reddiderat, sed nondum restituerat reliqua: quaerebatur, an et id ad conditionis euentum pertineret? Adfirmat id CAIVS, simulque quaerit, si ita legatum fuerit: STICHVS, QVVM RATIONES REDDIDERIT, CVM CONTVBERNALI SVA LIBER ESTO, an Sticho ante conditionis euentum mortuo, contubernalis eius ad libertatem adspiret? Id quoque adfirmat CAIVS, ex ea ratione, quod duplex id videatur legatum, et non vtrique, sed Sticho, conditio reddendarum rationum iniuncta fuerit. Ast IVLIANVS tamen censebat, magis videri hoc casu vtrique eam conditionem adscriptam, ac proinde contubernalem, si Stichus nulla reliqua habuerit, statim liberam fieri posse: sin habuerit, eam non nisi numerata ea pecunia, quam tamen e peculio suo dare nequeat, libertatem consequuturam. Quae sane Iuliani decisio rationi consentanea quam maxime videtur. Quamuis enim non a contubernali, sed a Sticho rationes reddi iussisset testator: noluerat tamen contubernalem liberari, nisi redditis rationibus, eique adeo hanc conditionem non minus, quam Sticho, adscripserat. Haec occasione legis nostrae disputauit CAIVS, vt, quid sit ANTE EVENTVM CONDITIONIS DEFICERE, eo facilius intelligeretur. Quem in finem etiam alio loco (e) eleganter obseruat, si sub conditione instituto heredi alius sit substitutus, hunc *pure institutum intelligi, nisi conditio eadem* diserte *repetita sit.* Ex quo sequitur, vt Titio herede scripto, si nauis ex Asia redierit, eique substituto Maeuio, hic defuncto ante nauis reditum Titio, hereditatem adire, et aditam, excluso fisco, ad heredes transmittere potuerit, etiamsi nauis ex Asia nunquam redierit.

V. Et haec igitur CADVCA ERANT, POPVLOQVE, vel postea Principi, vti reliqua, DEFEREBANTVR ante tempora IVSTINIANI. Is vero primus

F f f 2

(a) L. 75. *D. de cond. et dem.*
(b) L. *vn.* §. 12. *C. de cad. toll.*
(c) CAI. *Lib. XIII. L. 69. D. de cond. et dem.*
(d) CAIVS *Lib. XIII. L. 31. D. de stat. lib.*
(e) CAI. *Lib. XIII. L. 73. D. de hered. inst.*

BIU Cujas

primus caduca funditus sustulit, statuitque *primo*, vt et clausis tabulis hereditatem adire liceret: *deinde*, vt dies legatorum et fideicommissorum, pure vel in diem certum relictorum, non ab apertis tabulis cedat, sed a morte testatoris, adeoque statim ad heredes transmittatur, exceptis iis legatis, quae non transmittuntur, quorumque dies ideo iam antiquitus ab adita demum hereditate cessit, vti vsusfructus, vsus, habitationis, libertatis. Tum *porro*, vt hereditas nondum adita non quidem transmittatur, nisi heredes sint sui, vel extranei intra spatium deliberandi defecerint, nec legati sub conditione vel in diem incertum relicti dies ante euentum conditionis cedat: sed ea omnia tamen, si defecerint, non fiscus occupet, sed vel is, a quo relicta sint, vel substitutus, vel coheres collegatariusue capiat, iure adcrescendi in vsum reuocato. Quae omnia copiose exsequitur IVSTINIANVS in luculenta, quam saepe laudauimus, constitutione (a), quamque etiamnum in ipsis obtinere rerum argumentis, satis constat.

(a) L. *vn.* §. 5. *sequ. C. de caduc. toll.*

* * * * * * * * * * * * *

CAPVT VII.

AD CAPITA LEGIS VIII. ET VIIII.

DE BONIS EREPTITIIS ET VACANTIBVS.

I. *Caput octauum de bonis ereptitiis egit. Eius sententia.* II. *Haec quoque bona aliquando dicta caduca. Quae vt indignis eripiantur. Ea aerarium, postea fiscus, occupauit. Aliquando aerario vel fisco quaedam personae praeferebantur.* III. *Caput nonum de bonis vacantibus. Eius sententia.* IIII. *Caduca etiam Tacito dicuntur vacantia. Non adita a defuncto hereditas legatumue ab eo non agnitum vacare dicebatur. Quae legata agnoscenda? Legatorum discrimen. Aerarium etiam occupabat hereditatem omissam vel legatum repudiatum.* L. 59. D. de leg. 2. *explicata.* V. *Ius nouum.*

I. PRoxima sunt bona EREPTITIA, seu ea, quae vt indignis auferuntur, de quibus quum VLPIANI (a) fragmentum ex libro XIV. exstet:

(a) VLP. *Lib. XIIII. L. 9. D. de his quae vt indign.*

BIU Cujas

exstet: verosimile est, de illis egisse caput legis nostrae nonum, quod tale fuisse arbitramur:

Quae hereditas, quodue legatum, tanquam indigno erepta ereptumue erit, illa illudue populo defertor.

II. Ait lex: QVAE HEREDITAS LEGATVMVE TANQVAM INDIGNO EREPTA EREPTVMVE ERIT. His enim fere verbis eam vsam esse, vel inde patet, quod haec bona ideo EREPTITIA adpellantur VLPIANO (a). Aliquando, licet minus accurate, et haec *caducorum* nomine veniunt, (b) quia non minus ac caduca fisco vindicantur. Non obscura tamen est inter caduca et ereptitia differentia. *Caduca* deficientibus post mortem testatoris et ante apertas tabulas heredibus vel legatariis fiunt: ereptitia etiam heredibus legatariisue exstantibus et superstitibus auferuntur (c). Illa sustulit Iustinianus: haec illibata seruauit. Ceterum hoc caput non solum ad LEGATA pertinet, ad quae titulum *de his, quae vt indignis auferuntur*, retulit Tribonianus, verum etiam ad ipsas HEREDITATES. Vnde et hereditates legataue recte iunguntur in rubrica huius tituli Basilicorum (d): περὶ τούτων ἐξ ὧν τὸ καταλειφθέντα ληγάτῳ ἢ κληρονομίαι ὡς ἀναξίων ἀφαιρῶνται: *De iis, quibus vt indignis legata vel hereditates auferuntur.* Loquitur autem lex de hereditatibus legatisue, QVAE TANQVAM INDIGNIS ERIPIVNTVR: nec videntur legislatores nominatim expressisse, quinam indigni sint, quibusue, quod relictum esset, auferatur, quia id iam ex aliis legibus satis constabat. Sane caussae illae, ob quas iura hereditatem legatumue indignis eripi iubent, non omnes legi Papiae, sed pleraeque aliis legibus et SCtis originem debent. Quare et CONSTANTIVS (e) non vni, sed pluribus legibus id ius tribuit, dum bonorum meminit, *quae indignis*, LEGIBVS COGENTIBVS, *auferuntur.*

Tanquam indignis autem auferebatur, quod relictum erat, vel ob delictum, vel ob neglectam testatoris voluntatem. Ob delictum indigni beneficio testatoris iudicabantur, qui occiderant defunctum (f), vel qui eius morti caussam culpa vel negligentia sua praebuerant (g): qui eius necem vindicare omiserant (h): qui capitales cum testatore susceperant inimicitias, eiue proterue maledixerant, vel plane mouerant controuersiam status. Quas caussas prae ceteris ad hanc legem nostram

(a) *Fragm. tit. XVIIII.* §. 17.
(b) L. 9. *D. de SCto Silan.*
(c) L. *pen. D. de iure fisci* L. 26. *D. ad* L. *Corn. de falsi.*
(d) *Lib. LX. tit. XXXXII. p.* 744. *Tom. VII.*
(e) L. 26. *C. Theod. de adpellat.*
(f) L. 7. §. 4. *D. de his quae vt indign.*
(g) L. 3. *D. eod.*
(h) L. 17. L. 20. L. 21. *D. eod.*

BIU Cujas

vrget VLPIANVS (a). Nec minus in defunctum eiusue Manes vel in ipsam rempublicam peccasse videbantur, qui ei graue aliquod crimen in iudicio obiecerant (b): qui, spe improbe festinata, bona sibi ex legitima successione obuentura donatione alioue pacto contra bonos mores in alterum transtulerant (c): qui contra mandata pupillam sibi commissam, vel mulierem in ea prouincia, in qua officium gerebant, duxerant (d): qui expilatae hereditatis fuerant conuicti (e): qui se tacito fideicommisso obstringi passi fuerant ad bona in fraudem legis nostrae incapacibus restituenda (f): denique, qui commisso adulterio adulterae morientis liberalitatem meruerant (g).

Sed et iis hereditas legatumue videbatur auferendum, qui aliquid contra supremum testatoris iudicium commiserant, veluti eum testari prohibendo, cogendoue (h): testamentum eius falsi arguendo, vel tanquam inofficiosum irrito euentu impugnando (i): tabulas eius celando vel supprimendo (l): petita bonorum possessione contra tabulas, hereditatem ex substitutione pupillari adeundo (m): a tutela testamentaria sese excusando (n), aliudue quidquam committendo, quod testatorem ad expungendum heredis vel legatarii nomen induxisset (o).

Ast harum caussarum quaedam demum post legem nostram caducariam SCtis vel principum constitutionibus inuectae sunt. Ob mortem enim testatoris, culpa heredis vel legatarii acceleratam, id quod relictum erat, ex rescripto Antonini Pii (p); ob nomen a testatore inductum ex rescripto Marci Aurelii Antonini (q); ob nuptias tutoris cum pupilla ex SCto Antonini eiusdem et Commodi temporibus facto (r); ob matrimonium cum muliere prouinciali initum (s), et delatum testatoris nomen ex rescriptis Seueri et Antonini (t); ob expilatam hereditatem ex rescripto Antonini Pii (v), ob celatas denique testamenti tabulas ex constitutione IVSTINIANI (x) eripitur. Ex ipsa tamen lege nostra est, quod hereditas legatumue ei tanquam indigno eripiebatur, qui tacitam fidem in fraudem legis testatori accommodauerat (y): de quo iure plura

infra

(a) VLP. *Lib. XIII.* L. *9. D. eod.*
(b) L. *1. D. eod.*
(c) L. *2. §. 3. D. eod.*
(d) L. *2. §. 1. seq. D. eod.*
(e) L. *6. D. eod.*
(f) L. *10. §. 18.* L. *23. D. eod.*
(g) L. *13.* L. *14. eod.*
(h) L. *19. D. eod.*
(i) L. *5. pr. §. 1.* L. *15. D. eod.*
(l) L. *pen. C. de legat.*
(m) L. *2. princ. D. de his quae vt indign.*
(n) L. *5. §. 2. eod.*
(o) L. *12.* L. *16. §. 2. D. eod.*
(p) L. *3. D. eod.*
(q) L. *12.* L. *16. eod.*
(r) L. *2. §. 1. eod. iunct.* L. *36.* L. *61. D. de rit. nupt.*
(s) L. *3. §. 1. D. eod.*
(t) L. *1. D. eod.*
(v) L. *6. eod.*
(x) L. *24. C. de legat.*
(y) L. *33. D. de adqu. hered.*

BIU Cujas

infra ad caput huius legis x. dicemus. Iam id obseruamus, eam fideicommissi taciti poenam Senatusconsulto etiam ad eos esse porrectam, qui fidem suam in fraudem legis Falcidiae clam accommodassent. Id enim PAPINIANVS (a) et CAIVS (b) diserte testantur.

Ceterum de his lex nostra cauit, vt POPVLO DEFERRENTVR. Aeque igitur ac caduca aerario, posteaque fisco, vindicabantur. Hinc in legibus, quae ad bona ereptitia pertinent, frequentissimae sunt phrases: *Fisco locus est* (c): *Bona ad fiscum venient* (d): *Fiscus cum suo onere succedit* (e), quamuis in lege 6, quae MARCELLI est, Tribonianus ex suo instituto *fiscum* pro *aerario* videatur reposuisse, siquidem MARCELLVS Caracallae imperium, sub quo fisco huiusmodi bona vindicari coeperant, non attigit. Quemadmodum autem aerarium vel fiscus caduca non semper cepit: ita nec semper in bonis ereptitiis excluſit eos, a quibus relicta fuerant. Testis est IVSTINIANVS (f), qui, vbi de bonis ereptitiis agit: *Quae autem*, inquit, *antiquis legibus dicta sunt de his, quae vt indignis auferuntur, et nos simili modo intacta seruamus, siue in nostrum fiscum, siue* IN ALIAS PERSONAS *perueniant.* Et VLPIANVS (g): *Lege nobis adquiritur, velut caducum, vel* EREPTITIVM *ex lege Papia Poppaea.* Indigni itaque semper hereditate vel legato excidebant: sed non semper id lucrum aerarium vel fiscus intercipiebat, verum aliquando illud subsidebat in hereditate, vel coheredi accrescebat, vti accurate docuit SCIPIO GENTILIS (h). Ita sane, excusante se tutore testamentario (i), legatario celante tabulas (l), ortaque inter hunc et testatorem inimicitia capitali (m), id quidem, quod relictum fuerat, tanquam indignis videbatur auferendum, sed ita, vt non aerarium vel fiscus id occuparet, sed vniuersum in hereditate subsideret. Similiter, si vnus ex asse heres, tanquam indignus, priuandus erat, res ad causſam intestati rediisse videtur. Sed haec quidem non ad regulam, verum ad exceptionem pertinent. Quaecumque enim bona ereptitia leges non diserte deferunt certis personis, ea ordinarie populo, vel iure nouo fisco summi imperantis, deferuntur.

III. Iungimus huic capiti octauo nonum, quod de bonis vacantibus egisse, ex fragmentis TER. CLEMENTIS (n) et CAII (o) liquido constat.

(a) *L.* 11. *D. de his quae vt indign.*
(b) *L.* 23. *D. eod.*
(c) *L.* 2. §. 1. *D. eod.*
(d) *L.* 6. *L.* 13. *eod.*
(e) *L.* 16. §. 2. *eod.*
(f) *L. vn.* §. 12. *C. de caduc. toll.*
(g) *Fragm. tit. XVIIII.* §. 17.
(h) *De iure adcresc. cap.* 10.
(i) *L.* 5. §. 2. *D. de his quae vt indign.*
(l) *L. pen. C. de legat.*
(m) *L.* 9. *D. de his quae vt indign.*
(n) TER. CLEM. *Lib. XV. L.* 16. *D. de opt. leg.*
(o) CAI. *Lib. XIII. L.* 14. *D. de suis et legit. her.*

BIU Cujas

constat. Ex his autem et L. vn. §. 5. C. de caduc. toll. tale hoc caput fuisse discimus :

> *Si ante aditam hereditatem agnitumue legatum per damnationem, sinendi modo, vel per praeceptionem relictum heres legatariusue decedat, siue heres legatariusue ius suum omittat repudietue, hereditas legatumue, ceu vacantia, populo vindicantor, neue heredibus deferuntor.*

IIII. Bona VACANTIA diuersimode dicuntur. Proprie eo nomine veniunt eorum bona, qui sine herede decedunt, STRABONI (a) ἀδέσποτα, CONSTANTINO HARMENOPVLO (b) ἀκληρονόμητα dicta. Deinde et ipsa caduca *vacantia* adpellat TACITVS (c), vbi custodes, id est, delatores ideo praemiis lege Papia Poppaea inductos ait, *vt si a priuilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus* VACANTIA *teneret :* Vbi recte addit MVRETVS : *Vacantia, deficientia,* CADVCA. Denique lex Papia Poppaea hoc vocabulum non solum ad legata produxit, sed et omnia vacantium nomine complexa est, quae heres legatariusue vel nolunt, vel non possunt capere post apertas tabulas. Dupliciter itaque accidit, vt bona ex hac lege fiant vacantia. Causam primam ita lex exprimit: SI ANTE ADITAM HEREDITATEM AGNITVMVE LEGATVM HERES LEGATARIVSVE DECEDET. Si ante apertas tabulas heres legatariusue decesserat, illa quae ei testamento destinata fuerant, *caduca* : sin post apertas tabulas, sed ante aditam hereditatem vel agnitum legatum ; *vacantia* dicebantur. Et sane hereditatem non aditam non transmitti, hodienum expediti iuris est. Sunt tamen quaedam causae exceptae. Nam primo suus heres, quum viuo quodammodo patre dominus aestimetur, et quasi ipse sibi heres videatur exsistere (d), non aditione demum hereditatem adquirit, sed ipso iure heres est, hereditatemque, etiam non aditam, ad quosuis heredes suos extraneosque transmittit (e). Quam primam exceptionem ita ad hoc legis nostrae caput eleganter expressit CAIVS (f) : *In his heredibus aditio non est necessaria, quia statim ipso iure heredes sunt.* Deinde et sui iuris liberis idem beneficium eatenus concessum est a THEODOSIO et VALENTINIANO Imp. (g) vt hereditatem sibi relictam saltim in descendentes transmittere possent. Praeterea et heres extraneus, qui intra

(a) *Lib. XVII.*
(b) *Lib. III. tit. 1. §. 18.*
(c) *Annal. Lib. III. cap. 28.*
(d) *§. 2. Inst. de hered. qual.*
(e) *L. 7. §. 1. D. de adqu. her.*
(f) CAI. *Lib. XIII. L. 14. D. de suis et legit.*
(g) *L. vn. C. de his qui ante ap. tab.*

BIU Cujas

tra tempus deliberandi deceſſit, id, quod ex anno reliquum eſt, ex conſtitutione IVSTINIANI (a) in heredes ſuos tranſmittit, ita, vt et hi ante elapſum iſtum annum hereditatem adire, ſibique adquirere poſſint. Reliquis caſibus hereditas per cretionem vel pro herede geſtionem nondum adquiſita, vel nondum petita bonorum poſſeſſio ad heredes ſuos non tranſmittebatur, idque manifeſti atque euidentis iuris eſſe aiunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA (b). Quidquid autem hoc modo non tranſmittébatur, id ſub nomine bonorum vacantium fiſcus occupabat.

Idem erat legatorum fatum. Nam et ea aerario vel fiſco deferebantur, SI ANTE AGNITVM LEGATVM, PER DAMNATIONEM, SINENDI MODO VEL PER PRAECEPTIONEM RELICTVM, LEGATARIVS DECESSISSET. Quamuis enim dies legatorum pure et in diem certum relictorum ab apertis tabulis cederet: diſcrimen tamen vetus legatorum efficiebat, vt in quibuſdam et agnitione opus eſſet ad illud penitus adquirendum tranſmittendumque ad heredes. Legata nimirum relinquebantur vel per VINDICATIONEM, verbis: DO, LEGO, CAPITO, SVMITO, HABETO: vel per DAMNATIONEM his formulis: HERES DAMNAS ESTO DARE, DATO, FACITO, DARE IVBEO: vel SINENDI MODO ita: HERES MEVS DAMNAS ESTO SINERE L. TITIVM SVMERE, SIBIQVE HABERE: vel denique per PRAECEPTIONEM his verbis: L. TITIVS ILLAM REM PRAECIPITO (c). Iam facile patet, legata per damnationem, ſinendi modo et per praeceptionem relicta, nondum agnita tranſmitti non potuiſſe. Cui enim per damnationem relictum, is actionem perſonalem aduerſus heredem habebat ad ſoluendum legatum (d): ſed haec actio non prius naſcebatur, quam ſibi dari velle legatarius declaraſſet, id eſt, ſi agnouiſſet legatum. Nondum autem natam actionem non tranſmitti manifeſti certiſſimique iuris eſt: eamque rationem reddit PAVLLVS (e), dum ſcribit: *poſt diem legati cedentem actio, quae* INCHOATA NON EST, *ad heredem non tranſmittitur.* Cedebat itaque huius legati dies ab apertis tabulis, eatenus, vt, ſi poſtea peteretur, heres ab eo tempore et fructus et omnem rei legatae cauſſam praeſtare teneretur: ſed petendi ius demum ab agnitione legati naſcebatur, nec prius tranſmittebatur ad heredes. Multo minus ante agnitionem tranſmittebatur legatum ſinendi modo relictum. Hoc enim vtrique, puta heredi et legatario, factum aliquod iniungebat: illi, *vt ſineret*, huic vt

(a) *L. 19. C. de iure delib.*
(b) *Cod. Hermog. tit. XI. §. 11.*
(c) VLP. *tit. XXIIII. §. 11.* CAI. *Inſt. Lib. II. tit. 5.*
(d) *L. 14. ff. de vſu et vſufr. leg.*
(e) *Recept. Sent. Lib. III. tit. 6. §. 3. B.*

BIU Cujas

ſumeret Si non ſumſerat legatarius, nec ius in re illi naſcebatur, nec ius ad rem, ſed ſola adhuc ſpes erat, quae in vltimis voluntatibus ad heredes non deuoluitur. Denique quod ad praeceptionis legatum attinet: eo modo ſoli coheredi legabatur (a). Coheres autem nemo erat ante aditionem. Dum is adibat hereditatem, etiam agnoſcebat legatum. Antequam itaque agnouiſſet, nihil tranſmittebat, quum ius, quod ipſe non habebat, in alios transferre non poſſet.

Solum itaque legatum per VINDICATIONEM relictum communi iſta ſorte exemtum erat, quod a momento, quo dies legati cedebat, ſine agnitione, legatario adquirebatur. Teſtator enim dum DABAT LEGABAT, ipſe ἀμέσως dominium tranſmittebat in legatarium, eique adeo ſtatim, apertis tabulis, naſcebatur ius in re, ex eoque ius vindicandi a quocumque poſſeſſore. Siue itaque ante agnitionem deceſſiſſet, ſiue legatum ad ſe pertinere, iam conſtituiſſet: illud tranſmittebat ad heredes, nec aerario vel fiſco erat locus, modo iam patefactae eſſent tabulae teſtamenti. Et ita intelligenda ſunt verba PAVLLI (b): PER VINDICATIONEM *legatum, etſi nondum conſtituerit legatarius, ad ſe pertinere, atque ita poſt apertas tabulas ante aditam hereditatem deceſſerit, ad heredem ſuum tranſmittit.* Quod et VLPIANI (c) locus a Triboniano ſeruatus praeclare docet.

Quibus recte intellectis, iam facile patet, cur ad caput noſtrum ſcripſerit TER. CLEMENS (d): *Optione legata, placet non poſſe ante aditam hereditatem optari, et nihil agit, ſi optaretur.* Quamuis enim et optionis legatum per vindicationem relinqui poſſet: dubium tamen non erat, quin legatarius illud ad heredes non tranſmittat, niſi ipſe viuus optaſſet. Ineſſe enim huic legato videbatur conditio, *ſi legatarius viuus elegerit*: qua conditione non exſiſtente, expediti iuris erat, ius optandi ad heredes non tranſiiſſe (e). Id non ignorantes legatarii, feſtinare, et ante hereditatem aditam optare ſolebant, ne ea ſpes legato potiundi heredibus ſuis fatis praeproperis incideretur. Sed ita feſtinantem nihil agere, definit TERENTIVS, idemque et IVLIANO, teſte PAVLLO (f), placuit. Si itaque, antequam optaſſet, legatarius decederet: legatum populo boni vacantis nomine deferebatur.

Hic primus caſus, quo hereditates legataque bonis vacantibus accenſebantur. Accedit iam alter: SIVE HERES LEGATARIVSVE IVS SVVM OMIT-

(a) *Ibid.* §. 7.
(b) *Ibid. Lib. III. tit. VI.* §. 7.
(c) L. 12. §. 7. *D. quando dies leg. ced.*
(d) TER. CLEM. *Lib. XV.* L. 16. *D. de opt. leg.*
(e) §. 23. *Inſt. de legat.*
(f) L. 10. *D. de leg.* 1.

BIU Cujas

OMITTAT REPVDIETVE. Testis huius iuris est VLPIANVS (a): *Legem Papiam Poppaeam, partem non adeuntis caducam facere, et loco non adeuntis ea lege aerarium partis heredem fieri*, scribens. Idem alio loco (b) de legatis: *post legem Papiam Poppaeam*, inquit, *non capientis pars caduca fit*: vbi loco vtroque generatim CADVCVM vocat, quodcumque fiscus praeripit heredibus vel legatariis. Proinde et hereditas omissa, et legatum repudiatum accensebantur bonis vacantibus, itemque *si quis, ad quem bonorum possessio pertinebat, ius suum omiserat* (c). Et huc pertinent species perbellae, tractatae a TER. CLEMENTE (d): Titius fundum eumdem legauerat Seio eiusque seruo, Sticho: illi pure; huic vel pure vel sub conditione. Si Seius legatum vtrumque agnouisset, totum adquisiuisset fundum. Ast suam partem Seius repudiabat, posteaque exsistente conditione, legatum Sticho relictum agnoscebat. Quaestio erat, an hanc partem posset petere? Responsum esse refert TERENTIVS, *partem legati deficere*. Eiusque decisionis non obscura ratio est. Quia enim fundus re ipsa totus Titio legatus fuerat, legatarius autem pro parte adquirere, pro parte repudiare legatum non potest (e): omnino Titius, sua repudiata parte, id quoque, quod seruo relictum fuerat, repudiasse videbatur. Ast TER. CLEMENS tamen ab hac opinione seiungit sententiam suam, pergitque: *nisi, si quis dubitet, an exsistente conditione, si seruus viuat, omnimodo legatum meum fiat, quod semel ad me pertinere voluerim. Quod aequius esse videtur.* Paullo obscuriora haec quibusdam videntur: atque hinc et veteres quidam, et e recentioribus RVSSARDVS, et CHARONDAS legunt: *quod semel ad me pertinere voluerit*, idque de testatore interpretantur. Sed ea admissa emendatione, tota decisionis ratio periret. Ait enim ICtus, potius videri *exsistente conditione, si seruus adhuc viuat*, et iussu domini legatum agnoscat, *omnimodo*, id est *totum, domini fieri*, eiusque decisionis suae hanc addit rationem, *quod semel* dominus id *legatum ad se pertinere voluerit*, id est, quod non agnitione duplici vnius eiusdemque legati opus sit, sed sufficiat, vel eius partem semel agnosci, siquidem, vt recte CAIVS (f) scribit, *qui rem legatam omnino* ALIQVA EX PARTE *suam esse voluit, totam adquirit.* Proinde inuertit argumentum, quo deficere partem legati, alii probauerant, idque telum veluti retorquet. Si enim legatum pro parte adquiri, pro parte repudiari non potest, consequens est, vt altera parte

 agnita

(a) *Fragm. tit.* I. §. 21.
(b) *Tit. XXIIII.* §. 12.
(c) VLP. *tit. XXVIII.* §. 7.
(d) TER. CLEM. *Lib. XV.* L. 59. *D. de leg.* 2.
(e) L. 38. *D. de leg.* 1.
(f) L. 48. *D. de legat.* 2.

BIU Cujas

agnita et adquisita, pars quoque altera antea repudiata adquiratur. Quam decisionem suam TER. CLEMENS vel ideo aequiorem existimare potuit, quod iureconsultorum interpretationes fauere non solerent legi caducariae, isque MODESTINO (a) aliisque iureconsultis cordatioribus *delinquere* non videretur, *qui in dubiis quaestionibus contra fiscum tacite responderit.* Addit postremo TER. CLEMENS: *idem est, et si duobus seruis meis eadem res legetur.* Nam et tunc Stichi parte repudiata, alteram Dauo sub conditione legatam, exsistente conditione, eoque viuo, agnoscere, agnoscendoque totum legatum adquirere potest dominus. Hi sunt casus, quibus bona fiebant vacantia, eaque tunc omnia CEV VACANTIA, POPVLO VINDICABANTVR, NEVE HEREDIBVS DEFEREBANTVR. Nec ergo heredibus deferebantur, a quibus fuerant relicta, nec accrescebant coheredibus simul institutis, vel legatariis coniunctis, nec denique ad heredes heredum legatariorumue deficientium transmittebantur: sed a fisco omnino praeripiebantur. Quare nec cum IAC. GOTHOFREDO addere visum est HEREDIBVS EORVM, quasi de solis heredum legatariorumque heredibus lex loqueretur.

V. Sed haec duo legis caducariae capita non eadem et similia fata subierunt. Prius enim de bonis EREPTITIIS intactum seruari iussit IVSTINIANVS (b): posterius, reuocato accrescendi iure, veteriique principio, quod dies legatorum a morte testatoris cedat, in vsum recepto, et sublato denique legatorum discrimine, in plerisque immutauit (c). Quamuis enim hereditas non adita hodienum ab extraneo non transmittatur: tamen ea non cedit fisco, sed vel in substitutum deuoluitur, vel coheredi adcrescit, vel in hereditate subsidet, vel, deficiente herede vnico, res ad caussam intestati redit. Quia etiam legati pure vel in diem certum relicti dies hodie a morte testatoris cedit, omniumque legatorum eadem iure nouissimo natura est: legata etiam omnia, licet nondum agnita, ad heredes legatarii transmittuntur. Repudiatum quoque legatum non fiscus vindicat, sed id vel collegatariis re vel verbis vel mixtim coniunctis adcrescit, vel apud eum remanet, a quo relictum est. Quare hodie illa tantum bona vacantia sunt, quorum nullus heres exsistit. Ea enim fisco et iure nouo addicuntur (d), dum intra quadriennium, ex quo, heredem nullum exstare, certum esse coeperit, a fisco agnoscantur (e). Fiscus contra creditoribus tenetur (f), nec tamen vltra bonorum vires, etiamsi non

(a) L. 10. D. de iure fisci.
(b) L. vn. §. 12. C. de caduc. toll.
(c) d. L. vn. §. 5. C. eod.
(d) L. 1. pr. D. de succeff. edict.
(e) L. 1. §. 2. D. de iure fisc. L. 10. §. 1. D. de diu. et temp. praescr.
(f) L. 11. D. de iure fisci.

BIU Cujas

non confecerit inuentarium (a). Iure tamen nouo fisco praeferuntur collegia in bonis decurionum, nauicularioruṁ, cohortalium et fabricensium (b) et hos participes liberalitatis principalis in bonis sibi et defuncto communiter donatis antecedunt (c). De quibus ipsa iuris compendia copiose agere solent, quamuis mores omnium prouinciarum in usu horum iurium non conspirent.

(a) L. 1. §. 1. *D. eod.*
(b) *Tit. C. de hered. decur. nauicul.*
(c) L. *vn. C. si liberal. princ.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT VIII.

AD CAPVT LEGIS DECIMVM.

DE FRAVDIBVS, ADVERSVS H. L. COMMISSIS.

I. *Capitis decimi cum reliquis connexio, eiusque sententia.* II. *Quid sit in fraudem legis aliquid admittere?* Εὑρήματα *ICtorum.* III. *Fraus legi nostrae fiebat donationibus mortis causa.* IIII. *Institutionibus filiorum familias et seruorum, a dominis ante additionem manumittendorum.* V. *Pecunia credita, legataque liberatione, vel debito ita legato, vt aliquanto plus sit in legato quam in obligatione. L. 29. D. de legat. 1. leuiter emendata.* VI. *Vsufructu tanquam annuo legato relicto.* VII. *Fideicommissis tacitis, de quibus infra ad caput legis* XIII. *Substitutiones, et conditiones quaedam legatis adscriptae fraudibus non accensebantur.*

I. HActenus de variis bonorum generibus, quae aerario vel fisco vindicari solebant, actum est. Quemadmodum autem priore legis parte id praecipue agebant legislatores, ne quod nuptiis impedimentum obiiceretur: ita non minore sollicitudine opus erat, ne aerario caussa caduci, caducum, nec non bona ereptitia et vacantia intercirentur. Quum autem huic lucro aerarii quam maxime aduersari viderentur non modo variae fraudes, ad eludendam legem ingeniose excogitatae, verum etiam ius adcrescendi antiquum, ius sibi relicta ad heredes transmittendi, fideicommissa tacita, et caducorum occultatio:

BIU Cujas

de singulis hisce impedimentis actum esse animaduertimus capitibus proxime insequentibus, et decimo quidem, vti ex VLPIANI libro XV. TER. CLEM. libro XVI. et PAVLLI libro VI. adparet, de fraudibus aduersus hanc legem excogitatis, de quibus ita hoc capite cautum fuisse arbitror:

Ne quis in fraudem huius legis, quo magis caduca et ereptitia is, qui capere non potest, capiat, quidquam admittere velit.

II. NE QVIS IN FRAVDEM H. L. aiunt legislatores. In fraudem vero legis aliquid admittere dicitur, *qui saluis verbis legis* SENTENTIAM *eius circumuenit* (a). Quemadmodum itaque *contra legem facere* intelligitur, qui id facit, quod lex palam et nominatim prohibet: ita fraus legi fit, *vbi, quod fieri lex noluit, fieri autem non vetuit, id fit: et quod distat* ϕυτὸν ἀπὸ διανοίας, DICTVM *a* SENTENTIA: *hoc distat* FRAVS *ab eo, quod* CONTRA LEGEM fit (b). Ingeniosissima enim esse solet improbitas, adeoque facile aliquid fingit atque excogitat, quo legis verba captentur, et, quod ipse legislator diserte non expressit, id ad eludendam legum vim ac potestatem, vel vt TACITVS (c) de hac ipsa lege eleganter loquitur, *ad praemia* poenasque *legis in ludibrium vertenda*, callide adhibeatur. Caue itaque cum huiusmodi fraudibus confundas varias iureconsultorum cautiones, quibus legem aequitate mitigabant, viasque earum rigorem euitandi legitimas inueniebant. Quemadmodum enim fraudes legum sententiam euertebant: ita haec ICtorum εὑρήματα erant cautiones innocuae, et nec verbis nec sententiae legum aduersantes, quibus obseruatis negotia valide explicari, calumniaeque ac sophisticae aliorum artes prudenter euitari possent. Quales cautiones permultas libro singulari Εὑρηματικῶν complexus est HERENNIVS MODESTINVS, cuius non nisi fractae quaedam tabulae commune librorum iuridicorum naufragium euaserunt (d).

III. Quum itaque et suae legi idem imminere fatum facile animaduerteret Augustus, qui teste SVETONIO (e) iam sua aetate *vim legis* variis artibus *eludi*, experiebatur: id operam dedit, vt omnes huiusmodi fraudes generali sanctione excluderet. Hinc ita scriptum fuisse videtur in lege nostra: NE QVIS IN FRAVDEM H. L. QVO MAGIS CADVCA ET EREPTITIA IS, QVI CAPERE NON POTEST, CAPIAT, QVIDQVAM ADMITTERE

(a) L. 29. *D. de legibus.*
(b) L. 30. *D. eod.*
(c) *Annal. Lib. XV. cap.* 19.
(d) LABITT. *Indic. p.* 244.
(e) *Aug. cap.* 34.

BIU Cujas

MITTERE VELIT. Frequentissima fraus erat, et a ICtis ad hoc caput praecipue tractata, quae donando admittebatur. Si quando enim sciebant testatores, nec hereditatum, nec legatorum capaces esse eos, quibus quid relictum vellent: solebant illis mortis caussa donare. Sed eam fraudem veteres omnes veluti ex compacto damnant, tanquam contra sententiam legis excogitatam. Hinc VLPIANVS (a) hanc generalem iuris regulam proponit ad hoc caput decimum: *illud generaliter meminisse oportebit, donationes mortis caussa factas* LEGATIS *comparatas. Quodcumque igitur in legatis iuris est, id in mortis caussa donationibus erit accipiendum.* Ex quo prono alueo fluit, incapacibus non magis donari, quam legari posse. Nec aliter PAVLLVS (b), nisi quod is, SCto ita cautum esse, obseruat, cuius occasione varias quaestiones et casus enucleat, sed ad generalem magis doctrinam de mortis caussa donationibus, quam ad legem caducariam, pertinentes. Vnde iis immorari instituti ratio non patitur. Non magis valebat donatio in fraudem legis ea facta formula: VT NVLLO CASV SIT REPETITIO. Quamuis enim ita donari possit eo effectu, vt donatarius a donatore securus sit (c): non tamen ea formula impediebat aerarium vel fiscum, quo minus, quod in fraudem legis ita traditum fuerat, reuocaret, et quidem, vt videtur, cum fructibus et accessionibus omnibus, quia et *donator*, postquam conualuit, *mortis caussa donationem condicens, fructus quoque donatarum rerum, et partus, et quod accreuit rei donatae*, teste PAVLLO (d), *repetere potest.* Atqui non magis rata erat donatio, in fraudem fisci vel aerarii facta, quam quae in fraudem donatoris, qui cogitatione imminentis periculi donans postea conualuerat.

IIII. Aliis quoque fraudibus vim ac potestatem legum eluisam esse, ex aliis quam plurimis fragmentis patet. Sic solebant quidam non ipsos incapaces, sed eos, quos illi in potestate habebant, heredes instituere, vt, quod ipsi per se capere non possent, per liberos caperent. Similiter et si filius familias incapax esset, impune ei plus, quam lex ferebat, relinqui posse existimabant, quia non sibi, sed patri adquireret. Sed et has artes reiiciunt interpretes, et in his PAVLLVS (e) nostet, cuius est haec regula iuris: *cepisse quis intelligitur, quamuis* ALII ADQVISIIT. Quid enim interest, siue iam statim filius familias ex testamento extranei capiat, siue in posterum a patre recipiat. Subtilissima

(a) VLP. *Lib. XV.* L. 37. *pr. D. de mort. causs. don.*
(b) PAVLL. *Lib. VI.* L. 35. *pr. D. eod.*
(c) PAVLL. IB. L. 35. §. 4. *eod.*
(d) PAVLL. *Lib. VI.* L. 12. *D. condict. causs. dat.*
(e) PAVLL. *Lib. VI.* L. 140. *D. de verb. sign.*

BIU Cujas

liſſima etiam erat ars, qua teſtatores ſeruos incapacium inſtituebant, ſub conditione libertatis. Quamuis enim dominum incapacem, nec per ſeruum capere poſſe, haud ignorarent: ita tamen callide inſtrui ſolebat ſcena, vt dominus ſeruum heredem ante aditionem hereditatis manumitteret, ac ab eo hereditatem illam ſibi, tanquam pretium manumiſſionis, clam ſtipularetur. Ita enim duo ſe conſequuturos ſperabant, primum vt nec fiſco vel aerario locus eſſet, ſi non dominus, ſed manumiſſus, hereditatem capere videretur: alterum, vt dominus nihilominus id lucrum obtineret, tanquam pretium manumiſſionis. Sed ſi fraus pelluceret, nihil actum videbatur, quantumuis alias huiuſmodi inſtitutiones eſſent licitae. Et ita intelligendus TER. CLEMENS (a), qui propoſita hac ſpecie, tum demum *ſeruum* ad hereditatem *admitti* ait, SI NIHIL IN FRAVDEM LEGIS *factum eſſet.*

V. Argutum quoque eſt inuentum cuius PAVLLVS (b) ad hoc caput meminit. Nam primo is, qui incapaci bonorum partem deſtinauerat, ei tantumdem pecuniae credebat viuus, et poſtea heredem, vt eum liberaret, damnabat. Sed et ſic nihil egiſſe teſtatorem, facile patet. Quid vero ſi ex duobus reis promittendi alter capere poſſet, alter non poſſet, et vtrique tamen legata fuiſſet liberatio? *Tunc*, inquit PAVLLVS, *ſi ſocii non ſint, delegari debet is, qui nihil capit, ei, cui hoc commodum lege competit: cuius petitione vtrumque accidit, vt et hoc commodum ad eum perueniat, et is, qui capit, liberetur.* Nimirum Titius et Seius, correi promittendi debebant mille. Creditor heredem damnabat, vt vtrumque liberaret. Sed Titius caelebs id commodum capere non poterat. Si itaque heres vtrumque liberaſſet, partem Titii nihilominus exegiſſet fiſcus, iſque, ſolutis mille, a Seio dimidiam ſummam repetiiſſet, actione ceſſa ab herede: adeoque hic non fuiſſet liberatus (c). Sin Seium liberaſſet ſolum, peremta etiam eo ipſo fuiſſet obligatio Titii, quia, ſoluente vno correo, vel quocunque modo ſatisfaciente, et alter liberatur (d). Nec Seius aduerſus Titium actione vlla vti potuiſſet, quia pro eo nihil ſoluerat. Callide itaque PAVLLVS ſuadet, vt, quia heres Seio debeat legatum liberationis, ei deleget Titium incapacem: eo enim ſoluente, et dimidia, quam iure tunc petit Seius, ad eum ſolum peruenit, et ipſe ex teſtatoris iudicio liberatur. Quid vero ſi ſocii ſint? Tunc, inquit PAVLLVS, *propter eum, qui capax eſt, et ille capit per conſequentias, liberato illo per acceptil-*

(a) TER. CLEM. *Lib. XVI. L. 82. D. de adqu. hered.*
(b) PAVLL. *Lib. VI. L. 29. D. de liber. leg.*
(c) *L. 2. C. de duob. reis.*
(d) *L. 2. L. 3. D. eod.*

BIU Cujas

ceptilationem. Id enim eueniret etiam, si solum capacem liberare iussus esset. Contra si incapacem socium solum liberari iussisset testator, neuter fuisset liberatus (a). Haec de legato liberationis. Quid si debitor creditori incapaci legasset debitum: an id quoque legatum legi aduersabatur? Id merito negandum, si inutile erat legatum, id est, si nihilo plus erat in legato, quam in obligatione. Sin lucrum aliquod inesset: quod capere legatarius non poterat, id aerarium procul dubio praeripiebat. Et huc pertinet alterum PAVLLI (b) fragmentum, quo an debiti legato lucrum insit, disquirit, respondetque: *si neque* MODO, *neque* TEMPORE, *neque* CONDITIONE, *neque* LOCO *debitum differatur, inutile est legatum.* Paullo obscurius hic est verbum DIFFERATVR, pro quo alii codices, notante IVL. PACIO, habent *proferatur*: sed eodem sensu. Atqui quaestio est de debito legato creditori. Quo casu quis vtile dixerit legatum, si debitum conditione, loco, tempore differatur vel proferatur? Manifestum itaque videtur, legendum esse *differat*: vt sensus sit, si legatum ab obligatione neque modo, neque tempore, neque loco differat, illud esse inutile.

VI. Fraus etiam legi facta videtur non vsufructu, sed reditu patrimonii omnibus annis legato: eoque pertinere videtur fragmentum VLPIANI (c), quod haec species illustrare videtur. Titius duxerat Caiam, trium liberorum, ex priore matrimonio susceptorum, matrem. Moriens ei relinquebat, quantum per leges capere poterat, puta decimam matrimonii nomine, tres decimas ob liberos legatariae superstites, et praeterea tertiam partem vsusfructus omnium bonorum. Vltimum legatum his verbis conceperat: *Tertiae partis* PATRIMONII MEI REDITVM OMNIBVS ANNIS VXORI MEAE DARI VOLO. Non videbatur hoc annuum legatum, quia non in annos singulos, sed omnibus annis dari iusserat maritus. Nec dici poterat vsusfructus legatus, quia reditus sit mentio, cuius legatum quomodo a legato vsusfructus differat, in iure notissimum est. Sed nondum eo tempore iuris expediti erat, an et reditus legatum morte legatarii exstinguatur? Ast hoc casu Aristonem respondisse refert VLPIANVS, *ad vxoris heredem legatum hoc non transire, quia aut vsuifructui simile esset, aut huic legato* IN ANNOS SINGVLOS. Non solum ex ea ratione, *quod haec mens fuisse testatoris videretur*, quam in simili fere specie LABEO, teste IAVOLE-

(a) *Arg.* L. 5. §. 1. *D. de donat. inter vir. et vxor.*

(b) PAVLL. *Lib. VI.* L. 29. *de legat.* 1.

(c) VLP. *Lib. XV.* L. 22. *D. de vsufr. leg.*

BIU Cujas

NO (a), vrgebat; sed et, quia alias in fraudem legis plus a coniuge cepisset coniux, quam par erat.

VII. Maxime etiam per tacita fideicommissa fraus legi fiebat, de quibus et supra diximus, et infra dicemus accuratius. Iam id addo, substitutiones fraudibus his non accenseri consueuisse, quas praecipue ad id *introductas* ait IVSTINIANVS (b), *ne fierent caduca, et si facta sint*, non ad fiscum, sed *ad certas personas recurrere disponerent.* Hinc si quis caelibem instituerat, incertus, an tempore apertarum tabularum capax futurus sit, ad excludendum aerarium vel fiscum vtiliter ita substituebat: *Titius heres meus esto: si heres non erit, Maeuius heres esto.* Ita enim fiebat, vt, Titio caelibe excluso, hereditas non in casum incideret, sed Maeuio in hunc casum substituto deferretur, modo et ipse per legem capere posset. Nec fraudibus accensebantur legata, iis relicta conditionibus, quas iam ad caput sextum ex *L.* 64. *D. ad L. Falc. et L.* 54. *D. de legat.* 2. notauimus. Et hinc illis plane similem conditionem ad hoc caput refert PAVLLVS (c). Fundum quinquaginta dignum legauerat Titius incapaci, sub hac conditione, SI QVINQVAGINTA HEREDI DEDISSET. Fisco hic locum non esse, facile patebat, quia sic nihil lucri perueniebat ad legatarium: sed quaerebatur, an non legatum sit inutile? Vti vero TER. CLEMENS iam in *L.* 54. *D. de leg.* 2. id vtile esse demonstrauerat: ita eiusdem sententiae est PAVLLVS. *Plerique*, inquit, *putant, vtile esse legatum:* sed ratio eius illa TERENTIANA paullo est obscurior. Addit enim, ideo vtile hoc legatum plerisque videri, *quia conditionis implendae caussa detur, et constare, etiam Falcidiam eum pati posse.* Sed haec manifesto redolent manum Triboniani. Procul dubio scripserat PAVLLVS: *Plerique putant, vtile esse legatum: quia conditionis implendae caussa datur: nam constat etiam legem Papiam hoc legatum pati posse.* Vtile ergo id legatum esse censet dupliciter, quia et legatarius fundum, quem habere eius interest, data ad implendam conditionem pecunia, accipiat, et lex Papia huiusmodi legatum non improbet, ex quo nullum lucrum perueniat ad legatarium. Sed vti Tribonianus pleraque fragmenta, quae ad hanc legem pertinebant, ad legem Falcidiam retulit, vt vsum aliquem, abrogatis etiam legibus caducariis, haberent: ita mirum non est, eum in hac quoque lege non nihil mutasse. Vt autem ad illam reuertamur: sub finem PAVLLVS adiicit: *Sed si quinquaginta aurei legati sint*, SI QVINQVAGINTA DEDISSET, *dicemus inutile esse legatum*, et

(a) L. 41. *D. de vsufr. leg.*
(b) L. *vn. pr. C. de cad. toll.*
(c) PAVLL. *Lib. VI.* L. 65. *D. ad L. Falc.*

BIU Cujas

et magis ridiculum esse, nimirum quia sic nihil legatum est, quinquaginta pro quinquaginta datis. Si quis tamen quinquaginta aureos Romanos rariores ea conditione historico legaret, si quinquaginta aureos daret heredi: vberrimum id videretur legatum: quemadmodum nec illud inutile est, si quis ita leget: *si Titius heredi meo cauerit, centum Maeuio se daturum, et heres meus Titio centum dato*: de quo legato agit IVLIANVS (a).

Sed his fraudibus non opus fuit ab eo tempore, quo IVSTINIANVS caduca sustulit. Ex quo et ratio reddetur facile, cur tot conditiones paene ridiculae in pandectis occurrant, quas si quis hodie legatis adscriberet, testatorem emotae mentis fuisse, deieraret. Sunt viri docti, qui huiusmodi casus, subtiliter in Pandectis enucleatos, nunquam exstitisse putant, sed ea a ICtis excogitatos arbitrantur, ad leges huiusmodi exemplis illustrandas. Sunt etiam, qui summae stoliditatis arguunt Romanos, in re seria magno conatu maximas agentes nugas, et tot conditionibus absurdis et ridiculis onerantes heredes et legatarios, vt vel eo tempore, quo testamenta conderent, operam videantur dedisse, vt cum ratione insanirent. Sed neutri mihi rem acu tangere videntur. Qui titulum de conditionibus et demonstrationibus euoluerit, plerosque casus vere exstitisse animaduertet. Qui vero legem nostram aliasque plures, quibus testatorum licentia adstricta fuerat, veluti Voconiam, Falcidiam, Fusiam Caniniam, Iuliam Vicesimariam recte expenderit: facile reddet rationem, cur tot conditionibus tam subtiliter inuentis vsi sint Romani testatores: non ideo sane, quod dulce iis esset desipere, vel nugas agere eo tempore, quo de suprema ac decretoria vitae hora cogitabant, sed quod huiusmodi artibus opus sibi esse existimarent ad euitandas fisci calumnias. Iureconsultorum vero erat disquirere, hasne conditiones ferant leges, an tanquam in earum fraudem excogitatas reiiciant? Quod si hodie illae in testamentis nostrorum hominum exsulant: id felicitati temporum nostrorum acceptum ferimus, quibus tot legibus non circumscripta sunt suprema hominum iudicia. Neque tamen ideo dementiae arguendi Romani, quibus ob principum auiditatem non licebat esse tam candidis atque apertis in testando. Sane si quis principum hodie leges saltim caducarias restitueret, (quod omen auertat Deus!) res ipsa procul dubio doctura esset iureconsultos, mille conditiones aeque subtiles in testamentis exstituras, ac olim exstiterant apud Romanos. Natura enim

(a) L. 84. *pr. D. de leg.* I.

BIU Cujas

ita comparatum est, vt, aucta legum multitudine, crimina etiam sub specie legis inuoluantur, et circumscriptio, vti veterum nonnemo ait, per ius ad iniuriam veniat.

* * * * * * * * * * *

CAPVT VIIII.

AD CAPITA LEGIS XI. XII. XIII.

DE IVRE ADCRESCENDI, TRANSMITTENDI ET DE TACITIS FIDEICOMMISSIS.

I. *ALterum caducis impedimentum obstabat ius adcrescendi, quod sublatum capite* XI. *Eius sententia.* II. *Iuris adcrescendi origo. Illud in hereditatibus prius, quam in legatis, inualuit. Inter quos coniunctos id ius obtinuerit? An et inter verbis tantum coniunctos? An in legato per damnationem? Lex caducaria ius adcrescendi in vniuersum non sustulit. Ius adcrescendi quibus casibus obtinuerit? quibus sublatum sit?* III. *Iustinianus illud in vsum reuocauit.* IIII. *Caput duodecimum de iure transmittendi egisse, probatur. Eius sententia.* V. *Expositio capitis et vsus.* VI. *Tacita fideicommissa prohibita sunt capite decimo tertio. Eius sententia.* VII. *Huiusmodi fideicommissa frequentissima.* L. 90. D. de legatis 3. *leuiter tentata.* VIII. *Edictum Traiani et constitutio Constantini de his, qui se ipsos deseruntt.*

I. CApita legis caducariae proxima impedimentis, quae caducis obstabant, remouendis destinata fuisse, capite superiore obseruauimus. Nihil autem caducis magis aduersabatur, quam ius adcrescendi. Portione enim deficiente coheredibus vel legatariis adcrescente, nihil erat, quod in aerarium vel fiscum incideret. Hinc id ius, fisco inimicissimum, Augustus veluti in exsilium egit, idque capite hoc vndecimo: Siquidem complura fragmenta Ter. Clementis ex libro XVII., Pavlli ex libro VI. et Caii ex libro XIII. ad ius adcrescendi manifesto pertinent. Ex his autem, aliisque veterum, quae suo loco laudabi-

BIU Cujas

laudabimus, teſtimoniis tale fuiſſe diſcimus caput legis noſtrae decimum tertium.

Ante apertas tabulas aditamque hereditatem, inter coniunctos heredes legatarioſue, ius adcreſcendi in iis, quae caduca vel in cauſſa caduci ſunt, excepto vſufructu legato; ne eſto.

II. Ius adcreſcendi videtur antiquiſſimum, et interpretatione prudentum ex ipſis XII. tabularum principiis deriuatum. Sanxerant decemuiri (a): AST SINTESTATVS MORITVR, CVI SVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO. Inde prudentes collegerunt, nullo modo admittendum heredem legitimum, ſi quis deceſſiſſet teſtatus, atque inde conſtruxerunt regulam iuris antiqui (b): *neminem poſſe pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere, earumque rerum, teſtati puta et inteſtati, naturaliter inter ſe pugnam eſſe.* Quae quum ita ſint: non potuit non inde naſci ius adcreſcendi inter coheredes, ita, vt ſi vel minima pars bonorum alicui titulo inſtitutionis honorabili relicta eſſet, is, altero deficiente, aſſem hereditatis totum caperet (c).

Quamuis autem ea ratio in legata non caderet, ſiquidem parte legati deficiente, non ideo eueniebat, vt quis pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus deceſſiſſe videretur: tamen ad haec quoque ius illud proferendum videbatur prudentibus, quod praeſumtio eſſet, teſtatorem, dum duos pluresue legatarios in vna re coniunxit, partem deficientem ad collegatarios potius deuolui, quam in hereditate ſubſidere, voluiſſe. Itaque inter collegatarios ius adcreſcendi valebat *iure coniunctionis* (d). *Coniunctim autem heredes inſtitui*, vel *coniunctim legari*, definiente CELSO (e), eſt *totam hereditatem vel tota legata ſingulis data eſſe, parteſque concurſu fieri.* Coniunctio illa fit tripliciter, vel *re et verbis*, vel *re tantum*, vel *verbis tantum* (f). *Re et verbis* coniuncti dicuntur, qui in eamdem rem, indiſtinctis partibus, vnaque propoſitione vocantur, veluti: TITIO ET MAEVIO FVNDVM CORNELIANVM DO LEGO. Si quibus eadem quidem res, ſed diuerſis propoſitionibus, relinquitur, hi *re coniuncti* dicuntur, veluti: TITIO FVNDVM CORNELIANVM DO LEGO; MAEVIO EVMDEM FVNDVM DO LEGO. Hi tametſi ad eamdem rem vocentur, et eatenus coniuncti habeantur,

(a) *Collat. Leg. Moſ. et Rom. tit. vlt.*
(b) L. 7. *D. de reg. iur.*
(c) L. 1. §. 4. L. 13. §. 2. L. 35. L. 74. *D. de her. inſtit.*
(d) L. 16. *D. quib. mod. vſufr.*
(e) CELS. *Lib. XXXV.* L. 80. *D. de leg.* 3.
(f) PAVLL. *Lib. VI.* L. 142. *D. de verb. ſign.* L. 89. *D. de leg.* 3.

BIU Cujas

quia tamen diuersis vocantur orationibus, aliquando in iure vocantur *disiuncti* (a): nec interesse videtur, quod ad ius adcrescendi attinet, continuis periodis, an in diuersis testamenti locis et paginis ad eamdem rem vocentur, dummodo ex verbis haud adpareat, testatorem, dum fundum Cornelianum, initio tabularum Maeuio legatum, sub earundem finem Sempronio relinquit, priori id legatum voluisse adimere. Idque recte ex *L.* 33. *D. de legat.* 1. contra FR. HOTOMANVM (b) defendit vir doctissimus, VLR. HVBERVS (c), maximum olim Frisiae nostrae ornamentum. *Verbis* denique *tantum coniuncti* sunt, qui eadem oratione in rem vnam, sed pro partibus in testamento expressis, vocantur, vt puta: TITIO ET MAEVIO FVNDVM CORNELIANVM DO LEGO EX AEQVIS PARTIBVS. Et has partes tantum intelligi oportet: nam si reipsa diuisae sint, et testator verbi caussa Titio partem fundi Corneliani cis flumen; Maeuio partem eiusdem vltra flumen; vel Caio et Seio singulos seruos legauerit (d): non sunt coniuncti, sed separati, nec, vno repudiante legatario, res legata alteri adcrescit (e). Non magis coniuncti censentur, quando partes intellectuales quidem duobus, sed diuersis orationibus adscribuntur, vt puta: PARTEM FVNDI CORNELIANI TITIO DO LEGO, PARTEM EIVSDEM FVNDI MAEVIO DO LEGO, quia singulis quidem pars rei, sed non vtrique eaedem legatae videntur (f). Denique nec, quum diuersi heredes diuersis legatariis eamdem rem dare damnantur, coniunctio inter legatarios intelligitur, veluti: TITIVS HERES MEVS FVNDVM CORNELIANVM MAEVIO DATO, CAIVS HERES MEVS EVMDEM FVNDVM SEMPRONIO DATO (g).

Quod itaque ad coniunctos attinet, inter eos omnes obtinet ius adcrescendi, etiam inter verbis tantum coniunctos, quibus id legis beneficium abiudicant GOVEANVS (h), FR. HOTOMANVS (i), ANT. FABER (l), et, quem primo loco nominare debebam, ὁ πάνυ IAC. CVIACIVS (m). Quid enim clarius est verbis PAVLLI nostri (n): *Si vero* VERBIS *quidem* CONIVNCTVS *sit, re autem non: quaestionis est, an coniunctus* POTIOR *sit? et magis est, vt et ipse praeferatur.* Praeferebantur itaque eadem figura coniuncti reliquis. Hinc deficiens portio adcrescebat

(a) §. 8. *Inst. de legat.* L. 1. §. 3. *D. de vsufr. adcresc.*
(b) *Ad* §. 8. *Inst. de legat.*
(c) *Praelect. ad Inst. Lib. II. tit. XX.* §. 26.
(d) L. 84. §. *pen. D. de legat.* 1.
(e) L. 1. *pr. D. de vsufr. adcresc.*
(f) L. 1. *D. eod.*
(g) L. *pen. D. eod.*
(h) *De iure adcresc. n.* 26.
(i) *Obs. lib. VI. cap.* 12.
(l) *Coniect. Lib. VI. cap.* 1.
(m) *Obs. Lib. XXIIII. cap.* 34.
(n) PAVLL. *Lib. VI.* L. 89. *D. de legat.* 3.

BIU Cujas

cebat collegatario coniuncto. Sin pluribus diuersa orationis forma rem eamdem legauerat testator, veluti: *Primo et Secundo fundum Aemilianum do lego: Tertio eundem fundum do lego: Quarto eundem do lego: Quinto et Sexto eundem do lego aequis partibus*: tunc deficiente Primo, eius portio Secundo; deficiente Quinto; Sexto adcrescit, iique reliquis omnibus praeferuntur tanquam eadem figura orationis coniuncti, in quos et onus cum lucro transit. Sin Tertius deficiat, iste, quia disiunctus est, portionem suam omnibus relinquit, sed ita, vt eadem figura coniuncti, veluti Primus et Secundus, Quintus et Sextus, pro vna persona habeantur, adeoque illi, si velint, tertiam vnam; hi alteram cum onere; Quintus reliquam tertiam inuitus, sed sine onere, consequatur. Illud postremo moneo, testatorem ius adcrescendi quidem in legatis; non autem in hereditate prohibere posse (a), quia si in hereditate prohiberet, ipse pro parte testatus, pro parte intestatus decederet: id quod tamen non contingit, si legatariis non adcrescat. Vnde et heredibus semper cum onere etiam inuitis; legatariis non semper inuitis, sed volentibus, neque semper cum onere adcrescit.

Nullum est dubium, quin haec omnia iure vetere ante legem Papiam Poppaeam obtinuerint. Quum tamen diuersa tum essent legatorum genera: ius adcrescendi quidem locum habebat in legato *per vindicationem* & aliis, non autem in legato *per damnationem*, de quo VLPIANVS (b): Si PER DAMNATIONEM *eadem res duobus legata sit, siquidem coniunctim, singulis partes debentur, & non capientis pars iure ciuili* IN HEREDITATEM REMANEBAT, *nunc autem caduca fit: Quod si disiunctim: singulis solidum debetur.* Si itaque hunc in modum per damnationem legauerat testator: HERES MEVS TITIO ET MAEVIO FVNDVM AEMILIANVM DARE DAMNAS ESTO: heres singulis praestabat partem eius fundi dimidiam, & alterutra portio deficiens alteri non adcrescebat, sed subsidebat in hereditate. Sin ita heredem damnauerat testator: HERES MEVS FVNDVM AEMILIANVM TITIO DARE DAMNAS ESTO, EVMDEM FVNDVM MAEVIO DATO: singulis heres debebat legatum solidum, id est alteri fundum, alteri praestabat aestimationem (c). Vnde et alterius deficiente portione, nihil erat, quod adcresceret alteri, qui iam tum solidum erat ex testamento consequutus. Tale fuit vetus istud inter legata discrimen, cuius eam fuisse rationem arbitror, quod in legato vindicationis & reliquis cum legatariis agebat testator, iisque ὡμέσως dabat,

(a) L. 57. §. 1. *D. de vsufr.* L. 7. *de reg. iur.*

(b) *Fragm. tit. XXIIII.* §. 13.

(c) CAI. *Inst. Lib. II. tit.* 5. §. 5.

BIU Cujas

dabat, legabat, vel *sumendi, praecipiendique* potestatem faciebat: vnde & iis ius esse videbatur partem deficientem captandi, ad quam essent per coniunctionem quamcumque ab ipso testatore vocati (a). Contra in legato per damnationem cum herede res erat testatori, quem hic dare facere iubebat. Si itaque persona, cui dare fuerat iussus, deficeret: liberatus videbatur, nec vllum ius esse collegatario, qui, quod debebatur, iam consequutus fuerat, portionem alteri destinatam petendi.

Ceterum ius hactenus explicatum & ante legem Papiam Poppaeam valuit, &, si a discrimine legatorum vetere discesseris, hodienum valet, postquam illud ab exsilio reuocauit IVSTINIANVS. Quid vero lex nostra? ANTE APERTAS, inquit, TABVLAS ADITAMQVE HEREDITATEM *ius adcrescendi ne esto.* Vetus illa magnoque cum apparatu agitata quaestio est: an ius adcrescendi in vniuersum sustulerit lex Papia Poppaea? In ea soluenda nec ipse sibi CVIACIVS satis constitit, siquidem illud modo penitus hac lege excluſum esse, docet (b), modo illud etiam post illam saluum fuisse, contendit (c): quam viri summi fluctuationem inter variantes eius interpretationes, ex suo instituto notauit EM. MERILLIVS (d). Et sane utrimque non deesse videntur rationes, quae dubiam & viri maximi mentem trahere potuerint. Nam si consideres paullo accuratius, PAVLLVM (e) ad hanc ipsam legem nostram accurate, et copiosius, quam quisquam, de coniunctis et iure adcrescendi disputare: vix est, vt eam doctrinam illa aetate exoleuisse, nulliusque in orbe Romano vsus fuisse arbitremur. Sin verba VLPIANI (f) intueamur: *Sed post legem* PAPIAM POPPAEAM *non capientis pars* CADVCA *fit:* nihil certius videri posset illa de profligato iure adcrescendi sententia. Sed quod saepe in huiusmodi quaestionibus euenire intelliges, neutra sententia vera; neutra sine exceptione admittenda est. Sustulit omnino lex caducaria ius adcrescendi, sed nec in vniuersum, nec inter omnes personas, nec in omnibus legatis sustulit. Quare capiti legis varias inseruimus restrictiones, iam paullo accuratius contemplandas.

Primo itaque ius adcrescendi non in vniuersum sublatum erat, sed ANTE APERTAS TABVLAS ADITAMQVE HEREDITATEM. Quidquid enim condito testamento, viuo testatore, deficiebat, id erat in CAVSSA CADVCI. Quod mortuo testatore, ante apertas tabulas deficiebat, CADVCVM fiebat. Apertis tabulis, sed nondum adita hereditate, legatoue agnito,

(a) MERILL. *Obs. Lib. VI. cap.* 32.
(b) *Observ. Lib. XII. cap.* 11. *Paratitl. C. de caduc. toll.*
(c) *Obs. Lib. XXIIII. cap.* 34.
(d) *Var. Cuiac. Lib.* 1. *Cap.* 39.
(e) PAVLL. *Lib. XI.* L. 89. *D. de leg.* 3. L. 142. *D. de verb. sign.*
(f) *Fragm. tit. XXIIII.* §. 12.

BIU Cujas

agnito, quidquid deficiebat, bonorum VACANTIVM nomine ab aerario vel fisco occupabatur, ac proinde hactenus locus non erat iuri adcrescendi. Ast tabulis apertis, aditaque hereditate, non amplius fisco quidquam spei supererat, & proinde si quid deficeret, id vel coheredibus vel coniunctis collegatariis adcrescebat. Hinc CAIVS (a) ad hoc caput: *Qui semel*, inquit, *aliqua ex parte* HERES EXSTITIT, *deficientium partes etiam inuitus excipit, id est, tacite ei deficientium portiones etiam inuito* ADCRESCVNT. Idem de legatis tradit IVLIANVS (b), qui legati partem deficientem etiam heredibus coniuncti collegatarii adcrescere, docet, *si tamen* HEREDITAS ADITA SIT. Eodem pertinent *Leges* 34. *et* 35. *D. ad L. Aquil.* et *L.* 4. *D. de manum. vindicta*, vbi alteri collegatario, altero partem suam post hereditatis additionem repudiante, pars deficiens adcreuisse dicitur. Simile quid de bonorum possessionibus secundum tabulas obseruat VLPIANVS (c), vt satis adpareat, adita iam hereditate locum fuisse iuri adcrescendi, quod et a viris eximiis, EM. MERILLIO, (d) IAC. GOTHOFREDO (e) et IANO A COSTA (f) satis superque obseruatum est.

Hinc porro sequitur: INTER CONIVNCTOS HEREDES LEGATARIOSVE IVS ADCRESCENDI IN IIS, QVAE CADVCA VEL IN CAVSSA CADVCI SVNT, NE ESTO. Quibus verbis ideo vsi sumus, quia in iis, quae pro non scriptis habentur, ius adcrescendi, vti ex IVSTINIANI (g) constitutione recte obseruauit MERILLIVS (h), semper obtinuit, adeoque ad sola caduca et, quae in caussa caduci sunt, hoc legis caput pertinuit. Quin ex eodem sequitur, vt, quia non omnia caduca fisco cederent, sed in illis quaedam personae, de quibus capite legis caducariae secundo agitur, fisco anteferrentur, inter huius modi personas coniunctas etiam ius adcrescendi habuerit locum. Institutis itaque liberis, vel parentibus ad tertium gradum, vel extraneis liberorum iure subnixis, ius adcrescendi inter eos obtinuit, idemque dicendum videtur de eo casu, si huiusmodi personis aliquid per modum legati coniunctim fuerat relictum (i). His enim ius antiquum, id est, ius adcrescendi, relictum esse diserte fatetur VLPIANVS (l). Et iam facile adparet, quo pertineant

(a) CAI. *Lib. XIIII.* L. 53. §. 1. *D. de adquir. vel omitt.*
(b) L. 26. §. 1. *D. de cond. et dem.*
(c) L. 2. §. 8. *D. de bon. possess. sec. tab.*
(d) *Obs. Lib. V. cap.* 4. *et* 12.
(e) *Ad Leg. Pap. pag.* 349.
(f) *Ad* §. *vlt. Inst. de SC. Orphit.*
(g) L. *vn.* §. 3. *C. de caduc. toll.*
(h) *Var. Cuiac. Lib. I. cap.* 39. *p.* 163.
(i) SCHVLTING. *Iurisprud. vet. anteiust. pag.* 653. 618.
(l) *Fragm. tit. XVIII.* §. 1.

BIU Cujas

praeclara illa TER. CLEMENTIS (a), CAII (b) et PAVLLI (c) fragmenta, quibus totam de iure adcrescendi doctrinam eleganter & copiose exponunt. Ostendendum enim illis erat, quomodo deficiens portio his personis, ab ipsa lege exemtis, adcresceret, si vel coheredes essent, vel collegatarii mixtim, re, verbisue coniuncti.

Exceptum porro fuisse arbitramur legatum vsusfructus, in quo nec post legem Papiam Poppaeam ius adcrescendi exoleuerat. Hinc capiti nostro inseruimus verba: EXCEPTO VSVFRVCTV LEGATO. Vsusfructus enim id habebat singulare, quod eius pars deficiens non fisco vel aerario vindicaretur, sed coniuncto adcresceret, et quidem non solum ante agnitum legatum deficiens, sed et, si iam aliquamdiu vsus fruitus legatarius postea morte interciperetur (d). Immo vsusfructus deficiens non solum ei, qui tum altera parte vtebatur fruebatur, adcrescebat, sed et illi, qui portionem suam amiserat (e): quia, vti recte vidit clarissimus A. A. PAGENSTECHERVS (f), vsusfructus non rei, sed personae, adcrescebat (g), quum alias in proprietate portio portioni adcrescat (h). Quod ius quum lex Papia Poppaea non sustulisset, facile iam reddetur ratio, cur, quum in Digestis nullus de iure adcrescendi titulus singularis occurrat, de vsufructu tamen adcrescendo tam verbose egerint veteres iureconsulti.

III. Verum hoc legis caducariae caput, vna cum caducis, sustulit IVSTINIANVS (i), qui ius adcrescendi antiquum veluti postliminii iure in vsum recepit, et copiose exposuit in luculenta de caducis constitutione.

IIII. Sequens caput decimum tertium omisit vir eximius IAC. GOTHOFREDVS. Sed sunt quaedam ex libro XVI. VLPIANI (l), ex libro XIIII. CAII (m), et PAVLLI (n) libro VI. fragmenta, quae, caput hoc de transmissione legatorum egisse, plane persuadent.

Et sane non minus caducis obstabat atque aduersabatur ius legatum transmittendi ad posteros, quam ius adcrescendi. Quare et illud restrictum et coarctatum hac lege fuisse, perquam verosimile est. Et quidem, quod ad hereditates attinet, in iis nihil mutauit. Nam et iure antiquo,

(a) TER. CLEM. *Lib. XVII.* L. 17. *D. de opt. leg.*
(b) CAI. *Lib. XIII.* L. 58. *D. de leg.* 2.
(c) PAVLL. *Lib. VI.* L. 89. *D. de leg.* 3. L. 142. *D. de verb. sign.*
(d) L. 1. §. 3. *D. de vsufr. adcrescendo.*
(e) L. 10. *D. eod.*
(f) *Admonit. ad Pand. Part. II.* §. 70.
(g) L. 33. §. 1. *de vsufr.*
(h) *d.* L. 33. L. 3. §. *vet.* L. 4. L. 5. *de bon. possess.*
(i) L. *vn.* §. 8. *sequ. C. de caduc. toll.*
(l) VLP. *Lib. XVI.* L. 60. *de leg.* 2.
(m) CAI. *Lib. XIIII.* L. 56. *D. de leg.* 2.
(n) PAVLL. *Lib. VI.* L. 24. *quando dies leg.*

BIU Cujas

antiquo, et post legem Papiam Poppaeam, hereditas nondum adita non transmittebatur. Quin ius antiquum ea in re nouo erat rigidius, quod exceptiones illae, quibus hodie liberorum sui iuris (a), et extraneorum, intra spatium deliberandi decedentium, heredes (b) vtuntur, posteriore demum aeuo a Theodosio, Valentiniano et Iustiniano inuectae sunt. Ast in legatis res aliter se habet, de quibus cautum fuisse arbitramur:

Legatum, pure aut in diem certum per vindicationem relictum, post apertas tabulas; reliqua huius generis non nisi agnita; conditionalia denique post conditionis euentum, ad heredes transmittuntor.

V. De ipso hoc legatorum discrimine, et diuerso transmittendi iure nihil est, quod hic monendum existimemus post ea, quae iam ad caput legis nonum monuimus: vbi et sententiam huius capitis veterum testimoniis demonstrauimus. Iam tantum veterum fragmenta, quae ad caput hoc retulimus, paucis expendere iuuabit. Elegans est species quam ex IVLIANO repetit VLPIANVS (c): Pater a filio herede legauerat Seio, et huius fidei commiserat sub conditione, vt Titio daret. Titius pendente conditione decesserat. Non sane dubium erat, quin fideicommissum, vtpote conditionale, deficeret, quia eius dies a conditionis euentu cedit, ab eoque tempore demum transmittitur. Sed id quaerebatur, quis id fideicommissum lucraretur? Fisco sane non erat locus, quia id erat fideicommissum, quod tum legatis nondum fuerat aequiparatum, nec id erat tacite relictum, vt ideo eripiendum esset. Ast vtrum illud apud filium, a quo legatum, an apud Seium a quo fideicommissum erat, subsideat, de eo erat quaestio. Quam ita IVLIANVS definit: *Fideicommissum deficiens apud Seium manet, non ad filium heredem pertinet, quia in fideicommissis priorem causam habere eum, cuius fides electa est, senatus censuit.* Intelligi MERILLIO (d) videtur SCtum Trebellianum, quod fideicommissa, si qua deficerent, non caduca esse, sed apud eum, a quo relicta erant, manere voluerit. Quod SCtum in animo habuisse oportet etiam MARCELLVM (e), dum similem quaestionem eodem modo decidit, addita tamen elegante limitatione, *nisi duntaxat vt ministrum* legatarium Seium *elegerit.*

(a) L. *vn. C. de his qui ante apert. tab.*
(b) L. *19. C. de iure delib.*
(c) VLP. *Lib. XVI.* L. *60. D. de legat. 2.*
(d) *Lib. VII. Obs. cap. 22.*
(e) L. *17. pr. D. de legat. 2.*

BIU Cujas

Paullo ſubtilior eſt ſpecies PAVLLI (a). Teſtator heredem Caio dare damnauerat penum, vel fundum, et, ſi non dediſſet, decem. Ita conditionale erat legatum. Relicti enim erant decem, ſub ea conditione, ſi heres penum vel fundum non dederit. Caius, interpellato herede, deceſſerat. Quaerebatur, quid ad heredes ſuos tranſmittat? Reſpondet ICtus, decem tranſmitti. Conditio enim decedente Caio iam exſtiterat, quia interpellatus heres, vt fundum vel penum daret, neutrum dederat. Et ita iam facile intelligentur verba Paulli: *ſi penum heres dare damnatus ſit, vel fundum*, vel aliam quamcumque ſpeciem, *et ſi non dediſſet, decem: ego accepi* a magiſtris meis, *et penum legatam, et tranſlatam eſſe in decem, ſi noluerit penum heres dare, et tunc pecuniam deberi, quum interpellatus fundum non dediſſet*: id eſt vtroque caſu legatam eſſe non penum vel fundum, ſed decem, ſub ea conditione, ſi heres penum vel fundum non dederit, adeoque heredem Caii petere poſſe decem, ſi viuus ille heredem interpellauerit. Iam altera ſequitur ſpecies. Caius, cui hoc modo legatum fuerat, antequam heredem interpellaſſet, deceſſerat: quid tunc tranſmittebat? Non ſane legatum decem aureorum, quia eius legati conditio nondum exſtiterat, herede nondum interpellato. Quia tamen et fundus et penus pure et perfecte legatus fuerat, Caius legatum hoc tranſmittebat ad heredes. Vnde pergit PAVLLVS: *Et ſi interea*, antequam heredem interpellauerit, *deceſſerit legatarius: tunc heredi eius non niſi fundum* vel penum, non autem decem *deberi. Namque quum dictum eſt: Publicius heres fundum*, vel penum, *dato, perfectum eſt legatum*, et hinc ſtatim agnitum tranſmittitur: *et quum dicit: ſi non dederit, (penum vel fundum,) centum dato: ſub conditione fundi legatum ademtum videri eo caſu, quo centum deberi coeperint.* Id eſt, perinde habetur, ac ſi teſtator dixiſſet: Decem dato, ſi interpellatus penum vel fundum non dederis. *Quorum quia conditio, viuo legatario, non exſtiterit, forte quia interpellatus non ſit: euenerit, vt ademtio nihil egerit, fundique legatum*, quia purum et perfectum eſt, *durauerit.* Subiicit PAVLLVS ſpeciem tertiam. Teſtator ita Caio legauerat: SI PENVM NON DEDERIT, DECEM DATO. Quid tunc tranſmittet? Si viuus interpellauerit heredem, decem tranſmittit, quia exſtitit conditio. Si non interpellauerit: in heredem Caii nihil deuoluetur. Nam neque penus debebitur, quae non legata eſt: nec decem, quia Caius ante exiſtentem conditionem defecit. Et huc pertinent verba poſtrema: *Plane ſi ſic legatum ſit: Si penum non dederit, decem dato: dicimus, non eſſe*

(a) PAVLL. *Lib. VI. L. 24. D. quando dies legat.*

BIU Cujas

esse penum legatam. Vt breui ἀνακεφαλαιώσει rem omnem ob oculos ponamus. Si testator scripsit : *Heres Caio fundum dato, si non dederit, decem dato :* duplex legatum est, purum alterum, puta fundi; alterum conditionale decem aureorum. Si itaque Caius, interpellato herede, decessit, posterius legatum transmittit, quia iam exstitit conditio. Sin nondum interpellato herede ad plures abiit : legatum non posterius transmittit, cuius conditio nondum exstitit, sed prius, quia id purum et perfectum est. Denique si ita legatum : *Heres, nisi Caio penum dederit, centum dato :* interpellato herede, transmittitur legatum decem aureorum : non interpellato, nec pecunia, quia conditio non exstitit, nec penus, quae plane non legata est.

Reliquum est tertium, quod ad hoc caput pertinet, fragmentum, ex quo discimus, id ius non tenuisse principem, et quidem ex constitutione Antonini. De ea enim CAIVS (a): *quod* PRINCIPI *relictum est, qui antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, ex constitutione D. Antonini* SVCCESSORI *eius debetur.* Mirum id videri posset, maxime in Antonino, eum se iure communi exemisse, quum alioquin in hereditatibus adeundis, agnoscendisque legatis nihil singulare adfectauerint boni principes. Et miratur sane ad hunc locum DIONYS. GOTHOFREDVS, qui odiosam hanc constitutionem putat, et principis maiestate indignam. Sed vera ratio est, partim quod huiusmodi legatum non personae, sed dignitati, relictum videretur, quae ratio acuta sane et elegans nuper viro celeberrimo, mihique amicissimo succurrit (b): partim, quod Princeps omnibus legibus caducariis, vt supra obseruauimus, nominatim esset solutus. Hinc is vtebatur iure antiquo, et dies legatorum ei relictorum a tempore mortis testatoris cedebat. Ex quo sane consequebatur, vt legatum etiam transmitteret non solum ad heredem, sed et successorem : nec non, vt transmitteret illud, etiamsi, antequam dies legatorum ex lege Papia Poppaea cederet, ab hominibus esset ereptus.

VI. Progredimur ad caput XIII. quod de fideicommissis tacitis et in fraudem legis excogitatis egisse, exinde colligo, quod VLPIANVS libro XVIII, TER. CLEMENS libro eodem, CAIVS libro XV, et PAVLVS libro septimo de iis copiosissime disputarunt. Eo capite ita cautum fuerat :

(a) CAI. *Lib. XIIII. L. 56. D. de leg. 2.*

(b) GVNDL. *de Principe herede Cap. 6. §. 33.*

BIU Cujas

Si qui heres legatariiſue in fraudem H. L. a teſtatore tacite rogatus ſit, ei reſtituere, qui per H. L. capere prohibetur, iſque ſciens dolo malo tacitam fidem teſtatori adcommodauerit, hereditate legatoue, ſibi relicto, priuator, eaque populo vindicantor.

VII. Qualia fuerint tacita illa fideicommiſſa, quibus heredes obſtringere conſueuerint teſtatores, vt hereditatem incapacibus reſtituerent, iam ſupra, vbi de legibus decimariis et ſolidi capacitate egimus, explicatum eſt. Iam ipſa capitis verba paucis interpretabimur: SI QVI HERES, inquit lex, LEGATARIVSVE. Nihil enim intereſt, ab herede incapaci relinquatur, an a legatario, nec, vniuerſale hoc fideicommiſſum ſit, an ſingulare, dummodo plus in ſe lucri contineret, quam fideicommiſſarius per leges capere poſſet. Additur: IN FRAVDEM H. L. Tam ſaepe enim hac fraude ad eludendam legis caducariae ſeueritatem vtebantur homines vaferrimi, vt apud veteres ſcriptores nihil ea memoretur frequentius. Hinc Scholiaſtes IVVENALIS (a): *Si vxor*, inquit, *iure impediatur adultero ſuccedere, ipſe maritus leno ſuccedit adultero heres, vt* PER FIDEICOMMISSVM *res adulteri ad adulteram veniant.* Et HIERONYMVS (b): *Per* FIDEICOMMISSA *legibus illudimus*, quem locum iam vir eximius, IAC. GOTHOFREDVS, notauit. Vidimus etiam ſupra TERTVLLIANVM (c) hanc fraudem ad pietatem inflectentem, ſcribentemque, ſe, vt vxor promiſſa diuina *in ſolidum capere poſſet, hoc* TACITVM *admonitionis ſuae* FIDEICOMMISSVM *Deo commendaſſe.* Denique CALLISTRATVS (d), *ſuo tempore eo fere iam decurſum*, refert, *vt fraus legi fieri videretur, quoties quis neque teſtamento, neque codicillis rogaretur, ſed domeſtica cautione et chirographo obligaret ſe, ad praeſtandum ei, qui capere non poſſet.* Ceterum iſta fraus in eo conſiſtebat, vt quis A TESTATORE TACITE ROGARETVR, EI RESTITVERE, QVI PER H. L. CAPERE PROHIBERETVR. Si quis ergo in teſtamento rogaret heredem, vel legatarium, vt bona eorumue partem incapaci reſtitueret, id in fraudem legis factum videbatur, ſiue fiduciarius chirographum eo nomine dediſſet, ſiue nuda pollicitatione repromiſiſſet, vt docet CAIVS (e). Quales vero fuerint hi chirographi, iam ſupra oſtendimus, neque id hoc loco repetimus. Praecipue tamen id pro fraude vel dolo habebatur, quod TACITE rogatus eſſet heres vel legatarius. Si

(a) *Ad Sat. I. v.* 55.
(b) *Ad Nepotian.*
(c) *Ad vxor. Lib. I. cap. v.*
(d) L. 3. D. *de iure fiſci.*
(e) CAI. *Lib. XV.* L. 10. *pr. de his quae vt ind.*

BIU Cujas

Si quis enim palam rogatus promiserat, se restituturum personae, quae legibus ex testamento capere prohiberetur: fideicommissum quidem concidebat, ast illud non occupabatur ab aerario vel fisco, sed in hereditate subsidebat, vel apud eum, a quo relictum fuerat, permanebat. Quo pertinet fragmentum PAVLLI (a): *nominatim legatum accipiendum est, quod, a quo legatum sit, intelligitur, licet nomen pronunciatum non sit.* Ita Codices omnes. Sed quum in lege Papia caducaria non quaereretur, a quo legatum esset, (id quod non poterat non certum esse,) sed cui aliquid contra leges vel in earum fraudem relictum fuerit: parum abest, quin expuncta praepositione scribendum putem: *quo legatum sit*, vt *quo* vel ponatur pro *quorsum* vel pro *cui*. Ita enim aliquando loquuntur iureconsulti et ipse PAVLLO aequalis VLPIANVS (b), procul dubio more veterum, quos *quoi* pro *cui* scripsisse, in vulgus notum est. Porro additur: RESTITVERE EI, QVI PER LEGEM CAPERE PROHIBETVR. Puta tempore conditi testamenti. Nec enim is incidebat in legem, qui rogatus fuerat, ei restituere, qui quum tempore conditi testamenti capax esset, postea demum incapax esse coeperat. Quare non dubitat CAIVS (c), *quin, etsi hoc casu fideicommissum deficiat, id tamen apud eum, qui rogatus erat restituere, manere debeat, quia* NVLLA *eius* FRAVS *interuenisse videatur, nisi in futurum casum fidem accommodauerit, id est, vt, licet capere legibus prohiberi coeperit, restituat.* Quare nec aerario locus erat, si persona, cui restituenda hereditas, capere posset, veluti concubina. Et ita CELSVS pater, quum esset in consilio Ducenni Veri, Cons. sententiam suam omnibus probauit, quum censeret, legatum ducentorum concubinae Otacilii Catuli praestandum esse, quod ipse liberto relinquerat, petieratque, vt restitueretur concubinae, tametsi libertus viuo testatore decessisset, et legatum remansisset apud Otacilii filiam heredem (d). Porro non sufficiebat, heredem legatariumue a testatore tacite rogatum esse: sed concurrere oportebat fiduciarii promissum, dolo malo factum. Hinc additur: ISQVE SCIENS DOLO MALO TACITAM FIDEM TESTATORI ADCOMMODAVERIT. Qui enim poena dignus videri potuisset heres vel legatarius, cui contra leges aliquid iniunxerit testator, quum ipse fidem nunquam ei obstrinxisset, se improbae isti testatoris voluntati pariturum? Fidem itaque suam adcommodasse debebat

(a) PAVLL. *Lib. VII.* L. 90. *D. de leg.* 3.

(b) L. 16. §. 12. *D. ad SC. Trebell.*

(c) CAI. IBID. L. 10. §. 1. *D. de his, quae vt indign.*

(d) CELS. *Lib. XXXVI.* L. 29. *de leg.* 2.

BIU Cujas

bebat fiduciarius, et quidem SCIENS, DOLO MALO. In illa vero quaestione, teste VLPIANO (a), *nec supina ignorantia ferenda erat, factum ignorantis, nec scrupulosa inquisitio exigenda. Scientia enim hoc modo aestimanda videbatur, vt neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita esset, neque delatoria curiositas exigeretur.* Nec dolum commisisse videbatur filius familias, qui iussu patris tacitam fidem adcommodauerat. Quamuis enim pater per filium tunc nihil adquireret, ne fraudis atque improbitatis suae caperet fructum: filio tamen, mortuo patre, vel facta emancipatione, id factum fraudi non erat, quia, vti CAIVS (b) respondet, non videbatur id filio nocere debere, qui *parendi necessitatem habuerit.*

Si quis ergo ita tacitam fidem sciens dolo malo adcommodauerat: tunc is HEREDITATE LEGATOVE, SIBI RELICTO, PRIVABATVR, EAQVE POPVLO VINDICABANTVR. Hinc primo fideicommissa ipsa hoc modo relicta deficiebant, ne excepta quidem libertate fideicommissaria, cuius alioquin maximus erat fauor: *quum libertas*, teste TER. CLEMENTE (c), *legibus adimeretur, aut pro non data haberi deberet, aut certe perinde obseruari, ac si a testatore ademta esset.* Sed et si operae serui hoc modo cuiquam relinquerentur, qui tacitam fidem accommodauerat, eo quoque legato fiduciarium priuabat fiscus, quamuis tunc multi non nisi vsum serui relictum censerent. Diserte enim TER. CLEMENS (d): *operis serui legatis*, VSVM *datum intelligi, et ego didici*, et IVLIANVS *existimat.* Diuersae nimirum erant veterum de operis seruorum sententiae. Alii eas vsuifructui (e); alii vsui adsimilabant: Quamuis autem ab vtroque differant, et plus sit in vsufructu, quam in operis, plus in operis, quam in vsu: quum illae nec necessitate aestimentur, et locari aliis possint (f): aequior tamen TER. CLEMENTI eorum sententia visa est, qui seruorum operas vsui comparabant, quia idem senserat IVLIANVS, a quo ipse sententiam suam haud temere seiungit. Denique fiduciarius non modo suam partem amittebat, verum etiam ius adcrescendi. Quum enim in hereditate pars parti vel res rei adcrescat (g): nihil sane ei, VLPIANO (h) iudice, potest adcrescere, *qui rem non videtur habere.*

VIII. Tan-

(a) VLP. *Lib. XVIII.* L. 6. *D. de iur. et facti ign.*

(b) CAI. *Lib. XV. d.* L. 10. §. *vlt. D. de his, quae vt indign.*

(c) TER. CLEM. *Lib. XVIII.* L. *vn. D. de ademt. lib.*

(d) TER. CLEM. *Lib. XVIII.* L. 5. *D. de op. seru.*

(e) L. 3. L. 4. *D. eod.*

(f) L. 2. *D. de vsu legat.*

(g) L. 3. §. *vlt.* L. 4. L. 5. *D. de bon. possess.*

(h) VLP. *Lib. XVIII.* L. 83. *D. de adqu. her.*

BIU Cujas

VIII. Tantus erat legis caducariae rigor. Aſt aequitate motus TRAIANVS eum quodammodo temperauit, ſtatuitque, *vt quicunque profeſſus eſſet, vel palam vel tacite relictum ſibi, quod capere non poſſet, et probaſſet, iam id ad fiſcum pertinere: etiamſi id non poſſideret, ex eo quod redactum eſſet, partem dimidiam ferret* (a). Poſtea et CONSTANTIVS (b) A. Maximo Rationali Hiſpaniae reſcripſit, vt ſi ipſe, qui tacitam fidem teſtatori adcommodauit, ſtatim ſe deferret, is partem tertiam praemii loco auferret: ſin vxor fideicommiſſaria, illa dimidiam conſequeretur cum priuilegio optionis: occultator vero geſtorum, exutus omni patrimonio, deportaretur in inſulam. Sed poſtquam pleraeque leges, quae caelibes et orbos incapaces eſſe iuſſerant, ab ipſo CONSTANTINO; reliquae extremis reip. temporibus ſublatae fuerunt, ac denique IVSTINIANVS ipſa etiam caduca abrogauit: nihil cauſſae ſuberat, cur homines tacitis huiuſmodi fideicommiſſis legi iam intermortuae illudere cuperent.

(a) PAVLL. *Lib. VII.* L. 13. §. 1. D. *de iure fiſci.* (b) L. *vn. C. de his, qui ſe defer.*

* * * * * * * * * * *

CAPVT X.

AD CAPITA LEGIS XIIII. ET XV.

DE PRAEMIIS DELATORVM ET ONERIBVS FISCI.

I. CAput XIIII. *de delatorum praemiis. Iis praemia fuiſſe propoſita, demonſtratur. Sententia huius capitis.* II. *Quis deferre potuerit? Delator non niſi ſi conuicerit, praemia capiebat. Calumniae et praeuaricationis poena. Quantum fuerit delatorum praemium? Rationes ad aerarium deferendae. Quadruplatores. Delationes plane ſublatae.* III. *Edictum Traiani de iis qui ſe ipſi deferunt, expoſitum.* IIII. *Caput vltimum de oneribus fiſci.* V. *Aerarium vel fiſcus ſuccedens tenebatur ad aes alienum. Nec non ad legata, fideicommiſſa et reliqua onera praeſtanda. Fiſcus et omnes actiones adquirebat.*

I. IIſdem commentariorum libris, quibus caput ſuperius illuſtrarunt VLPIANVS, et PAVLLVS, etiam de praemiis delatorum diſputarunt. Delatores autem praemiis ad caduca deferenda fuiſſe inductos, *Heineccius ad Leg. Iul. Pap. Popp.* K k k mul-

BIU Cujas

multis veterum teſtimoniis conſtat. TACITVS (a) ſane *omnem domum* DELATORVM *interpretationibus ſubuerſam* refert. Et paucis interiectis (b): *Acriora*, inquit, *ex eo vincla, inditi cuſtodes, et lege Papia Poppaea praemiis inducti, vt, ſi a priuilegiis parentum ceſſaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret.* Vbi *cuſtodes* non alii, quam delatores. Quantum fuerit, quod abſtulerunt, praemium, parum conſtat. Quum autem SVETONIVS (c) auctor ſit, Neronem *praemia delatorum Papiae legis ad quartas redegiſſe*: facile patet, ea ſatis magna antea fuiſſe, et fortean tertiam aut ſemiſſem bonorum, quae ad aerarium detuliſſent, complexa. Poſterius mihi videtur veroſimillimum, vel ideo, quod TRAIANVS, vti paullo poſt videbimus, tantumdem reliquit iis, qui ſe ipſos eſſent delaturi. Et haec etiam ratio me retrahit, vt non adſentiar BEROALDO, quartam illam apud SVETONIVM non intelligenti de quarta bonorum, quae quis detulerit, ſed de quarta praemii ipſis conſtituti lege Papia Poppaea, quod quartam bonorum partem fuiſſe exiſtimat. Neque tamen haec pro certo adfirmare licet, videturque conſultius, caput hoc cum GOTHOFREDO mutilum ita proferre:

Si quis incapaci relictum ad aerarium detulerit, et conuicerit, praemii nomine - - - - partem bonorum conſequitor.

II. SI QVIS, inquit lex, INCAPACI RELICTVM AD AERARIVM DETVLERIT. Deferre autem poterant, qui et accuſare. Non igitur mulieres, nec viri clariſſimi, nec damnati, nec milites ac veterani, nec qui tutores vel curatores, aut procuratores fuerant, nec venditores earum rerum, quas deferunt: ceu ſingulari de delatoribus libro docuit MARCIANVS (d). Ii omnes deferre non poterant. Reliquis deferre licebat, iique id faciebant tam frequenter, vt omnis domus, omnis paene ſubuerteretur familia. Ne tamen calumniis ſuis peſſumdarent rempublicam: variis legibus, SCtis et conſtitutionibus principum coercenda videbatur hominum audacia. Primum enim praemii tunc demum fiebant participes, SI CONVICISSENT, id eſt ſi fraudem legi factam, aut caduca celari, iudici fidem feciſſent. Deinde ne & innocentes ficta opprimerentur calumnia, eiuſmodi ſcelus puniebatur grauiſſime: ſed non niſi ſub bonis Principibus. Sic ſane Titus Imp. teſte PLINIO (e), exempla primus fieri iuſſit in delatoribus, quos, vti SVETONIVS (f) refert, adſidue in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, ac nouiſſime traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſeruos, ac venire imperauit, partim in aſperrimas inſularum iuſſit auehi. Deinde et Domitianus, adhuc bonus, reos, qui

(a) *Ann. Lib. III. cap. 25.*
(b) *Id. Ib. cap. 28.*
(c) *Neron. cap. 10.*
(d) L. 18. *D. de iure fiſci.*
(e) *Paneg. cap. 35.*
(f) *Tit. cap. 8.*

BIU Cujas

qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependiſſent, vniuerſos diſcrimine liberauit, nec repeti, niſi intra annum, eaque conditione permiſit, vt accuſatori, qui cauſſam non teneret, exſilium poena eſſet. Idem fiſcales calumnias magna calumniantium poena repreſſit, ferebaturque vox eius: Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat (a). Sequutus eſt principatus Neruae, quem PLINIVS (b) magna quaedam edicto Titi, quo delatorum calumnias repreſſerat, adſtruxiſſe; XIPHILINVS (c) autem ſeruos et libertos, dominis et patronis periculum facientes, poenis adfeciſſe, refert. Sed nemo ſeuerior Traiano, magnifice ideo collaudatus a PLINIO (d). Quum enim renatum eſſet illud delationis malum, multique reperirentur, qui quaſi graſſatores et latrones non ſolitudinem, non iter, ſed templa & fora, inſederant, nullaque iam teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus, non orbitas, non liberi prodeſſent: Traianus inſtituit delatorum iudicium, et quotquot calumniae conuictos intelligebat, ſtigmate ex lege Remmia vſtos, et impoſitos nauibus, in inſulas deferri iuſſit. Saepe et inſequentes principes eadem ſeueritate in delatores animaduerterunt. Hadrianus, teſte MAVRICIANO (e), reſcripſit, eamdem poenam ferre delatorem debere, ſi citatus per edictum non reſponderit, qua teneretur, ſi cauſſam non probaſſet. Poſtea ſenatus cenſuit, ſi delator tribus edictis apud Praefectum aerario adeſſe iuſſus, ſeſe non ſtiterit, ſecundum poſſeſſorem eſſe pronunciandum, et a delatore tantum exigendum, quantum apud aerarium ex ea cauſſa, quam detulerit, remaneret, ſi eam profeſſionem impleſſet (f). Si delator abolitionem petebat, quod erraſſe ſe diceret, iudicem cognoſcere iuſſerat Senatus, et ſi erraſſe delator viſus ſit, imprudentiae veniam dare, ſin dolus pelluceret, calumniae poenam infligere (g): quae ſaeculo adhuc tertio erat ſtigma ex lege Remmia fronti impudiciſſimae inuſtum (h). Qui delatorem ſubiecerat, is tantum deferre tenebatur in aerarium, quantum praemii nomine conſequuturus fuiſſet delator, ſi viciſſet (i). Haec omnia ſub Antonino Pio, cui aequalis MAVRICIANVS fuit, cenſuit Senatus: de quo IVL. CAPITOLINVS (l): QVADRVPLATORES *exſtincti ſunt. Publicatio bonorum rarior, quam vnquam, fuit.* Poſt quem et de Marco Aurelio Antonino, principe optimo, IVL. CAPITOLINVS (m) obſeruat, *eum calumniis quadruplatorum interceſſiſſe, adpoſita falſis delatoribus nota, et delationes, quibus fiſcus augeretur, con-*

 temſiſſe.

(a) SVET. *Domit. cap. 9.*
(b) PANEGYR. *cap. 35.*
(c) *In Nerua.*
(d) IB. *cap. 34.*
(e) MAVRICIAN. *Lib. III.* L. 15. §. 2. *D. de iure fiſci.*
(f) IBID. L. 15. §. 4.
(g) IBID. L. 15. *pr.*
(h) L. 1. §. 2. *D. ad SC. Turpill.* L. 13. *D. de teſt.*
(i) MAVRICIAN. IBID. *d.* L. 15. §. 1. *D. de iure fiſci.*
(l) *M. Anton. Pii cap. 7.*
(m) *M. Anton. cap. 11.*

BIU Cujas

temsisse. Tot SCtis, tot optimorum principum constitutionibus opus fuit ad reprimendam delatorum audaciam.

Quid vero, si conuicissent? Tunc PARTEM BONORVM PRAEMII NOMINE CONSEQVEBANTVR: cuius praemii praeter auctores supra citatos meminit etiam IVNIVS MAVRICIANVS (a). Quanta haec fuerit pars bonorum, et quo sensu eam ad quartam redegisse dicatur Nero, iam sub initium huius capitis dispeximus. Ea pars vt iuste aestimaretur, is, a quo hereditas eiusue pars tanquam caduca euincebatur, rationes ad aerarium deferre tenebatur. Si falsas detulisse argueretur: de eo praefectus aerario cognoscebat, et quantam fraudem inueniebat, tantam pecuniam deferri iubebat in aerarium. Non autem post Neronis tempora istud praemium quartam bonorum delatorum partem excessisse videtur, quia paene semper ab eo tempore quadruplatorum occurrit cognomen. Quid? quod haec delatorum praemia paullatim prorsus ab vsu recessisse videntur, quia demum infame visum est, alios ad aerarium deferre, nisi quis id nullo inductus praemio, vltionis vel reip. caussa detulisset (b), vel serui fiscales caussam fisco prodidissent. Hinc PAVLLVS de suis temporibus: *omnes omnino*, inquit, *deferre alterum, et caussam pecuniariam fisco nunciare prohibentur. Nec refert, mares istud, an feminae faciant: serui, an ingenui, an libertini, an suos, an extraneos deferant: omni enim modo puniuntur.* Similiter puniebantur MANDATORES, quos vocant SVETONIVS (c), CALLISTRATVS (d) et MARCIANVS (e), vel, vti PAVLLO (f) adpellantur, SVBORNATORES, qui, quum ipsi deferre non possent, alios, vt puta seruos fiscales, subornabant. Illos tunc subornati prodere atque exhibere tenebantur (g), eadem cum delatoribus poena adficiendos (h).

III. Sed et aliud aduersus delatores remedium reperit Traianus Imp. edicto cauens, *vt, si quis, antequam caussa eius ad aerarium deferatur, professus esset, eam rem, quam possideret, capere sibi non licere, ex ea partem fisco inferret, partem ipse retineret* (i). Licebat itaque omnibus, se ipsos deferre, et, quia nullo iudicio contradicto opus erat, iis quoque id beneficium dabatur, quibus alios deferre haud licebat, veluti feminis et adolescentulis in pupillari aetate constitutis (l), modo se ipsos tantum deferrent. Quod adeo rigide exigebant ICti, vt nec illud, quod seruo relictum fuerat, a domino deferri paterentur (m). Dubi-

(a) IBID. *d.* L. 15. §. 1. *eod.*
(b) PAVLL. *Recept. Sent. Lib. tit. XIII.* §. 1. 2.
(c) *Tit. cap.* 8.
(d) L. 2. §. 5. L. 23. *D. de iure fisci.*
(e) L. 24. *D. eod.*
(f) *Rec. Sent. ibid.* §. 11.
(g) L. 24. *D. de iure fisci.*
(h) PAVLL. *ibid. et d.* L. 24.
(i) PAVLL. *Lib. VII.* L. 13. *pr. D. de iure fisci.*
(l) VLP. *Lib. XVIII.* L. 16. *D. eod.*
(m) PAVLL. *Lib. VII. d.* L. 13. §. 8.

BIU Cujas

Dubitabatur etiam, an heres eius, qui contra leges caperet, deferre se posset; ast Diui fratres, quos vocant, rescripserunt, ita demum deferre posse, si is, cui iusto plus datum fuerat, morte praeuentus, per angustias temporis deferre se non poterit (a). Sed hoc ita habebat locum, si iam defunctum eo animo fuisse liqueret, vt se deferret. Nam si ideo dissimulasset, quod rem occultari posse speraret: heres eius ex rescripto Hadriani nihil vltra vulgare praemium, puta, quod alii delatores caperent, non autem dimidiam bonorum partem, consequebatur (b).

Professio illa fieri debebat, antequam caussa ab alio deferretur: nec deferendum erat aliud, quam, quod lateret, non quod iam fisci esset (c). Nec tamen fraudi erat, alium ante apertas tabulas caducum detulisse, dum ipse statim apertis tabulis profiteretur. Huiusmodi enim professionem recipi iusserat Antoninus, neque dignam esse praemio statuit tam praecipitem alterius festinationem (d). Porro profiteri quis debebat, eam rem, quam possideret, sibi capere non licere. Hinc id Traiani beneficium proprie pertinebat ad eos, qui iam huiusmodi bona contra leges possiderent. Ast postea idem Princeps edicto significauit, *vt, si qua profiteretur, vel palam vel tacite sibi aliquid relictum, quod capere non posset, probaretque iam id ad fiscum pertinere, etiamsi id non possideret, ex eo tamen, quod relictum sit, a Praefectis aerario partem dimidiam ferret* (e). Nihil quoque intererat, quae caussa impediret, quo minus quis posset capere, verbi caussa caelibatus, vel orbitas (f): modo essent bona caduca, non ereptitia, ad quae edictum non pertinebat (g).

Ceterum deferentes se capiebant dimidiam bonorum, quod praemium quum dubitaretur, an et ad eius, qui se detulerat, heredes pertineret: Hadrianus rescripsit, vt, licet ante decessisset is, qui se detulerat, quam id, quod detulerat, fisco addiceretur, heredem tamen eius maneret praemium (h). Idemque princeps constituerat, vt si quis, incapacem se falso existimans, per errorem fuisset professus, id ne ei fraudi esset, quod deinde et Pius, diuique fratres probarunt (i). Vnde non erat dubium, quin, cognita caussa probataque, ei esset restituendum id, quod per errorem detulisset, ipsique praeter ius abstulisset aerarium. De constitutione CONSTANTINI (l), qua id edictum illustratum est, iam superiore capite diximus.

IIII. Reliquum est caput postremum de oneribus fisci, ad quod fragmenta quaedam VLPIANI ex libro XVIII et PAVLLI ex libro VII.

(a) IBID. L. 13. §. 6. *D. eod.*
(b) IBID. L. 13. §. 5.
(c) IBID. L. 13. §. 3.
(d) IBID. L. 13. §. 7.
(e) IB. L. 13. §. 1.
(f) L. 13. §. 2.
(g) IB. L. 13. §. 9.
(h) IB. L. 13. §. 4.
(i) IB. L. 13. §. 10.
(l) L. *vn.* C. *de his qui se def.*

BIU Cujas

pertinent. Id cum IAC. GOTHOFREDO tale fuisse arbitramur:

Caduca non nisi deducto aere alieno, iisque conditionibus, et oneribus, quibus relicta erant, populo adquiruntor.

V. CADVCA fiscus capiebat loco heredis vel legatarii deficientis. Quemadmodum itaque, quoties portio deficiens coheredi adcrescit, toties is et omnia in se onera suscipit (a): ita nihil aequius videtur, quam eadem conditione aerarium capere caduca, qua illud adquisiturus fuisset heres. Hinc NON NISI DEDVCTO AERE ALIENO, IISDEMQVE CONDITIONIBVS ET ONERIBVS, QVIBVS RELICTA ERANT, caduca POPVLO ADQVIREBANTVR. Primo itaque deducebatur aes alienum, de quo VLPIANVS (b): *sicuti legata non debentur, nisi deducto aere alieno: nec mortis causa donationes debebuntur, sed infirmantur per aes alienum. Quare si immodicum aes alienum interueniat, ex re mortis causa sibi donata nihil aliquis consequitur.* Eodem itaque iure aerarium vel fiscus vtebatur, siquidem succedens nec quidquam lucrabatur, nec aliis soluebat, nisi deducto aere alieno. Deinde sicuti circa Falcidiam interuallum temporis et interusurium minorem faciebant quantitatem legati, sub conditione vel in diem relicti: ita eodem iure vtebatur fiscus, si forte huiusmodi legatum, tanquam caducum, occuparet (c). Porro et iisdem conditionibus parere debebat fiscus, quibus persona, a qua ad ipsum, quod relictum est, peruenit, sicut etiam cum suo onere hoc ipsum vindicabat, vti ait PAVLLVS (d). Hinc si legatus esset vsusfructus Stichi, aut decem, si nauis ex Asia redierit: aerarium occupans hereditatem non prius praestabat vsumfructum, quam conditio alterius legati exstitisset, ne potestas, quae heredi relicta erat, vtrum velit, dandi auferretur (e). Quemadmodum porro D. Pius ab eo, qui annua legata praecipere ad distribuendum iussus erat, vetuit cautionem exigi, *cessantium partes reddi*, nisi aperte cauere iussus esset: ita nec eam cautionem exigere poterat aerarium vel fiscus, si ei hereditas tanquam caduca deferebatur (f). Paucis omnia complectitur IVLIANVS (g): *quotiens lege Iulia bona vacantia*, (adde et caduca,) *ad fiscum pertinent: et legata et fideicommissa praestantur, quae praestare cogeretur heres, a quo relicta erant.* Contra et id priuilegium fisco competebat, vt non solum actiones defuncti ad eum una cum hereditate transirent, sed et is bona omnia in fraudem fisci alienata reuocaret (h), et ea quoque, quae heres vel defunctus adquirere omiserat, tanquam alienata, ab omni possessore retraheret (i).

KAI TATTA MEN TATTA. INDEX

(a) VLP. *Lib. XVIII. L. 61. D. de leg. 2.*
(b) VLP. *Lib. XVIII. L. 66. §. 1. D. ad L. Fal.*
(c) IB. *L. 66. princ. D. eod.*
(d) PAVLL. *Lib. VII. L. 60. D. de cond. et demonstr.*
(e) PAVLL. *Lib. VII. L. 21. D. de vsufr. leg.*
(f) PAVLL. *Lib. VII. L. 7. D. si cui plus, quam per L. Falc.*
(g) *L. 96. §. 2. D. de legat. 1.*
(h) *L. 46. D. de iure fisci.*
(i) *L. 45. pr. D. eod.*

BIU Cujas

INDEX I.

AVCTORVM,

Qui in hoc commentario emendantur, explicantur, notantur, illustrantur.

ALciatus (Andr.) pag. 275
Athenaeus. 22. 23
Augustinus (Ant.) 152
Ausonius. 332
Balduinus (Franc.) 163. 332
Berneggerus (Matth.) 45
Beroaldus. 444
Bertrandus (Ioann.) 50
Boëthius. 327
Brissonius (Barn.) 114. 152. 193. 251. 326. 332
Buchnerus (Aug.) 221
Capitolinus (Iul.) 214.266.352
Casaubonus (Isaac.) 45
Catullus. 144
Cellarius (Christ.) 221
Charondas (Lud.) 253
Cicero. 12.119.230.237.239.312
Connanus (Franc.) 279
Corasius (Io.) 114
Corippus. 107
Cuiacius (Iac.) 51.109.162.168.225. 237.264.272. 277. 304.331. 332.359.400

Dacerius (Andr.) 66
D'Antoine (Io. Bapt.) 387
Dio Cassius. 39.41.176.199.234.264
Dionysius Halicarnass. 3.196
Dositheus. 231
Duarenus (Franc.) p. 113.275.294
Euripides. 311
Eusebius. 342.345
Faber (Ant.) 109.269
Faber (Petr.) 229
Festus. 29
Frontinus (Iul.) 209
Gellius. 2. seq. 194.238
Glandorpius (Mart.) 59
Gothofredus (Dionys.) 343
Gothofredus (Iac.) 6.63.108.152. 189. 244. *sq.* 250. 280. *sq.* 285. 288. 289.308.321.322.324.345.386. 397.410
Gratianus. 61
Grauina (Ian. Vinc.) 6.27.152.304. 361
Gronouius (Io. Fridr.) 65.221
Grotius (Guil.) 14
Grotius (Hugo) 269
Haloander (Greg.) 248
Heraldus (Desider.) 269
Horatius. 42.144.172
Hotomanus (Franc.) 152.360.381
Iamblichus. 23
Index numism. famil. Patini. 55
Inscriptiones veteres. 6.42.56.129. 141. 143. 167. 169.170.179.222. 235. 239. 242. 255.261.266.267. 284.289.291.298.

BIU Cujas

Ioſephus. pag. 202
Iſidorus Hiſpal. 61
Iſocrates. 311
Iuuenalis. 185.213. ſequ. 256.339. 386
Kirchmaierus (Caſp.) 27
Labittus (Iac.) 354
Lactantius. 141
Langlaeus (Ian.) 23.203
Libanius. 302
Lipſius (Iuſtus) 40.50.152
Liuineius (Ioann.) 47
Liuius. 57.ſeq.196.203.236.237.336
Marcianus Capella. 14
Marianus Scotus. 61
Martialis. 153.246.281
Maurus (Marc. Vertr.) 224.226.258. 294
Mercator (Anton.) 304
Merillius (Emund.) 137.240.379
Merula (Paullus.) 5. 6.
Nonius. 158
Nummi veteres. 12.49.54.55.56
Ouidius. 114.172
Perrenonius (Petr.) 110
Philo. 311
Pighius (Steph. Vin.) 10
Pithoeus (Petr.) 190.217
Plautus. 132.245
Plinius ſenior. pag. 61
Plinius iunior. 33.105.204.344. 349.391
Plutarchus. 23.26.29.30.339
Propertius. 46.298
Quinctilianus. 192.261
Rualdus (Ioann.) 26
Salmaſius (Claud.) 256.266
Scaliger (Iuſt. Ioſeph.) 129.170. 289.292
Schelſtratenus (Eman.) 209
Seneca. 152.156.229
Seruius. 239
Silius Italicus. 56
Sozomenus. 277.340.345
Spartianus. 32.ſq.
Stobaeus (Io.) 22
Suetonius. 6.44.ſq.154.176.204.256. 326.390.444
Sylburgius (Fridr.) 3
Syluius (Franc.) 10
Tacitus. 24.25.40.61.114.201.256
Terentius. 257.311
Tertullianus. 261.273.278.339
Tillemont. 41
Valerius Maximus. 159
Virgilius. 239
Xylander (Guil.) 5

INDEX II. LEGVM,

Quae in hoc Commentario emendantur, vindicantur, illuſtrantur, vel ad ſpeciem ſuam reducuntur.

Ex Inſtitutionibus.

§.4.5. INſt.qui et ex quib.cauſſ.manum. non poſſ. *p.* 128
§. 6.7. Inſt. de nupt. p. 313
§. 12. eod. 188.193
§. 2.3. Inſt. de ſucceſſ. lib. 350

Ex

Ex Pandectis.

L. 2. §. 5. de orig. iur. *pag.* 198
L. 19. de legib. SC. et long. conſu. 386
L. 28. eod. 410
L. 31. eod. 396
L. 24. de ſtatu hom. 225
L. 25. eod. 119
L. 45. de adopt. 335
L. vlt. eod. 265
L. 1. §. 1. de Senator. 116
L. 5. eod. 112
L. 6. §. 2. eod. 113
L. 7. pr. eod. 113. §. 1. 115. §. 2. 116
L. 10. eod. 116
L. 12. eod. 125
L. 4. §. 2. de off. Procoſ. 283
L. 8. §. 1. de in ius voc. 248
L. 10. eod. *ibid.*
L. 1. de his qui not. inf. 121
L. 7. de cap. minut. 355
L. 52. §. 1. de iudic. 407
L. 20. §. 6. de her. petit. 401
L. 21. pr. de act. emt. 157
L. 10. 11. de praeſcr. verb. 268
L. 48. de vſuris. 268
L. 4. de teſtib. 189
L. 19. pr. eod. 318
L. 1. §. 4. de iur. et facti ign. 378
L. 5. et L. 6. eod. 188. 189
L. 14. de ſponſal. 179
L. 15. et L. 16. eod. 117
L. 17. eod. 179
L. 14. §. vlt. de rit. nupt. 310
L. 19. eod. 61
L. 21. eod. 212
L. 24. eod. 173
L. 25. eod. 250
L. 30. eod. 198
L. 31. eod. *pag.* 321
L. 43. eod. 108
L. 44. pr. §. 8. eod. 108
L. 45. pr. §. 2. 3. et vlt. 248
L. 46. eod. 356
L. 47. eod. 125
L. 48. eod. 50. 250
L. 49. eod. 108
L. 50. eod. 247
L. 57. §. 1. eod. 33
L. 60. §. 5. eod. 117
L. 39. de iure dot. 160
L. 61. pr. et §. 1. eod. 257
L. 17. de pact. dot. 14
L. 3. §. 1. de don. int. vir. et vx. 137
L. 60. eod. 160. et 200
L. 11. pr. de diuort. 251
L. 15. §. 1. ſol. matr. dos quemadm. 332
L. 38. eod. ibid.
L. 47. eod. 328
L. 64. eod. 330
L. 8. de agn. et al. lib. 335
L. 1. pr. de concub. 127. 250. §. 1. 172
L. 3. §. 1. eod. 164
L. 4. de tut. et curat. dat. 352
L. 6. pr. et §. 1. de lib. et poſtum. her. inſt. 161
L. 3. §. 4. de her. inſt. 381
L. 26. eod. 402
L. 42. eod. 381
L. 71. eod. 392
L. 72. eod. 292
L. 73. eod. 413
L. 5. de vulg. et pupill. ſubſt. 287
L. 6. eod. 286
L. 68. de adqu. vel om. hered. 404
L. 79. eod. 191
L. 80. eod. 379

BIU Cujas

L. 81. eod. pag. 406
L. 83, eod. 442
L. 10. L. 11. L. 12. teſt. quemadm. aper. 405
L. 20. de iure codicill. 380
L. 10. de legat. 1. 420
L. 54. de legat. 1. 391
L. 55. eod. 14
L. 59. eod. 421
L. 60. eod. 402
L. 61. §. 1. eod. 388
L. 96. §. 1. eod. 401
L. 29. §. vlt. de legat. 2. 388
L. 49. eod. 407
L. 51. pr. 344. §. 1. eod. 205
L. 53. eod. 271
L. 54. eod. 410
L. 55. §. 1. eod. 411
L. 57. eod. 397
L. 77. §. 24. eod. 240
L. 87. pr. eod. 408
L. 14. pr. de legat. 3. 299
L. 35. pr. eod. 408
L. 87. eod. 342
L. 88. eod. 393
L. 90. eod. 441
L. 23. de vſufr. leg. 400
L. 43. eod. 269
L. 16. de opt. legat. 420
L. 35. de aur. arg. mund. 167
L. 21. de liberat. leg. 393
L. 6. de adim. vel transf. legatis. 392
L. 23. de reb. dub. 320
L. 4. de his quae pro non ſcript. hab. 390
L. 6. de his quae vt indign. 417
L. 10. eod. 192
L. 13. eod. 134
L. 16. eod. 109
L. 25. eod. 273
L. 22. de cond. et dem. pag. 299
L. 25. eod. 263
L. 31. eod. 381
L. 59. pr. eod. 399
L. 61. eod. 344
L. 62. eod. 288
L. 69. eod. 413
L. 76. eod. 205
L. 104. eod. 381
L. 62. ad L. Falc. 106
L. 63. eod. 262
L. 64. eod. 409
L. 67. eod. 262
L. 23. quando dies legat. 262
L. 38. de bon. libert. 351
L. 4. de bon. poſſeſſ. 351
L. 6. de collat. 337
L. 16. de iure patr. 352
L. 22. eod. 358
L. 37. §. 3. ſequ. de operis libert. 232. §. 7. 190
L. 48. eod. 348
L. 10. pr. de adſign. lib. 385
L. 3. §. 3. de ſuis et legit. her. 248
L. 13. eod. 384
L. 31. pr. de donat. 173
L. 36. de mort. cauſſ. don. 344
L. 44. eod. 381
L. 18. de manumiſſ. 412
L. 4. §. 17. de fideicom. libertat. 359
L. 22. fin. eod. 318
L. 31. de ſtatu liberis. 413
L. 24. qui et a quib. manum. lib. non fiunt. 350
L. 32. §. 2. eod. 232
L. 1. §. 1. de iur. aur. ann. L. 4. eod. 119
L. 6. eod. 349
L. 2. pr. §. 2. de colluſ. deteg. 119
L. 3. et 4. eod. 120
L. 4. pro herede. 411

BIU Cujas

L. 7. et 9. pro legato. *pag.* 411
L. 29. de reb. auct. iud. possid. 412
L. 4. §. 1. de separat. 398
L. 1. §. 2. de tab. exhib. 398
L. 1. §. 10. si is, qui test. lib. esse iuss. 398
L. 12. pr. de accus. 318
L. 10. §. 2. ad L. Iul. de adult. 124
L. 11. eod. 331
L. 15. §. 1. eod. 318
L. 15. ad L. Corn. de sicar. 343
L. 1. pr. ad L. Pomp. de parric. 105
L. 29. de poen. 184
L. 7. §. 3. de bon. damn. 32
L. 3. de iure fisci. 192
L. 13. et 15. eod. 401. 446. *sequ.*
L. 14. eod. 409
L. 8. et 14. de captiu. 331
L. 3. de castr. pecul. 342
L. 2. §. 2. de decurion. 115
L. 2. de muner. et hon. 198
L. 5. §. 2. de iur. immun. 213
L. vlt. de cens. 329
L. 84. de verb. signif. 116
L. 97. eod. 330
L. 101. eod. 125
L. 131. pr. eod. 242
L. 132. eod. 220
L. 133. eod. 287
L. 134. eod. 219. 286
L. 137. eod. 225
L. 138. eod. 342
L. 139. eod. 329
L. 143. eod. 350
L. 144. eod. 165
L. 145. eod. 354
L. 148. eod. 291. 351
L. 149. eod. 386
L. 150. eod. 357
L. 152. eod. *pag.* 396
L. 153. eod. 356
L. 191. eod. 386
L. 220. §. 1. 3. eod. 116
L. 207. de Reg. iur. 119. 120
L. 208. eod.
L. 209. eod.

Ex Codice Iustin.

L. 33. C. de Episc. aud. 149. *seq.*
L. 2. C. de sponsal. 181
L. 23. C. de nupt. 147
L. 27. eod. 153. 163
L. 28. eod. 111
L. 7. C. de incest. nupt. 146
L. 7. C. de dot. promission. 336
L. 8. et L. 9. C. de repud. 333
L. 10. eod. 161. 333
L. 11. eod. 333
L. 1. C. de nat. lib. 138. 174
L. 5. 6. 7. et 10. eod. 174
L. 3. C. de legit. tut. 243
L. vlt. C. quando tut. esse desin. 181
L. 2. C. de obs. patr. 348
L. 19. C. de legat. 277
L. 1. L. 2. et L. 3. C. de indict. vid. 303
L. vn. C. de caduc. toll. *tot. lib.* 111. *passim.* 375. 381. 414
L. 12. C. de legit. hered. 157
L. 3. C. de his qui a non dom. 412
L. 1. C. de infirm. poen. cael. 345
L. vlt. C. de iur. lib. 294
L. 5. pr. C. ad L. Iul. maiest. 107
L. vlt. C. de his, qui sponte mun. publ. subeunt. 116
L. 2. et 3. C. de his qui num. lib. exc. 212
L. 8. C. de dignit. 107

BIU Cujas

L. 11. C. eod. pag. 112.113

Ex Nouellis.

Nou. XXII. cap. 43. 303
Nouell. XXII. cap. 4. et 14. 333
Nouell. LI. et LXXVIII. 151
Nouell. LXXXIIII. cap. vlt.
Nou. LXXXVIIII. cap. 15. 150
Nou. CXVII. cap. 6. 151. cap. 8. 9. 10. et 13. 333
Nou. CXXVII. cap. 4. et CXXXIII. cap. 11. 333
Nou. CXXXVIIII. praef. 33

Ex Codice Theodos.

L. 2. C. Th. de in integr. rest. Lib. II. tit. 16. 210
L. vlt. C. Th. de inoff. dot. Lib. II. tit. 20. 272
L. 2. C. Th. de incest. nupt. Lib. III. tit. 12. 310
L. 2. C. Th. de tut. et cur. Lib. III. tit. 17. 237
L. 1. C. Th. de nat. lib. Lib. IV. tit. 6. 173
L. 1. C. Th. de infirm. poen. caelib. Lib. VIII. tit. 16. 260. 345
L. 1. C. Th. de iure lib. Lib. VIII. tit. 17. 293
L. 1. C. Th. de bon. proscript. Lib. VIIII. tit. 42. 272
L. vn. C. Th. de his qui se defer. Lib. X. tit. 11. 273

Ex Nouell. Codici Theod. subiectis.

Nou. Marcian. tit. IV. 145

Ex Basilic.

Basil. Lib. LX. tit. 42. pag. 415

Ex Vlpiani, Paulli aliisque fragm.

Vlpiani, tit. 1. §. 3. 154. §. 12. 217. §. 21. 421
tit. III. §. 1. 3. 216
§. 4. 224
tit. VI. §. 13. 326. 330
tit. XI. §. 6. 313. §. 6. 7. 8. 237. §. 20. 253. 258. 338 §. 21. 22. 24. 258
tit. XIII. rubr. 291 §. 1. 108
tit. XIIII. §. 1. 177
tit. XV. 259. sq.
tit. XVI. §. 1. 153. §. 3. 154. §. 4 193
tit. XVII. §. 1. 340. 403. §. 11. 401
tit. XVIII. §. 1. 384. 388
tit. XVIIII. §. 17. 417
tit. XX. §. 15. 241
tit. XXII. §. 3. 340
tit. XXIIII. §. 2. 419
§. 21. 421
tit. XXV. §. 17. 386
tit. XXVIII. §. 7. 421
tit. XXVIIII. §. 2. 243. §. 3. 242 §. 11. 356
Paulli Recept. Sent. Lib. II. tit. 19. §. 5. 313
Lib. II. §. 7. 190
Lib. III. tit. 6. §. 3. 7. et 13. 420
Caii Inst. Lib. 1. tit. 4. §. 7. 314

BIU Cujas

Caii Inst. Lib. II. tit. 5. *pag.* 419
Lib. II. tit. 9. §. 3. 4. 256. 257
Collatio LL. Mos. et Rom. tit. IV. §. 5. 223
tit. VI. §. 4. *pag.* 313

Ex iur. Can.

Cap. vlt. x. de condit. adpos. 301

INDEX III.

RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

A.

Absentes reip. causſa qui? 281. iis a pleriſque legibus vacatio data. 318. inprimis a Lege Papia. 319
Abſentes poterant et ſponſalia et nuptias facere. 320. ſui commodi cauſſa non habebant vacationem a lege. 319. mariti ab vxoribus quinquennium expectandi. 319
Abſentia reip. cauſſa nemini debet eſſe damnoſa. 318
Accipere et *capere* quomodo differant? 262
Actio Caluiſiana et Fauiana. 351. malae tractationis. 327
Addici liberos oportebat manumiſſos. 230
Adfines qui? 311. 312. inter eos Auguſtus, paucis exceptis nuptias conceſſit. 310. 313. id quod deinde mutatum a Chriſtianis Impp. 314
Adfinitas ſoluto matrimonio ſolui videbatur, 310. etiam Hebraeis. 311. Graecis. *ib.* Romanis. 312
Adoptiones fictae, quibus praemia πολυτεκνίας adfectabant orbi. *p.* 202. *ſequ.* eae SC. prohibitae. 205. an adoptione nobilitas detur et adimatur? 113. an ea libertus ingenuitatis iura accipiat? 126
Adoptiuus eoſdem cum adoptante agnatos et libertos habebat. 355. pater filiae dotem debet. 335
Adſignatus libertus et exheredatum ſequebatur. 385
Adulterium. Eius perſequutio quomodo data marito vxoris immaturae? 182. in eo deprehenſae vxores duci non poterant. 133
Aediles meretrices nomen haud profeſſas perſequebantur. 131. Apud eos quaeſtum turpem profitebantur ſcorta. *ibid.*
Aerarium. Ad illud augendum comparata lex Papia. 62. militare ab Auguſto conſtitutum. 360. quomodo adminiſtratum? 361. eius differentia a fiſco. 362. illud olim caduca ereptitia et vacantia occupabat. 401. Quando illi in his fiſcus praelatus? *ibid.*

BIU Cujas

Aes vxorium quale? pag. 29
Aestimatio bonorum ob decimas facta. 262
Aetas quomodo probata? 159. quaenam legitima? 284
Africanae gentes seram Venerem probabant. 178
Ἀγαμία poena apud Athenienses. 22. apud Lacedaemonios. 23. qualis? *ibid.*
Agitatores quinam? 122
Ἀγὼν ἱερὸς quis? 122
Amica, *pellex*, *concubina* olim συνώνυμα ante L. Papiam, post eam distingui coepere. 165. sequ.
Ancillis ob tres liberos vacatio, ob plures libertas data. 32
Annariae leges. 202. earum an antiquissima Villia? 203. iis aliquando soluti candidati. 204
Anni, quibus honores petendi. 202. *sq.* singuli propter singulos liberos remittebantur. 204
Anniculus et *annicula* quinam dicti? 219. *sq.*
Annivs (*T. Milo*) ex gente Papia. 58
Annulorum aureorum ius quale? 119
Ante diem Kal. quid? 220
Antoninvs (*Marcus*) quam legem de tutelis tulerit? 352
Antonivs (*M.*) libertini filiam vxorem habuit. 119. an iure ideo a Cicerone reprehensus? *ib.* eius liberi ex Cleopatra cur Antonii nomen non tulerint? 171
Anubis cultus cur despicatui habitus a Romanis? 123
Ἄπαις pro liberis orbato. *pag.* 212
Apronivs (*C.*) imperator quis? 54
Ἀπεγνώτοι liberi qui? 267
Aqua et igni quibus interdictum, ii ad peregrinitatem redigebantur, et togae ius amittebant. 406
Aquam equis spargere quid? 122
Aquila et lupa cur insignia Lanuuinorum fuerint? 57
Arae tres ad ripam Tiberis in ludis saecularibus dedicatae. 45
Aram Iunonis tangere quid? 27. 28
Arenarii qui? 229
Armenii sibi vxores coemebant. 254
Ars ludicra qualis? 121. Vid. infra *Histrio*, *Scena*.
Artes manuariae cur illiberales dictae? 230. *sq.* a seruis et libertinis solis exercitae. *ibid.*
Ἀρχιερεῖς in prouinciis Orientalibus quinam? 142
Asiarcha quis? 141
Assyrii vxores sibi coëmebant. 254
Ἄτεκνος pro liberis orbato. 212
Atellani ludi actores non infamabant, & cur? 122
Athenienses aliquando πολυγυνίαν concedebant. 21. non nisi maritos & parentes ad remp. admittebant. *ibid.* caelibes puniebant. *ib.*
Athletae qui? 122
Augustae dictae etiam Imperatorum matres, sorores, vxores repudiatae. 116. an legibus solutae? 397
Avgvsti oratio ad equites maritos et caelibes habita. 48. quo gestu is nuptias et πολυτεκνίας studium commendarit? *ibid. sq.* leges vetere ritu tulit. 49. lato clauo donauit

BIU Cujas

nauit senatorum filios. *p.* 112. Eius nobilitas adoptione aucta. 114. Ei grauiter occlamatum a Senatu, quum legem Iuliam de marit. ordinibus esset rogaturus. 41. oratio Metelli ab eo recitata. 42. cur nouum aerarium constituerit? 360. *sq.* reprehensus, quod Antonii viui tabulas recitarit. 376
Auriga Praefectus vigilum ab Elagabalo factus. 138
Auspices. Apud eos dos data deponebatur. 256
Auus, quando sub patris vocabulo comprehendatur? 121

B.

BALDVINI (*Franc.*) in legem Papiam Commentarius. 15
Βασιλικὸν pro fisco. 362
Bene merentes cur in marmoribus dicantur etiam infantes? 221. *seq.*
Bestiarii infames. 229
Bestiarum ludus. *ib.*
Bestiis olim addicti serui: postea et ingenui se iis vltro addicebant. 229
Bithyniarchae qui? 141
Bonorum aestimatio ob decimarias leges facta. 262
Βουβῶνες. 122
BRISSONII (*Barn.*) de iure connubii liber laudatus. 15

C.

Caducum vnde dictum. 383. quid? *ibid.* locum non habebat in hereditate ab intestato. *p.* 384. in iis capiendis quinam fisco praelati? *ib. et* 385. Quot de caducis capita in lege Iulia et Papia exstiterint? 403
Caduca quae fuerint? 403. 406. 409. 410. 412. ab aerario occupata. 401
Caelibatus conditio cur tam frequenter imposita liberis et viduis? 28. ea pro non adscripta habita. *ibid.* quamuis variis formulis incrustata. 299. *sq.* Ea conditio et libertis a patronis imposita. 306. ob eam patroni iuribus suis priuati ex L. Aelia Sentia. *ibid.* illius conditio gratia fiebat libertis ex L. Papia. *ibid.*
Caelibes exosi Hebraeis. 19. Athenienſibus. 21. Lacedaemoniis. 22. An et Pythagorae? 23. Eos notabant Censores. 29. Eorum flagitia ab Augusto descripta. 48. solidum capere non poterant. 339. immo ne legatum quidem. 342. qua hereditate exciderint? 339. 341. incapaces erant fideicommissi. 342. a genere proximis tamen heredes scribi poterant. *ibid.* iidem capaces erant, si intra 100. dies legi parerent. 409
CAESAR (*C. Iulius*) πολυπαιδίας praemia proposuit. 31. 39. quo iure censum egerit? 39. cur tam multos ciuitate donarit? *ib.* Eius filius naturalis cur Caesario dictus? 171
CAIVS ICtus commentarium ad L. Papiam scripsit. 14
CALIGVLA (*Caius*) a Senatu lege caducaria solutus. 322
Capere de vltimis voluntatibus dicitur. 261. capere et accipere quomodo

BIU Cujas

modo differant? *pag.* 262.
Capi solebant virgines Vestales. 6. 7. immo et alii sacerdotes. 7
Capitalia crimina quomodo a nuptiis excusarint? 180
Cappadociarchae quinam? 141
Captatoriae institutiones quaenam? 391. eae pro non scriptis habitae. 392
CATO *(M. Porcius) Censorius*, libertini filiam vxorem habuit. 119. eius filius auctor regulae Catonianae. 380
Caussa aliquando idem, ac quasi. 398. Quid *caussa testamenti*, *caussa pignoris*, *caussa bonorum*? ib.
In caussa caduci esse, quid significet? 398. quaenam in caussa caduci sint? 396. *sequ.*
Cautelae ICtorum. 424
Cautio Muciana a vidua contra conditionem nubente praestanda. 303
CELSI dicti *Papii*. 55
CELSVS (*P. Iuuentius*) Legem Papiam libris illustrauit. 66
Censores caelibes notabant, 30. quae praemia parentibus elargiti sint? *ibid.* sub auspicium muneris ad populum concionabantur. 31
Census quo iure actus a C. Iulio Caesare? 39. in eum furtim irrepere solebant Latini. 8. *seq.* Ex censu adparuit post bella ciuilia vix dimidium ciuium numerum supereſſe. 39
Census Senatorius quantus? 105. *seq.*
Centenarius libertus quis? 350. centenario minor. 349
Centesima rerum venalium. 361
Centesimus ab vrbe lapis. *pag.* 209
Centum dies. Intra hos poterant caelibes instituti legi parere. 341. erant dies cretionis, spatium deliberandi et agnoscendi bonorum possessionem. *ib.* an et orbis profuerint? 343
Certamen sacrum quinquennale. 122
Chirographus ab iis exactus, qui tacito fideicommisso obstringebantur. 192
CICERO honores omnes annis lege finitis capessiuit. 203
Ciuitate orbi Rom. data an sublatum fuerit vrbis Italiae et prouinciarum discrimen? 211. Ea priuati senatores, et viri perfectissimi, qui viles feminas vxores duxerant. 145. eius iura anxie quaerebant Latini. 8. *seq.*
Ciuium frequentia an utilis reip. 34
Clarissimatus dignitas et senatorum filiabus, neptibus, proneptibus competebat. 124
CLAVDIVS Imp. vacationem essedario ob liberorum numerum dedit. 34
CLEMENS (*Terentius*) commentario illustrauit Legem Papiam. 14. quot in eam libros scripserit? *ib.* et 67
Cloacae ius. 406
CLODIVS (*Publ.*) per adoptionem plebeius factus. 114
COCCEIVS CASSIANVS V. C. an priuignam concubinam habuerit? 109
Codicillis testamento non confirmatis relicta pro non scriptis erant: et quando id mutatum? 391
Coëmtio vxorum pluribus gentibus sollemnis. 254. etiam Romanis. 255

BIU Cujas

Cognatio vltra ſeptimum gradum non temere porrecta. *p.* 280. in lege Papia ad ſextum gradum numerata. *pag.* 342
Cognatorum hereditates et caelibes et orbi capiebant. 342. 344
Collegae vni cur ſaepe tribuantur, quae communia vtrique? 136. eorum quis potior? 196
Colluſione detecta is, qui ingenuus iudicatus fuerat, ingenuitatem amittebat. 119. *ſeq.*
Coloniarum mittendarum cauſſa. 34
Commodum dotis quid? 332
Concubina et *pellex* ante L. Papiam non differebant. 165. varia eius nomina. 167. an a marito haberi potuerit? *ib.* quaenam haberi per leges potuerit? 168. 172. an et conſanguinea vel adfinis. 168. an et priuigna? 109. an ingenua? 127. an a patrono inuito diſcedere potuerit? 250. 251. an a furioſo? 251. ei nihil donari poterat. 173. poterat tamen heres eſſe. 261. vtrum vxor in dubio praeſumatur an concubina? 173
Concubinatus. De eo caput in lege Papia Poppaea exſtitit. 165. per hanc legem nomen adſumſit. *ib.* licita erat conſuetudo. 169. an et legitima? 171. 174. is maxime viduis placebat, etiam Imperatoribus. 171. Senatoribus eo aliquatenus interdixit Conſtantinus M. 145. in eo coniunctiones nefariae aeque prohibitae, ac in matrimoniis. 109. Eum indirecte ſubruere ſtuduit Conſtantinus M. 173. quamdiu viguerit? *pag.* 175
Conditio liberorum in teſtamentis quo pertineat? 270. 344. impoſſibilis cur contractum, non teſtamentum vitiet? 301. caelibatus lege noſtra infirmatur. 298. 306. turpis ſponſalibus adiecta an pro non adiecta habenda? 301. quando deficere dicatur? 399
Congiarium iis copioſius datum, quibus numeroſa proles. 33
Coniuges illegitimi inter ſe nihil capiebant. 191
Coniugium. Ad id ineundum omnes obligari, Hebraei putabant. 19. confer infra *Matrimonium*, *Nuptiae*.
CONSTANTINVS M. legis Papiae Poppaeae caput 1. in vſum reuocauit. 137. quamdiu eius conſtitutio eam in rem edita viguerit? 146. idem concubinatum variis legibus indirecte ſubruere ſtuduit. 174. cur legitimationem per ſubſequens matrimonium introduxerit? *ib.* Idem ſuſtulit poenas caelibatus et orbitatis? 345
Conſul maior quis dictus? 196
Conſularis aetas. 203
Conſulibus quomodo faſces praelati? *vid.* Faſces.
Continentia urbis ad Romam referebantur. 209
Convictrix pro concubina. 167
Cooptari dicebantur quidam ſacerdotes. 3
CORNELIVS (*Cn. Coſſus*) per adoptionem factus patricius. 114

BIU Cujas

Coronae fascibus illigatae. *pag.* 196
Correctiones ineptae quam plures in Codice Florentino. 126
CRASSVS (M.) a Mamertinis ex lege Papia vindicatus. 8
Cretio hereditatis. 378
Culter. Ad eum se *locasse* dicebantur bestiarii. 229
Curiae sese offerentes saepe ea conditione excipiebant posteros. 116

D.

DAmnata iudicio publico vxor duci non poterat. 133
Damnatorum liberis pro eorum numero pars bonorum concessa. 32
Dare dotem, quid? 256
Decemuiris quomodo fasces praelati? 197
Decimam inter se coniuges matrimonii nomine capiebant? 262. alias pro numero liberorum ex priore matrimonio superstitum. 263. aliam ob filium communem post nominum diem amissum. 264. sed et ob alias causas. 267. *sequ.*
Decimariae leges. 269. *sequ.* quando sublatae? 274
Decreta principum an vim legis habeant? 288
Decuriones. Eorum filii patris dignitate fruebantur. 115. iis liberi proderant ad πεδείαν. 205. legibus decimariis a Theodosio soluti. 274
Delatores praemia capiebant. 444. a bonis principibus coërciti. 445. cur quadruplatores dicti? 446
DEMOSTHENES quando Praefectus praetorio fuerit? *pag.* 147
Denicales dies quinam? 377. iis nihil suscipi potuit. *ibid.*
Denotandi caussa quaenam dicantur relicta? 391. ea pro non scriptis habita. *ib.*
Designatores quinam? 122
Detrectatio. Sine ea quinam dicantur abesse? 318
Διασημότατοι qui dicti? 140
Dicere dotem, quid? et qua formula vsi qui dotem dicerent? 256
Dies nominum quis? 265. lustricus quis? *ib.* annua, bima, trima. 328. denicales. 377. legatorum quando cesserit et etiamnum cedat? 380. *sequ.* quorum legatorum dies cedat ab adita hereditate? 391
Δικαιώματα γεγαμηκότων quaenam? 199
Discidii poena quae? 326. adde *Diuortium*.
Diuortium meditantes plerumque iam de nouis nuptiis transegerant. 185. eius licentia olim maxima. 245. *seq.* non tamen permissum libertae patrono nuptae. 247. In eo septem testes adhibiti, ex qua lege? 325. illud sine causa fontica vel alterius culpa factum poena dignum iudicat L. Papia. 326. *sequ.* de eo leges nouae. 332
DOLABELLA per adoptionem plebeius factus. 114
Domum deductione cur opus fuerit in absentium nuptiis? 320
Dona et *munera* quomodo differant? 231. ea liberti debebant patronis. *ibid.* quomodo liberti ab

BIU Cujas

ab hac obligatione liberati? *p.* 232
Donationibus fraus facta legibus decimariis. 272
Dos apud pleraſque gentes a marito data. 254. eius apud Romanos alia ratio, quam apud alias gentes. 255. eſt veluti pretium coemtionis. *ib.* ſine ea raro feminae maritos inueniebant. *ib.* vel dabatur, vel dicebatur, vel promittebatur. 256. idque auctoribus tutoribus. 257. an a parentibus olim neceſſario data fuerit? 64. 336. *ſequ.* an actione repeti potuerit ab vxore immatura? 182. iniuſtis nuptiis contractis mortua muliere caduca fiebat; 193. praelegata ab vxore etiam orba capi poterat. 270. non minuebatur quarta Falcidia detracta. 271. an certis limitibus circumſcripta per legem Papiam? 272. et ſoluebatur et reddebatur annua bima trima die. 328. in quantitate conſiſtens ob mores mariti grauiores praeſens reddenda erat. 326. 328. ob mores leuiores ſenum menſium die. 326. 329. non conſiſtens in quantitate cum fructibus quadriennii reſtituenda. 326. 329. 330. 331. Ex ea morum nomine quaedam retinebat maritus. 326. 332. olim tota cedebat marito, ſi vxor ob mores graues repudiaretur. 327. quantum Lex Papia retinere conceſſerit. 332. An id ius ex formula: QVANTVM AEQVIVS MELIVS? 326. 327
Dotalia inſtrumenta ſignum nuptiarum. 256
Draco Lanuuii cultus, cui eſcam virgo praebebat. *pag.* 57
Ducere de vxore vſurpatum a Propertio. 47
Duumuiri perfectiſſimatus dignitatem adfectabant. 141

E.

EBraei. *vid.* Hebraei.
Edicere legem quid? 46. *ſeq.*
ἐνδοξότατοι qui? 143. ita Praefecti praetorio ſalutati. *ibid.* et ſacerdotes prouinciarum. *ib.*
EPAMINONDAE ſine liberis morienti illacrymatum. 23
Ereptitia bona quae? 415
Error in nuptiis circa perſonam commiſſus an noceat? 117
Eſſedario vacatio ob numerum liberorum a Claudio data. 34
Et declaratiue ſumtum. 190
εὑρήματα ICtorum quid? 424
EVRIPIDES mulieres peroſus cur binas vxores duxerit? 21
Excuſare et *potiorem nominare* quomodo differant? 207
Excuſatio a muneribus ob numerum liberorum. 207

F.

FAecunditas in honore fuit Hebraeis, 20. Graecis, 21. Perſis, 20. Germanis. 24
Familia venatoria quae? 229
Faſces initio duodecim utrique conſuli praeferebantur. 195. poſtea alteri faſces, alteri ſecures. 196. iis coronae illigatae. *ibid.* quo ordine poſtea praelati? 197. quibus?

BIU Cujas

bus? 197. *seq.* cui prius dati? *pag.* 194. *seq.*
Februario mense cur nuptiae non factae? 180
Feminae an tantum nuncupatiue testari potuerint? 240. cur earum testamentifactio cum periculo coniuncta? *ib. sq.* Eae in perpetua tutela erant. vid. *Tutela.* ob tres liberos solidum capiebant. 293
Feminarum Romanarum luxus et socordia. 35. 36
Fibula vsi cantores. 153. *Fibulam imponere* quid? *ib.*
Fictio Praetoris rara, filiam esse filium. 355
Fideicommissa in fraudem L. Papiae Popp. facta. 192. maxime in fraudem legum decimariarum. 273. Ea initio valida, post grauiter prohibita. 192. tacita quid. 273
ex Fideicommisso manumissa an a patrono diuertere potuerit? 247
Filii in dignitate nati an in successione antea natis praeferantur? 112. eo vocabulo quando et nepotes comprehendantur? 116. erant patroni libertarum quas ex castrensi peculio manumiserant. 248
Fiscus quando aerario in caducis ereptitiis et vacantibus praelatus? 401. Eum saepe Tribonianus in Pandectis posuit pro aerario. 402. Caduca cum onere capiebat. 448. apud eum se deferentes dimidiam capiebant. 443. 446
Flaccvs (*Granius*) quando vixerit? *pag.* 165
Focariae militibus permissae. 200.
heredes institui poterant. 261
Foede se deducere quid? 125
Fratres saepe sorores dotabant. 337. *sq.* fratris viduam ducere poterant. 312. 314
Fraus legi facta quid? 424. in fraudem legis et patroni alienare quomodo differant? 350. *sq.* multiplex qua Lex caducaria eludebatur. 423. *seq.*
Fundum dotalem alienare non prohibuit Lex Iulia et Papia, sed Iulia de adulteriis. 324
Fundus Italicus quis? 329
Funus vendere quis dicatur? 229. eius cura excusat. 377
Furcae an Coss. praelatae cum fascibus? 196
Fvrii (*M. Camilli*) et *M. Postumii Albini* seuera censura. 29

G.

Galatarchae qui? 141
Galli Matris Deûm cur despicatui habiti? 123
Γεγαμηκότων δικαιώματα quae fuerint? 199
Gener quis? 314. ex qua lege nec ille contra socerum, nec socer contra generum testimonium dicere potuerit? 252
Germani liberos nulla spe praemiorum inducti quaerebant. 25. quo sensu apud eos plus valuerint boni mores, quam apud alios bonae leges? *ibid.* ii vxores coemebant.

BIU Cujas

mebant. 254. ſeram Venerem probabant. *pag.* 178
Gladiatores infames. 229. cur dicti meridiani? *ib.*
GLAVCIPPVS quidam exceptus in lege Papia de peregrinis. 11
GOTHOFREDVS (*Iacobus*) laudatus. 16. Commentarium in Legem Iuliam et Papiam Poppaeam adoleſcens ſcripſit. *ibid.* eius in Commentario quid deſiderandum? 66. *ſeq.*
GRACCHVS duodecim menſes in vtero fuiſſe dicitur. 288
Graeci πολυπαιδίας ſtudioſi. 21. *ſq.*
GRANIVS FLACCVS quando vixerit? 165
Gratiam facere criminis. 322. legis. *ib.* iuriſiurandi. *ib.* huius aliquando gratiam faciebant leges. 307

H.

Hageſtoltzen-Recht quale ius apud Germanos? 25
Heautontimorumenos cur dicta Terentii comoedia? 104
Hebraei legem de ineundo matrimonio praeceptiuam putabant. 19. caelibatum odio proſequebantur. *ib.* Iis ſterilitas ignominioſa. 20. immunitatem dabant νεογάμοις. *ibid.* vxores ſibi coemebant. *ibid.* 254
Hereditas delata quae? 301. *lege obueniens* quae? 191. adeunda ex lege Papia Poppaea tabulis apertis. 376. *ſequ.* eam non capiebant, qui nuptias aduerſus hanc legem fecerant. 191
Heres pro genero. *pag.* 314
Heres ex aſſe ante apertas tabulas hereditatem adire poterat, et cur? 378. nuncupatus item, et cur? 380
Hiſtriones infames. 122. ex turba peregrina. 123. tribu mouebantur. 122
Homo et femina vocatur. 396
Honores. In iis petendis parentes orbis, mariti caelibibus praeferebantur. 201
Hora diei tertia forum feruere incipiebat. 378

I.

Impar matrimonium quodnam? 163
Imperatores. In iis deligendis ratio habita liberorum. 202
Impubes domum ducta quando iuſta vxor eſſe coeperit? 182
Impunitatis ſpes an a peccando retrahat? 147. *ſeq.*
In tantum pro *adeo*. 125
Inceſta matrimonia ſaepe ob liberorum numerum confirmata. 32
Indignis quaenam eripiantur, et ex quibus legibus? 415. *ſeq.*
Infamia ludionum vnde? 122. eam illis ſenatoribus impegit Conſtantinus M. qui viles feminas vxores duxerint. 145
Infantes quoto anno mamma depulſi? 284. quomodo initiati? 265
Ingenui ducere poterant libertinas. 127. non autem mulieres ſcenicas. 130. nec lenas vel a leno-

BIU Cujas

ne manumissas. 131. nec iudicio publico damnatas, nec in adulterio deprehensas. *pag.* 133
Initiatio infantum. 265
Iniustae nuptiae a Romanis non rescissae. 160
Inscriptiones legum non semper sanae. 68. nec tamen exemplo Iac. Gothofredi pro lubitu mutandae. 66
Insignes viri qui? 140
Isidis cultus cur a Romanis despicatui habitus? 123
Italiae limites antiqui et noui. 210
Italici iuris colonias cur in commentariis ad hanc legem descripserit Caius? 329
Italici et *prouinciales* sibi inuicem oppositi. 210
Italicus fundus. 329. *Italicum solum* quod? 210
Iudicio publico damnati qui? 133
Iudicium de moribus quid? 238
Iulius Miscellus an exstiterit? 303
Iuno *Domiduca*, *Iterduca*, *Iuga*, ζύγια, *Cinxia*, *Lucina*, *Patulca*. 28. *Sispita* Lanuuii culta. 56. Eius *aram tangere* quid? 28
Iura maritorum militibus data et cur? 199. ciuitatis et Quiritium quomodo differant? 221
Iurans, se patronum esse, an omnibus patronorum iuribus fruatur? 248
Iureiurando obstringi liberta, ne nuptias faceret, non poterat. 348. Eius aliquando gratiam faciebant leges. 307
Ius liberorum communium. 289. a quo concessum? *ib.* iam Domitiani tempore a principe datum. 291. non dabatur temere, nisi vtriusque coniugis aetas coniuncta centum annos excederet. 293. an et mortuis datum censeatur, si, qui petunt, ante principis decretum decesserint? 387. omnibus promiscue datum a Theodosio. 294. an et parentes illud a principe impetrarint? *ib.*
Ius trium liberorum an a Numa inuectum? 26. an a Tullo Hostilio? 27
Iustinianus Theodoram vxorem ducturus caput 1. legis Iuliae et Papiae aboleuit. 146. Ei multae constitutiones Iustini perperam tribuuntur. 147. is concubinatum probauit. 157
Iustinus Imp. nomen suum quatuor litteris expressit. 147
Iuventius (*P. Celsus*) legem Papiam septem libris interpretatus est. 67

K.

Καθολικοὶ Rationales. 362
Κακοζωμία poena apud Lacedaemonios qualis fuerit? 22. *seq.*
Κατακοωτόμενοι, bestiarii. 229
Κυνηγέσια vel κυνηγέσιαι, venationes, quales ludi? 229

L.

Lacedaemonii praemia πολυτελεῖς δίας constituebant. 21. caelibes puniebant, immo et male et sero ducentes vxores. 22. nec non

BIU Cujas

non qui solius dotis habebant rationem. 23. an ab iis sumtum sit Legis Iul. et Papiae caput de immunitate parentum ob quatuor liberos? *pag.* 210. *sq.*
Lanuuii insignia. 56. prodigium in eius conditu notatum. *ib. sq.* Draco ibi annosus, cui virgo quotannis pabulum praebebat. 57. Iuno Sispita ibi culta. 56
Latii ius multis extra Latium datum. 219
Latini adfectabant ius ciuitatis Romanae. 8. saepe vrbe exire et in patriam redire iussi. *ib.* et socii Latini nominis an semper iidem? 10. quando ius ciuitatis acceperint? *ib.* liberti an quidam ex lege Aelia Sentia? 217. colonarii ob anniculum filium iura Quiritium consequuti. 218. etiam liberti ex L. Iunia Norbana. *ibid.* non habebant ius connubii et patriae potestatis. 219. an pro peregrinis habiti? 226. tanquam peregrini virgis caesi. *ibid.* dicti ciues ex Latio. *ib.*
Latus clauus insigne Senatorum. 107. etiam filiis Senatorum ab Augusto concessus. 112
Legata obscura, pugnantia, mortuis relicta, translata, ademta pro non scriptis habita. 390. *sequ.* quaenam caduca? vid. *caduca.* Quae vt indignis erepta? vid. *ereptitia.* quotuplici modo relicta? 419. per vindicationem relictum deficiens ab aerario vel fisco non occupabatur. 410
Legationes liberae. 281. *sequ.*
Lege soluebat Senatus. *p.* 290. 321. an et populi suffragiis opus fuerit? *ib.* quando id ius ad principes deuolutum? 322. de lege solutione lex Cornelia. 290. eius lege solutionis effecta. 322. quomodo legibus soluti ipsi Principes? 397
Leges a primis capitibus nomina acceperunt. 105. seuerius emendatae. 45. de coniugio ineundo et liberis procreandis libera adhuc rep. latae. 28. *sq.* Papiae plures. 2. Saturae quae? 66. minus quam perfectae. 135
Leges variae.
Aelia Sentia eodem anno lata quo Iulia de maritandis ordinibus. 47. non fuit Senatusconsultum. 50. an ea ingenuis facultatem dederit, libertinas vxores ducendi? 128. an quosdam libertinos Latinos esse iusserit? 217
Caducaria. vid. *Iul.* et *Papia.*
Caecilia Didia qualis? et an adhuc tempore Augusti recepta? 66
Canuleia de nuptiis patrum cum plebe. 118
Cincia cur muneralis dicta? 105
Claudia de sociis Lat. nominis domum remittendis. 9
Claudia de tutela mulierum. 237
Cornelia de sicariis, parricidis et veneficis. 105
Cornelia de lege solutione. 290
Decimaria. 259. cur inuenta? 260. fuit pars legis Iul. Papiae de marit. ord. *ib.*

Lex

Lex Incerta, vt mater iterum nupta non sit heres liberorum ex priore matrimonio susceptorum, sed ei ipse auus maternus praeferatur. 302
Iulia de adulteriis cur id nomen acceperit, quum et de aliis criminibus egerit? 104. 105. ea dotalis fundi alienatio prohibita. 324. septem testes in diuortiis adhiberi iussit. 325
Iulia iudiciorum publicorum a Gothofredo male cum Papia Poppaea confusa. 252. 309
Iulia de maritandis ordinibus. De ea quando primum cogitatum? 40. SCtum de illa roganda aegre impetratum. 41. Eius mentio in marmore, antequam perlata. 43. *sequ.* prima rogatione reiecta. 45. quando et quomodo demum perlata? 47. Coaeua est legi Aeliae Sentiae. *ibid.* eam frustra abrogari volunt equites Rom. 48. Inter illam et Papiam Poppaeam differentia. 51
Iulia Miscella pars Papiae Poppaeae. 303. sublata a Iustiniano et postea quadantenus restituta. 304. eius vsus hodiernus. 305
Iulia de parricidiis. 105
Iulia Titia de tutelis quando lata? 338
Iulia vicesimaria qualis et quando lata? 361
Iulia et Papia Poppaea. Eius varia nomina. 13. κατ' ἐξοχὴν dicta Lex vel Leges. *ib.* diutissimo vsu viguit. 14. in sponsalibus recitata. *ib.* quinam in eam commentarios scripserint? 14. *sequ.* Eius fragmenta se per vniuersum ius diffundunt. 15. Eius finis. 18. 62. an de ea ferenda Augustus in sexto consulatu cogitarit? 41. an fuerit SCtum? 50. Eius chronologia. *ibid.* Duae eiusdem partes. 63. 64. 359. quando et a quo lata? 49. Eius a Iulia de maritandis ordinibus discrimen. 51. an diuersa a Iulia caducaria? *ibid.* quot et qualibus capitibus constiterit? 63. fuit Lex Satura. 65. et minus quam perfecta. 135. quot eius fragmenta supersint, et quomodo in ordinem redigi debeant? 16. Eius caput I. confirmatum a Constantino M. 137. et Marciano. 145. abolitum a Iustino et Iustiniano, et cur? 146. 149. *sequ.* Eiusdem caput II. male a Iac. Gothofredo et aliis expressum. 154. quale illud fuerit et an senibus connubio interdixerit? *ib.* Eius capita de solidi capacitate quando cessarint? 293. Ea quis soluere potuerit. 322. an fundi dotalis alienationem prohibuerit? 324. an in diuortiis septem testes adhiberi iusserit? 325. an initio in prouinciis etiam valuerit per omnia? 338. per eam aucta iura patronatus. 349. quoto anno liberos exegerit? 278. Caducaria

ducaria odiosa. *p.*360.362.386. Ea Caligulam soluit Senatus. 322. de ea moderanda sub Tiberio cogitatum. 362. capita eius. 363. de quibus bonis egerit? 389
Lex Iunia Norbana quando lata? 218. 222. ea omnes non iuste manumissos Latinos esse iussit. 217. 222. Latinis ob anniculum iura Quiritium dedit. 223
Iunia Penni de peregrinis. 10. an iure a Cicerone reprehendatur? 12
Laetoria cur quinavicennaria. 105
Licinia Mucia de sociis Lat. nom. in patriam remittendis. 9
Maenia qualis et quando lata? 158
Mensia quae? 226. an Messia dicenda? 227
Oppia. 35
Papia de virginibus Vestalibus quando et a quo lata? 6. an fuerit pars L. Iuliae et Papiae? *ib. sequ.*
Papia de sociis et nom. Latin. 8. *sequ.* quando lata? 10
Papia de peregrinis. 12. eius vestigia in numis. *ibid.* an a Cicerone iure reprehensa? *ibid.* eius ferendae occasio. 13. *sequ.*
Petronia seruos bestiis addici vetuit. 229. an Paetinia dicenda? *ib.*
XII. Tabularum de nuptiis inter patres et plebeios non contrahendis. 117. de successione libertorum. *pag.* 349
Lex Villia annaria. 203
Voconia an tempore Augusti adhuc viguerit? 264
Legitimatio per subsequens matrimonium cur inuenta? 174. Eam primus omnibus promiscue indulsit Iustinianus. *ibid.*
Leno quis? 131. Lenonum et lenarum turpitudo. 132. Ab iis manumissae cur ingenuis nubere non potuerint? *ib.*
Liberalium caussarum gratia professionem ad tabularia fieri iusserat Marcus Antoninus. 214
Liberi in fraudem legis instituti. 191. quotnam a muneribus excusent? 208. qui non excusent? 211. *seq.* Sedecim a muneribus patrimonialibus excusant. 213. alieni saepe pro propriis offerebantur excusationis caussa. *ibid.* Eorum quaerendorum caussa matrimonium se inire profitebantur Romani. 223. legitimi ex iniusto matrimonio non nascebantur. 190. naturales non erant infames. 169. nominibus suis adscribebant SP. F. 169. vel FIL. NAT. 170. dignitatum capaces. *ibid.* qualia nomina adsumserint? *ib.* iis nihil donari poterat ex legibus Constantini M. 173. patronorum libertatis caussa aliquid accipere solebant. 232. quo anno exigerentur per legem Iuliam et Papiam? 278. 343
Liberos quis *habere* dicatur? 55
Liberta aliena an in concubinatu esse potuerit? 127. operis patro-no

BIU Cujas

no debitis, per nuptias liberabatur. *p.* 228. 347. *sequ.* innupta iisdem liberabatur aetate quinquagenaria. 228. patrono desponsa ei repudium mittere poterat. 249. inuita patrono nubere non cogebatur. *ib. sequ.* an a patrono furioso discedere potuerit? 251. a patrono cui semel nupta, inuito discedere non poterat. 247. 251. in perpetua tutela patroni viuebat. 242. an absente tutore ius ei fuerit alium tutorem petere. 258. ob quatuor liberos solidi capax erat. 293

Libertatis legatae dies cur non nisi ab adita hereditate cedat? 382

In Libertate morari et liberum esse quo modo differant? 223

Libertinae quae? 119. Earum nuptias omnes ingenui ante L. Papiam adspernabantur. 118. nuptiae tamen cum ingenuis illis aliquando concessae per priuilegium. *ibid.* earum filias etiam ingenui ducere poterant. 119. quod postea Senatoribus vetuit Constantinus. 143. cum iis nuptias concessit L. Iulia et Papia. 119. non tamen Senatoribus. *ib.* 127

Libertini, quibus filius quinquennis, in tribus rusticas describebantur. 31. antiquis qui dicti? 120. ne adoptati quidem ab ingenuis iura ingenuitatis adquirebant. 126. in senatum admissi a Commodo. 137. opificia et artes manuarias exercebant. 230

Libertus patronae nuptias adfectare non poterat, nisi haec esset vilioris conditionis. *p.* 128. Exempla huiusmodi nuptiarum. 129. artem ludicram faciens, operis non liberabatur ob liberorum numerum. 228. nec arenarius, 229. operis non liberabatur solis nuptiis. 348. centenarius et centenario minor. *ib. sequ.*

Licinius Caesar multos Senatores ad nauicullariorum conditionem detrusit. 138

Lipsii (*Iusti*) Excursus ad Tacitum de lege Pap. Popp. 15

Liuiae gentis claritas. 114

Liviae Augusti nobilitas per adoptionem aucta. 114. cur sine indulgentia Senatus non potuerit tertiam bonorum partem ex Augusti testamento capere. 264

Livius Drusus per adoptionem ex patricio plebeius. 114

Lucar quid? 45

Lucilla *Augusta* priuato nupta imperatorii coniugii insignia retinuit. 125

Lucrum ex dote quid? 332

Luctu durante nuptiae non fiebant. 180

Luctus tempore nubens infamis. 185

Ludi saeculares quo anno facti? 42. varia de iis SCta marmori incisa. 43. quinam iis interesse potuerint. *ib. sequ.* vnde sumtus petiti? 45. in iis arae in ripa Tiberis dedicatae. *ibid.* quis iis sub Augusto praefuerit? *ib.*

Ludus venatorius, bestiarum matutinus, meridianus. 229

Lupa et aquila signum Lanuuinorum.

BIU Cujas

rum. *pag* 57
Lustratio infantis quo ritu facta? 265
Lyciarcha quis? 141
LYCVRGI leges de ducendis vxoribus. 23
LYCVRGVS qua aetate nuptias fieri voluerit. 178

M.

Maenia gens. 158
Mainia gens eadem quae *Maenia*. *ib.*
Maiorennitatis initium definiuit Lex Laetoria. 105
Mamma quo anno depulsi infantes? 284
Mandatores quinam? 446
in Manum conuentio quid? 238. *seq.* per eam vxores redigebantur in potestatem maritorum. *ibid.* eius effecta. *ib.*
Manumissio. Eius merces prohibita Lege Ael. Sent. 232. ancillae matrimonii caussa non est ex L. Aelia Sentia, sed ex SCto. 128
Manumissus testamento minor XXX. annis ex Lege Iunia Norbana erat Latinus. 222. *sq.* cur ei saepe adscripta conditio: QVVM ANNORVM XXX. ERIT? 223
MANZANO (*Ramez. del*) commentario illustrauit L. Papiam Poppaeam. 15
MARCELLVS (*Vlp.*) ICt. Commentarium ad L. Papiam Poppaeam scripsit. 14
MARCIANVS ICtus in citandis auctoribus accuratus. *p.* 63. diuersorum temporum leges per μεταξυλογίαν coniungere solet. 64
Maritus XI annorum. 183. maritus vxorem non lugere debebat. 185. in maritorum numero qui esse dicantur? 199. iura maritorum quidam a principe impetrabant. *ib.* quanta mariti potestas in vxorem. 238. an is tutelam vxoris gesserit? 239
Matres Consulum an consulares. 116. Augustorum Augustae dictae. *ib.* Earum conditionem liberi extra matrimonium nati an semper sequerentur? 225
Matrimonium. Qualis ad id ineundum sit obligatio? 19. *sq.* putatiuum quale? 117. 188. iniustum num resciderit Lex Papia Poppaea. 135. eius iure non gaudebant Latini. 223. Matrimonium sine connubio quid? 223. an duorum mensium matrimonium ad solidi capacitatem requisitum? 277
Matronali dignitate exsolutae meretrices. 131
MATTHAEI Euangelium an titulum habeat: βίβλος γενέσεως ἰησοῦ χριστοῦ. 104
Matutini dicti bestiarii. 229
MAVRI (*M. Veranii*) tractatus de iure liberorum laudatus. 15
MAVRICIANVS (*Iun.*) commentarium ad L. Iuliam Papiam scripsit. 14
Sine Mendacio cum aliqua viuere quid? 167
Mercatura tabernaria vilis et contemta. 144

FACULTÉ DE PARIS BIBLIOTHÈQUE

BIU Cujas

Mercedem manumissionis sibi stipulari nefas per L. Aeliam Sentiam. *pag.* 232. promittere tamen vltro poterant serui. *ibid.* eius exempla ex Dionysio Halicarnasseo. *ibid.*
Mercibus quae publice praeerant, nubere prohibentur viris perfectissimis. 144
Meretricum conditio apud Romanos. 131
Meridiani gladiatores. 229
METELLI (*Q.*) Censoris seueritas aduersus caelibes. 31. Eius oratio ab Augusto repetita. *ib.* 42
Milites an potuerint vxores ducere? 199. quis primus id illis indulserit? 200. iis focariae mulieres permissae. *ibid.* non poterant vxores in castra vel hiberna perducere. *ibid.* iis ius liberorum datum. 291
MODESTINI (*Herennii*) Εὑρηματικὰ qualis liber. 424
Modum diuortiis imponere quid? 326
Monstrosus partus quando profuerit? 264
Mores grauiores vel maiores qui? 328. *leuiores vel minores.* ibid.
Mors parentum iusta caussa trahendi sponsalia. 180
Munera a liberto Patrono debita. 231. ab iis quomodo liberti liberati. 232. publica quotuplicia? 207. quid ab iis excusarit. 207. 212. *sq.*

N.

NAtalium professio quomodo facta? 213. restitutio quid? *pag.* 119. 349. ea non temere concedebatur nisi consentiente patrono. 355
Nauem mercaturae caussa fabricantibus vacationem Legis Pap. Popp. dedit Claudius. 274
Neglecti liberi qui? 267
Nepotes quando filiorum nomine veniant? 116. ex filiabus Senatorum an clarissimi? *ib.*
NERONEM puduit libertinam ducere. 119
Nobilitas an per adoptionem data et peremta? 113
Nomen quo die infantibus datum? 265. aliquando statim post partum impositum. 267. Nominum dies quis? 265
Nominare potiorem et excusare quomodo differant? 207
Non scripta. Pro his quae habita? 389. *sq.*
Nothorum conditio. 169. vide *Liberi.*
Nouercae priuignorum vxoribus infestae. 313
NVMA POMPILIVS an auctor iuris trium liberorum? 26. Eius leges quae πολυπαιδίᾳ fauent. 27. cur Iunonis aram a pellice tangi vetuerit? *ib.* cur filium qui volente patre vxorem duxerat, venundari vetuerit? 28
Nurus quae? 314
Nuptiae inter patres et plebeios cur prohibitae? 117. iniustae an rescissae? 160. impares quae? 163. sero initae honestissimae visae gentibus quamplurimis. 178. praematuras contra probabant Roma-

BIU Cujas

Romani. *p.* 178. in puberum an reſciſſae? 182. *ſq.* ſimulatae quae? 198. putatiuae quae? 117. inter generum et ſocrum. 312. cur ab iis abhorruerint multi Romani? 35. cur philoſophi? 37. quomodo differant a matrimonio? 223. Liberorum ſine conſenſu parentum nullae. 334

O.

OBlatio virginum Veſtalium. 7
Obrogare legi quid? 154
Obſcura legata pro non ſcriptis habita. 390
OCTAVENVS an ad L. Papiam Poppaeam ſcripſerit? 14
Octauo menſe natus an legitimus? 211
Officii quae eſſe dicantur in iure noſtro? 337. *in officio mariti et patroni eſſe*, quid? 348
Operae patronis debitae. 229. quotuplices? 230. quomodo promiſſae. 230. vltra promiſſum exigi non poterant. 231. illis liberabantur liberti ob numerum liberorum. 232. libertae voluntate patroni nuptae. 347. *ſequ.* non tamen ab operis patronae vel patroni filiae debitis. 348. earum obligatio reuiuiſcebat, ſimulac nuptae eſſe deſiiſſent. *ib.*
Opificia a ſeruis et libertinis Romae exercebantur. 230
ὀφιγαμία poena apud Lacedaemonios. 23
Optionis legati dies quando cedat? 382. 420
Oratio principis quid? *p.* 136. Antonini et Commodi. *ibid.* Metelli ab Auguſto repetita. 31. 42. Auguſti ad Equites de Lege Iulia habita. 48. P. Scipionis Africani. 30
Orbi dicuntur etiam qui liberos nunquam habuerunt. 212. 343. eorum et parentum diſcrimen an ab Honorio et Theodoſio ſublatum ſit? 275. ii ſolidum capere non poterant. 339. cur eorum conditio poena digna viſa? 343. an ſibi relicta ceperint, ſi intra centum dies parentes fierent? *ib. ſq.* ſemiſſem tantum capiebant. 344
Orbitas ignominioſa apud Thebanos. 23. Hebraeos. 20. aliaſque gentes. *ib. ſq.* Eius pretia apud Romanos. 24. 36. Talia nulla Germanis. 25
Ordo adoptione non imminuebatur, ſed augebatur. 113
Ornamenta coniugii ſenatorii a Principe data. 124
Ὥσωερ, pro ὥσωερεί. 124
Ὡσπεί. Ea particula quando vſi Stoici et ICti Rom.? 113

P.

PActa dotalia in fraudem legum decimariarum facta. 272
PAEZ (*Ferd.*) de numero liberorum excuſante ſcripſit. 15
Παιδαγωγεφία quid? 213
Παλιγγενεσία pro natalium reſtitutione. 119
Pantomimorum aedes ingredi vel

BIU Cujas

eos in publicum prodeuntes ſectari, ignominioſum ſenatoribus. *pag.* 123. *ſq.*
Papia gens plebeia. 55
PAPII CELSI, MVTILI, POLLIONES. 55. an quidam etiam *Triumpi* et *Milones* cognominati? *ibid.* *Celſi* Lanuuio oriundi. *ibid.* *Mutili* origine Samnites. 57. Celebriorum *Papiorum* ſyllabus. 58
PAPIVS (*M. Mutilus*) Coſ. ſuffectus. 54. Eius Propraetura et adulatorium ingenium. *ibid.*
PAREIA (*Ioannes de*) ad Legem Papiam Popp. ſcripſit. 15
Parentes cur ſaepe liberorum nuptias prohibuerint? 334. liberos et dotare cogebantur. 335. *ſequ.* iis ad tertium vſque gradum bona damnatorum liberorum deferebantur. 384. itemque caduca. *ibid.*
Partus tempus legitimum. 211. trium, quatuor, quinque infantum poſt quadrageſimum diem. 225. decimeſtris a morte mariti legitimus. 287. an et undecimeſtris. 287. *ſeq.* duodecim et tredecim menſium. 288
Pater ſolitarius quis? 291. is ſolidum capiebat. *ibid.* eius nomine quando et auus intelligatur? 121
Patria poteſtas cur tanta ciuibus Romanis conceſſa? 26
Patrona liberorum iure idem ius in bonis liberti habebat ac patronus. 357. olim ſibi ſideiuſſores dari curabat a liberto, quod certa bonorum pars ad ſe peruentura ſit. *ibid.* trium liberorum iure ſubnixa ius ſuccedendi in bonis liberti ad liberos ſuos tranſmittebat. *pag.* 358. eius nuptias adfectare liberto nefas. 128
Patronus liberto veluti agnatus. 242. liberta ſine eius auctoritate teſtari non poterat. *ibid.* Liberta ei quid teneretur relinquere. 243. eius cum liberta connubium an parum honeſtum? 128. quo ſenſu ei honeſtius fuerit, libertam concubinam quam matremfamilias habere? 251. ſine eius conſenſu liberta nubere non poterat. 348. erat ordinarius libertae tutor. 242. 348. ſi impubes eſſet, conſentire non poterat ſine tutoris ſui auctoritate. 348. eius ius in bonis liberti centenario minoris. 352. et centenarii. *ibid.* *ſequ.* excluſus a liberti hereditate an tutelam ſuſcipere teneretur liberorum eius? 352. eius ius in bonis libertae. 356. ab eo furioſo an liberta vxor diſcedere potuerit? 242
Patroni filias non admittebat praetor ad libertorum ſucceſſionem. 355. ſuccedebant tamen ex Lege Papia Poppaea ſi trium liberorum matres eſſent. *ibid.*
PAVLLVS (*Iulius*) ICtus, quot libros ad L. Papiam Poppaeam ſcripſerit? 14. 67. Eius liber ſingularis de iure patronatus, quod ex L. Iulia et Papia venit, in libros vltimos Commentariorum illorum migrauit. 68. 346
Pellices conceſſae Perſis. 20. Lex Numae de illis. 27. an et quomodo

BIU Cujas

modo a concubinis differant. *pag.* 165
Πενπτηρικὸς ludus. 122
Pereger pro peregrinus. 406. quis pereger factus dicatur? *ib.*
Peregrina instituta Romanis fordebant. 123
Peregrinationis studiosissimi Romani. 317. ea impedimentum nuptiarum. *ib.* quaenam a faciendis nuptiis excusarit? 181
Peregrini vrbe eiecti variis legibus. 11. an id iure fieri potuerit? 12. *seq.*
Perfectissimi viri qui? 140. etiam Duumuiri quarumdam ciuitatum. *ibid. sequ.*
Permittere pro remittere. 307
PERPERNA (*M.*) Consulis pater a Sabellis ex lege Papia vindicatus. 8. quando id factum? 10
Persae πωλυπαιδίας praemia elargiebantur. 20. pellices alebant. *ibid.*
Philosophi plerique a nuptiis abhorrebant. 37
Phoeniciarcha quis? 141
PLANCIVS VARVS quando Consul fuerit? 193
Plebeiae olim non nubebant Senatoribus ante legem Canuleiam. 117
PLVTARCHO familiaris admodum est πεθληψις. 27
Poenae praemiis efficaciores. 148. iniustarum nuptiarum quae? 160. ἀγαμίης, ὀψιγαμίης, κακογαμίης apud Lacedaemonios. 22. *sequ.* caelibatus et orbitatis ex L. Papia Poppaea. 339. a Constantino M. sublatae. 345
Πολυανδρία veteribus omnibus exosa. *pag.* 297
Πολυγυνία aliquando ab Atheniensibus permissa. 21. semper a Persis. 20
Πολυπαιδίας studiosi Hebraei. 19. *sq.* Persae. 20. Graeci. 21. Germani. 24. eam legibus promotum ibat Romulus. 25. *sq.* Numa. 26. an et Tullus Hostilius? 27. Leges ea de re libera rep. latae. 29. ob eam plebeii tributis liberati. *ibid.* praemia πωλυπαιδίας a Censoribus constituta. *ibid. sq.* a Iulio Caesare. 31. ob eam ancillis libertas data. 32. pars bonorum liberis damnatorum concessa. *ib.* eius ratio habita in congiariis. 33. ob eam incesta matrimonia confirmata. *ibid.* ob eamdem vacatio data essedariis. 34. et decurionibus πρεσβεία concessa. *ib.* Cur tot praemiis ornata fuerit a Romanis? *ib. sq.*
Pomoeria vrbis saepe promota. 208
POMPEII et POPPAEI saepe confusi ab auctoribus. 61
Pontifex M. virgines Vestales eiectis regibus capiebat. 3. vide etiam *Sacerdos.*
Poppaea gens origine Sabina. 59. libera rep. obscura. *ib.*
Poppaea Sabina Neronis socrus. 59. *sq.* eiusdem vxor. 60
Poppaeorum stemma. 60. celebriorum syllabus. *ib. sq.* ii saepe cum Pompeiis confusi. 61
POPPAEVS (*Q. Secundus* vel *Secundinus.*) 54. Duumuir Col. Vililae Celsae. 55. Consul suffectus. 53.

BIU Cujas

POPPAEVS (*Q. Sabinus*) aedilis. *p.* 59. Coſ. ordinarius. *ibid.* triumphalibus ornamentis donatus. *ibid.* Moeſiae, Achaiae et Macedoniae per XXIIII. annos Praeſes. *ibid.* an Secundi patruelis? *ibid.*
Populus Rom. an ſub Auguſto ius liberorum dederit? 289. an lege ſoluerit? *vid.* ſupra *Lex.*
POSTVMII (*M. Albini*) et M. FVRII CAMILLI ſeuera aduerſus caelibes cenſura. 29
Poſtumus an Senatoris filius? 115
Potiorem nominare et *excuſare* quomodo differant? 207
Praedium Italicum. 329
Praemia πολυπαιδίας. *vid.* πολυπαιδία.
Praefecti et *perfecti* ſaepe in codicibus confuſi. 140
Praefecti Praetorio viri clariſſimi, poſtea illuſtres. 139. 143. amici Principis. 139. Senatores. *ib.*
Praefecti Vrbi clariſſimi, poſtea illuſtres et Senatores. *ib. ſq.*
Praefecti aerarii milit. et Saturni. 361
Praeſidatus gentium quid? 142
Praetores aerario praefecti. 361
Primordia quae dicta? 266
Princeps legibus caducariis ſolutus. 396. et aliis legibus. *ib.*
Priuigna an potuerit in vitrici concubinatu eſſe? 109
Priuignus et *priuigna* quinam dicantur? 314
Priuilegium Glaucippo datum lege Papia de peregrinis. 11
Proconſul non niſi vrbe egreſſus cum imperio erat. 209
Procuratores Caducorum, hereditatum principis, legatorum, peculiorum XX. *hereditatium.* pag. 362
Prodi dicebantur quidam ſacerdotes. 3
Profeſſio cenſualis. 213. *natalium* quomodo facta, et quam antiqua? *ib.* 266. an a Marco Antonino inuenta? 214. an ei abſolute fides habita? 215
Promagiſtri XX. *hereditatium.* 362
Promiſſio dotis quomodo facta? 257
PROPERTIVS cur a nuptiis abhorruerit? 46. *ſq.*
Prouinciae. Ad illas ſaepe prolata iura in vrbe obſeruanda. 338
Puberes omnes lex coegit vxores ducere et nubere. 156
Pubertas an in feminis ſpectata? 181. eius annos Auguſtus definiuit. *ib. ſequ.* an et quatenus hodie in nuptiis requiratur? 186
PYTHAGORAS an caelibatum damnarit? 23

Q.

Quadruplatores quinam? 446
Quaeſtum corpore facere quae dicantur? 130. Eae nubere non poterant ingenuis. *ibid.*
Quandoque pro *quandocumque.* 263
Quandoque liberos habebit, cur ſub ea conditione legatum? 268. 270
Quantum aequius melius, formula in actione rei vxoriae ſollemnis. 326. *ſq.*
Quantum per leges capere poterit, cur ea conditione hereditas vel legata relicta? 344
Quaſi. Quando ea particula vſi Stoici

BIU Cujas

Stoici et ICti? pag. 113
Quasi Senatoris filius vel *nepos* quis? ibid. 110
Quinavicennaria lex dicta Laetoria et cur? 105
Quinquagenaria an parere possit? 157
Quinquennis filius libertum ab operis liberabat. 233. ob eundem libertini olim in tribus rusticas descripti. ib.
Quiritium iura quae? 221. an eadem ac ius Latii? ib.

R.

REges Rom. virgines Vestales cepere. 3
Regiones suburbicariae quae? 209
Regula Catoniana a quo composita? 380. ad leges nouas non pertinet. 381. 409
Repetitio vsusfructus quid sit et quomodo saluo iure fieri possit? 400
Repudiatae non illico nubere poterant. 185
Res iudicata an semper pro veritate habeatur? 119
Rescindi saepe dicuntur, quae ipso iure nulla. 353
Restitutio in integrum intra quod tempus data minoribus, Romae, in Italia et in prouinciis. 210
Retrahi saepe dicuntur, quae ipso iure nulla. 353
Reuocari aliquando dicuntur, quae ipso iure nulla. ib.
Rogantes legem, eam non semper probabant. pag. 54
Romae aedificatum quid notet? 329
Roma quousque se extenderit? 208. latius patebat quam urbs. ibid.
Romanae reip. finis potentia bellica. 35
Romani maxime a nuptiis abhorrebant. 35
ROMVLVS πολυγαμίαν multis legibus promotum iuit. 25. *sequ.*
ROSCIVS (Q.) histrio. De eo Ciceronis iudicium. 123

S.

SAbina Poppaea Neroni nupta Ollia dici debebat. 60
Sacerdotia quando cum plebe communicata? 47
Sacerdotes prouinciales. 141. a quibus electi? 141. eorum munus, tituli, dignitas. 142
Sacra certamina quae? 122
Saltator praefectus vrbi ab Elagabalo factus. 130
Sanguinolenti liberi quinam? 267
Satura Lex quid? 65
Scena quid? 121. in eam mercede conducti prodeuntes infames. 121
Scenicae mulieres lenis assimilatae, cum quibus stuprum non committi videbatur. 124
Scientia qualis exigatur, quando leges habent: SCIENS DOLO MALO? 188
SCIPIONI (P.) Africano cur negata fuerit aedilitas? 203
Secundae nuptiae gentilibus etiam inuisae. 297. nec non Christianis.

BIU Cujas

nis. *pag.* 302
Secures coss. non in vrbe, sed extra vrbem praeferebantur post tempora Valerii Poplicolae. 196
Senatores primo natales, deinde virtus, postremo census faciebant. 105. Eorum insigne latus clauus. 107. eorum priuilegia. *ib.* a quibus in senatum lecti. 111. quas vxores ducere non potuerint? 117. *iuuenes* et *honoribus perfuncti.* 112. eorum onera. *ibid.* plebeias olim non ducebant ante legem Canuleiam. 117. *seq.* sub malis principibus personae vilissimae. 137. iis cur nuptias cum scenicis indulserat Iustinianus? 146. *seq.*
Senatorius ordo primus in ciuitate. 105. census quantus fuerit? *ib.*
Senatorum filiae et neptes quae clarissimae? 124. an iis haec dignitas semper salua fuerit? 139. nubere non poterant libertinis. 126
Senatorum filii clarissimi. 112. lato clauo ab Augusto donati. *ib.* antea equestris ordinis erant. 112. quinam fuerint? *ibid.* huius iuris renouatio. 139
Senatorum nepotes ex filiis clarissimi, non nepotes ex filiabus. 116
Senatorum matres et sorores an clarissimae? 116
Senatus auctoritas sub Imperatoribus. 106. eius membrum ipse Imperator. 107. eo qui mouebantur, vix integrae erant existimationis. 110
Senatusconsulta cum legibus, ad quas facta, non confundenda. *pag.* 50. quod tamen a viris doctissimis factum. 156
Senatusconsulta varia.
Caluisianum, vulgo Caluitianum, 162. *sq.* an idem ac Claudianum? *ibid.* quinquagenarias feminas iunioribus nubere prohibuit. 163
Claudianum de sexagenariorum nuptiis. 162
Incerti nominis de Latina ter enixa. 219. 225. De vidua iterum nupta. 302. *sq.* de sociis Lat. nominis. 9. contra fictas adoptiones. 205. de Lege Iulia de maritandis ordinibus ferenda. 41. *sequ.* de matrimoniorum lege Papia Poppaea prohibitorum nullitate. 136. *sequ.* de tutore mulieri in locum furiosi muti-ue dando. 258. item in locum absentis. *ib.* item ad dotem dandam, dicendam promittendamue, etiam in prouinciis. *ibid.*
Largianum an Latinis ob liberos iura Quiritium dederit? 224
Libonianum de falsis. 390
Persicianum, vulgo Pernicianum. 159. 163. an nuptias senum resciderit? 160
Plancianum. 193
Tertullianum an iura Quiritium Latinae ter enixae dederit? 225
Trebellianicum an et de quasi caducis tollendis egerit. 402
Senibus nuptias concessit Iustinianus.

BIU Cujas

nus. *pag.* 163
SENTIVS (*C.*) SATVRNINVS, Magiſter XV. viror. ſacr. faciund. in ludis ſaecularibus ſub Auguſto. 45
Serui exercebant opificia. 230
Seruitus poenae ſoluit matrimonium. 184
Seruitutis legatae dies quando cedat? 406
Sexagenarii an generare poſſint? 157. iis an nuptiis interdixerit lex Papia Poppaea? *ib. ſeq.*
Socer et gener inter ſe teſtimonium non dicebant. Id ex qua lege? 252. et *ſocrus* quinam dicantur? 314. non erat, ſi iniuſtae contraherentur nuptiae. 189
Socii Latini nominis. *vid.* Latini.
SOCRATES binas vxores eodem tempore habuit. 21
Sodalitiaria pro concubina. 167
Solidum quinam coniuges inter ſe ceperint? 277. quinam ex aliorum teſtamentis? 289. *ſeq.* non capiebant caelibes et orbi. 339
Sorores duas in matrimonio habuit Honorius. 315
Sortitio in deligendis Virginibus Veſtalibus. 6. in eligendis prouincialibus magiſtratibus quando omiſſa? 202
SP. F. in marmore an idem ſit ac Spurius filius? 169
Spadones qui? 158. iis gratia legis Papiae facta. *ib.* an iis nuptiis interdictum? 159. ſaepe matrimonium inibant. *ib.* 162. quis hoc primum inhibuerit? *ibid.*
Spoliarii ludi. 229
Spoliarium, locus, ubi beſtiarii ſaginati. *pag.* 229
Sponſae intra biennium domum ducendae. 179. cur ita Lege Iul. et Papia cautum? 176. cauſſae iuſtae eas intra biennium domum non ducendi. 180. eſſe poterant ſponſae quae vxores eſſe poterant. 116. aliquando erant infantes. 178
Spurii qui? 169. 170
Statuae in publico poſitae a creditoribus cum reliquis non vendebantur. 412
Sterilitas apud Hebraeos aliaſque gentes ignominioſa. 20. *ſq.*
Stoici frequenter vſi particula ὡσανεί. 113
Stuprum cum qua committatur. 172
Subornatores quinam. 446
Subſtituendi formula: *ſi is heres non erit, quiſquis mihi heres erit, in parte deficientis etiam heres eſto*, cur inuenta? 287
Subſtitutionibus eluſae leges caducariae. 286
Suburbicariae regiones quae? 209
Succeſſio libertorum ex Lege XII. tab. 349. ex edicto Praetoris. *ib.* ex Lege Iul. et Papia. *ibid.*
Σύμβιος pro concubina. 167
Syri vxores ſibi coemebant. 254
Syriarcha quis? 141. 143

T.

Taberna et *tabernariae*. 144. cur Catullo *Salax*? 144
Tabularia per prouincias quis conſtituerit? 214
Tabulas aperiendi ritus ſollemnis.

BIU Cujas

nis. *p.* 376. ex lege viceſimaria. *ib.* viuentis aperire nefas. *ibid.*
Ταμεῖον aerarium et fiſcus. 362
Τελειόταται qui? 140
Ter enixa quae dicatur? 225
TERENTIVS (*Clemens*) vid. CLEMENS.
Teſſera frumentaria quid? 407
Teſtamento maritus poterat vxori tutorem dare. 236
Teſtamenta feminarum an ſemper nuncupatiua. 241. cur periculoſa olim viſa? *ibid.* libertae an et quomodo fecerint? 242. *ſequ.*
Teſtes ſeptem adhibiti in diuortiis. 325
Thebis orbitas ignominioſa. 23
Thymelici qui? 122
Titulus libris a primis capitibus datus. 104
Togae ius amittebant exules. 206
TORRENTII (*Laeu.*) exceſſus de Lege Papia. 14. 15
Tranſlatio legatorum quot modis facta? 392. *ſeq.*
Tribonianiſmi quidam. 258. 402
Tribunorum plebis poteſtas ſub Imperatoribus. 258. militum Conſulari poteſtate numerus et inſignia. 197. *ſequ.*
Tribus ruſticae honoratiores. 31. 233. in eas deſcripti liberti, quibus filius quinquennis erat. *ib.*
Trimi ad dimidium ſtaturae modum peruenisſe credebantur. 284
Triumphaturis cur extra vrbem ſenatus datus? 209
TVLLI HOSTILII lex de tergeminis an ad ius trium liberorum pertineat. 27
Tutela liberatae ingenuae iure trium liberorum. *p.* 234. 240. libertinae quater enixae. 235. 241. ſub ea omnes erant feminae. 236. feminarum quotuplex? 236. *ſeq.* *ceſſitia* quae? 237. quomodo finita? 238. quando ſublata? 243. libertae ad patronum eiuſque liberos pertinebat. 241
De Tutelis quam legem tulerit M. Antoninus Imp. 352
Tutor cur dari non poſſit perſona incerta? 236. dotis cauſſa mulieri nupturae dabatur. 254. ſine eius auctoritate dos conſtitui non poterat. 257. hic tutor a ſolo Praetore non adhibitis Tribunis datus. 258. *Praetorius.* *ib.*

V.

VAcatio legis quotuplici ſenſu dicatur? 177. 184. quanti temporis feminis data poſt diuortium. 177. 184. 318. cur non et viris data? *ib.* abſentibus reip. cauſſa data. 282
Vacantia bona quae? 418. Ea aerario et poſtea fiſco cedebant. 419. aliquando caduca dicuntur. 418. quaenam hodie? 422
Valetudo ſponſi ſponſaeque iuſta cauſſa habendi ſponſalia. 180
Venatores qui? 229
Venatoria familia. *ib.*
Venatorius ludus. *ib.*
Venus tuta quae? 172
Verborum obligatio an ſola ſtipulatione contracta? 256
VESPASIANVS lege ſoluendi ius accepit.

BIU Cujas

cepit. *pag.* 322
Veſtalium virginum electio. 3. perſona qualis eſſe deberet. 4. priuilegia et iura. 2. 4. 26. earum ſacerdotium moleſtum. 4. 5. earum honores. 26. an de iis egerit Lex Iulia et Papia? 185. 186
Veſtis meretricia qualis? 131
Vibo Valentia colonia. 55
Viceſima hereditatum qua lege inuecta. 361
Viduae nuptae aliquando prioris mariti dignitatem beneficio principis retinebant. 125. cur iis plus laxamenti a morte mariti datum, quam repudiatis a diuortio? 184. iterum nuptae, non erant heredes liberorum ex priore matrimonio. 302
Viduitas maximi fiebat. 297
Vililla Celſa Colonia. 55
Virginitas perpetua magni fiebat. 296
Virgis caedi poterant Latini. 226
Virilis partis nomine quando tota hereditas veniat? 304
VITELLIVS an ſine liberis fuerit? 202
VLPIANVS quot libros ad hanc legem ſcripſerit? 67
Vniuirae laudatae? 297. etiam in epitaphiis. 298
Vrbare quid? *pag.* 208
Vrbicariae prouinciae quae? 209
Vrbs quouſque porrecta? 208. centum ab ea lapides. 209
Vſucapere pro herede et legatario quis poſſit? 411
Vſusfructus quantus a coniuge capi poſſet. 267. eius repetitio. 401. legati dies cur ab adita hereditate cedat? 382
Vtero exſecti an profuerint parentibus? 225
Vxor gratuita cur concubina dicta? 167. pro hacne an pro concubina habeatur ingenua? 173. apud Rom. in poteſtate mariti. 26. 238. qualis eſſe deberet ex legibus Lycurgi? 35. ſaepe impubes. 183. non poterat a marito olim diuortere. 245
Vxores coemtae apud Hebraeos, Syros, Aſſyrios, Armenios, Germanos, Romanos. 254. Romanorum luxurioſae. 36. maritos in prouinciam antea non comitabantur. 282. quando id conari coeperint? *ib.* earum forores duci poterant. 314. an et fratris vxor adhuc virgo? 315

X.

XYſtici quinam? 122

FINIS.

BIU Cujas

BIU Cujas

BIU Cujas

BIU Cujas

IO. GOTTLIEB

HEINECCII,

IC. ET ANTECESSORIS,

OPVSCVLA POSTVMA,

IN QVIBVS

HISTORIA EDICTORVM EDICTIQVE PERPETVI,

IPSIVSQVE EDICTI PERPETVI,

ORDINI ET INTEGRITATI SVAE RESTITVTI, PARTES II.

VITA LVDOVICI GERMANICI IMP.

ALIAQVE CONTINENTVR.

* * * * * * * * * * * *

OMNIA EX SCHEDIS PATERNIS EDITA

A

IO. CHRIST. GOTTL. HEINECCIO,

Potentiss. Prussor. Regis a Consil. Aulic., et in Regia Academia equestri Lignicensi Professore Iuris Primario.

EDITIO ALTERA.

GENEVAE,

Impensis FRATRVM CRAMER, ET CL. PHILIBERT.

cIↃIↃccxxxxviii.

BIU Cujas

BIU Cujas

VIRO

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO,

CAROLO STEPHANO IORDANO,

POTENTISS. PRVSSORVM REGIS A CONSILIIS SANCTIORIBVS,

PATRONO OPTIME DE SE MERENTI,

S. P. D.

IO. CHRIST. GOTTL. HEINECCIVS.

SI, *quantum apud* TE, VIR ILLVSTRIS, *ceteroſque patronos paternum mihi nomen profuit, tantum ego grato memorique animo adſequi poſſem: non minorem mihi vtilitatem ad conſeruandam tuendamque voluntatem* TVAM *adferret gratia, quam ad parandam illam attulit optimi patris memoria. Verum etſi tanta ſit* TVORVM *in me meritorum magnitudo, vt iam non dicam referri a me, ſed ne ſatis quidem vmquam haberi gratia poſſit; tantaque animi* TVI *magnitudo, vt, qui habeam, retuliſſe* TIBI *gratiam videar; nec adhuc tamen ſcio, qua ratione, officio ac potius pietate erga* TE TIBI *mihique ſatisfaciam. Animo enim voluens, quid potiſſimum* TIBI *offeram, tamquam aliquod ſummae obſeruantiae erga* TE *meae pignus, tantorumque beneficiorum, quibus me* TIBI *obnoxium*

BIU Cujas

reddidisti, testem, tam me sensi inopem, vt parum abfuerit, quin ad nouarum tabularum auxilium confugerem. At hoc modo se nexu exsoluere non ingenui, sed illiberalis animi est. Aliud igitur mihi, qui totus TVVS *sum, et esse debeo, non succurrit remedium, quam versuram quodammodo faciendi, atque aliena in rem meam conuentendi. Postuma itaque haec optimi patris opuscula splendidissimo nomini* TVO *consecrare audeo: et gemino id quidem nomine; tum vt publice exstet aliquod gratissimi deuinctissimique animi erga* TE *mei monumentum, tum vt orba haec parente suo volumina* TE *potissimum patronum inueniant. Alterum vero* TIBI, *vt vides, patri alterum debui. Quid est enim,* VIR ILLVSTRIS, *quod* TIBI *non debeam? Memini sane, quanta* TV *me, vt primum* TE *domi inspexi, humanitate et comitate complexus sis, quam mihi subinde beneuolentiam atque amorem* TVVM *non significaueris solum, sed et declaraueris; sic vt, si nihil postea beneficiorum, quibus me ornasti ac feciſti locupletem, accessisset, plus tamen iam tum mihi adsequutus viderer, quam sperare vmquam vel optare sine audacia poteram. Sed multo etiam his maiora, nec scio, an non summa tribuisti. Quid enim? quod in munere possim cum dignitate viuere, quod frui liceat omnibus ad bene beateque viuendum necessariis, summine haec beneficii loco haberem? Totum*

vero

BIU Cujas

vero hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, TVVM, *vel certe* TVVM *et* ILLVSTRISSIMI VIRI LIB. BAR. DE COCCEII. *Vtriusque enim vestrum studio, opera, auctoritate, dignitate, gratia de me perfectum esse, libens agnosco,, grateque, quoad viuam, profitebor. Hoc ergo animo opuscula haec* TIBI, VIR ILLVSTRIS, *inscribere ausus sum, vt haec veluti tabula a* TE *acceptorum publice et palam exstaret, etiam atque etiam rogans, vt hoc, quidquid est, aequi bonique consulas,*

Officiique leuem non auersatus honorem, *exiguum istud quidem,* TIBI *tamen deuotum munus benigne accipias. Sed et patris, dixi, caussa me scripta illius postuma* TVAE *fidei et clientelae committere. Interest certe eorum, talem se patronum sortiri, qui simul earum rerum, quae hic agantur, iudex et arbiter esse possit.* TE *vero,* VIR ILLVSTRIS, *horum omnium nihîl fugit. Siue enim veterem historiam, siue antiquitates Graecas et Romanas, siue criticam, et, vt generatim dicam, elegantiores litteras cogitem, quae et in his patris scriptis vtramque paginam faciunt,* TIBI *profecto de his omnibus vel de plano pronunciandi potestas est. Mihi sane omnibusque, qui* TE *norunt, visum est, acerrimum immortalis viri* LACROZII, *veteris* TVI *amici, ingenium, quemadmodum instructissima eiusdem bibliotheca, veluti hereditate esse ad* TE *delatum. Hinc tantus quotidie ad mu-*

BIU Cujas

ſeum TVVM, *tamquam ad academiam aliquam, principum virorum litteratorumque, ingenii et doctrinae laude florentium, tantus, inquam, numerus confluit, vt nemo tam a muſis auerſus ſit, quin ex doctiſſimis iucundiſſimiſque ſermonibus, qui ibi ſeruntur, incredibilem auribus animoque capiat voluptatem. Ecquis denique non ſummo* TVO *in litteras amore in admirationem rapiatur, quo permotus earum cauſſa doctiſſimorum omnis aeui hominum exemplo iter inſtituiſti, quod a* TE *ipſo elegantiſſime deſcriptum, non minus ac vita* LACROZII, *perenne illud monumentum a* TE *tanto viro poſitum, et diarium litterarium* TVVM, *vberrimum legentibus fructum voluptatemque adfert? Grauiſſimas ergo cauſſas,* VIR ILLVSTRIS, *cur haec ad neminem potius quam ad* TE *detulerim, vides, et ſi vides, in ſpem laetiſſimam adducor, fore vt non omnem ſolum apud* TE *audaciae et temeritatis culpam effugiam, ſed etiam ea* TIBI, *abundantia quadam amoris erga me* TVI, *grata ſint, quae ſine maximo ſcelere a me intermitti non potuerunt. Hac ſpe fretus me meaque omnia* TIBI *etiam atque etiam commendo. Vale,* VIR ILLVSTRIS *mihique porro praeſidio ſies. Lignicii a. d. IIII. Kalendas Iulias* CIↃIↃCCXXXXIII.

BIU Cujas

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. CHRIST. GOTTL. HEINECCIVS.

QVemadmodum multas adhuc ſtudioſe rationes circumſpexi, quibus parentare digniſſime optimo ac deſideratiſſimo patri poſſem; ita hoc non poſtremum pietatis exiſtimaui opus eſſe, dare operam, ne vllus eius labor, quo iuuare tum reliqua litterarum ſtudia, tum vero maxime iuris prudentiam ſtuduit, mea culpa depereat, aut

Tineas paſcat taciturnus inertes (a).

Primum itaque iis, quae ad BARN. BRISSONIUM *de verborum, quae ad ius pertinent, ſignificatione* adhuc reliqua erant, exactis, porro ex chartacea eius ſupellectile religioſe omnia conquiſiui, optima et quae operae eſſent, aliquando editurus.

Heineccii Opuſc. poſtum. b Sunt

(a) HORAT. *Epiſt. I.* 20. *v.* 12.

BIU Cujas

Sunt ex illis haec, quae iam vno iuncta fasciculo OPVSCVLORVM POSTVMORVM nomine in lucem prodeunt, reliquis scriptis a superstite publicatis non dissimilia, sed argumenti dignitate, luculenta rerum tractatione, dictionis cultu et elegantia, iucunda doctrinae varietate, rerumque vtilissimarum vbertate idem parentis ingenium vsquequaque referentia: quamquam id quidem licebit iis existimare, qui legerint. Scio quidem, quam male audiat, quidquid fere adhuc *postumorum* natum est. Sed nec minus, quid sit, cur nullius illa suffragium meruerint, quidque tum eius modi scriptis, tum editoribus potissimum vitio datum sit, scio. Quarum tamen reprehensionum quum nulla in haec nostra cadat, cur vel immortali, quam suo sibi ingenio condidit ὁ μακαρίτης, famae, vel postumis ipsis, vel etiam mihi illa edenti quidquam metuam, ego quidem nihil caussae video. Si quis tamen haec, tantum quod sint postuma, inuidiose culpauerit, citraque examen nec cognita prius caussa continuo damnauerit, nae illi metuo valde, ne litem suam fecisse pronuncietur. Quisquis vero fastidio tam delicato est, vt ne degustare quidem et periculum facere velit, eius ne in aliis quidem rebus palato quisquam facile crediderit. Pro certo itaque habeo, eorum, qui nostra cum aliorum postumis, irata Lucina editis, paullo diligentius contulerint, nisi qui sit

Nescius examen certo compescere puncto (b),

fore neminem, cui non oppido ingens aliquod discrimen in oculos incurrat. Sed quid ego in caussa dicenda operam perdo? Quisquamne adhuc diem dixit? Magis est, vt de singulis hoc fasciculo comprehensis, quae te scire, CANDIDE LECTOR, tua interest, praemoneam. Vno verbo expediam.

Primum locum occupat HISTORIA EDICTORVM OMNIVM ATQVE EDICTI PERPETVI, ipsumque EDICTVM PERPETVVM ordi-

(b) PERSIVS *Sat. V. v.* 100.

BIU Cujas

ordini et integritati suae restitutum, quantum quidem illius in schedis paternis perfectum inueni. Pars haec non magna quidem est, nec contemnenda tamen, diu promissi diuque exspectati operis, cui si supremam imponere manum auctori licuisset, rem adsequutus esset, quam nescio an hodie nemo. Summus sane iuris prudentiae gradus est legum, SCtorum, edictorumque deperditorum restitutio, at si quid hoc maius est, hoc profecto est, totum Iuliani edictum ordini ac integritati suae restituere. Pauci oppido reperti sunt, qui, tametsi illis nec paruum ingenium, nec incultum fuerit, nec turpiter hirsutum, ausi essent

Nauibus amissis fluitantia quaerere plaustra,

pauciores etiam, qui talia conando, operae fecissent pretium. Attamen ex id genus scriptis Iac. Gothofredi, Franc. Baldvini, Iac. Raevardi, Perizonii, Ger. Noodtii, Brvmmeri, Henr. Brencmanni, Noordkerkii, Io. Gvil. Hoffmanni, aliorumque insignium eruditione ingenioque virorum, qui legum veterum fragmenta veluti sparsa Hippolyti membra admiranda industria vndique collegerunt, iuris prudentiam tantum cepisse fructum, animaduertit venerandus pater meus, vt iam diu eamdem bene de illa merendi viam ingressus sit. Tantae vero laudis admirationi, et natae inde honestae aemulationi alteram debemus vitam *legum Aeliae Sentiae* (c), nec non *Iuliae et Papiae Poppaeae*, restitutori non minus, quam primis legum harum conditoribus gloriae futuram. At non hic substitit beati patris industria. Eodem enim consilio *Edicto perpetuo* manum admouit. Ac ab anno quidem saeculi huius vicesimo quinto, quo primum lucem vidit *Commentarius ad Legem Iuliam*, vel ante forte non multo coepit hunc lapidem voluere. Tum certe primum edi-

(c) *Sintagm. antiqu. Rom. lib. I. tit. 6. §. 12.*

BIU Cujas

& perpetui edendi spem fecit (d). Eiusdem rei fidem iterum dedit in *Historia iuris Rom. et Germanici* (e), sed ita, vt parum spei aut ipse habere, aut aliis relinquere iam tum videretur operis plane absoluendi. Posteriore hoc loco quum totius, quod tenuit, instituti legumque, quas sibi in concinnando hoc opere praescripserit, quasue et in fragmentis eius per omnia seruatas intelliges, rationem reddat, integra verba exscribam. *Nos ipsi*, inquit, *in schedis habemus Edictum perpetuum, multorum annorum adfectum magis, quam perfectum opus, in quo tria potissimum nobis proposuimus: primum, vt historiam edictorum et edicti perpetui demus quam adcuratissimam: alterum, vt ipsum edictum non modo ordini et integritati suae, quoad eius fieri potest, restituamus, sed et omnia probationibus luculentissimis firmemus: tertium, vt fragmenta veterum ICtorum, qui edictum perpetuum commentariis suis illustrarunt, omnia suis quaeque locis aptemus, eoque modo genuinam eorum speciem in clarissima luce collocemus. Vtinam*, addit, *demum colophonem imponere liceret laborioso operi! Sperarem, iuris prudentiae haud parum lucis ex his vigiliis meis accessurum. Sed haec Deo curae erunt.* Secus vero Deo, humanorum consiliorum arbitro, visum est, atque et praesaga mens futuri praeuiderat, vtique accidit. Permultas mihi videor posse causas memorare, cur, quam in Belgio exorsus erat, telam non licuerit pertexere. Ex quo enim in Germaniam rediit, nec otii illi satis relinquebatur ad exigendum operum omnium longe maximum et laboriosissimum, nec eadem forte ad pristina studia propensio. Quis enim est, qui nesciat, quam varia ac multiplicia sint munia ab antecessore in Germaniae academiis obeunda? Magnopere fallitur, qui hic, quemadmodum in Belgio, sola absolui cathedra publicum professoris iuris munus existimat. De omni iure publice priuatimque respondere, saepe etiam delegati iudicis partibus fungi, quin et in aliis collegiis ac

(d) *Praefat. Comment. ad leg. Iul. et Pap. praemiss. pag. si numeres,* 12.
(e) *Lib. I. §. 277. in schol.*

BIU Cujas

ac tribunalibus ius dicere, quis haec ab anteceſſore in Belgio requirat? His tamen nihil in Germania frequentius: ſic vt quum *agant negotium publicum*, *cognoſcant*, *iudicent*, *promant et exerceant iuſtitiam*, *quaeque ipſi docent*, *in vſu habeant* (f), maiore iure hi, quam illi, iuriſconſultorum nomen, iudice CICERONE latiſſime manans (g), ſibi vindicare poſſe videantur. Quid de feriis dicam et vacationibus, quae in Belgio profeſſoribus quotannis indulgentur, quaeue ſolae ſuffeciſſent coepto abſoluendo operi. Sed de his ne cogitandum quidem patri vel Francofurti, vel Halae fuit. Sed ſine his etiam, vt dixi, erat, quod illius a perſequendo opere animum auocare poterat, et auocauit vere. Nam vt alii aliis rebus ſtudiiſque tenentur; ſic pro aliis atque aliis regionibus etiam variare ſtudia, atque eidem diſciplinarum generi pro genio cuiuſque nationis plus minuſue tribui, quis non animaduertit? Quid mirum itaque, ſi patrem ad genium popularium, cum quibus illi viuendum rurſus erat, ſeſe totum componentem Belgicis amoribus Germanicos ſurrogaſſe videas? Ac noui ſane hi amores libros progenuerunt vtiliſſimos, quibus tum philoſophiam, tum ius Romanum et Germanicum illuſtrauit: vt aequiore animo res litteraria nunc careat integro edicto perpetuo, an plus amiſiſſet non legendo cetera ſcripta, difficile ſit iudicare. Sed in viam redeo.

Equidem ad HISTORIAM EDICTORVM EDICTIQVE PERPETVI quod attinet, nihil illi admodum deeſſe videtur, praeter extremam illam ſectionem, qua inquirendum ſibi putauit auctor, ſitne Iuſtinianus vel Tribonianus in vtroque Codice et Pandectis edicti perpetui ordinem preſſo pede ſequutus? Haud ſcio, an a negantium IAC. GOTHOFREDI (h), et, qui

(f) PLIN. *Epiſt. lib.* I. *epiſt.* 10.
(g) *De oratore*, *lib.* I. *cap.* 48.
(h) *in Manual. iur.*

BIU Cujas

qui illum laudat, ANT. SCHVLTINGII (i), nec non viri illuſtris, CORN. VAN BYNKERSHOEK (k) ſententia optimi patris abhorreat ratio? Vix tamen crediderim. Nihil enim doctiſſimorum horum virorum obſeruatione ſolidius. Abſolutam itaque ac perfectam, quam nemo, quod ſciam, ex inſtituto vmquam adgreſſus eſt, edictorum edictique perpetui habes hiſtoriam, de qua nonnulla adhuc, niſi quid te detinet, audi.

Primum ampliorem ac pleniorem *libro altero* (l) inuenies SALVII IVLIANI *vitam*, quam eſt illa, quae a beato auctore programmatis olim loco publice propoſita, poſteaque *Opuſculorum variorum συλλογῆ* (m) inſerta eſt. Deinde, ſi ſcire laboras, quid cauſſae ſit alti de *aedilitio edicto* ſilentii, dicam. Conſtituerat aliquando beatus parens omnia, quae ad nobiliſſimum illud edictum pertinerent, ſingulari commentario complecti. Fidem eius rei etiam publice obligauit (n). Sed praeter ea, quae in aduerſaria retulit, nihil promouit. Quum vero poſtea mihi aliquod edendum litterarium ſpecimen eſſet, quidquid ad celebre hoc edictum hinc inde congeſſerat, mecum communicauit, illiſque vtenda fruenda conceſſit. Et hinc natum maximam partem eſt *caput primum* mei de eodem edicto libelli. Decebat ſcilicet patri reddere, quae patris ſunt. Ceterum auide exſpectamus, quem EVER. OTTO, minatur, *ad edictum aedilitium* commentarium, quo procul dubio ceterorum omnium luminibus officiet.

De *hiſtoria edictorum* hactenus: reſtat vt de ipſo EDICTO PERPETVO priſtinae integritati, quoad eius fieri potuit, reſtituto dicamus. Vnam eius alteramque partem exhibeo ex decem, quibus conſtitiſſe illud olim cum HUB. GIPHANIO (o) cen-

(i) *Iuriſprud. vet. anteiuſtin. pag. 684.*
(k) *Obſeruat. lib. II. cap. 25.*
(l) *Lib. II. cap. 3. pag. 191.*
(m) *Exerc. XXIIII. pag. 798. ſqq.* [*edit. Geneu.*]
(n) *Praef. Comm. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. praemiſſ. pag. 12. et in ipſa Hiſtor. edictor. pag. 126.*
(o) *Oecon. iuris, pag. 122.*

BIU Cujas

censuit optimus pater. Reliquas octo cum ipso patre abstulit orcus. Ex his tamen totum opus aestimare poteris, tamquam ex vngue leonem, in quibus si quid exspectatione tua dignum inueneris, impense laetabor. Meum certe fuit rem litterariam non defraudare fructu, quem ex hoc labore capere potest. Hoc igitur Catone contenti simus. Excitabit fortassis alios spectatum patris exemplum ad coepta absoluenda. Quod si fiet, nae ego mihi qualicumque mea opera plaudam.

Succedunt edicto LIBRI quidam VETERVM IVRISCONSVLTORVM in integrum restituti, quae res in restitutione legum, SCtorum, edictorum, ad quae notarunt, quin et in interpretandis ipsis ICtorum fragmentis, vtramque facere paginam, nemo non intelligit.

TOPOGRAPHIA IVRIS, quae sequitur, siue notitia locorum, vrbium, regionum, quarum in iure ciuili mentio fit, tametsi breuissima illa sit, sufficere tamen poterit ad ἀγωγὲ εἰφὸς in viam reducendos. Sunt enim, qui extra orbem terrarum se delatos, vel in intermundiis agere putant, si quod priscum loci vel regionis nomen apud ICtos legant. His itaque Hermae vicem praestabit *topographia iuris*: reliqui autem, qui nihil harum rerum nesciunt, illo indice facile carent.

Postremo adieci fragmentum bene longum COMMENTARII DE REBVS LVDOVICI GERMANICI, eo consilio a patre conscripti, vt inde primae peti origines iuris publici Germanici possint. Non erunt haec ad palatum iis, qui Francica et Carolingica omnia ex iure publico proscribunt. Francorum enim instituta et mores libertati Germanicae, cui tamquam fundamento omne ius publicum superstruendum est, non minus esse aduersos, quam ipsi olim Franci Germanis exitiosi fuerunt. Sed si vel ratione vel auctoritate pugnandum esset, non deforent forte siue argumenta siue auctores et iudices, quibus se tueri auctor posset. Historiam certe imperii

BIU Cujas

rii Germanici, fontem illum limpidiſſimum iuris publici, ab eodem rege orditur v. c. Io. DAVID KOELERVS. Diſtinguit ſcilicet hiſtoriam Germanicam ab hiſtoria imperii Germanici, quam ab eo tempore repetit, quo Germania a reliquis Francorum regnis et prouinciis ſeparata, ſingulare regnum effecta eſt. Quod quum ſub Ludouico Germanico anno erae Chriſt. 843. factum ſit, ab eodem tempore hiſtoria imperii Germanici ordienda videtur. Quidni igitur hic prima quoque iuris publici veſtigia inuenire liceat? Si cui tamen ſecus videtur, vt videtur viro perilluſtri, de LVDEWIG (p) ego quidem non intercedo. Sunt profecto ea, quae hac de re attulit vir, de vtraque republica aeque ac omni re litteraria meritiſſimus, vt eius omnia, tam docta, tam luculenta, tam ſolida, vt cum eo nemo non errare malit, quam cum aliis vera ſentire. Quidquid vero quiſque de propoſito ſentiat, hiſtoriae tamen amantium puto fore neminem, quin ipſam Ludouici hiſtoriam ex plenae fidei monumentis et diplomatibus, quorum codicem ad calcem reiectum videbis, concinnatam non inuitus legat. Promulſidis loco haec adpoſui, nunc ipſis, candide lector, ſi non faſtidis, fruere dapibus. Ita vale et his faue,

Quoque magis faueas, non ſunt haec edita ab ipſo,
Sed quaſi de domini funere rapta ſui (q).

(p) *Praef. ad ſingularia iur. publ. pag. 60. ſeqq.*
(q) OVID. *Triſt. I. 6. 37.*

BIU Cujas

IO. GOTTL. HEINECCII, IC.

OPVSCVLORVM

POSTVMORVM

TOMVS I.

HISTORIAM EDICTORVM,

EDICTIQVE PERPETVI

COMPLECTENS.

BIU Cujas

BIU Cujas



HISTORIA EDICTORVM, ET EDICTI PERPETVI.

LIBER I.

HISTORIA EDICTORVM ANTE HADRIANVM.

CAPVT I.

DE EDICTIS GENERATIM, ET QUIBVS ROMAE IVS EDICENDI FVERIT.

I. *Historiam edictorum nondum satis esse illustratam.* II. *Edicta quid?* III. *Ea Romae proponere solitos, qui exercitibus praeesſent.*

BIU Cujas

essent. IIII. *Itemque sacerdotes, pontifices, decemuiros sacrorum, augures.* V. *Maxime tamen magistratus.* EDICTVM *aliquando pro lege accipi,* LEGEM *pro edicto.* VI. *Priuati quo sensu dicantur* EDICERE? VII. *Diuulgatio per libellos, pittacia, picturas, praecones. Marsyae statua, ex qua suspensi libelli famosi.* VIII. *An ius edicendi arcessendum sit ab* IMPERIO *magistratuum?* VIIII. *Sententia* Car. Sigonii *expensa.* X. *Quocumque sensu accipiatur imperium, ex eo deriuari non posse ius edicendi. Cur ipsa edicta aliquando vocentur* IMPERIA? XI. *Ius reddendi edicta coniunctum fuisse cum* HONORIBVS. *Quinam* HONORATI? XII. *Quid* IVS HONORARIVM?

§. I.

Historiam edictorum nondum satis esse illustratam.

HISTORIAM EDICTORVM et EDICTI PERPETVI scribere adgredior, opus vel eo nomine paullo difficilius, quod nec veterum quisquam eam rem attigit, nec ipsa edicta adeo multa aetatem tulerunt. Paucae vero illae, quae, tamquam fractae e naufragio tabulae, supersunt, veterum edictorum reliquiae ita fere comparatae sunt, vt pristinam eorum formam ex iis non magis aestimare possis, quam palatii alicuius pristinum splendorem ex saxis quibusdam, quae vetustas nondum plane exedit. Accedit, quod ne eorum quidem industria, qui post felicem illam temporum litterarumque reparationem historiam iuris prudentiae nostrae illustrare coeperunt, magnopere nobis profuerit. CAMILLVS enim BORELLVS, similesque scriptores, pleraque ad rem nihil pertinentia conuasarunt: alii rem exsequuti sunt obiter ac perfunctorie, plures aliorum scrinia expilarunt tam inuerecunde, vt alienos quisque errores suos fecerit, eosque nouis tegere studuerit erroribus, ne perplueret scilicet. Quandoquidem tamen EDICTVM PERPETVVM, vt recte iam pridem obseruarunt viri doctissimi, veluti fundus sit iuris prudentiae nostrae, eiusque proinde vel maxime interfit, partem hanc historiae iuris non omnino incultam relinqui: iuuabit facere periculum, an de edictis certius aliquid ac solidius, quam adhuc scriptum sit, scribi possit. Vt autem ordinis nobis constet ratio: dissertationem hanc vniuersam ita partiemur, vt LIBRO PRIORE cum generatim de EDICTIS, eorumque origine et varietate, tum de magistratibus, iuris honorarii

BIU Cujas

rarii auctoribus; POSTERIORE de EDICTO PERPETVO, Hadriani condito auspiciis, eiusque historia, conditore, interpretibus atque instauratoribus paullo adcuratius disseramus. His enim explicatis capitibus, nihil admodum, quod ad EDICTORVM EDICTIque PERPETVI HISTORIAM pertinere videatur, desiderari posse arbitramur.

§. II.

Edicta quid?

Vt vero rem ab ovo, quod aiunt, ordiamur: EDICTA Romanis erant praecepta, ab iis, qui honoribus fungebantur, de rebus ad eorum curam pertinentibus, promulgata. PLVTARCHVS *Marcell. pag.* 312. Καὶ γὰρ ΔΙΑΓΡΑΜΜΑΤΑ τῶν ἀρχόντων ἕλληνες μὲν διατάγματα, Ῥωμαῖοι δὲ ΕΔΙΚΤΑ προσαγορεύουσι: *praecepta magistratuum, publice proposita, Graeci* διατάγματα, *Romani* EDICTA *adpellare solent.* Et DIONYSIO HALIC. *Antiqu. Rom. lib. V. cap.* 82. *pag.* 336. EDICTVM est διάγραμμα τῶν ἀρχόντων, ἐν ᾧ δηλοῦσι καὶ διατάττουσι, ὅ, τι θέλουσι, τά τε δίκαια, καὶ τὰ καλὰ τοῖς ἄλλοις, id est, *programma, quo magistratus praecipiebant, denunciabantque, quae fieri vellent, quaeque ciuibus iusta honestaque futura videbantur.* Recte sane: nisi quod vterque eam edicendi potestatem solis magistratibus videtur vindicare, quum praeter illos non modo ii, qui exercitus ducebant, (qui et ipsi τῶν ἀρχόντων vocabulo comprehendi possunt,) sed et sacerdotes, quos ἕτερόν τι παρὰ τὰς πολιτικὰς ἀρχάς, *diuersum a magistratibus ordinem* esse obseruat ARISTOTELES *Polit. Lib. IIII. cap.* 15. populum edictis monere soliti sint. Id quod iam pluribus erit demonstrandum.

§. III.

Ea Romae proponere solitos, qui exercitibus praeessent.

Iis, qui bellum administrabant, tam veluti proprium erat edicere, vt DONATVS ad illa TERENTII *Eunuch. IIII. 7. v.* 36. *nunc adeo, miles,* EDICO *tibi,* eleganter notet: *quam superbe! quasi militi. Nam* EDICTVM *praetoris dicitur,* et IMPERATORIS. Laudat hoc Romanorum institutum DIONYS. HALIC. Ἀρχαιολ. *Lib. II. cap.* 14. *pag.* 87. simul obseruans, Romanos pleraque in bellis edictis administrare, in eoque vel maxime eluxisse Romuli prudentiam, quod, si quid turbidi incideret, non necessum primum haberet, tribunos vel magistros equitum eligere, vel censum delectumque habere, sed ἀφ' ἑνὸς κελεύματος, *ad vnum edictum,* omnes in armis adessent. Et haec quidem ducum edicta repentina

tina erant, ac ſubitanea, qualia proponebant, ſi quando milites ante certum tempus adeſſe iubebant; LAMPRID. *Alex. cap.* 45. iter indicebant, CASSIODOR. *Variar. Lib. I. epiſt.* 24. relictos in hibernis ad ſigna reuocabant, SALLVST. *fragm.* denique in immorigeros ac ignauos inuehebantur, vel in eos, prout mererentur, animaduertebant. HIRT. *de bello Afric. cap.* 46. At praeter haec et iuriſdictionis caſtrenſis et diſciplinae cauſſa quaedam proponebant imperatores, eaque edicta caſtrenſia non minoris apud exercitum auctoritatis erant, ac praetorum intra vrbem. Tale apud DIONEM CASSIVM in *Excerpt. Peireſc. pag.* 601. erat edictum Marcelli: μηδεμίαν εἰς τὸ πάφερνα γυναῖκα εἰσιέναι: *ne vlli mulieri acceſſus in caſtra eſſet.* Tale Metelli apud SALLVSTIVM *Iugurt. cap.* 44. quo vno, ſimul ac in Africam venit, adiumenta ignauiae ſuſtulit. Tale denique Germanici, Caeſaris, laudatum ab ARRIO MENANDRO *l.* 4. §. 13. *D. de re milit.* quod, tamquam caſtrenſe perpetuum apud poſteros valuiſſe, et ſeuerioris diſciplinae ſpecimen diu poſt praebuiſſe animaduertimus. Quin ſub Marco Antonino reduxiſſe hunc morem videtur Auidius Caſſius, de quo VOLCAT. GALLIC. *cap.* 6. *ſtatim ad ſigna* EDICTI *iuſſit, et* PROGRAMMA *in parietibus fixit, vt, ſi quis cinctus inueniretur apud Daphnen, diſcinctus rediret.* Qui et paucis interiectis refert, eumdem interminatum eſſe militibus, eos hiemem ſub pellibus acturos, niſi corrigerent ſuos mores. *Et egiſſent*, inquit, *niſi vixiſſent honeſtius.*

§. IIII.

Itemque ſacerdotes, pontifices, decemuiros ſacrorum, augures.

Sed et ſacerdotes de ſacris faciundis edicta tum repentina, tum perpetua, reddidiſſe, luculenter poteſt probari. De prioribus omnia ſatis nota ac peruulgata eſſe exiſtimamus. Sic enim apud REINES. *Inſcript. claſſ. IIII.* 6. KAL. APRIL. L. AEMILIO PAVLLO II. C. LICINIO CRASSO COS. PONTIFEX SEMPRONIVS EDIXIT MEGALESIA. Sic apud LIVIVM *lib. XXXX. cap.* 37. decemuiri ſacrorum *ſupplicationem in biduum valetudinis cauſſa in vrbe, et per omnia fora et conciliabula* EDICVNT. Immo et propoſiti ab auguribus huius modi edicti exemplum eſt apud VALER. MAX. *lib. VIII. cap.* 2. *exempl.* 4. Id vero non perinde omnibus compertum eſt, pontifices, ſaltim maximos, ſub ipſius auſpicia ſacerdotii ciues edicto generali ac perpetuo de faſtis, intercalandi ratione, omnique ſacrorum ordine admoniſſe, quamuis id iam animaduerterint IAC. GVTHER. *de iure pontif. lib. I. cap.*

BIU Cujas

cap. 12. et IO. ANDR. BOSIVS *de pontif. max. Rom. IIII.* 1. Auctorem sane eius rei locupletissimum habemus CORN. TACITVM *Histor. Lib. II. cap.* 91. qui de funestis ominibus, oblatis Vitellio, agens, obseruat, *apud ciuitatem, cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum esse, quod maximum pontificatum adeptus, de* CAERIMONIIS PVBLICIS *quinto decimo kal. Augusti* EDIXISSET, *antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus.* Id vero edictum ita comparatum erat, vt exemplo praetorum, aliorumque magistratuum, pleraque ex decessorum edictis in illud transferrent pontifices, et pauca tantum noua, prout res exigere videbatur, eidem adstruerent. Nam ex vetere illo et tralatitio edicto, vel TABVLA, *quae apud pontificem max.* erat, verba quaedam nobis seruauit GELL. *Noct. Attic. lib. II. cap.* 28. vbi addi merentur, quae de illa tabula erudite disseruit HENR. DODWELL. *Adpend. praelect. Cambden. pag.* 655. *seqq.*

§. V.

Praecipue tamen illud edicendi ius erat penes magistratus, qui, teste POMPONIO *l.* 2. *§.* 10. *D. de orig. iur. iura reddebant, et vt scirent ciues, de qua re quisque dicturus esset, seque praemuniret,* EDICTA *proponebant.* Quidquid ergo vel populus, vel plebs, vel senatus, lege, plebiscito, SCto sanxissent: quidquid ipsi magistratus fieri omittiue vellent: id omne illi ciuibus per edicta denunciabant. Quo factum videtur, vt LEX et EDICTVM promiscue passim accipiantur. Nam CICERONI edictum, vt infra ostendemus, est *lex annua*: PLINIO edictum censorium *lex censoria*: auctori *Glossarum nomicarum* edictum in genere νόμος, γενόμενος ἀπὸ προστάξεως. Contra *edicta Iulia* pro legibus Iuliis dixit HORAT. *Carm. IIII.* 15. *v.* 21. ceu ACRON in scholiis obseruauit.

Maxime tamen magistratus.

Edictum aliquando pro *lege* accipi, legem pro *edicto.*

Non, qui profundum Danubium bibunt;
EDICTA *rumpent* IVLIA: *non Getae,*
Non Seres, infidiue Persae,
Non Tanain prope flumen orti.

Certius est, eadem notione TERTVLLIANVM *de pudicit. cap.* 5. ipsam legem diuinam *caeleste* EDICTVM; et libro *de resurrect. carn. cap.* 18. consilium Dei de mortuis in vitam reuocandis EDICTVM *Dei, apud omnes pendens* vocare. At κυρίως tamen eo nomine veniebat, quidquid magistratus praeter leges praecipie-

BIU Cujas

cipiebant. Quam vocabuli significationem ad res sacras suo more transferens idem TERTVLLIANVS *de coron. milit. cap.* 4. *dicit*, inquit, *et apostolus: si quid ignoratis, Deus vobis reuelabit: solitus et ipse consilium subministrare, quum praeceptum Dei non habebat, et quaedam* EDICERE A SEMET IPSO. Vbi Dei praecepta manifesto comparat legibus; consilia apostolorum edictis, quibus magistratus aliquid praeter leges a semet ipsis iubebant. Quemadmodum vero haec edicta magistratuum, quae ipsa commendabat aequitas, accedente diuturno vsu eamdem paene, ac ipsae leges, auctoritatem obtinebant: ita de praeceptis illis apostolorum idem obseruat TERTVLLIANVS, dum statim subdit: *itaque consilium et* EDICTVM *apostoli diuini iam praecepti instar obtinuit de rationis diuinae patrocinio.*

§. VI.

Priuati quo sensu dicantur *edicere?*

Quae quum ita sint, minus proprie EDICERE dicuntur magistratus, praecipientes aliquid paullo imperiosius. Quamuis enim, quod ad verbi originem et analogiam grammaticam attinet, nihil prohibeat, quo minus et priuatus aliquid possit EDICERE, quia hoc in se nihil est aliud, quam palam, vel libere aperteque dicere, vti monuit STEWECH. *ad Veget. de re milit. lib. III. cap.* 51. *pag.* 243. eodemque sensu scripserit TERTVLL. *de resurrect. carn. cap.* 50. *dum in quem statum non resurgat,* EDICITVR, *in quem resurgat, subauditur:* vsus tamen,

Quem penes arbitrium est, et vis et norma loquendi.

magis probauit significationem alteram, quam notauit DONATVS apud DIONYS. GOTHOFRED. *Auct. de lingu. Lat. pag.* 1359. EDICIMVS, *quod iubemus fieri.* Quumque id maxime fieret a magistratibus, iisque, qui honoribus fungebantur, inualuit demum, vt hi fere tantum EDICERE dicerentur. Quare minus proprie et ex vsu loquuntur veteres, si quando vel per iocum, vel elegantiae caussa priuatos aliquid edicere, aiunt, veluti PLAVTVS, *Aulul. II.* 4. *v.* 2. *et Pseudol. I.* 1. *v.* 125. et HORAT. *Serm. II.* 3. *v.* 226. vbi hominem pecuniosum, luxuque diffluentem, illico ait EDIXISSE,

Piscator vti, pomarius, auceps,
Vnguentarius, ac Tusci turba improba vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant.

Fami-

BIU Cujas

Familiare nimirum est poëtis, vocabula et formulas sollemnes ad res priuatas, easque aliquando nullius momenti, transferre, vt mirum non sit, apud eos edicere omnes, qui quid praeciperent paullo imperiosius. Attamen ex his locis non magis colligas, priuatos proprie edicere, quam parasitum vere ac κυρίως *egisse* EDICTIONES *aedilitias*, vel EDICTA *comica* vere ac serio reddidisse histriones, quum tamen vtrisque edicta huius modi perridicula adfingat PLAVTVS *Curcul. II.* 1. *v.* 4. *Captiu. IIII.* 2. *v.* 11. *Poenul. prolog. v.* 16. *seqq.*

§. VII.

Edictorum itaque loco priuati, si quid diuulgatum vellent, proponebant *libellos*, qui et *pittacia* dicebantur, ἀπὸ τῆς πίττης, *a pice*, qua adglutinabantur statuis vel parietibus. Menag. *ad Diog. Laert. VI.* 89. *pag.* 263. Aliquando rem ipsam pictura ponebant ob oculos: aliquando conducebant praecones, qui, quod scire omnes vellent, in foris, compitis, viisque publicis proclamarent. Quae omnia iam exemplis demonstrare iuuabit. Sic apud CVRIVM FORTVN. *Schol. Lib. I.* dominus, cuius seruum fuga abstulerat, LIBELLO *proposito, et* PER PRAECONEM *nuncians, dicit, daturum se denarios mille ei, qui ad se seruum perduxisset.* Sic et bibliopolae nouos libros publice proscribebant, libellis vel pittaciis ex pilis et columnis suspensis. Quo pertinent illa HORATII *Serm. I.* 4. *v.* 71.

Diuulgatio per libellos, pittacia, picturas, praecones.

Nulla taberna meos habeat, neque PILA *libellos.*

Sed et, qui res amissas repetebant, modo propositis libellis id agebant, modo conductis praeconibus: cuius rei exempla sunt apud PLAVT. *Rudent. X.* 2. 7. PETRON. *Satyr.* 19. *cap.* 2. LVCIAN. *in Demonacte, Tom.* I. *pag.* 52. et VLPIANVM *l.* 43. §. 8. *D. de furt.* vbi conferri merentur, quae de praeconum vsu, apud Graecos, et Romanos frequentissimo, disseruerunt IAC. CVIACIVS *Obseru. Lib. XI. cap.* 18. PETR. PITHOEVS *Aduersar. lib. I. cap.* 2. MARQV. FREHER. *Parerg. lib. II. cap.* 20. ABR. WIELING. *de furto per lanc. et licium concepto, cap.* 7. §. 2. *seqq.* Porro et philosophos, propositis libellis vel pittaciis cum auditoribus suis egisse, testatur LVCIANVS, dum *in Hermotimo Tom.* 2. *pag.* 21. scribit: Πιττάκιόν τι ἐκρέματο ὑπὲρ τῆ θυλάνος, μεγάλοις γράμμασι λέγων ΤΗΜΕΡΟΝ ΟΥ ΣΥΜΦΙΑΟΣΟΦΕΙΝ: *pitacium suspenderat in vestibulo, litteris maiusculis indicans:* HODIE SE NON

BIU Cujas

PHILOSOPHARI. Similibus libellis vtebantur, eosque vel in compitis et porticibus suspendere, vel vicatim spargere solebant, qui munera gladiatoria, venationes, naumachias erant edituri, vti ex CICER. *Philipp. II. cap.* 38. et SENEC. *Controu. lib. IIII. p.* 354. *edit. Gronov.* probauit IVST. LIPS. *Saturnal. lib. II. cap.* 18. qui eodem loco obseruat, ab iisdem, qui publicae isti subseruiebant insaniae, propositas esse picturas, quibus ob oculos ponerentur futura certamina, quem morem hodienum imitari animaduertimus agyrtas, ludiones, funambulos, et ceteros circumforaneos. Eo sane pertinent illa ardelionis apud HORATIVM *Serm. II. 7. v.* 95.

Vel quum Prusiaca torpes, insane, TABELLA,
Qui peccas minus, atque ego, quum Fului, Rutubaeque,
Aut Placideiani, contento poplite, miror
Praelia, RVBRICA PICTA *aut* CARBONE, *velut si*
Reuera pugnent, feriant vitentque mouentes
Arma viri?

Marsyae statua ex qua suspensi libelli famosi.

Sed haec quidem, vt dixi, iam a LIPSIO obseruata sunt. Nos addimus, libellos famosos, et fortassis etiam picturas, ad differendam aliis famam comparatas, plerumque pependisse ex Marsyae statua, in regione vrbis octaua. Eam tanta religione colebant Romani, vt P. Munacium Plancum in vincula conicerent triumuiri, quod ebrius Marsyae coronam demsisset. PLIN. *Hist. nat. lib. XXI. cap.* 3. Et tamen nusquam maior erat aliorum famam scriptis lacerandi licentia, nec quisquam ignorat, Iuliae probra maxime huiusmodi litteris e Marsya suspensis diuulgata esse. SENECA *de benefic. lib. VI. cap.* 32. PLIN. *ibid.* Nam libertatis in ciuitatibus signum erant illae Marsyae statuae, teste MACROBIO *Saturnal. lib. III. cap.* 2. plebi vero, anhelanti magis veram libertatem, quam, in quo consistat, intelligenti, ea demum summa libertas videtur, si et sentire, quod velit, et, quae sentit, eloqui ac in vulgus spargere impune possit.

§. VIII.

An ius edicendi arcessendum sit ab imperio magistratuum?

Et hactenus quidem satis demonstratum esse arbitramur, potestatem edicendi proprie pertinuisse ad personas publicas, id est, ad magistratus, imperatores, et sacerdotes. Superest, vt, quodnam fuerit eius potestatis apud Romanos fundamentum, eadem cura disquiramus. Ea de re ex instituto disputauit vir, publi-

BIU Cujas

publici Romanorum iuris peritissimus, CAR. SIGON. *de iure ciu. Rom. lib. I. cap.* 20. cuius eo redit sententia, magistratuum Romanorum potestatem omnem in quatuor potissimum iuribus constitisse, puta in IMPERANDO, IVRE DICVNDO, REFERENDO, et AVSPICANDO: IMPERIVM vero, (nam reliquae istius potestatis partes huc non pertinent,) comprehendisse IVS EDICENDI, VOCATIONEM, et PRENSIONEM. Quibus ergo magistratibus fuerit imperium, eos EDICTIS vel iurisdictionis suae formulam proposuisse, vel pro imperio, quae visa sint salubria, praecepisse, ait. Qui VOCATIONEM habuerint, eos, lictoribus, viatoribus, seruisque publicis stipatos, prodiisse in publicum: eos denique, qui PRENSIONEM duntaxat habuerint, viatorum tantum ac seruorum publicorum vsos esse ministerio, obseruat. Haec SIGONIVS, quem si audias, tota illa edicendi facultas ex IMPERIO, tamquam fonte suo, promanauit.

§. VIIII.

Sententia *Car. Sigonii* expensa.

Enimuero, re paullo adcuratius expensa, animaduertere mihi visus sum, quaedam hic tradidisse virum doctum, quae in antiquitatis Romanae monimentis nullum omnino praesidium reperiunt. Vera omnino ac solida sunt, quae de *imperio*, *iurisdictione*, *referendi* denique *auspicandique iure* disserit. Eadem enim iura magistratibus vindicat CICERO *de legib. lib. III. cap.* 3. *et* 4. At dum ius reddendi edicta cum imperio coniungit, nescio an eum ratio fugerit quam maxime. Edicta enim proponebant etiam aediles curules, qui teste GELLIO *Noct. Attic. lib. XIII. cap.* 13. nec vocationem nec prensionem, adeoque nullam partem imperii habebant: immo et tribuni plebis, quos *sine imperio esse*, ait LIVIVS *Histor. lib. II. cap.* 56. Quin et sacerdotibus commune cum magistratibus fuisse ius edicta reddendi, paullo ante vidimus. Hos ipsos vero etiam *sine imperio ac potestate fuisse*, scribit LIVIVS *Histor. Lib. IIII. cap.* 54. idque ne ipse quidem negat SIGONIVS *ibid. cap.* 19. Quum ergo et ii, quibus nullum erat imperium, ederent: quis edicendi potestatem ex imperio magistratuum promanasse dixerit? Edicebant omnes, qui cum imperio erant, sed non soli illi, verum etiam aediles curules, tribuni plebis, immo et sacerdotes, quibus nullum Romae imperium. Quod vero commune habuit imperium cum aliis, id ei proprium non fuisse, vel sensus communis vnumquemque conuincere videtur.

BIU Cujas

§. X.

Quocumque sensu accipiatur *imperium*, ex eo deriuari non posse ius edicendi.

Quod vt eo rectius intelligatur, vocabulum illud triplici potissimum sensu accipi ab antiquis scriptoribus obseruandum. Primum enim imperium κατ' ἐξοχήν dicitur potestas administrandi bellum, exercitumque tenendi, speciali lege aliquibus demandata, teste LIVIO *Histor. lib. VIIII. cap.* 38. At hoc imperium nemini competebat intra vrbem, sed tum demum, quando imperatores paludati vrbe exierant, sese exserebat, exspirabatque statim, simul ac in vrbem reuertebantur. TACIT. *Annal. lib. III. cap.* 20. Hinc si cui decernebatur triumphus, populus singulari lege cauebat, vt quo die vrbem triumphans iniret, eo die esset cum imperio. SIGON. *ibid. lib. I. cap.* 22. Deinde et illi magistratus dicebantur esse cum imperio, quibus populus dederat ius gladii, potestatemque animaduertendi in facinorosos homines: nam et hoc imperium a populo speciali lege certis magistratibus deferebatur. *l.* 3. *D. de iurisdict. l.* 1. *pr. D. de offic. eius, cui mand. est iurisdict.* Denique a VARRONE apud GELL. *Noct. Attic. lib. XIII. cap.* 12. iis quoque magistratibus tribuitur imperium, *qui vocationem haberent, adeoque et prendere, tenere, abducere possent, siue adessent, quos vocarent, siue acciri iussissent:* vel, vti rem exprimit VLPIANVS *l.* 2. *D. de in ius voc. qui coërcere possunt, et iubere in carcerem duci.* Iam quocumque sensu accipias imperium, frustra inde arcesses potestatem proponendi edicta, quae neque imperatorum, quia bella administrabant, neque eorum magistratuum, quibus quaestiones de criminibus obuenerant, neque, qui coërcere et iubere in carcerem duci poterant, propria, sed iis omnibus cum tribunis plebis, aedilibus curulibus, ipsisque sacerdotibus communis fuit. Verum equidem est, quod obseruauit Io. FRIDR. GRONOVIVS, *Obs. lib. II. cap.* 6. ipsa magistratuum edicta aliquando vocari, IMPERIA veluti in illis TIBVLLI II. 4.

Cur ipsa edicta aliquando vocentur *imperia?*

Quin etiam sedes iubeat si vendere auitas:
Ite sub IMPERIVM, *sub titulumque, Lares.*

Sed quis edictorum originem ex TIBVLLO eruat? *Edicere est imperare aliquid pro imperio*, vt loquitur PLAVT. *Poen. prol. v.* 44. ac proinde ipsum edictum a poëta recte vocari potuit *imperium*, quippe quo aliquid imperatur, ac pro imperio praecipitur, quamuis inde non sequatur, vt facultas edicendi ab imperio illo, quod supra descripsimus, sit deriuanda.

XI.

BIU Cujas

§. XI.

Quae quum ita sint, tam certum videtur, quam quod certissimum, ius illud edicendi non cum IMPERIO, sed cum HONORE fuisse coniunctum, ac proinde ius, ex edictis natum, adpellatum esse HONORARIVM. Eorum, qui Romae intaminatis fulgebant honoribus, obseruante ipso SIGONIO *ibid. lib. I. cap.* 18. tria erant genera, *imperatores*, *magistratus*, et *sacerdotes*. Hos vero omnes edicta reddidisse, supra probauimus. Vnde miror, FABROTVM *ad Theoph.* §. 7. *Inst. de iure nat. gent. et ciu.* existimare, solum ius praetorium, *honorarii* nomine venisse, quia solus praetor dici solitus sit HONORATVS, veluti apud OVID. *Fastor. lib. I. v.* 51.

Ius reddendi edicta coniunctum fuisse cum honoribus.

Nam simul exta deo data sunt: licet omnia fari,
Verbaque HONORATVS *libera praetor habet.*

Latius enim omnino Romae patebat illud HONORATORVM cognomen, quo omnes, qui domi et militiae rei publicae praeerant, immo et sacerdotes, quorum nullae partes erant in administranda republica, condecorabantur. Apud LIVIVM sane *lib. XXV. cap.* 5. viri etiam consulares et censorii vocantur *senes* HONORATI*que*. Et OVID. *ex Ponto, lib. IIII. eleg.* 5. *v.* 2. eodem elogio ornat Sex. Pompeium, consulem, quippe quem ita adloquitur:

Ite, leues elegi, doctas ad consulis aures,
Verbaque HONORATO *ferte legenda viro.*

Sed et Drusi maioribus, quorum vix vllus intra praeturam steterat, idem cognomen attribuit OVIDIVS, dum in *carmine ad Liuiam*, *v.* 329. de Druso, properantibus fatis exstincto, canit:

Ille pio, si non temere haec creduntur, in aruo
Inter HONORATOS *excipietur auos.*

Addi possent alia veterum testimonia, veluti SALLVSTII *Catilin. cap.* 34. HORATII *Epist. lib. I. epist.* 1. *v.* 106. PROPERTII *IIII.* 11. *v.* 102. VELLEII PATERC. *lib.* II. *cap.* 54. et 88. Scholiastae IVVENAL. *ad Sat. X. v.* 60. AVSON. *Praefat. ad Eidill. XXXI.* nisi eorum, quae dicenda supersunt, vbertas me subinde admoneret, quanto omnia transcursu dicenda sint. Iam vel horum testimoniis luculenter probatur, omnes, quocumque fungebantur magistratu dictos esse *honoratos*, itemque, HONORE vsos, a pud GRVTER. *Inscript. pag.* 353. 6. 387. 8. 391. 1. FLOR. *lib. I. cap.*

Quinam *honorati?*

BIU Cujas

13. §. 9. Quemadmodum enim Graecis τιμη erat qualiscumque magistratus, ARISTOT. *Polit. lib.* III. *cap.* 10. ita eodem exemplo Romani omnis magistratus *honores*, omnesque, non modo qui iis functi fuerant, *honoratos* adpellabant, sed et qui ornamenta consularia, praetoria, aedilitia, beneficio principis impetrauerant. Ios. NERIVS *Analect. lib.* I. *cap.* 32. VALES. *Not. ad Ammian. Marcellin. lib.* XIIII. *cap.* 5. IAC. GOTHOFRED. *ad Cod. Theodos. Tom.* II. *pag.* 54. *et Tom. V. pag.* 218. Denique et sacerdotio publico venerabiles honoratorum vocabulo esse comprehensos, vel lapides clamant, in quibus passim occurrit HONOR SACERDOTII, GRVT. *pag.* 101. 8. HONOR PONTIFICATVS, *pag.* 101. 3. 266. 3. HONOR PONTIFICATVS PERPETVI, *pag.* 431. 1. HONOR FLAMIN. *pag.* 268. 3. 321. 10. HONOR SEVIRATVS, *pag.* 104. 11. 150. 4. 889. 7. HONOR AVGVSTALITATIS, *pag.* 354. 7. HONOR FECIALIS, *pag.* 321. 10. HONOR AVGVRATVS, *pag.* 248. 9. HONORATVS AVGVSTALIS, *pag.* 357. 3. denique HONORATVS VEFLAMEN AVG. P. P. *pag.* 364. 1. Quam male ergo subduxerunt rationes, qui solum praetorem *honoratum*, solumque ius eius edictis inuectum *honorarium* dictum esse crediderunt?

Quid *ius honorarium?*

§. XII.

Tantum sane abest, vt IVS HONORARIVM idem sit ac praetorium, vt illud iura omnia, quae ex quorumcumque honoratorum edictis in iuris prudentiam migrarunt, suo ambitu complectatur. MODESTINVS *l.* 52. §. 6. *D. de oblig. et act.* IVRE HONORARIO *obligamur ex his, quae edicto perpetuo, vel* A MAGISTRATV, *fieri praecipiuntur, vel fieri prohibentur.* Et ipse IVSTINIANVS §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu. hoc etiam solemus* IVS HONORARIVM *adpellare, quod, qui* HONORES *gerunt, id est, magistratus auctoritatem huic iuri dederunt.* Et huic sententiae suffragantur, quotquot iureconsultorum non glossae, tamquam claudi pilae, inhaerent, sed in rem praesentem venire, ipsaque vetera monimenta adhibere in consilium solent. Ex plurimis aliquot tantum doctissimorum virorum testimonia hic adscribere iuuabit, sed quae reliqua omnia auctoritatis pondere facile superabunt. Est enim in eo numero IAC. CVIACIVS, qui in *Notis prior. ad §. 7. Inst. de iure nat. gent. et ciuil. aliud*, inquit, *est ius praetorium, aliud* IVS HONORARIVM. *Ius aedilicium*

BIU Cujas

cium aut tribunicium IVS HONORARIVM *est, ius praetorium non est.* Non minus docte THEOD. MARCILIVS *ad §. 7. quinta scripti iuris pars,* IVS HONORARIVM, *quo continentur edicta magistratuum, vt consulum, censorum, aedilium, tribunorum plebis. Sed praetorum edicta numero et vsu iuris dictionis quotidiano excellunt, iisque nititur paene totum Digestorum opus et Codicis. Ergo et praetorum edicta, aliis omissis, commemorantur hac paragrapho.* Denique IAC. RAEVARDVS *de auctorit. prud. cap.* 10. *pag.* 1008. *edicta, quae a diuersis magistratibus proponebantur, vno nomine* IVS HONORARIVM *sunt adpellata.* Et quibusdam interiectis: *sic quidem* IVS HONORARIVM *in certas ac distinctas portiones diuidebatur, et singulis magistratibus, edicta proponentibus, certa quaedam iuris illius attribuitur portio. Suam enim praetor vrbanus, suam peregrinus praetor, suam aediles curules, suam item censores iuris honorarii habebant portionem, non quidem aequalem, sed alii aliis pro imperio ac iuris dictionis auctoritate, maiorem et ampliorem.* Nescio, an non et sacerdotibus aliqua attibuenda sit iuris istius honorarii portio, et annon ex eorum quoque edictis quaedam in iuris prudentiam nostram cooptata sint. Quae enim in illa passim traduntur de rebus sacris ac religiosis, de religione locum sacrum, diruto etiam aedificio, occupante, *l. 6. §. 3. D. de rer. diuis.* de sacrorum euocatione, *l. 9. §. 2. D. eod.* de mortuorum reliquiis non nisi auctoritate pontificum transferendis, *l. 44. §. 1. D. de religios.* ea, aliaque his similia procul dubio sunt ex edictis pontificum, quae tam arcto vinculo coniuncta videbantur cum iure ciuili, vt negaret Scaeuola, *pontificem aliquem bonum esse, nisi qui ius ciuile cognosset,* teste CIC. *de legib. lib. II. cap.* 19. qui ex paucis iuris pontificii capitibus, quae ibi recenset, nimirum *de sacris, de votis, de feriis, de sepulcris, innumerabilia nasci testatur, quibus impleantur iureconsultorum libri.* Qua de re certiora nobis dare liceret, nisi fata nobis inuidissent C. TREBATII TESTAE *libros de religionibus,* ATEII CAPITONIS *ius pontificium,* similiaque veterum iureconsultorum opera, quae saepe laudantur a GELLIO, SERVIO, et MACROBIO, sed cum ipsa Romanorum superstitione, maiore litterarum, quam religionis, damno interciderunt.

CA-

BIU Cujas

CAPVT II.

DE VARIIS EDICTORVM GENERIBVS.

I. *Variae edictorum diuisiones.* II. *Magistratus ea vel per* PRAECONES *iussisse recitari, vel in* SCRIPTVRAM *redacta publice proposuisse.* III. *Formula edictalis:* PALAM VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSIT. IIII. *Edicta inscripta saxis, aeri, tabulis lineis et cerussatis.* V. *Eadem proposita in* ALBO. VI. *Quid* ALBVM? VII. *Edicta alia* TRALATITIA, *alia* NOVA. *Cur tralatitium vocetur, quod vulgare ac perfunctorium est?* VIII. *Formulae edictales:* BONVM FACTVM. *Itemque:* NON PLACERE. VIIII. *Edicta alia* PERPETVAE IVRIS DICTIONIS CAVSSA *proposita, alia* REPENTINA. X. *Quaedam ex his ad* REI PVBLICAE *administrationem pertinuisse,* XI. *quaedam ad* NEGOTIA FORENSIA. XII. *Edicta* MONITORIA *et* BREVIA. XIII. Guid. Panciroli *de iis sententia expensa.* XIIII. *Coniecturae de edictis monitoriis et breuibus.*

§. I.

Variae edictorum diuisiones.

QVid edicta, quibusque ius edicendi fuerit, superiore capite et satis explicasse nobis videmur: proximum est, vt ad varias edictorum DIVISIONES progrediamur. Multorum enim illa generum fuisse, vel inde colligimus, quod, quum maxima fuerit in ciuitate frequentissima negotiorum varietas, fieri non potuerit, vt non varia edictorum materia, varii edicendi modi, varii denique ac diuersi admodum fines essent. Vt tamen omnia ad certa quaedam summa genera reuocemus: alia per PRAECONES et VIVA VOCE esse recitata; alia in SCRIPTVRAM REDACTA, locis publicis pependisse comperio. Deinde magistratus quaedam ex antiquioribus edictis describere, quaedam de nouo adstruere solebant, quorum illa edicta TRALATITIA; haec NOVA adpellata esse, nouimus. Vtraque porro vel IVRIS DICTIONIS PERPETVAE caussa, vel, prout res inciderent, proponebantur, quorum illa PERPETVA, haec REPENTINA vocata. Denique et repentina illa vel subitanea partim ad REM PVBLICAM, eiusque administrationem, partim ad NEGOTIA FORENSIA per-

BIU Cujas

pertinuerunt, eoque et edicta MONITORIA vel BREVIA referenda esse existimamus. De singulis hoc capite paullo adcuratius erit differendum.

§. II.

Aliquando magistratus vel ipsos VIVA VOCE, vel per PRAECONES edicta reddidisse, diximus. Praeconum enim opera iam inde ab antiquissimis vsque temporibus vtebantur magistratus ad iussa sua denuncianda ciuibus, de eoque ritu quaedam haud proletaria monuerunt EVER. FEITH. *Antiq. Homer. lib. II. cap.* 5. CAR. SIGON. *de iure ciu. Rom. lib. II. cap.* 15. et ABR. WIELING. de *furto per lanc. et lic. concepto, cap.* 7. Nos, vt de ipsis magistratibus Romanis id demonstremus, testimonia eius rei habemus plurima, eaque satis illustria. Auctor enim est CICERO *de finib. lib. II. cap.* 22. praetores, *inituros magistratum, in concionem descendisse, vt* EDICERENT, *quae essent obseruaturi in iure dicundo.* De P. Seruilio etiam memoriae prodidit LIVIVS *Histor. lib. II. cap.* 24. *eum* EDIXISSE, *ne quis ciuem Romanum vinctum aut clausum tenere vellet, quo minus ei dandi nominis apud consules potestas esset:* quum eamdem rem referens DIONYS. HALICARN. *Antiqu. Rom. lib. VI. cap.* 23. *pag.* 363. Seruilium κελεῦσαι τὸν κήρυκα ἀπειπεῖν, *id denunciari per praeconem iussisse,* dicat, quod et de Sulla refert APPIANVS *Mithridat. pag.* 211. At plerumque tamen in SCRIPTVRAM redacta omniumque oculis exposita esse edicta comperio, adeo, vt scriptores Graeci ab eo, quod vtplurimum fiebat, edicta vocent διαγράμματα, προγράμματα, διαγραφάς, προγραφάς, immo et ἐκθέματα, vti in *Excerpt. Peiresc. pag.* 145. quia et litterarum monimentis consignari, et locis publicis promulgari vel exponi solebant.

Magistratus ea vel per praecones iussisse recitari, vel in scripturam redacta publice proposuisse.

§. III.

Et ad haec edicta, in scripturam redacta, et publice proposita, pertinet formula sollemnis: APVD FORVM, PALAM, VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSIT, PROSCRIPTVM HABVERVNT. Eam in tabula aenea perantiqua reperit, exposuitque suo more IAC. CVIAC. *Obs. lib. VII. cap.* 30. sed eamdem iam pridem, tamquam edictalem vel τυπικὴν explicauerat VALERIVS PROBVS *in Notis*, dum litteras: V. D. P. R. I. P. interpretatus est: VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSIT. Vsi ea sunt magistratus in

Formula edictalis *palam vnde de plano recte legi possit.*

BIU Cujas

edictis omnibus, quae locis publicis figi voluerunt, simulque expressserunt, quamdiu ibidem ea exposita esse vellent, veluti Tiberius Caesar apud IOSEPHVM *Antiqu. Iud. lib. XVIII. cap. 4.* qui edictum in Iudaeorum gratiam conditum, vbique in ciuitatibus, municipiis, coloniis, sociorumque et amicorum populi Romani vrbibus proponi iusserat, non minus quadraginta diebus, iis locis, ὅθεν ἐξ ἐπιτηδὲς καλῶς ἀναγινωσθῆναι δύνατο· VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSIT: nec non M. Antonius, triumuir, qui magistratibus Tyriorum imperauerat, vt edictum suum, Graecis Latinisque incisum litteris, legendum exponerent ἐν τῷ ἐπιφανεστάτῳ, ὅπως ὑπὸ πάντων ἀναγινώσκεσθαι δυνήσεται, *in loco maxime illustri, vnde ab omnibus legi possit.* IOSEPH. *Antiqu. Iudaic. lib. XIII. cap. 12.* Eadem formula et reliquos vsos esse, qui edicta reddebant, colligi potest ex loco hoc AVSONII *gratiar. act. ad Gratian. imp. pag. 395. edit. Vineti: has ego litteras tuas in omnibus pilis ac porticibus*, VNDE DE PLANO LEGI POSSINT, *instar* EDICTI, *pendere mandauero.* Ceterum qui ita promulgabant edicta, aliasque leges, ii dicebantur PALAM PROSCRIBERE; CIC. *ad Attic. lib. VIII. epist. 27.* qua loquutione quum et praetor vsus esset in edicto, quod de actione instituoria proposuerat, verba illa ex antiqua formula ita interpretatur VLPIANVS *l. 11. §. 3. D. de instit. action.* PROSCRIBERE PALAM *sic accipimus, claris litteris*, VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSIT.

§. IIII.

Edicta inscripta saxis, aeri, tabulis linteis et cerussatis.

Tabulae, quibus inscribi vel incidi solebant edicta, non erant vnius omnes materiae. Aliquando legebantur in saxis et marmoribus, quorum is antiquissimus erat vsus, teste SOPHOCLE *Scholiasta Apollonii, Argonaut. IIII. v. 480.* vt iis inscriberent τὰ δόξαντα, seu, quae edicere visum esset. Et sic sane Augustus apud IOSEPHVM *Antiqu. Iud. lib. XVI. cap. 6.* edictum suum Ancyrae iubet σηλογραφεῖσθαι ἐν τῷ Καισαρος ναῷ, *columnae inscribi in templo Caesaris.* Et Turcii Aproniani, praefecti vrbi, bina edicta et hodie adhuc Romae leguntur in vetere marmore, vnde illud descriptum post alios edidit GRVTER. *Inscript. pag. 746. 6. 7.* Aliquando tabulis aeneis incidebantur vel ipsorum iussu principum ac magistratuum, quo pertinent exempla, in vtroque Codice obuia, *l. 4. C. Th. de priuileg. eor. qui in sa-*

BIU Cujas

cro palat. l. 1. *C. de aliment. quae inop. l.* 2. *C. de frum. vrb.* vel impensis eorum, quorum interesse videbatur, perpetuam ad posteros manere illorum memoriam: cuius moris exempla exstant apud PLIN. *Hist. nat. lib. XXXIIII. cap.* 90. nec non in inscriptione apud GRVTER. *pag.* 573. *sequ.* vbi veterani, quibus insignia quaedam beneficia indulserat princeps, constitutionem illam scribendam curarunt in TABVLA AENEA, QVAE FIXA EST ROMAE IN CAPITOLIO AD ARAM GENTIS IVLIAE DEFORAS PODIO SINISTERIORE TAB. T. PAG. I. LOC. XXXIIII. De quo more ac ritu tabulas aeneas dedicandi in Capitolio, ex instituto egit IVST. RYCQVIVS *de Capitol. Rom. cap.* 30. *pag.* 374. *seqq.* Quin solebat id aliquando in ipsis edictis exprimi, vt quae in certorum hominum honorem edictis essent sancita, *liceret illis scribere tabulis* AENEIS, *vel* ENCAVSTO, *vel* CERVSSA, vti est in Constantini M. epistola ad Florinum, *l.* 1. *C. Th. de veteran.* Quo insigni loco simul admonemur, edicta etiam *tabulis cerussatis*, vel, vt in *l.* 1. *C. Th. de alim. quae inop.* vocantur, *linteis mappis* encausto inscribi consueuisse, de qua scribendi ratione erudite egerunt CLAVD. SALMAS. *ad Scriptor. hist. aug. pag.* 355. IAC. GOTHOFRED. *ad Cod. Th. Tom. II. pag.* 420 *et Tom. IIII. pag.* 289. Io. MABILLON. *de re dipl. lib. I. cap.* 9. et BERN. MONTFAVCON *Palaeograph. Graec. lib. I. cap.* 1. *et* 2.

§. V.

At haec omnia extra ordinem facta esse animaduertimus, si qua edicta perpetuo exstare vellent: ordinarie enim illa proponebantur in ALBO, idque iam inde ab antiquissimis temporibus factum esse, vel inde patet, quod iam Ancum Martium, regem, instituta Numae; et Cn. Flauium, anno V. C. 449. fastos *in* ALBO proposuisse, refert LIVIVS *Histor. Lib. I. cap.* 32. et *lib. VIIII. cap.* 46. Ex quibus locis probari simul potest, magnopere falli eos, qui *album* praetoris fuisse proprium, tradunt. Neuter enim tum praetor erat, quum in albo proponeret edictum, sed alter rex, alter aedilis curulis, qui, quod sciamus, numquam praetura functus est. Praeterea et L. Sullam, dictatorem, et Octauium, Antonium, et Lepidum, triumuiros, de ferali illa inimicorum proscriptione λελευκωμένον πίνακα vel λέυκωμα, id est, *album* proposuisse, memoriae prodiderunt DIO CASSIVS et Io. ANTIOCHENVS in *Excerpt. Peiresc.* Eadem proposita in albo.

BIU Cujas

pag. 658. *et* 798. Commune ergo potius album fuit magistratibus omnibus, qui quid edictis populo vellent significatum quamuis non omnes eodem loco, sed alii in rostris, alii in tribunali, alii in curiis et basilicis, quo quemque muneris vocabat ratio, vel vbi praecipue ius dicturus sui quisque copiam faciebat, album suum habuisse videantur.

§. VI.

Quid *album?*

Sed diu est, quod crucem viris doctis fixit hoc *album*, nec hodie, quale illud fuerit, satis videtur expeditum. THEOPHILVS *ad* §. 12. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* ipsum edictum vocat ἄλβον, et quidem διὰ τὸ λευκοῖς γράφθαι γράμμασι, *quod albis litteris esset scriptum.* Cui et glossa vetus suffragatur, nisi quod haec sub finem addit: ἐπὶ γὰρ κονίαμα τὰ διατάγματα καὶ τὰς προσγραφὰς ἐξετίθεσαν: *nam in opere tectorio, seu calce obducto edicta proponebantur.* Quod quidem me vix intelligere fateor. Quis enim albis litteris aliquid scriberet ἐπὶ τὸ κονίαμα, seu *in opere albario*? Et quis album vocaret, alterius coloris tabulam, cui albis litteris aliquid inscriptum sit? Non ergo litterae albae tabulae nomen dederunt, sed tabula alba litteris alio colore scriptis, et recte vidit ACCVRSIVS, album nihil aliud fuisse, quam parietem, cui edicta inscribi consueuerint litteris atris. Ea enim sententia non modo glossarum, sed et aliorum veterum auctorum testimoniis firmatur. Illae enim album vocant κονίαμα. SVIDAS vero in λεύκωμα *Tom. II. pag.* 433. *edit. Kust.* Τεῖχος γύψῳ ἀλειλημμένον πρὸς γραφὴν πολιτικῶν πραγμάτων, *parietem gypso illitum ad res ciuiles inscribendas.* Nec alio pertinere arbitror verba PLAVTI *Pers. I.* 2. *v.* 21.

Nae isti, faxo, nusquam adpareant,
Qui hic ALBO PARIETE *aliena oppugnant bona.*

Manifesto enim comicus pungit calumniosos litigatores, qui *aduersarios* ad ALBVM *perducebant, demonstrantes, quod dicturi essent, vel dicentes, quo vti vellent*, vti veterem actiones edendi modum describit LABEO *l.* 1. §. 1. *D. de edendo.* Et si ita verba accipias: nihil est illis elegantius, nihil planius: quum contra mera somnia somniare critici videantur, dum pro *albo pariete* rescribi iubent *albo rete*, vel nescio quid aliud. Quare vt dicam, quod sentio, videtur praetor parietibus tribunalis sui edicta formulasque actionum suarum inscripsisse, idemque fecisse

BIU Cujas

se alii magistratus iis locis, vbi suo quisque officio fungebatur. Hinc, quidquid publico nomine scriptum in parietibus legebatur, id omne ALBVM dicebatur, eoque sensu passim occurrit *album curiae*, *l.* 45. *C. de decurion. l.* 142. *C. Th. eod.* vel *album decurionum*, veluti *l.* 5. *l.* 10. *D. de decur.* quo nihil intelligebant aliud, quam DEFIXA MONIMENTIS ORDINIS DECVRIONVM NOMINA, vti describitur in marmore apud GRVTER. *Inscript. pag.* 19. 6. vel *album sacri senatorum ordinis*, apud CASSIODOR. *Var. lib. III. epist.* 25. *album senatorium*, apud TACIT. *Annal. lib. IIII. cap.* 42. λεύκωμα τῶν βεβλευκότων, apud DION. CASS. *lib. LV. pag.* 550. Nec minus notari merentur ALBVM *iudicum* apud SVETON. *Claud. cap.* 16. *Domitian. cap.* 8. SENECAM *de benef. lib. III. cap.* 7. ALBVM *pontificum* apud CICER. *de orat. lib. II. cap.* 12. MACROB. *Saturn. lib. III. cap.* 12. immo et ALBVM *apostolorum* pro catalogo discipulorum Christi apud TERTVLLIANVM *aduers. Marcion. V.* 1.

§. VII.

Et haec quidem est prima illa, quam supra proposuimus, edictorum diuisio: dicendum iam erit de altera, secundum quam edicta alia TRALATITIA, alia NOVA dicebantur. Vetus enim atque omnium fere temporum vsu firmata haec erat consuetudo, vt noui magistratus quaedam decessorum edicta in sua transferrent, alia immutarent emendarentue, vel de nouo suo arbitrio adderent. Hinc CICERO *lib. III. epist.* 8. vbi de edicto suo prouinciali agit, se eumdem veterem morem seruasse scribit. *Romae*, inquit, *composui edictum*: nihil *addidi*, *nisi quod publicari me rogarunt*, *quum Samum ad me venissent*, *vt de tuo edicto totidem verbis* TRANSFERREM *in meum. Diligentissime scriptum est caput*, *quod pertinet ad minuendos sumtus ciuitatum*, *quo in capite sunt quaedam* NOVA, *salutaria ciuitatibus*, *quibus ego magnopere delector.* Itaque in proconsulari Ciceronis edicto erant quaedam TRALATITIA, quae totidem verbis ex Appii Claudii Pulchri edicto descripserat: quaedam NOVA, quae ipse sibi prudenter inuenisse videbatur, quum et Appii Pulchri, et aliorum, qui ante eum Ciliciae praefuerant, oculos emissitios fugissent. Eiusdem διαιρέσεως et *ad Attic. lib V. epist.* 21. meminit, et aliquoties in orationibus *in Verrem*, veluti *orat. I. cap.* 45. et *orat. III. cap.* 14. ex quibus testimoniis simul discimus, fuisse quaedam edictorum, tum vrbanorum, tum prouin-

Edicta alia *tralatitia*, alia *noua*.

BIU Cujas

cialium capita, quae, tamquam perpetuo vsu probata constanter retinebant successores, ac proinde vel eo nomine male audiuisse Verrem, quod edicta illa tralatitia, quae iam pridem in ius certum abierant, in gratiam vel odium quorumdam hominum sustulisset. Ceterum ex hoc antiquo more interpretandi est loquutio veterum, qua id, quod vulgare, vel obiter et parum diligenter dictum factumque est, tralatitium vocant. Sic sane *translatitium funus* est vulgare, et parum sumtuosum, SVETON. *Neron. cap.* 33. *publicum et tralatitium ius*, commune, quod nemini denegatur, SVET. *Octau. cap.* 10. *tralatitium bellum*, id est, ludicrum, PETRON. *Satyr. cap.* 108. quamuis ibi alii malint *sclatarium*, *tralatitia deformitas*, non admodum insignis vel eximia, idem *cap.* 110. *tralatitia propinatio*, vulgaris et plane non inusitata, idem *cap.* 113. denique *tralatitia humanitas* communis, quam merito ab omnibus exspectes, idem *cap.* 114. Quum vero et in iure nostro *defunctorie* et *translatitie* fieri dicatur, quod obiter ac parum diligenter fit: *l.* 1. *§.* 6. *D. ad SC. Turpill.* et *l.* 2. *§.* 2. *D. qui pet. tut.* rationem huius translationis eleganter reddit ANT. AVGVSTINVS in *Modestino p.* 1563. *Tom. IIII. Thesaur. iur. ciu. in hoc verbo translatio sumta est ab edictis praetorum* TRALATITIIS, *in quibus nullam curam adhibebant.* Non multum enim curae ac diligentiae adhibebat describendi labor, si vetus edictum in nouum transferendum esset: ac proinde, quidquid sine cura ac diligentia fiebat, *translatitium* vel *tralatitium* vocabant, ceu praeter AVGVSTINVM nostrum obseruarunt etiam viri docti ad Petronium, et in primis PETR. DANIEL *ad Sat. cap.* 110. Sed vt ex hoc diuerticulo redeamus in viam, id adhuc obseruamus, translatitia edicta non modo dici ea, quae ex veteribus in noua translata fuerant, verum etiam repentina, in quibus verba sollemnia atque antiqua religiose retinebantur, quale erat illud, *quo consules, quando senatores in curiam vocabant, seruandae consuetudinis caussa vtebantur*, quod TRALATITIVM diserte vocat GELL. *Noct. Attic. lib. III. cap.* 18.

Cur tralatitium vocetur, quod vulgare ac perfunctorium est.

§. VIII.

Hinc recte TRALATITIAS dixeris et reliquas formulas edictales, veteres et sollemnes, quae non temere in vllo edicto praetermittebantur. Vnam iam supra vidimus: PALAM, VNDE DE PLANO RECTE AB OMNIBVS LEGI POSSIT: plures suo more,

Formulae edictales: *bonum factum*,

BIU Cujas

re, id est, non translatitie collegit exposuitque BARN. BRISSON. *de form. et sollemn. pop. Rom. verbis, ineunte libro III.* Eius generis sunt verba vere τυπικὰ atque edictalia: BONVM FACTVM, vel, vti est apud VALERIVM PROBVM, Q. B. F. QVARE BONVM FACTVM. Aliquando enim his verbis auspicabantur magistratus edicta sua: aliquando, praemissa quadam praefatione, ad ipsum progressi edictum, subiungebant: QVARE BONVM FACTVM. Quod, vt ex instituto nostro veterum testimoniis probemus, Octauius, Antonius, et Lepidus triumuiri, in ferali illa proscriptionis tabula apud APPIAN. *de bello ciu. lib. IIII. pag. 593. sequ.* de inimicorum insolentia multa praefati, statim pergunt: ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ ΤΟΙΝΥΝ τῶν ὑποτεγραμμένων τῷδε τῷ διαγράμματι μηδεὶς διεχέσθω μηδένα· κ. τ. λ. QVARE BONVM FACTVM; *ex his, quorum nomina huic scripto subiuncta sunt, nemo quemquam recipito, cet.* Ita bene rei publicae precantur triumuiri, etiam dum tabulam illam, sanguine potius, quam atramento scriptam, suspendunt, vt de hoc edicto recte vsurpare possis illa TERTVLLIANI *de pudicit. cap. 1. O edictum, cui adscribi non poterit:* BONVM FACTVM. Simili, eaque bene longa praefatione apud IOSEPHVM *Antiqu. Iudaic. lib. XVIIII. cap. 5.* vtitur Tiberius Claudius Caesar, dum rogatu regum Agrippae et Herodis, Iudaeis per vniuersum orbem Romanum eadem iura, quibus Alexandriae fruebantur, edicto suo indulget: et tum prooemio illo statim subiungit: ΚΑΛΩΣ ΟΥΝ ΕΧΕΙΝ, καὶ Ἰουδαίους, κ. τ. λ. QVARE BONVM FACTVM, *Iudaeos etiam*, cet. Ita enim vertenda illa ΚΑΛΩΣ ΕΧΕΙΝ, quae in ipsa Hudsoniana pessime vertuntur: *proinde aequum esse arbitror.* Semper enim fere formulam illam edictalem ita exprimit IOSEPHVS, ceu et ex *Antiqu. lib. XIIII. cap. 10.* patet, quum contra APPIANVS eam reddat ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ, in marmoribus vero non minus frequentes sint formulae: ΧΑΙΡΕΤΕ, ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ, ΘΕΟΣ ΑΓΑΘΟΣ, ΑΓΑΘΑΙ ΤΥΧΑΙ ΚΑΙ ΕΠΙΣΩΤΗΡΙΑΙ, ΑΓΑΘΟΣ ΔΑΙΜΩΝ, et similes. Vid. IOANN. SELDEN. *Marm. Arundel. pag. 130.* REINES. *Inscript. pag. 497.* SMITH *de septem eccles. Asiae, pag. 20. seqq. 56. 60.* IAC. GRONOV. *Memor. Cosson. pag. 142. 145. 148.* Sed quum hae formulae tantum non omnes superstitionem Graecam redoleant: maluit IOSEPHVS, tamquam Iudaeus, vti illa καλῶς ἔχειν, cui nihil inest, quod a Iudaeorum de Deo sententia abhorreat. Ceterum

itemque, *non placere.*

BIU Cujas

rum ex illa APPIANI formula: ἀγαθῇ τύχῃ, colligit BRISSONIVS, veteres edictis aliquando praemisisse formulam: QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT! Sed merito desidero exemplum ex Latino scriptore, quale mihi nondum occurrit: complura vero, quae formulam: BONVM FACTVM, edictis praemissam demonstrant. Et quidem tam necessaria illa videbatur, vt eam ne tunc quidem praetermitterent, quum vel infamando alicuius personae, vel risus mouendi, caussa stilum edictalem imitabantur. SVETON. *Iul. cap.* 80. *peregrinis in senatum adlectis, libellus praepositus est*: BONVM FACTVM, *ne quis senatori nouo curiam monstrare velit.* Idem *Vitell. cap.* 14. *statim libellus est propositus, et Chaldaeos dicere*: BONVM FACTVM: *ne Vitellius intra eumdem Kalendarum diem vsquam esset.* Et cui non lectum edictum istud histricum, admodum lepidum apud PLAVT. *in prol. Poenuli*, quod et auspicatur poëta his verbis sollemnibus, et finit:

BONVM FACTVM 'ST, *edicta vt seruetis mea*
BONVM *hercle* FACTVM, *pro se quisque meminerit.*

Ex quo loco simul patet, et aliquoties interdum repetitam esse hanc formulam, et ei aliquando additam admonitionem: PRO SE QVISQVE MEMINERIT, quam eleganter expressit IOSEPHVS *Antiqu. lib. XIIII. cap.* 10. καλῶς ἴχειν, ὑπὲρ ἡμῶν ὑπομνημονεύειν. Tralatitiam denique in edictis fuisse loquutionem: PLACERE vel NON PLACERE, vel, vti idem IOSEPHVS *ibidem* vertit, ΗΜΙΝ ΑΡΕΣΚΕΙΝ, ΕΜΟΙ ΤΟΙΝΥΝ ΟΥΚ ΑΡΕΣΚΕΙ, iam obseruauit BRISSONIVS, idque ex SVETON. *de clar. rhetor. cap.* 1. GELL. *Noct. Attic. lib. XV. cap.* 11. SVETON. *August. cap.* 44. et CIC. *pro P. Quinct. cap.* 27. probauit. Et sane similem formulam et Franci multo post retinuerunt, indeque supereſt formula sollemnis: *Car tel est nôtre plaisir*, qua Franciae reges et hodie vti, nemo ignorat.

§. VIIII.

Edicta alia *perpetuae iurisdictionis caussa* proposita, alia *repentina.*

Notatu non minus digna videtur tertia edictorum diuisio, quam ipse suggerit siue praetor, siue Tribonianus, *l. 7. pr. D. de iurisdict.* Glossema enim redolere illa verba, suspicatus est IAC. CVIAC. *Obs. lib. XXI. cap.* 24. quae iam ita leguntur: *si quis id, quod* IVRISDICTIONIS PERPETVAE *caussa, non, quod* PROVT RES INCIDIT, *in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit: datur in eum quingentorum aureorum iudicium.*

BIU Cujas

iudicium. Sed suspicio illa interpretationis nec iusta est, (vti infra ad hoc ipsum edictum ostendemus,) nec in hanc edictorum diuisionem, sed in reliqua tantum verba, quibus diuersa tantum edictorum materia describitur, pertinet. Ceterum diuisio ipsa edictorum, quae hic proponitur, et antiqua, et solida est. Nam et alii veteres auctores edicta, PERPETVAE IVRISDICTIONIS CAVSSA PROPOSITA, adcurate discernunt a REPENTINIS, EXTEMPORARIIS, PECVLIARIBVS, quae, *prout res incidit*, proponuntur. CICERO *in Verr. III. cap.* 14. *quid? illa cuiusmodi sunt, quae* EX TEMPORE *ab Apronio admonitus, edixit? Q. Septicio, honestissimo homine equiteque Romano resistente Apronio, et adfirmante, se plus decuma non daturum: exoritur* PECVLIARE EDICTVM REPENTINVM, *ne quis frumentum de area tolleret, antequam cum decumano pactus esset.* Sed et PLINIVS *Hist. nat. lib. XXXVII. cap.* 1. refert, *diuum Augustum inter initia Sphinge signasse: duas in matris anulis iam indiscretae similitudinis inuenisse: altera, absente eo amicos signasse epistolas et edicta, quae* RATIO TEMPORVM *nomine eius reddi postulauerit, non inficeto lepore accipientium, aenigmata adferre eam Sphingem.* Habemus itaque edicta alia EXTEMPORARIA, PECVLIARIA, REPENTINA, quae, PROVT RATIO TEMPORVM POSTVLARE VIDERETVR, vel PROVT RES INCIDERET, reddebantur: alia IVRISDICTIONIS CAVSSA PROPOSITA, de quibus iam agendum erit paullo adcuratius.

§. X.

Sed et EXTEMPORARIA illa ac REPENTINA edicta duorum potissimum generum erant, aliis ad REI PVBLICAE ADMINISTRATIONEM, aliis ad NEGOTIA FORENSIA pertinentibus. Illorum maximam varietatem esse oportuit in tam vasto imperio, nouis quippe quotidie emergentibus negotiis, in quibus explicandis maxime sese ostentabat magistratuum sollicitudo et prudentia. Hinc quamuis operam dederit BARN. BRISSON. *de formul. lib. III. pag.* 276. vt plurima, quae in aduersaria retulerat, magistratuum edicta in certas classes disponeret: vereor tamen, vt vel minimam eorum partem attigerit. Vt quaedam tantum adiiciamus exempla: iam a IANO LANGLAEO *Ot. semestr. lib. VII. cap.* 19. *pag.* 456. obseruatum est, senatum, quoties condito SC. aliquid sanxisset, simul id negotii dedisse magistratibus, vt id propositis edictis publicarent: eiusque rei plura exempla

Quaedam ex his ad rei publicae administrationem pertinuisse,

BIU Cujas

sunt apud LIVIVM *lib. XXIIII. cap.* 11. *lib. XXV. cap.* 1. *lib. XXXVIIII. cap.* 17. *lib. XXXXI. cap.* 13. *lib. XXXXIII. cap.* 13. quibus nunc vnum addimus ex APPIAN. *de bell. ciuil. lib. I. pag.* 364. Ἐφ' ᾧ δὴ μάλιστα ἡ βελὴ διαταραχθεῖσα τοὺς ὑπάτους ἐκέλευσε προγράψαι, μηδένα τῶν ἐ φερόντων ψῆφον ἐπιδημεῖν τῇ πόλει, μηδὲ προσπελάζειν ἀπὸ τεσσαράκοντα σταδίων παρὰ τὴν ἐσομένην περὶ τῶνδε τῶν νόμων χειροτονίαν: *non alia res magis senatum terruit, moxque SC. factum est,* EDICERENT COSS. *ne quis, nisi qui ius suffragii habent, vel in vrbe sit, vel intra quintum ab vrbe lapidem tantisper, dum suffragia perferrentur de recens promulgatis legibus.* Aliquando magistratus, et nullo praeuio SC. populum tumultuantem, vel plane ad seditionem pronum edictis obiurgabant, qualia edicta OBIVRGATORIA memorat SVETON. *Octau. cap.* 53. *Caligul. cap.* 18. aliquando EVMDEM in publico luctu CONSOLABANTVR, vti apud EVMDEM *Calig. cap.* 6. *Tit. cap.* 8. aliquando precibus magis cum illis agebant, quam pro imperio, veluti Balbinus Imp. qui teste HERODIANO *Histor. lib. VII. cap.* 12. διάταγμά τι προθεὶς, ἱκέτευε τὸν δῆμον, εἰς διαλλαγὰς χωρῆσαι· *populo per edictum suplicabat, vt in gratiam cum militibus rediret.* Porro edictis indicebant funera publica, supplicationes, ludos, naumachias, venationes, munera gladiatoria, triumphos, ferias, et maxime spectacula. Tale edictum, quo muneris gladiatorii dies dicebatur, est apud SENEC. *de breuit. vit. cap.* 16. Tale et edictum Neronis, quo se Callirhoen populo pollicebatur cantaturum, apud PERSIVM *Sat. I. v.* 148. ac denique illud Pompeii, acrioribus confossum stricturis a TERTVLL. *de spectac. cap.* 10. Sic et edictis vtebantur magistratus, si malum ciuem vrbe et Italia exesse iuberent, si totum ordinem, veluti Chaldaeos et mathematicos, philosophos, rhetores vrbe et Italia submouerent, si delectum ciuibus, auxilia sociis, prouinciis pecunias, commeatum, naues, nautas, remiges, imperarent, iisdem nunciarent aduentum suum, labascentem disciplinam emendarent, collegis, nouarum rerum studio suspectis obnunciarent, ciues bene de re publica meritos laudibus, honoribus, priuilegiis ornarent. Quae omnia, si res tanti videretur, exemplis probari possent luculentissimis. Sed ne sic quidem omnia habituri essemus edictorum genera. Quidquid enim populum scire vellent magistratus, id omne propositis edictis denunciabant, adeo, vt aliquando ea in re iusto vide-

BIU Cujas

viderentur diligentiores, ac propterea ludibrium populo deberet Claudius imp. quod, suscepta morum praefectura, viginti vno die edicta proposuisset, *interque ea quaedam perridicula, vt, vbere vinearum prouentu, dolia bene picarentur, itemque, nihil aeque facere ad viperae morsum, quam taxi, arboris, succum*, de quibus SVETON. *Claud. cap.* 16.

§. XI.

Quaedam ad negotia forensia.

Sed et in foro illaque iuris dicundi potestate non pauciora quotidie negotia incidebant, quae non nisi propositis edictis commode poterant explicari. Quum enim saepe latitarent rei, neque sui facerent copiam: fieri non poterat, quin edictis euocarentur. *l.* 15. *§.* 31. *D. de iur. fisc.* Edictis etiam citabantur propinqui pupilli, quando de iis alendis educandisque incidebat quaestio: *L. vlt. D. vbi pupill. mor.* nec non ipsi tutores, qui nec administrabant, et efficiebant dolo malo, quo minus alimenta decernerentur, *l.* 7. §. 2. *D. de suspect. tutor.* itemque, qui fideicommissariam debentes hereditatem aberant: *l.* 26. *§.* 9. *D. de fideic. her. petit.* quiue, suscepta accusatione, et datis fideiussoribus, tergiuersationis caussa latitabant. *l.* 3. *C. de his, qui acc. non poss.* Omnibus his ac similibus casibus propositis edictis adesse iubebantur rei, et, si nec adessent, nec defenderentur, edictum sequebatur PEREMTORIVM, quod perimebat disceptationem, nec patiebatur aduersarium vltra tergiuersari. *l.* 70. *sequ. D. de iudic.* Quod et VNVM PRO OMNIBVS dicebatur, quoties magistratus aliquem semel, sed peremtorie tamen citabat. *l.* 22. *D. eod. l.* 53. *§.* 1. *D. de re iud.* Sed et edictis magistratus, qui iuridicundo praeerant, monebant litigatores, si quando valetudine vel alia iusta caussa impediebantur, quo minus eo munere fungi possent: cuius rei hoc elegans exemplum est apud HENR. DODWELLVM *Praelect. Cambden. Adpend. pag.* 691. QVVM PRAETOR VRB. FILIAM EO DIE DARET NVPTVM, EDICTO MONVIT, SE IVS NON DICTVRVM, ET VADIMONIA OMNIA IN QVINTVM DIEM DISTVLIT. Proponebantur porro edicta, quoties bona vel a fisco occupata, vel possessa a creditoribus, erant distrahenda, quale erat illud, quod se reformidare negabat TIBVLLVS *Eleg. II. v.* 4.

Ite sub IMPERIVM *sub* TITVLVM*que*, *Lares.*

Cui loco addimus alterum PLINII *Epistolar. lib. VII. epist.* 27.

BIU Cujas

vbi itidem titulus est edictum vel programma, quo homines de imminente bonorum distractione admonebantur. Sed talia edicta, quum ex ipso iure nostro notissima sint, hic adcumulare nolumus.

§. XII.

Edicta *monitoria* et *breuia.*

In legum Inscriptionibus mentio passim fit edictorum BREVIVM et MONITORIORVM, quae, quamuis et ipsa ad perpetuam iurisdictionem pertinuisse videantur, tantis tamen inuoluta sunt tenebris, vt de iis vix quidquam, praeter diuinationes et coniecturas proferre liceat. In Indice Florentino inter alia veterum iureconsultorum opera recensentur Παύλου *Breuion βιβλία εἴκοσι τρία*, ex quibus quatuordecim; nec non Καλλιστράτου *Edicton monitorion βιβλία ἕξ*, ex quibus viginti ἀποσπασμάτα in Pandectis supersunt: in ipsis vero legum inscriptionibus illud PAVLLI opus modo *libri breuium*, modo *libri edicti breuis*; CALLISTRATI vero commentarius constanter *Edictum monitorium* vocatur. Quid vero edictum breue? quid monitorium? GVID. PANCIROLVS, qui *Lection. variar. lib. I. cap.* 34. copiosissime de iis disserit, vix quidquam extricasse videtur. BREVIA enim ipsi primum sunt *edicta, quibus praetor se aliquam legem exsequuturum professus sit, quibusque simile fuerit* EDICTVM MONITORIVM, *ad quod scripserit* CALLISTRATVS, *quo moniti fuerint rei, vt actorum interrogationibus responderent, vel in iudicio adessent*: deinde eodem nomine venisse putat *edictum peremtorium, quod quidem perpetuum non fuerit, sed pro temporis necessitate a praetore emissum sit, prout id iudicii vsus exegerit*: denique fuisse etiam ait *edictum* BREVE, *quod Paullus sit interpretatus. Sed forte ibi significari breuiarium seu summarium edicti perpetui, conditum a Paullo.* Cui postremae sententiae praelusisse obseruamus IAC. CVIACIVM *Obseru. lib. XXV. cap.* 16. IO. BERTRANDVM *de iuris perit. lib. I. cap.* 25. et IO. GOEDDEVM *Commentar. ad tit. de verb. signif. pag.* 570. nisi quod hi non ipsum edictum, sed diffusum illud, quod scripserat, commentariorum opus ab eo in compendium quoddam concinnius redactum esse existiment, quali opusculo titulum BREVIS EDICTI vel BREVIVM LIBRORVM satis quadrare existimant.

§. XIII.

BIU Cujas

§. XIII.

Sed vti his omnibus quaedam vera ac solida ineſſe, non inficiamur: ita quaedam manifeſto falſa, quaedam vera quidem, at plane ἀπροσδιόνυσα, et a re alieniſſima videntur. Verum eſt, omnia edicta, quibus vel principes, vel magiſtratus, populum monebant, vt facerent aliquid omitterentue, dicta eſſe MONITORIA, id eſt, vti DIO *in Excerpt. Peireſc. pag.* 633. et HERODIAN. *Hiſtor. lib. II. cap.* 13. exprimunt, προαγγέλματα vel προγραφεύσεις. Dicebantur enim tunc *edicto admonere*, ſiue quid praeciperent, ſiue prohiberent, ſiue populum obiurgarent, ſiue conſolarentur, ceu docent exempla *l.* 39. *D. de religioſ.* et apud TACIT. *Annal. lib. I. cap.* 9. et *lib. III. cap.* 6. Quod adeo verum eſt, vt TERTVLLIANVS, adſuetus loquutionibus iuridicis, *libro de anima cap.* 3. dictum apoſtoli *Coloſſ. cap.* 2. *v.* 8. de vitanda ψευδοφιλοσοφίᾳ eleganter vocet *edictum apoſtoli* PRAEMONITORIVM. Verum etiam eſt, illa quoque edicta, quibus ſe legem aliquam exſequuturos profitebantur magiſtratus, nec non euocatoria et peremtoria, recte dici potuiſſe *monitoria*, immo et *breuia*. Nam PLINIVS *Epiſtolar. lib. V. epiſt.* 21. edictum illud, quod Nepotem praetorem propoſuiſſe refert de lege repetundarum exſequenda, non modo BREVE vocat, ſed et accuſatores reoſque, quid ab iis fieri oporteret, eo edicto ADMONITOS eſſe teſtatur. Sed quis vel PAVLLVM, vel CALLISTRATVM huius modi edicta commentariis illuſtraſſe dicat? Ad edictum ſane aliquod euocatorium vel peremtorium nemo temere commentarios ſcripſerit. Edicta de legibus exſequendis ad iudicia et crimina publica pertinuerunt, quorum paene non fieri mentionem animaduertimus in illis CALLISTRATI et PAVLLI fragmentis. Denique prima vocabuli notio tam late patet, vt omnia edictorum genera complectatur. Ea autem omnia commentario illuſtraſſe Calliſtratum, non eſt veroſimile, nec, ſi eius modi opus adornaſſet Paullus, illud inſcribi potuiſſet EDICTVM BREVE, quippe quod non potuiſſet non in maximam molem excreſcere. Nec magis veroſimile eſt, PAVLLVM edictum perpetuum, publica auctoritate, ipſiuſque Hadriani imp. auſpiciis conditum, in epitomen vel ſummarium contrahere voluiſſe. Cui enim vſui futurum fuiſſet hoc compendium? Et quid omittere ac expungere potuiſſet, vt compendium daret ſine rerum diſpendio? Epitomae fieri poſſunt eorum operum, in quibus magna eſt verborum

Guid. Panciroli de iis ſententia expenſa.

rum rerumque vbertas, magna circumstantiarum argumentorumque illustrantium varietas. His enim detractis, quod superest, epitomen vel compendium absoluit. At quid Paullus detrahere potuisset edicto perpetuo? verbane? At omnia tam adstricta breuitate dixerat praetor, vt nihil redundaret, nihil dici posset frustra dictum; an integros titulos, et sententias? Sic vero non dedisset edictum breue, sed mutilum, nullique vsui futurum. Denique nullam me, fateor, excogitare posse caussam, cur Paullum vastum illud Commentariorum opus in compendium mittere voluisse credam. An ipse forte maiori illi ac laboriosissimo operi interitum arcessere voluit? Id enim contingere solet maioribus voluminibus, quorum exstant compendia. An actum agere? Id non solent homines, tot occupati negotiis. Et cur, quaeso, ex vtroque opere fragmenta in Pandectas retulisset Tribonianus, si breue illud edictum nihil aliud fuisset, quam maioris istius operis compendium? Quis nostrum hodie IVSTINI vel FLORI exhauriret lacunas, si sincera petere liceret ex TROGI POMPEII et TITI LIVII fontibus? An ergo tantum stuporem cadere in Tribonianum, credimus, vt ex compendio describendum existimarit, quod multo rectius ex ipso opere, tum adhuc superstite petiisset?

§. XIIII.

Coniecturae de edictis monitoriis et breuibus.

Quum ergo in re obscura, densissimisque inuoluta tenebris ariolari liceat: licebit et nobis, quid de edictis illis breuibus ac monitoriis diuinando adsequuti videamur, paucis edisserere. Solebant veteres iureconsulti cum alia ad artem suam pertinentia, veluti SCta, constitutiones, responsa prudentum, supremorumque tribunalium sententias, tum et edicta magistratuum, quae ad iudiciorum ordinem pertinebant, colligere, eaque secundum ordinem edicti perpetui dispositа commentariis vel notis ac stricturis suis illustrare. Quales συλλογαὶ in ipso Indice Florentino recensentur: Πομπωνίου *Senatusconsulton* βιβλία πέντε, Παύλου μονόβιβλον *de senatusconsultis*, Ἰούστου *Constitutionum* βιβλία ἕικοσι, Παύλου *Decreton* βιβλία τρία, Παύλου *Sentention* ἤτοι *facton* βιβλία ἓξ, Κερβιδίου Σκαιβόλα *Quaestionum publice tractatarum* βιβλίον ἕν. Eodem ergo studio et edicta conquirebant veteres prudentes, eaque in certa corpora redigebant: qualem edictorum συλλογὴν in bibliotheca Vlpia vidisse se atque euoluisse testatur GELLIVS *Noct. Attic. lib. XI. cap.* 17. Quum vero, etiam condito

dito edicto perpetuo permulta subinde prodirent edicta magistratuum, similia illis, quae hodie vocamus GEMEINE BESCHEIDE, quibus monebantur actores, rei, aduocati, quid fieri oporteat: talia collegisse videntur PAVLLVS et CALLISTRATVS, eaque vel notis, vel commentariis, illustrasse, quae vel notae, vel commentaria recte inscribi poterant *libri edictorum monitoriorum vel breuium*, quo vocabulo vtroque iam PLINIVM vsum esse vidimus. Decliui enim iam puriore Latinitate scripturae omnes non admodum prolixae, *breues*, *breuia*, βρέβια, dicebantur, eoque vocabulo designabantur *tabulae censuales* apud SYMMACH. *lib. X. epist. 60. priuilegia et edicta* ἐν σκρηνίοις ἀποκείμενα, apud IVLIAN. *Epist. ad comm. Iudaeor. p. m. 223. codicilli nomine principis editi*, apud CASSIOD. *Var. lib. XI. epist. 7. quadrimenstrui breues*, id est, rationes, quae de singulis pensionibus conficiebantur a chartulariis, de quibus plura IAC. CVIAC. *ad Cod. lib. X. tit. 22. pag. 685. Tomo II. Opp.* qui et *ad tit. 2. pag. 650.* ex ZONARA et ANNA ALEXIADE obseruat, breuia dicta esse quamlibet ἐπιτομήν, καὶ σύντομον γραφήν, *omnem chartulam compendiosam, seu scripturam succinctam*, eamque vocabuli significationem in libris Βασιλικῶν esse frequentissimam. Plura eius generis obseruarunt CAR. DV FRESNE *Gloss. med. et infim. Lat. Tom. I. p. 1293. edit. nouiss. Glossar. Graec. sub* βρέβια. SALMAS. *ad Histor. aug. script. pag. 379.* et alii. Haec est nostra de edictis breuibus et monitoriis sententia, a qua non adeo alienum esse video et FRIDR. BRVMMERVM *ad leg. Cinc. cap. 6.* Neque illi obstare arbitramur, quod IAC. GOTHOFREDVS *in Serie edicti perpetui*, et ANT. SCHVLTING. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag. 201.* libros hos PAVLLI et CALLISTRATI ad edicti perpetui ordinem compositos fuisse, obseruant. Eumdem enim ordinem ab Hadriani imp. temporibus ICtos tantum non omnes in libris suis obseruasse, inter omnes constat. Vid. OB. GIPHAN. *Oecon. edicti perpet. pag. 120.* EVER. OTTO *Papinian. cap. 12. §. 6.*

CAPVT

CAPVT III.

DE ORIGINE EDICTORVM ET IVRIS EDICENDI.

I. *Transitio ad edictorum originem.* II. *Eam consuetudinem frustra repeti ab aliis gentibus. Qualia Athenis fuerint edicta thesmothetarum?* III. *Romae ab ipsis vrbis incunabulis reges edicta proposuisse videri.* IIII. *Deficiente iure scripto, pleraque edictis explicari debere.* V. *Quid* MANVS REGIA? *l. 2. §. 1. D. de orig. iur.* VI. *Regum munia postea varios magistratus et sacerdotes obiisse. Hinc ius edicendi, regibus olim proprium, ad omnes fere magistratus et sacerdotes esse deuolutum.*

§. I.

Transitio ad edictorum originem.

EDicta Romae reddidisse omnes, qui intaminatis fulgebant honoribus, nos primo statim capite abunde probauimus. Ostendimus etiam superiore capite, quam varii generis edicta ista fuerint, quibusque potissimum occasionibus illo iure ac potestate vsi fuerint magistratus. Proximum ergo est, vt, quae edictorum iurisque edicendi origo sit, paucis dispiciamus. Et hic quidem praemonendum videtur, morem hunc vere Romanum, nec vllam aliam gentem fuisse, quae tantum iuris ac potestatis magistratibus suis concesserit. Equidem ARISTOTELES *Polit. lib. III. cap. 15.* in tribus potissimum capitibus consistere docet magistratuum officium, ἐν τῷ βουλεύεσθαι περὶ πινῶν, καὶ ἐν τῷ κρίνειν, καὶ ἐν ΤΩ ΕΠΙΤΑΞΑΙ, *in consultando, iudicando, et* PRAECIPIENDO, et de postremo statim subiicit: καὶ μάλιστα τοῦτο τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστιν, *in primis vero in hoc, quia praecipere magis eorum est, qui habent imperium*: sed his quidem verbis nouum ius edictis constituendi potestatem magistratibus non vindicat philosophus: sed τὸ ἐπιτάττειν ex eius mente in eo positum est, vt magistratus, tamquam custodes legum, edictis suis adiuuarent leges, easque negotiis, quotidie obuenientibus prudenter accommodarent. Id quod alio loco *Politic. lib. III. cap. 11.* ita eleganter explicat: Δεῖ τοὺς νόμους εἶναι κυρίους, κειμένους ὀρθῶς· τοὺς ἄρχοντα δὲ ἄν τε εἷς, ἄν τε πλείους ὦσι, περὶ τούτων εἶναι κυρίους, περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς, διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι

BIU Cujas

εἶναι καθόλου δηλῶσαι περὶ πάντων: *oportet leges dominas esse, si sunt recte latae: qui autem magistratum gerit, siue vnus, siue plures fuerint, decernere de illis, de quibus leges exquisite aliquid decernere nequeunt, eo quod non facile est, generali sermone singulos casus comprehendere.* Itaque non plus magistratibus indulget ARISTOTELES, quam quod monent IVLIANVS et PEDIVS *l. 12. et l. 13. D. de legib.* vt, *quoties lege aliquid, vnum vel alterum introductum est, bona sit occasio, cetera, quae tendunt ad eamdem vtilitatem, vel interpretatione, vel certe iurisdictione suppleri.*

§. II.

Eam consuetudinem fustra repeti ab aliis gentibus.

Quamuis ergo inficiari nolim, Romanos multa alia instituta Graecis aliisque gentibus debuisse: non tamen vllam video, cui debere potuerint hunc morem, magistratibus edicendi ius concedendi. In imperiis quidem παμβασιλικοῖς nihil fuit regiis edictis notius, idque satis probant edicta regum Persarum, de quibus BARN. BRISSON. *de regno Persar. lib. I.* §. 218. *seqq.* Sed *editiones* illae *basilicae*, vti eas eleganter vocat PLAVT. *Captiu. act. IIII. scen. 2. v.* 31. non differebant a legibus, profectae quippe ab iis, quibus erat ius leges ferendi: nec antiquitus Romanis tantum erat cum barbaris istis commercium, vt eorum mores sibi existimarint imitandos. Magis probabile videri poterat, Graecos hic Romanis exemplum praeiuisse, qui et ipsi magistratibus suis concesserant ius reddendi edicta, quae δογμάτα ab illis dicta esse, tradit PLVTARCH. *in Marcell. pag.* 312. qui et *in Agide, pag.* 808. memoriae prodidit, apud Lacedaemonios ephoros ineuntes magistratum per praeconem edicere consueuisse, κελεύεσθαι τὴν μύσακα, καὶ περιτέχειν τοῖς νόμοις, ἵνα μὴ χαλεποὶ ὦσιν αὐτοῖς: *vt superius labrum tonderent, legibusque aduerterent animum, ne ipsis graues fierent.* Et de *sera Num. vind. pag.* 550. Λακεδαίμονι κηρύττουσιν οἱ ἔφοροι, παρελθόντες εὐθὺς τὴν ἀρχὴν μὴ τρέφειν μύσακα: *Lacedaemone edicunt ephori, simulac magistratum ineunt, ne quis mystacem alat.* At hoc quidem edictum Lacedaemoniorum tralatitium, quod, ipso Plutarcho iudice, ideo fuerat inuentum, vt ciues ad obsequium in rebus etiam minimis magistratibus praestandum adsuefierent, vix quidquam commune habuit cum edictis Romanorum magistratuum, iuris dictionis perpetuae caussa propositis. Nec magis huc pertinet, quod de Athenienſium thesmothetis scripsit IVLIVS POLLVX

Qualia Athenis fuerint

edicta thesmothetarum?

POLLVX *Onomast. lib. VIII. segm.* 9. ἰδίᾳ δὲ οἱ μὲν θεσμοθέται ΠΡΟΓΡΑΦΟΥΣΙ, πότε δεῖ δικάζειν τὰ δικαστήρια, καὶ τὰς εἰσαγγελίας εἰσαγγέλλουσιν εἰς τὸν δῆμον, καὶ τὰς χειροτονίας, καὶ τὰς ψηφοβολὰς εἰσάγουσι, καὶ τὰς παρανόμων γραφάς: *priuatim thesmothetae, quando ius dicendum sit,* EDICVNT, *et publicas accusationes in perpetuum promulgant, ac suffragia, tum et actionum intentiones introducunt, et iniquitatis actiones.* Quamuis enim haec thesmothetarum edicta illis magistratuum Romanorum non admodum videantur dissimilia, maxime quum obseruet VLPIANVS, grammaticus, *ad Demosth. Olynth. III. p.* 43. eosdem thesmothetas quotannis correxisse leges, et hinc νομοθέτας, seu *legislatores* fuisse adpellatos: nemo tamen inde temere colliget, Romam a Graecis migrasse hanc edicendi consuetudinem. Quamuis enim thesmothetas illos Athenis anno demum Olympiadis 24. tertio creari coepisse, norimus: EVSEB. *Chron. n.* 1330. CAR. SIGON. *de republ. Athen. lib. I. cap.* 5. *pag.* 567. VBB. EMM. *Graec. vet. Tom. III. pag.* 9. adeoque edicta illorum edicta antiquiora videantur iis, quae Romani magistratus ediderunt: diuersissimae tamen ab his fuere illae thesmothetarum Athenienſium tabulae, quippe non *ad supplendum, adiuuandum, corrigendumque ius* Atticum comparatae, quod de magistratuum Romanorum edictis tradit VLPIANVS *l.* 7. *§.* 1. *D. de iustit. et iur.* Sed ideo tantum propositae, vt ius populi suffragiis iam constitutum promulgaretur, vt ciuibus dies comitiorum innotesceret, vt denique actionum formulas in promtu haberent. Equidem et leges quotannis correxisse thesmothetas, non modo VLPIANVS, grammaticus, refert, sed et AESCHINES *in Ctesiph. pag.* 433. dum scribit: Διαῤῥήδην προστέτακτε τοῖς θεσμοθέταις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν τὰ τῷ δημοσίῳ τοὺς νόμους, ἀνειβῶς ἐξετάσαντας καὶ σκεψαμένους εἴ τις ἀναγέγραπται νόμος ἐναντίος νόμῳ, ἢ ἄκυρος ἐν τοῖς κυρίοις, ἢ ἁπλῶς νόμοι πλείους ἑνὸς ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑνὸς πράξεως: *plane imperatum est thesmothetis, vt leges quotannis publice corrigant post diligentem inquisitionem, an aliqua lex alteri legi contraria sit inscripta, aut irrita inter ratas, aut sicubi plures vna leges de quolibet re sint inscriptae.* Sed caue existimes, sexuiros illos Athenienſium edictis suis leges pro lubitu supplere aut corrigere potuisse. Nam ipse Aeschines ibidem docet, eos, si quid huius modi deprehenderint, id referre solitos in tabulas; (ἐν σανίσιν,) et ante statuas heroum proposuisse, hinc porro a curionibus indictam

indictam esse concionem, inscriptis legislatorum nominibus, et denique itum in suffragia, legesque alias hoc modo abrogatas, alias retentas esse, vt vna esset lex, non plures de re vnaquaque. Itaque thesmothetae tunc magistratuum populum rogantium nunere fungebantur, non vero propositis edictis ius Atticum adiuuabant, supplebant, corrigebantque, quod tamen facere solebant magistratus Romani.

§. III.

Romae ab ipsis vrbis incunabulis reges edicta proposuisse videri.

Tantum itaque abest, vt Romanorum magistratus, edicta proponentes vel Graecos, vel vllam aliam gentem sint imitati, vt mos iste ab ipsis vrbis incunabulis et sub ipsis regibus inualuisse videatur. Iam hos enim, nullis adhuc vel paucissimis exstantibus legibus, pleraque edictis constituere oportebat. Hinc auctor est Liuius *Histor. lib. I. cap.* 32. Ancum Martium sacra Numae instituta collegisse, *eaque in* ALBVM *relata iussisse proponi.* Quod planius interpretatus Dionysius Halicarnass. *Antiquit.* Rom. lib. III. *cap.* 50. *pag.* 178. Τὰς, inquit, περὶ τῶν ἱερῶν συγγραφας ἀνέγραψεν εἰς δέλτους, καὶ προύθηκεν ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βουλομένοις σκοπεῖν, ἃς ἀφανισθῆναι συνέβη τῷ χρόνῳ. χαλκαῖ γὰρ ἔτι ἦσαν ὅπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι, καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί: *deinde sacrorum commentarios in tabulas transcripsit, easque in foro proposuit quibuslibet videndas, quae tandem vetustate consumtae sunt. Nondum enim columnae aeneae tum erant in vsu, sed in quernis tabulis sculpebantur et leges, et, quae de sacris proponebantur, edicta.* Habemus itaque edictum Anci Martii, et quidem perpetuo ex regis illius intentione valiturum, qualia procul dubio fuerunt etiam illa de contractibus, quae sustulisse Tarquinium regem, ne vestigio quidem in foro relicto, testatur idem Dionys. *lib. V. cap.* 2. *pag.* 278. qui et *lib. IIII. cap.* 13. *pag.* 216. de Seruio Tullio scribit: Διέθηκεν ἐν φανερῷ διάταγμα βασιλικὸν ἐκχωρεῖν ἐκ τῆς δημοσίας γῆς τὰς καρπομένους τε καὶ ἰδία κατέχοντας αὐτὴν ἐν ὡρισμένῳ τῷ χρόνῳ. *Palam proposuit* EDICTVM REGIVM, *vt omnes, qui agro publico fruerentur, eumue priuatim possiderent, intra certum tempus eo decederent.* Denique eumdem regem Liuius *histor. lib. I. cap.* 44. *per-*

BIU Cujas

fecto primo cenſu EDIXISSE ait, *vt omnes Romani equites peditesque armati in ſuis quiſque centuriis, in campo Martio prima luce adeſſent.* Quorum regiorum edictorum quum quaedam ad perpetui iuris dictionem pertinuerint, quaedam repentina et ſubitaria fuerint conſequens ſane eſt, vt iam inde a condita vrbe ab ipſis regibus edicta tum perpetuae iuris dictionis cauſſa, tum, prout res inciderent, fuerint propoſita.

§. IIII.

Deficiente iure ſcripto pleraque edictis explicari debere.

Id vero cur factum ſit, intelligere non adeo difficile videtur. Eſt enim ita natura comparatum, vt ſicubi ius ſcriptum ſeu lex deficiat, ibi illum defectum ſuppleant rectorum magiſtratuumque arbitria, ciuibuſque pro lege ſit, quidquid illis placet, ſiue iuſtum illud ſit, ſiue iniuſtum, ſiue ſalubre reipublicae, ſiue noxium. Quod ſatis animaduertens Ariſtoteles *Polit. lib. III. cap. 16.* Ὁ μὲν τὸν νοῦν, inquit, κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τοὺς νόμους· ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων προστίθησι καὶ θηρίον. Ἥτε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας. *Qui mentem imperare iubet, Deum et leges iubere imperare videtur. Qui vero hominem iubet, adiungit et beluam. Nam et cupiditas tale quiddam, et ira eos, qui praeſunt, etiam optimos viros detorquet.* Hinc omnibus fere gentibus initio hoc ſatis graue ac moleſtum accidit, quod legibus ac iure ſcripto deſtitutae, principum magiſtratuumque arbitriis ſe ſubmittere cogerentur, et pro lege venerari, quidquid hi edicerent iuberentue. Ita enim conditionem rerumpublicarum antiquiſſimam veluti ex compacto deſcribunt, quicumque de gentium ciuitatumque originibus quaedam prodiderunt memoriae. Iuſtinus *hiſtor. lib. I. cap. 1. principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges fuit, quos ad faſtigium huius maieſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis* LEGIBVS *tenebatur.* ARBITRIA *principum pro legibus erant.* Idem *lib. II. cap. 7.* ſpeciatim de Athenienſibus: *ciuitati nullae tunc* LEGES *erant, quia* LIBIDO REGVM *pro legibus habebatur.* Denique L. Seneca *Epiſt. 90. primi mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti ſequebantur, eumdem habebant et* DVCEM *et* LEGEM, *commiſſi melioris* ARBITRIO. Vbi itaque leges

leges dominantur, ibi parum vel nihil relinquitur magistratuum arbitrio, quum contra, si vel nullum ius scriptum exstat, vel semel ab illo discessum est, *omnia sint incerta, nemoque praestare possit, quale futurum sit id, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine*, ceu loquitur Cicero *ad diuers. lib. VIIII. epist.* 16. Et inde est, quod veteres res publicas liberas LEGVM; regna PRINCIPVM esse dicerent, quin *leges* pro ipsa acciperent libertate, et hinc *legibus reddita* ipsis videretur ciuitas, quae sese in pristinam libertatem adseruerat. Lucan. *Pharsal. lib. VI. v.* 300.

Felix, ac libera LEGVM
Roma fores, iurisque tui, vicisset in illo
Si tibi Sulla loco.

Quinctilian. *Declam. CCLXVI. poenitentia iuuenilis temeritatis rem publicam* LEGIBVS *ac populi potestati* REDDIDI. Claudian. *de consulat. Stilich. lib. I. v.* 331.

Romuleas LEGES *remeasse fatemur.*

Cuius modi loquutiones permultas collegit, adcurateque suo more interpretatus est, Io. Fridr. Gronou. *in Papin. Statii Silu. Diatr. I. cap. 2. pag.* 11. *seqq.* Iam ergo facile patet, cur prisci Romanorum reges, quamuis se illis ciuitas in seruitutem non addixisset, amplissimam tamen sibi sumserint potestatem, edictis, quae e re publica viderentur, suo arbitrio sanciendi. *Initio enim ciuitatis populus Romanus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituerat*, vti ait Pomponius *l. 2. §. 1. D. de orig. iur.* Non poterant ergo tum eorum arbitria non pro legibus esse, nec aliter ea communicare cum ciuibus licebat, quam propositis edictis, quae reddendi quotidiana regibus erat occasio, siue de rebus sacris deorumque cultu, siue de administrando bello, siue de aliis negotiis publicis priuatisque, edictis constituendi ea, quae legibus haud fuerant definita. Qua de re Dionys. Halicarn. *Antiquit. lib. X. cap. 1. pag.* 627. Οὔπω γὰρ τότε ἦν ὅτε ἰσονομία παρὰ Ῥωμαίοις, ὅτε ἰσηγορία, ὅτε ἐν γεγραφαῖς ἅπαντα τὰ δίκαια τεταγμένα, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀρχαῖον οἱ βασιλεῖς αὐτῶν ΕΤΑΤΤΟΝΤΟ τοῖς δεομένοις τὰς δίκας, καὶ τὸ δικαιωθὲν ὑπ' ἐκείνων, τοῦτο νόμος ἦν: *tunc enim nondum erat apud Romanos iuris libertatisque aequabilitas, sed olim eorum reges ius, si quando opus erat,* EDICTIS *constituebant, et, quod ab ipsis ita fuerat con-*

BIU Cujas

ſtitutum, id pro lege erat. Ita ego interpretor locum, quem vulgo de rerum iudicatarum auctoritate accipiunt, quum τάττεσθαι τὰς δίκας non ſit *lites ordinare*, ſed *iura conſtituere*, et τὸ δικασθὲν non *iudicatum*, ſed *ius conſtitutum* manifeſto ſignificet, et hoc modo omnia clara ſint ac perſpicua.

§. V.

Quid *manus regia, l. 2. §. 1. D. de orig. iur.*

Ex his vero, quae hactenus diſſeruimus, iam facile intelligitur, quid ſibi velit Pomponius, dum *initio ciuitatis omnia* MANV *a regibus* GVBERNATA *eſſe*, refert, *l. 2. §. 1. D. de orig. iur.* nec non Tacitus, qui *Annal. lib. III. cap. 26. Romulum Romanis, vt libitum, imperitaſſe*, ſcribit. Quidam haec de adductiſſimo nulliſque circumſcripto legibus imperio interpretantur, et hinc vel grandem dicam ſcribunt Pomponio, vel totam illam legem ſecundam de origine iuris νοθέσεως poſtulant, quod potiſſimum fecit vir eximius, Scipio Gentilis *in Diſſ. de principe Romano, §. 2.* non alia ratione in eam ſententiam adductus, quam quod penes reges Romanorum ſummum ac liberum rerum omnium arbitrium fuiſſe, neget Dionyſ. Halicarnaſſ. *Antiquit. Romanar. lib. II. cap. 7. ſeqq. et cap. 14.* Sed quid tunc fiet de Tacito, cuius verba multo facilius in hunc ſenſum detorqueri poſſent? Et vbi, quaeſo, regibus Romanorum tam impotentem dominatum vel Pomponius, vel Tacitus vindicauit? Neuter his locis, vt recte obſeruauit Corn. van Bynkersh. *Praetermiſſ. pag. 16. ſeqq.* de reipublicae Romanae forma egit, quam rem Pomponius, a §. 14. demum exſequitur, ſed de origine iuris ciuilis, qualiſque fuerit eius ſtatus, quum populus Romanus tum ſine lege certa, ſine iure ſcripto agere inſtituiſſet? Reſpondet Pomponius, tum *reges manu omnia gubernaſſe*, Tacitus, *eos fere, vt lubitum, imperitaſſe.* Vterque recte. Quemadmodum enim in ſocietate domeſtica, quae nullis certis legibus regitur, paterfamilias omnia manu regit, et pro libitu imperat, id eſt, praecipit iubetque, quid a familia fieri velit: ita idem euenire oportebat Romae, quum nondum iure certo regeretur ciuitas. Vere ergo *manus regia* ſunt edicta, quibus reges omnia gubernabant. His etiam *imperitabant fere, vt libitum erat*, non quaſi, quidquid liberet, licitum eſſe crediderint, ſed quia, deficiente lege, nullis adhuc limitibus coërcita

BIU Cujas

cita fuerit illa edicendi imperandique potestas, Vbi vero vi vel iure non prohibemur, ibi *naturalis est facultas eius quod cuique facere* LIBET. §. 1. *Inst. de iure person.*

§. VI.

Quibus positis, ne id quidem obscurum esse poterit, quomodo eiectis regibus eadem edicendi potestas peruenerit ad omnes, qui Romae honores gerebant. Penes reges initio et imperium in bellis, et curam sacrorum, et ius denique rogandi populum et ad patres referendi, quin et iuris dicundi potestatem fuisse, ex Liuio et Dionysio Halicarnass. satis constat: adeoque et de his omnibus eos edicta reddidisse, nemo dubitauerit. Iam sacrorum cura paullatim in pontifices, aliosque sacerdotes transcripta est ab ipsis regibus, adeo, vt iam Numa, teste Liuio, *Histor. lib. I. cap.* 20. *omnia publica priuataque sacra pontificis scitis subiecerit*, et pauciſſima supereſſent sacra publica, quae reges ipsi obibant, et quorum causſa, iis eiectis, creabatur *rex sacrificulus*. Liu. *lib. II. cap.* 2. Hinc fieri non poterat, quin iam sub ipsis regibus pontifices ius de sacris edicendi acciperent. Reliqua regum munia omnia, abrogato illis imperio, in consules transferebantur, adeoque hi non modo bella, sicut antea reges, gerebant, sed et populum rogabant, ad patres referebant, iurique dicundo praeerant, vt recte iudicet Liuius *lib. II. cap.* 21. *consulatu nihil ex regia potestate esse deminutum, sed omnia iura, omnia insignia primos consules tenuisse*: et hinc Dionysius *Antiquit. Rom. lib. X. cap.* 1. *pag.* 627. obseruet, consulibus, postquam regnari desierit, cum alias regum partes, tum iuris dicundi potestatem cessisse. Vere ergo tum consulatus erat *regiae maiestatis imperium*, vti illud Liuius vocat *lib. IIII. cap.* 2. et inter regnum et consulatum, si a nomine, numero, et imperii duratione discesseris, nullum fere discrimen intercedebat. Quum ergo tum, teste Pomponio, *leges regiae exoleuissent, et ciues iterum incerto magis iure et consuetudine agere coepissent, quam per latam legem: l.* 2. §. 3. *D. de orig. iur.* quid mirum, si consules, exemplo regum, *manu omnia gubernauerint*, id est, propositis edictis, quid fieri omittiue vellent, denunciarint? Eiectis itaque regibus duo in vrbe *honorati* erant, qui ederent: pontifices de rebus sacris, et consules de rebus bellicis, ciuilibus,

Regum munia postea varios magistratus et sacerdotes obiisse. Hinc ius edicendi, regibus olim proprium, ad omnes fere magistratus et sacerdotes esse deuolutum.

BIU Cujas

bus, et iure dicundo. Et ex illis quidem C. Papirius, ſtatim poſt regifugium ampliſſimum edictum propoſuit, ex quo deinde ius Papirianum natum: hi autem fere quotannis, quae e republica eſſent, praecipiebant, ceu ſequente capite oſtendemus. At vero ne conſulum quidem illa poteſtas perpetua fuit, maluitque populus eam, veluti in partes diſcerptam cum aliis magiſtratibus, a ſe creatis, communicare, quam nimiam his duobus attribuere potentiam. Hinc ius cenſum agendi, condendi luſtrum, diſciplinamque publicam cuſtodiendi CENSORIBVS; iuris dicundi poteſtatem PRAETORI; defenſionem plebis aduerſus patrum inſolentiam TRIBVNIS PLEBIS; curam aedium publicarum, ludorum, viarum, fori, et eorum omnium, quae ad decus vrbis pertinerent, AEDILIBVS CVRVLIBVS paullatim delegabat. Interdum etiam extra ordinem DECEMVIROS, TRIBVNOS MILITVM CONSVLARI POTESTATE, TRIVMVIROS rei publicae praeficiebat, vel in re trepida dici iubebat DICTATOREM, quem penes ſummum fere eſſet rerum omnium arbitrium. Vt iam praetermittam tot minores magiſtratus, qui paullatim, creſcente imperio, gliſcentibuſque negotiis publicis creari coeperunt. Plerique ergo horum magiſtratuum eadem poteſtate ſuam quiſque partem reipublicae adminiſtrabant, qua eam antea adminiſtrauerant conſules, ac proinde, deficiente iure ſcripto, licere ſibi exiſtimabant, *omnia manu gubernare*, id eſt, proponere edicta, tantiſper ſaltim, dum ipſi magiſtratu fungerentur, pro legibus in ciuitate valitura.

BIU Cujas

CAPVT IIII.

DE EDICTIS CONSVLVM, DICTATORUM, CENSORVM, TRIBVNORVM PLEBIS.

§. I. *Errare, qui solos praetores, procoss. et aediles edicta proposuisse statuunt.* §. II. *Etiam* CONSVLES *edicta proposuisse, et quidem non modo repentina,* §. III. *sed et ad perpetuam iuris dictionem pertinentia.* §. IIII. *Hos non modo, creatis praetoribus, sed et sub imperatoribus, iuris dictione aliqua esse gauisos.* §. V. *Edicta* DICTATORVM. *An vel a dictatoribus edicta nomen acceperint, vel dictatores ab edicendo dicti? An edictis suis ius nouum introduxerint?* §. VI. *Edicta* CENSORVM, *tum repentina, tum perpetua.* §. VII. *Haec etiam* LEGES CENSORIAS *dicta esse.* §. VIII. *Edicta* TRIBVNORVM PLEBIS. *Ex edictis suis hos etiam ius dixisse.* §. VIIII. *An praetores, scripturi edicta, semper in consilium adhibuerint tribunos plebis? Locus Ciceronis explicatus.* §. X. QVAESTORES *et* XXVIROS *edicta reddidisse non videri.* §. XI. *Contra eam potestatem sibi vsurpasse* DECEMVIROS, TRIBVNOS MILITVM COS. POTESTATE, *et* TRIVMVIROS.

§. I.

QVum iam porro de variorum magistratuum EDICTIS agendum sit, initio statim coarguendus erit vulgaris eorum error, qui praeter praetores, procoss. et aediles nullum alium magistratum edicta proposuisse censent. Quid? quod Iason *in l.* 1. *pr. D. de nou. oper. nunc. n.* 7. solos praetores olim edixisse statuit, ac edictum ideo definit, quod sit *lex, praetoris publico praeconio in albo descripta, aliquid mandans vetansue.* Nam quamuis ignorare non posset Iason, etiam procoss. et aediles reddidisse edicta: tamen et hos e praetorum numero fuisse, pro temporum illorum infelicitate, credebat, idque didicerat ex glossa, quae ad §. 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* perperam scribit, *praesides prouinciarum esse praetores, habentes sub se officiales totius territorii, vt sit potestas Florentiae,* itemque, *aediles quoque fuisse ex praetoribus.* Sed vti falsum est, aediles ex praetorum fuisse numero, et praesides prouinciarum omnes ex praeto-

Errare, qui solos praetores, procōsules, et aediles edicta proposuisse statuunt.

toribus sumtos: ita non minus ratio fugit eos, qui vel solum praetorem, vel praeter eum non nisi procoss. et aediles edixisse sibi persuadent. Fraudi fuit viris doctis, quod horum praecipue edicta in iure nostro celebrantur. Sed inde colligere non debebant, magistratibus reliquis id ius plane esse denegandum. Alia omnia enim discere potuissent ex *l.* 2. *§.* 10. *D. de orig. iur. l.* 52. *§.* 6. *D. de obl. et act.* ac in primis a Theophilo, qui in *Paraphr. §.* 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* diserte docet, edicta proposuisse τὲς ἄρχοντας, πόλλας μὲν καὶ διαφόρας, γενικῶ δὲ πάντας ὀνόματι κεκλημένας: MAGISTRATVS POPVLI ROMANI, *id est, magistratus, quorum multi et varii fuerint, et communi nomine vocati sint* MAGISTRATVS POPVLI ROMANI: postea vero, reddituros rationem, cur in eo paragrapho non nisi paucorum magistratuum edicta memorentur, statim addit: Καπξαίρετον δὲ τὸ νομοθετῆι δεδώκασι τῷ πραίτωρι τῷ Οὐρβανῷ, καὶ τῷ πραίτωρι τῶν Περεγρίνων καὶ τοῖς AEDILIBVS CVRVLIBVS: *praecipue autem iuris constituendi potestas data est praetori vrbano, praetori peregrino, et aedilibus curulibus.* Praeterea errantes in ordinem reuocare potuissent Franc. Hotomannus, Herm. Vulteius, Camillus Borellus, et Guil. Maranus, quorum hic *in Paratitl. pag.* 100. ille *de edict. magistr. lib. I. cap.* 17. §. 6. *seqq.* isti denique in *Commentariis ad d. §.* 7. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* diserte hanc edicendi potestatem magistratibus omnibus vindicarunt, quamuis in eo non adsentiar Marano, dum ipse quoque, Iustinianum omnes omnino magistratus PRAETORIS vocabulo comprehendisse, credidit. Vetus enim illa vocabuli notio, qua omnes magistratus a *praeeundo* PRAETORES dictos esse, nouimus ex Liu. *Histor. lib. VII. cap.* 3. et Festo in *praetor. port.* iam pridem ante Iustiniani tempora ita exoleuerat, vt non sit verosimile, vel Caium, vel Tribonianum, haec scribentes, de illa cogitasse. Et cur, quaeso, praetori ibi iunxissent aediles curules, si eo vocabulo omnes in vniuersum magistratus Romanos complecti voluissent?

§. II.

Etiam *consules* edicta proposuisse, et quidem non modo repentina,

Et primo quidem satis certum est, exactis regibus edicta proposuisse CONSVLES, et quemadmodum antea *edicta regia*, ita postea *consularia* summam in ciuitate auctoritatem esse consequuta. Eorum quaedam *extemporaria* erant ac *repentina*, quorum permulta iam collegit Barn. Brissonius *de form. lib. III. pag.* 279. quae-

BIU Cujas

quaedam ad ampliſſimam, quae initio iis competebat, *iuris dictionem* pertinebant. Praeterea in aliis eadem ſemper verba ſollemnia conſuetudinis ſeruandae cauſſa retinebant, in aliis nulli certae formulae vel conceptioni verborum ſeſe putabant adſtrictos. Prioris generis erat edictum, quo ſenatum vocabant, in quo coſſ. conſuetudinis ſeruandae cauſſa ſemper hac formula vtebantur: SENATORES QVIBVSQVE IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET. Vnde illud *tralatitium* vocat Gell. *Noct. Attic. lib. III. cap.* 18. quamuis formulam ipſam non ſemel mutatam eſſe, conſtet ex Liu. *lib. II. cap.* 1. *lib. XXIII. cap.* 32. et Feſto in *qui patres*, *qui conſcripti*, *pag.* 393. et in *ſenatores*, *pag.* 431. Poſterioris generis edicta fere innumera paſſim occurrunt. Aliis enim futura denunciabant comitia, Gell. *lib. XIII. cap.* 15. Liu. *lib. XXXV. cap.* 24. aliis SCta ſeſe exſequuturos pollicebantur, vti apud Liu. *lib. XXXVIIII. cap.* 17. aliis indicebant delectum. Liu. *lib. II. cap.* 24. Valer. Max. *lib. VI. cap.* 3. *ex.* 4. nautas in claſſem dandos imperabant, frumentaque intra certum diem in vrbes conuehi iubebant, Liu. *lib. XXII. cap.* 11. aliis eos, a quibus turbas aut tumultum metuebant, vrbe ac Italia ſubmouebant. Cic. *pro P. Sext. cap.* 13. vt iam praetermittam alia, veluti quibus aliquando collega collegae obnunciabat, quod Bibulum Caeſari feciſſe referunt Cicero *ad Attic. lib. II. epiſt.* 21. et Sueton. *Iul. cap.* 20.

§. III.

Enimuero praeter iſta repentina atque extemporaria quaedam et *perpetuae iuris dictionis cauſſa* in albo habebant conſules, de quibus Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. X. cap.* 1. *pag.* 627. Ὡς δὲ ἐπαύσαντο μοναρχέμενοι, τοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ὑπατεύσιν ἀνέκειτο τά τε ἄλλα τῶν βασιλέων ἔργα, καὶ ἡ τῶ δικαίᾳ διάγνωσις, καὶ τοῖς ἀμφισβητῶσι πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὁπωδήποτε ἐκεῖνοι τὰ δίκαια οἱ διαιρῶντες ἦσαν· τούτων δὲ τὰ μὲν πόλλα τοῖς ἐπιτρόποις τῶν ἀρχόντων ἀειςίνδην ὑποδεικνυμένοις ἀκόλυθα ἦν ἐπὶ τὰς ἀρχάς. Ita Dionyſius, cuius verba paullo obſcuriora hunc in modum reddidit interpres nouus: *ſed imperio regio ad annuum conſulum magiſtratum tranſlato, inter cetera regia officia iuris quoque cognitio ad eos tranſlata eſt, atque* ſed et ad perpetuam iuris dictionem pertinentia.

BIU Cujas

illi, lite inter litigatores quacumque de cauſſa orta, iura decidebant. Huius autem iuris magna pars erat penes ſummos magiſtratus, qui ex ordine optimatium creabantur, eoſque in ipſo magiſtratu ſequebantur. Quae quidem ſenſum Dionyſii paullo rectius exprimunt, quam verſio vetus, at nec ipſa tamen ſatis plana ac perſpicua videntur. Oſtendere enim voluit ſcriptor πολιτικώτατος, exactis regibus, iuris dicundi poteſtatem cum aliis regum praerogatiuis ad conſules tranſiiſſe, *conſtitutaque* ab iiſdem *iura* pleraque, tamquam tralatitia, ad ſucceſſores migraſſe. Id quod plane de edictis, ad perpetuam conſulum iuris dictionem pertinentibus, accipiendum eſt. Talia enim quotannis fere propoſuiſſe conſules, et inde patet, quod Dionyſius *Antiqu. lib. II. cap.* 28. *pag.* 97. inter ceteras cauſſas, cur de compilandis legibus XII. tabularum cogitarit populus, et hanc non poſtremam fuiſſe ait, ἵνα μὴ συμμεταπῴητη τὰ κοινὰ δίκαια τῆς τῶν ἀρχόντων ἐξουσίας, *ne ius commune mutaretur cum poteſtate magiſtratuum.* Atqui magiſtratus tum nulli erant, praeter conſules, adeoque hos, propoſitis edictis, non ſecus, ac poſtea praetores, permulta adiuuandi, ſupplendi, corrigendique iuris ciuilis gratia edixiſſe, nemo facile dubitauerit.

§. IIII.

Hos non modo, creatis praetoribus, ſed et ſub imperatoribus, iuris dictione aliqua eſſe gauiſos.

At haec quidem omnia ad illa pertinent rei publicae tempora, quibus nondum Romae praetor iuris dicundi cauſſa fuerat conſtitutus. Quid vero creato iam praetore? Immo quid ſub ipſis imperatoribus, quibus, (vt eleganter Tacitus *Annal. lib. I. cap.* 3.) *eadem magiſtratuum vocabula, nihil priſci et integri moris, omnibus, exuta aequalitate, iuſſa principum adſpectantibus*? Sane, quamuis creatis praetoribus permultum decederet iuris dictioni conſulum, multoque plus illa detrimenti paullatim caperet ſub principibus, quum et conſulatus, et ipſius praeturae luminibus praefecturae vrbana ac praetoriana magnopere officerent: non parum tamen alucinantur, qui praeter voluntariam iuris dictionem nihil omnino veteris poteſtatis conſulibus tunc ſuperfuiſſe exiſtimant. Errauit hunc errorem ipſe Guil. Maranus in *Paratitl. Dig. pag.* 134. idque eo magis ego miror, quo adcuratius ille alioquin ſubducere rationes ſolet. Nobis compertum eſt, et libera re publica, et ſub principatu con-

BIU Cujas

consulibus suam constitisse iuris dictionem, quamuis non omnino amplissimam. Si qui, libera adhuc re publica, praetoris iuris dictionem abrogatam volebant, ii adpellare solebant consules, eiusque rei insigne exemplum est apud Valer. Max. *Histor. lib. VII. cap. 7. ex. 6.* Sed et sub imperatoribus de caussis quibusdam iuris dictio erat penes consules et praetores simul, ita tamen, vt illi de maioribus summis, hi de minoribus cognoscerent: *l. 19. §. 1. D. de iuris dict. l. 27. D. de reb. auct. iud. possid.* id quod in fideicommissis potissimum fuisse obseruatum, ex Vlpiani *Fragm. tit. 24. §. 12.* et Quinctiliani *Instit. orat. lib. III. cap. 6.* pridem animaduerterunt Iac. Cuiac. *Obs. lib. XXI. cap. 34.* et Anton. Schulting. *in Iuris prud. vet. anteiustin. pag. 662.* Accedit, quod iudices arbitrosque etiam a consulibus datos colligi potest ex *l. 32. D. de iudic. l. 50. D. de condit. et demonst.* Quin et alia contentiosae iuris dictionis vestigia expressissima deprehendere licet in *l. 99. D. de verb. signif.* quae aeque, ac paullo ante laudatae ex VLPIANI *lib. I.* et *lib. III. de officio consulis*, quibus ex instituto explicata videtur consulum iuris dictio, decerptae sunt. Denique P. Iuuentius Celsus refert, patrem suum in consilio Ducennii Veri cos. fuisse, et quidem, quum cognosceretur de fideicommisso, quod Otacilius Catulus a liberto concubinae suae reliquerat, filia vero ideo praestare noluerat, quod libertus, viuo Otacilio, testatore, decessisset. *l. 29. pr. D. de legat. 2.* Non itaque omnem plane iuris dictionem, creatis praetoribus, amiserunt consules, neque sub imperatoribus ista potestate plane exciderunt: vt vix dubitandum videatur, quin et iisipsis temporibus edicta quaedam, ad iuris dictionem suam comparata, reddiderint. Quamuis enim illa parum celebritatis consequuta sint, ac proinde vix eorum mentionem factam esse ab auctoribus, fateamur: exstat tamen locus insignis Dionis Cassii *lib. LV. pag. 552.* ex quo patet, Augustum coss. potestatem edicta sub initium magistratuum proponendi restituisse. En verba: Τὸν δ' ἓν Τιβέριον ἐς τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἀρχὴν ἀντὶ τοῦ Δρούσου προσαγαγών, τῇ δὲ ἐπιλήσει ἐκείνῳ ἐγαύρωσε, καὶ ὕπατον αὖθις ἀπέδειξε· γράμματά τε κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος, καὶ πρὶν ἐς τὴν ἀρχὴν ἐσελθεῖν ἐκθεῖναι πρὸς τὸ κοινὸν ἐποίησε: *ceterum Tiberium ad imperatorum munus prouehens, imperatorio ob id nomine decoratum consulem iterum*

rum fecit, iussitque eum, more antiquitus recepto, antequam magistratum iniret, LITTERAS *publice* PROPONERE. En *litteras sub initium magistratus publice propositas*, quae nihil aliud sunt, quam EDICTA. En testimonium, id Tiberio concessum esse, non tamquam nouum quid, sed κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος, *secundum morem maiorum.* Vt vel ex hoc vnico testimonio intelligamus, et antiquitus edicta iuris dictionis perpetuae caussa proposuisse consules, et eum morem ne sub imperatoribus quidem plane exoleuisse.

§. V.

Edicta *dictatorum.*

An vel a dictatoribus edicta nomen acceperint, vel dictatores ab edicendo dicti.

A consulibus ad DICTATORES progredimur, qui extra ordinem aliquando, rebus trepidis, dici solebant, institutio sane plerumque saluberrimo. Hi vero, quum rei publicae propemodum cum potestate regia praeessent, et in eo priscos imitabantur reges, quod manu omnia regerent, propositis edictis, quae, teste Liuio *Histor. lib. VIII. cap.* 34. *pro numine olim obseruata sunt.* Quin adeo veluti proprium dictatoribus erat, reddere edicta, vt alii *edicta* a *dictatoribus*, alii hos ab *edictis* nomen tulisse, statuerint. Priorem sententiam amplexus videtur Isid. Hispal. *Orig. lib. VIIII. cap.* 3. *dicti*, inquit, DICTATORES, *quasi principes et praeceptores, vnde et magistri populi nominantur: vnde et* EDICTA *dicuntur.* Contra Dionysius *Antiquit. Roman. lib. V. cap.* 82. *pag.* 336. posteriori suffragatur, dictatoremque adpellatum scribit διὰ τὴν ἐξουσίαν τῶ κελεύειν καὶ διατάττειν, ὅ, τι θέλῃ τὰ τε δίκαια, καὶ τὰ καλὰ τοῖς ἄλλοις, ὡς ἂν αὐτῷ δοκῇ, *a potestate edicendi iubendique arbitrio suo, quidquid vellet, et quod aequum et bonum videretur.* Id quod et Plutarchum velle existimo, dum *in Marcello, pag.* 312. dictatorem ita dictum scribit, διὰ τὸ μὴ πεῤῥιδένας ψῆφον ἢ χειροτονίαν, ἀλλ' ἀφ' αὑτῶ τὰ δόξαντα προστάττειν, *quod neque ex SC. neque ex plebiscito, verum ex sua sententia, quae visum esset,* EDICERE *soleat.* Quamuis vero neutra vocabuli origo magis vera videtur, quam illa a Varrone *de lingua Lat. IIII. cap.* 14. tradita, puta quod dictator vocatus sit, *quasi qui a consule* DICERETVR, *et cui* DICTO *audientes essent omnes*, et ipsa potius nominis forma argumento sit, a DICTANDO nomen esse inditum dictatoribus ipsa tamen certa est, puta sollemne dictatoribus fuisse, edicere,

An edictis suis ius nouum introduxerint?

cere, quae e re publica viderentur. Ita exempli gratia M. Valerius, dictator, tumultuantes ob creditorum saeuitiam ciues edicto ad sanitatem reuocauit apud Liuium *lib. II. cap.* 30. Ita L. Furius, dictator, edicto indixit iustitium, Liu. *lib. VII. cap.* 28. L. vero Sulla inimicos et opulentissimum quemque *crudelissimis edictis*, vti Florus *lib. III. cap.* 21. vocat, proscripsit: quemadmodum, dissimilis moribus, Iulius Caesar, populis sociisque, bene de se meritis, scriptis perhonorifice edictis eximia priuilegia concessit, Ioseph. *Antiqu. Iud. lib. XIIII. cap.* 17. vt alia dictatorum edicta, quorum permulta apud Liuium, aliosque veteres memorantur, praetermittam. Ceterum quum breue atque extraordinarium esset hoc dictatorum imperium: facile est ad existimandum, edicta quoque eorum non nisi repentina ac temporaria fuisse, neque ad noua iura constituenda, veteraque corrigenda supplendaue, pertinuisse. *Dictatores*, inquit Ant. Schulting. Πρώτ. *lib. I. tit. 2. §. 10. pag. 33. nouum ius iubere potuisse, nondum hactenus probatum est: immo dictatores leges tulere, adeoque Quirites rogarunt, an eas vellent et iuberent: quin et tribunos plebis ob dictatores magistratu non abiisse, docent Polyb. Histor. lib. III. pag.* 331. *et Plutarch. Quaest. Rom. pag.* 283.

§. VI.

Proxima consulari potestas Romae erat CENSORVM, qui quamuis proprie iuri dicundo haud vacarent, multis tamen aliis negotiis grauissimis distringebantur. Nam et censui agendo, recondendoque lustro, et seruandae emendandaeque disciplinae, et locandis agris operibusque publicis praeerant. Quae pleraque fere non facilius, quam propositis edictis explicabantur. Eorum etiam alia *subitaria* ac *repentina*, alia *perpetua* fuisse animaduerto. Prioris certe generis fuere illa C. Claudii Pulcri et Tib. Sempronii Gracchi censorum, delectum edictis seueriss. adiuuantium, apud Liu. *Histor. lib. XXXXIII. cap.* 16. itemque Cn. Domitii et L. Licinii Crassi, rhetores Latinos vrbe exesse iubentium apud Sueton. *de clar. rhetor. cap.* 1. et Gell. *Noct. Att. lib. XV. cap.* 11. ac denique vicena illa perridicula, quae, susceptа morum praefectura, vno die Claudium imp. proposuisse refert Sueton. *Claud. cap.* 16. At multo notabilius est edictum CENSORIVM PERPETVVM, quod omnia, quae custo-

Edicta *censorum* tum repentina tum perpetua.

BIU Cujas

custodiendae disciplinae, coërcendaeque luxuriae caussa vmquam sanxerant censores, complectebatur, et cui succesſores, gliscentibus subinde vitiis, noua quaedam capita adstruxisse legimus: vt et hoc, prout singulis lustris proponebatur, partim TRALATITIVM, partim NOVVM fuerit. Exstat ea de re locus insignis Cornelii Nepotis *in vita Caton. cap.* 1. qui de seuera viri illius sanctissimi censura exponens: *Cato*, inquit, *censor cum eodem Flacco factus, seuere praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animaduertit, et multas res nouas in* EDICTVM *addidit, quare luxuria reprimeretur, quae iam tum coeperat pullulare.* Habes itaque hic edictum censorium, ad emendationem morum, luxuriamque reprimendam comparatum, et tale quidem, quod non tantum ad posteros valuit, sed et nouis quibusdam additamentis subinde augebatur. Et sane insignia quaedam illius censorii edicti fragmenta, quae P. Licinius Crassus et L. Iulius Caesar illi addiderant, etiamnum supersunt apud Plinium. Is enim *Hist. nat. lib. XIII. cap.* 13. et *lib. XIIII. cap.* 14. seruauit edicta: NE QVIS VNGVENTA EXOTICA, NEVE VINVM GRAECVM AMINEVMQVE OCTONIS ASSIBVS AERIS IN SINGVLA QVADRANTALIA VENDERET. Et alibi a censoribus cautum esse testatur, VT GLANDIA ET GLIRES COENIS ADIMERENTVR. Vide *Hist. nat. lib. XIIII. cap.* 14. *lib. VIII. cap.* 57. et *lib. XXVI. cap.* 1. de gliribus vero siluestribus, qui in deliciis fuere veteribus, praeter Apicium *lib. VIII. cap.* 57. et Nonnium *de re culin. lib. II. cap.* 2. confer viros doctos ad Petron. *Satyr. cap.* 31. Quum enim, vt est ingeniosa omnis voluptas, noua gulae irritamenta quotidie reperirentur: quotidiana etiam occasio erat censoribus, locupletandi edictum suum, et vincula iniiciendi luxuriae, in dedecus publicum magis magisque pullulanti.

§. VII.

Haec etiam *leges censorias* dicta esse.

Ceterum ex iisdem Plinii locis patet, etiam LEGIS CENSORIAE nomine venisse edictum istud censorium. Eo enim vocabulo diserte istud adpellatur *lib. XXXVI. cap.* 1. Id quod vel ideo monere visum est, quod viris quibusdam doctis ea dumtaxat edicta, quae de locationibus vectigalium operumque publicorum proponi solebant a censoribus, LEGES CENSORIAS dicta, videntur. Qua in re manifestus eorum error est. Tametsi enim fatendum sit, repentina etiam illa censorum edicta, eo vocabulo de-

BIU Cujas

designari a Cicerone *de Consul. prouinc. cap.* 5. et *de nat. deor. lib. III. cap.* 19. Varrone *de re rust. lib. II. cap.* 1. Festo in: *producit, pag.* 381. Alfeno Varo in *l.* 203. *D. de verb. sign.* ipsoque Plinio *Hist. nat. lib. XXXIII. cap.* 4. idque recte obseruarunt viri docti, Guil. Forner. *Selection. lib. I. cap.* 25. et Gundlingius *in Gundlingian. part. XVI. diss. I. §.* 26. non tamen inde colligi oportebat, ad perpetuum illud edictum censorium hanc adpellationem non pertinuisse. Quum enim Cicero *in Verrem I. cap.* 42. edictum a praetore quotannis propositum LEGEM *annuam* vocare non dubitarit: quid, quaeso, prohibuerit, quo minus edictum etiam censorium vocarint LEGEM CENSORIAM? Sed quis alia a nobis flagitet argumenta, quum vel solus Plinii locus rem conficere videatur?

§. VIII.

Edicta *tribunorum plebis.* Ex edictis suis hos etiam ius dixisse.

Amplissimam porro et TRIBVNORVM PLEBIS fuisse potestatem, nemo ignorat. Hinc nec dubitari potest, quin innumera eorum edicta quotidie prostiterint, sed extemporaria illa plerasque ac repentina. Quemadmodum enim in certaminibus tribuniciis vox eorumdem ex rostris quotidie exaudiebatur, ibique veluti quoddam regnum erat tribunicium, quoties plebem concionibus suis agitabant: ita et quotidie erat occasio, proponendi edicta, si quid a senatu plebeue fieri vellent. Hinc edicto eos iussisse legimus, vt senatus ante certum diem adesset: Cic. *ad diuers. lib. XI. epist.* 6. vt consules senatui dicto essent audientes interminatos, si aduersus consensum amplissimi ordinis vltra tenderent, in vincula se eos duci iussuros, Liu. *lib. IIII. cap.* 26. ne quisquam magistratuum munere suo fungeretur prius, quam lex, quam ipsi rogarint, perlata esset, Plutarch. *Tib. Gracch. pag.* 829. ne coss. socios Latinumque nomen Roma submouerent, pollicitos simul, se iis auxilio futuros. Plut. *in C. Gracch. pag.* 840. Sed talia passim apud Liuium aliosque veteres memorantur. Magis vero iam operae pretium fuerit, obseruasse, quod, quum tribunis plebis etiam iuris dicundi potestas non plane nulla esset, maxime si a ciuibus, qui se iniquo iudicio oppressos existimabant, adpellarentur, ii procul dubio et perpetuae istius iuris dictionis suae caussa edicta, ex quibus deinde ius dicerent, exemplo praetorum proposuisse videantur. Tale certe, nisi me omnia fallunt, fuit illud, quod, teste Cicerone *Verr. II. cap.* 41. tribuni plebis proposuerunt: NE CVI LICERET

RET ROMAE ESSE, QVI REI CAPITALIS DAMNATVS ESSET. Ex eo enim edicto ius postea dicebant, quumque Sthenius quidam, passus sententiam, Romam aduersus edictum venisse diceretur, accusatumque eo nomine defenderet Cicero: de collegii sententia pronunciabant tribuni plebis: NON VIDERI STHENIVM IMPEDIRI EDICTO, QVO MINVS EI LICERET ROMAE ESSE.

§. VIIII.

An praetores, scripturi edicta, semper in consilium adhibuerint tribunos plebis? Locus Ciceronis explicatus.

Ad alia licet properantibus, non tamen praetereunda nobis videtur quaestio, an etiam praetorem, scripturum edictum adiuuerint tribuni plebis? Hoc enim adfirmare video virum doctissimum, qui nuper nescio quas *praetoris Romani vindicias* scripsit, simulque inde duxisse argumentum, quo probaret, praetorem, si vel maxime voluisset, iura ciuilia euertere edictis suis non potuisse. Vid. Cortii *Vindic. praet. Rom. §. 6. p. 7. seqq.* Res omnis redit ad locum Ciceronis *de offic. lib. III. cap.* 20. quem ipsi adduxeramus *Antiqu. Rom. lib. I. tit. 2. §. 23. not. n.* vbi Cicero: *ne noster quidem*, inquit, *Gratidianus officio boni viri functus est tum, quum praetor esset, collegiumque praetorum tribuni plebis adhibuissent, vt res nummaria de communi sententia constitueretur. Iactabatur enim temporibus illis nummus sic, vt nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt* COMMVNITER *edictum cum poena atque iudicio, constituerantque, vt omnes simul in rostra post meridiem descenderent. Et ceteri quidem alius alio. Marius e subselliis in rostra recta, idque, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit. Omnibus vicit statuae, ad eas tus et cerei. Quid multa? Nemo vmquam multitudini fuit carior.* Haec Cicero, cuius ex verbis recte colligitur, aliquando de vtriusque collegii, praetorii puta ac tribunicii, sententia communi edicta composita fuisse, non autem tribunos plebis a praetoribus, edicta de iuris dictione sua condituris, adhibitos fuisse in consilium, neque his quidquam statuere licuisse illis insciis atque imprudentibus. Nam quod ad illud Marii Gratidiani facinus attinet, non tam tribuni plebis a praetoribus, quam hi ab illis, fuerant adhibiti. Deinde tum non agebatur de edicto, ad iuris dictionem perpetuam pertinente, sed de repentino et peculiari, quod rei nummariae ratio, eo tempore perturbatissima, flagitabat. Praeterea rem illam ideo de communi vtriusque collegii sententia videbatur

consti-

BIU Cujas

constitui oportere, quia et tribunorum plebis erat, dare operam, ne quid inde plebs detrimenti caperet, et praetorum, laesis inde iudicium dare. Edictum enim conscribendum visum *cum poena et iudicio*; et tales actiones poenales a praetore, non a tribunis plebis proponi solebant. Quae etiam ratio est, cur non vnum alterumue ex praetorum collegio, sed praetores omnes consilio illi interesse voluerint tribuni. Nam nummus eiusque vsus communis cum peregrinis est ciuibus, adeoque et vrbani et peregrini praetoris tribunalia eius modi querelis personabant. Quumque malum istud gliscens in ciuitate, variisque implicitum fraudibus, non modo priuatis, sed et publicis iudiciis coërcendum videretur: nihil iustius profecto erat, quam vt et praetores reliqui, quibus quaestiones, maxime ex lege Cornelia de falsis sortito obuenerant, adhiberentur. Quis ergo ex illo vno edicto, de re nummaria, ad vtriusque collegii curationem quodammodo pertinente, communiter conscripto, colligat, praetores de sua quoque iuris dictione reddituros edicta, consilia communicare cum collegio tribunicio debuisse? Et qui fieri denique potuisset, vt M. Marius Gratidianus conscripti tam prudenter edicti laudem non modo collegis, sed et tribunis plebis interuerteret, si iam populo Romano notum perspectumue fuisset, praetorem nihil edicere posse, nisi de tribunorum plebis sententia? Quae quum ita sint, verissimum quidem est, praetores tribunosque plebis aliquando communiter edicta composuisse de rebus, ad vtriusque collegii curationem potestatemque pertinentibus: at nihil alterutros sine alterius collegii consilio ac sententia edicere potuisse, id vero nec ex illo Ciceronis loco, nec vllo alio idoneo testimonio argumentoue demonstrari posse arbitramur.

§. X.

Quaestores et xxuiros edicta reddidisse non videri.

De QVAESTORVM et XXVIRORVM edictis quod dicam, me vix habere fateor. Quamuis enim quaestoribus non defuisse videatur occasio, de praeda venumdanda, vectigalibus et tributis colligendis, administratione aerarii, similibusque rebus, eorum curae demandatis, edicta reddendi, et tale quid feciisse videri possit M. Cato Vticensis, cuius seueram quaesturam emendatamque totius aerarii administrationem maxime collaudat Plutarch. *in Cat. min. pag.* 766. nescio tamen, an vllius edicti quaestorii proferri possit exemplum, quod libera adhuc republi-

BIU Cujas

ca prodierit. Sub imperatoribus inualuerat, vt QVAESTORES PRO PRAETORIBVS Siciliae, Galliae Narbonenſi, aliiſque prouinciis praeeſſent, ceu ex marmoribus Gruterianis *pag.* 466. 3. 437. 6. 494. 8. 481. 1. 303. 1. et 388. 5. demonſtrauit Ez. Spanhemius *de vſu et praeſt. numiſm. diſſ. X. pag.* 161. *tom.* II. Hos vero edicta prouincialia, aliorum praeſidum exemplo, propoſuiſſe, vix dubitare licet. At quaeſtorum vrbanorum alia erat ratio, eoſque vix quidquam, niſi iuſſu ſenatus ac coſſ. et dictatorum, nec non cenſorum auctoritate ac imperio egiſſe, veroſimile eſt. Multo minus, ergo edicta magiſtratuum, qui XXVIRORVM vocabulo comprehendebantur, vſquam exſtare, obſeruauimus. Quin dubitare licet, an ea vmquam exſtiterint, quia de rebus, ad eorum curationem pertinentibus, libera adhuc re publica praetores ac aediles, et poſtremis temporibus ipſos principes edixiſſe, argumento eſſe poſſunt edicta vialia, adcuratiſſima induſtria expoſita ab Eu. Ottone *de tutel. viar. publ. tota parte III.* Accedit, quod quum iſte XXuiratus veluti primum eſſet honorum tirocinium, adeoque illuſtres adoleſcentes fere iſtis honoribus fungerentur, illi omnes vix ea auctoritate praefuiſſe videantur, vt ipſi propoſitis edictis iura conſtituere auderent, ſed potius in eo vnice elaborarint, vt leges, ſuperiorumque magiſtratuum edicta, ſolerter exſequerentur. Saltim tutiſſimum hic fuerit ἐπέχειν, remque parum exploratam relinquere in medio, donec certiora in partem alterutram doceamur.

§. XI.

Contra eam poteſtatem ſibi vſurpaſſe decemuiros, tribunos militum conſulari poteſtate, et triumuiros conſtituendae reipublicae.

Magis pro certo adfirmari poſſe crediderim, edicta propoſuiſſe DECEMVIROS, LEGVM FERENDARVM CAVSSA CREATOS, TRIBVNOS MILITVM CONSVLARI POTESTATE, et TRIVMVIROS CONSTITVENDAE REI PVBLICAE. Quum enim hi aliquando primum in re publica locum extra ordinem tenuerint, et vel loco conſulum fuerint, vel ſuperius conſulatu adfectarint imperium: quis dubitaret, quin iidem iure ſuo vſi, edicta varia reddiderint, prout conſules feciſſe vidimus? Decemuiros Liuius *lib. III. cap.* 34. primo ſtatim iſtius magiſtratus ſui anno, *ingenti hominum exſpectatione decem tabulas propoſuiſſe*, refert, quae deinde centuriatis comitiis fuerint perlatae. Atqui promulgatio legum fieri ſolebat, propoſito edicto, quo, ante quem diem comitia eſſent futura, denunciabatur, ex quo edicto ſollemnem formulam

NE

NE QVIS MAGISTRATVS MINOR DE CAELO SERVASSE VELIT, profert Gell. *Noct. Att. lib. XIII. cap.* 15. Eosdem decemuiros Liuius *lib. III. cap.* 38. Senatores omnes ruri absentes *acciri iussisse, senatumque in diem posterum* EDIXISSE, scribit. Quod ad tribunos militum consulari potestate attinet, quamuis et horum edicta rarius apud Liuium aliosque veteres memorentur, eos tamen constat habuisse delectus, comitia indixisse, aliaque obiisse consulum officia, quae rite sine edictis vix poterant explicari. Denique triumuirorum rei publicae constituendae edictum sane non vnum ipsi supra ex Iosepho et Appiano attulimus, et, si alia exempla non exstarent, vel solae istae ferales proscriptionis tabulae, quas non sine horrore Roma adspexit, argumento esse possent luculentissimo, edicta eorum non dicam leges correxisse, sed plane pro legibus fuisse, neminemque hiscere ausum esse contra tricipitem istam et fatalem Romanorum libertati tyrannidem.

CAPVT V.

DE EDICTIS PRAEFECTORIIS.

§. I. *Transitio ad magistratus sub principatu inuentos.* PRAEFECTORVM PRAETORIO, VRBI, *et* AERARIO *potentia et dignitas.* §. II. *Edicta* PRAEFECTORVM PRAETORIO. §. III. *Quid τύποι γενικοὶ, formae generales, ἐπαρχικῶν libri?* §. IIII. *Quamdiu illi edicta noua proponere consueuerint?* §. V. *Edixisse etiam* PRAEFECTOS VRBI. §. VI. *Elegans edictum L. Turcii Aproniani, praefecti vrbis, de venditione carnium.* §. VII. *Variae ad illud obseruationes. Quid* MICARE? *quid* SVB EXAGIO VENDERE? *quid* SEVVM *et* SVBIVGVLARE? *Officia praefecti vrbi.* §. VIII. *Alterum Turcii Aproniani edictum de suariis et ordinibus, qui suariam faciunt. Quid* TITVLVS CANONIS VINARII. §. VIIII. *Edicta* PRAEFECTI ANNONAE. *An* PATRICII *etiam edixerint? Quid ῥωμαϊκὰ τῷ μαγίστρῳ λεγόμενα apud Harmenopulum?* §. X. *Edicta* PRAEFECTORVM AERARII. *Quid* PENDERE SVB EDICTO?

BIU Cujas

§. I.

Transitio ad magistratus sub principatu inuentos.

PRoximum iam esset, vt de praetorum atque aedilium edictis ageremus, nisi sub imperatoribus noua quaedam nata essent magistratuum vocabula, vel ignota libera adhuc re publica, vel in alia plane notione accepta. Hi noui magistratus, quum non modo praeturae, sed omnium reliquorum honorum luminibus vel maxime offecerint, hic non omnino videntur praetermittendi. Inter illos primo fere loco fuerunt PRAEFECTI PRAETORIO,

Praefectorum praetorio, vrbi, et *aerario* potentia et dignitas.

quorum potestas, initio tantum militaris, in tantum paullatim excreuit, vt Zosimus *Hist. lib. II. cap.* 32. eam τὴν ἀρχὴν δευτέραν μετὰ τὰ σκῆπτρα, *magistratum ab augusta dignitate secundum*; Herodianus vero *Histor. lib. V. cap.* 1. φράξιν ὃ πολύ τι ἐξουσίας καὶ δυνάμεως βασιλικῆς ἀπεδέησαν, *potestatem, quae non multum absit a principatu*, Socrates denique *Hist. eccles. lib. II. cap.* 16. μείζονα ἄλλων τῶν ἀρχόντων ἐξουσίαν, δευτέραν δὲ μετὰ βασιλέα, *maiorem ceteris magistratibus potestatem, et secundam ab imperatore*, adpellare non dubitarint. Nec minus PRAEFECTORVM VRBI potestas multum paullatim cepit incrementi, quum imperatores illis non tantum omnem vrbis curam, et pleraque, quae antea ad aedilium curulium curationem pertinuerant, sed et ius gladii, magnamque iuris dictionis praetoriae partem in vrbe ac intra centesimum ab ea lapidem concederent. Par praeterea urbanae huius ac praefectorianae praefecturae erat dignitas, quin in senatu primus praefecto vrbi locus, ceu praeclare docuit Philipp. Berterius *Pithan. diatrib. I. cap. 3. pag.* 811. *tom. IIII. Thesaur. jur. ciu.* Is enim solus, ut de se ait Rutilius Numat. *Itiner. lib. I. v.* 157. *regebat iura Quirini.* Is solus erat, *ad quem*, teste Symmacho *lib. X. epist.* 30. *ciuilium rerum summa pertinebat*,

Quique caput rerum, Romam, populumque, patresque,
Tantum non PRIMO *rexit sub* NOMINE :

Vt in *Mosella* cecinit Ausonius *v.* 409. Denique et in AERARII PRAEFECTOS omnis aerarii fiscique cura paullatim translata est, vt quaestoribus, quorum antea haec erat administratio, praeturibusque, quos quaestoribus antea surrogarant principes, praeter nudum dignitatis vocabulum vix quidquam superesset. Quum itaque non alio consilio noui isti magistratus creati essent a principibus, quam vt veterum auctoritas ac potentia tanto magis euilesceret : illis cum aliae praerogatiuae, tum in primis ius reddendi edicta datum est, vt iura vetera ad statum monarchi-

cum

BIU Cujas

cum tanto facilius inflecterent, et ciues, quibus atrocior insideret priscae libertatis memoria, cogerent in ordinem, obsequioque, quale desiderat regnum, sensim adsuefacerent. De his vero edictis praefectoriis iam paucis erit exponendum.

§. II.

Edicta praefectorum praetorio.

Et primo quidem ad PRAEFECTOS PRAETORIO quod attinet, tam ampla atque illustris eorum erat iurisdictio, vt fere non alii, quam iurisconsulti eximii, ad istud fastigium eueherentur. Quare eo minus videtur dubitandum, quin varia proposuerint edicta, non repentina tantum atque extemporaria, sed et alia ad perpetuam iurisdictionem comparata, ceu iam recte obseruauit Eu. Otto *in Papiniano*, *cap.* 14. §. 4. Probari id potest luculento Alexandri Seueri imp. testimonio, quod exstat in *l.* 2. *C. de offic. praef. praet. orient. et Illyrici* : FORMAM, *a praefecto praetorio datam, etsi* GENERALIS *sit, minime legibus vel constitutionibus contraria, si nihil ex auctoritate mea innouatum est, seruari aequum est.* FORMAM enim GENERALEM, (pro qua Accursius in codicibus quibusdam parum emendatis *normam generalem* inuenerat), nihil aliud esse, quam edictum, paullo post demonstrabimus. Quemadmodum itaque edictum praetorium erat forma iurisdictionis, in foris aliorum magistratuum : ita et sedi praefectorianae sua erat forma generalis, id est, edictum, iuris dictionis praefectorianae caussa propositum, ad cuius normam ius dicebatur ab iis, qui vice principis iudicabant. Neque tamen et repentina deerant praefectorum praetorio edicta, maxime, quum, quidquid paene constituerent imperatores, id deinde praefecti praetorio edictis suis publicarent, seque illud exsequuturos minarentur. Vnde frequentes in constitutionibus principum formulae, quibus praefectis praetorio negotium dant, vt constitutiones suas *omnibus iudicibus prouinciarum intiment*, *l. vlt. C. Th. de itin. mun. proposito programmate celeberrimis in locis anteferant*, *l.* 37. *C. Th. de haeret. edictis propositis diuulgent*, *faciantque*, *vt ad omnium notitiam peruenirent*, *l.* 26. *C. Th. de cohort. l. vlt. C. Th. de decurion. et silent.* eas denique *praelata oraculi auctoritate firment*, *l. vn. C. Th. si per obrept.* de quibus videndus Iac. Gothofred. *in Comment. ad Cod. Th. tom. I. pag.* 3. qui et in *Notit. dignit. pag.* 317. *tom. V.* huc refert formulas et subscriptiones : *data epistola praefecto, cui haec sacra fuerat antelata*, *l.* 6. *C. Th. de cohort. missa a praefecto praetorio*, *l.* 3. *C. Th. ne quid publ. data epistola P. P. l.* 8. *C. Th.*

BIU Cujas

Th. de numerariis. Sed vt exemplo res fiat clarior, exstant apud Baronium *ad ann.* 418. *n.* 18. *et* 20. acta quaedam aduersus Pelagium et Caelestium, haereticos, quae ex tribus codicibus MSC. multo emendatiora edidit Steph. Baluzius sub finem *Notar. ad Saluianum et Vincent. Lirinensem*, *pag.* 374. In illis primum occurrit Honorii et Theodosii augg. rescriptum ad Palladium, praefectum praetorio, *datum prid. Kalendas Maias Rauennae DD. NN. Honorio XII. et Theodosio VIII. augg. consulibus*, quo capita dogmatis exsecrandi, Caelestium ac Pelagium, vrbe expelli, sectatores vero eorumdem ad tribunalia pertrahi, ac deportatione puniri iubent. Quum vero adiecissent principes: *iuuat autem per omne paene imperium nostrum, qua mundus extenditur, huius modi promulgata diffundi: ne scientiae forte dissimulatio pastum praestet errori, atque impune se quisque putet audere, quod condemnatum vigore publico sese finxerit ignorare:* Palladius, praefectus praetorio, vna cum collegis in continenti hoc edictum proposuit: *Iunius Quartus Palladius, Monaxius et Agricola, item praefecti praetorio dixerunt*, lege *edixerunt*,) *contra Pelagium atque Caelestium, catholici dogmatis fidem, nefandis tractatibus destruentes, sententia principis inualuit, vt venerabili vrbe summoti, bonorum concilio mulctarentur. Hoc ergo omnes admoneri oportet* EDICTO, *ne quis sinistrae persuasionis erroribus credulum praestet adsensum. Et si ille sit plebeius ac clericus, qui in caliginis huius obscoena reciderit, a quocumque tractus ad iudicem, sine accusatricis discretione personae, facultatum publicatione nudatus, irreuocabili patietur exsilium. Nam superna maiestas, vt non colligit exsecrandam ignorationem, ita ineptae disputationis reiicit iniuriam.* PROPOSITVM EXEMPLVM EDICTI. Hactenus edictum praefectorium, quo principum constitutionem publicauit Palladius. Nec tamen aliae quoque occasiones deesse potuerunt praefectis praetorio, edicta proponendi, exstantque talium exempla, quibus denunciabant, quos ex officio suo eiecerint, diuersisque iusserint inhaerere muneribus, *l.* 10. *C. Th. de diuers. offic.* quibus prouinciales iubebant conuenire, *l.* 7. *C. Th. de metall.* similiaque quam plurima.

§. III.

Quid τύποι γένικοι? Hactenus itaque satis, vt opinor, demonstrauimus, praefectos praetorio proposuisse edicta, et quidem non solum repentina ac peculiaria, verum etiam perpetua, quae vim legum obtinuisse,

BIU Cujas

tinuisse, obseruat etiam vir doctissimus, Phil. Bertierius *Pithan. diar. I. cap.* 8. *pag.* 837. Iam vero porro sciendum, posterioris generis edicta praefectoria vocari etiam τύπους seu FORMAS, itemque γενικὰς τύπους, seu FORMAS *generales*, *Nou.* 165. *in rubr. generales* FORMAS *sublimissimae sedis*, *l.* 16. *C. de iudic.* denique, (ne quis dubitet, formas edictaque esse συνώνυμα,) *generalia* EDICTA *sublimissimae praetorianae sedis. l.* 27. *C. de fideiuss.* Hae vero formae seu edicta, ad perpetuam praefectorum praet. iuris dictionem pertinentia, quae et condito iam edicto perpetuo, veluti sub Alexandro imp. permagnam obtinebant iuris auctoritatem, in certos codices colligi consueuisse, qui ΕΠΑΡΧΙΚΩΝ nomine venerint, iam obseruauit Iac. Cuiacius *Obs. lib. VI. cap.* 10. qui ibidem contendit, constitutionum principalium collectiones βασιλικὰ, magistrorum vel patriciorum edicta, in vnum congesta librum, ῥωμαϊκὰ inscribi solita. Qua de re tamen vltima huius capitis paragrapho dispiciemus. Et sane ex illis libris ἐπαρχικῶν quaedam passim citari videmus non modo a Constantino Harmenopulo in *prooemio Promtuarii* et *Lib. II. tit.* 25. §. 12. et Theodoro Balsamone *Nomocan. tit.* 8. *cap.* 13. verum etiam, (vt iam animaduertit Suaresius *in Notit. Basilic.* §. 24.) in libris βασιλικῶν. Et quid pluribus opus est verbis, quum in ipsum ius Iustinianeum, quaedam huius modi edicta praefectoria migrasse constet? *Nouellas* enim 165. et *tres insequentes* nihil aliud esse, quam γενικὰς ἤτοι ἐπαρχικὰς τύπους, et rubricae indicant, et pridem docuerunt Cuiac. *ad Nouell.* 165. *et seqq.* et Anton. Augustin. *Paratitl. Nouell. extr.* quorum ille simul monuit, in *Nou.* 167. pro Βύσσῳ τῷ ἐνδοξοτάτῳ ὑπάτῳ, legendum esse, Βύσσῳ τῷ ἐνδοξοτάτῳ ὑπαάρχῳ. Eo enim ὑπαάρχῳ vocabulo non modo praefectorum vicarios, sed et ipsos praefectos venisse, ostendit Philippus Berterius, et proprium hoc fuisse praefectorum praetorio elogium, vt ἐνδοξότατοι seu *glorioſi* vocarentur, me obseruare memini in *Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. lib. II. cap.* 2. §. 2. *pag.* 143.

§. IIII.

Quamdiu illi edicta noua proponere consueuerint?

Ceterum quum sub imperatoribus Christianis aliam veluti faciem induisset praefectura praetoriana, de qua videndus Zosim. *Histor. lib. II. cap.* 33. non abs re quaeritur, an et tum praefectis salua fuerit illa edicta reddendi potestas, et quamdiu ille mos in orbe Romano durarit? Ego hic discernenda puto orientale

BIU Cujas

et occidentale imperia, quorum vt diuersa fata, ita et non eadem praefecturarum vtrobique potentia fuit. In oriente saltim ad Iustiniani vsque tempora edicta ista maximam in foro auctoritatem obtinuerunt. Nam vt iam non dicam de edictis seu *formis generalibus*, quas inter Nouellas reperiri paullo ante obseruaui, ipse Iustinianus Iuliano, praefecto praetorio rescribit *l.* 16. *C. de iudic. apertissimi iuris est, licere litigatoribus iudices delegatos, antequam lis inchoetur, recusare, quum etiam ex* GENERALIBVS FORMIS *sublimissimae tuae sedis statutum sit, necessitatem imponi, iudice recusato, partibus ad eligendos arbitros venire, et sub audientia eorum sua iura proponere.* Et Ioanni P. P. in *l.* 27. *C. de fideiuss. si fideiussor nullam quidem cautionem faciat, ostendens, se fideiussorem exstitisse, praesentibus autem tabulariis hoc confessus est, quod in fide sua eum suscepit, dubitabatur a Palaestina aduocatione, vtrumne post duos menses liberetur, quasi sine scriptis fideiussione facta, secundum* GENERALIA EDICTA *sublimissimae praetorianae sedis, an, vtpote, scriptura interueniente teneatur?* At in occidente, Gothorum armis fere oppresso, superstite licet praefectorum praetorio dignitate, edicta praefectoria paullo citius abierant in desuetudinem, vel si qua supererant vetera et tralatitia, nihil certe noui illis adstruebatur a successoribus. Differte enim Cassiodorus *Var. lib. XI. epist.* 8. sub praefecturae suae auspicia ad prouinciales scribit: PRISCVS MOS *fuit*, NOVA IVRA *decernere, vt succedenti populo aliquid, quod omissum videbatur, adiungerent. Nunc autem sufficiens laus conscientiae est,* VETERA DECRETA *seruare. Erat ante genus hominum sub hac nouitate sollicitum, dum regulam vitae suae in aliena agnoscerent voluntate pendere. Modo vero vnusquisque nouit fixum, quod ab antiquissimis plenissime non dubitat constitutum. Sufficiunt ergo nobis iura, si non desit voluntas eximia.* Quorum verborum sensus est, non esse a se exspectandum edictum nouum, quale olim praefecti praetorio sub magistratus sui auspicia proponere consueuerint. Exoleuisse illum edicendi morem, nec locum in foro esse edictis nouis, quum iura antiqua edictaque tralatitia bonis ciuibus sufficere videantur.

§. V.

Edixisse etiam *praefectos vrbi.*

Progredimur ad PRAEFECTOS VRBI, quorum quam late patuerit iuris dictio, vel ex *titulo Digestorum de offic. praef. vrb.* intelligere est. Eam vero negotiorum causarumque varietatem nouas

nouas subinde sanctiones, nouaque edicta parere oportuit, cum repentina et subitaria, tum ad perpetuam iuris dictionem sedis vrbanae comparata. Eadem enim hic omnia sunt, ac in praefectis praetorio. Quemadmodum enim hi in dioecesibus suis, constitutiones principum propositis edictis promulgabant : ita idem Romae et in prouinciis suburbicariis faciebant praefecti vrbi, eorumque vicarii. Vnde formulae : *praelata litteris ad* P. V. *l.* 11. *C. Th. de metat.* P. P. *in programmate vicarii* V. R. *l.* 25. *C. Th. de annon. et tribut.* quas debemus Iac. Gothofredo, qui etiam *tom. I. Cod. Th. pag.* 4. obseruauit, publicationem illam constitutionum principalium factam Romae esse in locis celebrioribus, veluti in foro Traiani, in foro Aproniani, in foro suario, in atrio Mineruae, quo vel maxime homines siue mercatus, siue negotiorum ciuilium caussa, quotidie confluebant. Ne et hic desit edicti huius modi exemplum, dabimus illud ex actis iisdem, quae supra a Baronio et Baluzio edita diximus. Quum enim Constantius, pater Valentiniani iunioris, Pelagianos, et in primis Caelestium, eorum antesignanum, ex vrbe et regionibus suburbicariis exesse, rescripto iussisset : Volusianus, praefectus vrbi, rescriptum istud hoc edicto promulgauit : VOLVSIANVS, *praefectus vrbi, dixit :* (fortassis *edixit,*) *hactenus Celestium, diuinae fidei et quietis publicae turbatorem, iudiciis amica reis secreta subduxerunt. Iam leges etiam edicti persequentur absentem : cui, quod primum est, aeternae vrbis negatur habitatio, vt si vel in proximis fuerit diuersatus, debitum non euadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atque ausus sui cunctos huius* EDICTI *cautione praemonemus, ne quis iniquus noxio latebram putet esse praebendam, ne quum huiusmodi sit posita poena, supplicium ac stilum necesse sit proscriptionis incurrere, quisquis reum diuinis humanisque rebus apud se putauerit occultandum.* Huius modi caussae aliae innumerae emergere potuerunt, et reipsa emerserunt quotidie, ob quas edicta extra ordinem ab iis essent proponenda. Sed talia curiosius conquirere iam non vacat. Multo enim maioris momenti sunt edicta praefectorum vrbi, perpetuae iuris dictionis caussa reddita, quibus noua subinde iura constituebant, prauas proscribebant consuetudines, aliaque salutaria, quae ad vrbis aeternae decus pertinere viderentur, sanciebant, non minore profecto auctoritate, quam libera olim republica a summis magistratibus factum fuerat. Hinc

BIU Cujas

Ammianus Marcellin. *lib. XXVII. cap.* 9. Praetextati laudans praefecturam: *adoleſcebat*, inquit, *gloria praeclari rectoris, plura et vtilia* DISPONENTIS. *Namque et meniana ſuſtulit omnia, fabricari Romae priſcis vetita legibus, et diſcreuit ab aedibus ſacris priuatorum parietes, iiſdem inuerecunde connexos: ponderaque per regiones inſtituit vniuerſas, quum auiditati multorum, ex libidine trutinas componentium occurri nequiret.* Quod hic de parietum diſcretione, et ponderibus per regiones inſtitutis commemorat annalium ſcriptor, id ſaepius conſtitutum nouimus. Nam nec iura vetera permittebant operibus publicis muriſue ciuitatum, nedum templis quidquam coniungi, immittiue, *l.* 9. *D. de rer. diuiſ.* et poſtea legibus nouis Arcadii et collegarum aedificia priuatorum publicis operibus contigua deſtrui tolliique iuſſa ſunt. *l.* 9. *C. de aedific. priuat. l.* 16. *C. de oper. publ. l.* 4. *C. Th. eod.* vbi conſulendus Iac. Gothofr. *Tom. V. pag.* 281. Sed et pondera etiamnum ſuperſunt, praefectorum vrbi nominibus notata, veluti Q. Iunii Ruſtici, apud Gruter. *Inſcript. pag.* 222. 1. quemadmodum et multo vetuſtius, a D. Iunio, L. F. Silano et L. Lucretio L. F. Tricipitino, quaeſtoribus vrb. anno v. c. 640. ex SC. factum, ex Lucae Paeti ICti *lib. V. de pond. Rom. et Graec.* edidit Thom. Reineſ. *Inſcript. claſſ. II. n.* 56. *pag.* 281. At de moenianis locus hic eſt notatu dignior. Meniana vel moeniana, Herodiano *lib. VII. extr.* ξύλων ἐξοχαὶ, aliis, teſtantibus gloſſis, ἐξωσαὶ vel ἐξωσάειαι, ac denique in *l.* 39. *C. Th. de oper. publ.* παρεμπεπάσια dicta, a quo, et qua occaſione hoc nomen acceperint, ex Aſcon. Paediani *ſcholiis in Diuinat. cap.* 16. et Feſto in *Maeniana* ſatis notum eſt. Quum enim Maenius domum vendidiſſet Catone et Flacco coſſ. ſibique excepiſſet ius vnius columnae, ſuper quam tectum proiiceret prouolantibus tabulatis, vnde ipſe poſterique munus gladiatorium ſpectarent: hunc imitati alii, vel e lapide, vel e maceria, maeniana in porticibus aedificarunt, vel eadem foribus ac domibus adiecerunt, vnde proſpectus eſſet in vicos et plateas. Id vero non poterat non moleſtiſſimum eſſe vicinis, in tanta ſemitarum viarumque vrbanarum anguſtia, de qua conqueruntur Cic. *Agrar. II. cap.* 35. M. Seneca *Controu. lib. II. cap.* 9. Iuuenal. *Sat. III. v.* 236. *et Sat. VI. v.* 78. ac proinde non mirum eſt, ſi de moenianis tollendis etiam priſcis legibus cautum fuit, ceu ait Ammianus. At neſcio tamen, quam id verum ſit. Fuiſſe enim in

BIU Cujas

in vrbe moeniana libera adhuc re publica, ex Val. Max. *Hiſtor. lib. VIIII. cap.* 12. *ex.* 7. et Plin. *Hiſt. nat. lib. XXXV. cap.* 10. patet. Eadem adhuc viſa ſunt ſub Caligula imp. ceu diſcimus ex Sueton. *Calig. cap.* 18. ac fortaſſis etiam ſub Alexandro Seuero, ſi vera eſt ſpecies Vlpiani *l.* 2. §. 6. *D. ne quid in loc. publ.* Quin tantum abeſt, vt illius legis vetuſtioris, moenianis oppoſitae, veſtigium me deprehendere meminerim, vt potius multo poſt Arcadius in *l.* 39. *C. Th. de oper. publ.* ea non omnia, ſed quaedam tantum, quae aedibus publicis eſſent contigua, aut vnde incendii immineret periculum, deſtrui iuſſerit. Sed vt ad edicta praefectorum vrbi reuertamur, idem Ammianus Marcellinus *lib. XXVIII. cap.* 4. de Ampelio, praefecto vrbi, refert, eum laetum alias, et ad fauorem populi adipiſcendum aptiſſimum, nonnumquam tamen rigidum fuiſſe. Id tamen in eo deſiderat, quod, parum tenax propoſiti, a rigore iſto multum remiſerit, liquidem alias fieri potuiſſet, vt ciuitas ad priſtinam frugalitatem reuocaretur. *Statuerat enim*, inquit, *ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neque aquam vulgarium calefaceret quiſquam, vel ad vſque praeſtitutum diei ſpacium lixae coctam proponerent carnem, vel honeſtus quidam mandens videretur in publico.* En denuo congeriem edictorum ab illo praefecto vrbi propoſitorum. Ita nouas quotidie ſanctiones exegit corruptiſſima populi Romani diſciplina, quam viuis vbique coloribus depingit Ammianus, cuique emendandae impares fere erant bonae leges, vt facile adpareat, adulatorium eſſe iſtud Rutilii Numatiani *Itin. lib. I. v.* 159. elogium:

Nam quod nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrum,
Non ſit praefecti gloria, ſed populi.

§. VI.

Fortaſſis iam taedio futurum eſſet lectori, plura hic adcumulata videre edictorum a praefectis vrbi profectorum exempla. Et tamen facere non poſſum, quin addam bina perelegantia L. Turcii Aproniani, praefecti vrbi, quae integra ſuperſunt in marmore apud Gruter. *pag.* 747. 6. 7. Celeberrima olim Romae fuit gens Aſteriorum Turciorum Apronianorum, et bonarum litterarum ſtudioſiſſima, cuius ideo cum laude meminit antiquiſſimus Virgilii codex Medicaeus, Aſteriorum Turciorum iuſſu deſcriptus, de quo plura Henr. cardin. Noriſius *Cenotaph. Piſan. diſſ.* Elegans edictum *L. Turcii Aproniani*, praefecti vrbis, de venditione carnium.

BIU Cujas

diss. IIII. cap. 2. Io. Mabillon. *de re diplom. pag.* 354. Fabric. *Biblioth. Latin. tom. I. pag.* 220. et *Tom. II. pag.* 296. et Nic. Heinſ. in *Epiſtola*, cum aliis virorum doctorum epiſtolis edita a V. C. Petro Burmanno *tom. V. pag.* 193. *ſeqq.* Ex ea gente fuit noſter L. Turcius Apronianus, quem cum Flauio Aproniano male confundunt Onuphrius Panuinius *in Faſtis* et Iac. Gothofred. *ad Cod. Th. tom. V. pag.* 172. et *in Notitia dignitatum. Flauium* enim demum ſub Iuliano imp. vrbi praefuiſſe, teſtatur Ammianus Marcellin. *lib. XXIII. cap.* 1. quum noſter, ceu V. C. Lud. Ant. Muratorius *tom. I. Anecdot.* et ante eum Almeloueenius *in Faſt. conſ. pag.* 490. *edit. nou.* demonſtrauit, Conſtantio iterum et Conſtante AA. coſſ. anno erae Dionyſiacae 339. praefectura vrbana functus ſit. Id quod etiam patet ex marmore Tiburtino apud Gruter. *pag.* 1079. 1.

CONSTANT.
CONSTANTIS.
AVGVSTORVM.
SENATVS.
POPVLVSQVE.
ROMANVS.
PONTEM. REFECIT.
CVRANTE L. TVRC.
APRONIAN. PRAEF.
ASTERIO. V. C.
FLAM.

nec non ex alio *pag.* 466. 7. ex quo et aetatem, et parentem, et filium, et religionem denique Turcii noſtri perſpicimus:

ASTERII.
L. TVRCIO. APRONIANO. V. C.
FILIO. L. TVRCI. APRONIANI. V. C.
PRAEFECTI VRBIS. NEPOTI
L. TVRCI. SECVNDI. C. V. CONSVLIS.
QVAESTORI. PRAETORI. QVINDECIM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI TVSCIAE ET VMBRIAE. OMNI.
VIRTVTE. PRAESTANTI. STATVAM.
EX. AERE. ORDO. SPOLETINORVM.
AD MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS.
CONLOCAVIT.
CVRANTIBVS. FL. SPE. V. P. ET CONDO
NIO. TAVRO. IVN. POST.

BIU Cujas

POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS.

Huius ergo L. Turcii Aproniani, viri, et antiquitate generis et dignitatibus quam maxime conſpicui, bina exſtant edicta, quorum alterum ita ſe habet:

EX. AVCTORITATE. TVRCI APRONIANI. V. C. PRAEFECTI VRBIS.
RATIO. DOCVIT. VTILITATE. SVADENTE. CONSVETVDINE. MICANDI. SVBLATA. SVB. EXAGIO. POTIVS. PECORA. VENDERE. QVAM. DIGITIS. CONLVCENTIBVS. TRADERE. VT. ADPENSO. PECORE. CAPITE. PEDIBVS. ET. SEVO. LACTANTE. ET. SVBIVGVLARI. LANIO. CEDENTIBVS. RELIQVA. CARO. CVM. PELLE. ET. INTERANEIS. PROFICIAT. VENDITORI. SVB. CONSPECTV. PVBLICO. FIDE. PONDERIS. COMPROBATA. VT. QVANTVM. CARO. OCCISI. PECORIS. ADPENDAT. ET. EMTOR. NORIT. ET. VENDITOR. COMMODIS. OMNIBVS. ET. PRAEDA. DAMNATA. QVAM. TRIBVNVS. OFFICIVM. CANCELLARIVS. ET. SCRIBA. DE PECVARIIS. CAPERE. CONSVEVERAT. QVAE. FORMA. INTERDICTI. ET. DISPOSITIONIS. SVB. GLADII. PERICVLO. PERPETVO. CVSTODIENDA. MANDATVR.

§. VII.

Tale eſt illud Turcii Aproniani Edictum, quod obſeruationibus quibuſdam hac occaſione illuſtrare iuuat. Dicitur illud propoſitum eſſe EX AVCTORITATE TVRCI APRONIANI V. C. PRAEFECTI VRBIS, quod et in altera edicti parte repetitur. Quamuis vero alias ipſa edicta vocentur *auctoritates*, nec in iure noſtro hoc ſenſu ignorata ſint *auctoritas magiſtri officiorum*, *l. 9. C. de aquae duct.* *auctoritas iudicis*, *l. vn. C. Th. ſi cert. pet.* *edicti perpetui auctoritas*, *l. 3. C. de edend.* *iuris auctoritas*, *l. 10. C. Greg. de pact. et tranſact.* vt praetermittamus exempla, quae eam in rem collegit Iuretus *ad Symmach. Epiſt. lib. III. epiſt. 69.* hic tamen *auctoritas* iuſſum Turcii Aproniani notat, ſenſuſque eſt, eius iuſſu et praecepto edictum marmori inciſum eſſe. Frequens enim in marmoribus eſt huius formulae vſus, et opera publica ſaepe ibi facta eſſe dicuntur vel ex AVCTORITATE IMP. vel EX AVCTORITATE PRAEF. VRBI, cuius rei exemplum eſt apud Gruter. *pag.* 222. 1. Ipſum, quod ſequitur, edictum agit de venditione carnium, quia etiam *cura carnis omnis*, *vt iuſto pretio praeberetur*, *ad curam praefecturae vrbanae pertinebat. l. 1. §. 11. D. de off. praef. vrb.* Eius vero edicti tria ſunt capita, quorum

Variae ad illud obſeruationes.
Quid *micare?* quid *ſub exagio vendere?* quid *ſeuum* et *iubiugare?*
Officia praefecti vrbi.

BIU Cujas

quorum vno Turcius Apronianus pecorum mactatorum carnes non *micando*, sed ad trutinae examen vendi iubet : altero, ne officia inde sibi quidquam spoliorum nomine vindicent, grauiter prohibet : tertio denique sanctionem poenalem, eamque seueriſſimam subiungit. Primo capite, vt iam monui, CONSVETVDINE MICANDI SVBLATA, SVB EXAGIO POTIVS PECORA VENDI, QVAM DIGITIS CONLVCENTIBVS TRADI, iubet, quod postea etiam constitutione generali ratum habuit Valentinianus *A. l.* 4. *C. Th. de suar.* Erat autem *micatio* species sortitionis, per digitos subito expansos facta, qua ad liquidum perducebatur, venditorne emtoris, an hic illius, numerum atque aestimationem sequi deberet. Vnde Varro *apud* Nonium *de propriet. serm. cap.* 4. *§.* 303. *pag.* 681. MICANDVM *erit cum Graeco, vtrum ego illius numerum, an ille meum sequatur.* Quumque hoc sortitionis genus lucem vel maxime requireret, ne alteruter falsum nunciaret digitorum numerum, ac proinde veteres, virum integrum vitae incorruptaeque fidei descripturi, *dignum esse illum*, dicerent, *quocum in tenebris mices* : vid. Erasm. *Adag. chiliad. I. cent.* 8. *adag.* 23. non ineleganter in marmore nostro micatio fieri dicitur DIGITIS CONLVCENTIBVS, quemadmodum glossa vetus ab Henrico Stephano edita : *micat*, λαγχάνει, ΛΑΜΠΕΙ, id est, *sortitur vel lucet.* Vnde falli videntur, qui malunt : DIGITIS CONLVDENTIBVS. Ceterum ea sortitio veteribus erat familiariſſima non modo in sponsionibus, diuisionibus, aliisque certaminibus, sed et in contractibus et negotiis ciuilibus. Apud Nonnum sane *in Dionysiac. lib. XXXIII. v.* 77. *seqq.* micando inter se contendere finguntur Cupido et Hymenaeus, arbitro Ganymede, isque lusus ibi ita describitur :

Φιλακρήτων δὲ βολάιων
Λαχμὸς ἦεν, μεθέπων ἑτερότροπα δάκτυλα χειρῶν,
Καὶ τὰ μὲν ὀρθώσαντες ἀνέχεδον, ἄλλα δὲ καρπῷ
Χειρὸς ἐπεσφήκωτο συνήορα σύζυγι δεσμῷ.

Vino vero insanientium iactus et
Sortitio erat talis, quae sequitur vtrimque conuersos digitos manuum
Dum alios erectos proiiciebant, alios carpo
Manus, veluti vinculo quodam nexos, constringebant.

Et in *Paraphr. Ioann. cap.* 19. *v.* 24. item auctor ritum hunc adcom-

BIU Cujas

adcommodans historiae sacrae, milites inducit de inconsutili Christi tunica ita colloquentes:

Οἴνοπα μὴ χίζομεν ἀληθέα τόνδε χιτῶνα
Θέσκελον ἀμφιέποντα τύπον ξένον· ἀλλ' ὑπὲρ αὐτῆ
Δάκτυλα χειρὸς ἀφέντες ἐκήβολα σύμβολα νίκης
Λαχμῷ πάντες ἴδοιμεν ἀθηρέτῳ, τίνος ἔσαι.

Purpuream ne dissecemus veram hanc tunicam,
Diuinam habentem formam peregrinam: sed pro ipsa
Digitos manus iacientes, procul iacta signa victoriae,
Sorte omnes videamus, contentionis expertes, cuius futura sit.

Eodem itaque sortiendi et micandi ritu in foris pecuariis et macellis antehac vsi fuerant Romani. Micando enim, non licitando in singula pondo, pretia carnibus statuebant, quin ne trutina quidem explorabant earum pondus, sed omnia veluti fortunae aleae committebant. Quo contrahendi ritu quum fieri non posset, quin contrahentium alteruter aliquando satis enormiter laederetur: RATIONE DOCENTE, ET VTILITATE SVADENTE, illam micandi consuetudinem sustulit, et SVB EXAGIO POTIVS PECORA VENDI iussit Turcius Apronianus, VT SVB CONSPECTV PVBLICO FIDE PONDERIS COMPROBATA, QVANTVM CARO OCCISI PECORIS ADPENDAT, ET EMTOR NORIT, ET VENDITOR. *Exagium* esse trutinam, res ipsa docet, et iam ex glossis nomicis constat, in quibus ἐξάγιον est *pensatio*, ἐξαγιάζειν, *examinare, perpendere*, quo sensu etiam Theodosius et Valens imperatores vocabulum accipiunt in *Nouell. Theod. et Val. XXV.* Non tamen vniuersum occisi pecoris corpus adpendi solebat, sed demtis CAPITE, PEDIBVS, SEVO LACTANTE, ET SVBIVGVLARI, quae partes LANIO CEDEBANT. De seuo Plin. *Hist. nat. lib. XI. cap.* 37. *cornigera*, inquit, *vna parte dentata, et quae in pedibus talos habent*, SEVO *pinguescunt: bisulca scissiue in digitos pedibus, et non cornigera*, ADIPE. Turcius tamen non omne seuum lanioni addicit, sed lactans tantum, id est, mollius illud, et pinguedini propius. Ei addidit *subiugulare*, quamuis boues et pleraque alia animalia iugulo proprie dicto destitui, idem obseruet Plinius *Hist. nat. lib. XI. cap.* 49. in eo tamen falsus, quod *vni homini iugulos esse*, scribit, quum et similis, talpis, sciuris, muribus Alpinis iugulos esse, iam obseruarit

BIU Cujas

Dalechampius. Ἀναλογικῶς itaque Turcius per *subiugulare* intelligit partes sub initium pectoris obuias, et iugulis humanis proximas. Has solas cum capite et pedibus, nec non seuo lactante sibi retinere ex hoc edicto poterant laniones, quum contra RELIQVAM CARNEM CVM INTERANEIS PROFICERE VENDITORI oporteret. Vbi tamen manifesto rescribendum EMTORI, nisi dicere malis, idem euenisse hic Turcio, vel lapicidae. quod saepe iurisconsultis, aliisque vetustis scriptoribus, contigisse obseruant Cuiacius *Obs. lib. XII. cap.* 23. et Radulp. Fornerius *Rer. quotidian. lib. III. cap.* 28. *lib. IIII. cap.* 9. vt emtoris venditorisque vocabula confunderent. Hactenus primum huius edicti caput. Altero cauit Turcius, ne ex officiis quisquam praedam ex carne venali caperet. OFFICIA praefecti praetorio, alias *officium vrbanum*, *l. vlt. C. Th. de nauicul. officium vrbicariae praefecturae*, *l.* 2. *C. Th. de cond. in publ. horr. vrbaniciani officiales*, *l.* 2. *C. Th. eod.* itemque *praefectiani l.* 1. *et l.* 20. *C. Th. de diuin. off.* generatim erant omnes administri praefecti vrbis, at ex his tamen quidam in specie hoc nomine veniebant. Hinc in marmore nostro recensentur TRIBVNVS, OFFICIVM, CANCELLARIVS, et SCRIBA. Nam sub dispositione praefecti vrbi erant TRIBVNI PLEBIS, *l.* 74. *C. Th. de decurion.* quibus eius modi munera delegasse videtur praefectus, quum vetera illa non amplius admitteret forma reipublicae. Sub eodem erat OFFICIVM, id est, domestici adsessores et iudices veluti ordinarii, qui praefecti nonomine cognoscebant, decernebantque, et aliquando etiam *primates*, *officii* dicebantur, *l.* 3. *C. Th. de adsess. dom. et cancell.* porro CANCELLARII, quibus cancelli, id est, praetoria et secretaria curae erant, vt rite ornarentur, nec promiscue eo omnibus pateret aditus, ceu ex Agathia et Cassiodoro docuit Iac. Gothofredus *ad Cod. Th. tom. I. pag.* 71. denique SCRIBAE, quorum antesignanus *primoscrinius* vocabatur. *l. vlt. C. Th. de suar.* Hi omnes quum antea COMMODA quaedam et PRAEDAM, id est, certam carnis partem, sibi DE PECVARIIS capere consueuissent: Turcius noster Apronianus, DAMNATA illa PRAEDA, et per hanc FORMAM INTERDICTI, id est, EDICTI sui, et DISPOSITIONIS prorsus sublata, GLADII PERICVLVM interminatus est omnibus, hoc edictum suum IN PERPETVVM NON CVSTODIENTIBVS. Ex quo patet, ad iuris dictionem perpetuam pertinuisse hoc Turcii Aproniani edictum, nec pro repentino aut tem-

BIU Cujas

temporario illud habendum esse, ceu vel inde patet, quod illud incisum marmori in perpetuum exstare voluit. Apronianus. Ceterum mirari quis possit supplicii grauitatem et legem aedilitiam sub gladii periculo sancitam. Sed quum ad eas sordes, eaque flagitia prolapsa esset ciuitas, vt, iudice Ammiano Marcell. *lib. XXVIII. cap.* 4. *nec Epimenides Cretensis, si fabularum ritu ab inferis excitatus rediisset ad nostra, solus purgare sufficisset Romam*, quia *maxima plerosque labes insanabilium flagitiorum oppresserit*: gliscens improbitas acriore fraeno coërcenda videbatur, a qua sua sponte, et sine supplicii metu abhorruissent ciues, si maiorum suorum veteris gentis togatae similes esse voluissent.

§. VIII.

Alterum *Turcii Aproniani* edictum de suariis et ordinibus, qui suariam faciunt. Quid *titulus canonis vinarii*?

Eodem marmore et alterum comprehenditur Turcii Aproniani edictum, quod ad SVARIOS pertinet. De iis enim illum quaedam sanxisse, nemo mirabitur, qui *et forum suarium sub praefecti vrbi cura fuisse, et ceterorum pecorum, siue armentorum, quae ad huiusmodi praebitionem spectabant, ad ipsius curam pertinuisse*, meminerit. *l. 1. §. 11. De de offic. praef. vrb.* Est vero hoc edictum alterum tale:

EX. AVCTORITATE. TVRCI. APRONIANI.
V. C. PRAEF. VRB.

LICET. FORMAM. DISPOSITIONIS. ACTA. CONTINEANT. AD. FIDEM. TAMEN. GESTORVM. PLENIVS. MEMORIAE. TRADENDAM. TABVLAM. PLACVIT. ADFIGI. QVAE. PVBLICARET. ORDINEM. RERVM. QVOM. SVARIOS. VIDEREMVS. DAMNIS. ADFECTOS. ET. EOS. ETIAM. ORDINES. QVI. SVARIAM. FACIVNT. PROVIDIMVS. HIS. LEVAMEN. ET. EX. TITVLO. CANONICO. VINARIO. VT. VIGINTI. QVINQVE. MILLIA. AMPHORARVM. ANNVA. CONSEQVANTVR. SVB. EA. DIVISIONE. VT. DVAE. PARTES. SVARIIS. TERTIA. VERO. HIS. ORDINIBVS. SVFFICIANT. QVI SVARIAM. REGOGNOSCVNT. ITA. VT. IIDEM. ORDINES. IVXTA. CONSVETVDINEM. TAM. PROPRIVM. QVOD. ADPELLATVR. QVAM. ANNONAS. EXSOLVANT. ET. MODERATIONE. ADHIBITA. PERINDE. A. POSSESSORE. SVSCIPIANT. ATQVE. SVSCIPERE. SVNT. SOLITI. ANTIQVO. MORE. PRAEEVNTE. INTERDICENTES. NE. INORMIA. ILLA. INDEBITAQVE. PRAESTENTVR. QVAE. TAM. TRIBVNVS. QVAM. PATRONI. DIVERSI. ET. VARIA. CONSEQVEBANTVR. OFFICIA. CONTRA. QVOD. INTERDICTVM. SI. QVI. AVSI. FVERINT. DE. COMMVNI. LARGIRI. ET. SCRIBAE. QVIDAM. CETERIQVE. POENAE. SVBIACENT.

BIU Cujas

Exemplo est hoc perelegans edictum, non sufficere visum esse magistratibus, edicta sua contineri actis, vel ex albo aliquamdiu pependisse, sed eos etiam illa marmoribus vel aeri incidenda curasse, AD. FIDEM. GESTORVM. MEMORIAE. TRADENDAM. PVBLICANDVMQVE. ORDINEM. RERVM. Id quod vel maxime obseruatum esse in promulgandis priuilegiis ac beneficiis, certo ordini concessis, supra *cap.* 2. §. 4. ostendimus. Non mirum itaque est, hoc quoque edictum non cedro, sed marmore, dignum visum esse, quod ad *suariorum, ordinumque, qui suariam faciebant*, priuilegia pertinebat. De SVARIIS in vtroque Codice tituli exstant singulares, de iisque prolixe agunt Iac. Cuiac. *ad Codic. lib. XI. tit.* 17. Iac. Gothofredus *ad Cod. Th. tom. V. pag.* 168. at multo planius atque adcuratius Thom. Reines. *Inscript. pag.* 145. vbi eos ita adcuratissime describit: *collegium suariorum memoratur apud Gruterum* Inscript. *pag.* 361. 1. 3. *Hi cum boariis et pecuariis vnum corpus constituebant, et cum bonis, heredibus, posterisque suis, et vniuersa agnatione, munere procurandae carnis bubulae, suillae, et obsoniorum, quae imperatores et fiscus plebi vrbanae militibusque praetorianis ad quatuor millia pondo diurna elargiri solebant, certis per annum diebus praebitionis, quod suaria functio et suarium obsequium dicitur*, l. 1. C. Th. de suar. pecuar. et suscept. vin. *obnoxii erant, eoque animalia apud Apulos, Lucanos, Bruttios, et Samnites, qui sues et boues, ceu canonem, praediis et patrimoniis impositum, pendebant, conquisita ad vrbem transmittere, vel acceptis a possessoribus, qui suariam recognoscebant, pro singulis porcinae libris pretiis, quae vsus publicae conuersationis per Campaniam attulisset, hoc est, secundum annonam fori, quam deprehenderint, vt loquitur Donatus in Terent. Phorm. suo periculo speciem porcinae adfatim praebere tenebantur, dicti etiam porcinarii vrbis aeternae. l. 6. C. Th. eod.* Ex quibus verbis simul intelligitur, quinam fuerint *ordines suariam recognoscentes, vel facientes*, omnes nimirum, qui apud Apulos, Lucanos, Bruttios, et Samnites sues de praediis suis praestare iis suariis tenebantur. Nec magis iam obscurum est, cur DAMNIS ADFECTI adhuc dicantur et SVARII, ET II ETIAM ORDINES, QVI SVARIAM FACIEBANT. Quum enim vel sues ex tam dissitis regionibus Romam suo periculo transferre, vel pretium, non quale Romae, sed quale in locis illis vsus statuebat, recipere cogerentur: vtrumque cum alea coniunctum esse experiebantur,

BIU Cujas

bantur, adeoque modo ſuarii, modo ordines ſuariam recognoſcentes maximum capiebant detrimentum, et hinc quotidianae alterutrorum audiebantur querelae. Quibus demum commotus Turcius Apronianus, vtriſque LEVAMEN PROVIDIT, ſtatuitque, VT EX TITVLO CANONICO VINARIO XXV. MILLIA ANNVA CONSEQVERENTVR. *Tituli* iis temporibus erant omnia genera functionum publicarum, *l. vlt. C. Th. de equor. collat. l.* 49. *C. Th. de operib. publ.* qui et *tituli canonici* ſeu *canones titulorum*, itemque *canonicae illationes*, nec non *ſollemnes et canonicae penſitationes* vocabantur. *l.* 36. *C. Th. de annon. l.* 16. *C. Th. de bon. proſcript. l.* 40. *C. Th. de epiſcop. l.* 2. *C. Th. de concuſſ. aduoc.* Et hae quidem praebitiones annis ſingulis erant praeſtandae, eoque diſtinguendae a *titulis ſuperindictitiis*, ceu adpellantur *d. l.* 36. *C. Th. de annon. l.* 3. *C. Th. de decurion. et ſilentiar.* Quum ergo alii frumentum, alii aurum argentumue, alii naues, alii veſtes, alii equos quotannis inferre tenerentur: in legibus eorum temporum paſſim occurrunt titulus annonarius, *l.* 4. *C. Th. tribut. in ipſ. ſpec.* frumentarius, *l.* 1. *et* 3. *C. Th. de frum. vrb. Conſt.* qui et *canon populi* Romani apud Lamprid. *Elagab. cap.* 27. et *canon vrbicarius l.* 2. *l.* 3. *C. de can. frum. vrb. Romae*, *Lib. XI.* nauium, *l.* 2. *C. Th. de Alexandr. pleb. primat.* canon aurarius, *l.* 13. *C. Th. de extraord.* metallicus, *l.* 4. *C. Th. de metall.* veſtium, veſtes canonicae, veſtis collatio annua, *l.* 2. 3. *C. Th. de milit. veſt. l.* 1. *C. Th. de diſtr. pign. quae tribut. cauſſ.* equorum, *l.* 14. *de nauicul.* ſimiliumque rerum, quae alioquin generatim *inlationes*, *l.* 40. *C. de epiſc. canonicae ſpecies*, *l.* 1. *C. Th. de exact. indictiones*, *l.* 1. *C. de prox. ſacr. ſcrin. penſitationes*, *l.* 2. *C. de lucr. aduoc. praebitiones*, *l.* 4. *C. Th. de tribut. in ipſ. ſpec. infer.* immo et *ſolatia* in *Nou. Theod. et Valent. de releu. ad aer. vel don. poſſ.* vocantur. Nec deerant, qui vinum in vſum plebis Romanae quotannis tenebantur praeſtare, vnde ſingularis *titulus canonis vinarii*, ſeu *arca vinaria*, cuius mentio fit *l.* 11. *C. de ſuſcept. l.* 3. *C. Th. de calcis coctor.* et apud Symmach. *lib. VII. epiſt.* 79. *lib. VIIII. epiſt.* 121. *lib. X. epiſt.* 42. *et* 47. Ei vino canonico ſuſcipiendo conſtituti erant certi *ſuſceptores*, *d. l.* 11. *C. de ſuſcept.* ſubiecti *rationali vinorum*, qui *ſub diſpoſitione viri illuſtris*, *praefecti vrbi fuiſſe* dicitur in *Notit. imp. occid. pag.* 15. *edit. Pancirol.* Ex quo iam facile patet, vnde tam inſignem vini quantitatem ſuariis et ordinibus, qui ſuariam faciebant, adſignare potuerit praefectus vrbi, ad damnum, quod illi ſe paſſos

BIU Cujas

esse conquerebantur, quodammodo resarciendum. Quandoquidem tamen suarii pretium, in Campania lociſque vicinis vſu receptum, recipere tenebantur, id vero plerumque procul dubio vilius erat, quam quo pecora Romae, in populoſiſſima vrbe, venibant, adeoque aleam magis ſubire cogebantur ſuarii, quam ordines ſuariam recognoſcentes, hinc illa adſignata vtriſque XXV. millia amphorarum vini canonici ita diuidi iuſſerat Turcius, VT DVAE PARTES SVARIIS, TERTIA VERO HIS ORDINIBVS, SVFFICERET, QVI SVARIAM RECOGNOSCERENT. Quam diuiſionem poſtea ratam habuerunt Valentinianus et Valens augg. *l.* 4. *C. Th. de ſuar.* dum ſuariis adſignant *ſeptem et decem amphorarum millia*, id eſt, fere duas tertias XXV. millium amphorarum, quas iam antea iis adſignauerat Turcius Apronianus. Addidit vero huic beneficio certas leges, et ordinibus quidem ſuariam facientibus iniunxit, vt IVXTA CONSVETVDINEM, TAM PROPRIVM, QVOD ADPELLATVR, QVAM ANNONAS EXSOLVERENT; ſuariis vero, VT, MODERATIONE ADHIBITA, PERINDE A POSSESSORIBVS SVSCIPERENT, ATQVE ACCIPERE SINT SOLITI ANTIQVO MORE PRAEEVNTE, id eſt, vt et illi tam ordinarias, quam ſuperindictitias, collationes recte praeſtarent ſemper, et hi circa veterem ſuſcipiendorum pecorum morem nihil immutarent. Antiquus vero ille mos ita deſcribitur in *l.* 4. *C. Th. de ſuar.* quod ſuarii potuerint vel vinum, vel pecuniam loco porcinae ſubuehendae accipere, et tunc vel carnem, vel pretium, quale in foro Romano eſſet, populo praeſtare tenerentur. Denique et hoc edicto tribuni et officiorum exactiones et rapinas, acriore propoſita poena, prohibet Turcius Apronianus, quamuis neſciam, an ſatis integrum ſit poſtremum illud edicti caput, in verboque vltimo procul dubio ſcribendum ſit SVBIACENTO, pro SVBIACENT. Monuit et alia quaedam circa hoc edictum Iac. Gothofredus *tom. V. Cod. Th. pag.* 174. quem tamen in eo falſum exiſtimo, quod ex verbis *l.* 4. *C. Th. de ſuar. quibus in rebus illud quoque* a DECESSORE TVO *ſalubriter inſtitutum eſt*, collegit, Apronianum noſtrum paullo ante Praetextatum circa annum Chriſti 363. praefectura vrbana functum eſſe: ſiquidem nos et Flauium Apronianum, qui Praetextatum anteceſſit, diuerſum a L. Turcio Aproniano fuiſſe docuimus, et latius omnino patet vocabuli DECESSORIS ſignificatio, quam vt de eo dumtaxat, qui aliquem ἀμέσως in officio anteceſſit, neceſſario accipiendum eſſe videatur.

BIU Cujas

tur. Noſter nimirum vrbi praefuit anno Chriſtianae erae 339. Flauius Apronianus annis 363. et 364. Praetextatus anno 366. vti docuit Theod. Ianſonius ab Almeloueen in *Faſt. conſular. pag.* 490. 494. *ſequ. edit. nou.*

§. VIIII.

Fuere et alii magiſtratus vrbani ſub imperatoribus demum inſtituti, quin et adminiſtri ſacri palatii, quos propoſitis edictis de rebus ad adminiſtrationem ſuam pertinentibus quaedam ſanxiſſe, nullum eſt dubium. Sane enim quum ad PRAEFECTVM ANNONAE erogandae annonae ciuicae cura pertineret, ipſeque praefectus vrbi ſine eo de annona nihil ſtatuere poſſet, *l.* 1. *C. Th. de condit. in publ. horr.* quin idem praefectus annonae, teſte Caſſiodoro *Var. lib. VI. epiſt.* 18. *ſi querela panis, vt aſſolet, concitaretur, tamquam promiſſor vbertatis, ſeditiones ciuicas momentanea ſatisfactione diſſolueret:* quis negauerit, eum, et prout res inciderent, et, quid nauicularii, piſtoribus, ſuariis, qui ſub eius diſpoſitione erant, faciendum omittendumue eſſet, edixiſſe? Et id, credo, ſubinnuit Caſſiodorus, dum in eadem formula: *tribunal*, inquit, *tuum non eſt inter minimas dignitates, quando et Romana gratia frueris, et prouinciis* IVSSA *tranſmittis.* Deinde ſupra (§. 3. huius capitis,) quaedam diximus de libris ῥωμαϊκῶν, quos Cuiac. *Obſ. lib. VI. cap.* 10. de edictis patriciorum vel magiſtrorum, in vnum faſciculum collectis, interpretatur. Quae ſi vera ſunt, dicendum fuerit, et hos principum parentes edicta propoſuiſſe. At ego tamen me fateor ea de re dubitare, partim quod patriciatum tamquam dignitatem palatinam, *nihil iuris dictionis habere*, diſerte ſcribit Caſſiodor. *Var. lib. VI. epiſt.* 2. partim, quod Harmenopulus, qui ſolus laudat ῥωμαϊκὰ τῶ μαγίστρω λεγόμενα, ſatis oſtendat, priuati alicuius, qui *magiſter* κατ' ἐξοχήν dictus ſit, volumen a ſe citari. Alibi enim ſine addito illum vocat μάγιστρον, veluti *lib. II. tit.* 10. §. 12. *lib. III. tit.* 3. §. 130. et paſſim, nec inepta eſt coniectura Dionyſii Gothofredi, qui in *Notis ad Harmenopuli praefationem* auctorem libri ῥωμαϊκῶν fuiſſe putat Coſmam, magiſtrum officiorum ſub Romano Seniore, imp. Conſtantinopolitano, cuius in honorem fortaſſis ῥωμαϊκὰ inſcripſerit illam συλλογήν, quemadmodum Conſtantinus Porphyrogenneta opus ſuum βασιλικὰ in honorem Baſilii imp. aui ſui, vocari iuſſit.

Edicta praefecti annonae.

An patricii etiam ediderint?

Quid ῥωμαϊκῷ τῶ μαγίστρω λεγόμενα apud Harmenopulum?

§. X.

BIU Cujas

§. X.

Edicta *praefectorum aerarii.* Quid *pendere sub edicto?*

Superſunt PRAEFECTI AERARII, quibus, quam primum aerario, ac deinde etiam fiſco praeeſſe coeperunt, (quod a Neronis temporibus factum, nouimus,) quotidiana fere edicta proponendi fuit occaſio. Modo enim reliquatores, eoſue, quorum delata fuerant nomina, euocabant edictis, modo ipſos delatores adeſſe edictis iubebant, *l.* 15. *§.* 34. *D. de iur. fiſc.* modo bona vacantia, caduca, quaſi caduca, ereptitia ſub haſta venumdanda proſcribebant. In primis memorabile eſt, quod refert Suetonius *Claud. cap.* 9. Claudium, adhuc priuatum, quum ſeſtertium octogies pro introitu noui ſacerdotii coactus eſſet impendere, *ad eas rei familiaris anguſtias decidiſſe, vt, quum obligatam aerario fidem liberare non poſſet, in vacuum lege praediatoria venalis pependerit ſub* EDICTO *praefectorum.* Hic enim merito quaeſiueris, quid ſit *in vacuum pendere ſub edicto*? Vir eximius, Iac. Caſaubonus, in *Notis* id de ipſa Claudii perſona intelligit, idque ex vetere iure putat ſeruatum in cauſſis fiſcalibus, vt, qui ſoluendo non eſſent, ipſi bonaque eorum ex lege praediatoria venirent, et hinc, propoſito a praefectis edicto, proſcriberentur. Sed intercedit Claud. Salmaſ. *de modo vſurar. pag.* 739. Suetoniumque de ſolis bonis ac praediis proſcriptis intelligi iubet, ſimul obſeruans, eodem loquendi genere *pignorari* vel ἐνεχυράζεσθαι dici, qui non ipſe, ſed cuius bona pignora capiantur, quin immo ne intelligi quidem poſſe, ad quid praedes et praedia ab his, qui publico debuerint, exegerint veteres, ſi ipſi, quod ad perſonam, aerario fuerint obnoxii. At vix ego video, quid ponderis inſit his incomparabilis viri argumentis ad euertendam Caſauboni ſententiam. *Pignorare quem* φράσις eſt in foro receptiſſima et rei ipſi plane concinna, qua non poſſunt non vti, qui proprie loqui ſtudent. Contra ſi quem *pendere ſub edicto* dixeris eo ſenſu, quem vrget Salmaſius, impropria haec loquutio, et tropus non minus durus erit, quam in verbis Virgilii:

- - *Iam proximus ardet*
Vcalegon.

In poëtis talia facile toleramus, immo et in Cicerone, quem ſaepius ita loquutum eſſe, nouimus, veluti *Agrar. II. cap.* 36. *Agrar. III. cap.* 4. *pro domo cap.* 8. *et* 20. *pro Sextio cap.* 26. *ſeqq. Philipp. II. cap.* 31. at eadem non illico digna ſunt hiſtorico, et maxime

BIU Cujas

maxime Suetonio, qui omnia verbis propriis et quam maxime perſpicuis exprimere ſolet. Deinde nec alterum Salmaſii argumentum rem conficit. Eodem enim iure quaerere liceret, ad quid praedia ceteraque bona proſcripſerint Romani, quum per praedes et fideiuſſores abunde proſpectum fuerit aerario? Contra non deſunt, quae pro illa Caſauboni obſeruatione dici poſſunt, quaeque oſtendunt, illam ſolidiorem eſſe, quam ipſi auctori ſuo, modeſtiſſimo viro, viſa ſit. Iiſdem fere temporibus, quibus Claudium ſub edicto pependiſſe ſcribit Suetonius, optimus Seruator noſter parabolam propoſuit de ſeruo, qui regi reliquator erat ad decies mille talenta. Is quum ſoluendo non eſſet, ἐκέλευσεν αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ πραθῆναι, καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ πάντα, ὅσα εἶχε, καὶ ἀποδοθῆναι: *iuſſit eum dominus eius venire cum vxore et liberis, et omnibus, quae haberet, et inde ſoluere. Matth. cap.* 18. *v.* 24. Parabola haec quidem eſt, fateor: ſed ſolent tamen illae imitari veritatem, nec in iis fingi factum, quod fieri non potuiſſe, vnuſquiſque ſtatim intelliget. Quum itaque familiam hic venditam audiamus pro debito fiſcali, ad Hebraeorum autem ritus hoc pertinere, nemo adhuc adfirmare auſus ſit: conſequens ſane eſt, vt ad mores Romanorum reſpexerit Seruator. Neque nobis obuerti poterit, ſeruum fuiſſe illum reliquatorem: ſiquidem in ſacris litteris etiam ſummi regum adminiſtri, quantumuis ingenui, עבדים vel δοῦλοι vocari ſolent. 2. *Sam. cap.* 18. *v.* 29. 1. *Reg. cap.* 1. *v.* 33. 47. Et ſane ſeruilis conditionis eſſe non potuit hic diſpenſator, qui et vxorem habuit, et liberos, et patrimonium, quorum nihil in ſeruum cadere nouimus. Praeterea non diſpenſatoris, ſed ſuam familiam vendidiſſet dominus, ſi diſpenſator ex eius ſeruis fuiſſet. Quis vero ſanus ſua vendit, vt ſibi inde pro ſeruo debitore ſatisfiat? Deinde notum eſt, quam aſpera apud Romanos fuerit debitorum fiſcalium exactio. Memoriae prodidit Philo *de ſpecial. leg. pag.* 801. *ſeqq.* ſua aetate tributorum exactores fugientium reliquatorum vxores, liberos, parentes, cognatos, per vim abduxiſſe, eos omnes protruſos, excruciatoſque, niſi indicarent latebras, aut pro illis dependerent, diro mortis genere necaſſe, quin in tantum ſaeuiiſſe, vt interdum totos vicos et oppida, colonis diffugientibus, et latebras vbicumque quaerentibus, ad ſolitudinem redegerint. Idem *libro de ſepten. et feſt. pag.* 1185. conqueritur, exactores illos non tantum facultates excuſſiſſe, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν σωμάτων, ὕβρεσιν, φοινίαις πρὸς ἀπορουμένων κεκαι-

BIU Cujas

νεργμένους βασάνοις, *sed et ex ipsis corporibus, contumeliis, flagris, et excogitatis recenter ad immanitatem tormentis*, tributa extundere consueuisse. Quibus fere similia sunt, quae de censu Maximiani imp. memoriae prodidit Lactantius *de mort. persequut. cap.* 23. Atqui si ipsa mors exquisitissimique cruciatus mansere illos, qui fisco debuerunt: qui mirum videatur, eosdem venales sub edicto praefectorum aerarii pependisse? Nonne idem fatum libera adhuc re publica imminebat omnibus, qui censum vel militiam subterfugerant? Nonne hos veniisse testantur Cicero *pro A. Caecin. cap.* 24. et Vlpian. *Fragm. tit.* 11. §. 1. Et tamen longe maiora tunc praesidia ingenuis corporibus circumposuerant leges, quam postea sub imperatoribus. Praeterea vsque ad tempora Constantini M. qui primus hanc saeuitiam lege publica sustulit, *l.* 2. *C. de exact. trib. et l.* 7. *et* 9. *C. Th. de exaction.* reliquatores fisci plumbatarum verberibus, ponderibus, aliisque tormentis excruciabantur. At plumbatis quum corpora tantum seruilia tunderentur, *l.* 2. *C. Th. de quaestion. l.* 8. *C. Th. de decurion.* facile patet, pro seruis fisci habitos esse, qui non essent soluendo, et hinc venumdari potuisse vna cum familia. Cur porro *in vacuum sub edicto pependisset Claudius*, si de eius tantum bonis distrahendis fuisset actum. *In vacuum* enim apud Suetonium est frustra, nequidquam, vt emtorem res proscripta non inueniret, ceu ipse Salmasius *de modo vsur. pag.* 740. eam loquutionem interpretatus est. Nihil vero facilius reperire emtorem solet, quam res angusta, qualis erat Claudio, quandoquidem tantillum pecuniae, quantum ei coëmendae satis sit, homines etiam mediocrium facultatum corradere possunt, quum contra proscripta praedia ampliora plerumque vel non facile inueniant emtorem, vel male vendantur, non aliam ob caussam, quam quod iustum eorum pretium vel nemo, vel pauciſſimi repraesentare possint. At Claudius *in vacuum pependit sub edicto praefectorum*, quod vel verecundia, vel misericordia impedirentur emtores, vel nemo emendo Claudium, dubiae sanitatis hominem, pecuniam suam male perdere vellet. Denique et id obseruo, Suetonium et alibi, *Domitian. cap.* 9. simili fere vsum esse loquutione. Refert enim, *reos, qui ante quinquennium proximum apud* AERARIVM PEPENDISSENT, *vniuersos discrimine liberasse Domitianum, nec repeti, nisi intra annum, eaque conditione, permisisse, vt accusatori, qui caussam non teneret, exsilium poena esset.* Qui locus docet, eorum fere nomina ad aerarium pepen-

BIU Cujas

pendiſſe, qui capitis adirent periculum. Nam ideo et accuſatores inſcribere in crimen debebant, ſe capitalem exſilii poenam ſubituros, ſi cauſſa caderent. Plus itaque ex lege praediatoria exactum intelligimus, quam bona et praedia, ipſa nimirum debitorum capita, vt ea fiſco obnoxia vna cum bonis venirent. Veroſimillimam ſane hanc coniecturam Caſauboni, in vacuum, vt pleraſque alias, a ſummo Salmaſio fuiſſe impugnatam, plane mihi perſuadeo, facile tamen paſſurus alios et hic ſuo ſenſu abundare.

CAPVT VI.

DE EDICTIS PRAETORVM.

§. I. *Praetores olim omnes magiſtratus dictos, non autem ſacerdotes. An Oſtiae fuerit* PRAETOR SACRIS VVLCANI? *Sacrarius Volcani, aliorumque deorum dearumque.* §. II. *Primus praetor quando creatus?* §. III. *Obtentus patrum, ſub quo praeturam impetrabant a plebe. Praetores collegae conſulum.* §. IIII. *Magiſtratus hic primum patriciorum proprius, poſtea cum plebe communicatus.* §. V. *Primum vnum, nempe vrbanum, poſtea et peregrinum creatum. Praetor vrbanus,* MAIOR *dictus, an et* HONORATVS? §. VI. *Numerum praetorum ſubinde auctum.* §. VII. *Praetores de* FIDEICOMMISSIS, TVTELARIS, LIBERALES, FISCALES, AERARII, *an et* CEREALES? §. VIII. *Praetoris iuris dictionem conſtitiſſe in* DANDO, §. VIIII. DICENDO, *et* §. X. *in* ADDICENDO. §. XI. *Munera praetorum extraordinaria.* §. XII. *Omnes praetores de iuris dictione ſua, rebuſque curae ſuae demandatis edicta propoſuiſſe.* §. XIII. *Eorum alia tralatitia, alia noua.* §. XIIII. *Cur edicta quaedam, nataeque inde actiones praetoriae auctorum nomina retineant?* §. XV. *Edicere ſolebant praetores ſub auſpicium magiſtratus ſui, praeſtito ſimul in leges iureiurando.* §. XVI. *Edictum propoſitum in albo, quod duplex habuit praetor.* §. XVII. *Quo loco illud probabiliter fuerit?* §. XVIII. *Praetores indirecte ſibi legiſlatoriam poteſtatem vindicaſſe, legeſque euertiſſe edictis ſuis.* §. XVIIII. CORTII vindiciae praetoris Romani *expenſae.* §. XX. *Status quaeſtionis.*

BIU Cujas

§. XXI. *An praetores hanc sibi potestatem arrogantes impedire potuerit Romanorum religio circa leges?* §. XXII. *An cura circa scribenda edicta adhibita?* §. XXIII. *An iusiurandum in leges?* §. XXIIII. *Edicta frequentissime mutata.* §. XXV. *Praetor populo omnino illusit* NOVIS VOCABVLIS. §. XXVI. *Itemque variis inuentis* EXCEPTIONIBVS. §. XXVII. *Nec non promissis* IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS. §. XXVIII. *Denique* FICTIONIBVS. §. XXVIIII. *Conclusio elenchi.* §. XXX. *Elogia edicti praetorii, et quomodo illud sensim iuris scripti auctoritatem in foro Romano sit consequutum?*

§. I.

Praetores olim omnes magistratus dictos, non autem sacerdotes. An Ostiae fuerit *praetor sacris Vulcani?* Sacrarius Vulcani, aliorumque deorum dearumque.

IAm demum ad EDICTVM PRAETORIVM contemplandum accingimur, reliquis omnibus non modo celebrius, sed et in foro receptius, eamdemque fere auctoritatem, cum legibus, consequutum. De eo vero priusquam dicamus, repetenda quaedam erunt de ipsis praetoribus, sed non nisi ea, quae ad intelligenda eorum edicta aliquid facere videbuntur, quum reliqua et vulgo nota sint, et ad institutum nostrum iam non pertineant. PRAETORIS vocabulum, (vt inde potissimum ordiamur,) latissimae olim significationis fuit, commune quippe reliquis magistratibus omnibus, qui summae rerum belli pacisue temporibus praeerant. Primum ergo belli duces, teste Pompeio Festo voc. *praetoria porta*, *pag.* 376. edit. Gothofr. PRAETORES dicti, quasi *praeitores*, eoque vocabulo scriptores Romani et exterarum gentium imperatores et duces adpellitare solent, veluti Cornelius Nepos *Milt. cap.* 4. *Themistocl. cap.* 2. *Aristid. cap.* 2. et alii passim. Deinde et vrbanis magistratibus idem nomen inditum, exemplo, nisi fallor, Graecorum, qui et ipsi, traducto a re militari ad vrbanas administrationes vocabulo, omnes magistratus στρατηγοὺς adpellabant. *Matth. cap.* 16. *v.* 35. *l.* 15. §. 9. *D. de excusat.* Vnde et Graecos historiae Romanae scriptores, veluti Polybium et Plutarchum, etiam consules Romanos κατ' ἐξοχὴν vocare solere στρατηγοὺς vel στρατηγοῦντας, itemque στρατηγοὺς ὑπάτους, demonstrauit Iac. Perizonius *Animad. Histor. cap.* 1. *pag.* 35. *seqq.* quum tamen vriusque scriptoris aetate iam pridem inualuisset, vt auulsa a consulatu iuris dictione, praetura proprie στρατηγία diceretur, et tunc non essent tempora, de quibus Festus: *initio praetores erant, qui nunc consules.* Ceterum

BIU Cujas

rum veram esse illam Festi obseruationem, exemplo non vno potest demonstrari. Iam enim a Plinio *Hist. nat. lib. XVIII. cap.* 3. et Gellio *Noct. Att. lib. II. cap. vlt.* animaduersum est, PRAETORIS mentionem factam esse in ipsis XII. tabulis, quum in vrbe nondum esset magistratus, qui speciatim id nomen ferret. Sed et Liu. *lib. VII. cap.* 3. *legis vetustae, priscis litteris verbisque scriptae* meminit, qua cautum fuerit, vt QVI PRAETOR MAXIMVS ESSET, ID. SEPTEMBR. CLAVVM PANGERET. Quo loco *praetorem maximum* dictatorem, consulem, aliumue supremum in vrbe magistratum intelligi, facile intelligitur. At ea vocabuli notio priscis tantum nota fuit temporibus, paullatimque videtur obsoleuisse, ex quo, qui iuris dictioni praeerant, κυρίως dici PRAETORES coeperunt. Quare quemadmodum supra *cap.* 4. §. 2. notauimus Maranum, qui illam vocabuli significationem et sequioribus temporibus obtinuisse existimauit: ita nec adsentiri possumus Ger. Noodtio, *Probab. lib. I. cap.* 6. existimanti, in iure nostro et aediles praefectosque vigilum aliquando praetorum nomine venire. Multoque minus magnum Scaligerum rem acu tetigisse arbitramur, dum in *Indice Gruteriano*, *cap.* 3. *voce* PRAETOR, ipsos quoque sacerdotes PRAETORES dictos esse existimat. Exempla quidem adducit ex aeterno Gruteri opere *pag.* 398. 7. *et pag.* 318. 7. vbi laudantur COLONIAE. OSTIENSIS. FLAMEN. PRAETOR. II. SACRA. VOLCANI. L. et CN. SERGIVS. CN. F. qui VOT. PRISCO. FILIO. SVO. PRAETORI. SACRIS. VOLCANI. EX D. D. AEDILI ADLECTO *fecit*: at inde non probatur, sacerdotes quosdam dictos praetores, verum illos, qui tum praetura fungebantur in colonia, eodem tempore flamines, et sacrarios Vulcani fuisse. Ita enim ex Marquardi Gudii emendatiore exemplari sese habet inscriptio, ex qua PRAETOREM SACRIS VOLCANI perperam exculpserat Scaliger:

M. CORNELI. M. F. VALERIANI EPA
GATIANI EQ.
DECVRIONI. SPLENDIDISSIMAE. COLONIAE. OSTI
ENSIS.
FLAMINI. PRAETORI. II. SACRA VOLCANI. L. ....
.... ENQVE. SODALI. ARV. ....
DECVRIONI. LAVRENTIVM. VICI. AVG. EIVS. ..
PATRONO. CORPORIS. LENVNCVLARIORVM. .....
AVXILIARIORVM. OSTIENSIVM.
VIXIT. ANNOS. XXXXI. ME. I.
M. CORNELIVS. M. F. PALAT. VALERIANVS. DECVRIO.

BIU Cujas

Non itaque *praetor ſacris Volcani* fuit M. Cornelius Valerianus Epagatianus, ſed *decurio Oſtienſis* ibidemque *flamen*, *iterumque praetor*, nec non SACRARIVS VOLCANI. Sic et alia marmora ſiſtunt SACRARIVM, Grut. *pag.* 1088. 9. SACRARIVM IVNONIS, *ibid. pag.* 308. 1. SACRANEAM, (fortaſſis *ſacrariam*) DEAE CERERIS, *ibid. pag.* 309. 2. AB. SACRARIO. DIVI. AVGVSTI apud Vignol. *in Column. Antonini pag.* 278. vt nihil certius videatur, quam Cornelium Oſtiae ſacrarii Volcani ſacerdotio eſſe functum, non praetoris ſacris Volcani, quale ſacerdotium nuſquam terrarum fuiſſe exiſtimamus.

§. II.

Primus praetor quando creatus?

Qui iuri dicundo Romae praeerat, praetor, creatus primum eſt anno V. C. 387. quum initio reges, ac deinde conſules, vti ſupra ex Dionyſii Hal. *Antiqu. lib. X. cap.* 1. *pag.* 627. oſtendimus, ius in vrbe agroque Romano dixiſſent. Et facile quidem reperta eſt cauſſa, qua populo, neceſſarium illum eſſe magiſtratum, perſuaderetur. Quum enim, vt ſcribit Pomponius *l.* 2. *§.* 27. *D. de orig. iur. conſules auocarentur bellis finitimis, neque eſſet qui in ciuitate ius reddere poſſet: factum eſt, vt* PRAETOR *quoque crearetur, qui* VRBANVS *adpellatus eſt, quod in vrbe ius redderet.* At obtentus hic fuit, quo tum palam vtebantur patres, vt nouum iſtum honorem a populo eo facilius impetrarent: cererum veram, eamque arcaniorem cauſſam, prodidit Liuius *lib. VI. cap.* 42. et *lib. VII. cap.* 1. ideo nempe creari praetorem voluiſſe patres, vt communicato cum plebe conſulatu, iactura illa nouo hoc honore penſaretur. Quum enim plebs alterum conſulatum perpetuis fere certaminibus demum patribus extorſiſſet: hi de induſtria, ne quid per plebeium conſulem ageretur, omnia proferebant, idque agebant vnice, vt loco amiſſi communicatique cum plebe honoris alium, eumque ſibi proprium, impetrarent, in quem iuris dictionem omnem, id eſt, praecipuam conſularis poteſtatis partem conferrent, vt, quantum huic decederet, tantum accreſceret illi, et ſic nihilominus ſumma iuris dictio facultatumque ciuium arbitrium penes patres ſummumque ex eorum numero praetorem eſſet, quippe collegam conſulibus, atque iiſdem auſpiciis creatum.

§. III.

BIU Cujas

§. III.

At ideo noxiam haud nocuit Pomponius, dum aliam reddidit rationem. Vere enim patres eam interserebant caussam, opus esse magistratu, qui consulibus bella finitima gerentibus, ius in vrbe redderet. Quis enim sibi persuaserit, plebem, pertaesam iam dudum impotentis patriciorum dominatus, nouum istum honorem iis tam facile fuisse concessuram, nisi his in promtu fuisset caussa, quam praetexerent, honesta ac probabilis? Ea vero non alia esse potuit, quam adlata a Pomponio. Quin ne vanam illam esse putes, iam inde ab illo tempore, quo praetor creari coepit, mansit institutum, vt profectis ab vrbe consulibus praetores cum consulari imperio vrbi praeessent, et *collega consulum*, testibus Gellio *Noct. Att. lib. XIII. cap.* 15. et Plinio *Panegyr. cap.* 77, §. 4. vocaretur, ceu obseruauit Petr. Faber *Comment. ad l.* 2. *de orig. iur.* Hinc auctor est Liu. *lib. X. cap.* 45. anno v. c. 459. absentibus L. Papirio et Sp. Caruilio, coss. a M. Atilio, praetore, legationes sociorum in senatum esse adductas. Idemque *lib. XXX. cap,* 17. memoriae prodidit, anno v. c. 669. P. Aelium, praetorem, absentibus consulibus, non modo Masinissae regis legatis senatum dedisse, sed et, misso senatu, pronunciasse verba sollemnia, quibus alioquin coss. vtebantur. P. C. NEMO VOS TENET, vel NIHIL VOS MORAMVR. Gemina his et *lib.* 30. *cap.* 21. 22. 23. nec non *libro XXIIII. cap.* 9. refert Liuius, simul obseruans, anno ab v. c. 538. factum esse SC. *vt Q. Fuluio, tum praetori, extra ordinem vrbana prouincia esset, isque potissimum, consulibus ad bellum profectis, vrbi praeesset.* Ex quibus facile patet, cur Cicero *ad diuers. lib. X. epist.* 12. scripserit: *placuit nobis, vt statim ad Cornutum, praetorem vrbanum, litteras deferremus: qui, quod consules abessent,* CONSVLARE MVNVS *sustinebat* MORE MAIORVM. Quin sub ipsis imperatoribus, teste Tacito *Histor. lib. IIII. cap.* 4. praetor eumdem tuebatur locum, et proinde de extremis Caligulae temporibus scribit Dio Cass. *Histor. lib. LVIIII. pag.* 659. Καὶ ἔδει μὲν τοὺς στρατηγοὺς, οἷς τὰ τῶν ὑπάτων ἔργα, ὁπόταν ἀποδημήσωσι μέλει, πάντα αὐτοὺς ἐπιτετελεκέναι: *ac debuerant quidem praetores, quibus per absentiam consulum curanda eorum negotia veniunt, omnia eorum munera obiisse.* Quamobrem tamquam singulare quid atque inusitatum, obseruat Suetonius *Iul. cap.* 76. ex eoque Ez. Spanhemius *de vsu et praest.*

Obtentus patrum, sub quo praeturam impetrabant a plebe. Praetores collegae consulum.

BIU Cujas

praeſt. num. tom. II. pag. 118. quod Iulius Caeſar, profectis ab vrbe conſulibus, praefectos pro praetoribus conſtituerit. Semper enim alias coſſ. abſentium vice fungebantur praetores, eo quippe obtentu creati, vt profectis coſſ. vrbi cum conſulari imperio praeeſſent.

§. IIII.

Magiſtratus hic primum patriciorum proprius, poſtea cum plebe communicatus.

Ex eo autem iam porro facile intelligitur, magiſtratum hunc initio patribus veluti peculiarem ac proprium fuiſſe. Sane et Sp. Furius Camillus, primus praetor, et eius in magiſtratu ſucceſſores e gentibus patriciis erant, vſque ad annum v. c. 418. quo plebs, quam ſtatim teſte Liuio *lib. VII. cap.* 1. poenituit: *pro conſule vno tres patricios magiſtratus, curulibus ſellis, praetextatos, tamquam coſſ. ſedentes, nobilitatem ſibi ſumſiſſe*, primum de plebe praetorem creauit Q. Publicium Philonem, *aduerſante quidem Sulpicio coſ. et negante, rationem ſe eius habiturum, at ſenatu, quum in ſummis imperiis id non obtinuiſſet, minus in praetura tendente*, Liu. *lib. VIII. cap.* 1. Quare perperam nonnulli exiſtimant, tum demum iucundiſſima huius honoris poſſeſſione deturbatos eſſe patricios, quum praetori vnico, qui initio iuris dicundo ſufficere videbatur, alter peregrinus adiungeretur. Nec magis verum eſt, quod ſcripſit Gundlingius *in* Πρώτ. *Pand. lib. I. tit.* 14. *§.* 3. *pag.* 113. *a.* v. c. 417. *additum eſſe praetorem ex plebe.* Neque enim eo anno additus eſt praetor, ſed demum nonaginta tribus annis poſt, ipſo hoc paullo poſt fatente viro doctiſſimo, creari bini coeperunt: nec vmquam cautum legimus, vt ex binis alteruter plebeii generis eſſet, ſed vt praetor promiſcue ex plebe ac patribus crearetur.

§. V.

Primum vnum, nempe vrbanum, poſtea et peregrinum creatum. Praetor vrbanus *maior* dictus: an et *honoratus*?

De augendo itaque praetorum numero primum cogitatum eſt, non *poſt aliquot annos* a praeturae origine, vt ſcribit Pomponius *d. l.* 2. *§.* 28. *D. de orig. iur.* quem ἐν πλάτει καὶ παραπανῶς hic loquutum, exemplis defendit Rupert. *in animaduerſ. ad Enchirid. Pompon. lib. II. cap.* 14. *pag.* 130. *ſequ. edit. nou.* ſed a. v. c. 510. id eſt, centeſimo viceſimo tertio poſt, ex quo primum vrbs praetorem viderat. Tunc demum Liuii *Epitomator lib. XVIII. duos praetores primum creatos eſſe*, refert. Eorum alter *vrbanam*, alter *peregrinam* iuris dictionem ſortiebatur. Nam *non ſufficiente praetore vrbano, quod multa turba etiam peregrinorum in ciuitatem veniret, creatus eſt et alius praetor, qui* PEREGRINVS *adpel-*

BIU Cujas

adpellatus est, ab eo, quod plerumque inter peregrinos ius dicebat, inquit Pomponius *l.* 2. §. 28. *D. de orig. iur.* At non tantum peregrinis inter se litigantibus ius reddebat hic praetor, sed et quoties inter ciues et peregrinos lis intercederet. Vnde in marmoribus audit PRAETOR, QVI INTER CIVES ET PEREGRINOS IVS DICIT. Reines. *Inscript. class. VII. n.* 10. itemque ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ. Gruter. *Inscript. pag.* 503. Nimirum bini isti praetores, singulis ab eo tempore annis creati, sorte inter se transigere quotannis solebant, vtri vrbana, et vtri peregrina iurisdictio in illum annum obueniret. Liuius *lib. XXXII. cap.* 28. *Prius*, inquit, *de praetoribus transacta res, quae transigi sorte poterat.* VRBANA *Sergio*, PEREGRINA *iuris dictio Minucio obtigit.* Honorificentiorem tamen fuisse praeturam vrbanam, quam peregrinam, inter omnes constat, idque vel inde patet, quod licet ambo iisdem crearentur auspiciis, solus tamen vrbanus PRAETOR MAIOR diceretur. Festus voc. *maior consul. pag.* 309. *edit. Gothofr. maiorem consulem L. Caesar puta dici vel eum, penes quem fasces sint, vel eum, qui prior factus sit:* PRAETOREM *autem* MAIOREM *vrbanum, minores ceteros.* Et Plutarchus *in Brut. pag.* 987. inter Brutum et Cassium, licet adfines, consiliorumque socios, magnum tamen exarsisse scribit certamen ob id tantum, quod vterque adfectaret iuris dictionem vrbanam, ὡς πλαιόνων ἑκατηγιῶν ἀυσῶν ΤΗΝ ΜΕΓΙΣΤΟΝ ΕΧΟΥΣΑΝ ΑΞΙΩΜΑ, *quae inter multas praeturas maximae fuerit dignationis.* Quale certamen etiam inter Coelium Rufum et Trebonium ortum testatur Dio Cass. *lib. XXXXII. pag.* 195. Non minus enim ille indignatus est, ὅτι μὴ ἀξυνόμησε, καὶ ὅτι ὁ Τριβώνιος ὁ συνάρχων αὐτῷ, ὁ κληρωτός, (ὥσπερ εἴθιστο,) ἀλλ' αἱρετὸς ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἐς τὴν ἀξυνομίαν προεκρίθη, *quod sibi praetura vrbana non obtigerit, sed collega Trebonius, non sorte pro more prisco, sed electione Caesaris in praetura vrbana sibi praelatus sit.* Quin ipse Caesar *de bell. ciuil. lib. III. cap.* 20. in tantum ob id efferbuisse ait, turbulenti hominis iram, *vt initio magistratus tribunal suum iuxta C. Trebonii, praetoris vrbani, sellam collocaret, et, si quis adpellasset, de aestimationibus et de solutionibus, quae per arbitrum fierent, vt Caesar praesens constituerat, fore auxilio pollicetur.* Ex quo loco, quod obiter moneo, colligere non debebat Burch. Gotth. Struuius *Hist. Iur. cap.* 1. §. 23. praetorem peregrinum in eadem sella cum vrbano adsidentem ius dixisse. Satis ergo certum atque exploratum est,

BIU Cujas

praeturam vrbanam peregrina praestitisse, eumque, cui haec obtigisset, PRAETOREM MAIOREM dictum esse: at non aeque expeditum videtur, quod statuit Ezech. Spanh. *de vsu et praest. numism. tom. II. pag.* 119. etiam HONORATI cognomen praetorem vrbanum tulisse. Versus enim Ouidii *Fast. lib. I. v.* 52.

Verbaque HONORATVS *libera* PRAETOR *habet*

ad praeturam generatim pertinet, et reliquis praetoribus non minus, quam vrbano, ius erat, pronunciare verba sollemnia DO, DICO, ADDICO, ad quae adludere poëtam, facile adparet.

§. VI.

Numerum praetorum subinde auctum.

At ne intra hunc quidem modum stetit Praetorum numerus. Florus enim, epitomator Liuii, *lib. XX.* vbi de rebus anni ab v. c. 525. agit: *praetorum*, inquit, *numerus ampliatus est, vt essent quatuor.* Paullo post sex creati, de quibus Pomponius *l. 2. §. 32. D. de orig. iur. capta Sardinia, mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi prouincia, totidem praetores, quot prouinciae in ditionem venerant, creati, partim qui vrbanis rebus, partim, qui prouincialibus praeessent.* Res, quam, temporibus non admodum adcurate distinctis, ἐν πλάτει narrat Pomponius, ita se habet. Placuerat ab anno v. c. 525. quatuor creare praetores, quorum vnus *vrbanam* iuris dictionem, alter *peregrinam*, tertius *Siciliam*, quartus *Sardiniam* prouincias sortiretur. Liu. *lib. XXIII. cap.* 30. His vero anno v. c. 555. teste eodem Liuio *lib. XXXII. cap.* 27. 28. et *lib. XXXIII. cap.* 26. 43. additi duo alii, et tunc *vrbana* iuris dictio Sergio, *peregrina* Minucio, *Sardinia* Atilio, *Sicilia* Manlio, *Hispania citerior* Sempronio, *vlterior* Heluio obtigit. Hinc est, quod ἀνισορηοίας Pomponium coarguit ὁ πάνυ Cuiacius, quod, insuper habita Liuii auctoritate, duabus Hispaniis vnum praetorem, ac praeterea Galliae Narbonensi alterum praefecerit, quum tardius haec prouincia in potestatem Romanorum sit redacta. Sed salua omnino res est. Non ad temporum rationes sese hic adstringit Pomponius, sed laxiore narratione mutationes omnes, quae ab anno v. c. 555. vsque ad L. Cornelii Sullae tempora contigerunt, complectitur: neque etiam absciisse de senis praetoribus loquitur, sed prudenter subiicit, *totidem praetores, quot prouinciae in ditionem venerint, creatos.* Iam satis constat, non vnam eamdemque semper isto temporis interuallo obseruatam esse rationem sortiendi iuris dictiones et prouincias. Quum enim aliquando vni simul obtigerit vrbana ac peregrina iuris dictio:

BIU Cujas

dictio: Liu. *lib. XXXV. cap.* 41. quidni et vtraque Hiſpania coniungi potuerit? et quidni Gallia Narbonenſis, quam Sigonius *de antiquo iure prou. lib. I. cap.* 6. prouinciam praetoriam fuiſſe teſtatur, in ſortem aliquando venerit? Ceterum ſeni iſti, quos aliquamdiu ſingulis annis creatos diximus, modo onerare rem publicam, modo ne ſufficere quidem inſequentibus temporibus videbantur. Hinc anno v. c. 573. cautum eſt lege Baebia, vt alternis annis quaterni praetores crearentur. Liu. *lib. XXXX. cap.* 44. Poſtea, quum quaeſtiones publicas de falſo, aliiſque criminibus conſtituiſſet L. Cornelius Sulla, praetores additi quatuor, vt iam octo eſſent. Ita recte Pomponius *l.* 2. *§.* 32. *D. de orig. iur.* perperam vero illi, qui nullam habentes legis Baebiae rationem, in numero erraſſe Pomponium, et pro decem octo ſcripſiſſe contendunt. Deni praetores demum poſt L. Sullae tempora creati ſunt a C. Iulio Caeſare, de quo Dio Caſſius *lib. XXXXII. pag.* 209. ἵνα πλείοις αὐτῶν ἀμείψηται, στρατηγὰς δέκα εἰς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀπέδειξε, *vt pluribus referret gratiam*, DECEM PRAETORES *in eum annum deſignauit.* Eum numerum ſubinde poſtea auctum a Caeſare nouimus, primum ad duodecim, *d. l.* 2. §, 32. *D. de orig. iur.* deinde ad quatuordecim, Dio *Lib. XXXXIII. pag.* 237. tum denique ad ſedecim, Id. *lib. XXXXIII. pag.* 239. manſitque hic numerus aliquamdiu ſub Auguſto, donec hic illum ad duodenarium reuocauit. Dio *lib. LVI. pag.* 586. Quamuis vero conſtitutum hunc praetorum numerum primis imperii annis ſancte ſeruaret Tiberius, et, hortante ſenatu, vt augeret, iureiurando ſeſe obſtringeret vltro, illum ſe non eſſe exceſſurum: Tacit. *Annal. lib. I. cap.* 14. tantum tamen abeſt, vt ſteterit promiſſis, vt extremis eius temporibus iterum arbitrarius eſſe coeperit praetorum numerus. Dio Caſſ. *Lib. LVIII. pag.* 634. τῷ γὰρ ἐπιόντι ἔτει ἐν ᾧ ὅ, τε Γάλβας Σέρουιος ὁ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτωρ ἀναδειχθεὶς, καὶ Λέντλος Κορνήλιος τὸ τῶν ὑπάτων ὄνομα ἔσχον πεντεκαίδεκα στρατηγοὶ ἐγένοντο. καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλὰ ἔτη συνέβη· ὥστε ἔστι μὲν ὅτε ἑκκαίδεκα, ἔστι δ' ὅτε καὶ παρ' ἕνα ἢ καὶ δύο χειροτονεῖσθαι: *anno inſequente* (ab v. c. 786.) *quum Sergius Galba, is, qui poſtea imperator factus eſt, et L. Cornelius coſſ. eſſent, quindecim praetores fuerunt, idque multis annis accidit, vt nonnumquam ſedecim, nonnumquam vno aut duobus plures paucioresue fierent.* Ad ſummum itaque XVIII. praetores in vrbe fuerunt ſub imperatoribus, nec plures ſaltim ad Hadrianum vſque reperias apud veteres, ceu recte obſeruauit

BIU Cujas

Henr. Dodwell. *Praelect. Cambden. XIII. §. 8. pag. 451. seqq.* Sequentes principes idem sibi procul dubio arbitrium vindicarunt augendi minuendiue praetorum numerum, maxime quum extremis temporibus praetura, teste Boëthio *Consol. ex philos. lib. III. prosa 4.* in *inane nomen, et senatorii census grauem sarcinam*, euasisset.

§. VII.

Praetores *de fideicommissis, tutelares, liberales, fiscales, aerarii.* An et *cereales?*

Inter hos erant et illi, qui notionem de fideicommissis, de tutelis, et de caussis fiscalibus, atque etiam inde singularia nomina sortiebantur. Quum enim primo fideicommissa, antea inter exempla probitatis ac perfidiae fluctuantia, iam inde ab Augusti temporibus necessitatem iuris accepissent, et de illis tamen ius minus diligenter diceretur: Claudius imperator, vt refert Suetonius in *Claud. cap. 23. iuris dictionem de* FIDEICOMMISSIS, *quotannis, et tantum in vrbe delegari magistratibus solitam, in perpetuum, atque etiam per prouincias, potestatibus demandauit.* Quo ipso innuere videtur, Claudium iuris dictionem de fideicommissis, quum antea in vrbe modo huic, modo alteri magistratui extra ordinem data esset, in prouinciis autem illa plane negligeretur, vtrobique certam ac stabilem fecisse, ac proinde in vrbe certos constituisse praetores, qui de illis ius dixerint, in prouinciis autem eam notionem potestatibus, id est, Iuiris municipiorum delegasse. Rem omnem ita multo planius exponit Pomponius noster in *l. 2. §. 32. D. de orig. iur. post deinde diuus Claudius duos praetores adiecit, qui de fideicommissis ius dicerent, ex quibus vnum diuus Titus detraxit.* Ex quo loco simul discimus, existimasse Titum imp. vnum sufficere *praetorem fideicommissarium*, vel, vt in marmoribus apud Grut. *Inscript. pag. 393. 6.* et Car. Caesarem Maluasiam *Marm. Felsin. sect. V. cap. 11. pag. 265.* vocatur PRAETOREM DE FIDEICOMMISSIS, nec opus esse, vt per plures ea iuris dictio spargeretur. Ceterum non penes solum hunc praetorem vniuersam de fideicommissis omnibus notionem fuisse, sed et consules de summis maioribus ius dixisse, iam supra *cap. 4. §. 4.* obseruauimus. Deinde sub imperatoribus et PRAETOR TVTELARIS in vrbe esse coepit, a M. Antonino, teste Iulio Capitol. in *vita Marci cap. 13.* primum constitutus, quia negligentius eo munere adhuc functi fuerant consules, quibus Claudius id negotii dederat. Suet. *Claud. cap. 23.* Tales postea *praetores tutelares* in marmoribus passim celebrantur, veluti apud Grut.

pag.

BIU Cujas

pag. 312. 1. et Reines. *Inscript. Class. VI. n.* 4. vbi occurrit ANICIVS AVCHENIVS BASSVS PRAET. TVTELARIS. Nec alius est *praetor, clarissimus vir, qui tutelaribus cognitionibus praesidet, l.* 3. *C. Th. de tut. et curat.* itemque *iudex tutelaris*, Paull. *Sent. recept. lib. V. tit.* 16. §. 2. ac denique *praetor*, ἐπιτρόπων προκαθήμενος, seu *tutorum praeses*, cuius mentionem facit Iustinianus *Nou. VII. cap.* 1. §. 1. Ibidem Iustinianus ex praetoribus vnum τῶν ἐλευθερικῶν προκαθήμενον, seu *libertatum praesidem* fuisse adfirmat, qui ipse est PRAETOR LIBERALIS, quem de caussis liberalibus ius dixisse legimus. *l.* 1. *C. si manc. ita ven.* Denique et aerarii ac fisci curam quidam ex praetoribus aliquamdiu habuerunt. Loco enim quaestorum aerario Caesar primus praefecit aedies: Dio Cass. *lib. XXXXIII. pag.* 237. postea Augustus illis praetores aut praetorios praetulit. Id. *Lib. LIII. pag.* 427. Suet. *Aug. cap.* 36. Hinc sub Claudio aerarii administratio iterum ad quaestores veluti postliminio rediit. Suet. *Claud. cap.* 24. Denique Nero praefectos aerarii ex viris praetoriis legit, Tacit. *Annal. lib. XIII. cap.* 29. iisque deinde constanter aerarii fiscique cura videtur incubuisse, nisi, quod post Neronis excessum inter bella ciuilia iterum aliquando memorantur praetores aerarii apud Tacit. *Histor. lib. IIII. cap.* 9. Sub Augusto itaque et Tiberio frequenter occurrunt PRAETORES AERARII, vel ΣΤΡΑΤΗΓΟΙ ΕΠΙ ΤΗΣ ΔΙΟΙΚΗΣΕΩΣ, non modo apud Tacitum *Annal. lib. I. cap.* 75. Dion. Cass. *lib. LX. pag.* 671. Frontin. *de Aquaeduct. lib. II.* sed et in marmore apud Gruter. *pag.* 360. 3. quum contra a Neronis temporibus qui aerarium tractabant, non amplius praetores, sed praefecti aerarii dicantur. *l.* 12. *D. de his, quae vt indign. l.* 15. *et l.* 42. *D. de iur. fisci.* Praetores etiam CEREALES fingunt Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib. II. cap.* 15. Grauina *de orig. iur ciu.* §. 37. et Rosin. *Antiqu. Rom. lib. VII. cap.* 1. et in partes suas trahere conantur Pomponium, vt qui *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* memoriae prodiderit, C. Iulium Caesarem *duos praetores et duos aediles, qui frumento praeessent, et a Cerere Cereales dicerentur, constituisse.* At certe non praetores Cereales constitutos refert, sed aediles, ceu iam ex instituto docuerunt Rupert. *Animaduers.* in *Pompon. Enchirid. lib. II. cap.* 18. *pag.* 144. *sequ. edit. nou.* et Bern. Henr. Reinold. *Var. cap.* 3. *pag.* 26. *seqq.* Nimirum Caesar publici frumenti curam demandauit duobus aedilibus, iisque non curulibus, sed plebeiis, de quibus Dio Cass.

BIU Cujas

lib. XXXXIII. pag. 239. Καὶ ἐς μὲν τὸ πρῶτον ἔτος ἑξέτερον ἐξ ἀγορανόμοι τότε πρῶτον· δύο μὲν ἀφ' εὐπατριδῶν, τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους· ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρεσιν. Quod vulgo perperam vertunt: *eodem anno primum sex aediles sunt constituti, duo patricii, qui Cereris aediles vocarentur, quatuor plebeii:* quum potius sensus sit, *eum in annum primum in vrbe fuisse sex aediles, duos ex optimatibus, quatuor ex plebe, ex his vero plebeiis binos a Cerere cognomen accepisse.* Addit Dio: ὅπερ πω καὶ ἐς τόδε ἐξ ἐκείνου καταδεχθὲν ἐμμεμένηκε, *isque mos*, nempe vt duo aedilium plebis frumentum publicum curarent, *ad nostram vsque aetatem permansit*: quod et marmora apud Gruter. *pag.* 272. 5. et *pag.* 392. 9. confirmant, in quibus mentio fit AEDILIVM PLEBIS CERIALIVM.

§. VIII.

Praetoris iuris dictionem constituisse *in dando*,

Sed haec quidem de praetorum origine, numero, diuersisque iuris dictionibus dicta sufficiant. Proximum est, vt de eorumdem potestate atque officiis, de quibus edicta proponere consueuerant, dispiciamus. Paucis vt rem omnem complectar, ordinarium praetorum munus in iure dicundo consistebat: praeter istud autem varia iis extra ordinem delegari solebant, quae cum iuris dictione ceteroquin parum aut omnino nihil commune habere videbantur. Iuris dictionem praetoriam tribus verbis exprimebant veteres, praetoremque, explicantem iuris dictionem suam, aut DARE, aut DICERE, aut ADDICERE tradebant. Hinc in legibus antiquis Mamilia, Peducea, Alliena, Fabia de finibus agrorum apud Frontinum frequens formula: EI, QVI IVRI DICVNDO PRAEERIT, DE EA RE IVRISDICTIO, IVDICISQVE DATIO ADDICTIO ESTO. Quin et dies, quibus praetor ius diceret, ideo FASTOS adpellatos obseruant, quia praetor iis verba sollemnia sine piaculo fari posset, NEFASTOS vero, quibus ea fari nefas esset, eaque pronuncians praetor piaculum faceret. Loca Varronis *de lingua Lat. lib. V. pag.* 50. *et* 54. Ouidii *Fast. lib. I. v.* 47. 51. Macrobii *Saturnal. lib. I. cap.* 16. tamquam in vulgus nota hic adscribere piget, at magis fuerit operae pretium scire, quid demum DEDERIT, DIXERIT, ADDIXERIT praetor, quando iuri dicundo dederit operam. *Necesse est* enim, inquit Varro, *praetorem aliquo eorum vti verbo, quum lege quid peragitur.* DABAT nimirum praetor, si postularetur, ACTIONEM, eamdemque, si ita videretur, etiam negabat, quia eiusdem erat, dene-

BIU Cujas

denegare actionem, cuius erat et dare: *l.* 102. §. 1. *D. de regul. iur.* cuiusmodi exempla datae denegataeue a praetore actionis sunt apud Auct. *ad Herenn. lib. II. cap.* 13. Ciceron. *in Verr. lib. III. cap.* 54. Valer. Max. *lib. VII. cap.* 7. *ex.* 7. DABAT et EXCEPTIONES, si postularentur, easque vel inserebat formulae, vel, si ad rem nihil facerent, reiiciebat. Sane et hic permultum relictum erat praetoris arbitrio, et vti bonae fidei iudiciis exceptiones quaedam inerant, *l.* 21. *D. solut. matr. l.* 84. §. 5. *D. de legat.* 1. *l.* 3. *D. de rescind. vendit.* in negotiis stricti iuris saepe diserte adiiciebantur, et tunc quoque iis merito tuendus erat reus: *l.* 7. *D. de condit. instit.* ita reliquis casibus eo iure vtebantur Romani, vt praetor ex caussa aestimaret, an hanc exceptionem dare deberet. *l. vn. §. 6. D. ne quid in flum. publ.* Hinc quaestionem videmus exortam, purumne iudicium dandum sit, an addi oporteat exceptionem? Cic. *de inuent. lib. II. cap.* 20. Hinc idem Cic. *de orat. lib. I. cap.* 37. suauiter ridet hominem ex numero disertorum, postulantem, vt reo daretur vetus atque vsitata exceptio: CVIVS PECVNIAE DIES FVISSET. Hinc denique adpellandus erat tribunus plebis, si quis sibi exceptionem a praetore iniuria negatam existimaret. Quo adludens Cicero *Acad. quaest. lib. IIII. cap.* 30. POSTVLANT, inquit, *vt excipiantur haec inexplicabilia. Tribunum aliquem, censeo, videant: a me istam exceptionem nunquam impetrabunt.* DABAT praetor et ADVOCATOS, non habentibus, id enim diserte promiserat edicto: SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO, *l.* 1. §. 4. *D. de postul.* et notus est locus hominis Siculi apud Cic. *de orat. lib. II. cap.* 69. qui, quum Scipio, praetor, ei postulanti daret patronum hospitem, hominem nobilem illum quidem, sed stultissimum: *quaeso*, inquit, *praetor, aduersario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis,* Nemo porro ignorat, praetorem DEDISSE IVDICES et ARBITROS, eorumque notionem formula circumscripsisse, DEDISSE, si qua ei iusta caussa videretur, RESTITVTIONEM IN INTEGRVM, DEDISSE BONORVM POSSESSIONEM siue ex edicto suo, siue interposito decreto. Haec enim in iure nostro etiamnum vtramque faciunt paginam, ac proinde nota sunt et illis, qui alioquin nihil sciunt.

§. VIIII.

BIU Cujas

§. VIIII.

dicendo, et

Deinde et DICENDO sese exserebat praetoris iuris dictio. DICEBAT enim, quoties proposito edicto fieri omittiue quidquam vellet. DICEBAT in vindiciis viam, de quo vindiciarum ritu Cic. *pro Muraen. cap.* 12. *praetor interea, ne pulcrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est, cum ceteris rebus absurdum, tum vero in illo*: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS PRAESENTIBVS ISTAM VIAM DICO. INITE VIAM. *Praesto aderat sapiens ille, qui inire viam doceret.* EDITE VIAM. *Eodem duce redibant.* Sed eum locum nos infra pluribus interpretabimur. DICEBAT deinde praetor, quoties interdictum vel iuris publici tuendi, vel possessionis, vel aliarum rerum, moram haud ferentium, caussa proponebat. DICEBAT porro mulctam, si quis eius iuris dictionem contemtui habuisse videretur, vel ei ius dicenti non obtemperasset. *l. vn. pr. §. vlt. D. si quis ius dic. non obtemp.* In primis vero, quoties vel ludos, vel ferias indicebat, quod et ipsum inter ordinaria praetoris munia erat, DICENDO explicabat officium suum, et vel eo potissimum nomine Cicero *pro Muraen. cap.* 20. praeturam vocat *egregiam, et ad consulatum aptam prouinciam, in qua laus aequitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum* LVDORVM *voluptas concludatur.* Ita praetor indicebat compitalia, idque verbis sollemnibus: DIE NONI POPOLO ROMANO, QVIRITIBVS, COMPITALIA ERVNT. QVANDO CONCEPTA FVERINT NEFAS. Gell. *Noct. Att. lib. X. cap.* 24. Ita et, quoties terra in vrbe mouebat, toties ferias aduocata concione, indicebat praetor, idque Suetonius *in Claud. cap.* 22. ad illa vsque tempora obseruatum esse, testatur. At nihil celebrius ludis Apollinaribus, in quibus vel maxime exsplenduit praetoris maiestas. Faciendis illis ex antiquo Marcii, vatis, carmine apud Liuium. *lib. XXV. cap.* 12. et Macrob. *Saturn. lib. I. cap.* 17. praeesse oportebat PRAETOREM EVM, QVI IVS POPVLO PLEBIQVE DARET SVMMVM. Is vero erat praetor vrbanus, vel, si hic in vrbe non esset, is, qui inter ciues ac peregrinos ius dicebat, quale exemplum exstat apud eumdem Liuium *lib. XXXVIIII. cap.* 39. Itaque eos ludos, priusquam iis dies status, 3°. Non. Quinctil. praefigeretur, (quod anno v. c. 544. factum refert Liu. *lib. XXVII. cap.* 23.) vouebat indicebatque praetor, iisque deinde praeerat tanta cum ostentatione maiestatis, vt triumphali indutus veste, quadri-

BIU Cujas

quadrigis per circum sublimis veheretur, ceu ex Iuuenal. *Sat. X. v.* 36. et Plin. *Hist. nat. lib. XXXIIII. cap.* 5. docuit Ez. Spanhem. *de vsu et praest. numism. Tom. II. pag.* 121. qui etiam obseruat, saluam hanc fuisse praetori praerogatiuam, etiam postquam status esse coeperat horum ludorum dies, ad Augusti tempora, qui primus hunc splendorem praetori denegarit. Insequenti tempore vniuersorum paene ludorum curatio in praetores translata est, eaque fere sola istorum officium absoluebatur, ceu ex Dione, Symmacho, aliisque sequioris aeui scriptoribus idem Spanhemius *pag.* 142. tam luculenter probauit, vt actum hic agere nolimus.

§. X.

Denique et ADDICENDO iuris dictionem explicabat praetor. Sic ADDICEBAT rem in iure cessam. *In iure* enim *cessio*, vt est apud Vlpian. *Fragm. tit.* XVIIII. §. 9. *fiebat per tres personas, in iure cedentes, vindicantes,* ADDICENTES. *In iure cedebat dominus, vindicabat is, cui cedebatur,* ADDICEBAT PRAETOR. Quod adcuratius explicans Caius apud Boëth. *Comment. in Topica Cic. lib. III. In iure cessio*, inquit, *fit hoc modo. Apud magistratum, vel apud praetorem, vel apud praesidem prouinciae, is, cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat :* HVNC EGO HOMINEM EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. *Deinde, postquam hic vindicauerit : praetor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet ? quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit, eam rem addicit, idque legis actio vocatur.* Ex quibus facile patet, hoc etiam ad adoptiones pertinuisse. Adoptabantur enim liberi, quum a parente, in cuius potestate erant, tertia mancipatione in iure cederentur, atque ab eo, qui adoptabat, apud eum, apud quem legis actio erat, vindicarentur. Gell. *Noct. Att. lib. V. cap.* 19. Sic et seruo, vindicta manumisso, praetor ADDICEBAT libertatem. Ad eum enim ritum adludit Cicero *ad Att. lib. VII. epist.* 2. dum scribit : *itaque vsurpaui vetus illud Drusi, vt ferunt, praetoris, in eo, qui eadem liber non iuraret, me istos* LIBEROS *non* ADDIXISSE, *praesertim quum adesset nemo, a quo recte vindicarentur.* Nec minus praetor ADDICEBAT IVDICES. Quemadmodum enim litigantium erat, eos probare, et quos parum idoneos censebant, reiicere : Val. Max. *Histor. lib. II. cap.* 8. *ex.* 2. Cic. *de orat. lib. II. cap.* 70. *pro Cluent. cap.* 43. ita praetorem eos, qui conuenissent, addicere oportebat, *in addicendo.*

BIU Cujas

l. 80. *D. de iudic.* idque tanta fiebat auctoritate, vt addicti inuiti quoque eas in se partes suscipere tenerentur. *l.* 13. §. 2. *D. de vacat. et excus.* Sueton. *Claud. cap.* 15. Plin. *lib. III. epist.* 20. *lib. X. epist.* 66. Vetere iure XII. tabularum et obaeratos creditoribus ADDICEBAT praetor, de quorum statu et conditione videndus Quinctilian. *Inst. orat. lib. VII. cap.* 4. Ex quo vero mitioribus legibus cautum erat, vt non corpora ingenuorum, sed eorum bona creditoribus essent obnoxia: haec proscripta sub hasta ADDICEBAT plus licitantibus, Hinc toties mentionem fieri animaduertimus *hastae praetoris*, Senec. *de breu. vit. cap.* 11. *hastae decemuiralis*, *l.* 2. §. 29. *D. de orig. iur. hastae, cui subiiciebantur, quae venumdabantur publice*, de qua Fest. voc. *Hastae.* Quin inter praecipua praeturae insignia hasta videtur fuisse, eamque ex mea quidem sententia praefert nummus apud Patin. *de famil. Rom. pag.* 60. in cuius antica caput Augusti est cum epigraphe: AVGVSTVS; in postica mensa et hasta, cum litteris: AVGVSTVS TR. POT. L. CANINIVS GALLVS IIIVIR. Equidem mensam illam cum hasta pro praetorio habuit Fulu. Vrsinus: pro lectisternio Vaillantius *de famil. Rom. tom. I. pag.* 227. neutrum vero ibi reperiri expressum, adcurate docuit Ez. Spanhemius *de vsu et praest. numism. tom. II. pag.* 192. qui tamen nec ipse pro certo dicere ausus est, quid sibi illa figura velit. Mihi mensa et hasta illa insignem aliquam auctionem videntur indicare, qualis illa L. Cornelii Sullae, qui teste Cicerone *de offic. lib. II. cap.* 8. *ausus est dicere*, HASTA POSITA, *quum bona in foro venderet, et bonorum virorum et locupletum, et certe ciuium, praedam suam se vendere.*

§. XI.

Munera praetorum extraordinaria.

Et in his quidem ordinarium consistebat praetorum officium. At praeter haec istis permulta alia extra ordinem vel SCtis, vel speciali quadam lege deferebantur, quae alioquin iure proprio explicare non potuissent. Huc pertinebat tutorum datio, quae antequam a Claudio imp. coss. et postea a M. Aurelio Antonino praetori tutelari delegata esset ex lege Atilia intra vrbem incumbebat praetori cum maiore parte tribunorum plebis. *pr. Inst. de Atil. tut.* Quod quam antiquum sit institutum, vel inde patet, quod iam anno v. c. 566. *Hispalam Fecenniam, quum in nullius manu esset, tutorem a* TRIBVNIS *et* PRAETORE *petiisse*, testatur Liu. *lib.* XXXVIIII. *cap.* 9. Ad extraordinariam quoque

BIU Cujas

quoque praetoris iuris dictionem pertinebat decretum super transactione de alimentis ex SCto celeberrimo interponendum. Neque enim aliter explicari illud negotium poterat, quam auctore praetore, *l.* 8. *pr. D. de transact.* idque tam videbatur necessarium, vt nec mandare ex hac caussa iuris dictionem vel praeses prouinciae, vel praetor, posset. *d. l.* 8. §. 18. *D. eod.* Id quod singulare ac genuinum est signum delatae lege speciali vel extraordinariae iuris dictionis. *l.* 1. *pr. D. de offic. eius, cui mand. est iuris dict.* Simile quid Vlpianus *l.* 2. *§.* 1. *D. eod.* obseruat de decreto super alienatione praediorum minoris interponendo: vt adeo et eam cognitionem ad extraordinariam praetoris iuris dictionem pertinuisse dicendum sit. Omittimus alia, quae pacis bellique temporibus in ipsa rei publicae curatione demandari praetoribus consueuerunt, veluti viarum publicarum munitionem, fistularum, castellorum, riuorum, aquaeductuum tutelam, locorum sacrorum refectionem, librorum suspectorum nefandorumque sacrorum prohibitionem, similiaque innumera, quorum si vel recensum instituere conarer, verendum mihi esset, ne taedio sim futurus lectoribus. Sane qui vel solum euoluerit Liuium, ei talia ad singulos fere annos quam plurima occurrent, quae senatus non per alios rectius, quam per praetores posse explicari, censuit.

§. XII.

Omnes praetores de iuris dictione sua, rebusque curae suae demandatis, edicta proposuisse.

Ex his, quae de praetorum potestate atque officio hactenus diximus, facile vnusquisque intelliget, quam frequentem ac paene quotidianam iis esse occasionem oportuerit, ciues, propositis edictis, de rebus variis admonendi, et quidem non modo praetoribus VRBANIS, sed et reliquis omnibus, quibus vel iuris dictio inter ciues et PEREGRINOS, vel PROVINCIARVM administratio, vel QVAESTIONES de criminibus publicis sorte obtigerant. De praetorum vrbanorum edictis res dubio caret: nec magis cuiquam ambigendum videbitur, praetores etiam prouinciales edicta proposuisse, ad iuris dictionem suam comparata. De reliquis, quum res non adeo peruulgata videatur, operae pretium fuerit, hoc paucis demonstrare. Praetori equidem PEREGRINO ius edicendi negant viri doctissimi, Franc. Hotomannus *de magistr. Rom. pag.* 396. Georg. Schubartus *de fatis iuris prud. Rom. pag.* 399. et Nic. Hier. Gundling. in Πρωτ. *Pand.*

BIU Cujas

tit. de orig. iur. §. 31. in eo tamen inter se quodammodo discordes, quod Hotomannus praetorem peregrinum ex edicto vrbano, reliqui ex iuris naturae et gentium praeceptis ius dixisse, contendant. Enimuero praetorem peregrinum non minus, ac vrbanum, edicta proposuisse, recte vidit Bern. Henr. Reinold *Var. cap. 37. pag. 267.* idque inde probauit, quod in iure nostro laudetur liber trecesimus Labeonis *praetoris peregrini, l. 9. §. 4. D. de dol. mal.* quos libros ipse cum Ant. Augustino *de nom. propr. Pandect. pag. 23. not. b. et c.* existimat fuisse commentarios ad edictum praetoris peregrini. Sed quum sola coniectura hanc probationem absoluat, neque satis expeditum videatur, de officione praetoris peregrini illis libris egerit, an eius edictum interpretatus sit Labeo, aliis fortassis opus fuerit argumentis ad rem probandam. Laudauimus alibi eam in rem testimonium Boëthi, scribentis, *edicta magistratuum esse, quae praetores, vrbani et* PEREGRINI, *vel aediles curules iura dixerint:* adiecimusque Theophili locum ex *Paraphr. §. 7. Inst. de iure nat. gent. et ciu.* vbi κατεξαίρετον seu *praecipue*, edictis noua iura sanxisse dicuntur *praetor vrbanus et praetor peregrinorum, et aediles curules.* Iam adiicimus testimonium antiquius Valerii Maximi, qui *lib. I. cap. 3. ex. 2.* de C. Cornelio Hispalo, praetore peregrino refert, eum M. Popillio Laenate et Cn. Calpurnio coss. id est, anno v. c. 614. EDICTO *Chaldaeos intra decimum diem abire ex vrbe atque Italia iussisse*, eumdemque *eos, qui Sabazii Iouis cultu simulato mores Romanos inficere conati sint, domos suas repetere coëgisse.* Supersunt praetores, quibus de criminibus publicis quaestiones obuenerant. Ii quoque proponebant edicta ad officium suum pertinentia, sed *breuia* pleraque et *monitoria*, de quibus supra *cap. 2. §. 12. sequ.* quantum satis est, diximus. Nimirum iam inde ab antiquissimis vsque temporibus mos inualuerat, vt, quoties insigne quoddam iudicium publicum peragendum esset, toties is, qui quaestioni praefuturus erat, accusatores, reum, testes, patronos, quin et adparitores, omnesque, quorum eo in iudicio aliquae partes erant futurae, edicto moneret, quid fieri omittiue ab illis vellet. Quod edictum tam adcurate ac diligenter perscribi solebat, vt ne vlla quidem circumstantia temere omitteretur. Quam in rem iam non repetam loca Plinii et Ciceronis, supra *capite 2.* adducta, neque expilabo scrinia Fridr. Brummeri, qui in *Comm. ad*

BIU Cujas

ad leg. Cinc. cap. 6. §. 7. 8. de illorum quaesitorum edictis ex instituto disseruit: sed duo tantum monebo, notatu, vti mihi quidem videtur, dignissima: primum, in his quoque edictis plurimum valuisse gratiam, nec difficile fuisse iis, qui quaestionibus praessent, reo vel opem ferre, vel negotium facessere: cuius rei exemplum est in P. Clodii iudicio, quo de vi accusato a Milone, *consul, praetor, tribunus plebis, noua noui generis edicta proposuerunt:* NE REVS ADESSET, NE CITARETVR, NE QVAERERETVR, NE MENTIONEM OMNINO CVIQVAM IVDICVM AVT IVDICIORVM FACERE LICERET. Cic. *pro P. Sext. cap. 41.* alterum, quod perantiquum et disertissimum huiusmodi edicti fragmentum exstet apud Varronem *de lingua Lat. lib. 5. pag. 43. sequ. edit. Gothofred.* de Trogo capitis accusato. Quamuis enim Varro id dicat desumtum esse ex *Commentario vetere anquisitionis M. Sergii, Marii filii, quaestoris:* ipse tamen nonnullis interiectis addit: *in eodem commentario anquisitionis ad extremum scriptum caput* EDICTI *hoc est:* vt dubitari non possit, quin hoc fuerit edictum, quale adhuc descripsimus, monitorium, iudicio publico praemissum, quum T. Quinctius Trogus capitis a M. Sergio quaestore accusaretur.

§. XIII.

Proposita a praetoribus edicta varii generis fuisse, facile patet. Alia enim repentina erant, alia iuris dictionis perpetuae caussa proposita. Illorum exempla quamplurima iam supra attulimus: de his autem agendum erit paullo adcuratius. Nimirum quum quotannis sub magistratus sui auspicia edicere solerent praetores: hunc ea in re obseruabant modum, vt pleraque ex decessorum edictis totidem verbis in suum transferrent: quaedam tamen adderent de suo, prout res ac tempora id exigere viderentur. Hinc vel maxime ad praetoris edicta pertinet diuisio, quam supra explicauimus, quod TRALATITIA alia, alia NOVA fuerint. De illis Cicero *de inuent. lib. II. cap. 22. iura sunt quaedam ipsa iam certa propter vetustatem: quo in genere et alia sunt multa, et eorum multo maxima pars, quae praetores* EDICERE *consueuerunt.* Sensus enim est, quaedam edicti praetorii capita esse tam antiqua, vt ab origine sua quotannis in albo ob aequitatem retenta fuerint, ac proinde constante vsu iuris certi ac scripti consequuta sint auctoritatem. Enimuero

Eorum alia tralatitia, alia noua.

BIU Cujas

his quaedam etiam NOVA a pleriſque praetoribus adſtruebantur; ceu patet exemplo Verris, cuius edictum nouum, licet abſurdiſſimum, ac mirifice exagitatum a Cicerone *in Verr. I. cap.* 45. *ſequ.* a nemine tamen mortalium, durante eius praetura, reprehenſum eſt. Quin tantum abeſt, vt religioni ſibi duxerint praetores, edictis tralatitiis quaedam noua ſub initium magiſtratus ſui adſuere, vt et intra annum praeturae illa immutarent ſuo lubitu, vel nouis huiuſmodi laciniis locupletarent, ceu ex teſtimonio Dionis *lib. XXXVI. pag.* 19. exemploque Verris apud Cic. *in Verr. III. cap.* 14. conſtat, et infra ſuo loco a nobis demonſtrabitur pluribus. Nullus ergo praetor deceſſorum ſuorum edicta omnia in albo ſuo retinere tenebatur: ſed ſi aequitate ſua ſe commendarent, locum ſuum et ſequentibus annis facile tuebantur, ſin iniqua aut abſurda viderentur, nulla merito eorum habebatur ratio. Vnde de edicto Verris Cicero in *Verr. I. cap.* 45. *Quid nunc dicam? neminem vmquam poſtea ita edixiſſe? Valde ſit mirum, neminem fuiſſe, qui iſtius ſe ſimilem dici vellet. Ipſe in Sicilienſi edicto hoc non habet: exegerat enim iam mercedem.*

§. XIIII.

Cur edicta quaedam, nataeque inde actiones praetoriae auctorum nomina retineant?

Reddi hinc poterit ratio, cur edicta quaedam, nataeque inde actiones atque exceptiones auctorum ſuorum nomina apud poſteros retinuerint, alia nomine huiuſmodi διακριτικῷ plane deſtituantur. Ἀνώνυμα enim iſta ſunt vetuſtiſſima, ac ita tralatitia, vt de iis repeti poſſint verba Ciceronis *in Verr. I. cap.* 45. *ea et ante Verrem, et poſt illum omnes praetores habuiſſe.* Non ergo eſt mirum, auctorum nomina ipſamque originis memoriam, ceu fieri ſolet in rebus vetuſtiſſimis, euanuiſſe. At quaecumque praetorum edicta ab auctoribus ſuis nominantur, ea ſunt noua, et ab illis praetoribus adiecta veteri ac tralatitio, quamuis et ipſa poſtea a ſucceſſoribus retinerentur ob inſignem, quae ex illis elucebat, auctorum prudentiam. Eorum exempla haud pauca paſſim exſtant. Vidimus ſupra EDICTVM DRVSI, laudatum a Cicerone *ad Attic. lib. VII. epiſt.* 2. quod Corradus tribuit M. Liuio Druſo, praetori, cuius et alibi meminit Auctor *ad Herenn. lib. II. cap.* 13. Quae coniectura ſi vera eſt, idem Druſus auctor erit edicti, quo actio mandati et aduerſus mandatarii heredes eſt admiſſa. Sic et edicti quod metus cauſſa auctorem, temporibus

BIU Cujas

temporibus Sullanis, fuisse CN. OCTAVIVM, praetorem, didicimus ex Cic. *ad Q. Fratr. lib. I. epist.* 7. id vero postea aduersus tertium possessorem protulisse CASSIVM quemdam ex *l.* 4. §. 33. *D. de dol. mal. et met. except.* colligitur. Nouimus etiam formulae de dolo malo auctorem esse C. AQVILLIVM GALLVM, Cic. *de nat. deor. lib. III. cap.* 30. quamuis vtrum edictum ab eo propositum, an cautiones quasdam ab eo inuentas intelligat Cicero, parum exploratum vel ideo videatur, quod vtraque *omnis malitiae euerricula* recte possint vocari. Certum porro est, cum actionis Publicianae, tum et actionis rescissoriae, adeoque totius edicti de restitutione maiorum viginti quinque annis auctorem habere PVBLICIVM, PRAETOREM §. 4. *Inst. de act. l.* 35. *D. de obl. et act. l.* 57. *D. mand.* quamuis de huius Publicii praetura ac aetate parum constet. Idem dicendum est, de SERVIO, SALVIO, CN. PAPIRIO CARBONE, CALVISIO, FABIO, praetoribus, quos edictorum de actionibus *Seruiana* et *quasi Seruiana*, de interdictis *Saluiano* et *quasi Saluiano*, denique edicti *Carboniani*, ac denique actionum *Caluisianae* ac *Fauianae* auctores fuisse, nemo ignorat, quamuis quibus illi annis praeturam gesserint, hodie sciamus cum ignarissimis. Certus ac indubius est auctor edicti fere vnici *de coniungendis cum emancipato liberis eius*, quippe quod a SALVIO IVLIANO, edicti perpetui conditore, inuentum perpetuoque edicto insertum esse, perpiscue testatur Marcellus *l.* 3. *D. de coniung. cum emancip. lib. eius.* Ex quibus facile patet, optandam magis, quam sperandam esse adcuratam edictorum praetoriorum chronotaxin, cuius defectum inter iuris prudentiae Romanae naeuos posuit Christianus Thomasius *in Naeu. iurisprud. anteiustin. lib. I. cap.* 7. *naeu.* 14. *pag.* 39. quandoquidem et plurimorum edictorum ignorantur auctores; et iis, quorum auctorum nomina scimus in tantis fastorum tenebris aetatem suam adsignare, vere ἐκ τῶν ἀδυνάτων esse videatur.

§. XV.

Quando quoue ritu edicere soliti sint praetores, satis exploratum est. Dio enim Cass. *lib. XXXVI. pag.* 19. cautum fuisse scribit lege Cornelia, καὶ ἀρχὰς εὐθὺς στρατηγὲς τὰ δίκαια, οἷς χρήσονται προλέγειν, *vt initio statim magistratus praetores iura quibus vsuri essent, praedicerent.* Et Cicero *de finib. lib. II. cap.* 22. contra eos, qui omnia ad voluptatem referunt, disputans: *Quid* Edicere solebant praetores sub auspicium magistratus sui praestitosimul

BIU Cujas

in leges iureiurando.

Quid enim, inquit, *mereri velis iam, quum magistratum inieris, et in concionem adscenderis, (est enim tibi* EDICENDVM, *quae sis obseruaturus in iure dicundo, et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de maioribus tuis, et de te ipso, dices* MORE MAIORVM, *) quid merearis igitur, vt te dicas in eo magistratu omnia voluptatis caussa facturum esse?* Ex quibus locis colligimus, *primum* initio magistratus edicta promulgasse praetores: *deinde* id factum esse in concione, quam primam habebant, vt habita ad populum oratione praeturam auspicarentur: *denique* eos tunc edictum recitari iussisse populo, vt sub initia statim honoris omnibus innotesceret, quam illi in iure dicundo rationem in posterum sint obseruaturi. Primum ex lege Cornelia esse ait Dio, de qua insequentis libri initio plura disseremus. Quum enim antea praetores id sibi arrogarent, vt sua ipsi edicta pro lubitu mutarent, adeoque intra praeturae annum, quotiescumque et quandocumque visum esset, noua edicta redderent, eam iuris incertitudinem sustulerat lex Cornelia, praetoresque sub initium statim honoris, quomodo ius dicere vellent, populum praemonere, istudque edictum deinde per totum annum valere iusserat. Alterum, puta concionem auspicalem, commune cum reliquis magistratibus habebant praetores. Nullus enim eorum rem publicam solebat capessere, priusquam, vocata concione, ad populum de voluntate sua, deque maiorum suorum rebus gestis ac meritis dixisset. Hinc Cicero iam consul. *Agrar. II. cap.* 1. *est hoc*, inquit, *in* MORE *positum, Quirites*, INSTITVTO*que* MAIORVM, *vt ii, qui beneficio vestro imagines familiae suae consequuti sunt*, PRIMAM *habeant* CONCIONEM. Et Varro *de lingu. Lat. lib. V. pag.* 44. de modo ineundi censuram haec refert ex tabulis censoriis: *vbi noctu in templum censura auspicatur, atque de caelo nunciatum erit: praeconi sic imperato, vt viros vocet:* QVOD BONVM, FORTVNATVM, FELIXQVE, SALVTAREQVE SIT POPVLO ROMANO QVIRITIVM, REIQVE PVBLICAE POPVLI ROMANI QVIRITIVM, MIHIQVE COLLEGAEQVE MEO, FIDEI, MAGISTRATVIQVE NOSTRO, OMNES QVIRITES PEDITES, ARMATOS PRIVATOSQVE, CVRATORES OMNIVM TRIBVVM, SIVE QVIS PRO SE, SIVE ALTERO DARI RATIONEM VOLET, VOCA INLICIVM HVC AD ME. Conuocata concione, quod et praetores et reliqui magistratus sollemni eius modi carmine fieri imperabant, ipse nouus praetor, habita oratione et gratias agebat populo,

et

BIU Cujas

et de suis maiorumque laudibus quaedam magnifice dicebat; demonstrans pluribus, quid de se sperare liceat, quamque ipsi sui maiorumque suorum similes sint futuri. Ita enim orationis istius argumentum vtroque loco paullo ante adducto exprimit Cicero, et in primis *Agrar. II. cap.* 1. testatur, magistratus nouos *gratiam beneficii, quod a populo essent consequuti, cum suorum laude coniungere consueuisse, qua in oratione nonnullos aliquando dignos maiorum loco repertos esse, plerosque autem hoc perfecisse, vt tantum maioribus eorum debitum esse videretur, vnde etiam, quod posteris solueretur, redundaret.* Finita hac oratione tum demum edicebant, quae in iure dicundo essent obseruaturi, id est, vti ego interpretor, edictum suum, facta per praeconem audientia, vel recitabant ipsi, vel alium praelegi iubebant. Quem ritum eleganter imitatum arbitror Plautum, dum *in prologo Poenuli v.* 11. *seqq.* commentus, nescio quod, *imperium histricum*, imperatorem suum fingit ita adloquentem praeconem:

Exsurge, praeco, fac populo audientiam.
Iam dudum exspecto, si tuum officium scias.

Hinc recitatur ipsum edictum fictitium:

BONVM FACTVM 'ST, *edicta vt seruetis mea*, cet.

quo finito, subiicit imperator:

Haec imperata quae sunt pro imperio histrico,
BONVM *hercle* FACTVM, *pro se quisque vt meminerit.*

Vt adeo ex hoc Plauti loco optime possit intelligi, quomodo a nouis magistratibus recitari consueuerint edicta. Nec tamen contenti praetores viua voce, quae facile elabi memoria potuisset, totum edictum, teste Dione, postea συγγράφοντες ἐξετίθεσαν, *scriptum proponebant*, vt vnicuique quotidie ob oculos versaretur. Denique obseruandum, praetores, auspicantes honorem, iurare in leges debuisse. Eius tamen iurisiurandi ideo non meminisse Ciceronem arbitramur, quod non semper in prima illa concione praestitum videatur, sed interiecto aliquot dierum spatio. Ex lege enim, cuius meminit Liu. *lib. XXXI. cap.* 50. *magistratum plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere*: adeoque non absciisse in prima concione erat iurandum, modo iuratum esset ante quintum diem.

BIU Cujas

§. XVI.

Edictum propositum in albo, quod duplex habuit praetor.

Vidimus, praetores edicta sua, non modo in prima, quam habere solebant, concione sollemniter recitasse, sed et eadem redacta in scripturam in albo proposuisse. Tale album praetor duplex habuisse videtur, alterum, quod edictum iuris dictionis perpetuae caussa propositum; alterum, quod actionum forensium formulas complectebatur. De priore res liquida est: ad posterius ego referre soleo locum Labeonis apud Vlpianum *l.* 1. *§.* 1. *D. de edend. eum quoque edere Labeo ait, qui producat aduersarium suum ad album, et demonstret, quod dictaturus est, vel id dicendo, quo vti velit.* Notum est, et a nobis alibi pluribus demonstratum, fastorum formularumque notitiam olim penes solos patricios ac pontifices potissimum fuisse, qui in latenti habebant horribile istud secretum, vt tamquam oracula a litigantibus adirentur. Cic. *de orat. lib. I. cap.* 41. Quinctilian. *Inst. orat. lib. III. cap.* 1. et Pompon. *l.* 2. *§.* 6. *D. de orig. iur.* Deinde nemo ignorat, ista mysteria anno v. c. 440. primum diuulgasse Cn. Flauium, ac deinde, quum nouas agendi formulas reperissent patres, easque, ne in vulgus iterum manarent, occultioribus quibusdam notis consignassent, eamdem populo operam circa annum v. c. 553. nauasse egregie cordatum hominem, Sex. Aelium Paetum. Vnde natum ius Flauianum ac Aelianum, de quo Pomponius, *l.* 2. *§.* 7. *D. de orig. iur.* Prius nihil aliud fuit, quam album, in quo Cn. Flauius partim fastos, qui docerent, quibus diebus lege agere fas nefasue esset, partim actionum quarumuis formulas proposuerat. Posterius vero rectissime dixeris prioris illius accessionem, ac veluti supplementum. Fastos proposuisse Cn. Flauium, testes locupletissimos habemus Ciceronem *pro Muraen. cap.* 12. Plin. *Hist. nat. lib. XXXII. cap.* 1. et Liuium *Histor. lib. VIIII. cap.* 46. qui tamen Flauium praeter illos *et* IVS CIVILE *repositum in penetralibus pontificum euulgasse, et circa forum* IN ALBO *proposuisse*, refert: consentientemque ea in re habet Valer. Maximum *Histor. lib. II. cap.* 5. *ex.* 2. At Pomponius *d. l.* 2. *§.* 7. diserte ait, Flauium *populo tradidisse* ACTIONES, *ab Appio Claudio in formam redactas*: quemadmodum et Cicero *ad Attic. lib. VI. epist.* 1. eumdem *et fastos protulisse, et* ACTIONES *composuisse*, alibi vero, nempe *de orat. lib. I. cap.* 41. Cn. Flauium ACTIONES *primum exposuisse*, testatur. Aelianum quoque ius nihil aliud compre-

BIU Cujas

comprehendisse, quam ACTIONVM *genera*, idem testatur Pomponius: ex eoque consequitur, vt iam inde ab illis Flauii et Aelii temporibus in foro exstiterit album, in quo actionum tantum non omnium formulae legebantur. Quum ergo semel euulgata essent illa mysteria, nec vlla arte efficere se posse intelligerent patres, vt salua sibi esset formularum possessio: praetores nihil se facere posse prudentius iudicabant, quam vt ipsi hanc a populo gratiam inirent, et in albo suo perscriptas haberent actionum formulas, vt litigantibus statim in procliui esset, aduersarios ad album adducere, et digito monstrare formulam, qua in agendo esset vsurus. Huius quoque rei testem habemus Ciceronem, qui ad illud formularum vel actionum album manifesto respicit, dum *in Orat. pro Q. Rosc. cap.* 8. ait: *fraudabat te in societate Roscius. Sunt iura, sunt* FORMVLAE *de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere iniuriae, aut ratione actionis errare possit.* EXPRESSAE *enim sunt ex vniuscuiusque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria,* PVBLICE A PRAETORE FORMVLAE, *ad quas priuata lis adcommodatur.* Habes ergo formulas actionum, a praetore publice propositas de omnibus rebus, et quidem non ex edicto praetorio demum eruendas, concipiendasque de nouo, sed EXPRESSAS verbis tam perspicuis, *vt nemo vel in genere iniuriae, vel ratione actionis errare posset.* Recte hoc viderunt Iac. Raeuardus in *Protribunal. cap.* 4. *pag.* 885. *seqq.* et Carol. Bretus *de perantiquo ordine iudic. cap.* 24. *pag.* 69. obseruantes simul, inde arcessendam esse originem diuisionis actionum DIRECTARVM et VTILIVM, quia, quae totidem verbis in albo formularum habebantur, DIRECTAE; quae ob rationis similitudinem negotio adcommodari, verbis leuiter inflexis, poterant, VTILES dici consueuerint. Quemadmodmodum itaque ex his, quae diximus, luce meridiana clarius elucet, praeter edictum perpetuum praetores in albo habuisse actionum quarumuis formulas, ac proinde ex Labeonis sententia, illum quoque actionem edidisse visum esse; *qui aduersarium suum produxerit ad album, et demonstrarit, quod dictaturus esset:* mirum sane est, existimare Cuiacium *Obs. lib. VIII. cap.* 15. et Duaren. *Disp. anniuers. I.* 13. albo isto ipsum praetoris edictum a Labeone indigitari, solitosque esse actores reis eam edicti partem, ex qua actionem instituturi essent, veluti digito indice ostendere. At nec omnia negotia ciuilia, de quibus lis in foro incidere posset, edicto

BIU Cujas

ſuo expreſſerat praetor, nec quiſque ciuium tanta erat ingenii perſpicacia, vt ex edicto, per modum praecepti concepto, formulam actionis ſuo Marte erueret, maxime quum periculoſiſſimum hic eſſet verborum aucupium, et inter omnes conſtet, cauſſa cecidiſſe eos, qui vel erraſſent in eligenda actionis formula, vel eam in iure perperam protuliſſent. Vid. Cic. *de inuent. lib. II. cap.* 19. Auct. *ad Herenn. lib. I. cap.* 2. Senec. *Epiſt.* 48. Quinctilian. *Inſt. orat. lib. III. cap.* 8. *et lib. VII. cap.* 3. Sed quid opus eſt verbis, quum, et condito iam edicto perpetuo, ademtaque magiſtratibus noua edicta proponendi poteſtate, album tamen iſtud formularum adhuc conſtanter fuerit ob oculos, et in foro proponi conſueuerit? Quid enim aliud vult Alexander Seuerus Imp. dum *l. 1. C. de interdict.* Euocato cuidam reſcribit: *Quum proponas, radicibus arborum, in vicina Agathangeli area poſitis creſcentibus, fundamentis domus tuae periculum adferri: praeſes ad exemplum interdictorum,* QVAE IN ALBO PROPOSITA HABET PRAETOR, *rem ad ſuam aequitatem rediget!*

§. XVII.

Quo loco illud probabiliter fuerit?

Si quis ex me quaerat, quo loco vtrumque illud album praetoris expoſitum fuiſſe exiſtimem? ei ego fatebor, me nullum proferre poſſe veteris cuiuſdam auctoris teſtimonium, ex quo id liquido poſſit demonſtrari. Sin tamen locus ſit coniecturae, habere mihi videor non omnino improbabilem. Quum enim, vti paullo ante ex Labeone vidimus, actor editurus actionem, ſolitus ſit reum adducere ad album, ibique demonſtrare, quid dicturus, quaque formula vſurus eſſet: *d. l. 1. §. 1. D. de edend.* neceſſario dicendum eſt, album eo ipſo loco, quo ius dicebatur, adeoque in ipſo tribunali, proſtitiſſe ita, vt ab omnibus de plano recte legi poſſet. Nimirum praetores olim ius dicebant in foro, et quidem ea illius parte, quae comitium dicebatur, ſiue quod ibi ciues in concionem coire ſolerent, ſiue, quod mauult Plutarch. *in Romul. pag.* 30. quia eo loco foedus inter Romulum et Tatium, Sabinorum regem, coaluiſſet. Hic ergo litigabant homines, idque innuit Plautus, dum in *Curcul. III. 1. v.* 9. ait:

Qui periurum conuenire vult hominem, mitto in COMITIVM.

et in *Poenul. III. 2. v. 6. ſeqq.*

Nam

BIU Cujas

Non potuisti adducere homines, magis ad rem idoneos,
Nam istorum nullus NEFASTVS *'ST, COMITIALES sunt meri:*
Ibi habitant, ibi eos conspicias, quam praetorem, saepius.
Hodie iuris doctiores non sunt, qui lites creant,
Quam sunt hi, qui si nihil est litium, lites serunt.

In hac porro fori parte eminebat tribunal, id est, moles sublimis, et in hemicicli formam introrsum sinuata, cuius formam describit Vitruu. *Archit. lib. V. cap.* 1. Quemadmodum ergo in hoc sublimis sellae curuli insidebat praetor: ita in vtroque cornu, ceu vocat Tacit. *Annal. lib. I. cap.* 75. eius latera tegebant decemuiri stlitibus indicandis, illustre praetoris consilium. Iam parietes, quo vtrumque cornu claudebatur, locum dedisse videtur albo praetoris, ita vt in vnius cornu extremo pariete edictum praetoris, in altero album formularum legeretur, et sic vtrumque litigantibus illico incurreret in oculos.

§. XVIII.

Praetores indirecte sibi legislatoriam potestatem vindicasse, legesque euertisse edictis suis.

Iam porro materiae edicti praetorii non est quod immoremur. Res ipsa docet praetores non solum leges, propositis actionibus, aliisque remediis, adiuuisse, sed multa quoque, quae legislatores praeteruiderant, constituisse, quin et legum rigorem nimium aequitate temperasse, et sic efficere voluisse, ne summum ius summa esset iniuria. Quae eleganter coniungens Papinianus noster, *ius praetorium introduxisse praetores*, ait, ADIVVANDI, *vel* SVPPLENDI, *vel* CORRIGENDI *iuris ciuilis gratia propter vtilitatem publicam. l.* 7. §. 1. *D. de iust. et iur.* Haec quamuis perampla potestas, ac legislatoriae simillima, videri possit: tamen non modo hodie viri docti praetores talem potestatem leges vel ferendi, vel iam latas euertendi, vmquam sibi vsurpasse, negant, verum etiam olim ipsi praetores nihil habuisse prius aut antiquius videntur, quam vt hac suspicione carerent. Hinc si quid noui edicto sanciunt, saepe eos videas LEGES, PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA, EDICTA PRINCIPVM diserte excipere, ac liberaliter polliceri, se nihil, quod aduersus illa, vel QVO FRAVS CVI EORVM FIAT, factum esset, admissurum. *l.* 7. §. 7. *D. de pact. l.* 1. §. 8. *D. de postul. l.* 1. §. 1. *D. quibus ex causs. mai.* Quin ipsi iurisconsulti veteres praetorem ab hoc crimine absoluunt, negantque, eum aduersus leges, vel in earum fraudem edicere quidquam potuisse. Hinc quum incideret quaestio, an et illi detur Publiciana in rem actio, qui rem per leges alienari vetitam bona

BIU Cujas

fide et ex iusta causſa traditam accepiſſet? reſpondit Paullus noſter: *eo caſu Publicianam non competere, quia his caſibus neminem praetor tueatur, ne* CONTRA LEGES *faciat. l.* 12. §. 4. *D. de Public. in rem act.* Similiter Vlpianus, agens de bonorum poſſeſſionibus, generalem hanc commendat iuris regulam: *vbicumque* LEX, *vel* SENATVS, *vel* CONSTITVTIO *capere hereditatem prohibeat, et bonorum poſſeſſionem ceſſare. l.* 12. §. 1. *D. de bon. poſſeſſ.* Enimuero quamuis vere hunc ſcopum intenderit populus Romanus, dum praetoribus ampliſſimam hanc edicendi facultatem conceſſit, vt eiuſmodi edictis non leges nouas ferrent, veteresque conuellerent, ſed latas cuſtodirent et exſequerentur, et ſi quid legibus nondum ſatis definitum eſſet, id ſuis edictis tantiſper definirent, donec populus, miſſus in ſuffragia, aliud ſciſceret: veriſſimum tamen eſt, praetores variis artibus id eſſe conſequutos, vt de rebus pleriſque priuatis poteſtas legiſlatoria penes ſe eſſet, iuraque, eorum edictis introducta, non minorem iuris prudentiae Romanae partem abſoluerent, quam quae legibus, plebiſcitis, SCtis, principumque placitis ſancita fuerant. Et hinc ridiculum eſt negare, praetores hanc poteſtatem legiſlatoriam arrogare ſibi potuiſſe: quum res ipſa doceat, eos ſibi illam reuera arrogaſſe. Quid enim clarius eſt verbis Dionis Caſſii *Lib. XXXVI. pag.* 19. Οὐ γὰρ οἱ στρατηγοὶ πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διετέτακτο, ἔπυθον, ὅτε ἑκάστοις τεῦτ' ἐψοίουν, ὅτε τὰ γραφέντα ἐτήρουν· ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον, καὶ συχνὰ ἓν τούτῳ περὶ χάριν, ἢ καὶ κατ' ἔχθραν τινῶν, ὥσπερ εἰκὸς, ἐγίνετο: *neque enim omnia ea iura, quae ad contractus dirigendos conſtituta erant, obſeruabant, neque* ID VMQVAM FECERANT, *neque* SCRIPTO IVRI STETERANT, *ſed ſaepenumero ea* VARIAVERANT, *crebroque per gratiam vel odium certorum hominum, vt fieri ſolet, in his multa gerebantur.* Haec Dio. Iam eat quis, ac fieri potuiſſe neget: quod quotidie factum eſſe, tot veterum annalium teſtimonio conſtat, quin quod fieri conſueuiſſe ipſe praetor faſſus eſt, dum propoſuit edictum: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, VT IPSE QVANDOQVE EODEM IVRE VTATVR. Quid enim opus erat hoc edicto, ſi non potuiſſet magiſtratus vllus edicto nouo ius aliquod iniquum ſtatuere: Quid iam dicamus? an leges edictis ſuis non euertit C. Verres.? An ei iniuriam facit Cicero, illa vbique exagitans *in oratione I.*? Sed ſolus fortaſſis Verres, qua fuit audacia, ius ciuile tam inuerecunde mutauerit

rit, aut certe id crimen ei cum paucis, quos Dio notat, commune fuerit. Age, veniamus in rem praesentem, et vel solas XII. tabulas, fontem omnis publici privatique iuris, in manus sumamus. Quotam eius iuris decemuiralis partem, cui et lex Aebutia propter venerandam antiquitatem pepercerat, stare passi sunt praetores? quantillum mihi ostendes, quod non edictis suis veluti in exsilium egerint? Decemuiri furem manifestum verberari, eique, cui furtum factum esset, addici iusserant: Gell. *Noct. Attic. lib. XI. cap. vlt.* Praetor eumdem quadrupli damnabat, et sic, vt scribit Theophilus *Paraphr. pr. Inst. de perpet. et temp. act.* κατεφθάρθη ἡ δωδεκαδέλτου νομοθεσία διὰ τὴν τραχύτητα, καὶ ὠλιγώρηται ἡ τῶν πραίτωρος: *explosum est ius XII. tabularum propter asperitatem, et magis iure praetorio vsi sunt.* Deinde, quae XII. tabulis cauta fuerant de arboribus furtim caesis, Plin. *Hist. nat. lib. XVII. cap.* 1. de depositio dolo malo negato, *Pariat. legg. Mos. et Rom. tit.* 10. §. 6. de emancipatorum liberorum conditione, §. 9. *Inst. de hered. quae ab intest.* de successione gentilium, pro quibus ex edicto cognati vocari coeperunt, *l.* 1. *D. vnde cogn.* de legitima furiosorum et prodigorum tutela, *l.* 1. *et l.* 13. *D. de curat. furios.* de manu in iure conserenda, Gell. *Noct. Att. lib. XX. cap.* 9. de fruge noctu demessa, Plin. *Hist. nat. lib. XVIII. cap.* 3. de poena iniuriarum, Gell. *Noct. Att. lib. XX. cap.* 1. similibusque iuris capitibus: ea omnia edictis suis mutasse praetores, tam certum est, quam quod certissimum. Non magis illos aliis quoque peperciisse legibus, argumento est lex Aquillia, in qua capita quaedam fuisse de seruo corrupto, nec non de effusis ac deiectis, dudum obseruarunt viri docti, et in his Corn. van Bynkersh. *Obs. lib. I. cap.* 13. at ea omnia non modo in foro, verum etiam ex ipsa hominum memoria euanuerunt, non aliam ob caussam, quam quod actiones alias vel in speciem aequiores, vel vtiliores saltim edicto inuexerat praetor, eoque effecerat, vt cascae illae ex lege Aquillia negligerentur.

§. XVIIII.

Quae quum in oculos incurrant, solidisque nitantur argumentis ac testimoniis: merito mireris, oleum ac operam perdere, id est, *Vindicias praetoris Romani ac iuris honorarii* scribere non dubitasse virum doctum, Gottl. Cortium, professorem Lipsiensem. Quem quum initio totam caussam non sine bile agere deprehenderem: suspicabar, eum sub hoc schemate litigare de re quadam

CORTII *Vindiciae praetoris Romani* expensae.

BIU Cujas

quadam magna, ac in qua reipublicae ſalus verteretur, quin exiſtimabam, in magna quadam ciuitate nefaria agitari conſilia de abolenda praetura, quae auctori iam deſtinata fuerit communi ſuffragio, vel ſaltim de toto iure praetorio ad vltimos Garamantas relegando. Nec enim aliud ſuccurrebat facinus, tantis iris dignum. Sed lecta diſſertatione demum deprehendi, praetori Romano hanc operam nauari, cuius maieſtatem tam comiter, prout decet, veneratur auctor, vt ſtilum vindicem cohibere diutius non potuerit. Nam initio ſtatim *Diſſertationis §. 1. et 2. pag. 1. 2.* grauiter conqueritur, *inſignem illam naeuorum copiam, quibus in primis recentiores quidam ſcriptores, ius Romanum onerarint, non tam ipſius iuris eſſe, quam ex ignorantia rei publicae Romanae originem ducere, ex eodemque fonte manare populare illud in Romanum praetorem odium, ac magno numero conficta crimina, quibus voces non minus multorum in academiis docentium, quam ICtorum multorum libri, pleni ſint.* En crimen horrendum, ac parricidio non multo leuius! Si enim P. Caecum Aſprenatem poſtulare volentem auerſa ſella deſtituit praetor, tantum quod inſignia magiſtratus videre ac reuereri non poſſet: *l. 1. §. 5. D. de poſtul.* quod ſupplicium ſufficiet illis, qui praetorem odio plus quam Vatiniano proſequuti, innumera paene crimina fingunt, quibus eum onerent, eaque et viua voce, et ſcriptis in vulgus ſpargunt impudentiſſime? Iam ego quidem neſciebam ante iſtum diem, quinam ſint praui iſti homines, ac rei publicae Romanae euerſores, qui aduerſus praetorem Romanum tam nefarie coniuraſſent, neque memineram, me audire voces tam impias, quales in academiis impune audiri, dolet vir doctiſſimus: at non paſſus eſt vindex, vt illum conſenſionis globum ignorarem. Statim enim *pag. 1.* dicam ſcribit hominibus conſceleratiſſimis: *qui in rem alienam et peregrinam immerſi, ac Romanorum inſtitutorum adeo ſaepe ignari, vt, ſi eo vocentur, in alio terrarum orbe ſe pedem poſuiſſe putent, ridicula tamen praeſumtione de ſanctionibus Romanis iudicium ferre audeant.* Ad eum vſque locum mihi omnia conueniebant cum vindice diſertiſſimo. Simul ac vero animaduertebam, illum *pag. 3.* proletariae huic turbae dare aduocatos, And. Dominicum Floccum, Ioſephum Aueranium, Georgium Beierum, Nic. Hier. Gundlingium, et inprimis τὸν πάνυ Chriſtianum Thomaſium: non poteram non ſubiraſci vindici, tam magnificum adfectanti triumphum, et ignorantiae poſtulanti eos viros, quibuſcum

BIU Cujas

cum ipse nulla ex parte esset comparandus. Quin quum animaduerterem, me quoque, qui sub eorum signis adhuc militassem, triumphum tam supercilioſi hominis esse ornaturum, nisi me virum praestarem: id vnum mihi relictum putabam, vt contrauindicarem, vindicemque vel cum laruis pugnare, vel magno conatu maximas nugas agere, ad oculum demonstrarem. Quod an praestiterim, eorum esto iudicium, qui et iuris prudentiae, et institutorum Romanorum non sunt tam ignari, vt, si ad ea vocentur, in alium terrarum orbem se delatos putent.

§. XX.

Summam criminum, quae a praetore depellere conatur vindex, hanc esse ait §. 3. pag. 2. *Generatim aiunt, praetorem aequitatis obtentu iura vetera euertisse, ac libertati Romanorum insidiatum esse. Hinc edictis suis non omnes casus comprehendisse, edicta varie immutasse, ac ab iis, antequam ferretur lex Cornelia, saepe recessisse, inuentis callide nouis nominibus leges elusisse, actiones iure ciuili competentes, datis a praetore exceptionibus esse elisas, pactis conuentis contra legum honorem robur additum, restitutionem in integrum contra iuris antiqui placita concessam, fictiones denique iuris praetorii, pestem iuris prudentiae ac meras patriciorum fraudes fuisse.* Et ab his ἐγκλήμασι praetorem se illa dissertatione liberaturum, satis liberaliter pollicetur Cortius, protestatus tamen satis caute §. 4. pag. 3. *sequ.* eo non tendere defensionem suam, vt praetorum perfidorum ac malitioſorum causſam agat, sed praeturae, quae tantis criminibus ob homines quosdam improbos onerանda non fuerit. Sed sic, quod praedixi, magno conatu maximas nugas egit vindex. Praetoribus enim bonis, iustis, patriaeque amantibus vindiciis non erit opus, quia illos nemo adfecit iniuria. Malis ac perfidis, in quos tamen faba illa cuditur, ipse negat patrocinium, adeoque cum laruis manifesto pugnat, ipse nescius, quid sibi velit. Scriptores illi, quibus bellum indixit vindex, numquam tam stolidi fuerunt, vt ipsam praeturam, necessarium rei publicae munus, calumniis proscindere voluerint, multo minus isti Octauiis, Cassiis, Catonibus, aliisque eorum similibus, quorum in iure dicundo religio celebratur, dicam scribere ausi sunt: sed malis et improbis, qualem C. Verrem fuisse, ex Cicerone discimus. Hi vero sunt praetores, qui libertati struxerunt insidias, leges patrias variis fraudibus euerterunt, et edicta sua, prout collibitum, immutarunt. Horum artes fraudesque detexe- Status quaestionis.

BIU Cujas

runt viri illi docti, quibuscum vindici res est. His ergo parandae erant vindiciae, si mens non laeua fuisset, non praeturae ipsi, quam nemo, cui sit aliquid cerebri, culpauerit. Iam vero calumniam sapit illa defensio, quae in locum reorum, qui defensione indigent, substituit alios, quos nemo accusat, quosque, ab ipsa criminis suspicione vacuos, defendere sit facillimum. Ceterum ne in Andabatarum pugnam abeat disputatio: operae pretium fuerit de statu quaestionis quaedam praemittere, quae ipse vindex neglexit, vt tanto facilius falleret incautos, et, vt ita dicamus, quadrata misceret rotundis. Non itaque primo de eo disceptatur, an non praetura fuerit magistratus vtilis, reique publicae Romanae inprimis necessarius? sed annon patres, dum pro consulatu cum plebe praetorem patricium sibi concedi petierunt, id egerint praecipue, vt suprema in ciuium fortunas potestas penes patricios esset? Nec deinde quaestio est, an concessa edicendi facultate, semper abusi sint praetores ad leges turpiter euertendas? (id quod nemo temere dixerit,) sed annon id saepissime factum sit? et annon eam in rem variis artibus, veluti nouis vocabulis, restitutionibus in integrum, exceptionibus, fictionibus, vsi sint? Praeterea ne de eo quidem disceptatur, an non bene meriti fuerint praetores de iuris prudentia, multaque praeclara aequissimaque iura repererint? sed an non nimia illa edicendi potestas, concessa praetoribus, ita fuerit comparata, vt homines malitiosi ac perfidi, quales inter praetores fuisse, vindex concedit, ea facile abuti potuerint, quin abusi sint saepius, multaque statuerint εἰς χάριν ἢ κατ' ἔχθραν τινῶν. Denique vel id praecipue in quaestione est, annon ex ea re summam iuris incertitudinem nasci oportuerit, et annon ea naeuus fuerit iuris prudentiae illorum temporum maximus? Iam ergo si vindex ea dissertatione demonstrasset, primo patres non eo fine praetorem patricium flagitasse, vt ipsi iuris dicundi summam potestatem in possessione sua retinerent, deinde, praetores nullam vmquam legem edictis suis euertisse: nec porro eosdem, inuentis nouis vocabulis, restitutionibus in integrum, exceptionibus, fictionibus, noua iura inuexisse: praeterea praetores edicta nec singulis annis, nec per annum saepius mutasse: denique, si vel maxime id fecerint, ius tamen ideo incertum fieri non potuisse: tum demum vindex se praestitisset virum, nosque ei hanc victoriam merito gratularemur. Iam vero quam parum istud praestiterit, ex iis, quae sequuntur, satis opinor, adparebit.

§. XXI.

BIU Cujas

§. XXI.

Primum, quod ad praetoris sui defensionem facere existimat, argumentum §. 5. in eo ponit, quod praetorem, ne si voluisset quidem, in concinnando edicto suo tam fraudulenter versari potuisse, contendit. Obstitisse his consiliis putat insignem Romanorum in ferendis conseruandisque legibus curam, ac congenitum quasi illi populo libertatis amorem. Ciues enim eadem vehementia, qua libertatem amplexi sint, ac vndique munierint, etiam leges, quae vnicae sint libertatis custodes, tuitos esse, vt absurdum vindici videatur, credere, Romanos praetori suo arbitrium legum, hoc est, libertatis seruitutisque suae potestatem apertam aut clandestinam permisisse. Hinc porro haec omnia in notis illustrat egregie, magnumque instituit tractatum, de sollemnitatibus, quas in ferendis legibus adhibuerint, de legum ipsarum clausulis, de insigni erga leges XII. tabularum reuerentia: ac demum inde colligit, non esse verosimile, homines acutissimos non deprehendisse praetorum fraudes, aut tam studiosos libertatis vni homini, cuius annuum esset imperium, sese addicere in seruitutem voluisse. At ego iam supra obseruaui, perridiculam esse quaestionem, an aliquid fieri possit, de quo tamen certo constet, quod saepenumero reuera factum sit. Iam saepe praetores iura pro lubitu mutasse, vetera euertisse, nouaque inuexisse edictis suis, extra omnem dubitationis aleam positum videtur. Diserte enim scribit Dio Cassius loco saepe laudato: οὔτε τὰ γεγραμμένα δικαιώματα ἐτήρησε· ἀλλὰ πολλάκις ἀνέλε μετέγραφον: *ne scriptum quidem ius seruarunt, sed illud saepissime variarunt.* Et Asconius Paedianus in *Argum. orat. pro C. Cornelio, maiest. reo, pag.* 629. testatur, *legem Corneliam gratiam sustulisse ambitiosis praetoribus, qui* IVS VARIE *dicere consueuerint.* Vidimus porro supra, C. Verrem praetorem permulta edixisse cum contra edicta decessorum suorum, tum contra ius scriptum, ipsamque naturalem aequitatem. Denique per inductionem, quam vocant dialectici, probauimus, vix minimam XII. tabularum partem saluam reliquisse praetores, sed pleraque suo arbitrio immutasse. Quis ergo sanus dubitet, quin possint fieri, quae facta sunt? Si hos omnes a mutatione legum nec sollemnitates in ferendis legibus adhibitae, nec sanctiones poenales, nec insignis erga XII. tabulas reuerentia, nec ciuium perspicacia et acumen, nec denique incredibile libertatis stu-

An praetores hanc sibi potestatem arrogantes impedire potuerit Romanorum religio circa leges?

BIU Cujas

dium deterruerunt: cur ea deterruerint alios his similes? Illud quidem facile largimur vindici, numquam hanc potestatem praetoribus dedisse populum, multoque minus Romanos se illis in seruitutem addixisse: sed norunt omnes, rerum ciuilium non prorsus ignari, multa etiam contra populi voluntatem fieri in re publica, illumque, quantumuis acutum, quantumuis libertatis suae tenacem, simulacris tamen libertatis innumeris quotidie decipi, quin tunc se aliquando liberrimum putare, dum sub iugum mittitur turpissime. Quemadmodum ergo Augustus nihil minus prae se ferebat, quam quod libertati struere insidias velit, neque Romani se ei vmquam in seruitutem addixerant, et ille tamen, non aduertente populo, *insurgere paullatim, et munia senatus, magistratuum*, LEGVM *in se trahere coepit, nullo aduersante*: teste Tacito *Annal. lib. I. cap. 2.* ita non mirum sane est, si praetores contra populi voluntatem noua iura statuerunt, neque tamen id animaduertit populus, eo deceptus sophismate, quod praetoribus ius sit, *adiuuandi, supplendi, corrigendique ius ciuile propter vtilitatem publicam.*

§. XXII.

An cura circa scribenda edicta adhibita?

Eiusdem farinae est alterum, quo vir clarissimus §. 6. vtitur, argumentum, vt probet, praetores tam fraudulenter in iure condendo versari non potuisse. Mirifice enim iam laudare incipit curam publicam circa scribenda edicta adhibitam, obseruatque, Romanos varios limites posuisse potestati praetoris: praetoremque ad consilium, immo et senatum, referre debuisse res maioris momenti, ac proinde hos saepe ipsa SCta edictis suis comprehendisse: aliquando edixisse de collegii tribunicii sententia, quippe quod et intercedere potuerit, si quid praetores aduersus leges edixissent. Praeterea ostendit, consules quoque intercedere potuisse iniquis praetorum decretis, nec ratas fuisse eorum sententias vel iniustas, vel ex errore latas, multoque minus eo vsque valuisse praetoris arbitrium, vt iudices pro arbitrio dare potuerit. Denique praetorem vel maxime in officiis continere debuisse existimat edictum: QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR, nec non leges de repetundis, et asperam tribunorum plebis animaduersionem, quae illis non modo finito magistratu, sed et eo durante, imminuerit, si quid aduersus leges statuissent. Hic multa adcumulat vindex, quae parum solida sunt, nec pauciora, quae nihil faciunt ad edictum. Verum quidem est, in iure dicundo ipsi consilium

BIU Cujas

filium adfuiſſe decemuiros ſtlitibus iudicandis: ſed eoſdem adhibitos ad ſcribenda edicta, falſiſſimum. Recte deinde dixeris, praetorem res ad rem publicam pertinentes ad ſenatum retuliſſe: vel de eius modi rebus ex decreto ſenatus edixiſſe, eo enim pertinent M. Retii, praetoris, aliorumque exempla apud Liu. *Hiſtor. lib.* XXXXIII. *cap.* 13. *lib.* XXXII. *cap.* 26. *et lib.* XXXXII. *cap.* 21. aſt eumdem praetorem de iuris dictione ſua et de ſcribendo edicto conſulere debuiſſe ſenatum, id vero eſt, quod mihi probari a vindice velim. SCta edicto ſuo inſerere potuit praetor, quamuis id ex Plinii *lib. V. epiſt.* 21. non adpareat, at non ideo ipſi ademta fuit facultas, pleraque de ſuo conſtituendi. Fabulam, quod de collegii tribunicii ſententia, edicta ſua compoſuerint praetores, iam ſupra exploſimus, nec exemplum proferet vindex, vbi vel conſul, vel praetor, vel tribunus aliquis praetori interceſſerit, propoſituro aliquod edictum, quamuis permulta exſtent, quae oſtendant, eos iniquis praetorum decretis interceſſiſſe. Edicto illo, QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, potius iugulari vindicis cauſſam, quam adiuuari, itidem ſupra oſtendimus, ſiquidem eo non fuiſſet opus, ſi publica illa cura efficere potuiſſent Romani, ne ius nouum ac iniquum a praetoribus ſtatueretur. Denique ſi a poenis crimini alicui propoſitis argumentum duci poſſet, tale crimen numquam admiſſum eſſe: eodem argumento ego probauerim, nec perduellem, nec adulterum, nec ſicarium, nec parricidam, nec quemquam alium facinoroſum hominem Romae viſum eſſe, quia et aduerſus haec crimina multo acriora ibi erant legum vincula, et illico culpam poena premebat comes. Atqui nondum exceſſeram ex ephebis, quum mihi magiſter inculcaret regulam, argumentum, iuſto plus probans, nihil probare. Sed quid opus eſt verbis? Verrem, alioſque ei ſimiles, iniqua ſcimus propoſuiſſe edicta: neque hos vel conſilium, vel ſenatus impediuit auctoritas, non interceſſit tribunus plebis, non conſul, non collega, ac ne Piſo quidem, qui tametſi, teſte Cicerone *in Verr. I. cap.* 46. *multos codices impleuiſſet earum rerum, in quibus Verri interceſſiſſet*: non tamen ideo interceſſerat, quod edicta eius eſſent noua, et legibus aduerſa, ſed *quod iſte aliter, ac edixerat, decreuiſſet.* Denique nec edictum, QVOD QVISQVE IVRIS, nec imminens repetundarum iudicium hominem iniuſtiſſimum deterrere potuit ab edictis illis proponendis. Qua fronte igitur dixeris, iniqua edicta a praeto-

BIU Cujas

ribus Romanis aliis proponi non potuisse, quia iis publica cura ac legum seueritas obstiterit?

§. XXIII.

An iusiurandum in leges?

Addit his vindex §. 7. tertium argumentum, quo se persuasurum lectoribus putauit, praetores non potuisse leges edictis suis euertere. Obseruat enim, eos initio magistratus sui iurasse in leges, iusiurandum vero Romanis fuisse sanctissimum: quin, praetores pro religione sua subinde professos, nihil se admissuros in edictum, quod legibus, plebiscitis, SCtis, edictis, ac decretis principum aduersaretur. Sed quid haec ad rem? An maior vlli hominum generi iurisiurandi religio esse potest, quam Christianis? An de Ioue suo Capitolino Romanos magnificentius putas sensisse, quam, qui Christianam pietatem profitentur, de Deo optimo maximo? Et tamen permultos, proh dolor! reperias, qui iureiurando, tamquam pueri calculis, ludunt. Cur vero meliora speremus de Romanis, inter quos non deerant, qui, si violandum esset ius, illud regnandi caussa violandum, cetera colendam religionem putabant? An ibi meri Curii, Fabricii, Catones Lares posuerant? Sed ita ineptire demum solent homines, qui per omnem aetatem diu noctuque cum Romanis, mortalium cordatissimis, versantur, vt ciuitatem quamdam fingant Platonicam, et serio credant, ipsam virtutem Romae sibi sedem, exacta in exsilium improbitate, constituisse, quasi non homines Romani, sed dii, nec inter eos fuerint vlli, qui Iouem lapidem iurassent, dum, quod concupiscerent, consequerentur. Quod ad formulas illas attinet, quibus leges, plebiscita, SCta, edicta, decretaque principum excipiebant praetores: fungus sit oportet, qui eos nihil aduersus leges admittere posse credat, qui sibi sanctas esse leges, sollemniter protestantur. Sane quum et is aduersus leges facere videatur, qui quid in earum fraudem facit, id est, *qui, saluis verbis legis, sententiam eius circumuenit*: *l.* 29. *D. de legib.* nemo sane negauerit, praetores, quantamcumque prae se tulerint legum reuerentiam, leges tamen, prout libitum esset, euertisse. Rem vno vt illustremus exemplo, leges XII. tabularum primos ab intestato vocauerant suos, deinde, si suus non esset, agnatos proximos, adeoque procul dubio exclusos voluerant emancipatos. *qui iure ciuili nihil iuris habebant. §. 9. Inst. de hered. ab intest.* Quid vero praetor? Quamuis iniquum esset, emancipatos cum suis participes fieri

BIU Cujas

fieri hereditatis, quum illi post emancipationem sibi, sui patri suo omnia adquisiuissent: praetor tamen callido vsus consilio illos fratribus bona aduentitia conferri iussit, *l. 1. pr. §. 5. 6. l. 2. §. 5. D. de collat.* et sic illis dedit bonorum possessionem ex edicto, VNDE LIBERI. *l. 1. §. 7. l. 2. l. 4. D. si tab. test. null. exstab.* Annon haec contra leges? Minime, inquiunt, quia quamuis hae emancipatos non vocent, tamen eos nec expressis verbis excludunt. Nam *si lex, vel SC. vel constitutio capere hereditatem prohiberet, et bonorum possessio cessaret. l. 12. §. 1. D. de bon. possess.* Ego vero vel stupidissimum ferrem iudicem, annon vere emancipatos excluserint decemuiri, dum iis praeferri voluerunt agnatos, et annon praetor, qui eos nihilominus admisit, saluis verbis legum, earum sententiam circumuenerit? Id vero non est contra leges facere? Tiberius imp. Tacito *Annal. lib. II. cap. 30. callidus et noui iuris repertor* audit, quia seruos aduersus leges in caput domini interrogaturus, eos actori publico mancipari iusserat. An minus id nomen conueniet praetori, qui emancipatos aduersus leges vocaturus, eos primum bona aduentitia conferre iussit? Hactenus praetores ne potuisse quidem aduersus leges edicere, sibi aliisque persuadere voluit vindex, adeoque clientem suum in statu, quem coniecturalem vocant rhetores, masculе defendit. Iam miro defensionis genere ad qualitatis statum transit, et praetores §. 8. iura ciuilia edictis suis euertisse fatetur, sed id eos iure fecisse contendit. *Si qua*, inquit, *ostendi possunt, liberius paullo ab iisdem iuris praesidibus inuecta, id probe considerandum, eos interpretes publicos legum antiquissimarum fuisse, quod officium per se potestatem, similem legislatoriae, inuoluere videtur. Praetores tamen in eo adeo ab omni culpa liberi sunt, vt vitium, si quod inde in rem publicam redundauit, populi potius Romani fuerit, qui tamdiu vetustis, et, quas nemo paene intelligebat, legibus inhaesit.* Sic demum ergo negare non potest vindex, *quaedam a praetoribus inuecta esse paullo liberius*, quum id fieri non potuisse, acerrime contendisset. Sed iure tamen id putat factum, partim quia praetores fuerint publici legum interpretes, eaque potestas sit legislatoriae similis, partim quia Romani legibus antiquis inhaeserint, iisque tam obscuris, vt vix ab Euandri matre intelligerentur, quam in rem multa ex aduersariis suis promit de obscuritate sermonis antiqui, quae alii occasioni reseruasset multo commodius. At quis, quaeso, vindi-

BIU Cujas

vindici credet, adfirmanti, interpretis legum publici officium poteſtatem inuoluere, legiſlatoriae ſimilem? Interpretis eſt ſenſum legum ex earum verbis et rationibus eruere, non abrogare leges, iiſdemue derogare, obrogare, ſurrogare, quod nemo poteſt, niſi quem penes eſt τὸ κύριον in re publica. Male ceſſerat Appio Claudio, decemuiro, talis interpretatio legis, de vindiciis ſecundum libertatem dandis, quum tamen eius praecipuus auctor fuiſſet, adeoque poſſet praeſumi, eum adcuratius, quam quemquam, eius ſententiam perſpectam habere. Liu. *lib.* III. *cap.* 45. An plus Romani indulſerint praetori, quem toties vindex in leges iuraſſe, quemque proteſtatum eſſe, docuit, nihil ſe aduerſus leges, plebiſcita, SCta, principum placita, admiſſurum? Fuerint obſcuriſſimae antiquae leges; quin fuerint abſurdiſſimae: praetoriſne erat eas mutare, an populi? At enim ad aequitatem iſtas inflexit praetor, ac proinde pleraque eius edicta ob aequitatem mirifice commendantur. Quid tum vero? an ideo iure agit, qui legiſlatoriam inuadit poteſtatem, quod latae ab eo leges ſunt optimae atque aequiſſimae? Vera omnino ac ciuilis prudentiae principiis quam maxime conſentanea eſt ſententia Alcibiadis apud Thucydid. *lib.* VI. *cap.* 2. quam ipſe vindex adduxit, τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέσατα τοὺς οἰκεῖν, οἱ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι καὶ νόμοις, ἢν καὶ χείρω ὦ, ἥκιστα διαφόρως πολιτεύσει: *eos homines tutiſſime agere, qui praeſentibus moribus legibuſque, etiamſi deterioribus, minime variantes rem publicam adminiſtrent.* Quae in gratiam praetoris ſui contra hanc ſententiam diſſerit vindex, id tantum probant, quod legiſlatoris ſit, leges antiquas, ſtatuique rei publicae parum congruas, emendare, quin et iis ſurrogare nouas, ſi id circa conuulſionem rei publicae fieri poſſit, non autem, quod magiſtratus, legum cuſtodes, quibuſque nulla competit legiſlatoria poteſtas, id ſibi arbitrium iure quodam ſuo poſſint arrogare. Id dum auſus eſt praetor, ſiue aequa, ſiue iniqua ſtatuerit, iniuſte egit. Quid enim aliud dixeris iniuriam, quam quod non iure fit?

§. XXIIII.

Edicta frequentiſſime mutata.

Quae in ſequentibus pro praetore diſſerit vindex, vt, eum omnes caſus edicto ſuo comprehendere non potuiſſe, oſtendat; ἀπροσδιόνυσα ſunt, et plane ſuperuacua. Videtur enim vir bonus hic pugnare cum laruis, nec quemquam tam emotae mentis eſſe arbitror, vt tale quid a legiſlatore vllo exigat: ſaltim

ICtus,

BIU Cujas

ICtus, id esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων satis sciet, ex *l.* 10. *l.* 12. *D. de legib.* Potius itaque ea expendere iuuabit, quae §. 9. de frequente edicti praetorii mutatione disseruit, quum eam vel maxime vitio verti praetoribus sciamus. Hic vero merito mireris, quam facile clientem suum expediat vindex. Primo enim *id non semper, ac necessario fraudulenter factum esse*, contendit. Deinde discernenda esse monet edicta ORDINARIA siue *annua*, et SVBITANEA, *siue non perpetua, quae ad iuris dictionem strictius dictam non pertinuerint.* Paullo post *pag.* 28. plenius rem omnem explicat, et variationem illam, de qua Dio Cassius, aliique veteres conquesti sint, non de edictis annuis, et ad perpetuam iuris dictionem pertinentibus, sed de repentinis et subitaneis, qualia fuerint citatoria, monitoria, obiurgatoria, consolatoria, esse intelligendam docet, immo et Io. Bertrandum et Ger. Noodtium grauiter notat, quod haec parum discreuerint, ac denique *pag.* 29. hanc facit cogitationum suarum summam: *misere falluntur, qui haec cum edictis annuis confundentes, praetorem inconstantiae accusant, atque hinc, nescio quo consilio, iniquarum sententiarum vberrimum prouentum deducere conantur.* Semper praetores in mutandis edictis dolose versatos esse, nec quisquam forsan dixit, nec ad rem pertinet. Sufficit, id aliquando factum esse, veluti a C. Verre, cuius fraudes in variandis edictis mirifice reprehendit Cicero, aliisque Verri similibus, quos Dio συχνὰ ἐν τούτοις πρὸς χάριν, ἢ καὶ κατ' ἔχθραν τινῶν, FREQVENTER huiusmodi quid *in gratiam vel odium certorum hominum*, adeoque dolo malo, feciisse testatur. Quod vero ad distinctionem attinet inter edicta *ordinaria* et *subitanea*, illa quidem recte se habet, sed, dum eos misere falli putat vindex, qui edicta etiam ordinaria a praetoribus mutata esse credunt, ipse omnino fallitur miserrime, tantoque minus meretur veniam, quanto petulantius aliis, rectius sentientibus, insultat. Rem omnem conficit lex Cornelia, non sane ideo lata, quod praetor per annum magistratus sui noua subinde edicta subitanea, e. g. citatoria, monitoria, obiurgatoria, consolatoria, proponeret: sed quod edictum ordinarium, initio magistratus propositum, quoties collibitum, mutaret. Dio Cassius *lib. XXXVI. pag.* 19. dum de variatione edictorum conqueritur, non loquitur de edictis citatoriis, aliisque repentinis, sed mu-

BIU Cujas

tata a praetoribus ait πάντα τὰ διαγράμματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διέταχτο, *omnia ea iura, quae ad contractus dirigendos constituta fuerint*: addit, cautum esse illa lege Cornelia, καὶ ἀρχάς τε εὐθὺς τὰ δίκαια, οἷς χρήσονται προλέγειν, καὶ μηδὲν ἀπ' αὐτῶν παρατρέπειν, *vt statim initio magistratus praedicerent praetores, quo iure essent vsuri, et deinde nequaquam ab eo deflecterent.* Si ergo praetores, quod vindici in mentem venit, repentina tantum edicta mutare sunt soliti: consequens erit, vt et lex Cornelia tantum ad haec edicta pertinuerit, necessitatemque imposuerit praetoribus, statim sub auspicia magistratus sui proponendi omnia edicta citatoria, monitoria, obiurgatoria, consolatoria, quibus per totum annum sint vsuri. Quod quam frigidum, quamque paene ridiculum sit, nemo non animaduertit. Ita et Ascon. Paedianus in *argum. Orat. pro C. Cornelio pag.* 629. eam ob caussam placuisse legem Corneliam, ait quod eo vsque *ius varie dictum sit* a praetoribus, vnde cautum, *vt praetores ex* EDICTIS *suis* PERPETVIS *ius dicerent?* An vero ex edictis citatoriis, monitoriis, obiurgatoriis, et consolatoriis ius dicitur? an ea dici possunt perpetua, quae ipse vindex subitanea vocat, et repente, prout res inciderent, proponebantur? Sane non possumus non mirari insignem vindicis confidentiam, qua θέμα παράδοξον, ne vllo quidem idoneo argumento firmatum, non modo lectori obtrudit, sed et misere falli alios, meliora edoctos, quasi ex tripode, pronuntiat. Sub finem politicum agit vindex, et *pag.* 29. *vitium esse*, dicit, *edicto perpetuo se adstringere, ita vt nulla ratione, nulla aequitate inde dimouearis.* Fingamus haec vera esse, quum tamen sint falsissima: an ideo praetoribus indulgendum erit, vt edicta suo arbitrio figant refigantue? nonne summam sequi oportet rerum omnium confusionem, quin veram in libera ciuitate tyrannidem, si quis, quem penes non est summum imperium, potestatem iuris constituendi immutandique inuadit?

§. XXV.

Praetor populo omnino illusit nouis vocabulis.

His praemissis, §. 10. ad id se accingit vindex, quod caput rei est, artesque illas, quibus praetorem, euersurum leges, vsum esse, viri docti obseruarunt, aperto Marte impugnat. Primum impetum facit in *infirmam, licet peruulgatam hodie, querelam, quam de nouis nominibus, a praetore in fraudem legum excogi-*

cogitatis, iactent, cuius rei insigne, at vnicum, exemplum sit BONORVM POSSESSIO, *quod vocabulum a praetore ideo confictum esse perhibeatur, ne hereditates, quae nemini, nisi ex lege competierint, a se contra leges deferri fateretur.* Hic statim fallitur vindex, dum vnicum tantum exemplum callidae istius artis praetoriae aduersariis suis in promtu esse existimat, adeoque hostium suorum vires ac copias parum diligenter explorauit. Sunt eius rei exempla plura, eaque non minus illustria, quorum pauca iam speciminis caussa proferam. Leges ciuiles actionem negabant aduersus promittentem, si pactum tantum nudum interceſſiſſet. *l.* 7. §. 4. *D. de pact. l.* 10. *l.* 21. *l.* 28. *C. eod.* Quid praetor? Vt aduersus argentarios sine stipulatione quid promittentes actionem dare posset, nouum excogitauit vocabulum, et argentarios non *nudo pacto promittere*, sed RECIPERE, dixit, quumque ex prioris generis promisso nullam dare actionem posset, aduersus argentarios tamen, aliquid recipientes, edicto suo inuexit ACTIONEM RECEPTITIAM. *l.* 2. *C. de const. pec.* Tantumne differunt *recipere* et *promittere*, vt ex priore actio dari debeat, ex posteriore non debeat? Sic quum porro placeret praetori, receptitiam illam actionem proferre ad alios, qui, quamuis non exercerent argentariam, rem tamen, quae numero, mensura, vel pondere constat, ex pacto nudo a se aliisue debitam se praestituros promiserant, nouo iterum opus erat vocabulo, quod, quo erat acumine, facile reperiebat praetor. Aiebat enim eos non promisisse, sed CONSTITVISSE PECVNIAM, adeoque commodissima occasio erat, actionem inuehendi de CONSTITVTA PECVNIA, vel CONSTITVTORIAM. *l.* 1. §. 1. *l.* 16. §. 2. *l.* 18. §. 1. et *l.* 25. *D. de const. pec.* Tantumne differunt *promittere, recipere, constituere*, vt in foro tam diuersa effecta producere deberent? Notum est denique, pignoris ius nullum iure ciuili constitui potuisse sine traditione, vnde et inter contractus, qui re ineuntur, est contractus pignoris, ne quis sibi persuaderet, pignoris ius nuda conuentione, et sine traditione in re quadam constitui posse. §. *vlt. Inst. quib. mod. re contr. obl. l.* 1. §. 6. *D. de obl. et act.* Quid Seruius praetor? Is et pignus inuenit, etiam rei numquam traditae inhaerens, etiam nuda conuentione constitutum, et actionem productum in rem saltim pro locatione praediorum rusticorum oppignoratam. §. 7. *Inst. de act.* Ne tamen iuri ciuili derogasse videretur, nouo inuen-

BIU Cujas

to vocabulo, quod ne lingua quidem patria ſuppeditare poterat, conuentionem illam HYPOTHECAM adpellauit, fatentibus ipſis ICtis, inter pignus et hypothecam nihil intereſſe, ſed *tantum nominis ſonum differre. l. 5. §. 1. D. de pignorib. et hypoth.* Plura addere liceret, niſi nos ad ſe vocaret BONORVM POSSESSIO, de qua nos egregia quaedam docet vindex. *Primo falſum eſſe*, ait, *quod pro confecto habeant aduerſarii*, BONORVM POSSESSIONEM *et* HEREDITATEM *non niſi vocabulo differre, quum eadem, quae inter res mancipi et nec mancipi, differentia eas valide ſatis diſtinxerit*: *deinde* addit, *ipſam bonorum poſſeſſionem etiam in iis ſpeciebus, quae iuri antiquo maxime videantur repugnare, eidem tamen, quantum per aequitatem licuerit, omnino fuiſſe adtemperatam.* Quod ad prius attinet, nemo vmquam aduerſariorum tam fuit in iuris prudentia hoſpes, vt nihil diſcriminis eſſe inter hereditatem et bonorum poſſeſſionem, ſtatuerit. Id modo quaeſiuerunt, an effectus adeo diuerſi fuerit, vt interfuerit multum, heres quis, an bonorum poſſeſſor Lucii Titii diceretur? Fingamus eum duos filios, Caium ſuum ac Seium emancipatum reliquiſſe, illum heredem ipſo iure fuiſſe, hunc bonorum poſſeſſionem ſiue contra tabulas parentis, ſiue ex edicto VNDE LIBERI accepiſſe: an erit, cur Seius Caium beatiorem ſe exiſtimet, illique nomen honorificum heredis inuideat? Rem, quaeſo, conſideremus paullo adcuratius. Caius ſuccedebat in vniuerſum ius parentis: at et Seius erat Succeſſor patris vniuerſalis. *Bona enim* in bonorum poſſeſſione *accipienda ſunt ita, vt* inuoluant VNIVERSITATIS *cuiuſque ſucceſſionem, qua ſucceditur in ius demortui. l. 3. pr. D. de bon. poſſeſſ.* Caius erciſcens cum Titio familiam rerum hereditariarum pro parte dimidia fiebat dominus, ſi dominium penes patrem fuiſſet: ſin pater res adquiſiuiſſet bona fide iuſtoque titulo, Caius eas vſucapere poterat, et quidem titulo eodem, quo vſucepiſſet parens. Quin ſi de titulo minus conſtaret: tamen vſucapiebat PRO HERede. Quid Seius? Is quoque capiebat ſemiſſem facultatum paternarum, et quidem in dominium. *l. 1. pr. D. de bon. poſſeſſ.* Sin pater non habuiſſet dominium, ipſe quoque erat in conditione vſucapiendi, et quidem, ſi de alio titulo haud conſtaret, titulo PRO POSSESSORE. *Rubr. tit. D. pro hered. vel pro poſſeſſ.* Caius porro non modo obligationes defuncti in ſe ſuſcipere, ac aes alienum pro rata exſoluere, ſed et legata, fideicommiſſa, aliaque ex teſta-

mento

BIU Cujas

mento vel codicillis parentis praestare tenebatur. Ad ea omnia obstrictus etiam erat Seius. Nam *bonorum possessio admissa commoda et incommoda hereditaria tribuit, l. 2. D. de bon. poss.* et, *siue soluendo sint bona, siue non sint, siue damnum habeant, siue lucrum, siue in corporibus sint, siue in actionibus, in hoc loco proprie* BONA *adpellantur. l. 3. pr. D. eod.* Quamobrem et Seius, bonorum possessor, ad legata praestanda, aeque ac Caius, heres, tenebatur, certa ratione etiam eo casu, quo contra tabulas bonorum possessionem impetrasset. *l. 1. pr. D. de legat. praest.* Caio, heredi, si alius hereditatem possideret, in mundo erat actio, et quidem aduersus coheredem iudicium familiae erciscundae, aduersus eum, qui pro herede vel pro possessore possidebat, hereditatis petitio. Eaedem actiones competebant Seio, bonorum possessori, *l. 24. §. 1. D. fam. erciſc. l. 1. D. de poss. hered. pet.* quamuis discriminis caussa ab Vlpiano *Fragm. tit. 28. §. 12. fictitiae*; a reliquis *vtiles* vocentur. Vid. Guil. Maran. *Paratitl. pag.* 655. Schulting. *iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 674. Iam quum itaque, ceu hactenus demonstrauimus, tantumdem consequatur bonorum possessor, ac heres ciuilis: quum eadem sint vtriusque iura, eadem commoda ac incommoda, eaedem obligationes et actiones: scire velim, an non, manifesto populo illuserit praetor, inuento illo vocabulo? At hoc nondum concedet vindex, sed nobis in aurem dicet, hereditatem fuisse *rem mancipi*, bonorum possessionem *nec mancipi*, inter quas permagna fuerit differentia. Magna omnino, fateor, ratione modorum adquirendi et alienandi rituum, reipsa, et, quod ad effectum attinet, paene nulla, vnde Iustinianus ea vocabula, differentiamque rerum mancipi et nec mancipi, itemque dominii Quiritarii et bonitarii, tamquam *antiquae subtilitatis ludibrium, nomenque, quod nihil ab aenigmate differat, nec vmquam videatur, nec* IN REBVS *adpareat, sed vacuum sit et superfluum verbum*, explodit, *l. vn. C. de nud. iur. Quirit. toll.* et Cuiacius in *Paratitlis h. t.* fatetur, id *nudum ac inane ius*, quod ad effecta attinet, fuisse. Non iam inquiram, an recte se habeat illa obseruatio vindicis, vel potius Guil. Marani *pag.* 658. *sequ.* cui vindex illam sublegit: id modo obseruabo, falsissimum esse, quod inde collegit, puta, bonorum possessores non accepisse dominium *Quiritarium*, sed *bonitarium* tantum. Ignorauit nimirum vir doctus, res etiam nec mancipi esse potuisse

BIU Cujas

tuisse in dominio Quiritario, adeoque non procedere collectionem, bonorum possessionem esse rem nec mancipi, ac proinde tantum tribuere dominium bonitarium. Poterant eum docere Varro *de re rust. lib. II. cap.* 10. et Vlpian. *Fragm. tit.* 19. §. 2. *sequ.* dominium Quiritarium non modo adquiri in rebus mancipi per mancipationem, sed et in aliis rebus per aditionem, in iure cessionem, vsucapionem, sub corona emtionem, et sectionem, immo et per traditionem, adiudicationem, et legem. Iam quum bonorum possessori iudicio familiae erciscundae vel pars hereditatis, vel res singularis posset adiudicari, *l.* 24. §. 1. *D. fam. erciſc.* quum idem potuerit vsucapere titulo pro possessore: *rubr. tit. D. pro hered. vel pro possess.* quis negauerit, eum dominium Quiritarium adquisiuisse aeque, ac heredem? Quin quum bonorum possessio sit *ius persequendi* RETINENDIque PATRIMONII, *siue rei, quae cuiusque, quum moreretur, fuit*: *l.* 3. §. 2. *D. de bon. possess.* necessario sane consequitur, vt eodem iure bona habuerit et retinuerit bonorum possessor, quo ea habuerat defunctus, adeoque si hic in illis habuerit dominium Quiritarium: illud etiam procul dubio deuolutum sit ad bonorum possessorem. Vana ergo et inanis est illa vindicis obseruatio de dominio bonitario heredum praetoriorum, si vel maxime concedendum sit, bonorum possessionem fuisse inter res nec mancipi. Hactenus itaque male vindici processit demonstratio, quod notabile aliquod fuerit discrimen inter hereditatem ac bonorum possessionem. Iam vero aliquot comminiscitur differentias, quibus ipse magnopere videtur delectatus. Obseruat enim *primo*, bonorum possessionem etiam per procuratorem peti potuisse, *deinde* nulla in ea petenda opus fuisse sollemnitate: quum hereditatem non nisi praesens heres, adhibitisque sollemnitatibus, veluti cretionis verbis, adire potuerit. *Ad haec* praescriptionem fuisse diuersam obseruat, quia bonorum possessio intra centum dies ab extraneo; a liberis intra annum petenda fuerit, quum triginta annos vixerit hereditatis petitio. *Praeterea* filium familias bonorum possessionem et ignorante patre petere potuisse, hereditatem non nisi eo iubente. *Denique*, quod vindici palmarium visum est, eum, qui ante petitam bonorum possessionem decesserit, ad heredes nihil transmisisse: quum contra hereditas nondum adita saltim ad liberos transmittatur, *l.* 5. *C. de his, qui ante apert. tab.* et sola animi destinatio

tio aliquando pro aditione habeatur. *l. 6. C. de iure delib.* Enimuero hae differentiae omnes partim vanae sunt, et supinam vindicis oscitationem in peruulgatissimis iuris principiis produnt, partim ex illo dominio bonitario bonorum possessorum, omnium minime fluunt. *Primum* et *alterum*, quod statuit, discrimen verum est, sed illud non oritur ex dominio Quiritario et bonitario, verum ex eo, quod hereditatis aditio, non autem bonorum possessionis agnitio, fuerit actus legitimus. *l. 77. D. de reg. iur.* Itaque eatenus tanto melior fuit conditio bonorum possessoris, quam heredis, tot vanis adstricti sollemnitatibus aditionis cretionisque. Deinde, quod ad praescriptionem attinet, in qua *tertium* discrimen statuit, eo ipso satis ostendit vindex, se hospitem fuisse in iuris prudentia, neque hereditatis petitionem et eiusdem aditionem potuisse discernere. Id quod merito mireris in homine, qui sui plenus, vel Cuiacium prae se fungum putauit. Petitio hereditatis durat triginta annos: at nec citius praescribitur possessoriae hereditatis petitioni, et interdicto quorum bonorum. *pr. Inst. de perp. et temp. act.* At aditioni hereditatis et cretioni regulariter praefiniti erant centum dies vtiles: totidemque etiam bonorum possessioni. Vlp. *Fragm. tit. 22. §. 28. l. 2. D. de iure delib.* Quid ergo hic differentiae? et quid hoc omne facit ad res mancipi et nec mancipi? ad dominium Quiritarium et bonitarium? Duae *postremae* differentiae ex iure nouo sunt, adeoque ad praetoris edicta et ius honorarium non pertinent. De filio familias, ignorante patre, petente bonorum possessionem, Cuiacius in *Paratitl. Cod. lib. VI. tit. 9. et filiusfamilias*, inquit, *ad delatam sibi bonorum possessionem, etiam ignorante patre admittitur. Quae admissio iure veteri inutilis est, ratum non habente patre*, IVRE NOVO *proficit filio.* Ita et nemo ignorat, a Theodosio demum et successoribus inuentam esse transmissionem hereditatis nondum aditae: vetere autem iure, eoque tempore, quo inuectae sunt bonorum possessiones, et de hereditate valuisse regulam, eam nondum aditam ad heredes non transmitti. *l. vn. §. 5. C. de caduc. toll.* Ita in fumum abeunt illae insignes differentiae, quarum inuentarum gloriam sibi vindex mirifice procul dubio gratulatus est. Quae *pag. 33. et sequentibus* de aequitate bonorum possessionum differit, itidem sunt ἀπροσδιόνυσα. Non enim quaeritur, an non aequitatem ea in re sequutus sit praetor, sed

BIU Cujas

sed an ius illi fuerit, leges de successione tum testamentaria, tum ab intestato edictis suis immutandi, et annon nouo reperto vocabulo illuserit populo, vimque intulerit iuri ciuili? Negat id quidem vir doctus: sed ignoscet nobis, quibus potior est Iustiniani auctoritas, adfirmantis, praetorem, inuentis bonorum possessionibus, ius ciuile non modo *emendasse*, sed et IMPVGNASSE aliquando. An vero vim nullam infert legibus, qui eas impugnat? Conf. Maran. *Paratitl. pag.* 654. Sed his non magis iam immoramur, quam somnio, quod vindex narrat sub finem *pag.* 33. dum scribit: *accedit, quod totum hoc bonorum possessionis negotium per vsucapionem ab ipsis legibus decemuiralibus introductam, praeclaro veluti praeiudicio esset receptum atque confirmatum.* Sic ergo vsucapionis ad exemplum inuecta bonorum possessio? O beatam iuris prudentiam, quam vindex non defraudauit hac arte secreta!

§. XXVI.

Itemque variis inuentis *exceptionibus.*

Quae sequentibus §. 11. *et* 12. *pag.* 37. *sequ.* fuse disserit vindex de pacti, aliisque exceptionibus, ea huc redeunt vniuersa, nihil illis exceptionibus esse aequius, nihil rei publicae salubrius. Quasi vero hoc quisquam mortalium negauerit, et non potius in eo vertatur tota disputatio, annon is euertat leges ciuiles, qui illas inuentis exceptionibus effectu suo priuat? Sufficit, praetori ius non fuisse, leges mutandi: ac proinde facile patet, eum, dum id fecit inuentis exceptionibus, siue aequae sint illae, siue iniquae, quibus neruos iuri ciuili incidit, iniuste ac callide egisse. Et is, quaeso, cui potestas est aequas exceptiones dandi, an non iniquas etiam dare poterit? Putatne vindex, quia exceptiones praetoriae omnes, quas hodie in iure Iustinianeo reperimus, aequitate sua se commendant, tales fuisse omnes, quas olim praetores suo arbitrio dederunt? Quam aequa, quaeso, fuit exceptio, qua miserum illum Vecilium, lenonem, hereditate C. Iuuentii priuauit Q. Metellus, praetor, non sane improbus, sed summam aequitatis laudem consequutus? Heres scriptus erat a Iuuentio Vecilius: petebat bonorum possessionem secundum tabulas: eam non impetrabat miser, quantumuis proferret tabulas, non minus quam septem signaculis signatas. Quid obstabat? Exceptio lenocinii, quam heredibus Iuuentii legitimis dabat praetor, *separandam ratus*

BIU Cujas

ratus fori ac lupanaris conditionem, nec volens aut factum illius comprobare, qui fortunas suas in stabulum contaminatum proiecisset, aut huic, tanquam integro ciui iura reddere, qui se ab omni honesto vitae genere abrupisset. Valer. Max. *lib. VII. cap.* 7. §. 7. Laudauit hoc Q. Metelli εὕρημα vindex §. 9. *pag.* 28. at non laudasset vir bonus, si iusti et aequi regulas maioris fecisset, quam praetorem suum. Recte et ordine faciunt legislatores, qui lenones in ciuitate esse non patiuntur. Nec digni sunt sordidi isti nebulones, quibus vel testimonium denuncietur, vel habeatur fides. Quin ne id quidem reprehenderit quisquam, si leges illos hereditate indignos iudicent, quale quid intendit Constantinus M. in *l.* 27. *C. de inoff. test.* At vbi eiusmodi leges non exstant, iure communi frui debent illi, quibus illum quaestum facere permittitur, idque eo magis postulare poterat Vecilius, quia ipse praetor, praeter rei capitalis damnatos a beneficio bonorum possessionis excluserat neminem. *l.* 13. *D. de bon. possess.* Rectius Q. Metello rem omnem perspexerat leno Terentianus, dum in *Adelph. II. v.* 34. iuueni, inferenti iniuriam respondebat:

Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,
Periurus, pestis: tamen tibi a me facta non est iniuria.

Quin si Thaidi id euenisset, quod euenit Vecilio, illa procul dubio Q. Metello occentasset:

Non te dignum
Feceris. nam si ego digna hac contumelia
Sum maxime: at tu indignus, qui faceres, tamen.

Tales procul dubio fuere exceptiones quamplurimae, quas olim concesserunt praetores εἰς χάριν, ἢ κατὰ καὶ ἔχθραν τινῶν. Nam si a Q. Metello huiusmodi quid potuit proficisci, quid sani sperare licuit a C. Verre, eique similibus, quorum iuris dictio nihil aliud quam publica merces erat?

§. XXVII.

Dum §. 13. *pag.* 47. *sequ.* ad restitutiones in integrum progreditur vindex, easdem inflat tibias, deque illarum aequitate bene longum ac taedioſum tractatum instituit. *Aequissimum primo est*, inquit, *vt grauiter, et citra culpam suam laeso etiam post sententiam latam in promtu sit aliquod iuris remedium. Dein-* Nec non promissis *in integrum restitutionibus.*

BIU Cujas

de non ob quaſuis cauſſas reſtituit praetor, ſed ob paucas, et quae omnes aequitate ſumma nituntur. Tertio reſtitutionem difficulter, nec niſi omni alia actione deficiente conceſſit. Quarto nec id ei clanculum et fraudulenter facere licuit, ſed cauſſa rite erat cognoſcenda, laeſio a petente valide probanda, et aduocandus audiendusque aduerſarius. Poſtremo, quod omnium maximum eſt, nihil hac in re contra leges et decreta principum ſe facturum, ipſe ſuo ſe edicto adſtrinxerat. Ita ſemper extra orbitas vagatur vindex, deque eo diſputat, de quo nulla lis eſt. Nemini vmquam in mentem veniſſe arbitror, impugnare reſtitutiones in integrum, aut iniquum dicere, hominibus praeter culpam ſuam captis aliquo iuris remedio ſubueniri. Quare ſi haec iuris remedia dediſſet populus, quem penes erat legum arbitrium, in iis nihil omnino eſſet, quod reprehenderes. At praetorem id ſibi ſumere, vt reſtitutionis cauſſas ſuo arbitrio ſtatueret, et quidem tales, quibus ius ciuile euerteretur manifeſto, id vero nullo modo eſt excuſandum, partim, quod magiſtratui, tamquam cuſtodi legum, nihil in leges permitti debet, partim, quod ita quotidiana fuit occaſio, validiſſima quaeuis reſcindendi negotia, multaque faciendi εἰς χάριν ἢ καθ' ἔχθραν πνῶν. An enim tam bene de praetorum virtute ſperat vindex, vt eorum in iure dicundo religio nulla vmquam potuerit gratia, nullo odio peruerti? An, qui paucas has, eaſque aequiſſimas, quae hodie in iure Iuſtinianeo reperiuntur, cauſſas edicto inuexit, non potuit inuehere alias, eaſque iniquiſſimas? Ipſe vindex ex Cic. *Philipp. II. cap.* 23. refert Licinium Denticulum de alea condemnatum, ab Antonio trib. pl. reſtitutionem in integrum impetraſſe, non ex alia cauſſa, quam quod Antonii colluſor eſſet, neque vllam Antonium populo Romano attuliſſe rationem, cur reſtitui oporteret Denticulum. Quod ſibi tunc ſumſit tribunus plebis, idem et praetores facere potuerunt: quin fecerunt idem ſaepiſſime. Verrem enim, Chelidonis, meretricis, nutu ac arbitrio ſaepe *reuocaſſe eos, inter quos iam decreuiſſet*, DECRETVMQUE MVTASSE, aliquando *inter alios contrarium ſine vlla religione decreuiſſe, ac proximis paullo ante decreuerit*, refert Cicero *in Verr. I. cap.* 16. Non integrum tamen, inquit, fuit praetori, hic quidquam agere clanculum et fraudulenter, quia cauſſae cognitione erat opus. At in ſophiſma abit haec defenſio. Cauſſae enim cognitione opus erat, quoties quis reſtitutionem

in

BIU Cujas

in integrum ex edicto petebat. Quaestio vero iam est de restitutionum introductione per edictum. Eam a praetoribus callide, et sub aequitatis obtentu, id est, clam et fraudulenter factam esse, contendimus tantisper, dum illi meliorem vindice nostro aduocatum inuenerint. De protestatione praetoris, se nihil aduersus leges, plebiscita, SCta, constitutiones principum ea in re facturum, nihil addimus. Diximus de ea iam supra, et esse quasdam protestationes facto contrarias, etiam vulgus non ignorat. Talis autem reuera est illa praetoris, qui dum contra ius ciuile dat restitutionem, nihil se contra ius ciuile facturum sancte pollicetur.

§. XXVIII.

Denique §. 14. *et sequentibus* vindex ad FICTIONES, praecipuam illam praetoris artem, delabitur, et in ea dissertationis parte tam strenue pugnat, vt se ipsum potius, quam aduersarios superare videatur. Primo nos docet, *fictiones, si quae in iure antiquo reperiantur, faecundo potius ICtorum ingenio, et disputationi fori, quam praetori, acceptas ferendas*, idque satis demonstratum esse ait a consultissimo, Dan. Fridr. Hoheisel, in *Dissertatione de fictionibus in cerebro ICtorum natis.* Iam quidem consultissimi istius viri lepidum, quantum ex inscriptione iudico, opusculum non est ad manum, neque eius videndi desiderio magnopere contabesco: si tamen vel maxime demonstrauerit ille, fictiones in ICtorum cerebro natas esse, inde tamen non sequitur, vt praetori non aeque faecundum fuerit ingenium, neque hoc vllam enixum sit fictionem. Nobis iam induciae sunt cum iureconsultis, de praetoris fictionibus quaestio est. Hic Rhodus, hic saltandum. Sed haec velitatio tantum fuerit vindicis: iam iustum praelium incipit, et non sine adparatu probare conatur, quae fictiones videantur aduersariis, *eas, si recte aestimentur, meras esse veritates probabiles, quae a nullo legum interprete sine magno rei publicae incommodo negligi possint:* quin grauiter admonet, *quo quis magis sit ab notitia rei Romanae et principiis veteris iuris prudentiae instructus, eo pauciores illum in libris iuris deprehensurum esse fictiones, et quam quisque parum ea teneat, eo plures ipsum sibi fingere.* Hactenus oracula audiuisti: iam vt ea interpretetur ipse vindex, animum aduerte. Primum FINGERE saepe idem esse obseruat, ac CREDERE, Denique *fictionibus.*

DERE, vel EXISTIMARE; quumque hanc verbi notionem reperiſſe ſibi videatur apud Ciceron. *pro Sex. Roſc. cap.* 10. Lucanum *Pharſal. lib. V. v.* 392. Gratium in *Cyneg. v.* 510. Macrob. *Saturn. lib. VI. cap.* 2. Horat. *Art. poët. v.* 366. Nonium *cap.* 4. *n.* 201. Vlpianum denique in *l.* 16. *D. de captiu.* auctor nobis eſt, vt in poſterum, quoties de fictionibus iuris ſimus loquuturi, pro FINGE, dicamus, POSSIBILE EST. Mihi vero nondum licuit eſſe vel tam felici, vt fingere poſſim, fictiones eſſe veritates probabiles: vel tam lynceo, vt hanc notionem verbi in iſtis auctoribus reperirem. In locis tantum non omnibus, quae laudauit vindex, fingere eſt *falſum pro vero adfirmare*, et vix vllus eſt, vbi alia ſubiici poſſit notio. In illis ſane Lucani:

FINGIT *ſollemnia campus*,
Et non admiſſae dirimit ſuffragia plebis,
Decantatque tribus.

FINGERE nihil aliud eſt, quam falſum pro vero adfirmare. Caeſar enim, quum tribus non admitteret ad ſuffragia, eas tamen dicis cauſſa vocabat: idemque dirimebat dinumerabatque ſuffragia, quum nulla data eſſent. FINXIT ergo *campus* Martius tum *comitia*, quum nulla vere habita eſſent, id eſt, pro vero a Caeſare adfirmabatur, fuiſſe comitia, quum id eſſet omnino falſiſſimum. In reliquis etiam locis fingere non eſt credere vel exiſtimare, ſed *formare* vel *inſtituere praeceptis*. Quam notionem ab arte fictorum traductam ad ingeniorum formationem, tanta teſtimoniorum farragine probare nihil attinebat, quum et iis nota ſit, qui nondum aere lauantur. At fingamus, fingere aliquando apud veteres idem eſſe, ac credere vel exiſtimare: an ea ſignificatio verbi fictiones praetorias in tuto collocabit? Faciamus, quaeſo, periculum, tantique viri ſequuti conſilium pro fingere ſubſtituamus *poſſibile eſt*. Dum ergo *poſtliminium* FINGIT, *eum, qui captus eſt, in ciuitate ſemper fuiſſe*: §. 5. *Inſt. quibus mod. ius pat. poteſt ſolu.* ſenſus erit ex philologi noſtri ſententia, *poſſibile eſſe, eum, qui captus ſit, numquam pedem patria extuliſſe.* Dumque in actionibus Publicianis fingitur, vel *eum, qui non vſucepit, vſucepiſſe*, vel, *qui vſucepit, non vſucepiſſe*: §. 4. *et* 5. *Inſt. de act.* planiſſimus erit verborum ſenſus: *poſſibile eſſe, et veritatem valde probabilem, poſſe aliquid ſimul eſſe, et non eſſe.* Ohe! iam ſatis eſt. Iam enim perpluit. Immo me audi,

BIU Cujas

audi, inquit vindex. Nonne fieri potest, vt qui apud hostes est, cogitationes omnes domi defixas habeat, et aeque, ac absens, quod ad iura attinet, semper praesens censeri possit, perinde ac peregre agens, qui interim statis ex praedio reditibus, reliquisque iuribus, et absens fruitur? Ain' tu vero, vindex, captiuum, quod ad iura attinet, semper in ciuitate fuisse? Annon ille iura omnia captiuitate amisit perinde, ac si inter homines esse desiisset? *l.* 12. §. 1. 3. 4. 5. *D. de capt. et postlim.* an et mortui, quod ad iura attinet, aeque praesentes sunt, ac si peregre profecti essent? Et quomodo absentes denique, quod ad ius suum praesentes videri possunt, quum ius suum vsucapione alterius amiserint. Video itaque, ex perplexa vindicis doctrina plurima mihi fingenda falsaque pro veris habenda esse, si ei credere velim, praetorem nihil finxisse. Fingendum est, eum, qui iura omnia amisit, eadem adhuc salua habere: fingendum, ciuiliter mortuum, ciuiliter viuere, et iura eius aeque salua esse, ac peregre agentis: fingendum, seruum esse liberum hominem, quin ciuem Romanum: fingendum, absentem semper praesentem esse, quod attinet ad iura, quae vsucapione iam pridem exstincta sunt. Haec omnia vbi credere, et pro veritatibus probabilibus habere didici: tunc demum etiam credere mihi videor, nec finxisse aliquid praetorem, et fictionem non esse fictionem, sed veritatem probabilem. O vitae philosophia dux! Quantum est, quot nos homunciones nescimus! quam iure nunc *pag.* 55. vapulamus a grammatico, *quod imperite tales fictiones ex imperitia, et antiqua defendendi peruicacia descendere adhuc censuerimus*? quum potuissemus non errare, modo a vindice essemus edocti, fingere idem esse, ac rem, etsi incredibilem, credere, et id, quod aperte falsum est, pro re possibili et veritate probabili habere. Sed vt iam serio reliqua eloquamur, tota haec obseruatio tam absurda est, ac frigida, vt verendum fuerit, ne, si plures eius generis parturiuisset istud ingenium, lectores ex stultis insanos fuisset facturus. Et tamen ille suffenus hanc obseruatiunculam tamquam filiolam exosculatur, et, qua est liberalitate, nouo quodam, atque inaudito ante hunc diem, specimine, conatur ostendere, *quam facile fictiones, et alia incerta iuris nobis effingamus, si non intendamus animum, aut formam antiquitatis ex oculis amittamus.* ICti, quo stupore esse solent,

BIU Cujas

seruitutem poenae in fictione consistere, vno ore adfirmant. Vindex hanc seruitutem non fictitiam, sed veram esse, docet. Inuexisse enim hanc seruitutem publicam Graecorum Romanorumque religionem, cuius ex principiis persuasi fuerint homines, sceleratos homines esse in seruitute furiarum, quae et ποιναὶ dictae sint, vel furiarum matris, quam et ipsam ποινὴν adpellarint. Hic iam se vindici campus aperuit latissimus, in quo excurreret. Iam enim, quidquid non modo apud poëtas de furiarum facibus ac tormentis, nec non de earum lictore, Nemesi, sed et in sacris litteris de iustitia vindicatrice Dei, et de diris, quibus legis transgressores apud Hebraeos deuouebantur, vel legerat ipse, vel aliis sublegerat, ex aduersariis suis conducit, eaque testium phalange disposita, quasi praeuideret, aduersarios ne oculorum quidem aciem sustenturos, hoc canit ἐπινίκιον: *quando ergo talis Romanorum fuit religio, vt ex ea seruitus poenae per se sequeretur, eaque iam obtinuit, antequam ICti Romae, aut praetor, exstitit: nullo certe colore ea pro fictione habetur.* Mirum sic sane est, Christianos hanc poenae seruitutem abrogasse, quum talis sit eorum religio, vt ex ea seruitus poenae multo luculentius sequatur. ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας, inquit Seruator *Ioann. cap.* 8. *v.* 34. et quidem πρὸς θάνατον, *Rom. cap.* 6. *v.* 16. Ita ex theologiae Christianae principiis omnis peccator seruus est peccati, ac proinde mortis, quin ipsius diaboli, prae cuius tyrannide mera terriculamenta sunt fictitiae furiarum faces. Contra omni illa testimoniorum rhapsodia non probauit vindex, ex Graecorum Romanorumque theologia sceleratos pro seruis furiarum habitos esse. Fabulabantur quidem poëtae, furias agitare sceleratos, torquere eos die noctuque, dirisque excruciare modis: at in seruitutem ideo redigi homines improbos nemo vmquam dixit, nec magis id dici potuit, quam quod serui fiant carnificis, quicumque ab eo excruciantur necanturque. Iam facile porro demonstrari poterit, seruitutem poenae ex illa fabula non esse natam. Primo enim Graecis illam fabulam cum Romanis communem fuisse, ipse agnoscit vindex: et tamen seruitutis poenae nullum in iure Graecorum deprehendas vestigium. Qui fieri id potuit, si *ex eo religionis principio seruitus poenae per se sequitur*? Deinde quum ex iuris Romani principiis seruus adquirat domino: damnatorum bona necessario cedere debuissent furiis

BIU Cujas

furiis aliisque deabus inferis. Ita se enim habebat ius Romanum, vt, si quem sacrum esse iuberent leges, τὰ χρήματα αὐτῆς Δήμητρος ἱερά, καὶ ὁ κτείνας αὐτὸν φόνου καθαρὸς ἦ, *bona eius Cereri dicata, isque, qui eum occiderit, purus a caede esset.* Et, vt Festus *voc. sacratae leges pag.* 418. *edit. Gothofr.* rem eloquitur, *sacer quis fiebat per leges sacratas alicui deorum cum familia pecuniaque.* At bona seruorum poenae non Furiis, non πόινη, non aliis deabus inferis consecrabantur, sed aerario primum, deinde fisco cedebant. *l.* 1. *pr. D. de bon. damnat.* Denique furiarum illae lanienae non solum capitis damnatos manere credebantur, sed et illos, qui clanculum peccent, et quibus ob hoc numquam dictus fuerat dies. At serui poenae fiebant capitis tantum damnati. Nihil ergo et hac vindicis obseruatione vanius, nihil frigidius, vt de ea iure vsurpes illud Horatianum:

Pergula pictorum, veri nil, omnia falsa.

Quae de colore furoris *pag.* 58. differit vindex, quum ad praetoris edictum nihil faciant, merito praetermittimus. Quod ad fictionem Publicianam attinet, paucis ille *pag.* 66. rem omnem exsequitur. Falsissimum esse ait, eam esse fictionem, *quia imp. testetur, in edicto eam fuisse propositam, in quo sane praetori nec fingere, nec pro arbitrio leges immutare licuerit, id quod supra pluribus demonstrarit.* Lepida sane et digna tanto philosopho ratiocinatio! Nos, praetorem, fictionibus inuentis, leges euertere consueuisse, probamus exemplo fictionis Publicianae. Vindex hanc fictionem esse negat, quia praetor, inuentis fictionibus, leges euertere non potuerit. Dialectici id vocant petitionem eius, quod est in principio. At quid est, quaeso, istud Publicii εὕρημα, si fictio non est? *Nihil aliud subest*, inquit vindex, *quam interpretatio extensiua antiquarum et rigidarum legum de rei vindicatione et vsucapione, quemadmodum in rescissoria, quae eiusdem generis est, restrictiua obtinet.* Interpretatio legis, ex mea sententia est expositio sententiae legislatoris, ex ratione legis eruenda. Haec ratio, si quando latius patet verbis legis, interpretationi *extensiuae*; sin verbis angustior, *restrictiuae* suppeditat fundamentum. Lex est: *dominus rem suam iure vindicato, vbicumque eam inuenerit*, eiusque ratio consistit in eo, quod dominium est ius in re, quod, interuersa licet possessione, non extinguitur. Iam an haec ratio latius patet verbis legis?

An,

BIU Cujas

An, qui rem alienam bona fide, et ex iusta caussa traditam accepit, etiam consequutus est eiusmodi ius in re, quod ne intercepta quidem possessione exspirat? Hoc nec vindex, nec quisquam alius, cui cerebrum est, dixerit. Vnde enim illud nactus esset, quum is, a quo caussam habuit, ipse de tali iure gloriari non potuerit? Si vero ratio legis casui huic proposito non quadrat, quo colore dici potest, actionem Publicianam per interpretationem extensiuam illius legis de rei vindicatione esse exortam. Aeque absurda est interpretatio restrictiua, ex qua rescissoriam fingit natam. Lex est: *qui rem non vitiosam bona fide, iusto titulo, per tempus lege definitum continuo possedit, vsucapione dominium nanciscitor.* Rationem legis alterutram fuisse oportet, vel vt demum finis esset litium et sollicitudinis, vel quia praesumserunt leges, dominum rem suam pro derelicta habuisse, quam tanto tempore non vindicarit. Iam vtram elegeris rationem, nullis profecto fidiculis extorquebis interpretationem restrictiuam, hanc legem ad absentes, qui vel vsuceperint, vel alios vsucapere passi sint, non pertinere. Interest mea, dominium rerum mearum aliquando certum fieri, siue absens sit aduersarius meus, siue praesens sit. Et qui rem suam tamdiu non vindicat, quum posset, eam pro derelicta habere praesumitur, siue praesens sit, siue absens, maxime quum et hic rem per procuratorem vindicare potuisset. Et quid multis? Quae per interpretationem ex lege eliciuntur, ea legi inesse oportet: quae inesse dicuntur, quum non insint, procul dubio finguntur. Quis vero legi de vindicatione inesse dicat clausulam, *eum videri vsucepisse, qui non vsuceperit.* Et quis legi de vsucapione inesse credat alterum istud παράδοξον θέμα, *videri aliquem non vsucepisse, qui vsuceperit tamen?* Recte ergo, et, vt decet iureconsultum, candide rem expressit Theophilus *Paraphr.* §. 4. *Inst. de action.* μὴ ἐσκαπεύσας ΠΛΑΤΤΕΤΑΙ ἑαυτὸν ἐσκαπευκέναι, *is, qui non vsucepit,* FINGIT, *se rem vsucepisse.*

§. XXVIIII.

Conclusio elenchi.

Sed iam me quoque iuuat, ad finem peruenisse. Vltimis enim dissertationis suae paragraphis id tantum egit vindex, vt et argumentorum suorum, quibus sibi tantopere placuit, ἀνακεφαλαίωσιν institueret, et, quam insignem ex meditationibus suis fructum ad vitam ac prudentiam ciuilem capere possint lectores, ostenderet.

BIU Cujas

ret. Prius exsequi potuisset breuius, si dixisset, magno conatu se maximas nugas egisse: posteriore supersedere potuisset penitus. Quae enim ipsa nihili sunt, ex iis vix possunt adeo insignes fructus sperari. Ego vindici praeclaros, quos ex hoc ἐλέγχῳ meo capere posset, fructus ostenderem, si viueret. Quum vero eum interea, dum has schedas recognosco, morari inter homines desiisse audiam, verto stilum, eaque, quae antea scripseram, deleo, eos tamen, qui vix initiati sacris Themidos, vindicis nostri exemplo, in iuris prudentiam sibi omnia permittunt, paucis moneo, vt secum habitent tantisper, et pruritum alios proterue lacessendi cohibeant, dum cruda studia dies et vsus emendent, credantque tandem aliquando, homines loquaces facilius profiteri iureconsultos, quam esse. Haec saeculi nostri labes est: haec rei publicae, haec academiarum pestis, quam nisi Deus auerterit, ilicet, actum est!

§. XXX.

Elogia edicti praetorii, et quomodo illud sensim iuris scripti auctoritatem in foro Romano sit consequutum?

Ceterum quamuis praetoris caussam male egerit is, qui eius vindicias suscepit, vir doctissimus: tantum tamen abest, vt ius honorarium, quale hodie habemus, ideo reprehendendum, aut iniquitatis arguendum existimem, vt illi, si quisquam alius, ei iustum statuam pretium. Neque sane restituendo illustrandoque edicto perpetuo tot impendissem vigilias, si illud pro iniquo haberem. Nemo sanus laudauerit artes, quibus Augustus libertati ciuium struxit insidias, viamque sibi ad dominatum in ciuitate libera muniuit: et pleraque tamen illius instituta non modo rei publicae saluberrima, verum etiam admiratione dignissima fuerunt, quod multis probauimus in *Praefatione Commentarii nostri ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam.* Ita, quamuis praetorem initio malis artibus potestatem inuasisse legislatoriam arbitremur, neque fieri potuisse existimemus, quin mali ac sordidi homines ea potestate abuterentur: fatendum tamen est, pleraque, quae, vt ait Cicero *de inuent. lib. II. cap. 22. vsu fori comprobata, denique* IVRIS SCRIPTI *auctoritatem propter vetustatem obtinuerunt*, esse bona, aequa, et quauis laude dignissima: fatendum, praetorem, quamuis iniuria hac potestate vsum, multa iuris ciuilis capita *ex aequo et bono* dilatasse, §. 2. *Inst. de bonor. possess.* fatendum denique, vere dixisse Martianum, *et ipsum ius honorarium hodie viuam vocem esse iuris ciuilis. l. 8. D. de iustit. et iur.*

BIU Cujas

CAPVT VII.

DE EDICTIS AEDILITIIS.

De *edictis aedilitiis* alio libello se acturum auctor fidem facit.

LOcus hic erat de iis magistratibus, qui curandis aedibus atque operibus, nec non viis publicis et foro rerum promercalium, ceterisque rebus praeerant, hoc est, AEDILIBVS, disserere paullo prolixius, simulque historiam *edictorum aedilitiorum* adcurate contexere. Illorum enim iuris dictio et ἐπιμέλεια quum amplissima fuerit, nemo non videt, eos de omnibus rebus, ad curam suam pertinentibus, edicta proposuisse, neque istud aedilitium edictum, quod *lib. XXI. Digest. tit.* 1. *et lib. IIII. Cod. tit.* 58. exponitur, duobus vel tribus capitibus, tot enim in iure nostro supersunt, sed multo pluribus constitisse. Verum quum animus sit, quidquid ad historiam aedilium edictique aedilitii pertinet, singulari libello complecti, totum hoc caput, quod est de edictis aedilitiis, ex nostra edictorum historia abesse iussimus. Quare omissis his ad alia transimus.

CAPVT VIII.

DE PROCONSVLVM, ALIORVMQVE MAGISTRATVVM PROVINCIALIVM EDICTIS.

§. I. *Varii magistratus prouinciales.* §. II. *Prouinciae quibus legibus vsae sint ante communicatam cum toto orbe Romano ciuitatem?* §. III. *Edicta prouincialia a quibus proposita?* §. IIII. *An praesidibus fuerit ius praetorium?* Panciroli *ea de re sententia.* §. V. *Ea refellitur.* §. VI. *Argumentaque Panciroli refutantur.* §. VII. *Edicta prouincialia vel tralatitia, vel noua.* §. VIII. *Repentina etiam permulta proposita a praesidibus.*

§. I.

Varii magistratus prouinciales.

QVae adhuc disseruimus, pleraque ad vrbanos magistratus, eorumque edicta, pertinent. Nam et praefectis praetorio initio

BIU Cujas

initio in vrbe tantum potestas erat, et quarto demum saeculo iis certas adsignari coepisse orbis Romani dioeceses, satis constat. Proximum iam est, vt et de edictis prouincialibus agamus paullo adcuratius. Quod commodius fieri vix poterit, quam si, per quos et quemadmodum olim ius redditum sit prouinciis, paucis ostenderimus. Paucis, inquam, quia totam hanc antiquitatis Romanae partem tam adcurate exsequuti sunt Carolus Sigonius *de iure prouinciarum*, Bulengerus *de imperatore Rom.* et quod ad extrema imperii tempora attinet, qui *Notitiam imperii orientalis et occidentalis* itemque *Codicem Theodosianum* illustrarunt, viri doctissimi, vt non opus sit, hanc telam retexere, nouamque ordiri. Vt compendii faciamus chartam, id monemus, quum initio extra Italiam victricia arma circumferre, prouinciasque facere coepissent Romani, in eas iuris dicundi caussa missos esse PRAETORES, iisque reddituum publicorum caussa adiunctos esse QVAESTORES, quorum tamen opera aliquando praetores et in iure dicundo, et in administrando bello vtebantur. Hinc supra obseruauimus, quo plures prouinciae sub Romanorum redactae fuerint potestatem, eo magis auctum esse praetorum numerum, vt praeter eos, qui iuris dictionem vrbanam et peregrinam sortirentur, essent etiam, qui prouinciis cum imperio praeessent. Deinde inualuit mos, vt, quoties in prouincia aliqua grauior tumultus vel bellum immineret, vel aliud, quod maius exigere imperium videretur, ea prouincia CONSVLI decerneretur. Adeoque prouinciae aliae *consulares*, aliae *praetoriae* esse coeperunt, prout id res postularet. Interim saepe eueniebat, vt consulibus et praetoribus, bene rem gerentibus, annus imperii exiret, et hinc religioni sibi duceret senatus, eos in tanta spe prouinciam pacandi domum reuocare. Hinc saepe ipsis imperium, et exacto consulatu vel praetura prorogabatur. Quo facto PROCONSVLVM vel PROPRAETORVM nomen sumebant, praeerantque, quoad ipsis ex senatus decreto succederetur. Et initio quidem penes senatum eius rei erat arbitrium, qui, vbi semel statuisset, in quas prouincias in eum annum vel consules, vel praetores mittendi essent, consules inter se *comparare prouincias*, quod inter duos facile erat, praetores *sortiri* iussit, aut, si inter consules non conueniret, ipse suo iudicio nominabat, quam quisque obiret, prouinciam. Quae omnia idoneis veterum testimoniis firmauit Car. Sigonius *de iure prou. Rom. lib. II. cap.* 1. Sed mutatio quaedam eius rei facta est anno vrbis

BIU Cujas

conditae 604. Tum enim L. Calpurnius Piso, tribunus plebis, ad plebem tulit, vt praetores in vrbe tum iuris dictiones, tum quaestiones ex legibus publicis sortirentur, easque per annum magistratus sui exercerent, eoque exacto tum demum suam quisque prouinciam ex SC. sortiretur: quamuis postea C. Sempronius Gracchus noua lege ius suum restitueret senatui, et L. Sulla, dictator, id adstruxit, vt, sublata tribunorum pleb. potestate, agendi cum populo, ii, qui SCto accepissent prouinciam, imperium tamdiu retinerent, donec in vrbem *reuertissent*, introiissent, prouinciae ipsi tantisper, dum successor mitteretur, praeessent. Itaque qui semel eas nacti erant, post illa tempora per multos saepe annos in prouincia haerebant, non quod prorogatum iis esset imperium, sed quod successor non adesset. Quum vero, restituta tribunis potestate, denuo populi esset arbitrium, quos praeficere vellet prouinciis, saepe et prorogata sunt imperia, et ipsis priuatis in certos annos data, ceu Pompeii, Caesaris, aliaque eorum temporum exempla docent. Multo magis ea res fluctuauit post Caesaris victoriam, donec Augustus cum senatu ita diuideret prouincias, vt huic pacatas relinqueret, veluti Africam, Numidiam, Asiam, Graeciam vel Achaiam, Epirum, Dalmatiam, Macedoniam, Siciliam, Sardiniam, Cretam, Libyam Cyrenaicam, Bithyniam cum Ponto ac Baeticam; ipse suae curae seruaret reliquas, in quibus pleraeque legiones erant, Tarraconensem, Lusitanicam, Gallias, Germanias, Coelesyriam, Phoeniciam, Ciliciam, Cyprum, et Aegyptum. Dio Cass. *lib. LIII. pag.* 503. *seqq.* Ex eo tempore in prouincias senatus mitti solebant viri consulares et praetorii, iique, quibus ea sors obuenerat, PROCONSVLES vocabantur, ita tamen, vt Africa et Asia non nisi consularibus decerneretur. Contra prouinciis suis itidem praeficere solebat viros consulares et praetores, qui tamen LEGATI AVG. PRO PRAET. dicebantur: et, vt illis more maiorum quaestores, ita his procuratores Caesaris adiungebantur, qui redituum curam haberent, rationesque conficerent. In solam Aegyptum ex arcana ratione non senatores ire patiebatur, sed equites, iisque PRAEFECTI AVGVSTALES nominabantur, sociosque quodammodo imperii habebant IVRIDICOS ALEXANDRINAE CIVITATIS. At successores Augusti multa hic mutarunt pro lubitu. Tiberius enim Achaiam et Macedoniam, populi prouincias imperatoriis adscripsit. Tacit. *Annal, lib. I, cap.* 76. Eas-

dem.

BIU Cujas

dem deinde senatui reddidit Claudius, et hinc Gallion PROCONSVL ACHAIAE laudatur *Actor. cap.* 18. *v.* 12. Solebant etiam principes prouincias minores dare PROCVRATORIBVS CAESARIS, quales Palaestinae praefuisse nouimus sub Tiberio et successoribus tanta auctoritate, vt et iuris dictione gauderent et imperio. Hadrianus Italiam in quatuor diuisit prouincias, singulisque praefecit CONSVLARES. In eorum locum substituti sunt ab Antonino Pio IVRIDICI PER ITALIAM, tum sequuti CORRECTORES ITALIAE, quorum mentio fit apud Trebell. Pollion. in *Tetrico, cap.* 25. Grut. *pag.* 459. 7. et Reines. *Inscript. class.* III. *n.* 56. A Constantino iterum CONSVLARES, hinc CORRECTORES denuo, qui et MODERATORES, RECTORES, PRAESVLES vocantur ab Ammiano, Symmacho, et Cassiodoro, ceu docuit Reines. *ad Inscript. pag.* 397. Quum ergo vel in sola Italia toties mutarentur praesidum nomina: quid in aliis acciderit prouinciis, facile est ad suspicandum. Modo enim maiorem in plures minores diuidebant principes, modo plures coniungebant, easque vni praesidi subesse iubebant. Id quod saeculo in primis tertio factum nouimus, de quo Lactant. *de mort. persequut. cap.* 7. *vt omnia terrore complerentur, prouinciae quoque in frusta conciſae, multi praesides et plura officia singulis regionibus, ac paene iam ciuitatibus incubare, item* RATIONALES *multi, et* MAGISTRI *et* VICARII PRAEFECTORVM, *quibus omnibus ciuiles actus admodum rari, sed condemnationes tantum, et proscriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium, non dicam crebrae, sed perpetuae, et in exactionibus iniuriae non ferendae.* Sequente saeculo varia nomina praesidibus prouinciarum indita animaduertimus. In *Notitia* enim *imperii* occurrunt PROCOSS. COMITES, PRAEFECTI AVGVSTALES, VICARII, DVCES, CONSVLARES, PRAESIDES, CORRECTORES, quibus omnibus aliqua per prouinciam iurisdictio, vel imperium competebat. At quum de eorum temporum diuisione prouinciarum bene meritus sit Philipp. Bertierius *Pithanon diatr. I.* licebit lectorem eo remittere, vbi talia plena manu feruntur.

§. II.

Nobis iam praecipue dispiciendum est, quibus legibus ante communicata cum orbe Romano iura ciuitatis prouincias rexerint praesides, et quae his noua iura constituendi potestas fuerit relicta? Primum itaque sciendum, sui iuris esse desiisse regna sint ante et commu-

Prouinciae quibus legibus vsae

BIU Cujas

nicatam cum toto orbe Romano ciuitatem?

et terrarum tractus alios, simul ac in prouinciae formam fuerint redacta, nec tunc amplius suis vixisse legibus, sed iis, quas victores victis concesserint. Leges istas dabat vel senatus populusque, vel eorum iussu imperator de decem vel quinque legatorum, qui mitti eum in finem solebant, sententia. Hi ergo constituebant, quae in posterum futura sit prouinciae formula, quae vectigalia populo praestituri sint prouinciales, quo inter se iure vsuri, quae in iudiciis obseruaturi magistratus, et similia, eaque deinde in publico prouincialium conuentu, facto prius silentio per praeconem, iubebant recitari. Talis formula LEX vocabatur prouinciae, eiusque generis in Sicilia erat LEX RVPILIA, quam describit Cicero *in Verr. II. cap.* 13. in Achaia illa, quam T. Flaminius dederat apud Liu. *lib. XXXIII. c.* 31. *et* 32. in Macedonia, quam L. Aemilius Paullus pronunciari iusserat apud eumdem *lib. XXXXV. cap.* 29. Has deinde leges, semel concessas prouinciae, sancte seruabant praesides, eamque in iure dicundo pro norma ac regula habebant. Hinc Cicero *in Verr. II. cap.* 13. Siculis *esse* ait *legem Rupiliam, quam praetor Rupilius ex SC. et decem legatorum sententia dedisset, hanc omnes semper in Sicilia consules, praetoresque seruasse.* Et paullo post, *omnes ante C. Verrem praetores Rupilias leges, et in ceteris rebus, et in iudiciis maxime obseruasse*, adfirmat. Neque tamen omnes prouinciales pari ex hisce legibus iure vtebantur, sed erant ciuitates, quas Romani victores liberas esse, et suo iure vti patiebantur: erant, quibuscum agerent benignius, erant etiam, quibus duriora imperarent, prout bene vel male meriti fuissent de populo Romano. Hinc tot in omnibus fere prouinciis ciuitates, quae in ipsis nummis de ἀυτονομίᾳ sua gloriantur, de quibus copiose egit Ezech. Spanhem. *in Orbe Rom. exerc. II. 9. cap.* 9. Quid? quod aliquando totos populos suis vti legibus paterentur, veluti Macedones, quos *liberos esse iubebant, habentes vrbes easdem, agrosque,* VTENTES LEGIBVS SVIS, *annuos creantes magistratus.* Liu. *lib. XXXXV. cap.* 29. Deinde praeter legem illam, quae formulam prouinciae complectebatur, et priuatum ius legibus constituebat imperator, easque, procul dubio, quantum fieri posset, attemperabat iuri Romano. Sic de Aemilio Paullo Liuius *lib. XXXXV. cap.* 32. *leges Macedoniae dedit, cum tanta cura, vt non hostibus victis, sed sociis bene meritis, dare videretur, et quas nec vsus quidem longo tempore, qui vnus tot legum corrector, experiendo argueret.* Et Iustinus

ſtinus *lib. XXXIII. cap.* 32. *Macedonia leges, quibus adhuc vtitur, a Paullo accepit.* Similem operam Athenienſibus nauaſſe legimus L. Cornelium Sullam, de quo Appian. *in Mithridat. p.* 196. Νόμους ἅπασιν ἔθηκεν ἀγχοῦ τῶν πρόσθεν αὐτοῖς ὑπὸ Ρωμαίων ὁρισθέντων: *leges omnibus dedit, eaſdem ferme, quas prius a Romanis acceperant.* Ius ergo Romanum, quatenus illud vel ad ciuium priuilegia ac praerogatiuas non pertinebat, vel non aduerſabatur formulis illis, de decem legatorum ſententia praeſcriptis, etiam in prouinciis valebat, adeo, vt ſaepe etiam diſertis verbis leges ciuibus initio praeſcriptae et ad prouincias proferrentur. Sic ſane Siciliae praetores, teſte Dione in *Excerpt. Peireſc. pag.* 397. pupillis et viduis, agnatorum cura deſtitutis dabant tutores, ex lege Atilia, quum tamen ea lex Romae tantum locum haberet. Vlp. *Fragm. tit.* 11. §. 18. Idemque Vlpianus paullo poſt §. 20. refert, caput legis Papiae Poppaeae de tutore a praetore mulieri nupturae dando ad dotem dandam, dicendam, promittendamue SCto productam eſſe ad prouincias. Mitto iam *l. 5. pr. D. de manumiſſ.* vbi ſimilis legis, conſtitutione diuorum Fratrum ad prouincias etiam productae fit mentio. Quin tantum abeſt, vt prouinciales diuerſo a ciuibus iure priuato vterentur, vt pleraſque principum conſtitutiones, etiam ante communicatam cum orbe Romano ciuitatem vniuerſales fuiſſe, et prouinciales non minus, quam ciues obſtrinxiſſe, multis exemplis demonſtrarit laudatus paullo ante Ezech. Spanhem. *Orb. Rom. exerc. II. cap.* 7. His iuribus ergo regebantur prouinciales a praeſidibus ſuis: quibus tamen omnibus veluti auctarium aliquod vel ſupplementum accedebant EDICTA PROVINCIALIA, quibus praeſides Romani, ſub auſpicium magiſtratus ſui, quomodo ius de cauſſis ſingulis dicturi eſſent, prouincialibus denunciabant, vt recte ſcripſerit Car. Sigonius *de iure prou. lib. II. cap.* 5. *quum legibus omnia comprehendi non potuiſſent: factum eſt, vt multa edictis ipſis praetoriis ſint permiſſa, ſiquidem, vt praetores vrbani, Romae magiſtratum ineuntes edicta proſuerunt, ex quibus ius ſe dicturos eſſe profeſſi ſunt; ſic praeſides in prouincias ingreſſi, et ipſi ſua edicta ſingulis de rebus diligenter ſcripta ediderunt, ad eaque poſtea totam iuris dictionem ſuam adcommodarunt.*

§. III.

BIU Cujas

§. III.

Edicta prouincialia a quibus proposita.

ET PROCONSVLES quidem talia proposuisse edicta, inter omnes constat, idque vel sola euincit formula in Caii *Commentariis ad edictum prouinciale* passim obuia: AIT PROCONSVL, *l. 4. D. quod quisque iur. l. 1. D. si quis caut. in iud. sist. causs. fact. non obtemp.* At nolim existimes, iis solis ius fuisse, edicta prouincialia reddendi. Idem enim faciebant et reliqui, qui cum imperio praeerant prouinciis. In Siciliam ordinarie mittebantur PRAETORES, non proconsules. Et tamen nihil notius est edicto Siculo, quale fuit et illud C. Verris, tam acriter reprehensum a Cicerone *oratione in Verrem secunda*, et aliud L. Domitii, quo teste Valerio Max. *lib. VI. cap. 3. ex. 6.* inter alia cautum fuerat, *ne quis telum haberet*, ac denique P. Licinii Neruae, de quo Dio in *Excerpt. Peireſcian. pag. 633.* refert, eum ingressum Siciliam edicto monuisse, ἀφικεῖσθαι πρὸς ἑαυτὸν πάντας τὲς αἰτιωμένες τι τὲς δέσποτας σφῶν, ὡς καὶ βοηθήσων αὐτοῖς, *cunctis seruis, qui de dominis suis conquesturi essent, se sui adeundi copiam facturum, auxiliumque iis laturum.* Sub Traiano Plinius, qui Bithyniae tamquam LEGATVS AVG. PRO PRAET. praeerat, non modo *lib. X. epist. 64.* Seruilii Calui, antecessoris sui, edictum commemorat, sed et *epist. 97.* eiusdem libri suum edictum laudat, quo secundum mandata Traiani hetaerias esse vetuerit. Quumque paullo verecundior esset in edicendo, ac proinde de plerisque ad Traianum imp. referret: hic *epistola 110.* ideo se Plinium prouinciae praefeciſse monet, *vt formandis istius prouinciae moribus ipse moderaretur, et ea* CONSTITVERET, *quae ad perpetuam eius prouinciae quietem essent profutura.* Id quod a Plinio non aliter, quam edictis, fieri potuisse, facile vnusquisque intelligit. Nec dubium porro est, quin et PRAEFECTI AVGVSTALES Aegypti eamdem habuerint edicta proponendi potestatem. Eos enim Tacitus *Annal. lib. XII. cap. 60.* ea lege Aegypto praefectos esse ab Augusto scribit, *vt* DECRETA *eorum perinde haberentur, ac si magistratus Romani* CONSTITVISSENT: id quod de eorum edictis intelligendum esse, vel inde patet, quod non alius sit modus, quo aliquid noui constituere potuerint magistratus Romani. Accedit, quod Auilium Flaccum, praefectum Augustalem, crudelem alioquin et omnibus flagitiis coopertum hominem, eo tamen nomine laudat Philo *in Flacc. pag. 966.* quod primis praefecturae suae annis τὴν πόλιν καὶ

BIU Cujas

καὶ τὴν χώραν ἀνέπλησεν εὐνομίας, *bonas leges in vrbem (Alexandrinam) totamque prouinciam induxerit.* Quod denuo non aliter, quam edicto prouinciali fieri potuit. Et sane ea edicendi potestate, et prout res inciderent, vsum esse Flaccum, idem paullo post *pag.* 972. testatur, vbi memorat propositum ab eo πρόγραμμα saeuum ac minacissimum, quo Iudaeos vocarit inquilinos et exteros, iisque ne caussae quidem dicendae potestatem fecerit, sed condemnarit inauditos. Edictum simile Petronii, Syriae praesidis, exstat apud Iosephum *Antiqu. Iudaic. lib. XVIIII. cap.* 6. Quin Alexander aug. *l.* 1. *C. de interd.* et sua aetate praesides *interdicta in albo*, id est, in edicto suo prouinciali habere scribit. Quod quomodo fieri potuerit, condito iam multo ante edicto perpetuo, infra suo loco ostendemus. Et ex his quidem satis constare arbitramur, non modo proconsules, sed et praesides reliquos omnes et iuris dictionis perpetuae caussa, et prout res inciderent, in prouinciis suis edixisse.

§. IIII.

Quae quum ita sint, merito sane mireris, virum alioquin doctissimum, Guid. Pancirolum *Thesaur. var. lect. lib. I. cap.* 34. *et lib. III. cap.* 17. in eum incidisse errorem, vt solos proconsules, non perindè praesides prouincias suas iure praetorio habuisse existimaret. Quod ne sibi aliisque temere persuasisse videatur, primum ex iure nostro obseruat, non potuisse praesides prouinciarum de caussis statuere, quod potuerint tamen proconsules: *l.* 32. *§.* 7. *D. de recept. arbitr. l.* 1. *C. de ord. iud.* eiusque discriminis non aliam fingi posse rationem existimat, quam quod hi participes; illi expertes omnino fuerint iuris praetorii. Deinde testimonium denunciat Plinio, *lib. X. epist.* 77. ad Traianum referenti, quod sint in prouincia, *qui postulent, vt de agnoscendis liberis, restituendisque natalibus cognosceret, exemplo proconsulum.* Quum vero *SCtum ad ea caussarum genera pertinens de iis tantum prouinciis loquatur, quibus procoss. praesint: ideo se rem integram distuliisse.* Denique, quod palmarium Pancirolo videtur, apud Vopiscum *in Probo imp. cap.* 13. legit, *eum patribus permisisse, vt proconsules crearent, legatos consulibus, ius praetorium praesidibus darent.* Ex quo loco non posse non colligi putat, praesides ante ea Probi tempora iure illo praetorio omnino caruisse. Quae si recte

An praesidibus fuerit ius praetorium? *Panciroli* ea de re sententia.

BIU Cujas

se habent, vt sunt sane speciosissima: vix adparet, quo iure vel edicta proponere, vel vllam iuris dictionis partem attingere potuerint, quoue pacto defendi possint, quae paullo ante nos de edictis plerorumque magistratuum prouincialium disseruimus.

§. V.

Ea refellitur. At aliunde satis constat, praesidibus non minus, quam proconss. fuisse ius praetorium, idque multo luculentioribus demonstrari potest argumentis, quam illa Panciroli sententia. Primo nimirum Proculus noster *l.* 12. *D. de offic. praes.* eum, *qui prouinciae praeest, omnium Romae magistratuum vice et officio fungi debere*, scribit, id est, vti *l.* 11. *D. eod.* interpretatur Marcianus, *omnia prouincialia desideria, quae Romae varios iudices habeant, ad officium praesidum pertinere*, vel, vt Hermogenianus *l.* 10. *D. eod.* rem exprimit, *ex omnibus caussis, de quibus vel praefectus vrbi, vel praefectus praetorio, itemque coss. et* PRAETORES *ceteri-que Romae cognoscant, correctorum et praesidum prouinciarum esse notionem.* Quid vero haec aliud innuunt, quam eodem iure in prouinciis vti praesides, quod Romae praetores, aliique magistratus maiores habeant? Deinde si quis Hermogeniani testimonium ideo putet reiiciendum, quod ICtus ille Probo imp. fuerit aetate posterior: ei succenturiare possumus testem alium, eumque omni exceptione maiorem, Corn. Tacitum *Annal. lib. II. cap.* 77. apud quem Domitius Celer ait, *Pisonem, non Sentium, Syriae praepositum. Huic fasces, et* IVS PRAETORIS; *huic legiones datas.* Et tamen ille Cn. Piso non proconsul erat, sed legatus Augusti pro praetore, seu praeses Syriae, neque ista prouincia tum populi, sed Caesaris erat, ceu adcurate demonstrauit Henr. Norisius *in Cenotaph. Pisan. diss. II. cap.* 16. *§.* 13. *pag.* 329. Iam quid hoc testimonio clarius? quid illi Panciroli obseruationi magis contrarium? Similia de praefectis augustalibus Aegypti tradit Vlpianus *l.* 1. *D. de off. praef. aug.* Nam et his, licet non essent proconsules, *imperium tamen ad similitudinem* PROCONSVLVM *lege datum esse*, testatur, idque adeo amplum, vt Strabo *lib. XVII.* eos τὴν βασιλέως τάξιν ἔχειν, *paene tanquam reges praeesse* adfirmet. Quin tantum abest, vt praesidibus hoc ius abiudicandum sit, vt ipsi procuratores Caesaris, minoribus duntaxat praefecti prouinciis, postremis temporibus eo videantur vsi. Quamuis enim notum

BIU Cujas

notum sit ex Tacito *Annal. lib. XII. cap.* 60. Sueton. *Claud. cap.* 12. et Dione Cass. *lib. LVII. pag.* 619. Lucillium Capitonem, Asiae procuratorem, poenas dedisse, quod sibi ius praetorium adrogarit: ipse tamen Dio monet, olim tantum ita se rem habuisse, quando adhuc nihil aliud concessum fuerit procuratoribus, ἢ τὰς νενομισμένας πρόσοδους ἐκλέγειν, καὶ περὶ τῶν διαφορῶν ἐν τῇ ἀγορᾷ, καὶ κατὰ τοὺς νόμους ἐξ ἴσου ἰδιώταις δικάζεσθαι: *quam reditus legitimos colligere, et de controuersiis (fiscalibus) in foro secundum leges ius dicere*: eoque ipso non obscure, opinor, innuit, procuratores Caesaris, quum semel prouincias regere coepissent, impune sibi iura praetorum adrogasse, nullaque paene re deteriores fuisse reliquis praesidibus.

§. VI.

Quae Guido Pancirolus nobis obuertit, argumenta, ea omnia profecto non ita comparata sunt, vt deserendum ideo existimemus vadimonium. Quod enim ad primum attinet, si vel maxime fateamur, proconsules de caussis quibusdam cognouisse, de quibus nulla fuerit notio praesidum, non tamen inde consequitur, vt hos ideo statim exsortes putemus iuris praetorii. Erant et praesidum quaedam iura, quibus carebant proconsules, veluti quod legiones ducerent, exercitibus praeessent, bellaque gererent in prouinciis suis, quod sane non poterant proconsules, nisi id illis esset a principe speciatim permissum. Dio Cass. *lib. LIII. pag.* 504. Lipsius *Exc. ad Tacit. Annal. lib. I. litt. M.* Hinc praeses a Petronio *Satyr. cap.* vocatur *imperator prouinciae*, qui honoris titulus in proconsulem nullo modo cadebat. Contra quaedam iis ademta erant, quae pertinebant ad potestatem proconsulum: non quod carerent praesides iure praetorio, multo minus, quod eiusmodi caussae, ceu sibi Pancirolus persuasit, ad proconsules remittendae essent, sed quod eas sibi suaeque cognitioni sepossuissent principes, quorum vice praeerant prouinciis. Talis caussa erat restitutio natalium, a solo principe impetranda, *l.* 1. *D. de restit. natal.* et quaedam fortassis aliae. Nam quod ad caussas liberales attinet, quorum notionem praesidibus negat Pancirolus, res non adeo expedita est, aliaque omnia colligi possunt ex *l.* 4. *D. de ingen. manumitt. l.* 1. *C. de ord. cogn. l. penult. et vlt. C. vbi causs. stat. l. penult. C. ne de statu defunct.* quibus iam pridem probarunt Em. Merill. *Variant. Cuiac. lib. II. cap.* 1. et Marc. Lyklama

Argumenta *Pancirolli* refutantur.

BIU Cujas

Membran. lib. I. ecl. 16. etiam cauſſas liberales ad notionem praeſidum pertinuiſſe, et in *d. l.* 1. *C. de ord. cogn.* in qua maximum cauſſae ſuae praeſidium quaerit Pancirolus, non eſſe quaeſtionem, an non praeſes cauſſam ſtatus principaliter poſſit cognoſcere? ſed an, ſi in alia cauſſa, veluti hereditaria, incidat eiuſmodi quaeſtio, praeſes neceſſario ſit adeundus? Sane enim vel ideo cognoſcere non poſſe videbatur praeſes, quia de cauſſa hereditaria, tamquam principali datus fuerat iudex, cauſſaeque incidentes alioquin a principalibus diuelli non debent: *l.* 10. *C. de iudic.* iudex vero pedaneus multo minus eam notionem habere videbatur, quia cauſſae ſtatus maiores requirebant iudices, quam pedaneos. *l.* 2. *C. de pedan. iud. l. vlt. C. vbi cauſſ. ſtat.* Conſulti itaque ea de re Seuerus et Antoninus, imperatores, reſcribebant: *adite praeſidem prouinciae, et, ruptum eſſe teſtamentum Fabii Praeſentis agnatione filii, docete, neque enim impedit notionem eius, quod ſtatus quaeſtio in cognitione vertitur, etſi ſuper ſtatus cauſſa cognoſcere non poſſit,* (poſtquam nimirum ſemel iudicem in cauſſa hereditatis dedit,) *pertinet enim ad officium iudicis* (pedanei, per quem cauſſam cognoſcit praeſes,) *vniuerſam incidentem quaeſtionem, quae in iudicium deuocatur, examinare, quoniam* (principaliter) *non de ea, ſed de hereditate pronunciat,* (quamuis per conſequentiam et de quaeſtione incidente ferat ſententiam.) Ita rem explicat doctiſſimus Lyklama, qui et *lib. IIII. ecl.* 9. rem paullo aliter exponit. Si tamen dicendum, quod res eſt, cauſſae ſtatus ante tempora Diocletiani non videntur fuiſſe extraordinariae cognitionis, adeoque et de illis dari potuiſſe iudices. Ac proinde magis adſenſerim Ger. Noodtio, *de Iuriſdict. lib. I. cap.* 1. exiſtimanti, in *d. l.* 1. ſpecie iudicem pedaneum non datum fuiſſe in cauſſa hereditatis et teſtamenti Fabii Praeſentis; ſed praeſidis eam fuiſſe notionem, dubitatumque tantum eſſe, num et de quaeſtione incidente cognoſcere poſſit praeſes, ſuper qua alias iudex pedaneus dari ſoleret? Sic ſane manifeſtum eſt, cur reſcripſerint principes: *adeundum eſſe praeſidem, neque impedire eius notionem, quod ſtatus quaeſtio* (incidenter) *in cognitione vertatur, et praeſes* (alias principaliter) *ſuper cauſſa ſtatus ipſe cognoſcere non poſſit,* (ſed iudicem dare ſoleat.) *Pertinere enim ad officium iudicis* (eiuſdem, qui cauſſam principalem cognoſcat,) *vniuerſam incidentem quaeſtionem, quae in iudicium*

deuoca-

BIU Cujas

deuocetur, examinare, quoniam non de ea, sed de hereditate, (principaliter, de incidente autem non nisi per consequentiam,) *pronuntiet.* Ita vero nihil omnino est in lege nostra, quod suffragetur Pancirolo, neque vllatenus inde consequitur, vt praesides expertes fuerint iuris praetorii, eaque praerogatiua soli donati sint proconsules. Deinde nec in loco Vopisci Pancirolo quidquam praesidii est. Nihil enim ibi refert Vopiscus, nisi quod Probus iura quaedam senatui restituerit, quibus exciderant sub anterioribus principibus. *Permisit* enim *patribus, vt proconsules crearent.* Sed idem iis permiserat iam Augustus, permiserant et sequentes principes. *Permiserat legatos proconsulibus*, vt scribi iubet Is. Casaubonus. Sed ne id quidem nouum, quum semper legatos habuissent proconsules. Denique permisit patribus, *vt ius praetorium praesidibus darent*, at et id vetus ac tralatitium, si verba ita intelligas, vt ea intellexit Pancirolus. Quid ergo? Id vnum nouum, quod *patribus id permisit.* Quum enim antea principes suo arbitrio praesides praefecissent prouinciis, etiam nullo honore, nedum praetura, in vrbe functos, et tamen iis ornamenta praetoria decernerent: Probus quidem ius praesides quoscumque constituendi, sibi retinuit, sed senatui tamen eum honorem habuit, vt ipse, non princeps, illis ius ac dignitatem praetorum daret. Vt adeo tam certum sit, quam quod certissimum, ius praetorium praesidibus non minus competisse, quam quibus proconsulare in prouincia fuerit imperium.

§. VII.

Edicta ergo prouincialia totidem erant, quot Romanorum prouinciae, quia vnusquisque proconsul ac praeses sub magistratus sui auspicium tale proponebat edictum, quo, quomodo ius dicturus sit, praemonebat prouinciales, eos tanto magis sibi habiturus obnoxios, quo magis eius aequitas prudentiaque ex edicto illo elucebat. Quo nomine Cicero *Acad. quaest. lib. IIII. cap.* 1. mirifice collaudat Lucullum, *in quo tanta prudentia fuerit in constituendis temperandisque ciuitatibus, tanta aequitas, vt illis adhuc temporibus steterit Asia Luculli institutis seruandis, et quasi vestigiis persequendis.* Hinc Cic. *ad Attic. lib. VI. epist.* 1. *edictum Asiaticum*, suumque, quod *Cilicibus* proposuit, alibi in *Verr. I. cap.* 43. *Sicilienſe* memorat, nec dubium est, quin et *Africanum*, aliaque reliquarum prouinciarum olim fuerint celeber-

Edicta prouincialia vel tralatitia, vel noua.

berrima. Ceterum ea edicta prouincialia pro parte TRALATITIA erant, pro parte NOVA. Eam enim διαίρεσιν ipse fecit Cicero in edicto suo, de quo *ad diuers. lib. III. epist.* 8. Romae composui edictum, nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, quum Samum ad me venissent, vt de tuo edicto totidem verbis TRANSFERREM in meum. *Diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumtus ciuitatum, quo in capite sunt quaedam* NOVA, *salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector.* In altera parte ex edictis decessorum retinebant, quidquid in illis reperiebant prudenter et ex aequitate constitutum, quaeque a multis annis probauerat vsus, idque adeo verum est, vt hominum reprehensionem non effugerit C. Verres, qui caput eiusmodi in gratiam P. Annii heredum ex edicto Sicilienſi sustulerat. Cic. *Verr. I. cap.* 43. At in nouis adstruendis edictis id operam dabant, vt vel ipsi quaedam hominibus prouincialibus salutaria reperirent, vel ex aliorum edictis prouincialibus optima quaeuis et imitatione digniora decerperent, transferrentque in suum, vel pleraque ex edicto praetoris vrbani negotiis prouincialibus accommodarent. Ea omnia ex eodem Cicerone discimus, qui *ad Attic. lib. VI. epist.* 1. de edicto suo Cilicio differens non modo se in illo *exceptionem aliquam* de Bibuli, Syriae proconsulis, edicto, verum etiam *aliam* ἰσοδυναμοῦσαν, *sed tectiorem ex Q. Mucii edicto Asiatico* in suum transtulisse, denique *multa etiam Scaeuolae, et in iis etiam illud, in quo sibi libertatem Graeci censeant datam, vt Graeci inter se disceptent suis legibus, sequutum esse,* fatetur, additque se quaedam reliquisse ἀγραφα, nempe totam partem *de reliquo iure dicundo*, praeter illa capita, *quae sine edicto satis commode transigi non possint, veluti de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciendis, bonis vendendis, quae ex edicto et postulari, et fieri soleant.* De reliquis enim omnibus edixisse se scribit, *se de eo genere sua decreta ad edicta vrbana adcommodaturum.* Ita Cicero, praeter illa, quae, vti paullo ante vidimus, ex decessorum edicto in suum transtulerat, quaedam etiam noua adiecerat, a se reperta de ciuitatum sumtibus minuendis, quaedam ex Bibuli edicto Syriaco, multoque plura ex Q. Mucii Scaeuolae edicto Asiatico mutauerat, in pleriſque autem edictum vrbanum se sequuturum, monuerat. Ex eodem porro Ciceronis loco discimus, quomodo edictum suum partitus sit Cice-

BIU Cujas

Cicero. Quum enim tribus illud partibus constare debuisset, primam partem ipse κατ' ἐξοχήν vocat *edictum prouinciale, in quo fuerit de rationibus ciuitatum, de aere alieno, de vsura, de syngraphis, in eodemque omnia de publicanis.* Alteram partem comprehendisse ait omnia, *quae sine edicto satis commode transigi non possint, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciendis, bonis vendendis, quae ex edicto et postulari, et fieri soleant.* Tertiam denique partem *de reliquo iure dicundo* ἀγραφον, vt dixi, se reliquisse, et prouinciales ad edictum vrbanum remisisse, scribit, eaque διαιρέσεις sua, ceu ipse vocat, id se consequutum gloriatur, vt *breue esset edictum suum.* Quamuis vero praestare non possimus ordinem illum, a reliquis prouinciarum praesidibus omnibus obseruatum: nemo tamen dubitauerit, easdem saltim partes fuisse omnium edictorum prouincialium, quocumque demum dispositae fuerint ordine. Ceterum iam a Car. Sigonio *de antiq. iure prouinc. lib. II. cap. 5.* recte obseruatum est, tria potissimum cauere consueuisse praesides bonos, famaeque atque existimationis suae paullo studiosiores: primum, ne quid ediderent contra prouinciae formulam, quod quum C. Verres fecisset, in Sicilia edicta proponendo contra legem Rupiliam, reprehensionem bonorum omnium incurrit: Cic. *in Verr. II. cap.* 13. alterum, ne quod in vrbe ante edixerant, in edictis prouincialibus deinde immutarent, vel quaedam iis contraria sancirent. Nam et eo nomine male audiuit C. Verres, quem obiurgans Cicero *in Verr. I. cap.* 46. *Iterum*, inquit, *iam quaero abs te, sicut modo in illo capite Anniano de mulierum hereditatibus, nunc in hoc de hereditatum possessionibus, cur ea capita in edictum prouinciale transferre nolueris? Vtrum digniores existimasti homines eos, qui habitabant in prouincia, quam nos, qui aequo iure vteremur. An Romae aliud aequum est, aliud in Sicilia? Non enim hoc potest in loco dici, multa esse in prouinciis aliter edicenda: non de hereditatum quidem possessionibus, non de mulierum hereditatibus. Nam de vtroque genere video non modo ceteros, sed te ipsum, totidem verbis edixisse.* Tertium denique, quod vel maxime sibi cauendum existimabant, in eo consistebat, ne vmquam decernerent contra edictum suum. Id enim, quamuis homo ferreae frontis, C. Verres, quotidie faceret, tanto maiore sollicitudine cauebant viri boni, et in his Cice-

ro

BIU Cujas

ro qui, Scaptio postulante quatuor centesimas vsuras, *quid ais?* aiebat, *possumne contra meum edictum?* Cic. *ad Att. lib. VI. epist.* 1.

§. VIII.

Repentina etiam permulta proposita a praesidibus.

Talia erant edicta proconsulum ac praesidum prouincialia, quae ad perpetuam eorum iuris dictionem pertinebant. Tanto minus quemquam arbitramur dubitaturum, quin quotidiana iisdem fuerit occasio, edicta omnis generis repentina proponendi. Sed his recensendis non immorabimur, quum et supra multa huius generis, et hoc ipso capite quaedam Petronii, Syriae praesidis, Flacci, praefecti Augustalis Aegypti, aliorumque praesidum edicta subitanea produxerimus. Quare potius ad finem libri primi peruenisse nobis videmur, si prius quaedam adhuc de principum edictis addiderimus, quae scitu non plane indigna iudicamus.

CAPVT VIIII.

DE EDICTIS PRINCIPVM.

§. I. *Principes Rom. edicta reddiderunt iam ab ipsis Augusti temporibus.* §. II. *Quo iure id fecerint, quum tamen prae se ferrent initio, se non esse legislatores, sed populum.* §. III. *Edicta principum saepe SCtis firmata, vel SCta edictis promulgata.* §. IIII. *Ab Hadriani temporibus nouae leges edictis principum conditae.* §. V. *Edicta generalia, specialia, mandata.* §. VI. *Eorum publicatio.*

§. I.

Principes Rom. edicta reddiderunt iam ab ipsis Augusti temporibus.

DE magistratibus tum vrbanis, tum prouincialibus, qui edicta proponere consueuerunt, satis multa nos hactenus dixisse arbitramur. Quemadmodum vero omnium paene magistratuum munia paullatim in se traxerunt principes, nullo adsuersante, ita illi et de rebus omnibus, ad aliorum magistratuum curam pertinentibus, edixerunt fere quotidie, quin demum

BIU Cujas

mum nouas, quotieſcumque placuiſſet, leges edictis ſuis ſanxerunt, vt magiſtratibus reliquis non niſi vmbra quaedam priſci iuris poteſtatiſque ſupereſſet. Itaque haec quoque edicta non plane praetermittenda videntur in hiſtoria noſtra, maxime, quum res ad illuſtrandam in primis iuris prudentiam noſtram pertineat, adeoque vtilitate ſua, vt opinamur, non ſit caritura. Arrogarunt ſibi hanc edicendi poteſtatem principes iam inde ab ipſis Auguſti temporibus, et ita quidem, vt vel ex tempore quaedam imperarent, eaque vel vno loco, vel vbique in orbe Romano, obſeruari iuberent, vel alia, in perpetuum pro lege valitura, praeciperent. Ipſius Auguſti edictum laudatur apud Plinium *lib. X. epiſt.* 71. de conditione et alimentis eorum, quos vocant θρεπτὸς, i. e. qui liberi nati, expoſiti, deinde ſublati a quibuſdam in ſeruitute educati erant; ſed id quidem et repentinum fuit, et, vt ipſe Plinius monet, ad ſolam Anniam pertinuit. Contra ſubitaneum quidem eſt, ſed generale tamen Auguſti edictum, cuius meminit Lucas *Euang. cap. 2. comm.* 1. dum ſcribit: ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Fruſtra enim eſt Eraſmus, qui δόγμα hic vertit *decretum*, multoque adcuratior eſt verſio vulgata et Theod. Bezae, quae habent *edictum*, quum hoc δόγμα non cauſſa cognita, ſed motu Principis proprio prodierit. Vſus enim eſt Lucas phraſi Hebraea: ויהא גזרה *Dan. cap. 2. v.* 13. quod ipſum quoque LXX. recte verterunt δόγμα ἐξῆλθε, id eſt, *promulgatum eſt edictum.* Vid. Anton. Bynaei *de natali Chriſti l. 3. 3. pag.* 289. *ſeqq.* Denique nec deſunt Auguſti edicta, quae ille pro legibus perpetuis valere voluit. Tale enim procul dubio fuit illud, ne feminae pro viris ſuis intercederent, quod laudat Vlpianus *l. 2. D. ad SC. Velleian.* nec non alterum, quo teſte Iulio Paullo, *l. 26. D. de liber. et poſtum.* cautum, ne pater filium militem exheredare poſſet: ac denique illud de diris quaeſtionibus caute et prudenter habendis, cuius verba quaedam recitantur ab eodem Paullo in *l. 8. D. de quaeſtion.* Auguſtum ea in re imitati ſunt ſucceſſores omnes vſque ad Hadrianum. Eorum enim edicta omnis generis ſupra recenſuimus quam plurima: quibus iam pauca quaedam ex iure noſtro veluti per lancem ſaturam adiiciemus. Sic edictorum D. Claudii mentio fit *l. 2. D. ad SC. Velleian. l. 2. D. qui ſine manumiſſ. ad libert. peruen. l.* 14. §. 2. *l.* 15. *pr. D. ad leg. Corn. de falſ.* Veſpa-

BIU Cujas

siani, *l.* 4. §. 6. *D. de legation.* Titi, *l.* 1. § 3. *D. de iure fisci.* Domitiani, *l.* 2. §. 1. *D. de custod. et exhib. reor.* Neruae, *l.* 4. *D. ne de statu defunct.* ac denique Traiani, *l.* 9. §. 20. *D. de his, quae vt indign. l.* 6. §. 1. *D. de extr. crimin.* Ab Hadriani temporibus multo frequentius, quam sub anterioribus principibus, edicta prodierunt, et quidem talia, quibus imperatores noua plane iura conderent, veteraque interpretarentur, mutarent, abolerent, omnemque adeo leges ferendi potestatem, soli explicarent, quum ante ea tempora saltim aliud prae se ferrent principes, suspicionemque, quasi ipsi sibi legum sumere arbitrium vellent, omni ope a se amolirentur. Vnde Tertullianus *Apologet. cap.* 4. *nonne et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatibus totam illam veterem ac squallentem siluam legum nouis* PRINCIPALIVM *rescriptorum et* EDICTORVM *securibus vastatis et caeditis?* Atqui floruit ille sub Seuero et Antonino Caracalla, imperatoribus, quorum aliorumque principum, qui Hadriano successerunt, edicta adhuc obuia in iure nostro, satis nos conuincunt, vera scripsisse patrum Latinorum doctissimum.

§. II.

Quo iure id fecerint, quum tamen prae se ferrent initio se non esse legislatores, sed populum.

Et de Hadriano quidem, eiusque successoribus id non adeo mirandum videtur. Principatum enim hi omnes tenuerunt illis temporibus, quum iam principem ferre didicissent Romani, adeoque nec opus amplius videretur, variis libertatis simulacris occultare dominatum, quem iam pridem imperatores Romani adfectauerant. Inualuerat iam pridem prouerbium, cuius meminit Herodianus *Histor. lib. I. cap.* 6. ἔκειτε ἡ Ῥώμη, ὅπως ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ, *Roma est, vbi imperator est*: cuique geminum illud Mamertini *in Genethl. Maximiani cap.* 12. *ibi sedem imperii videri, quo vterque venerit imperator.* Pro certo ergo iam persuasum erat populo, non opus esse ad legem ferendam campo Martio, non rostris, non curia aliqua vel Capitolio: sed populi nomine leges et oracula recte fundere principem, siue in vrbe sit, siue ruri viuat, siue pro re publica excubet sub pellibus, vel peregre ac veluti sub alio sole agat, vereque adeo de se dicere posse principem, quod Lentulus apud Lucanum *Pharsal. lib. V. v.* 28.

Nam

BIU Cujas

Nam vel Hyperboreae plaustrum glaciale sub vrsae,
Vel plaga, qua torrens, claususque vaporibus, axis
Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes. Tarpeia sede perusta,
Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit.

Hoc semel quum persuasum fuisset populo: non potuit non ille etiam pro certo habere, *quod principi placuerit, id legis habere vigorem, quia populus ei et in eum omne suum imperium ac potestatem contulerit. l. 1. pr. D. de constit. princ.* At paullo difficilius est intellectu, qui fieri potuerit, vt iam ante Hadrianum, et ipsis Augusti temporibus, hanc sibi edicendi potestatem arrogarent principes, quum adhuc videri vellent populo fasces, vt ita dicam, submittere, quum adhuc centurias et tribus mitterent in suffragia, patres de rebus grauissimis consulerent, quin a populo et senatu legibus se solui paterentur, tantum ne summum imperium et potestatem legislatoriam sibi vindicare viderentur? Quomodo enim haec liberrima edicendi potestas conciliari potest tot simulacris libertatis, quibus senatui populoque illudebant quotidie. Sed in promtu Augusto et successoribus erat insigne artificium, quo adhibito, vt ait Tacit. *Annal. lib. I. cap. 2. legum munia in se traherent nullo aduersante*, ita tamen, vt id fieri non animaduerteret populus. Id enim dederant operam, vt sub specie tuendae libertatis omnium magistratuum potestatumque partes ac munera in se deriuarent, in primis autem sibi decernerentur titulus imperatoris, pontificatus maximus, tribunicia potestas, et denique proconsulare imperium. Ita Augustus, teste Dione *lib. LII. pag.* 493. *sequ.* anno v. c. 725. imperatoris titulum accepit. Anno v. c. 731. vt idem *lib. LIII. pag.* 518. scribit, eidem a senatu decreta tribunicia potestas et proconsulare imperium, quorum illa ei concedebatur, χρηματίζειν περὶ ἑνὸς ἑκάστου, ὅ τι ἂν ἐθελήσῃ κατ' ἐκάστην βουλήν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ, *vt, quoties haberetur senatus, etiamsi consulatum non gereret, de rebus omnibus, quidquid vellet, statuere posset*; hoc autem ἐν τῷ ὑπηκόῳ τὸ πλεῖον τῶν ἐκείνου ἀρχόντων ἰσχύειν, *vt maior ipsi in prouinciis, quam praesidibus earum potestas esset.* Denique his anno v. c. 741. mortuo Lepido, accessisse pontificatum maximum, Augustumque ideo partem aedium suarum

BIU Cujas

rum publicasse, quod pontificem maximum in domo publica habitare oporteret, idem narrat Dio *lib. LIIII. pag.* 540. Iam decretis his titulis, satis licet ciuilibus, et in ipsa libera republica non plane ignotis, vere inerat summum imperium, idque facile animaduertebant acutiores, ceu patet ex Dionysio Periegeta, Augustei aeui scriptore, qui Augustum et Tiberium vocat *reges*, dum *v.* 355. celebrat:

Ῥώμην τιμήεσσαν, ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων,

Romam gloriosam, meorum magnam domum REGVM.

quum tamen Tiberius viuo Augusto ne princeps quidem aut imperii consors esset, sed tantum tribuniciae potestatis particeps factus esset ab Augusto, teste Dione *lib. LV. pag.* 556. At eo facilius vocabula fallebant plebem stupidiorem, vt Augustum non opprimendae, sed tuendae libertatis caussa hos titulos suscepisse crederent, quo magis constat, ipsum Dionem, virum alioquin πολιτικώτατον, et in re publica versatum, idem existimasse, ac proinde diserte scripsisse *lib. LIII. pag.* 519. Καὶ μοι δοκεῖ πᾶυτ' ἔτω τότε ὐκ κολακείας, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας τιμηθεὶς λαβεῖν· τότε γὰρ ἄλλα ὡς ἐλευθέροις σφισι προσεφέρετο. *Ac mihi sane tunc non adulantes, sed vere tribuisse Romani videntur. Nimirum in omni re cum ipsis, tamquam cum liberis hominibus agebat.* At hi ipsi tituli erant, quibus Augustus, iudice Tacito *Annal. lib. I. cap.* 2. insurgere paullatim, muniaque senatus, magistratuum, legum in se trahere coepit: vnde et omnem operam dabant eius successores, vt sibi iidem honores decernerentur, quos etiam in nummis et marmoribus diligenter notabant, vt nihil in vtrisque sit frequentius quam formulae: PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVNIC. POTEST. XVIII. P. P. PROCONS. cuius plura exempla adduxit Ez. Spanhem. *de vsu et praest. numism. tom. II. pag.* 392. *seqq.* 413. *seqq.* 424. *sequ.* 463. *seqq.* vbi ex instituto agit de his principum titulis. Iam ergo facile intelliges, quo colore imperatores pro lubitu iura noua constituerint edictis, quamuis nondum prae se ferrent potestatem legislatoriam. Quemadmodum enim libera olim re publica edicendi potestatem ideo sibi arrogabant magistratus, quod in regum successissent locum: ita principes propositis edictis constituebant, quidquid placebat, quia adepti tot magistratuum insignia, ipsos se ea omnia iure facere posse existimabant, quae magistratus illi antea fecissent. Si quid ergo noui circa res sacras constituere vellent, non opus videbatur, vt vel ad pontificum et sacerdotum collegia rem

re-

BIU Cujas

referrent; vel tribus et centurias mitterent in suffragia; sed edicto proposito, quid fieri vellent, imperabant, tamquam pontifices maximi. Sin quid circa rem militarem emendatum vellent: rem omnem explicabant proposito edicto, idque tamquam imperatores. Et quis, quaeso, eos reprehensione dignos iudicasset, si quid in vrbe, vel prouinciis edictis sancirent, quum pollerent potestate tribunicia et proconsulari imperio, eoque ipso nihil omnino facerent, nisi quod omnes et tribuni plebis faciebant, et proconsules? Eo ergo colore edictis constituebant, quidquid putarent esse e re publica, nec tamen cuiquam in mentem venire poterat, principes potestatem legislatoriam populo senatuiue praeripuisse. Ne quis vero haec sola coniectura niti existimet, en testem omni exceptione maiorem, Cornelium Tacitum. Prolixe ille narrat cunctationem, qua Tiberius illuserit senatui, imperium illi post Augusti excessum offerenti. Interim tamen omnia pro imperio agebat princeps callidus, idque tantum cauebat sollicite, ne imperare videretur. Id quod qua arte sit consequutus, ita refert Tacitus *Annal. lib. I. cap.* 7. *Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere re publica, et ambiguus imperandi, ne* EDICTVM *quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi* TRIBVNICIAE POTESTATIS *praescriptione posuit, sub Augusto acceptae.* Iam si ambiguus imperandi Tiberius, edictis propositis, omnia agere poterat propter tribuniciam, quam viuo Augusto acceperat, potestatem: quam libere edicere potuisse putas principes, quibus praeter illam tribuniciam potestatem imperatoria dignitas, pontificatus maximus, et proconsulare imperium fuerat decretum? Sane haec ipsa SCta, quibus imperatoribus haec omnia decreta sunt, absoluunt celeberrimam illam LEGEM REGIAM, qua populus Romanus omne imperium, ipsamque facultatem, edictis, quae vellent, constituendi in principes contulisse dicitur. *l. 1. pr. D. de const. princ.* In fragmentis enim legis regiae, in Vespasiani gratiam conditae apud Gruter. *pag.* 242. diserte cauetur:

VTIQVE QVAECVMQVE EX VSV REIPVBLICAE MAIESTATE DIVINARVM HVMANARVM PVBLICARVM PRIVATARVMQVE RERVM ESSE CENSEBIT, EI AGERE FACERE IVS POTESTASQVE SIT, ITA, VTI DIVO AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG.

BIU Cujas

TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO FVIT.

Vides, hic omnium rerum arbitrium permitti principi, diuinarum, tamquam pontifici maximo, humanarum, publicarum priuatarumque, tamquam imperatori, tribuniciaque poteſtate et imperio proconſulari praedito, adeoque neceſſario inde colligi debuiſſe, quidquid princeps velit edictoue ſanciat, id legis habere vigorem.

§. III.

Edicta principum ſaepe SCtis firmata, vel SCta edictis promulgata.

Si tamen quaedam maioris momenti, et, quae inprimis ad poſteritatem valere vellent, edicto cauiſſent principes: nihil prius nihilque habebant poſterius, quam vt illa SCtis confirmarentur, atque ita in leges abirent. Contra et SCta, ſi qua ad eorum voluntatem facta eſſent, ipſi edictis ſuis firmabant, publicabantque, atque ita noua ſpecie libertatis illudebant populo, vt hic omnia de ſententia totius ſenatus a principe fieri crederet. Edictorum SCtis firmatorum exempla paſſim exſtant. Inter Iuſtini Martyris opera et *Apologiae pro Chriſtianis* reperiuntur. Iis adſutum edictum M. Antonini imp. pro Chriſtianis, quo et victoriam ſe militum Chriſtianorum precibus reportaſſe fatetur, iubetque, vt qui in ius vocatus ſit, quod Chriſto nomen dediſſe diceretur, neque alio praeterea crimine ſe polluiſſet, liberetur, neque a praeſide prouinciae ad aliquam poenitentiam traducatur, aut confeſſus religionem ideo quidquam de iure ſuo amittat, ſed accuſator, qui eo ſolo nomine hominem in ius adduxerit, tamquam improbus calumniator damnetur, viuuſque exuratur. Huic edicto ſubiuncta eſt clauſula: Ταῦτα δὲ καὶ τῆς συγκλήτου δόγματι κυρωθῆναι βέλομαι, καὶ κελεύω τοῦτο μου διάταγμα ἐν τῷ Φόρῳ τῷ Τραϊανῷ προτεθῆναι, ὡρὸς τὸ δύνασθαι ἀναγινώσκεσθαι: *haec vero omnia et SCto firmari volo, ipſumque edictum hoc meum publice proponi iubeo in foro Traiani, vt de plano recte ab omnibus legi poſſit.* Sed hanc quidem epiſtolam, quam iam ſua aetate circumlatam ſcribit Euſebius in *Chron. n.* 2189. quin et Tertullian. in *Apologet. cap.* 5. manifeſtis falſitatis laborare indiciis, tam euidenter demonſtratum eſt a Ioſ. Scaligero ad Euſeb. *Chron. pag.* 222. *ſeqq.* Claud. Salmaſ. *ad Iul. Capitolin. Vit. Marci* imp. *cap.* 24. Huet. *Demonſtr. euang. lib. III. cap.* 19. vt mireris, haec

BIU Cujas

haec non animaduertisse virum doctissimum, qui edicta veterum principum Rom. de Christianis singulari commentatione illustrauit, Franc. Balduinum, quippe qui *pag.* 14. 15. *sequ. tom. I. iuris prud. Rom. et Attic.* iudicare non dubitat, *nullum eo edicto maius testimonium religionis et innocentiae reddi, nullaque nobiliori sanctione libertatem Christianorum communiri potuisse.* Itaque alio opus erit exemplo, eoque magis genuino: quod nobis suppeditat edictum Augusti, ne feminae pro viris intercederent, firmatum quippe SCto Velleiano, *l. 2. D. de SC. Vellei.* et quidem anno v. c. 763. ceu ex marmoribus Grut. *pag.* 470, 1. 2. alibi docuimus. Simile est edictum Claudii Tiberii, cuius mentio fit in *l. 14. §. 2. et l. 15. pr. D. ad leg. Cornel. de falsi.* vt ex lege Cornelia teneatur, qui sibi ipse legatum in alienis tabulis adscripserit. In eius enim edicti sententiam deinde factum esse SC. Libonianum, ostendit vir doctissimus Petrus Faber *Semestr. lib. I. cap.* 25. *pag.* 143. Nec minus apposite vir ille doctissimus laudat edictum Claudianum, in gratiam nauiculariorum et nautarum factum, ex quo passim quaedam particulae seruantur cum in aliis vetustis monimentis, tum in iure nostro: quales sunt illae, vt ciuitatem Romanam acciperent, qui non minorem, quam decem millium modiorum nauem fabricarunt, Vlpian. *Fragm. tit.* 3. *§.* 6. Sueton. *Claud. cap.* 18. 19. vt nauicularii quidam, dum nauigarent, munerum vacationem haberent, *l. 3. §. 3. D. de iure immun. l. 3. de vacat. et excus. muner.* Et tamen edictum hoc de variis nauiculariorum praemiis ac priuilegiis postea SC. munitum confirmatumque esse, ex *l. 3. §. 8. D. de incend. ruin. naufr.* patet, idque Petr. Faber iam recte obseruauit. At multo plura sunt exempla edictorum, quibus SCta in vrbe prouinciisque publicarunt principes, quasi exsequuturi id, quod senatus iussisset, quum ipsi prius senatum oratione sua ad id constituendum perpulissent. Id vero quum sit notissimum, atque inde ipsum SCtorum robur edictorumque principalium originem arcessendam putent viri doctissimi, veluti Guil. Maran. *Paratitl. pag.* 114. Ant. Dadin. Alteserra *Recitat. quotidian. pag.* 182. et Petr. Burmann. *de vectig. pop. Rom. cap.* 6. *pag.* 85. *edit. nou.* bina duntaxat hic proferemus testimonia: alterum Symmachi, qui dum *lib. X. epist.* 21. scribit: *superest, vt ea, quae serenitas vestra patribus deliberanda legauit, cognito*

SCto

BIU Cujas

SCto LEX AVGVSTA *confirmet*, satis ostendit, non valuisse SCta, quae firmata non sint edictis principalibus; alterum Cornelii Taciti, quod *Annal. lib. VI. cap.* 12. occurrit. Nimirum facto per discessionem SCto, ne repertus nuper liber Sibyllinus inter reliquos reciperetur: Tiberius *statim commonefecit*, id est, edicto monuit populum, vt libri eius exempla omnia ad praetorem vrbanum deferrentur. Quumque paullo post castigandae plebi, ad seditionem proniori, compositum esset SCtum, consulesque ea de re edixissent: idem Tacitus capite sequente obseruat, *silentium Tiberii non ciuile, vt crediderat, sed in superbiam acceptum esse.* Ab imperatore enim plebs edictum exspectauerat, non a consulibus, quumque ille sileret, contemni se putabat a principe. Ex quo sane luce meridiana clarius patet, SCta plerumque robur suum, ac veluti pondus accepisse a principum edictis, quibus ea rata habebantur, simulque in populi perferebantur notitiam.

§. IIII.

Ab Hadriani temporibus nouae leges edictis principum conditae.

Sed ab Hadriani temporibus, vt diximus, principes, nullo adhibito colore, quidquid placeret, de nouo constituere edictis coeperunt. Hinc et populus dudum rogari desierat, et rarius SCta fiebant de iure constituendo, nisi principes ipsi noui iuris inuidiam in senatum deriuatam vellent. Quidquid ergo vel ad magistratuum, vniuersitatum, priuatorumque relationem ac preces statuerent, vel pro tribunali, aut de plano decernerent, vel motu proprio praeciperent, id, si vellent principes, pro lege erat, quamuis haec omnia distinguerentur vocabulis, et constitutiones primi generis RESCRIPTA, et quidem si dirigerentur ad magistratus EPISTOLAE; sin ad vniuersitatem, SANCTIONES PRAGMATICAE; si denique ad priuatos, ADNOTATIONES vel SVBNOTATIONES; alterius generis placita, si caussa cognita pro tribunali interponebantur, DECRETA; sin de plano, INTERLOQVVTIONES; ac vltima tantum, quae princeps motu proprio, vel, vt Theophilus eleganter loquitur, ἐξ οἰκείας φύσεως κινηθεὶς, praecipiebat, EDICTA dicerentur. Licet enim epistolae, sanctiones pragmaticae, subnotationes, decreta, ac interloquutiones non ad id comparata erant, vt iis ius nouum constitueretur, sed proprium id esset edictorum, quae ideo etiam diserte vocantur

BIU Cujas

cantur LEGES EDICTALES, *l. 6. C. de sec. nupt.* PERPETVAE LEGES, *l. 2. C. vbi quis de curial. vel cohortal.* LEGES PERPETVO VALITVRAE, *l. 6. C. de diu. praed. vrb.* tamen et illa maximi faciebant ICti, eaque non modo cum cura congerebant, sed et iisdem ad caussarum decisionem vtebantur, vti innumeris ex iure nostro locis potest demonstrari. Quod iniquum ratus Opilius Macrinus imp. *in iure non incallidus, statuerat omnia rescripta veterum imperatorum tollere, vt iure, non* RESCRIPTIS *ageretur, nefas esse dicens,* LEGES *videri Commodi et Caracallae, et hominum imperitorum voluntates, quum Traianus numquam libellis responderit, ne ad alias caussas facta proferrentur, quae ad gratiam composita viderentur.* Iul. Capitolin. in *Opil. Macrin. cap.* 13. Sed vanus quidem fuit is intercalaris principis conatus, quem singulari, dignaque auctore suo dissertatione ad examen reuocauit Ant. Schultingius. Rescripta enim et decreta facile eumdem cum edictis locum tuebantur, et postea, quum Codices, Gregorianus et Hermogenianus, conficerentur, simul cum edictis in illos migrabant, eoque fiebat, vt pleraque noua iura a temporibus Hadriani, (antiquiorem enim hoc principe constitutionem in Codice nullo reperimus,) vel rescriptis, vel edictis principum, inuecta videamus, eo tamen discrimine, vt edicta statim ab origine sua legum habuerint vigorem, rescripta et decreta, quae initio tantum inter partes ius faciebant, postea demum ad similes casus prolata sint a iureconsultis, ac demum plenum constitutionum robur eo ipso, dum Iustiniani auspiciis ac iussu in Codicem relata sunt, acceperint.

§. V.

Edicta generalia, specialia, mandata.

Ceterum edicta illa principum alia GENERALIA, alia SPECIALIA fuisse comperio. *Illa* ad totum orbem Romanum; *haec* ad vnam alteramue prouinciam vel ciuitatem pertinebant. Sollicite haec distinxerunt leges nostrae, quia ex eo aestimandum fuit, vtrum vbique pro lege valere deberet edictum, an vnam alteramue tantum prouinciam aut ciuitatem obstringere. Obseruauit iam hanc differentiam vir illustris, Ezech. Spanhemius, in *Orbe Rom. diss. II. cap.* 8. eiusque luculentum vestigium reperit in his verbis Plinii *lib. X. epist. 97. in qua quaestione ego, auditis constitutionibus principum, quia nihil inueniebam aut* PRO-

BIU Cujas

PRIVM, *aut* VNIVERSALE, *quod ad Bithynos ferretur, consulendum te existimaui:* nec non in sequente Traiani epistola, vbi respondet imperator, *quaestionem illam saepe tractatam esse, nec quidquam inueniri in commentariis eorum principum, qui ante se fuerint, quod ad* OMNES PROVINCIAS *sit constitutum. Epistolas sane esse Domitiani ad Auidium Nigrinum et Armenium Brocchum, quae fortasse debeant obseruari, sed inter eas prouincias, de quibus rescripserit, non esse Bithyniam.* Quaedam ergo edictis praecipiebantur omnibus, qui in orbe Romano viuerent: quaedam certae tantum prouinciae vel ciuitati iniungebantur per modum rescriptorum, quae tamen postea, tamquam edicta, promulgabantur a prouinciarum rectoribus. Ita δόγμα Αὐγούστου *edictum Augusti Caesaris* de descriptione orbis, obstringebat πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, *vniuersum orbem Romanum*, adeoque erat generale. *Luc. cap.* 2. *v.* 1. Tale etiam erat illud Vespasiani, *quo praecipiebatur* OMNIBVS CIVITATIBVS, *ne plures, quam ternos legatos mitterent. l.* 4. §. 6. *D. de legation.* Talis quoque GENERALIS *illa epistola diuorum Marci et Commodi, qua declarabatur, et praesides, et magistratus, et milites stationarios, dominum adiuuare debere in inquirendis fugitiuis. l.* 4. §. 3. *D. de fugit.* Talia occurrunt et alibi, vbi Imperatores meminerunt EDICTI GENERALIS *per omnes prouincias missi, l.* 7. *C. de strator.* GENERALIS LEGIS, *l. vn. C. ne quis in sua causs. iud. l.* 3. *C. de tabul.* CONSTITVTIONIS, *quae* GENERALIS LEX *vocata est, et* AD OMNES *iussa pertinere, vimque obtinuit* EDICTI. *l.* 3. *C. de legib.* Protulit laudatissimus Spanhemius etiam locum ex *Actis passionis S. Felicis* apud Ruinartum *Act. mart. pag.* 376. vbi *Diocletiano octies et Maximiano septies consulibus augustis exiuisse dicitur* EDICTVM IMPERATORVM *et* CAESARVM, SVPRA OMNEM FACIEM TERRAE *et propositum esse per colonias et ciuitates principibus et magistratibus suo cuique loco, vt libros Deificos peterent de manibus episcoporum et presbyterorum.* Sed distinctius haec narrat Eusebius *Hist. eccl. lib. VIII. cap.* 1. 2. *et* 6. qui quatuor virulenta huiusmodi edicta a Diocletiano et Maximiano impp. *vbique proposita* refert, *primum*, quo ecclesiae ad solum vsque dirui, sacri codices flammis absumi, honorati, si in Christianae fidei proposito permanserint, infamia notari, plebeii libertate spoliari; *alterum*, quo omnes vbique Christianorum antistites in vincula coniici, et ad sacrificandum compelli; *tertium*,

BIU Cujas

tertium, quo iidem praesules iterum in carcerem detrudi, ac *quartum* denique, quo carceri inclusi, si sacrificassent, dimitti, sin minus, tormentis excruciari, iubebantur. Omnia ergo edicta ista feralia, ad totum orbem Romanum pertinebant, et vbique non modo proponebantur, vti Nicomediae factum, testatur Lactant. *de mort. persequut. cap.* 13. sed et voce praeconis promulgabantur, vti de Caesareensi ciuitate refert Basilius Magnus *Homil. XVIIII.* in Gordium martirem, dum scribit: κηρύγματα δὲ ἦν πανταχοῦ, καὶ διαγεγράμμενα ἐκηλοῦτο κατὰ πᾶσαν ἀγορὰν, καὶ πάντα τόπον ἐπίσημον, μὴ προσκυνεῖσθαι Χριστόν: *vbique audiebatur vox praeconis, perque omne forum, omniaque celebriora loca promulgabantur edicta, ne quis Christum adoraret.* Contra non pauciora sunt, quae imperatores tantum circa certas prouincias vel ciuitates constituisse legimus. Eo enim Spanhemius refert omnia, quae imperatores rescripsisse dicuntur, ad prouincias et ciuitates, veluti ad Lacedaemonios et Achaeos, Plin. *lib. X. epist.* 2. ad Clazomenios, *l.* 4. §. 5. *D. de legation.* ad Nicomedienses, *l.* 5. *D. de decret. ab ord. fac.* ad concilium Baeticae, *l.* 1. *D. de abig.* κοινῷ τῶν Θεσσαλῶν, *l.* 37. *D. de iudic. l.* 5. §. 1. *D. ad leg. Iul. de vi publ.* πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Θρᾳκῶν, *l.* 1. §. 5. *D. de adpellat.* ad communitatem Asiae, *l.* 6. §. 1. *D. de excus.* τῷ κοινῷ τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων, *l.* 25. *D. de adpellat.* et similia. Quamuis enim hae sanctiones pragmaticae potius fuerint, quam edicta: tamen et illae, semel publicatae vim perpetuae legis vel edicti in illa prouincia vel ciuitate obtinebant. *l.* 35. *C. de episc. et cler.* Vnde facile intelligimus, quomodo ab edictis istis specialibus differant MANDATA PRINCIPVM, quippe praesidibus dari solita, aliisque magistratibus, vt, quo vsque se porrigat eorum potestas, adcurate scirent. Sic enim MANDATIS Traiani, sibi datis, cautum esse, ait Plinius *lib. X. epist.* 64. *ne restitueret ab alio, aut a se relegatos: de iis, quos alius relegauerit et restituerit, nihil comprehensum esse.* Et in *l.* 35. *D. de poen. cautum esse* dicitur MANDATIS *principalibus, quae praesidibus dantur, ne quis perpetuis vinculis damnetur.* Itaque Romanis idem fuit *mandatum* principis, quod apud nos vocant *eine Instruction*: ac proinde illud exhibendum erat ab eo, qui se cum mandatis principis secretis feciſse iactabat, ceu diserte sancitum *l.* 1. *C. de mand. princ.*

BIU Cujas

§. VI.

Eorum publicatio.

Edicta haec principum, quo pacto publicata sint, ex his; quae antea passim obseruauimus, facile intelligitur. Supra enim vidimus, ea et in charta proposita, et marmoribus, columnis, tabulis aeneis incisa, aut tabulis linteis et cerussatis inscripta fuisse. Ibidem etiam ostendimus, quin et superiore paragrapho nouo Basilii testimonio probauimus, praecones eadem in foro aliisque locis celebrioribus promulgasse. Denique vbi supra de edictis praetoriis egimus, demonstrare nos meminimus, principes edicta et constitutiones suas in vrbem ad praefectos vrbi, in singulas dioeceses ad praefectos praetorio misisse, qui deinde ea communicasse videntur cum proconsulibus, aliisque prouinciarum ciuitatumque rectoribus, suis quibusque locis more maiorum promulganda. Id enim ex *l.* 7. *l.* 13. et *l.* 61. *C. Th. de cursu publ. l.* 16. *C. Th. de diu. offic. l.* 14. *C. Th. de bon. proscript.* satis luculenter demonstrauit Iac. Gothofredus *ad Cod. Theod. Tom. I. pag.* 3. ad quem lectores, ad alia properantes, merito remittimus.

BIU Cujas

* * * * * *

LIBER II.

DE HISTORIA EDICTI PERPETVI.

CAPVT I.

DE PERPETVIS EDICTIS, QVALIA ANTE HADRIANVM IMP. FVERVNT.

§. I. *Quotuplici ſenſu* EDICTVM *dicatur* PERPETVVM. §. II. *Praetores aliique magiſtratus olim edicta ſua per ipſum magiſtratus tempus pro lubitu mutabant.* §. III. *SCtum anno* V. C. 585. *factum, vt praetores ex edictis ſuis perpetuis ius dicerent.* §. IIII. *Illud non valuiſſe videri, et cur?* §. V. *Lex Cornelia de edictis perpetuis.* §. VI. *Varii ſcriptorum errores de lege illa Cornelia.* §. VII. *Ius praetorium ex eo tempore paullo certius factum. Commentarii ad edictum ſcripti.* §. VIII. *An Oſilius edictum perpetuum ſcripſerit auctoritate et iuſſu Iulii Caeſaris?* §. VIIII. *Dodwelli ſententia expenſa.*

§. I.

Quotuplici ſenſu *edictum* dicatur *perpetuum.*

QVae generatim de variorum magiſtratuum, vrbanorum aeque ac prouincialium, edictis, eorumque origine, varietate, formulis, atque auctoritate dici poſſunt, ea nobis LIBRO PRIORE ita videmur exſequuti, vt magis vereamur, ne iuſto plura, quam ne ſatis multa in chartam conieciſſe iudicemur. Sed eſt huius modi rerum, quae vulgo ignorantur, tanta plerumque vbertas, vt alia ex aliis incidant, ſubeantque calamum, adeoque finis difficilius, quam principium, inueniatur. Ne quis tamen paullo moroſior nobis occentet illud poëtae:

Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria:

ſignum dare iuuabit receptui, et pari diligentia inquirere in EDICTI PERPETVI hiſtoriam, eaque occaſione et de vita SALVII IVLIANI, et de aliis hiſtoriae iuris capitibus bene, quoad eius

BIU Cujas

fieri poterit, mereri. Quum vero viros doctissimos in eo vel maxime offendisse animaduerterim, quod parum adcurate discreuerint notiones vocabuli, EDICTI PERPETVI, in ipso huius libri aditu dabo operam, ne similis lectoris oculis caligo offundatur. PERPETVVM Latini vocant, non solum, quod sine fine, ac aeternum duraturum est, sed quod est continuum, nec vlla vicissitudine interruptum, quamuis non adeo diuturnum. Prior vocabuli significatio, in vulgus nota, proculdubio locum habet, quando Cicero *Tusc. quaest. lib. I. cap.* 41. loquitur de *perpetuitate consequentis temporis:* nec non quum Plautus *in Cistell. I.* 3. *v.* 46. conqueritur, *vt sint humana, nihil esse perpetuum datum.* Posterior vero multo est frequentior, et nescio an vocabulo magis, quam prior ista, propria. *Oratio* PERPETVA non est, quae finem non habet, sed continua, non interpellata, quam et *continentem* vocat Cic. *Tusc. quaest. lib. I. cap.* 5. Ita et Caesar *de bell. Gall. lib. VII. cap.* 57. *paludem* PERPETVAM vocat non infinitam, sed continuam, et quae nullis agris siccioribus distinguitur. Quin et PERPETVA *amicitia* Q. Ciceroni *in Petit. cons. cap.* 7. non est sempiterna, quae non cadit in hanc mortalitatem, sed continua, nullisque querelis interrupta. Denique dum apud Terent. *Hecyr. I.* 2. *v.* 12. Philotis ait, *biennium* PERPETVVM Corinthi *se miseram tulisse militem inhumanissimum*: manifesto indicat tempus continuum. Quod eleganter, vt solet, exprimens Donatus: *vt continuationem*, inquit, *sui casus ostenderet*, PERPETVVM *dixit.* Iam vtramque vocabuli notionem locum habere animaduertimus, quando veteres mentionem faciunt EDICTI PERPETVI: nec audito illo vocabulo, illico existimandum est, eos nobis memorare edictum, perpetuo et ad omnem posteritatem valiturum, sed plerumque loquuntur de edicto, quod per annum vel tempus magistratus mutari, aliisque nouis veluti interpellari non potuit. Quo obseruato, iam facile etiam intelligimus, qui fieri potuerit, vt demum Hadriano imp. acceptum feramus EDICTVM PERPETVVM; quum iam pridem ante eius tempora praetores *ex* EDICTIS *suis* PERPETVIS *ius dixisse* perhibeantur.

§. II.

Praetores aliique magistratus olim edicta sua

Vt rem ab ouo ordiamur: duo potissimum fuisse, supra diximus, quae in iure honorario desiderarent prudentiores: alterum, quod singulis annis ei noui quid adstruerent successores: alterum, quod ne eo ipso quidem anno se suis edictis obstrictos existimarent

BIU Cujas

rent magistratus, sed, quoties collibitum esset, nouum quid edicerent. Ex priore id metuendum erat incommodi, ne ius honorarium demum fieret incertissimum; ex posteriore, ne, si forte didi homines honoribus fungerentur, ab iis pleraque fierent εἰς χάριν, ἢ καὶ κατ' ἔχθραν πινῶν, *in gratiam vel odium certorum hominum.* Id quod Romae frequentissime factum esse, iam supra ex Dione Cassio demonstrauimus. Iam vtrique malo quaerebatur remedium: sed quemadmodum pluribus vrgentibus malis, id agere solemus, vt, quod maxime nos vexat, illud quam primum a nobis amoliamur: ita idem consilium ceperunt Romani. Quum enim videretur liberae ciuitati multo intolerabilius, magistratibus licere, intra breue anni spatium edicta sua, prout visum esset, mutare ac refingere, eoque modo insidias honestissimorum quorumuis hominum fortunis struere, quam singulis successoribus permitti, vt noui quid attexere possent decessorum edictis: non mirum profecto est, prius Romanos de edicto per totum annum immutabili, quam de sempiterno et in perpetuum valituro cogitasse. Et vtriusque tamen edicta veteres, vti diximus, vocant PERPETVA. Dispiciendum ergo iam erit, quando primum cautum fuerit, vt edicta sub auspicia honoris semel proposita, intra annum istum nec refigerentur, nec mutarentur? Deinde, quo tempore edictum perpetuo valiturum, sit conditum? Iam de prioris generis edicto PERPETVO.

per ipsum magistratus tempus pro lubitu mutabant.

§. III.

De eo primum cogitatum anno V. C. 585. *L. Aemilio Paullo* et *C. Licinio Crasso* coss. Tunc enim factum est SC. ne praetores, vti huc vsque facere consueuissent, edicta sua saepius per annum mutarent, sed ex edictis suis perpetuis ius dicerent. Praeclari istius SCti, cuius nec Liuius, nec quisquam alius veterum scriptorum, meminit, notitiam debemus *Actis diurnis*, a Steph. Vin. Pighio *Annal. Rom. tom. II. pag.* 378. Reinesio *Inscript. classs. IIII. n.* 2. *pag.* 340. et Henr. Dodwello *sub finem Praelectionum Cambdenianarum pag.* 665. editis, in quibus et haec legimus:

SC. a. V. c. 585. factum, vt praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent.

V. K. APRILEIS.
FASCES. PENES. AEMILIVM.
BENE. MANE. SACRIFICAVIT. AD. APOLLINIS.
OVE. FECIT. LAVREATVS.
HORA. OCTAVA. SENATVS. COACTVS. IN. HOSTILIA.
SC. FACTVM. EST. VTI. PRAETORES. EX. SVIS.
PERPETVIS. EDICTIS. IVS. DICERENT.

Ex-

BIU Cujas

Exprimit nobis hoc quantiuis pretii monimentum eum, qui sua ad senatum relatione auctor fuit huius SCti condendi, puta L. Aemilium Paullum: exprimit tempus, quo factum, v. kal. April. anni ab v. c. 585.: exprimit sollemnitatem, quae illum senatum anteceſſit; ac denique ipsum SC. luculenter describit. Retulit tum ad senatum L. Aemilius Paullus, *vir*, ex iudicio Velleii Paterc. *lib. I. cap. 9. in tantum laudandus, in quantum intelligi poteſt virtus.* Ordinarie enim ad senatum referebat consul, quem penes fasces erant, Liu. *Hiſtor. lib. VIIII. cap.* 8. nisi in re publica esset dictator, aut consul deceſſiſſet, aut vrbe abeſſet. Tunc enim et per praetorem, tribunum pl., interregem, praefectum vrbi, more maiorum senatus haberi poterat, ceu ex Varrone docet Gell. *Noct. Att. lib. XIIII. cap.* 7. vt adeo nulla sit dubitandi ratio, quin Aemilius, quem penes tum fasces, quique in vrbe praesens erat, quippe ipsis Kal. Apriles demum in Macedoniam profectus, teste Liuio *Hiſtor. lib. XXXXIIII. cap.* 22. de re grauissima, id est, de edicto perpetuo, sententias perrogarit. Viri huius ingenium quam maxime abhorrebat a calumnia forensi, adeo vt Plutarchus *in Aemilio Paullo, pag.* 256. de eo scribat: Οὐ παῦτα τοῖς εὐδοκιμοῦσι τότε νέοις ἐπιτηδεύματα ζηλώσας, οὐδὲ τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἀπ' ἀρχῆς πορευθείς. οὔτε γὰρ λόγον ἤσκει περὶ δίκας, ἀσπασμούς τε καὶ δεξιώσεις, καὶ φιλοφροσύνας, αἷς ὑποτρέχοντες οἱ πολλοὶ τὸν δῆμον ἐκτῶντο, θεραπευτικοὶ καὶ σπουδαῖοι πανταχόσιν ἐξέλιπε, πρὸς οὐδέτερον ἀφυῶς ἔχων, ἀς δὲ ἑκατέρᾳ κρείττονα τὴν ἀπ' ἀνδρείας καὶ δικαιοσύνης καὶ πίστεως δόξαν αὐτῷ περιποιούμενος, εἰς εὐθὺς διέφερε τῶν καθ' ἡλικίαν: *non eadem, atque illius ſaeculi iuuenes nobiles, ſequutus ſtudia, neque eamdem a primo ingreſſus eſt viam. Neque enim cauſſas in foro dicere meditabatur, ſalutare, complecti, prenſare, (quibus rebus inſinuantes ſe multi auram popularem captabant, ſedulo populum obſeruando,) prorſus nihil curauit, neutrubi inhabilis, ſed vtroque excellentiorem fortitudinis, iuſtitiae, fidei, quaeſuit gloriam, quibus illico aequales ſuos anteiuit.* Eiusmodi vero ingenia vix ferunt alios, prauis indulgentes adfectibus, et honore abutentes sordide. Nihil ergo mirum fuerit, si abiturus in prouinciam patriae prius insigne hoc relinquere voluerit iustitiae suae monimentum. Scrupulum quidem alicui iniicere posset vir doctissimus, Thomas Reinesius, qui scriptorem huius insignis monimenti in vitiata Acta vrbana incidisse vel ideo existimat, quod in ea consules alternis diebus inter se mutasse fasces dicantur, quum id

ex

BIU Cujas

ex aliorum auctorum sententia alternis mensibus fieri consueuerit. Sed erudite hunc scrupulum iam exemit Dodwellus *pag.* 668. docuitque ex Polybii *lib. III. cap.* 110. et Liuii *lib. XXII. cap.* 41. *et* 45. fasces tum omnino alternis diebus mutatos esse, moremque, vt consules fasces alternis mensibus haberent, satis tarde et breui ante Caesaris consulatum inualuisse. Tempus conditi huius SCti incidit in ipsas belli Macedonici curas, ad quod quatriduo post profectum esse Aemilium, hoc ipsum monimentum testatur, in quo paullo post legimus:

KAL. APRIL.
PAVLLVS. COS. ET. C. OCTAVIVS. PRAET. PALVDATI.
EGRESSI. SVNT. VRBE. IN PROVINCIAM.
MACEDONIAM.
PROFECTI. INGENTI. ATQVE. INVSITATA.
FREQVENTIA. PROSEQVENTE.

Quem diem et Liuium notasse, supra vidimus. Iam facile est ad existimandum, rationes sonticas habere debuisse Paullum, cur inter mille curas, et veluti inter belli grauissimi praeludia de hoc SCto cogitarit, idque perfectum voluerit, priusquam vrbe egrederetur. Eas vero non aliunde rectius, quam ex Liuio, peti posse arbitramur. Eius enim Epitomator *lib. XXXXIII.* obseruat, *praetores nonnullos, eo quod* AVARE *et* CRVDELITER *administrassent, damnatos esse*, idque factum anno v. c. 582. triennio ante, quam hoc SC. conderetur. *Conquesti erant Hispani de magistratuum Romanorum auaritia superbiaque, nixique genibus ab senatu petierant, ne se socios foedius spoliari vexarique, quam hostes, pateretur.* Repetundarum quaeri placuerat, iusseratque senatus, vt Hispani sibi nominarent patronos. Nominarant illi M. Porcium Catonem, P. Cornelium L. F. Scipionem, L. AEMILIVM, L. F. PAVLLVM, et C. Sulpicium Gallum. Recuperatores sumserant primo cum M. Titinnio praetore, sed is quidem bis ampliatus, tertio absolutus est. Postea orta inter citerioris ac vlterioris Hispaniae legatos dissensione, illi Scipionem et Catonem; hi AEMILIVM et Gallum patronos sumserunt. Ad recuperatores adducti ab illis P. Furius Philus, ab his M. Matienus, grauissimis criminibus accusati ambo, ampliatque, quum dicenda de integra caussa esset, Furius Praeneste, Matienus Tibur exsulatum abierunt. Liuius, qui *lib. XXXXIII. cap.* 2. haec fusius narrat, non obscure innuit, parum sancte peractum esse hoc iudicium. *Fama* enim *erat, prohiberi a patronis Hispanos, nobiles, ac potentes compellare, auxeratque eam suspicionem Canu-*

BIU Cujas

leius praetor, quod omissa ea re delectum habere instituit, dein repente in prouinciam abiit, ne plures ab Hispanis vexarentur. Similes querelas insequente anno Romam deferebant Graeci, grauiter conquesti de Lucretii, et Hortensii, praetorum, facinoribus et spoliis, eiusque rei is exitus fuit, vt dicta illi a tribunis pl. die decies centum millium aeris consentientibus quinque et triginta tribuum suffragiis damnaretur. Liu. *Histor. lib.* XXXXIII. *cap.* 10. Tam sordide, tam auare ac crudeliter iis temporibus munere suo fungebantur praetores, eoque experimento didicerat Aemilius Paullus, non modo illis ex praetura occasionem esse, prouincias pro lubitu expilandi, sed et nobiles fauere hisce rapinis, nec e re sua esse putare, vt exempla fierent. Quum vero satis perspectum illi esset, praetores praecipue edictis abuti, ad aere emungendos prouinciales, eaque, quoties libitum esset, ita refingere, vt non possent non homines simpliciores in illa incidere, tanquam in laqueos: quis, quaeso, miretur, virum grauem, et iustitiae studiosissimum de remedio cogitasse? Solebant Romani magistratus, antequam de re publica vel alia re maioris momenti ad senatum referrent, sacrificare. Liu. *lib.* XXII. *cap.* 11. *Ita rebus diuinis peractis, de bello reque publica dictator retulit.* Idem *lib.* XXIIII. *cap.* 11. *Perpetratis, quae ad pacem Deûm pertinebant, de re publica, belloque gerendo, et quantum copiarum, et vbi quaeque essent, consules ad senatum retulerunt.* Denique Varro apud Gell. *Noct. Attic. lib.* XIIII. 7. multis docet, *quibus diebus habere senatum ius non sit, immolareque hostiam prius, auspicarique debere, qui senatum habiturus esset.* Obseruauit haec de edictis praetorum perpetuis senatum consulturus Aemilius Paullus, ac proinde BENE MANE SACRIFICAVIT AD APOLLINIS, OVE FECIT LAVREATVS. Nihil certius est, quam veteres sacrificasse coronatos, Romanisque prae ceteris coronas laureas placuisse. Prudent. *Apotheos. v.* 547.

Nonne vides vt thuribulis frigentibus ignis
Marceat? vt canis pigrescat pruma fauillis?
Ecce palatinus pateram retinere minister
Non valet: elisa destillant balsama dextra
Flamen et ipse suas miratur vertice LAVRVS
Cedere, et incertum fruſtratur victima ferrum
Nescio quis certe subrepsit Christicolarum
Hic iuuenum.

In

BIU Cujas

In primis vero Apollinis sacra laurum desideraſſe, teſtis eſt Apollonius Rhod. *Argonaut. lib. II. v.* 159.

Ξανθὰ δ' ἐρεμψάμενοι δάφνῃ καθυπερθε μέτωπα.

Flauaque ſunt viridi redimiti tempora LAVRV.

Quin Macrob. *Saturn. lib. III. cap.* 12. diſerte ſcribit, Romanos *ad aram maximam ſola lauro capita, et alia fronde non vincire, viderique et in capite praetoris vrbani lauream coronam, quum rem diuinam Herculi faciat.* Et tamen, an genuina ſit in monimento noſtro lectio vocabuli LAVREATVS dubitat Dodwellus, quia in Voſſiano exemplari inuenit *Laurentiae.* Hinc enim modo Laurenti, modo Accae Larentiae ſacrificatum eſſe ſuſpicatur, modo legendum putat *oue fecit Laxentina*, modo *oue fecit Tarentina.* Quae omnia nihili eſſe, facile patet. Sacra fecit Aemilius conſul more maiorum, quia habiturus erat ſenatum, idque non Laurenti, ita enim dicendum fuiſſet ſtatim initio LAVRENTI BENE MANE SACRIFICAVIT, ſed Romae, AD APOLLINIS aedem, adeoque non Accae Larentiae ſacrificauit, ſed Apollini, quia de edictis perpetuis conſulere ſenatum conſtituerat, iurium vero ac legum tutela eſſe credebatur penes Apollinem, vnde et *iuris peritus Apollo* vocatur a Iuuenale *Sat. I. v.* 128. et *iureconſultos iuxta Apollinis templum ſediſſe et tractaſſe*, ad eum locum notat vetus ſcholiaſtes. Hinc et OVE FECIT, quia amica Apollini ouis, adeo vt ei, tamquam ἐπιμηλίῳ, id eſt, *ouium paſtori* Camirenſes, tamquam ἀρνοκόμῃ, vel *agnorum paſtori* multi alii Graeci templa conſecrarint. Macrob. *Saturn. lib. I. cap.* 17. Denique ſacra fecit LAVREATVS, quia laurus amica Apollini arbor credebatur, et coronam requirere haec ſacra credebantur, Romani autem in ſacris, ex eo tempore, quo lauretum in Auentino virere coepit, non niſi laurum adhibere ſolebant. Macrob. *lib. III. cap.* 12. Peractis bene mane ſacris, HORA OCTAVA SENATVS COACTVS EST, quia ſatis rite factum credebatur SC. modo fieret ante ſolis occaſum, et in loco auſpicato, qualis hic erat CVRIA HOSTILIA, pone roſtra inter Capitolium et forum ſita, teſtibus Varrone et Feſto. Obſeruatis itaque omnibus, quae more maiorum oportebat, perrogatiſque ſententiis, denique SC. FACTVM EST, VTI PRAETORES EX SVIS PERPETVIS EDICTIS IVS DICERENT. Ex quibus verbis patet, partim quod id SC. non ad ſolos praetores vrbanos, ſed ad omnes, etiam qui in prouincias mitterentur, pertinuerit, deinde quod iis neceſſitas

BIU Cujas

ceſſitas impoſita ſit, per totum annum habendi edictum vnum idemque, idque non mutandi, quoad magiſtratu illo fungerentur.

§. IIII.

Illud non valuiſſe videri, et cur?

Quamuis itaque nihil eſſet hoc SC. ſalubrius, nihil aequius: fatendum tamen, illud non eam vim conſequutum, vt pro lege valeret. Male procul dubio habuit non modo praetores, et praeturae candidatos, ſed et praetoriae factionis homines, quod ea ſanctione permultum potentiae magiſtratus iſti detraheretur, et perfacile illis fuit, in partes trahere aliquem e tribunis plebis, qui et ipſe praeturam ambiturus erat, eumque perpellere, vt intercederet tam inimico praetorum maieſtati SCto. Colligi hoc poſſe videtur ex iiſdem *Actis diurnis*. Nam III. KAL. APRILES, adeoque biduo poſt, quam factum erat SC. quum denuo FASCES PENES AEMILIVM eſſent: POSTVMIVS TRIB. PLEB. VIATOREM MISIT AD COS. QVOD IS EO DIE SENATVM NOLVISSET COGERE. Multa hic Dodwellus de iure in vincula ducendi conſules, quod ſibi ſumſerint tribuni plebis: at nihil de cauſſa ipſa, quae tum in iſtum furorem egit Poſtumium. Senatum cogere noluerat Aemilius, non ob aliam procul dubio cauſſam, quam quia praeuiderat, SCto interceſſurum Poſtumium. Hic ira fremens viatorem ad coſ. miſit. At in promtu nobilibus erat medium, in patrum plebiſque iurgiis iam a longo tempore exploratiſſimum, vt tribunicias minas tribunicia interceſſione eluderent. Eo et tum vtebantur, qui a partibus Aemilii Paulli ſtabant, et Aemilii virtus, ſpeſque Macedonicae victoriae, quam omnes fere praeceperant, facile perpulerunt vnum ex collegio tribunicio, vt intercederet Poſtumii, collegae, decretis. Et ſic, vti *Acta diurna* habent, INTERCESSIONE P. DECIMII TRIB. PLEB. RES EST SVBLATA, et biduo poſt Aemilius vrbe exiit paludatus et ingenti atque inuſitata frequentia proſequente, in prouinciam, Macedoniam, profectus, tribunicio iſti bello ſeſe ſubtraxit. Tantum eſt, quod ex ipſius monimenti fragmentis coniectura adſequi licuit. At non deſunt alia argumenta, quibus probetur, non valuiſſe ad poſteros hoc SC. ſed, abſente Aemilio aut interceſſione tribunorum plebis, aut deſuetudine, aut praetorum potentia ſublatum, adeoque AVCTORITATEM magis dicendum eſſe, quam SC. Eo enim nomine veniebant ſenatus decreta, quibus interceſſerant tribu-

ni

BIU Cujas

ni plebis, eaque non alium sortiebantur effectum, quam vt ea de re iterum aliquando ad senatum posset referri, ceu discimus ex Ciceron. *ad Attic. lib. V. epist.* 2. et *ad diuers. lib.* VIII. *epist.* 7. *et* 8. nec non Dion. Cass. *lib.* LV. *pag.* 550. Hinc mansit mos edicta, quoties collibitum esset, mutandi per annum, et centum prope annis post, anno v. c. 683. *C. Licinio Crasso* et *Cn. Pompeio Magno* coss. C. Verri exprobrat Cicero *in Verr. I. cap.* 46. *quod non modo edictum suum totum eorum arbitratu compo-suerit, qui ab isto ius ad vtilitatem suam nundinarentur, sed et* IN MAGISTRATV *contra* EDICTVM *illud suum sine vlla religione decreuerit*, itemque, *quod maxima eius fuerit libido in iure dicundo, maxima* VARIETAS DECRETORVM. Quod sane non permissum fuisset homini sordidissimo, si valuisset SCtum istud saluberrimum, VT PRAETORES EX EDICTIS SVIS PERPETVIS IVS DICERENT.

§. V.

Quod ergo et aliis celeberrimis legibus euenisse, obseruat Dodwellus in Adpend. *Praelect. Cambden. pag.* 780. vt iam olim latae iterum essent rogandae: idem huic SCto contigisse animaduertimus. Quum enim tum frustranea fuisset amplissimi ordinis prouidentia: elapsis ab eo annis plus quam centum noua lege opus fuit, quam tulit C. Cornelius Sulla, tribunus pl. a v. c. 686. *C. Calpurnio Pisone* et *M. Acilio Glabrione* coss. quem Asconius Paedian. in *Argum. orat. pro C. Cornelio, maiestatis reo, pag.* 628. laudat, *quod* non modo *in illo magistratu ita se gesserit, vt iustior, sed pertinacior videretur*, verum etiam quod *praeter districtum propositum aduersus principum voluntatem, cetera vita nihil fecerit, quod magnopere improbaretur.* Offensus is a senatu, qui relationem eius saluberrimam de pecunia exterarum nationum legatis expensa non ferenda repudiauerat, varias rogauit leges, ad minuendam senatus auctoritatem comparatas, veluti ne quis, nisi per populum legibus solueretur, et alias plures, quibus non modo plerique Collegae intercesserunt, verum etiam sese acriter opposuerunt consules. Vnde tantus exortus tumultus, vt, quum Piso Cornelium a lictore prendi iussisset, fracti sint eius fasces omnes, lapidesque ex vltima concione in consulem iacti sint. Ita *per eiusmodi contentiones*, vt ait Asconius, *totus prope tribunatus eius peractus est.* Quamuis vero reliquas rogationes omnes callide disturbarit senatus,

Lex Cornelia de edictis perpetuis.

BIU Cujas

natus, eaque in re pleroſque tribunos plebis adiutores haberet: praeter illam tamen, de lege ſolutione, et alteram, eamque reipublicae vtiliſſimam, pertulit de edictis praetorum perpetuis. De ea Aſconius Paedianus: *aliam deinde legem Cornelius, etſi nemo repugnare auſus eſt, multis tamen inuitis, tulit,* VT PRAETORES EX EDICTIS SVIS PERPETVIS IVS DICERENT, *quae res tum gratiam ambitioſis praetoribus, qui varie ius dicere adſueuerant, ſuſtulit.* Et Dio Caſſ. *lib. XXXVI. pag.* 19. Ἐσηγήσατο ἓν ὁ Κορνήλιος, κατ' ἀρχάς τε εὐθὺς πρατηγεῖς τὰ δίκαια, οἷς χρήσονται, προλέγειν, καὶ μηδὲν ἀπ' αὐτῶν παρεκτρέπειν: *igitur rogationem tulit Cornelius, vt et ſtatim a principio praetores praedicerent, quo iure eſſent vſuri, et deinde nequaquam ab eo deflecterent.*. Addit Dio, occaſionem ei legi dediſſe nimiam, quam praetores ſibi permiſerint, licentiam, edicta ſaepius in aliorum odium gratiamque mutandi, quem Dionis locum ſupra aliquoties attigimus: ſed tamen illud non impedit, quo minus veroſimillimam putemus coniecturam Ez. Spanhemii, exiſtimantis in *Orb. Rom. exerc. II. cap.* 8. C. Cornelium in primis mouiſſe recentia adhuc, et biennio ante iudicio publico vindicata C. Verris facinora. Tantae enim fuerant flagitioſiſſimi illius hominis in vrbana ac Sicilienſi iuris dictione ſordes, vt omnino in mentem venire potuerit viro bono, fraenum iniiciendum eſſe intolerabili iſti praetorum licentiae. Ceterum tam aegre ferebant homines nobiles, *ea re gratiam ſublatam eſſe ambitioſis praetoribus*, vt altero ſtatim a tribunatu anno, maieſtatis reum facerent Cornelium, in eoque opprimendo omnem operam induſtriamque collocarent, voti procul dubio damnandi, niſi viro optimo patronus adfuiſſet Cicero, cuius binae orationes ſi integrae exſtarent, vel ſi accuſatoris oratio, quae Aſconii tempore adhuc circumferebatur, aetatem tuliſſet: plura fortaſſis, quae ad illuſtrandam celeberrimam legem pertinerent, inde haurire liceret, quibus iam non ſine moleſtia hodie caremus.

§. VI.

Varii ſcriptorum errores de lege illa Cornelia.

Quum vero ea, quae adhuc diximus, tam luculentis veterum teſtimoniis probari poſſint: non poſſumus ſane, quin miremur, viris etiam doctiſſimis hic meram caliginem offudiſſe illud edictum perpetuum, ex quo praetores ius dicere iuſſerat lex Cornelia. Iac. Menardus, *in Not. ad Cic. Verr. I. pag.* 103. adeo

BIU Cujas

adeo concoquere non potuit sanctionem illam Corneliam, vt ideo ipsum Asconii textum sollicitet, et pro: *ex edictis suis perpetuis*, legendum putet: *ex edictis suis propositis*. Ridicule, si quid aliud. Quasi enim non et ante legem Corneliam ius dixissent praetores *ex edictis suis propositis*: et quasi ea res dici possit *gratiam ambitiosis praetoribus sustulisse*, quod eos per legem Corneliam ex edictis propositis ius dicere oporteret. Proposuerant sane edicta omnes ante illam legem praetores, neque vlla in re minus peccauerant, quam quod in proponendis edictis fuissent negligentiores. Immo potius in alteram partem peccauerant, quod plura singulis annis proposuissent, ceu diserte testatur Dio, et ideo voluerat Cornelius, vt praetorum edicta essent perpetua, vel, vt Dio explicat, *vt ab eo, quod se obseruaturos, sub auspicia magistratus edicto praemonuissent, per totum deinde annum nequaquam deflecterent*. Fraudi itaque fuit Menardo vocabulum *edictum perpetuum*, cuius ille genuinam notionem, ceu prima huius capitis paragrapho praediximus, non est adsequutus. Fieri enim non posse existimat, vt Hadrianus imp. primus cogitasse de edicto perpetuo dicatur, si iam a v. c. 686. lex Cornelia praetores ex edictis suis perpetuis ius dicere iussisset. In aliam partem aberrant Ant. Augustin. *de legib. pag.* 1195. *Thesauri Graeuiani*, et Simon Leuwius *in Not. var. ad l. 2. §. 10. D. de orig. iur.* et Henr. Dodwell. *Praelect. Camden. pag.* 113. existimantes quippe, iam multo ante Hadrianum per legem Corneliam edicta praetorum ita facta esse perpetua, vt successoribus iam tum ab eo tempore non amplius licuerit a decessorum edictis recedere. Sed hos quoque vel maxime fugit ratio. Tantum enim abest, vt post legem Corneliam magistratuum edicta esse coeperint eo sensu perpetua, vt omnes praetores aeque, ac proconsules, qui ibant in prouincias, decessorum suorum edictis aliquid adstruerent. Quale quid feciisse Ciceronem, quum sedecim annis post legem Corneliam in Ciliciam iret proconsul, ex ipsius epistolis ad Atticum et Appium Claudium scriptis supra iam demonstrauimus. Denique nescire nos fere fatemur, quid in mentem venerit Guil. Grotio, quando *de vit. ICt. lib. II. cap. 6.* notat Libergeum, quod annua praetorum edicta adpellarit perpetua. Certe, inquit, *alia edicta iuris dictionis perpetuae caussa a praetoribus sub ingressum magistratus proponebantur, vt scirent ciues, quod*

BIU Cujas

quod ius quisque illo anno dicturus esset: alia vero, prout res incidit, id est, pro negotii qualitate, quod apud ipsos tractabatur, cuius generis sunt edicta commonitoria et peremtoria, quam differentiam diuersis verbis inculcat ICtus Vlpianus l. 7. D. de iuris dict. Sed nusquam ante Hadriani tempora PERPETVI EDICTI *vox reperitur.* Sed quid illa distinctio contra Libergeum? Et annon ideo praetores edicta perpetuae iuris dictionis caussa dicuntur proposuisse, quia per totum annum ex iis ius dixerunt, quum reliqua repentina tantum in vna caussa valerent? Et quis non miretur, tam confidenter adseuerare Grotium, ante Hadriani tempora non reperiri vocabulum edicti perpetui: quum, si vel maxime ei condones, quod non viderit *Acta diurna*, non ignorare tamen debuisset, eo vocabulo vsum esse tempore Ciceronis C. Cornelium vel saltim non multum post Augusti aetatem Asconium Paedianum?

§. VII.

Ius praetorium ex eo tempore paullo certius factum. Commentarii ad edictum scripti.

Quamuis itaque ea lege Cornelia nondum effectum esset, vt vel in vrbe, vel in prouinciis exstarent edicta vere perpetua, quale postea conditum esse nouimus a Saluio Iuliano: negari tamen haud potest, multo certius ex eo tempore factum esse praetorium, nec tam immodeste, vti antea, illud subinde esse immutatum. Quamuis enim ideo non ademta esset praetoribus potestas, noua quaedam, quae iusta reique publicae salubria iudicarent, sub ingressum magistratus edicendi: intacta tamen relinquebant pleraque, quae tamquam tralatitia et vsu diuturno probata acceperant a decessoribus, atque ita eueniebat, vt eadem quidem edicti capita quotannis in albo legerentur, quamuis aliquando additamentis quibusdam locupletiora. Atque hinc facile intelligimus, qui fieri potuerit, ut iam ante Hadriani tempora in edictum praetoris commentaria scriberent iurisconsulti. Ea enim interpretabantur edicti capita, quae tralatitia erant, quaeque proinde noui praetores quotannis in edicta sua transcribebant. Sic SERVIVM SVLPICIVM, summum qui Ciceronis aetate floruit, ICtum *duos libros ad Brutum, perquam breuissimos ad edictum subscriptos reliquisse*, testatur Pomponius *l. 2. §. 44. D. de orig. iur.* Vbi τὸ *subscribere* indicare videtur breues notas vel scholia, quae vel margini edicti adleuerat, vel ipsi edicto subiunxerat Sulpicius. Vtcumque vero sese res habeat, Pomponii istud testimonium suffragio suo confirmat Vlpianus,

BIU Cujas

pianus, a quo laudari videmus Seruii *librum primum ad edictum l. 5. D. de inſtit. act.* Non multo poſt A. OFILIVS, ICtus eximius et eques Romanus, C. Iulio Caeſari familiariſſimus, *edictum praetoris primus diligenter compoſuit. d. l. 2. §. 44. D. de orig. iur.* Quod quamuis ita intelligi poſſit, Ofilium tale quid molitum eſſe ſub Caeſare, quod ſub Hadriano Saluius Iulianus, qua de re paullo poſt diſpiciemus: certiſſimum tamen eſt, eum quoque interpretatum eſſe edictum, quum eius ſententiam vel interpretationem diſerte laudet Vlpianus *l. 1. D. ne quis eum, qui in ius voc.* ANTISTII porro LABEONIS, qui Auguſti ſaeculo iuris prudentiae principatum tenuit, libros ad edictum non modo allegat Vlpianus *l. 1. §. 5. D. de fugitiu.* ſed et Gell. *Nott. Att. lib. XIII. cap. 10.* qui *in iis lepide et argute multa reperta inueniri*, ait, et ex *libro quarto* obſeruat, *ſororem adpellatam eſſe, quaſi quod ſeorſum naſcatur, ſepareturque ab ea domo, in qua nata ſit, et in aliam familiam tranſgrediatur.* Quin non modo de edicto praetoris vrbani bene meritus eſſe videtur Labeo, ſed et de praetoris peregrini. Nam vt *libri praetoris vrbani* memorantur ab Vlpiano in *l. 19. D. de verb. ſignif.* ita et *praetoris peregrini* librum XXXI. laudari videmus *l. 9. §. 4. D. de dolo mal.* Quo loco non poſſum, quin mea ipſius vineta caedam, retractemque, quam alio loco [*Antiquit. Rom. lib. I. tit. 2. §. 23. pag. 41. edit. Geneu.*] de his libris propoſui ſententiam. Quum enim olim coniecisſem, prioribus Labeonem de officio praetoris vrbani, poſterioribus de officio praetoris peregrini egiſſe: iam plane adſentior Henr. Bern. Reinoldo, exiſtimanti, *Var. cap. 37. libros praetoris peregrini* nihil fuiſſe aliud, quam edicti iſtius praetoris interpretationem: idemque iam ſentio de *libris praetoris vrbani*, quia Labeonem in illis ipſa edicti verba explicaſſe ex *l. 19. de verb. ſign.* manifeſtum eſt. Hinc *libri praetoris vrbani* iidem eſſe videntur cum *libris ad edictum*: *libros* vero *praetoris peregrini Commentaria ad edictum praetoris peregrini* comprehendiſſe cenſemus. Neque enim tam amplum fuit praetoris illius officium, vt ei deſcribendo libros XXXV. et plures impendere voluerit Labeo. Praeter hos et SABINVM interpretatum eſſe edictum praetoris vrbani, teſtis eſt Paullus *l. 18. pr. D. de operis libert.* vbi librum V. eorum commentariorum citat. Maſſurius is fuerit an Coelius, non facile dixerim, quamuis priori hos libros tribuere non dubitent Bertrandus *de iuris perit. lib. I. c. 4.*

BIU Cujas

Guil. Grot. *de vit. ICtor. lib. II. cap.* 1. et Fabric. *Biblioth. Lat. lib. IIII. cap.* 9. *pag.* 815. *vol. I.* At vtrumuis eorum intelligas, commentarium alterutrius in edictum habes, ante Hadriani tempora scriptum, quia priorem sub Tiberio, posteriorem sub Vespasiano floruisse constat. FVLCINIVM quaedam scripsisse in edictum, ex *l.* 13. *D. de condict. furt. l.* 29. *D. de religios.* et *l.* 7. *D. quib. ex causs. in poss. eat.* colligitur. Eumdem anteriorem fuisse Hadriano, quin Proculo et Neratio, ex *l.* 43. *D. de mort. causs. donat. l.* 3. *§. vlt. D. de act. rer. amot.* discimus. Eodem referre fortassis liceret VIVIANVM, OCTAVENVM, et MELAM, si recentiorum tantum auctoritate staremus. Sed vti negari non potest, Melam Nerua et Proculo; *l.* 11. *D. ad leg. Aquill. l.* 3. *§. fin. de act. rer. amot. l.* 14. *D. de ann. legat.* Octauenum Aburno Valente et Hadriano; *l.* 67. *D. ad SC. Trebell.* Viuianum denique saltim ante Pomponium scripsisse: ita edictum illos esse interpretatos ex instituto, mihi quidem nondum liquet.

§. VIII.

An *Ofilius* edictum perpetuum scripserit auctoritate et iussu Iulii Caesaris?

Sed inter tot iureconsultos, qui in edicto interpretando ingenia iam ante Hadriani tempora exrcuerunt, nullus maiorem sibi celebritatem peperit A. OFILIO, quem Dodwell. in *Adpend. Praelect. Cambdem. pag.* 780. tale scripsisse edictum existimat, quale postea Hadriani auspiciis adornauit Saluius Iulianus. Verba viri doctissimi, quamuis prolixiora, ipsa hic legi operae pretium erit. *Sub Iulio*, inquit, *primus edictum perpetuum composuisse dicitur C. Ofilius, teste Pomponio. Erat itaque et ante Iulium perpetuum praetoris edictum, a Sulpicio commentariis illustratum, et tamen Iulio iam rerum potiente, primus edictum composuit Ofilius. Nec difficile tamen erit, illa inuicem conciliare, si dixerimus, praetores antiquiores ita perpetuum edictum obseruasse, vt locus nullus fuerit gratiae, nec licuerit praetori ab eo, quod initio praeturae susceperat, discedere. Sic enim locus nullus erat gratiae in causa amicorum. Sed varia interim fuerant superiorum praetorum edicta, pro vario praetorum annuorum arbitratu. Nec vnum aliquod edictum delegerat senatus, quo tenerentur annorum futurorum omnium praetores. Erant itaque in illis alia aliis meliora, et pro captu annuorum praetorum certe gratiora. Hoc vnum censuerat senatus, ne pro arbitratu suo praetor nunc vnum sequeretur, nunc aliud decessorum edictum, nec nouum sibi ex omnibus colligeret, sed vnam aliquam eamdemque iu-*

ris

BIU Cujas

ris normam in magistratus tempore vniuerso obseruaret. Satius esse duxit Iulius, si bona edictorum omnium in vnum aliquod edictum colligenda curaret, nec in vnum annum, sed pro vniuersa praetorum successione perpetuum esse decerneret. Ergo edicto illi colligendo opera necessaria erat viri in iure praesertim praetorio versatissimi, qualis ille erat Ofilius. Non tamen satis erat ad edictum istud stabiliendum, seu praetoris annui potestas, seu etiam ICti. Ergo compositum ab Ofilio sanciuit Caesar, dictatoria eius potestate, vel eo forsan auctore atque referente senatus. Dictator erat rei publicae constituendae caussa, quo nomine alia multa in legibus iam constitutis innouauit. Hactenus Dodwellus, qui et in sequentibus instituta inter Ofilii & Iuliani edicta comparatione, ambo sibi persimilia fuisse iudicat. Compositum enim ab Ofilio ICto sanciuisse Caesarem, et a Iuliano ICto compositum similiter sanciuisse Hadrianum. Id tamen fuisse in posteriore illo exemplo nouum, quod posterius illud edictum Hadrianeum commentariis suis illustrarint, quotquot habeamus in Pandectis, ICti, ideoque neglecta sit priorum edictorum mentio, quod nihil illa commune cum scriptorum, quos habeamus, coaeuis moribus haberent. Ex quibus omnibus patet, ad duo praecipua capita reduci posse viri in his rebus acutissimi sententiam. Primo enim Ofilium Iulii Caesaris auspiciis tale condidisse edictum perpetuum existimat, quale postea composuit Iulianus: deinde illud vel a Caesare dictatore, vel a senatu, ad quem ea de re Caesar cum praerogatiua suffragii sui referre potuerit, confirmatum et in forum receptum fuisse.

§. VIIII.

Sunt in his, quod ipse, qua fuit modestia, fassus est auctor doctissimus, permulta non adeo, quam vel ipse, vel nos vellemus, comperta atque explorata. Si quis tamen, quid sentiam, ex me quaereret, Dodwellum ego DIVIDERE SENTENTIAM vetere formula iuberem. Prius enim, quod de edicto Ofiliano affirmat, certissimum; posterius vix verosimile esse arbitramur. Vt A. Ofilium, (quem Dodwellus perperam *Caium* vocat,) Iulii Caesaris auspiciis edictum, quod perpetuo et ad omnem posteritatem valeret, concinasse credamus, multa sunt, quae nobis persuadent argumenta. Primo enim de Caesare disertis verbis refert Suetonius *cap.* 44. eum *destinasse ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia optima quaeque et* *Dodwelli sententia expensa.*

BIU Cujas

necessaria in paucissimos conferre libros. At nihil egisset Caesar, si neglexisset ius honorarium, nobilissimam fere partem, ac veluti *viuam vocem iuris ciuilis. l.* 8. *D. de iustit. et iur.* Deinde quum ICti operam desideraret labor iste difficilissimus: cui potius, quaeso, illum delegasset Caesar, quam A. Ofilio, qui tum et principatum inter ICtos tenebat, ac proinde a Cicerone et Attico magni fiebat, ceu ex *Epist. ad diuers. lib. VII. epist.* 21. et *l.* 234. *D. de verb. sign.* patet, et ipsi Caesari erat familiarissimus. *l.* 2. *§.* 44. *D. de orig. iur.* Praeterea adhibitum illum esse a Caesare, ex eo patet, quod Pomponius eum EDICTVM *praetoris* PRIMVM *diligenter* COMPOSVISSE scribit. Primus vero qui composuisse potest, quum ante eum eumdem laborem, ipso teste Pomponio, occuparit Ser. Sulpicius? Primum ergo eum oportet edictum scripsisse, publica auctoritate, et tale quidem, quod et in posterum in foro perpetuo esset valiturum. Accedit, quod quum *Seruium duos libros perquam breuissimos ad edictum subscriptos reliquisse* dicat Pomponius, *Ofilium edictum ipsum primum diligenter* COMPOSVISSE, narret. Quae sane eadem est phrasis, qua veteres Saluii Iuliani laborem describunt. Aurel. Victor. *cap.* 19. *Iulianus primus edictum, quod varie inconditeque a praetoribus promebatur, in ordinem* COMPOSVIT. Eutrop. *Histor. lib. VIII. cap.* 9. *Iulianus, nepos Saluii Iuliani, qui sub duo Hadriano perpetuum* COMPOSVIT *edictum.* Paeanius in *Metaphrasi*: ὃς τὸ διηνεκὲς διάταγμα τοῖς Ἀδριανῷ χρόνοις ΣΥΝΕΤΑΞΕΝ. Hieronymus *in Chron. Euseb. n.* 2147. *Saluius Iulianus perpetuum* COMPOSVIT *edictum.* Denique Iustinianus in Graeca constitutione, qua Digesta confirmauit, *§.* 18. Ἀδριανοῦ τὰ παρὰ τῶν πρατώρων κατ' ἔτος ἕκαστον νομοθετούμενα ἐν βραχεῖ πινὶ ΣΥΝΗΓΕ βιβλίῳ, τὸν κράτιστον Ἰουλιανὸν πρὸς τοῦτο παραλαβών: *Hadrianus ea, quae a praetoribus quotannis edicta fuerant, breui complexus est libello ad sumto ad id optimo Iuliano.* Quare ex similibus verbis colligas, similem fuisse A. Ofilii et Saluii Iuliani laborem, et vtrumque ex variis praetorum edictis vnum perpetuum principum suorum auspiciis compilasse. At publica tamen vel Caesaris dictatoris perpetui, vel senatus populique Romani sanctione confirmatum, et in forum receptum esse compositum illud ab Ofilio edictum, quod posteriore loco statuit Dodwellus, id vero nec vlla veterum auctoritate niti, et vel ideo parum probabile videtur, quod omnia illa Caesaris consilia, quae de emendando iure ceperat, fata turbasse, testatur Suetonius: *talia*, inquiens

BIU Cujas

quiens, *agentem atque meditantem mors praeuenit.* Elegans ergo procul dubio fuit is Ofilii labor, et fortaſſis auctore Iulio Caeſare ſuſceptus, quin et perpetuo fori Romani vſui, niſi fallimur, deſtinatus: ſed qui tamen numquam obtinuit legis publicae robur, fatis eam gloriam Saluio Iuliano deſtinantibus, vt primus et edictum vere perpetuum in ordinem redigeret, illudque SCto firmatum, et pro norma iuris dictionis perpetua atque immutabili in vniuerſo orbe Romano receptum, videret, viuuſque, vt ita dicam, poſteritati intereſſet.

CAPVT II.

DE TEMPORE CONDITI EDICTI PERPETVI, ET CVR ISTE LABOR SALVIO IVLIANO DEMANDATVS.

§. I. *Edictum vere perpetuum conditum eſt ſub Hadriano imp.* §. II. *Hadrianus, Numae aemulus, nouarum legum conditor.* §. III. *Genuina conditi edicti perpetui era figenda in ann. erae Dionyſ.* 131. §. IIII. *Auctor edicti Saluius Iulianus. Eum tunc praetura functum videri,* §. V. *et edictum compoſuiſſe auctoritate Hadriani.* §. VI. *Iulianum ex variis aliis edictis collegiſſe edictum ſuum.* §. VII. *Quaedam tamen de ſuo addidiſſe, alia detraxiſſe atque immutaſſe.* §. VIII. *Immo et quaeſtiones, inter Proculeianos et Sabinianos agitatas, decidiſſe.* §. VIIII. *Illius auctoritas.* §. X. *Quid iuris prudentia* MEDIA. §. XI. *Auctoritatem ſuam edictum perpetuum conſeruauit etiam ſub inſequentibus imperatoribus. Seueri imp. irritum conſilium.* §. XII. *Pleriique ICti poſt Hadrianum ad edictum illud ſe frequenter referunt.* §. XIII. *Illud in ſcholis iuridicis ab anteceſſoribus explicatum.* §. XIIII. *An ſectae ICtorum plane ceſſauerint, condito edicto perpetuo?*

§. I.

SEd iam demum ad EDICTVM vere PERPETVVM progredimur, id eſt, ad tale, quod ideo conditum, vt in foro Romano ſemper in vſu foret, neque ab vllo futuro praetore vmquam vel totum, vel ex parte, mutaretur. Hanc acceſſionem iuris prudentia

Edictum vere perpetuum conditum eſt

BIU Cujas

sub Hadriano imp.

dentia debet non Antonino Pio, cuius auſpiciis edictum perpetuum prodiiſſe putauit Paullus Diaconus *Hiſtor. miſcell.* multo minus Didio Iuliano, imperatori, cui ex corrupto loco Aurelii Victoris *cap.* 19. eam laudem tribuunt Garro *ad l.* 2. §. *vlt. D. de orig. iur.* et vir magnus, Hugo Grotius, in *Florum ſparſion. pag.* 87. verum Hadriano, ambiguae quidem famae principi, ſed artium tamen omnium, quae pacem ornant, ſtudioſiſſimo. Huic enim iſtud edictum tribuunt non modo Eutrop. *lib. VIII. cap.* 9. ſed et Iuſtinianus imp. quorum teſtimonia ſuperioris capitis paragrapho vltima adlata hic non de nouo adſcribimus. Addimus potius iam alia in ipſo iure noſtro paſſim obuia. Ita in *l.* 7. *C. de ipcol.* Diocletianus et Maximianus AA. citant DIVVM HADRIANVM *in edicto ſuo*, vbi res ipſa docet, in animo illos habuiſſe edictum perpetuum. Sed et Paullus *ſentent. recept. lib. I. tit.* 20. *§.* 1. dum ſcribit, *inter fideiuſſores*, EX EDICTO PRAETORIS *ſi ſoluendo ſint, licet ſinguli in ſolidum teneantur, obligationem diuidi*, ſatis indicat, ſe reſpicere ad epiſtolam d. Hadriani, qua beneficium diuiſionis inductum nouimus, §. 4. *Inſt. de fideiuſſ. l.* 26. *D. eod. l. vlt. C. de conſt. pec.* quamque ſtatim in edictum perpetuum recipi iuſſit princeps, tamquam ius perpetuo valiturum. Id quod ſane ſucceſſorum quiſquam non temere feciſſet. Sed nolo immorari demonſtrandae rei, quam hodie non temere quemquam vocare in dubium, arbitror.

§. II.

Hadrianus, Numae aemulus, nouarum legum conditor.

Id potius obſeruare hic licebit, nulli principi eam laudem magis deberi, quam Hadriano, quem nihil prius, nihilque antiquius habuiſſe conſtat, quam vt veluti nouam ciuitatem legibus conderet, eaque in re etiam, vti in reliquis pleriſque, Numam Pompilium imitaretur. Sollicitus futuri iuuenis, teſte Spartiano *in Hadr. cap.* 2. Virgilianas ſortes conſuluerat. Excidebat tum ſors, quam alii ex Sibyllinis verſibus ei proueniſſe dicebant, locus puta Virgilii *Aeneid. lib. VI. v.* 809. *ſeqq.*

Quis procul ille autem, ramis inſignis oliuae
Sacra ferens? noſco crines, incanaque menta
Regis Romani, primam qui LEGIBVS *vrbem*
Fundabit, Curibus paruis et paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

Sortem probante euentu, totum ſe ad Numae exemplum componebat Hadrianus, adeo, vt in quibuſdam καινίζηλος poſſet videri.

BIU Cujas

deri. Pluribus id demonstrauit Dodwellus *Praelect. Cambden.* VII. §. 6. *p.* 295. *seqq.* obseruauitque, principem illum paene in omnibus se Numae similem praestitisse. Quemadmodum Numa ferocem populum pacis artibus imbuebat : ita Hadrianus adeptus imperium, ad priscum se statim morem instituit, et tenendae per orbem terrarum paci operam intendit, Spartian. *Hadr. cap.* 5. et imminentia bella vel colloquio repressit, id. *cap.* 12. vel pacem et cum contemtu suo redemit : id. *cap.* 17. eaque re id consequutus est, vt *expeditiones sub eo graues nullae essent, bella etiam silentio paene transigerentnr.* Spartian. *ib. cap.* 21. Quemadmodum deinde religionum ad superstitionem vsque studiosus fuerat Numa : ita eamdem ἐθελοθρησκείαν adfectabat Hadrianus. *Sacra* enim *Romana diligentissime curabat, peregrina contemnebat, pontificis maximi officium peragebat*, teste Spart. *cap.* 22. Artium quòque ac disciplinarum omnium non ob aliam prope caussam patrocinium susceperat Hadrianus, imp. quam vt ea quoque in re patria faceret cum Numa Pompilio. Hinc Aurelius Victor Schotti *cap.* 14. *pace ad orientem composita Romam regreditur. Ibi Graecorum more, seu* POMPILII NVMAE, *caerimonias, leges, gymnasia, doctoresque curare occepit.* Quin ne in minimis quoque dissimilis Numae videretur, Hadrianus imitari etiam voluit

crines, incanaque menta
Regis Romani.

Nam, vt Xiphilinus *lib.* LXVIII. *pag.* 777. obseruauit, Ἀδριανὸς πρῶτος γενειᾶν κατέδειξε, *Hadrianus primus barbam nutriuit*, idque satis confirmant eius nummi, in quibus primus omnium imperatorum barbatus sistitur, quum decessores eius omnes rasso mento fingantur ; πᾶσι γὰρ ἐκ παλαιοῦ πάντες οἱ ἄλλοι, καὶ αὐτοὶ οἱ αὐτοκράτορες ἐσθίειν : *Erat enim haec vetus consuetudo ciuium Romanorum, ac ipsorum principum*, vt eodem loco scribit Xiphilinus. At nulla quidem re magis Numae similis esse studuit, quam ferendis legibus, eisque ad rei publicae conditionem, qualis tum erat, attemperandis. Hinc vt Aurelius Victor, paullo ante laudatus, eum *Graecorum more, Seu Numae Pompilii* LEGES *curare coepisse*, testatur : ita Latinus Pacatus in *Paneg. cap.* 11. eum LEGIBVS *rem publicam imbuisse*, Paullus vero Orosius *lib.* VII. *cap.* 13. et Io. Sarisber. *Nug. curial. lib.* VIII. *cap.* 19. *rem publicam iustissimis legibus ordinasse* scribunt. Quin Niceph.

Hist.

BIU Cujas

Hist. eccles. lib. III. *cap.* 24. Hadrianum Draconi et Soloni, Graecorum legislatoribus, comparat, quod et Athenienſibus leges petentibus ex Draconis, Solonis, reliquorumque libris iura constituerit, id quod et ante Nicephorum memoriae prodiderunt Eusebius in *Chronic. ad Olymp.* 225. 1. et Cassiodorus in *Chronico.* Quis itaque miretur, quaeso, principem tam legum nouarum cupidum, id sibi negotium susceptо principatu vel maxime datum esse credidisse, vt et ius praetorium redigeret in ordinem, illudque ex incerto redderet certissimum ac perpetuum?

§. III.

Genuina conditi edicti perpetui era figenda in a. er. Dionys. 131.

De ipso anno, quo conditum est edictum perpetuum, dubitare nos non patitur Eusebius, quem eo tutius procul dubio sequimur, quo certius constat, eum antiquiora pleraque ex Iulio Africano descripsisse, qui non nisi centum circiter annis ab Hadriani abfuit temporibus, chronologiam suam persequutus ad annum Dionysiacae erae 221. qui *Grati* et *Seleuci* coss. nominibus signatur, ceu animaduertit Georgius Syncellus *pag.* 212. Potuit itaque et Iulius Africanus compertam habere genuinam conditi edicti perpetui eram, et Eusebius illam ex Iulio Africano, Hieronymus ex Eusebio discere, vt nulla sit caussa, testimonium illud, quod solum ex antiquitate supereſt, repudiandi. Ait autem Euseb. in *Chronico n.* 2147. *Saluius Iulianus perpetuum composuit edictum.* Iste vero annus ab Abraamo 2147. inchoandus est a Kalendis Octobr. anni Dionysiani 130. ab ipso Eusebio signati consulatu Κατυλίνυ καὶ Ἄτῳυ, id est, v. c. 884. Quum vero insequente demum anno Hadrianus celebrarit quindecennalia, eaque vtplurimum nouarum etiam legum promulgatione illustriora reddi solerent, vti cum adparatu docuit vir acutissimus, Ant. Pagi *Dissert. hypatic. part. II. cap.* 4. *§.* 3. *pag.* 123. nulli dubitamus, quin et edictum perpetuum proximo demum anno sit publicatum, adeoque genuina illius era incidat in annum Dionysiacum 131. consulatumque Ser. Octauii Laenatis Pontiani et M. Antonii Rufini. Atque is quidem annus, in quem etiam Tillemontius *in Hist. imperat. tom. II. part. II. pag.* 408. reiicit edicti perpetui originem, sine dubio erit pro genuina edicti perpetui era habendus, nisi Hadrianum vno anno anticipasse quindecennalia, credere malimus laudato Ant. Pagi, *ibid. cap.* 11. *p.* 209. quamuis ipse vir doctissimus postea annum Dionys. 131. praetulerit *in Crit. Baron. tom. I. pag.* 127. Manifesto itaque

BIU Cujas

itaque errat Ren. Bottereau, qui *in Hadriano legislat. pag.* 189. eram edicti perpetui figit in anno Dionys. 132. quo Augurinus et Seuerianus fasces tenuere, et in notatione tamen margini attexta, existimat, se ab Eusebio non dissentire. Licet enim concedamus, Eusebium annos Hadriani completos numerare a III. Id. Aug. tamen et sic edictum perpetuum publicatum esse oportet anno Dionysiaco non 132. sed proxime antecedente 131. ceu vnusquisque calculi chronologici non plane imperitus facile animaduertit. Minime omnium opus fuerit, in Baronio refutando haerere, qui, sicuti temporum rationes fere vbique perturbat: ita et edictum perpetuum toto triennio facit recentius, promulgatum quippe ex eius sententia anno erae Dionys. 134. Leuauit nos eo labore, qui vniuersae Baronii chronologiae seueram limam adhibuit, doctissimus Pagi, ad quem ideo lectorem merito remittimus.

§. IIII.

Hadrianum eam in rem vsum esse opera ICti eximii, SALVII IVLIANI, inter omnes constat. Eum enim huius edicti auctorem ac conditorem celebrant non modo Eutrop. *lib. VIII. cap.* 9. Eusseb. *in Chron. n.* 2147. et fortassis etiam Spartian. in *Seuer. cap.* 17. verum etiam iura nostra, veluti *l.* 2. §. 18. *C. de vet. iur. enucl.* et *l.* 10. *C. de condict. indebiti*, vbi Iustinianus eum diserte vocat *summae auctoritatis hominem, et praetorii edicti perpetui ordinatorem.* Enimuero quum Hadriani aetate permulti floruerint ICti eximii, et Iuliano forsan nec doctrina, nec rerum ciuilium vsu postponendi, veluti T. Aristo, Neratius Priscus, Iuuentius Celsus aliique, quos et *in consilio Hadriani fuisse*, et *omnes a senatu probatos esse*, scribit Spartian. in *Hadr. cap.* 18. non absurde quaeritur, cur Iulianum potissimum ex omnibus delegerit Hadrianus, qui edictum istud perpetuum componeret? Erant tum procul dubio, qui et doctrinae, et aetatis, et honorum praerogatiua, suo quodam iure postulare poterant, vt ipsi potius scribendo edicto adhiberentur. Praeterea inuidiam procul dubio et sibi et Iuliano non minimam conflasset Hadrianus, si eum solum et prae reliquis omnibus huic operi parem iudicasset; saltim non potuissent non id aegre ferre Proculeiani, si Hadrianus, suum dumtaxat sequutus iudicium, diuersae sectae antesignano negotium dedisset scribendi edictum perpetuum, in plerisque controuersiis in posterum pro norma in foro et scholis iuridicis futurum. Oportet

Auctor edicti *Saluus Iulianus.* Eum tunc praetura functum videri,

tet ergo cauſſam fuiſſe iuſtiſſimam, cur Iulianum reliquis omnibus eius aetatis ICtis praeferret, et talem quidem, vt ne poſſent quidem reliqui Iuliano inuidere. Qualem vero ego non aliam reperire poſſum, quam quod eo ipſo anno praetura functus ſit Iulianus. Id ſi ponamus, facile rationem ſui iudicii reddere potuit Hadrianus. Cui enim alii edicti praetorii adornandi curam iure potiore demandaſſet, quam praetori, cui ipſa quodammodo officii ratio hunc laborem imponere videbatur? Et quis, quaeſo, praetorum magis labori illi par videri poterat, quam ICtus ille nobiliſſimus? Coniecturam hanc ſane ne inanem atque improbabilem ego exiſtimem, multis moueor argumentis. Primo enim Iuſtinianus in Graeca *conſtitutione de confirmatione Digeſtorum*, §. 18. Hadrianum componendo edicto perpetuo adhibuiſſe ait τὸν κριτικὸν Ἰουλιανόν. Κριτικὸς enim dictos, qui honoribus fungerentur, *lib. I. cap.* 1. §. 11. obſeruauimus, et ita ob geſtos honores frequenter adpellatur Vlpianus a Modeſtino *l.* 2. *§. vlt. et l.* 4. §. 1. *D. de excuſat. tutor. l.* 2. *§.* 5. *D. qui pet. tut.* nec alia ratio eſt, cur in *Actibus apoſtolicis* κριτικοὶ audiant Feſtus et Felix, procuratores Caeſaris, apud Plutarchum Fundanus, apud Ioſephum Epaphroditus, apud Iuſtinum martyrem Diognetus. Itaque honore functum oportet Iulianum, quum edictum perpetuum concinnaret. Deinde praeturam illum geſſiſſe, nemo dubitabit, quum ipſae praeturae ſuae meminerit *l.* 5. *D. de manumiſſ. vind.* Quid ergo prohibeat, quo minus eum hoc ipſo anno praetorem fuiſſe cenſeamus, quum nec temporis ratio, nec aliud quidquam huic diuinationi repugnet. Denique, quod palmarium eſt, Iulianum edicto quaedam noua capita, veluti edictum *de coniungendis cum emancipato liberis eius* adſtruxiſſe, infra ſuo loco demonſtrabimus pluribus. Atqui edictis tralatitiis noua adſuere, proprium tum erat praetorum officium, neque priuatus quiſquam temere eam ſibi poteſtatem ſumſiſſet. Quare nihil certius puto, quam Saluium Iulianum, quum id edictum ederet, praetorem deſignatum fuiſſe, eaque fretum poteſtate iuſſu Hadriani ita compoſuiſſe edictum, vt tralatitiis, quae collegerat, more maiorum quaedam noua adſueret, adeoque vltima vice eo iure vteretur, quod ſatis norat, nulli in poſterum praetori relictum iri.

§. V.

et edictum compoſuiſſe auctoritate Hadriani.

Ex iiſdem autem, quae ſupra produximus, veterum teſtimoniis ſatis adparet, non priuata induſtria, vti alios ICtos, ſed auſpiciis principis auctoritateque publica edictum perpetuum compoſuiſſe

posuisse Iulianum. Vnde merito eorum desideres iudicium, qui vasta illud Digestorum opera, a Iuliano ac Triboniano compilata cum edicto perpetuo, id est, βραχεῖ βιβλίῳ, *breui libello*, ceu vocat Iustinianus, confundunt. Id quod tamen faciunt quamplurimi, quamuis, vt fit, ne ipsi quidem inter se consentiant. Sic Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 24. notat Claudium Colombettum, scribentem in *praefatione paratitlorum*, Saluium Iulianum centum Digestorum edictorum libros edidisse. Exstat etiam Matth. Blastaris Hieromonachi *Historia iuris*, quam ex codice Vossiano Leidensi edidit Io. Alb. Fabric. *Biblioth. Graec. Vol. XII. pag.* 367. *seqq.* in qua adhuc magis ridicula legas; Ταῦτα πάλιν ὁ πολὺ μετὰ Ἄυγεσον ἄρξας Ἀδριανὸς ἀθροίσας εἰς ἓν τὰ μὲν τῶν ἄλλων πάντων ἰδίαν ἐποιήσατο πραγματείαν ἐν βίβλοις θεωρουμένην πεντήκοντα Δίγεστα τύποις ὕστι Πανδέκτην ὄνομα θέμενος, ὡς ἐκ πολλῶν δηλαδὴ συλλεγόντα: *haec iterum Hadrianus, qui multo post Augustum imperauit, aliorum quidem praescripta omnia in vnum colligens, opus confecit, in quinquaginta libros distributum, Digestorum siue Pandectarum vocabulo ab eo adpellatum, quia e multis erant collecta.* Hic manifestum est, Colombettum edictum perpetuum cum Iuliani Digestis, quorum tamen non centum, sed nonaginta libri exstiterunt, Graeculum autem cum ipsis Iustinianeis Pandectis turpiter confundere. Falsissimum enim est Iulianum scripsisse libros C. Digestorum edictorum, nec minus falsum, Hadrianum libros L. Pandectarum compilari iussisse. Vnde recte has nugas in notula margini subiecta reiicit vir doctissimus, Io. Alb. Fabricius, scribitque: *de his Pandectis et Codice Hadriani altum apud veteres et Iustinianum ipsum silentium.* Et tamen idem vir eximius, quod mireris, nescio quem sequutus auctorem, *pag.* 341. *sequ.* ipse quoque ait: *edictum quoque perpetuum Hadriani, vt dixi, auspiciis conditum a Saluio Iuliano ex edictis praetorum corpus quoddam iuris, quinquaginta libris digestum exhibebat.* Quae et ipsa sine auctore dicuntur. Vt paucis complectar omnia: aliud erat edictum perpetuum, aliud opus Digestorum Iuliani. Illud erat συλλογὴ edictorum praetoriorum βραχεῖ βιβλίῳ, *breui libello* comprehensa; hoc opus diffusum, non in centum quidem, nec in quinquaginta, sed in nonaginta libros distributum. Illud publica auctoritate conditum in foro pro norma perpetua iuris dictionis praetoris erat: hoc non aliam vmquam auctoritatem, quam qualem alia ICto-

BIU Cujas

rum scripta priuata habere solent, est consequutum, et edictum perpetuum aliasque iuris ciuilis partes luculento commentario illustrabat: vnde ex illo in Digestis nostris praetoris verba, ex hoc eorum interpretamenta depromta videmus. Inter quae quantum discrimen intercedat, facile vniusquisque animaduertit.

§. VI.

Salu. Iulianum ex variis aliis edictis collegisse edictum suum.

Ceterum opera illa Saluii Iuliani non in eo constitit, vt nouum aliquod edictum ex suo ingenio contexeret, sed vt ex veterum praetorum edictis, quae vsum in foro haberent, decerperet, eaque certo dispositа ordine breui libello complecteretur. Hinc veteres talibus plerumque vtuntur verbis, quae non tam noui edicti elucubrationem, quam compilationem quamdam edictorum veterum videntur significare. Aurelius Victor certe id, quod varie inconditeque a praetoribus promebatur, Iulianum IN ORDINEM COMPOSVISSE, Iustinianus *l.* 10. *C. de condict. indebit.* ORDINASSE, et in *l.* 2. *§.* 18. *C. de vet. iur. enucl.* eum COLLEGISSE edictum perpetuum dicit, vbi in Graeca constitutione est συνῆγε, quemadmodum apud Paeanium in *Paraphrasi Eutropii lib.* VIII. *cap.* 9. συνέταξε, quae verba nihil aliud, quam compilationem quamdam ac veluti tessellatum aliquod opus a Saluio Iuliano factum exprimunt. Et facile profecto temporibus illis fuit, vetustissima praetorum edicta inter se conferre, ex iisque optima quaeuis ac saluberrima colligere, quum non modo tot ICtorum opera ad edictum, quae supra recensuimus, exstarent, sed et vberrimam edictorum veterum segetem, vel sola bibliotheca Vlpia sufficere posset, de qua Gellius, eorumdem temporum scriptor, *Noct. Attic. lib.* XI. *cap.* 17. EDICTA VETERVM PRAETORVM, *sedentibus forte nobis in bibliotheca templi Traiani, et aliud quid quid requirentibus, quum in manus incidissent, legere ac cognoscere libitum est. Tum in quodam* EDICTO ANTIQVIORE ita *scriptum inuenimus:* QVI FLVMINA RETANDA PVBLICE REDEMTA HABENT, SI QVIS EORVM AD ME EDVCTVS FVERIT, QVI DICATVR, QVOD EVM EX LEGE LOCATIONIS FACERE OPORTVERIT NON FECISSE. Bibliotheca ergo haec templi Traiani, quam Vopiscus VLPIAM vocare solet, quamque sua aetate in thermis Diocletianis collocatam fuisse, scribit, cum aliis monimentis antiquis, tum et veteribus legibus, SCtis, edictis, principumque constitutionibus fuit refertissima, ceu praeter hunc locum Gellii probant ea, quae inde depromsit Vopiscus in *Vita Taciti*,

BIU Cujas

Taciti, cap. 8. et in *Vit. Aureliani, cap.* 8. Et sane talia antiqua edicta ad manum fuisse Saluio Iuliano, edictum perpetuum componenti, colligi potest ex *l.* 1. §. 1. *D. commod.* vbi Iulianus edictum Pacuuii de commodato emendatum, et pro VTENDVM DARE substituisse dicitur COMMODARE. Ad quem locum Ant. Augustinus *de nom. propr. Pandect. cap.* 5. *pag.* 342. *Hic* PACVVIVS, inquit, *praetor fuisse videtur, et ante edictum perpetuum in suo edicto vtendi verbo, non commodati vsus. M. Pacuuius poëta tragicus fuit propinquus Cn. Pompeii Magni.* Sed hic quidem poëta tragicus, quem honores Romae gessisse, non constat, nihil fortassis ad Pacuuium nostrum facit. Magis est, vt intelligi putemus C. Ateium Pacuuium, quem inter Ser. Sulpicii auditores recenset Pomponius, *l.* 2. §. 44. *D. de orig. iur.* vel de Sex. Pacuuio, quem tribunum plebis, sese Augusto more Celtico Hispanicoque consecrasse, aliisque idem faciendi auctorem exstitisse, refert Dio Cass. *Histor. lib. LIII. pag.* 510. At quum ne de eorum quidem praetura quidquam compertum habeamus, rem in medio merito relinquimus.

§. VII.

Quamuis vero, vti diximus, id praecipue negotii datum esset Iuliano, vt edictum illud perpetuum ex antiquioribus praetorum edictis colligeret: procul dubio tamen Hadrianus imp. illi idem indulserat, quod postea Triboniano eiusque collegis indulsit Iustinianus, vt non modo, quae deesse viderentur, adderet suppleretque, vel quae non essent eorum temporum, omitteret: verum etiam deprauata emendaret, incommode dicta mutaret, dubia ac ambigua decideret. Ea enim potestate in condendo edicto perpetuo re ipsa vsum esse Saluium Iulianum, tam certum est, quam quod certissimum. Addidisse eum aliqua de suo, vulgo probant exemplo interdicti Saluiani, quod Iuliano nostro et originem et nomen debere putant. Sed quum ea res nondum satis expedita sit, aliud, idque certius exemplum nobis suppeditat edictum DE CONIVNGENDIS CVM EMANCIPATO LIBERIS EIVS. Istud enim *a Iuliano esse introductum*, diserte refert Marcellus *l.* 3. *D. de coniung. cum emanc. lib. eius.* Omisisse etiam Iulianum quaedam veterum edicta, iam a Bertrando *de iurisperit. lib. I. cap.* 1. et Ren. Bottereau in *Hadr. legislat. ad a. Chr.* 134. *pag.* 189. recte obseruatum

Quaedam tamen de suo addidisse, alia detraxisse atque immutasse.

BIU Cujas

est : qui tamen, dum exempli loco adferunt edictum illud de iureiurando Flamini diali, virginibusque Vestalibus in omni iuris dictione praetoris non deferendo, cuius meminerit Gell. *Noct. Att. lib. X. cap.* 15. procul dubio egregie falluntur. Vnde enim sciunt boni illi viri, nihil huiusmodi fuisse in edicto perpetuo? An quia illud in Pandectis exstare passus non est Iustinianus, princeps Christianus? At multa alia fuerunt in edicto perpetuo, quorum nec vola, nec vestigium in Pandectis supereſt, veluti edictum *de praediatoribus*, quod singulari commentario illustrarat Caius, edictum *de vindiciis*, edictum *de cognitoribus*, edictum *de alterutro*, et sexcenta fortassis alia. Quin potius ex ipso edicto perpetuo haec protulit Gellius, idque disertis his verbis monuit : *verba praetoris ex* EDICTO PERPETVO *de Flamine diali, et sacerdote Vestae adscripsi :* SACERDOTEM VESTALEM ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Atqui quum haec scriberet Gellius, non aliud in foro valebat edictum perpetuum, quam illud Saluii Iuliani. Floruisse enim Gellium temporibus Antonini Pii, et sub Marco demum imp. rebus humanis excessisse tam adcurate demonstrauit Henr. Dodwell. in *Diss. de aetate peripli maris Euxini, §.* 10. *pag.* 117. *Tom. I. Geogr. min.* vt res hodie dubio videatur carere. Rectius ergo inter omissa a Iuliano edicta retuleris, illud, quod paullo ante ex eiusdem Gellii *lib. XI. cap.* 17. attulimus, de fluminibus retandis. Dum enim Gellius se illud *inter edicta veterum praetorum in bibliotheca templi Traiani inuenisse* testatur, illudque adeo non tamquam vulgo obuium, sed veluti antiquum, et ob obsoletum RETANDI verbum paullo obscurius promat atque interpretetur, satis profecto luculenter indicat, illud locum non inuenisse in Saluii Iuliani edicto perpetuo. Immutasse denique nonnulla Iulianum, iam exemplo Pacuuiani edicti ostendimus. In illo enim verba VTENDVM DARE immutasse illum, ac pro iis scripsisse COMMODARE, obseruat Vlpianus *l.* 1. *§.* 1. *D. commod.* idque ob eam caussam factum, addit, quod ex Labeone didicerit, *inter commodatum et vtendum tantum interesse, quantum inter speciem et genus.* De edicto, QVOD METVS CAVSSA, simile quid narrat Vlpianus *l.* 1. *D. quod met. cauſſ. Olim*, inquit, *ita edicebatur:* QVOD VI METVSVE CAVSSA. *Vis enim fiebat mentio propter necessitatem impositam, contrariam voluntati : metus instantis vel futuri*

BIU Cujas

futuri periculi cauſſa mentis trepidatione. Sed poſtea detracta eſt vis mentio, ideo quia quodcumque vi atroci fit, id metu quoque fieri videtur. Sed plura huius generis paſſim in notationibus noſtris ad edictum perpetuum obſeruauimus, quae hic repetere nihil attinet.

§. VIII.

Magis operae pretium fuerit, hic notare, eam quoque poteſtatem, indulgente Hadriano imp. ſibi ſumſiſſe Iulianum, vt, ſi qua ob ſectarum diſſidia, tum vel maxime gliſcentia, dubia ac ambigua eſſent, ea, inſertis edicto perpetuo nouis clauſulis decideret. Quo ipſo quin plerumque ſecundum Sabinianos item dederit Iulianus, ipſe tum Sabinianorum coryphaeus, ipſa ſectariorum indoles dubitare nos non patitur. Ita profecto comparatum eſt ingenium humanum, vt, vbi penes ſe ſtatuendi quiduis arbitrium eſſe videt, de ſupprimendis aduerſariorum ſententiis, ſuiſque euehendis ac ſtabiliendis cogitent, ſiue iuſtas, ſiue nullas eius conſilii ſui adferre poſſint rationes. Nec eam adfectuum intemperiem ſemper euitare poſſunt ingenia etiam erectiora, et candida, quale Saluii Iuliani fuiſſe, non dubitamus, quum et ipſa hominem non exuant, ſuaſque partes potentiores eſſe, quam aduerſariorum, ſemper malint. Sed quid opus eſt verbis, vbi res ipſa loquitur? Vetus erat ſcholae Proculeianae ſcitum, ab ipſo Labeone ortum, bona etiam ea, quae ſoluendo non ſunt, qualia *l. 1. pr. D. de iure fiſci* recenſentur, ad fiſcum ipſo iure pertinere. Id tamquam durum atque iniquum exagitabant Sabiniani, maioremque hoc caſu aequitatis, quam iuris ſtricti habendam eſſe rationem exiſtimabant. Quid hic Saluius Iulianus? De eo Calliſtratus *d. l. 1. §. 1. D. de iure fiſc. an bona*, inquit, *quae ſoluendo non ſint, ipſo iure ad fiſcum pertineant, quaeſitum eſt. Labeo ſcribit, etiam ea, quae ſoluendo non ſint, ipſo iure ad fiſcum pertinere. Sed* CONTRA SENTENTIAM EIVS EDICTVM PERPETVVM SCRIPTVM EST, *quod ita bona veneant, ſi ex his fiſco adquiri nihil poſſit.* Ita finem huic veteri controuerſiae auctoritate ſua impoſuit Iuſtinianus, effecitque, vt iam publica eſſet, quae antea priuata erat Sabinianorum ſententia. Idem et aliis pleriſque locis procul dubio fecit Iulianus, quamuis id non aeque obſeruarint interpretes. Quamobrem non poſſumus non mirari, aduerſus bonum Tribonianum

Immo et quaeſtiones, inter Proculeianos et Sabinianos agitatas, decidiſſe.

nianum tantos hodie excitari tumultus, ac paene virgas quotidie expediri, non aliam ob cauſſam, quam quod veterum ICtorum fragmenta non talia ſemper, qualia iſta inueniſſet, repraeſentarit, ſed quaedam pro lubitu adſuerit, detraxeritue, quaedam in alium plane ſenſum detorſerit. Quaſi vero non eodem iure ſemper vſi ſint omnes, qui e vetuſtioribus legibus corpus quoddam nouum compilarunt? Tueri ſane ſe Tribonianus poteſt magnis exemplis, non modo Iuliani noſtri, ſed et decemuirorum, qui ex illa legum Graecanicarum congerie, quam tres viri in Graeciam miſſi aſportauerant, corpus aliquod legum Romanarum componere iuſſi, quidquid rei publicae patriae parum conuenire videretur, detrahebant, mutabant, ſupplebantque, adeoque ex legibus Graecanicis conficerent XII. tabulas, ab illo iure in pleriſque capitibus diſcrepantes, ceu comparatio illarum legum decemuiralium et inſtitutorum Graecorum, iam a Pardulpho Prateio, aliiſque inſtituta, ſatis vnumquemque conuincet. Sed quid opus eſt alia defenſione, quum rem confiçiat iuſſus principis, quo freti et Tribonianus et Iulianus opera ſua edolabant? Nihilominus tamen aliud, quo Saluium Iulianum tueretur, argumentum commentus eſt Ren. Bottereau in *Hadrian. legis lator. pag.* 189. Credere enim nos iubet, *Iulianum, ſi quid inuenerit dubium, (quemadmodum in ea edicti parte, qua emancipatus, accepta contra tabulas bonorum poſſeſſione liberis et parentibus legata praeſtare iubetur,) Ariſtonem alioſque ICtos, quum ipſe nihil ſine Hadriano, Hadrianus nihil ſine ſenatorum iuris peritorumque conſilio conſtitueret, conſulere non dubitaſſe.* Sed omnia haec vir doctus collegit ex *l. 6. D. de legat. praeſt.* quum tamen ex eo loco, Ariſtonem a Iuliano eſſe conſultum, non adpareat, multoque minus, Iulianum tum ab eo expetiiſſe hoc conſilium, quum edictum perpetuum prae manibus haberet, minime omnium vero, Iulianum nihil ſine Hadriano, Hadrianum nihil ſine ICtorum conſilio conſtituiſſe. Sed de illa lege nos alibi ex inſtituto plura diſſeremus: iam ad alia notatu digniora progredimur.

§. VIIII.

Illius auctoritas.

Perfectum a Iuliano edictum non modo Hadriano imp. ſed et patribus adeo ſeſe probauit, vt ille oratione, hic SCto ratum iſtud habere et ſanctione munire non dubitarint. Teſtem eius

eius rei locupletissimum habemus Iustinianum in constitutione Graeca *de confirmatione Digestorum* §. 18. vbi λόγον τῦ Ἀδριανῦ, ἐν κοινῷ διεξελθόντα ἐπὶ τῆς πρεσβυτέρης Ῥώμης, ORATIONEM *Hadriani in senatu veteris Romae recitatam*, et quidem de edicto per Iulianum composito, non solum laudari, sed et integram ex eo sententiam proferri videmus. Iam huiusmodi orationes principum sequebantur SCta, quod adeo notum ac peruulgatum est, vt ne dupondii quidem ignorare videantur, vnum idemque ius in legibus nostris modo ex oratione principum, modo ex SCto, deriuari. Habuit ergo et tunc Hadrianus orationem ad senatum, vel, si absens tum fuit in Aegypto et Oriente, quod videtur probabilius, (vid. Ant. Pagi *Critic. in Annal. Baron. tom. I. pag.* 128.) rem omnem, vti aliàs solebat, *libello complexus est*, *l.* 20. §. 6. *D. de hered. petit.* eumque Romam missum recitari in senatu iussit per quaestorem candidatum, cuius id officium fuisse iam ab ipsis Augusti temporibus, ex Sueton. *Aug. cap.* 65. et Dione Cass. *lib. LIIII. pag.* 539. discimus. Conf. Barn. Brisson. *Antiqu. sel. lib. I. cap.* 17. Reines. *Inscr. II.* 26. *VI.* 4. *VII.* 132. *et Varr. III.* 16. Ea oratione procul dubio illud Saluii Iuliani opus, suis auspiciis conditum laudauit, Senatuique commendauit, et robur illi in perpetuum addi iussit. Nec dubitauerit quisquam, in orationis istius sententiam factum esse SCtum. Ea enim tum erant tempora, quibus non tam libera erant suffragia patrum, vt principis voluntati aduersari quisquam auderet. Quid? quod ex *l.* 102. *pr. D. de reg. iur.* ceu infra demonstrabimus, luculenter patet, non modo SCto confirmatum fuisse illud edictum Iuliani, sed et idem SCtum praefationis loco praemissum esse edicto perpetuo, vt vel primo eius conspectu omnibus adpareret, non esse illum libellum priuatum, sed publicis auspiciis conditum, et pro lege in perpetuum valitura promulgatum in orbe Romano. Id quod recte obseruauit vir eximius, Iac. Gothofredus, in *Comment. ad reg. iur. pag.* 449. *Prima*, inquit, *de edictalium numero regula ex ipsa edicti perpetui serie ad* PRAEFATIONEM *edicti perpetui pertinet, id est, ad SC. quod pro more tum recepto eam orationem sequutum est, qua Hadrianus edictum perpetuum, sua auctoritate conditum promulgauit, cuius diserte meminit Iustinianus ipse oratione sua ad senatum.* Hinc ergo semper ex eo tempore edictum istud, a Saluio Iuliano compi-

BIU Cujas

latum, in foro pro norma iuris dictionis immutabili ac perpetua fuit, dictumque est καθ' ἐξοχήν EDICTVM, *l.* 1. *l.* 2. *C. de succ. edict. l.* 2. *C. de bon. possess. sec. tab. l.* 1. *C. de bon. poss. contr. tab.* EDICTVM PERPETVVM, locis innumeris in iure nostro, nec non apud Gell. *Noct. Att. lib. X. cap.* 15. Eutrop. *lib. VIII. cap.* 9. Paull. *Sentent. recept. lib. IIII. tit.* 7. §. 6. Hieron. in *Chron. ad a.* 2147. ΔΙΗΝΕΚΕΣ ΔΙΑΤΑΓΜΑ apud Paean. *Metaphr. Eutrop. lib. VIII. cap.* 9. PRAETORIVM EDICTVM PERPETVVM, *l.* 10. *C. de condict. indeb.* EDICTVM HADRIANI, *l.* 2. §. 18. *C. de vet. iur. enucl. l.* 7. *C. de incol.* EDICTI FORMA, *l.* 8. *D. de calumn. l.* 4. *D. de ventr. inspic. l.* 14. *D. qui satisdar. cog. l.* 1. *C. Greg. de arb. tut. l.* 1. *C. Hermog. de successions. l.* 2. *C. de praed. et al. reb. min. non alien. l.* 4. *C. arb. tut. l.* 7. *C. de his, quae vi metusue causs. l.* 4. *C. quod cum eo, qui in al. pot.* EDICTI PERPETVI FORMA, *l. vn. C. vti poss. l.* 18. *C. de furt. et seru. corr. l.* 9. *C. de collat. l.* 2. *C. de condit. instit. l.* 3. *et l.* 4. *C. de his, quae vi metusue causs.* EDICTI PERPETVI AVCTORITAS, *l.* 3. *C. de edend.* IVRIS AVCTORITAS, *l.* 10. *C. Greg. de pact. et transact.* EDICTI PERPETVI CVRSVS, *l.* 6. *C. qui admitt. ad bon. possess.* FORMA CONSTITVTA, *l.* 1. *C. de inoff. test.* FORMA IVRIS, *l.* 1. *C. si tut. vel curat. interu. l.* 15. *C. Greg. de pact. et transact. l.* 1. *C. Greg. si cert. pet.* FORMA IVRISDICTIONIS, *l.* 5. §. 1. *D. vt legat. seu fideic. causs. caueat. l.* 13. *C. de testam.* IVRISDICTIONIS TENOR, *l.* 5. *C. de his, quae vi met. causs. l.* 2. *C. de bon. auct. iud. possid.* PERPETVA IVRISDICTIO, *l.* 2. *C. de restit. mil.* INDVBITATVM IVS, *l.* 2. *C. Greg. de pact. et transact.* IVRIS RATIO, *l.* 7. *C. Greg. eod. l.* 1. *C. Hermog. de calumniat. et plus petit.* denique IVS PERPETVVM, *l.* 5. *C. de appellat.* Quae denominationes omnes satis, vt opinor, ostendunt, edictum istud Iuliani auctoritatem iuris perpetui a principe ac senatu esse consequutum, quin posteris tam sanctum ac venerabile fuisse, vt ne principes quidem, qui sibi alioquin omnia permittebant, rescriptis suis contra istud quidquam indulgere, aut gratiam eius cuiquam facere sustinerent. Hinc passim in eorum constitutionibus obuiae sunt formulae: NON CVIQVAM PERMISSVM EST, IVRIS DICTIONIS MVTARE FORMAM, VEL IVRI PVBLICO DEROGARE, *l.* 13. *C. de testam.* ABSVRDVM EST, IDEO EDICTI PERPETVI NEGLIGI FORMAM, *l.* 2. *C. de condit. insert.* RATIO EDICTI PERPETVI HOC NON PERMITTIT,

BIU Cujas

MITTIT, *l.* 13. *C. de procur.* SI EX EDICTO PETIIT, FRVSTRA NOBIS SVPPLICASTI, *l.* 2. *C. de succ. edict.* TEMERE DESIDERAS, POENAM, EDICTO PERPETVO PRAESTITVTAM, TIBI CONCEDI. *l.* 2. *C. de in ius voc.* FRVSTRA A NOBIS REMEDIVM QVAERIS, QVIA TE RATIO IVRIS IMPVGNAT. *l.* 1. *C. Hermog. de calumn. et plus petit.* Denique quum alias in dubio reiiciendae non essent adpellationes eorum, qui se in iudicio circumuentos, querebantur: eae tamen reiiciendae erant statim, si quid esset a iudice secundum edicti perpetui formam decretum. Paullus libro singulari de adpellationibus *l.* 7. §. 1. *D. de adpell. recip. vel non. item si ex* PERPETVO EDICTO *aliquid decernatur, id quo minus fiat,* NON PERMITTITVR ADPELLARI. Id quod eo est obseruatu dignius, quo magis praetermittitur a plerisque, qui scribendis Pandectarum paratitlis animum adpulerunt, praeter Cuiacium, qui tamen, nescio, quam ob caussam illam Paulli obseruationem ad missionem in possessionem, quae ex edicto praetoris dari solet, restrinxit, quum generale sit istud Paulli enunciatum, et hinc paullo cautius scripserit Donellus *Commentar. iur. ciu. lib. XXVIII. tit. 6. pag.* 437. *ius ita se habet, vt siue res, de qua iudicatum est, dilationem non ferat, eademque ad vtilitatem publicam pertineat, siue sententia, quamuis confirmata, vel nihil, vel non admodum noceat aduersario, siue, quod fieri debet, id ex* EDICTO PERPETVO, *vel alio certo iure decernatur, non admittatur adpellatio, quia res sint eiusmodi, de quibus sententiae exsequutio differri debere non videatur.*

§. X.

Vetus ergo solidaque ea obseruatio est, iuris prudentiam Romanam ab Hadriani temporibus aliam plane ac paene nouam quamdam faciem induisse, et vix sui mansisse similem: quin iuris prudentiae Iustinianeae partem maximam, non ex illo, quem Liuius *lib. III. cap.* 34. laudat, *iuris vniuersi publici priuatique fonte*, puta ex XII. tabulis, sed e sanctionibus recentioribus, et post Hadrianum demum conditis, promanasse. In DIGESTIS sane paginam vtramque faciunt fragmenta ex ICtorum, non libera re publica, sed post Hadrianum demum florentium, voluminibus decerpta, paucissimis intermixtis fragmentis Q. Mucii Scaeuolae, Aelii Galli, Alfeni Vari, Proculi, Labeonis, et Celsi, qui ante Hadrianum enituerunt. In CODICE etiam

Quid iuris prudentia media?

BIU Cujas

repetitae praelectionis non nisi vna reperitur constitutio ipsius Hadriani, puta *l.* 1. *C. de testam.* reliquae omnes recentiores sunt, quamuis in Institutionibus et Pandectis anteriorum principum rescripta passim laudentur. Denique ne Gregorianum quidem Codicem, nedum Hermogenianum, vllam antiquiorem Hadriano constitutionem complexum esse, luculenter docuit Ant. Schultingius in *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 683. vera simul eius rei reddita ratione, *quod pleraeque in illis Codicibus constitutiones eo tetenderint, vt de illis, quae edicto illo, (quo noua quaedam forma iuri publico et priuato accesserit,) cauta essent, responderent, illa interpretarentur, supplerent, corrigerent, adiuuarent, mutarent.* Quare, quamuis olim aliter inierim rationes, nunc tamen nihil videtur certius, quam IVRIS PRVDENTIAM NOVAM, cui in *§.* 3. *Inst. de legit. agn. succes.* opponitur MEDIA, non aliunde, quam ab Hadriani temporibus, MEDIAM ab eo tempore, quo praetores ex edictis suis perpetuis ius dicere lege Cornelia iuberentur, id est, ab a. v. c. 585. esse inchoandam, reliqua omnia, quae ante Hadrianum constituta sunt, iura ad ANTIQVAM IVRIS PRVDENTIAM pertinere. Post legem enim Corneliam pleraque iuris antiqui capita insignem subiisse mutationem, nouimus, vsque adeo, vt quum iuuenes antea iuris prudentiae studia ordirentur a XII. tabulis, quae iis, tamquam carmen aliquod necessarium, ediscendae proponebantur, iam ab edicto fieret sapientiae ciuilis auspicium, ceu obseruauit vir doctissimus, Iac. Perizonius, *de lege Vocon.* in *Triad. dissert. pag.* 193. Intercedunt ei sententiae alii, et in his Vdalr. Zasius, qui *tom. II. Opp. pag.* 126. iuris prudentiam mediam ex aeuo Traiani, quo prouenire coeperit illa foetura ICtorum, inchoandam, et ad Iustiniani tempora, vel potius ad infelicem illam, quae omnia caligine densissima obduxerit, barbariem producendam existimauit: cuius sententiam ego aliquando ita emendandam putaui, vt iuris prudentiam ANTIQVAM a legumlatione decemuirali; MEDIAM ab edicti compositione; NOVAM a Constantini M. temporibus inchoandam censerem. Et sane distinctissimae videntur illae iuris prudentiae periodi. Ante Hadrianum enim omnes leges, omniaque plebiscita, SCta, ac interpretamenta prudentum ad tabulas illas decemuirales illustrandas, supplendasque erant comparata, vel saltim id prae se ferebant auctores, quod sacrosancto isti libello,

BIU Cujas

lo nihil derogatum velint. Deinde ab Hadriani temporibus feruebat edictale ſtudium, omniſque a ICtis labor in eo ponebatur, vt aut edictum perpetuum interpretarentur, aut ſpecies in foro, praefectorumque ac ipſorum principum auditoriis quotidie obuenientes ex eo definirent, vt illo tempore praecipuus, ac paene vnicus iuris prudentiae fundus eſſet edictum perpetuum. Denique a Conſtantini M. aetate, munito Chriſtianae religioni aditu ad palatium, et ſuperſtitione pagana paullatim labaſcente, hic dies aliam vitam, alios mores poſtulare videbatur, tantaque iterum fiebat iuris prudentiae vniuerſae mutatio, vt Iac. Gothofredus in *Prolegom. Cod. Theod. cap. I. pag.* 183. non abſurde ſuſpicetur, ideo codices ſuos compilaſſe Gregorium et Hermogenianum, vt gliſcente Chriſtianiſmo inſtar quoddam exhiberent veteris iuris prudentiae gentilitiae, quae ſub imperatoribus Chriſtianis nouis ſubinde legibus immutabatur. Auctor ſane eſt Nazarius *Panegyr. cap.* 38. *a Conſtantino nouas leges, regendis moribus et frangendis vitiis, conſtitutas, veterum calumnioſas ambages reciſas, captandaeque ſimplicitatis laqueos perditos eſſe.* Et Euſebius *Vit. Conſtant. lib. IIII. cap.* 25. vel maxime eo nomine laudat illum principem, ὅτι καὶ νόμους, ἐς ἓκ πολλῶν ἐπὶ τὸ ἐσιώτερον μεταβάλλων ἀνενεῶτο, *quod plurimas leges ad maiorem ſanctitatem traducens, pro antiquis nouas fecerit.* Id quod deinde Euſebius exemplis quibuſdam non in elegantibus illuſtrat, quibus multo plura congeſſit ICtus praeſtantiſſimus, Franc. Balduinus, in *Conſtantino Magno, ſiue de Conſtantini imp. legibus eccleſiaſticis et ciuilibus libris duobus*, nuper in *tom. I. Iuris prud. Rom. et Attic.* magno rei publicae litterariae commodo recuſis. Ita ſane diuiſio illa iurisprudentiae in VETEREM, MEDIAM, et NOVAM rei ipſi ſatis congruere olim videbatur. At quum non quaeratur, quot iuris prudentiae periodi conſtitui poſſint quam commodiſſime, ſed quid Caio, aliue ICto, *in §. 3. Inſt. de legit. agn. ſucceſſ.* fuerit iuris prudentia vetus, media, et noua, dubitandum non videtur, quin in illa paragrapho vetus a XII. tabulis; media a lege Cornelia; noua ab Hadriano arceſſenda ſit. Primo enim ICtus ille, ex cuius opere paragraphus illa deſcripa eſt, procul dubio ante Conſtantinum M. vixit, adeoque iſte de noua iuris prudentia, quae ab illo tempore initium capiat, loqui non potuit. Deinde ad mediam illam iuris prudentiam refertur ius illud, quo poſt legem Voconiam fe-

BIU Cujas

minae agnatarum numero eximebantur, reſtituendae in priſtinum locum per edictum praetoris, quod itidem non quadrat diuiſioni olim adlatae. Contra ſic recte dici poteſt ex illa §. 3. iuris prudentiam MEDIAM *lege* 12. *tabularum iuniorem, imperiali autem diſpoſitione*, (quam ab Hadriani potiſſimum temporibus inualuiſſe diximus,) *anteriorem eſſe.*

§. XI.

Auctoritatem ſuam edictum perpetuum conſeruauit etiam ſub inſequentibus imperatoribus.

Ceterum ſingulare id fuit EDICTI PERPETVI, a Iuliano conditi, fatum, vt auctoritatem ſuam in orbe Romano ſub inſequentibus etiam imperatoribus conſtanter conſeruaret, quum nulla fere ſit lex vetuſta, quin multas ſubinde mutationes paullo poſt originem ſuam ſubierit. De Seuero equidem imp. memoriae prodidit Spartian. in *Vita, cap.* 17. *eum Saluii Iuliani* DECRETA *iuſſiſſe aboleri: nec tamen obtinuiſſe:* ſed ſunt, qui dubitant, Spartianum loqui de edicto perpetuo. Quin Thomaſius in *Naeuis iuriſprud. anteiuſtin. pag.* 85. pro Saluio Iuliano Didium reſcribendum eſſe putat, vt ſenſus ſit, Seuerum de abolendis Didii Iuliani deceſſoris ſui, ſibi quam maxime inuiſi, decretis fruſtra laboraſſe. At, ſi dicendum, quod res eſt, omnino de abolendo edicto perpetuo conſilia agitaſſe videtur Sept. Seuerus imp. De Saluio enim Iuliano, non de Didio, loqui Spartianum, vel inde patet, quod eadem fere narret Aurelius Victor, Seuerum nimirum *Saluii nomen, atque eius ſcripta factaque aboleri iuſſiſſe, idque vnum ab eo non potuiſſe effici.* At nulla alia ſunt Saluii Iuliani decreta, nulla eiuſdem ſcripta factaque, de quibus abolendis tantopere ſollicitum eſſe oportuerit Sept. Seuerum, quam conditum ab eo edictum perpetuum. Quid enim referebat Seueri imp. reliqua Saluii Iuliani opera iuridica eruditorum manibus excuti? Et quis credat, tam ſeuero atque aſpero principi dicto minus audientem futurum fuiſſe ſenatum, ſeruili cuiuis adſuetum obſequio, ſi nihil aliud, quam vel Saluii Iuliani ſcripta, vel Didii Iuliani decreta, voluiſſet aboleri? Sane quemadmodum illorum cauſſa non offenſurus erat principem: ita multo minus illum periculum aditurum fuiſſe credibile eſt pro decretis Didii Iuliani, exoſi ſenatui principis, et in gratiam Seueri capitis ab eo damnati, maxime, quum duo-

Seueri imp. irritum conſilium.

bus

BIU Cujas

bus mensibus et quinque diebus, quibus inter perpetua cum senatu populoque dissidia imperauit, isti vix videatur fuisse occasio edendi decreta tam rei publicae salubria, vt verosimile fiat, senatum animum obfirmare voluisse aduersus asperrimum principem, ea irrita fieri cupientem. Contra ea non difficile est intellectu, momordisse principem, decessoris sui vel auum vel proauum praeclaro isto libello exegisse sibi monimentum aere perennius, gloriamque illam cum ipso eius nepote vel pronepote, Didio Iuliano communicari. Quare non mirum fuerit, si quemadmodum Caius Caligula, teste Suetonio in *Vita*, *cap.* 34. de ICtorum responsis; Opilius Macrinus, teste Iulio Capitolino *cap.* 13. de principum anteriorum rescriptis abolendis cogitarunt, ita et de edicto Saluii Iuliani e foro eliminando consilium ceperit Septimius Seuerus, Iulianorum familiae infensissimus. Enimuero sicuti illis, ita et Seuero restitit senatus, ne exitum haberet tam pernicioſum iuris prudentiae ipsique rei publicae consilium. Qua in re laetus laetitiis omnibus Aurelius Victor, hoc veluti ἐφύλλιον canit: *tantum gratia doctarum artium valet, vt scriptoribus ne saeui mores quidem ad memoriam officiant.* Vtcumque se res habeat, a Seueri etiam temporibus imperatores omnes edictum perpetuum, tamquam ius publice receptum laudant, et ad illud se frequenter referunt, veluti ipse SEVERVS et ANTONINVS CARACALLA: *l.* 2. *C. de cond. inst. l.* 2. *C. quod cum eo, qui in al. potest. l.* 3. *C. de edend.* ANTONINVS CARACALLA solus: *l.* 5. *C. de procurat. l.* 1. *C. si tut. vel curat.* ALEXANDER SEVERVS: *l.* 2. *C. de rest. mil. l.* 4. *C. arb. tut. l.* 1. *C. de bon. poss. contra tab. l.* 1. *C. de succes. edict.* GORDIANVS: *l.* 2. *C. de bon. auct. iud. poss. l.* 2. *C. de bon. poss. sec. tab. l.* 5. *C. de his, quae vi met. causs. l.* 2. *C. de in ius voc. l.* 13. *C. de proc. l. vn. C. quand. non petent. part. l.* 3. *l.* 4. *C. de his, quae vi metusue causs. l.* 2. *C. de praed. et al. reb. min. non al.* PHILIPPVS: *l.* 1. *C. de inoff. test.* VALERIANVS et GALLIENVS: *l.* 18. *C. ex quib. causs. infam. iur.* DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, *l.* 4. *l.* 12. *C. quod cum eo, l.* 1. *C. si in comm. ead. causs. l.* 7. *C. de his, quae vi met. causs. l.* 3. *C. de edend. l.* 11. *C. de collat. l.* 6. *C. qui admitt. ad bonor. possess. l.* 19. *C. ad SC. Velleï. l.* 3. *C. de luit. pign.* et aliis locis quam plurimis. Sub Christianis imperatoribus locum quidem pristinum in foro tuebatur edictum perpetuum: sed eius tamen raro in constitutioni-

BIU Cujas

nibus mentionem faciunt principes, quod non vti anteriores principes, explicandi adplicandique edicti perpetui, sed iuris plane noui constituendi caussa, suas ederent constitutiones.

§. XII.

Plerique ICti post Hadrianum ad edictum illud se frequenter referunt.

Nec minus frequens edicti mentio apud ICtos, qui et post Seueri tempora floruerunt. Illud enim vtramque facit paginam non modo apud illos, qui illud commentariis ex instituto illustrarunt, veluti Furium Anthianum, Callistratum, Vlpianum, Paullum, Caium, verum etiam Papinianum, *l. 5. §. 1. D. vt legat. vel fid. seru. causs. cau.* Modestinum, *l. 52. §. 6. D. de obl. et act.* et Hermogenianum *l. 2. D. de statu hom.* Quod itaque Cuiacium nostrum in ore habuisse scribit Papirius Massonus, quoties quaestiunculis theologicis eum adgrediebantur homines litigiosi: *nihil haec ad edictum praetoris* pertinere: id vere pro norma fuisse dixeris ICtis antiquis. Nullus enim eorum fuit post Hadrianum, quin aut ad edictum scriberet, aut libros saltim suos ad edicti ordinem attemperaret, aut grauissimas iuris quaestiones decideret ex edicto. Quasi ea non pertinere existimassent ad iuris prudentiam, quae ad edictum praetoris haud pertinerent. Recte itaque obseruauit Ob. Giphanius in *Oecon. edicti perpet. pag.* 120. quemadmodum *ante edictum maxima fuerit auctoritas Sabini, ICti, librorum, adeo, vt ipsius quoque ordinem sequerentur, et ipsum quoque commentariis interpretarentur, vt videre liceat in libris ad Sabinum Pomponii, Vlpiani, Paulli*: ita condito iam edicto perpetuo *eius ordinem sequutos esse omnes, et ICtos et imperatores: illos quidem in libris totum ius continentibus, hos vero in iis, quos Codices adpellarint, vt videre liceat in libris Digestorum Iuliani, Celsi, Marcelli, Scaeuolae, in libris Quaestionum Papiniani, in Hermogeniani epitome iuris, in Paulli Sententiis, item libris ad edictum, vt Pomponii, Caii, Vlpiani, Paulli, idem quoque videre licere in Codicibus Hermogenis, Gregorii, et Theodosii. Tantam fuisse huius libri, siue edicti perpetui, a Iuliano compositi, auctoritatem, vt omnes fere de iure libri et commentarii ad hoc edictum fuerint accommodati, qui edicto isto sint posteriores.*

§. XIII.

BIU Cujas

§. XIII.

Neque ergo mirabitur quisquam, edictum perpetuum, postquam scholae iuridicae Romae, Constantinopoli, et Beryti institui coeperunt, inter praecipuos fuisse libros, in quibus interpretandis professorum opera vel maxime versaretur. Iustinianus sane in *constitutione omnem reip.* §. 1. *ad antecessores* prolixe narrat, ante tertium consulatum suum in auditoriis iuridicis eam inualuisse methodum, vt, qui se iuri consecrassent, audirent Caii *Institutiones*, et alios quosdam eius libellos, eoque vertente anno ridiculum DVPONDIORVM nomen ferrent: hinc secundo anno eosdem admissos esse ait ad quasdam edicti partes, veluti ad πρώτα, de iudiciis, de rebus, iisque imbutos doctrinis EDICTALIVM cognomine esse gloriatos, quemadmodum anno tertio, auditis Papiniani *Responsis*, PAPINIANISTARVM cognomen, non sine epulis et sollemnitate sumserint. Denique degustatis Paulli responsis, ΛΥΤΑΣ ac quintis demum stipendiis ΠΡΟΛΥΤΑΣ adpellatos esse, refert. *Edictales* itaque erant, quibus edictum enarrabatur, non totum illud quidem, quod et multa fori vsus non admitteret, et studiosi, perspecta illa interpretandi ratione reliqua procul dubio priuata industria euoluere, in iisque exercere ingenium iuberentur: sed quaedam tantum eius partes, quae prae reliquis vtiles cognituque necessariae videbantur. Damnat eam methodum Iustinianus, idque iure meritoque: quamuis dubitare fas sit, an meliorem ipse inuenerit, simili vitio non laboret illa, quam ista constitutione praescripsit. Sed hoc quidem non agimus, eo *edictalium* cognomine ostendisse contenti, etiam sub Christianis imperatoribus non plane exoleuisse edicti perpetui vsum, sed in foro aeque, ac scholis, illum permansisse saeculis quarto et quinto: quamuis vltro fateamur, multum edicti perpetui luminibus offecisse Codicem Theodosianum, quem vna cum quibusdam veterum ICtorum libris, in *l. vn. C. Th. de respons. prud.* recensitis paene solum in foro ad caussarum adhibitum esse decisionem, satis compertum est. At edicto perpetuo pristinam veluti vitam ac robur felici industria restituit Iustinianus, condito aeterno Pandectarum opere, cui maximam edicti partem vna cum ICtorum interpretamentis intexuit, vt, quidquid hodie ex illo supereſt, id omne illi Iustiniani diligentiae acceptum feramus.

Illud in scholis iuridicis ab antecessoribus explicatum.

BIU Cujas

§. XIIII.

An sectae ICtorum plane cessauerint condito edicto perpetuo?

Ceterum quum Iulianus in componendo edicto ea quoque vsus sit libertate, vt multas, quae inter diuersarum sectarum ICtos antea agitatae fuerant, quaestiones decideret, idque opus postea tantum in foro aeque, ac scholis iuridicis, auctoritatem sit consequtum: non absurde quidam sibi inde videntur colligere, condito edicto perpetuo, deferbuisse omne sectarum studium, et veteres ICtos, sancita veluti perpetua obliuionis lege, secum inuicem in gratiam rediisse. Fuit in ea sententia ICtus celeberrimus Georg. Franzkius, qui *ad tit. D. de orig. iur. n. 66. Composito*, inquit, *Iuliani industria et auctoritate Hadriani, imperatoris, publicatoque perpetuo edicto, diuersae scholae sectatores tantum esse desierunt, adeo quidem, vt Papinianus, Paullus, Vlpianus, Caius, et alii, qui deinceps sequuti, prudentes iuris, nulli ex professo sectae nomen darent, sed interdum Sabinianorum, interdum etiam Proculeianorum traditionibus adquiescerent, nonnumquam ab vtraque schola recederent nonnumquam vtriusque sententias, licet diuersas, speciebus diuersis adcommodarent.* Quibus gemina sunt, quae hanc in rem differunt Iac. Raeuard. in *Comment. de reg. Iur. pag.* 311. et Gottfrid. Mascouius *de sect. Sabinian. et Proculeian. cap.* 7. *pag.* 118. quum contra peritissimus harum rerum Emund. Merill. *Obs. lib. I. cap.* 6. demum sub Seuero et Antonino Caracalla impp. sectarum studium refrixisse existimet. Cui sententiae et me calculum adiicere fateor. Primum enim non ferebat scopus, quem sibi in promulgando edicto perpetuo proposuerat Hadrianus, vt tam breui libello omnes sectariorum lites componerentur, quum illarum maxima pars in quaestionibus theoreticis potius et subtilitatibus, quam in rebus, de quibus praetores edicere solebant, consisteret. Deinde condito iam promulgatoque edicto perpetuo, stricturas ad SALVII IVLIANI opus Digestorum scripsit Vlpius Marcellus, in quibus sane innumera exstant κυριῶν Proculeianae scholae δοξῶν vestigia, vnde eum factioni Proculeianorum recte adscribunt laudatus Em. Merillius *Obseru. lib. I. cap.* 28. *lib. VII. cap.* 18. et Mascou. *ibid. cap.* 5. §. 4. *pag.* 90. Praeterea sexcentae sunt principum, qui Hadrianum sequuti sunt, constitutiones, quibus quaestiones huiusmodi inter diuersas scholas agitatae definiuntur. Et eae tamen maximam partem

BIU Cujas

tem post edictum perpetuum prodierunt. Quid vero opus erat illis rescriptis, de quibus Merill. *Obs. lib. I. cap. 6.* immo quid opus erat quinquaginta decisionibus Iustiniani, si sectae illae iam ab eo tempore, quo prodiit edictum perpetuum, interiissent? Accedit, quod sub finem *Notit. imp. Orient. et Occid. pag.* 30. adpend. Honorium imp. hortatur auctor, vt iuris dissidia componat. En verba: *diuina prouidentia, sacratissime imperator, domi forisque rei publicae praesidiis compositis, restat vnum de serenitate tua remedium ad ciuilium curarum medicinam, vt confusas legum* CONTRARIAS*que* SENTENTIAS, *improbitatis resecto* LITIGIO *iudicio Augustae dignationis illumines. Quid enim sic ab honestate consistit alienum, quam ibidem* STVDIA *exerceri* CERTANDI, *vbi iustitia profitente discernuntur merita singulorum?* Non ergo interierunt sectae, condito edicto perpetuo, sed in quibusdam tantum capitibus ius certius esse coepit. Refrixisse tamen sensim coepisse factionum illarum calorem, et, quae superarant, controuersias nullatim rescriptis principum definitas esse, faciles largimur, idque ipsa scripta ICtorum, quorum plerique erciscundi, ceu vocant, fuerunt, satis superque euincunt.

BIU Cujas

CAPVT III.

DE SALVIO IVLIANO, IVRISCONSVLTO, EDICTI PERPETVI CONDITORE.

§. I. *Vita Saluii Iuliani parum certa exploratagque est.* §. II. *Patria eius non Mediolanum, sed, quod probabilius, Hadrumetum.* §. III. *Africa cauſſidicorum nutricula.* §. IIII. *Maiores Iuliani incerti.* §. V. *Ipſe tamen fuit auctor illuſtriſſimae proſapiae, quae describitur ex mente Spartiani et Iſaaci Caſauboni.* §. VI. *Nec non ex ſententia Reineſii et Ruperti.* §. VII. *Vtriuſque ſtemmatis examen.* §. VIII. *Quae Didii Iuliani mater? Quae paterna eiuſdem origo?* §. VIIII. *Iuliani ICti, nomina.* §. X. *Floruiſſe illum ſub Hadriano.* §. XI. *Itemque ſub Antonino Pio et DD. fratribus.* §. XII. *An fuerit μακρόβιος ille, de quo* l. 20. D. de fideic. libert. §. XIII. *Studia Iuliani philologica.* §. XIIII. *Peritia antiquitatum Romanarum.* §. XV. *Eiuſdem philoſophia.* §. XVI. *Varia ſcientiae philoſophicae ſpecimina.* §. XVII. *Iulianus Stoicus.* §. XVIII. *Doctrinae Stoicae in Iuliani fragmentis veſtigia.* §. XVIIII. *An et ſubtilitatum Stoicarum ſtudioſus fuerit?* §. XX. *Eius iuriſprudentia legiſlatoria,* §. XXI. *itemque conſultatoria,* §. XXII. *et iudicialis.* §. XXIII. *Iuliani inter ICtos auctoritas. Iulianus Berytenſium anteceſſor a noſtro diuerſus.* §. XXIIII. *Praeceptor Iuliani Priſcus Iauolenus. An is homo ineptus et ſtolidus?* §. XXV. *Condiſcipuli Iuliani, Aburnius Valens, et Tuſcianus.* §. XXVI. *Iuliani auditores.* §. XXVII. *Fuiſſe illum ſectae Sabinianae anteſignanum.* §. XXVIII. *Quos honores in re publica geſſerit?* §. XXVIIII. *An et prouincias rexerit?* §. XXX. *Vitae finis et ſepultura.* §. XXXI. *Scripta Iuliani,* DIGESTA. §. XXXII. *Variorum ad illa Notae.* §. XXXIII. *Libri ad* MINICIVM. §. XXXIIII. *Libri ad* VRSEIVM FEROCEM. §. XXXV. *Liber de* AMBIGVITATIBVS. §. XXXVI. *An et* ad edictum, *et* de praedio dotali *ſcripſerit?*

§. I.

Vita *Saluii Iuliani*

CONditorem edicti perpetui ſuperiore capite eſſe diximus SALVIVM IVLIANVM, de cuius vita et ſcriptis quaedam, non ab omni-

BIU Cujas

nibus obseruata, nec vulgo obuia, hoc capite communicare cum lectore constituimus. Quamuis enim frequentissimum apud veteres sit IVLIANORVM nomen, adeo, vt eorum, qui inter viros doctos claruerunt, vltra sexaginta recensuerit Io. Alb. Fabricius in *Biblioth. Graeca*, *tom.* II. *pag.* 90. nescio tamen, an eorum vllus vel meritis in vtramque rem publicam maior, vel fama obscurior sit SALVIO IVLIANO, cuius vitae vix vllam περίσασιν huc vsque certam exploratamque plerisque fuisse animaduerto, quum tamen non sit eorum temporum, quibus

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro,

nec in vmbra atque otio consenuerit, nec denique in obscuro aliquo orbis terrarum angulo latitarit: sed saeculo felice, quo omnes honestiores artes excelsissime floruerunt, Romae in maxima dignitate celebritateque hominum versatus sit, taliaque gesserit scripseritque, quae posterorum memoria dignissima videbantur. Quare facturos nos operae pretium putauimus, si, quae passim de viro doctissimo scripta inuenimus, paullo adcuratius expenderemus, atque ita historiam Iuliani, quoad eius fieri poterit, plenissimam conficeremus. parum certa exploratague est.

§. II.

De ipsa statim IVLIANI patria non parum inter viros doctos disceptatur, vt ei paene videatur accidere, quod accidisse ferunt Homero, cuius de patria magna contentio fuit inter celeberrimas ciuitates. Mediolanensem illum primus, nisi fallor, credidit Bern. Rutilius *in Vitis ICtor. cap.* 66. eumque deinde Valentinus Forsterus *in Hist. iur. ciu. lib. II. cap.* 73. Io. Bertrandus *in Vit. Iuris perit. lib. I. cap.* 1. Guido Pancirolus *de clar. legum interpret. lib. I. cap.* 38. *pag.* 56. et hos denique, vti fieri solet, magna turba sequuta est. Et tamen non alium eius sententiae fundum video, quam locum Aelii Spartiani, qui *in Vita Didii Iuliani aug. cap.* 1. *auum Didii Iuliani paternum Insubrem, Mediolanensem, fuisse*, refert, *maternum ex Hadrumetina colonia*. At quum hodie satis exploratum sit, Didium illum non paternam, sed maternam originem a ICto nostro duxisse: falsam profecto esse oportet illam de Mediolano, Iuliani patria, sententiam, vel ista saltim frustra elicitur ex illo testimonio Patria eius non Mediolanum, sed, quod probabilius, Hadrumetum.

BIU Cujas

Spartiani, quippe qui ipse Saluium Iulianum non paternum, sed maternum Didii proauum fuisse, memoriae prodidit. Hinc et Dio *lib. LXXIII. pag.* 835. Didii patriam recte quidem vocauit Mediolanum, sed inde non sequitur, vt et proaui materni origo in Insubria quaerenda sit, quum potius ex eodem Spartiani loco non obscure pateat, Saluium nostrum gente Afrum, domo Hadrumetinum fuisse. Auus enim maternus, quem ex Hadrumetina colonia fuisse testatur, aut Saluius Iulianus fuit, aut eius filius, et satis notum est, paternae originis forum ex iuris Romani principiis fuisse immutabile. *l.* 1. §. 1. 2. *l.* 6. *pr.* §. 1. *seqq. l.* 22. *l.* 23. *l.* 27. *pr. l.* 29. *D. ad municipal.* Equidem si quemadmodum auro a vena, ita magnis ingeniis a patria laudis quidquam accederet: poenitenda Iuliano videri posset illa origo, quum non adeo splendidum fuisse videatur istud oppidum, saltim temporibus Pomponii Melae, qui *de situ orb. lib. I. cap.* 7. illud cum Lepti, Clupea, et quibusdam aliis *vt inter ignobilia celeberrimum* vocat. Sed vti origine sua nobile fuit, quippe a Phoenicibus cum aliis ciuitatibus in ora maritima Africae conditum, teste Sallust. *de bello Iugurt. cap.* 19. ita Plinius *Hist. nat. lib. V. cap.* 4. obseruat, fuisse istud oppidum liberum seu ἀυτονόμον, quodque diu suis legibus moribusque viuere, quam in ius coloniae Romanae transire maluerit. At ciuitati, exhaustae ciuibus, ac veluti conseneſcenti, nouum splendorem reddiderat Traianus imp. deducta eo colonia, quae VLPIA TRAIANA AVGVSTA FRVGIFERA HADRVMETINA adpellatur in marmore apud Gruterum *pag.* 362. 2. Et meruit sane incredibilis ac paene stupenda soli fertilitas, vt ne incultus relinqueretur ille tractus, de quo Scylax *in Periplo*, *pag.* 117. Καὶ ἡ χώρα αὕτη ἀρίστη καὶ παμφορωτάτη, καὶ βοσκήματα παρ' αὐτοῖς ἐστι καὶ μέγιστα, καὶ πλεῖστα, καὶ αὐτοὶ πλουσιώτατοι καὶ κάλλιστοι: *regio haec optima est et foecunda, gregesque penes ipsos sunt maximi et plurimi. Ipsi ditissimi pulcherrimique.* Et *vetus expositio totius mundi pag.* 268. *Africa, regio diues in omnibus inuenitur, omnibus bonis ornata est, fructibus quoque et iumentis, et poene ipsa omnibus gentibus vsum olei praestat.* Hinc non immerito oppidum nouis ciuibus coloniſque suppletum COLONIAM FRVGIFERAM adpellauit Traianus. Terram enim ibi centena et quinquagena fruge fertilem esse, obseruat Plinius *Hist. nat. lib. XVII. cap.* 5. additque, procuratorem Augusto ex vno grano quadringenta

BIU Cujas

ta paucis minus germina; aliumque Neroni 460. ſtipulas ex vno grano miſiſſe. Quae quidem tam inuſitata, ac paene luxurians eſt ſoli vbertas, vt neſciam, an par illi in hoc terrarum orbe reperiatur.

§. III.

At non minor ibidem olim ingeniorum prouentus fuit. Quae enim olim monſtrorum nutrix habita eſt, Africa, eadem orbi Romano dedit viros doctiſſimos fortiſſimoſque, veluti inter illos P. Terentium, L. Apuleium, M. Aurelium Olympium Nemeſianum, Sex. Aurelium Victorem, Dionyſium Periegetem, Marcianum Capellam, Q. Septimium Florentem, Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Auguſtinum; inter hos Septimium Seuerum, Clodium Albinum, alioſque plurimos. Docebantur ſane iuuenes Afri honeſtiores artes, Graecas et Latinas, ac proinde de Clodio Albino refert Iulius Capitolin. *cap. 5. eum omnem pueritiam in Africa tranſegiſſe, eruditum litteris Graecis et Latinis mediocriter, quod eſſet animi iam militaris et ſuperbi.* At iuris prudentiae in primis ſtudioſiſſimi erant Afri, adeo vt terram illam cauſſidicorum nutricem adpellarit Iuuenal. *Satir. VII. v.* 148. vbi irridens aduocatorum Romanorum lucellum: Africa cauſſidicorum nutricula.

accipiat te, inquit,
Gallia vel potius NVTRICVLA CAVSSIDICORVM,
AFRICA, *ſi placuit mercedem ponere linguae.*

Nec ignotum eſt, alios quoque ICtos celeberrimos, veluti Tertullianos, ex Africa prodiiſſe. Adeo verum eſt, quod ſcribit Apuleius *Apolog. I. pag.* 145. *Non, vbi prognatus, ſed vt moratus quiſque ſit, ſpectandum: nec qua regione, ſed qua ratione vitam viuere inierit, conſiderandum eſt. Olitori et cauponi merito conceſſum eſt, olus et vinum ex nobilitate ſoli commendare: vinum Thaſium, olus Phliaſium. Quippe illa terra alumna multum ad meliorem ſaporem iuuerit, et regio foecunda, et coelum pluuium, et ventus clemens, et ſol apricus, et ſolum ſuccidum. Enimuero animo hominis extrinſecus in corpus hominis immigranti, quid ex illis addi vel minui ad virtutem vel malitiam poteſt? Quando non in omnibus gentibus varia ingenia prouenerunt? quamquam quaedam videantur ſtultitia vel ſollertia inſigniores. Apud ſocordiſſimos Scythas Anacharſis ſapiens natus eſt: apud Athenienſes catos Miletides fatuus.* Quae quidem recte ſeſe habere, inſigni exemplo docuit Saluius Iulianus, qui, licet Hadrumetinus

BIU Cujas

nus Afer, ad ſummam tamen iuris prudentiae laudem adſpirauit.

§. IIII.

Maiores Iuliani incerti.

Nec magis certi ſunt Iuliani maiores. Quamuis enim celebre Romae eſſet ac auſpicatum Saluiorum nomen, quod teſte Pomp. Feſto *voc. Lacus Lucrinus, pag.* 304. *edit. Gothofred. in delectu cenſuue primum eloquebantur boni ominis cauſſa*, ipſaque gens Saluia, Ferentino oppido ex principibus Hetruriae oriunda, Sueton. *in Othon. cap.* 1. plebeia primum, poſtea a Claudio imp. inter patricias adlecta, viros inſignes, praetorios, conſulares, quin ipſum M. Saluium Othonem, imp. protulerit: (vid. Fulu. Vrſin. *de famil. Rom. pag.* 245. *ſeqq. edit. Patin.*) temerarium tamen eſſet, Iuliani noſtri originem ex ea gente deriuare. Iam dudum enim tanta facta erat confuſio familiarum Romanarum, vt ex communi nomine, gentiles fuiſſe Saluium Othonem et Saluium Iulianum, non magis colligere poſſis, quam Cicero *in Brut. cap.* 16. ſe Tullii regis, vel M. Tullii, anno poſt exactos reges decimo conſulis cum Ser. Sulpicio genti inſerere audebat. Et vere ſcripſit vir eruditiſſimus, Ez. Spanhemius, *de vſu et praeſt. numiſm. diſſ. X. tomo II. pag.* 4. *infuſa illa breui ſub Caeſaribus varietas et commixtio, qua omnis interrupta gentilium propago, qua noui homines cupide ſe intruſerunt in veterem ſtirpem, qua priſcae gentes* AEMILIAE, CORNELIAE, FVRIAE, IVLIAE, SEMPRONIAE, *aliaeque nouiſſimae nobilitati acceſſere, qua commercio et adfinitate cum exteris deſciuit a prima origine ſimul ac virtute Romanus ſanguis.* Hinc et ipſos, quos leges noſtrae memorant, Saluios, quamuis et cognomines noſtro, et συγχεγένες, ad eamdem gentem Saluiam tuto referre non poſſumus, veluti SALVIVM, Aquitaniae legatum, *l.* 12. *D. de cuſtod. et exhib. reor.* SALVIVM CARVM, Cretae procoſ. *l.* 14. *D. ad SC. Turpill.* SALVIVM ARISTONEM, *l.* 6. *D. de legat. praeſt. contr. tab. bon. poſſ.* SALVIVM MARCIANVM, *l.* 9. §. 4. *D. de poen.* denique SALVIVM VALENTEM, *l.* 7. §. 1. *D. de accuſ. et inſcr.* qui omnes ſub Traiano, Hadriano, et Antonino Pio floruerunt, adeoque Saluio Iuliano fuere σύγχεγνοι. Vnde ne illos quidem Saluios, quorum paſſim mentionem in marmoribus fieri animaduertimus, hic recenſebimus operoſius, quum vix vnus aut alter, de quibus ſuo loco, ad Iulianum noſtrum pertinere videatur.

§. V.

BIU Cujas

§. V.

At ne indiget quidem Saluius Iulianus alienis illis, quae a maioribus petuntur, argumentis, qui abundat propriis, et, si vel maxime homo nouus fuisset, posteris sane vigiliis suis rebusque praeclare gestis multo solidiorem nobilitatem peperit, quam quae in solis maiorum famosis imaginibus consistit. Idque velle existimo Spartianum *in Did. Iul. cap.* 1. dum *iuris prudentiam eum magis nobilem feciſſe*, scribit. Quum itaque maiores eius ignoremus, non iniucundum, opinor, fuerit, posteros illius, inter quos et Didius Iulianus fuit, describere, eorumque stemma, quoad eius fieri potuerit, adcuratissimum dare. Equidem non esse confundendum Didium cum Saluio nostro, non est, quod iterum moneamus. Fecit id Grotius *in Flor. sparſ. pag.* 87.: sed poenas huius παραφάσεως, dedit satis diras, dum et ab iis vapulauit, qui nulla ex parte cum Grotio sunt comparandi. Dormitauit tum magnus ille Homerus, quando hoc ei excidit calamo, et inhumanum profecto est, tantillum siue memoriae, siue calami lapsum tot aliis eius meritis non condonare velle. Inter Didii ergo Iuliani maiores fuisse Saluium nostrum, diserte tradidit Spartian. *in Did. cap.* 1. qui totam prosapiam ita describit: DIDIO IVLIANO, *qui post Pertinacem imperium adeptus est, proauus fuit* SALVIVS IVLIANVS, *bis consul, praefectus vrbi, et ICtus, quod magis eum nobilem fecit. Mater* CLARA AEMILIA, *pater* PETRONIVS DIDIVS SEVERVS, *fratres* DIDIVS PROCVLVS *et* NVMIVS ALBINVS, *auunculus* SALVIVS IVLIANVS. Idem deinde vxorem Didii Iuliani memorat MANLIAM SCANTILLAM et filiam DIDIAM CLARAM, desponsam CORNELIO REPENTINO, praefecto vrbi, quam vtramque feminam augustarum cognomine condecorauerat senatus. Inde ergo sequens Didii Iuliani stemma confecit vir doctissimus diligentissimusque, Isaacus Casaubon. *in Not. ad Scriptor. hist. aug. pag.* 110.

Ipse tamen fuit auctor illustrissimae prosapiae, quae describitur ex mente Spartiani et Casauboni.

BIU Cujas

DIDIVS SEVERVS, Insuber Mediol.

SALVIVS IVLIANVS, IC. auctor edicti perpetui sub Hadriano, Hadrumetinus, Afer.

DIDIVS SEVRVS.

SALVIVS IVLIANVS

PETRONIVS DIDIVS SEVERVS. = AEMILIA CLARA

SALVIVS IVLIANVS

Didius Proculus, P. DIDIVS IVLIANVS SEVERVS AVG. VX. MANLIA SCANTILLA, AVG.

NVMIVS ALBINVS.

DIDIA CLARA, AVG. nupta Cornelio Repentino, praefecto vrbi.

§. VI.

Nec non ex sententia *Reineſii* et *Ruperti.*

Tale eſt ſtemma, quod e Spartiani loco excerpſit doctiſſimus Caſaubonus. Sed acutior in his rebus Thomaſ. Reineſ. *Lect. var. lib. III. cap.* 2. *pag.* 343. veterum lapidum beneficio paullo accuratius inquiſiuit in Didii Iuliani origines, multaque, quae a Spartiano traduntur, emendauit, quaedam etiam ſuppleuit, iſque deinde in pleriſque ſectatorem habuit συμφιλολογῆντα ſuum, Chriſt. Adamum Rupertum, qui idem ſchema genealogicum propoſuit in *Animaduerſion. ad Pompon. Enchirid. de orig. iur. pag.* 215. Rem omnem ob oculos ponet altera haec tabula, quam e Reineſii *Variis* hic repetere iuuabit:

BIU Cujas

SALVIVS IVLIANVS, e colonia Hadrumetina, Afer, *Forst. Hist. iur. ciu. Rom. lib. II. cap. 73.* male Mediolano ortum dicens, confundit hunc cum pronepote eius Didio Iuliano, aug. Fuit bis cos. praef. vrbi et IC. *Spart.* Auctor edicti perpetui, *Eutrop.* imperantibus Hadriano, Pio, et DD. fratribus clarus. *Riuall.*

DIDIVS SEVERVS Insuber Mediolanensis.

FILIA. = C. VIBIVS IVVENTIVS VARVS cos. a. v. c. 886. — DIDIVS SEVERVS

SALVIVS IVLIANVS, auunculus Didii Saluii Iuliani Aug. *Spart.* Praefect. praetorio, *Dio.* Exercitibus praefuisse scribitur, *Lamprid.* Occisus a Commodo. *Dio* et *Lamprid.* Hunc cum Saluio Iuliano IC. confundit *Forster. d. l.*

VIBIA SALVIA VARA, *Grut. Inscript. pag.* 459. 2. Clara Aemilia iuxta *Spartianum*, falso. = PETRONIVS DIDIVS SEVERVS

NVMIVS ALBINVS *Spart.* et *Inscr.* Consul. a.v.c.939. Grut. *pag.* 175. 8.

NVMIA VARA *Inscript.*

DIDIVS PROCVLVS, *Spartian.* L. Roscius Iulianus Proculus *Inscript.*

P. DIDIVS SALV. IVLIANVS SEVERVS AVG. nat. a.v.c.890. Vxor. MANLIA SCANTILLA.

FILIVS, cuius pudicitiam tentauit Commodus. Lamprid.

FILIVS, cui a DidioIuliano filia secundum *Spart.* desponsa.

DIDIA VARA Aug. *Spartiano*, Didia Clara, nupta Cornelio Repentino, praefecto vrbi.

BIU Cujas

Sic plane aliam rationem, qua Didius Iulianus ex Saluio Iuliano descenderit, ostendunt Reinesius et Rupertus. Quum vero Spartianum, scriptorem haud futilem, fere vbique deserant, ipseque Reinesius sibi parum constare videatur, siquidem *eodem Variarum capite pag.* 337. M. Saluium Iulianum, anno sexto ante imperium Commodi consulem, Saluii Iuliani ICti filium, et Didii Iuliani aug. auum maternum fuisse scribit, quum in tabula genealogica eumdem fuisse fingat C. Vibii Iuuentii Vari cos. filium, Saluii Iuliani ICti ex filia nepotem, et Didii Iuliani auunculum: res omnis non adeo expedita videtur, vt in eam non sit paullo adcuratius inquirendum.

§. VII.

Vtriusque stemmatis examen.

Primo itaque nemo dubitat, DIDIVM IVLIANVM, AVG. ex familia illustri ac pecuniosa Mediolani natum esse. Id enim praeter Spartianum, cuius verba iam vidimus, obseruauit etiam Dio Cass. *lib. LXXIII. pag.* 835. vbi eum χρημάτων, et Mediolanum, τὴν ἑαυτῦ πατρίδα vocat. Praenomen ipsi non fuit *Publio*, vti eum adpellitant Reinesius et Rupertus, sed *Marco*, quod seruant numismata illius imperatoris apud Vaillant. *Num. imp. praest. Tom. I. pag.* 106. *Tom. II. pag.* 206. et Patin. *pag.* 218. Varias autem, quibus ante imperium enituit, dignitates ex singulari marmore eruit Reines. *Inscript. Classs. VI. n.* 42. docetque, illum CONSVLAREM, PROCOS. AFRICAE, LEGATVM AVG. PRO PRAETORE PONTI ET BITHYNIAE, PRO PR. GALATIAE, DALMATIAE, BELGICAE, GERMANIAE, AFRICAE ET ACHAIAE, PRAETOREM TVTELAREM, TRIBVNVM LEG. XXII. X. V. STLITIBVS IVDICANDIS, ET SODALEM ANTONIANVM fuisse. Verissimum quoque est, quod tradidit Spartianus, vxorem illi fuisse MANLIAM SCANTILLAM, quippe quo nomine semper in nummis adpellatur. Nec dubium porro esse potest, filiam Didium Iulianum habuisse, et quidem DIDIAM CLARAM, non DIDIAM VARAM, vti eam ex sola coniectura vocare maluit Reinesius. Exstant enim nummi, in eius honorem cusi, in quibus litteris satis claris DIDIA CLARA AVG. vocatur apud Vaillant. *Tom. I. pag.* 108. *et Tom. II. pag.* 209. In quibus nummis et id memorabile est, quod in postica eorum adparet figura muliebris, stolata, stans, et dextra palmam praelongam tenens, sinistra cornu copiae, cum epigraphe: HILAR. TEMPOR. Quemadmodum enim principum liberos per palmarum ramos significari, scribit Artemido-

rus

rus in *Oniroctitic. pag.* 6. idemque etiam in nummis liberorum principum ſymbolum occurrere, iam pridem animaduertit Triſtanus *Tom. I. pag.* 480. ita ex ramo illo palmae vnico et praegrandi procul dubio colligendum, vnicam illam fuiſſe Didii Iuliani filiam, et iam adultam, vt credibile ſit, quod refert Spartianus, eam nuptam iam fuiſſe Cornelio Repentino, praefecto vrbi. Denique et in eo rem acu tetigit Spartianus, quod duos fratres tribuit Didio Iuliano, puta Numium Albinum et Didium Proculum. Eoſdem enim reperimus in hoc lapide Brixienſi apud Gruter. *pag.* 459. 2.

HONORI.
POSTVMIAE. P. F.
PAVLLAE.
IVVENTII. SECVND. COS.
VIBIA. L. F. SALVIA. VARIA.
CVM. NVMIIS.
ALBINO. ET. VARIA.
ET. L. ROSCIO. IVLIANI. PACVLO.
SALVIO. IVLIANO. FILIIS.

BIBLIOTHEQUE DROIT PARIS

Ex quo marmore ſimul Reineſius eruit Didii Iuliani ſororem, NVMIAM VARIAM, vel, vti ipſe mauult, VARAM, nec non plena nomina alterius fratris, L. ROSCII DIDII IVLIANI PROCVLI. Ita enim pro PACVLI, nec non pro monſtroſo PAVCVLALIANI, quod apud eumdem Grut. *pag.* 18. 10. occurrit, recte legere videtur Reineſius. At hoc quoque monimentum hic integrum legere iuuabit:

IOVI. O. M.
CONSERVATORI. POS-
SESSIONVM. ROSCIOR-
VM. PROCVLI. IVLIANI.*
ET. BASSAE FILIORVM-
QVE. EORVM. EX. VOTO.
ROSCIVS. EVBVLVS. NVTRIT.
ET. PROCVRAT. CVM. ROSCIO.
FIRMO. LIB. PROC. EOR.

*) Ita ſegendum pro PAVCVLALIANI.

In latere praeſtantiſſimi huius monimenti Fabrettus *Inſcript. cap.* 10. *pag.* 695. notat haec exſtare verba: D. IIII. NON. MART. IVLIANO. II. ET. CHRISTO. Cos. vt adeo monimentum hoc poſitum

BIU Cujas

sit A. V. C. 976. erae Dionysiacae 224. annis circiter triginta post Didii Iuliani imperium, adeoque non ad Didii Iuliani fratrem et sororem, sed ad nepotem et neptem ex fratre pertinere possit. Ex his ergo quantiuis pretii monimentis patet, primum Roscio-rum, nescio, quorum, facultates hereditate obuenisse Didio Proculo, fratri Didii Iuliani, de iisque ita periclitatos esse eius liberos et heredes, vt Ioui votum fecerint duo procuratores et liberti, si eas heredibus seruaret: deinde, Proculum illum Proculi filium habuisse sororem BASSAM, quae aeque, ac ipse Proculus, et heres Roscíorum, et iam eius aetatis fuerit, vt vterque filios susceperit. Haec omnia ex marmoribus certa atque expedita sunt, adeoque iam certo scimus, primo vxorem Didii Iuliani fuisse *Manliam Scantillam*: deinde eum filiam habuisse vnicam, *Didiam Claram*: tertio illi fratres fuisse *Numium Albinum*, et *L. Roscium Didium Iulianum Proculum*: sororem *Numiam Varam*: matrem denique *Vibiam L. F. Saluiam Varam*. Vtrum vero hi fratres ac sorores omnes germani, an vterini fuerint, noua est quaestio, quam neglexisse miror doctissimum Reinesium, quum illa vel maxime ad rem facere videatur. Sane fratres illi ac sorores diuersa nomina aeque ac cognomina ferunt, quod non solent germani. Commune nomen habent *Numius* Albinus et *Numia* Vara: commune etiam *Didius* Proculus, et *Didius Iulianus*, quibus et commune *Iuliani* cognomen est. Idem tamen Didius Proculus vocatur *Roscius*, a qua gente Roscia nomen etiam pro more tulerunt L. Roscius Eubulus, Nutritor, et Roscius Firmus, procurator eorum. Itaque perquam verosimile est, ex eodem patre fuisse Numios, Albinum et Varam, ex alio Didios, Proculum et Iulianum: priorem tamen per adoptionem vel adrogationem transiisse in aliam familiam, et hinc Roscii nomen ex adoptione accepisse. Quamobrem prout in priore marmore Numii, Albinus et Vara, itemque Didii Iulianus et Proculus coniunguntur. Haec ergo omnia non aliter conciliaueris, quam si matrem Didii Proculi duos habuisse maritos ponas, vnum Numium, ex quo Numius Albinus, et Numia Varia, alterum Petronium Didium Seuerum, ex quo Didius Proculus Iulianus prodierit, postea a Roscio quodam adoptatus: denique et Petronio Didio Seuero duas fuisse vxores, vnam Aemiliam Claram, ex qua Did. Iulianus, imp. alteram Vibiam Varam, ex qua Didius Proculus Roscius natus sit. Ita enim et marmoribus cum Spartiano, et res ipsa

cum

BIU Cujas

cum vtrisque praeclare conuenit. Ceterum NVMII ALBINI nobilis fuit posteritas. Quemadmodum enim ipse a. v. c. 958. cum Fulvio Aemiliano; (vid. Gruter. *Inscript. pag.* 115. 1. Boissard. *Antiqu. Rom. part. VI. pag.* 104.) ita filius eius M. Numius Albinus v. c. a. v. c. 998. et iterum anno 1015. Consul ordinarius fuit, quin et praefecturam vrbanam ab anno 1008. per aliquot annos gessit, filiumque habuit Numium Secundum, ceu patet ex monimento, quod ex schedis Langermannianis descripsit Thom. Reines. *Inscript. class. VI. n.* 132.

M. NVMIO. ALBINO. V. C.
QVAESTORI. CANDIDATO.
PRAETORI. VRBANO. COMITI.
DOMESTICO. ORDINIS. PRIMI. ET.
CONSVLIS. ORDINARIO. ITERVM.
NVMIVS SECVNDVS EIVS F.

Ita quidem se habere videtur Didii Iuliani imp. cum Numiis Albinis et Proculis Rosciis cognatio, nec difficile inde reddi posse videtur ratio, cur Vibia Vara in marmore priore omnes hos filios, Spartianus etiam omnes fratres adpellitet, quum tamen Didius Iulianus aliam matrem, Aemiliam nempe Claram, habuerit.

§. VIII.

Quae Didii Iuliani mater? Quae paterna eiusdem origo?

Iam vt ad maiores Didii Iuliani progrediamur: de patre PETRONIO DIDIO SEVERO, Insubre Mediolanensi, neminem dubitare video. Nouerca eius VIBIA SALVIA VARA, non potuit esse C. Iuuentii Vari cos. filia, ceu suspicatus est Reinesius. Nam in marmore apud Gruterum *pag.* 359. 2. ipsa se vocat L. F. id est, *Lucii* cuiusdam *filiam*, adeoque fratrem quemdam Vibii istius Vari cos. vel alium agnatum patrem habuerit. Matrem autem, AEMILIAM CLARAM, *a Spartiano diserte* SALVII IVLIANI sororem fuisse, vel ideo dubitari non potest, quod Spartianus *cap.* 1. eum vocat Didii Iuliani auunculum. Erat hic filius viri meritis non minus, quam dignitate eximii, M. SALVII IVLIANI, quem Commodus imp. teste Dione *lib. LXXII. pag.* 823. καὶ δημοσίᾳ περιλαμβάνειν, τε καὶ καταφιλεῖν, καὶ πατέρα ὀνομάζειν, *publice amplecti, osculari, ac patrem adpellare* consueuerat. Sed virum hunc consularem fortuna priorum ad praefecturam praetorianam, imperio proximam, euexit, postea vero ita depressit, vt ludibrio eum haberet

haberet Commodus et non modo *togatum*, *praesente officio suo*, *in piscinam detruderet*, *nudumque saltare ante concubinas suas iuberet*, *quatientem cymbala et deformato vultu*: Lamprid. *in Commod. cap.* 11. sed et postremo crudeliter occideret. Lamprid. *ibid. cap.* 7. et Dio Cass. *lib. LXXII. pag.* 823. Caussa odii Saluii huius Iuliani filius patri cognominis. quem Commodus, teste Lampridio *in Commod. cap.* 3. *ad impudicitiam frustra tentauit*, *atque exinde Iuliano tetendit insidias*. Accedebat tamen et alia ratio. Filio enim isti M. Saluii Iuliani desponsa fuerat, filia Tarunteii Paterni, ICti et praefecti praetorio. Inde enim *Tarunteius a Commodo insimulatus est coniurationis*, *quum diceret ob hoc promissam Iuliani filio filiam Paterni*, *vt in Iulianum transferretur imperium*. Lamprid. *in Commod. cap.* 4. Quae quum ita sint, omnes Saluii Iuliani, ICti posteri, de quibus hactenus diximus, (Bernardini enim Rutilii somnia, quae *cap.* 71. *vitar. ICt.* de Iuliano, Apostata, imp. ex eadem gente oriundo narrat, iam non moramur,) sequenti schemati includi posse videntur:

BIU Cujas

SALVIVS IVLIANVS IC. et edicti perpetui auctor, *Eutrop.* bis consul et praefectus vrbi et IC. *Spart.* floruit sub Hadriano, Pio, M. et Lucio fratribus Augustis. *Riuall.*

DIDIVS SEVERVS Insuber Mediol.

M. SALVIVS IVLIANVS, Dioni male Σέρβιος, cos. cum Pisone anno 927. Praefectus praet. occisus a Commodo imp. circa annum 941.

L. VIBIVS VARVS.

DIDIVS SEVERVS.

NVMIVS = VIBIA SALVIA VARA, de qua Gruter. *pag.* 459. 2. = PETRONIVS DIDIVS SEVERVS.

AEMILIA CLARA. = SALVIVS IVLIANVS, cuius pudicitiae insidiatus est Commodus, et cui infelicibus auspiciis desponsata fuerat Tarunteii Paterni, IC. et praefecti praet. filia, de affectato imperio suspectus.

NVMIVS ALBINVS cos. a. v. c. 958. = NVMIA VARA.

L. DIDIVS PROCVLVS ob adoptionem ROSCIVS. Grut. *Inscript. pag.* 459. 2.

M. DIDIVS SALVIVS IVLIANVS SEVERVS AVG. natus a. v. c. 890. ad imperium euectus et occisus a. v. c. 945. = Vxor MANLIA SCANTILLA.

M. NVMIVS ALBINVS bis cos. a. v. c. 998. et 1015. praef. vrbi 1009.

PROCVLVS ROSCIVS IVLIANVS, de quo Grut. *p.* 18. 10. = BASSA, de qua marmor apud Grut. *p.* 18. 2.

NVMIVS SECVNDVS. Reines. *Inscript. class. VI. n.* 132.

FILII, de quibus idem marmor. = FILII, quorum in eodem marmore fit mentio.

DIDIA CLARA AVG. destinata Didii Proculi filia, nupta CORNELIO REPENTINO, praefecto vrbi. Spart. *Iulian. cap.* 3.

BIU Cujas

§. VIIII.

Salu. Iuliani, ICti, nomina.

Sed vt ex diuerticulo hoc, vti opinor, non inamoeno in viam redeamus: iam facile intelligitur, nihil omnino dici posse de ICti nostri parentibus, nihil de maioribus reliquis. Quod commune noster habet cum ICtis tantum non omnibus, qui ab Augusti temporibus floruerunt. Nomen et cognomen certissima sunt, quum non modo in ipso iure nostro passim vtroque cognominetur, sed et eadem apud Spartianum *in Hadr. cap.* 18. *in Iulian. cap.* 1. Eutrop. *lib. VIII. cap.* 9. Hieronym. *in Chronic. ad. annum* 132. aliosque veteres passim expressa legamus. Addunt alii SEVERI cognomen, veluti Bernard. Rutil. *de vitis ICtor. cap.* 66. Io. Bertrand. *de iurisperit. lib. I. cap.* 1. et Grauina *de ortu et progress. iur. ciu.* §. 82. Sed eam caliginem offudisse viris doctis videtur cognomen Didii Iuliani, quod eum a proauo habuisse, perperam existimarunt. Praenomen nostri, nusquam, quod meminerim, exstat, quia illis temporibus id plerumque negligebatur, ceu obseruauit Iac. Perizonius. *Animadu. histor. cap.* 3. *pag.* 132. MARCI tamen praenomen Saluio Iuliano tribuit Rupert. c. e. qua fretus auctoritate, nescio, nisi quod eum Onuphrium Panuinium sequutum esse suspicor, quem tamen permulta sibi in condendis fastis consularibus indulsisse, iam a Reinesio *ad Inscript. pag.* 28. obseruatum est. Attamen ea in re fortassis non errauit, quisquis primum cogitauit de hoc praenomine. Nescio enim, an non Saluii nostri Iuliani libertus fuerit, cuius mentio fit in lapide apud Io. Vignolium *in Adpend. Comment. de Columna Antonini Pii, pag.* 341.

M. SALVIO. M. L. SECVNDO.
NVMMVLARIO. DE. CIRCO.
FLAMINIO.
SALVIA. M. L. PHAEDIMAE. PATRONO.
B. M. SVISQVE.

Habemus enim hic Saluium, Marci Saluii libertum, et patronum Saluiae Phaedimae, vbi si Marcus Saluius, M. Saluii Secundi patronus non fuit M. Saluius Otho, potuit esse Saluius Iulianus IC. qui se seruos aliquot in praetura sua vindicta liberasse gloriatur. *l.* 5. *D, de manum. vind.* Sed haec quidem coniectura est, quam ego, ne quis erret, pro certa nemini obtruserim.

§. X.

BIU Cujas

§. X.

Aetatem, quam ingenio doctrinaque illustrauit Iulianus, ignorare nos non patiuntur cum vetera de eo testimonia, tum fragmenta, quae ex eius libris, tamquam e naufragio seruauit Tribonianus. Vt autem certiora, quoad eius fieri potest, consectemur: nos quidem rationes ita inimus. Supra iam ostendimus, Saluium Iulianum edictum perpetuum iniisse anno erae Dionys. 132. ab v. c. 883. Obseruauimus simul, perquam esse probabile, eum hoc ipso anno praetura functum. Hoc si ponamus, quod sane est verosimillimum, non adeo difficile fuerit, veram IVLIANI aetatem si non ad annos suos redigere, at proxime saltim attingere. Nouimus enim ex Plin. *lib. VII. epist.* 16. tum adhuc religiose obseruatas esse leges annarias, nec temere ab iis discessum, nisi vel ob liberorum numerum, vel principum indulgentia vnus alterue annus remitteretur. Iam praeturae annus legitimus tum erat trigesimus, quem iam in prudentissima illa Maecenatis oratione apud Dionem Cass. *lib. LII. pag.* 479. figi videmus. Quum enim nemini ante annum XXV. rem publicam credi vellet, postea subiungit: παμιεύσασι τε καὶ ἀγορανομήσασι ἢ δημαρχήσασι ἐφεστηκέτωσαν τεσσαρακοστὸν γενόμενοι: *ii vero, qui quaesturam, aedilitatem, tribunatum plebis gesserint, praetores fiant, exacto anno aetatis trigesimo.* Et plerumque sane tum temporis annis aliquot post praetura fungi coeperunt Romani. Ipse Hadrianus praetor factus est A. v. c. 859. *Surano* bis et *Seruiano* iterum coss. teste Spartiano in *Hadrian. cap.* 3. Tum vero ille annum aetatis agebat XXXII. natus quippe A. v. c. 828. *T. Vespasiano* septimum et *Tito* quintum coss. Sed et paullo ante haec tempora Plinius praeturam, vt ipse *lib. III. epist.* 11. refert, gessit eo anno, quo philosophi a Domitiano ab vrbe submouebantur, id est, ab v. c. 846. *Asprenate* et *Laterano* coss. Quum vero ipse se *lib. VI. epist.* 20. duodeuicesimum aetatis annum habuisse testetur, quum arderet Vesuuius, id est, 831. adeoque natus sit oporteat a. v. c. 813. praetorem illum factum esse patet exacto anno aetatis XXXIIII. Iam ergo si ponas, Iulianum nostrum legitimo anno praetura esse ornatum, id est, anno aetatis circiter tricesimo, (potest enim et aliquanto plures habuisse, veluti tricesimum primum, secundum, tertium, vel quartum,) demtis triginta annis ab a. v. c. 883. quo eum praetorem fuisse coniecimus, natus is fuerit oportet circa

Floruisse illum sub Hadriano.

BIU Cujas

annum v. c. 853. erae Dionysiacae 102. vel aliquot annis ante, vel circa Traiani initia vel sub Neruae principatu, vel sub excessum Domitiani Augusti.

§. XI.

Itemque sub Antonino Pio et diuis fratribus.

Quemadmodum itaque sub Hadriano praecipue inclarescere coepit, ita et in Antonini Pii, quin et diuorum fratrum tempora vitam produxit, vt adeo ad iustam saltim senectutem, id est, annum aetatis LXIII. peruenisse videatur. Si enim eum vel primis diuorum fratrum imperii annis decessisse dixeris: eum tunc ex rationibus nostris annos habuisse oportebit LXII. Antonini Pii tempora attigisse Saluium Iulianum, inde probat Io. Bertrandus, quod eius sententiam de SC. Tertulliani interpretatione laudet Vlpianus in *l.* 1. *D. ad SC. Tertull.* At eo quidem argumento ego non vterer. SCtum enim istud conditum est, non sub Antonino Pio, vt recte iam obseruauit Guil. Grotius *de vit. ICt. lib. II. cap. 6.* sed sub ipso Hadriano, *pr. Inst. de SC. Tertull.* et Cuiacii coniectura, qui in *Not. prior. ad d. §.* Antoninum Pium sub Hadriani nomine delitescere suspicatus est, satis profligata est ab Ant. Schultingio in *Iurispr. vet. anteiustin. pag.* 669. Sed et ex eo, quod Antoninus Pius imp. ad Saluium quemdam rescribit, *l.* 1. *C. vt in possess. legat.* perperam colligit Bertrandus, eum esse ipsum ICtum nostrum. Plures enim iis temporibus floruisse Saluios, supra ex iure nostro ostendimus, nec quaestio de qua ad imperatorem retulerat Saluius ille, ita comparata est, vt tantus ICtus illa imperatorem fatigare voluisse censendus sit. Multo certius itaque ex *l.* 18. *D. quod met. causs.* demonstro, Iulianum adhuc sub Pio inter viuos fuisse. In illo enim fragmento laudari animaduertimus rescriptum T. Pii ad Claudium Frontinum. Quumque opus DIGESTORVM, cuius ex libro LXIIII. fragmentum illud depromtum est, vltra nonaginta libros complecteretur, nec quisquam temere de homine negotioso occupatissimoque sibi persuasurus sit, ei libros XXX. reliquos intra pauculos annos, veluti fungos vna nocte natos esse: sequitur sane, vt Iulianus pluribus annis sub Pio vixerit. Id quod et ex eo patet, quod Iulianus in *l.* 59. *D. sol. matrim.* Caio testimonium denunciat, quem tamen multo post Hadriani imperium, quin, mortuo iam Pio, libros pleroscque scripsisse, eo minus negari poterit, quo certius est, Antoninum Pium ab eo vix aliter, quam *diuum*, vocatum

vocatum *l.* 1. *D. de ſtatu hom. l.* 56. *D. de legat.* 2. *l.* 96. *D. de legat.* 3. *l.* 90. *D. de cond. et dem. l.* 63. §. 5. *D. ad SC. Trebell.* et non niſi binis locis eum, tamquam viuum, laudat. *l.* 11. *D. de iuriſdict.* et *l.* 42. *D. de donat. inter vir. et vx.* Vid. Franc. Caroli Conradi *Schediaſma ſingulare de aetate Caii, ICti, in Act. erud. Lipſ. anni* 1727. *menſe Febr.* Fieri itaque non poteſt, vt Iulianus Caium teſtem produxerit, niſi ad Antonini Pii ſaltim tempora peruenisſet. Quin ſuperſtes diuo Pio fuit Iulianus, ſiquidem diui fratres, quos vocant, eum AMICVM SVVM adpellant in *l.* 17. *D. de iure patronat.* quo nomine certe principes non honorabant mortuos, ſed viuos, viros nimirum conſulares et iuris prudentes, quos in conſilio et comitatu habebant: qualis erat ille C. Sentius Seuerus in marmore Mediolanenſi, quod protulit Salmaſ. *ad Spartiani Hadr. cap.* 18.

C. SENTIO.
SEVERO.
QVADRATO.
C. V. COS.
AMICO. ET. COM. AVG. N.

Vixiſſe ergo Iulianum oportet etiam ſub Marco et Lucio imperatoribus, quorum ſi vel primos tantum annos vidit, aetatem eum produxiſſe patebit ad annum aetatis ſexageſimum tertium, qui fatalis eſſe ſolet viris doctis ac prudentiſſimis.

§. XII.

At has rationes noſtras, quantumuis vitae Iuliani circumſtantiis reliquis quam conuenientiſſimas, turbare videtur locus inſignis Sex. Pomponii, *l.* 20. *D. de fideic. libertat.* ex quo plerique colligunt, iam tum eo tempore Iulianum ſeptuaginta et octo annorum ſenem, et in illa aetate tanto vigore animi fuiſſe, vt ſe nihilominus incredibili diſcendi cupiditate flagrare profiteretur. Talia ſane in mentem venerunt Bern. Rutilio *cap.* 66. Bertrando *de iuriſper. lib. I. cap.* 1. quin et, quod mireris, Em. Merillio *Obſ. III. cap.* 19. et Aegid. Menag. *Amoen. iur. cap.* 24. Et ſane in fragmento illo Sex. Pomponius quaedam profert ex Iuliano, et deinde ſubiicit verba elegantiſſima: *Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam viuendi rationem in octauum et ſeptuageſimum annum aetatis duxi, memor ſum eius ſententiae, qui dixiſſe fertur:* κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, μεμαθεῖν τι βούλομαι. *Etſi alterum pedem in tumulo haberem: non pigeret*

An *fuerit* κακοήθιος *ille, de quo l.* 20. *D. de fideicommiſſ. libertat.*

ret aliquid addiſcere. Sed verba iſta ad Iulianum nihil attinere, facile intelligent omnes, qui fragmentum illud expenderint paullo adcuratius. Eſt illud ex *libro VII. Epiſtolarum* Sex. Pomponii: in quibus quaeſtiones iuris, a conſultore ſibi propoſitas, paucis ſoluit Pomponius, quemadmodum Reſponſa veterum ICtorum ad facti potius quaeſtiones pertinuiſſe, obſeruant Iac. Cuiac. *ad African. Tract. I.* et Eu. Otto in *Papinian. cap.* 12. §. 1. 2. Vtrobique quaeſtiones propoſitas breuiter ex iure conſtituto decidebant, ac veluti oracula quaedam fundebant, non adductis argumentis, niſi ea diſerte poſtularent conſultores, quale quid poſtulari animaduertimus in *l.* 26. *D. de liberat. leg.* vbi conſultor: PLENIVS *rogo, quae ad haec ſpectant, attingas.* Seruaſſe eam methodum et Sex. Pomponium, perſpicue patet ex *l.* 50. *D. de min.* vbi integra eius epiſtola ſupereſt. In ea Inius Diophantus praemiſſa ſalute proponit ſpeciem: minorem viginti quinque annis nouandi animo interceſſiſſe pro eo, qui temporali actione teneretur, tum, quum adhuc decem ſupereſſent dies, et poſtea reſtitutum eſſe in integrum. Poſtea quaeſtionem format: vtrum reſtitutio, quae creditori aduerſus priorem debitorem danda ſit, decem dierum ſit, an plenior? Subiicit conſultor, quid ipſe exiſtimet, ſe nimirum didiciſſe ex tempore in integrum reſtitutionis tantumdem temporis praeſtandum, quantum ſupereſſet. Diffiſus tamen iudicio ſuo ſtatim addit: *tu, quid de eo putes, velim reſcribas.* Sequitur demum ſubnotatio Sex. Pomponii breuis: *ſine dubio, quod de temporali actione, in qua interceſſit minor, ſenſiſti, puto verius eſſe, ideoque et pignus, quod dederat prior debitor, manet obligatum.* Tales erant Pomponii *Epiſtolae* omnes, in quibus plerumque conſultor rem fuſius explicabat, quam ICtus, qui reſpondebat, ceu patebit ex *l.* 3. *D. quib. ad libert. prou. non lic. l.* 35. *D. de iur. fiſc. l.* 42. *D. de iureiur. l.* 61. *D. de admin. et peric. tut.* Immo et eiuſdem generis fuiſſe nouimus *Epiſtolas* Proculi, *l.* 13. *D. de ſeruit. praed. vrb. l.* 69. *D. de hered. inſt. l.* 55. *D. de adqu. rer. dom. l.* 113. *D. de verb. oblig.* nec non Priſci Iauoleni, *l.* 33. *D. de reb. credit. l.* 23. *D. de adquir. poſſeſſ. l.* 28. *D. de reb. auct. iud. poſſid.* Iam ſi ponas eiuſdem methodi tenacem fuiſſe Pomponium in *l.* 20. *D. de fideic. libert.* facile deprehendes, ſententiam illam de ſenectute cum incredibili diſcendi cupiditate coniuncta non eſſe Iuliani, ſed conſultoris. Proponit hic locum Iuliani de ſeruo, cui

ex

BIU Cujas

ex fideicommisso competat libertas modo ab eo, qui hereditatem ex SC. Trebelliano restituerit, modo ab ipso fideicommissario, possidente manumittendum. Subiungit quaestionem: *an haec vera putes? Nam ego discendi cupiditate, quam solam viuendi rationem optimam in octauum et sexagesimum annum aetatis duxi, memor sum eius sententiae, qui dixisse fertur:* κἂν τὸν ἕπερον ᾠόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, μεμαθεῖν βυλοίμην. Tum demum sequitur breue hoc Sex. Pomponii responsum: *bellissime Aristo et Octauenus putabant, hunc seruum, de quo quaereretur, fideicommissae hereditatis non esse, quia testator, rogando heredem, vt eum manumitteret, non videatur de eo restituendo sensisse. Si tamen per errorem ab herede datus fuerit, ea dicenda sunt, quae Iulianus scribit.* Ex his ergo luculenter patet, non Iuliani esse illa verba de senectute discendique cupiditate, ac ne Pomponii quidem ipsius, de quo Dionysius Gothofredus ad marginem notauerat: *Pomponius ad octauum et septuagesimum annum aetatis peruenit*; sed consultoris, nescio, cuius, qui senilem professus curiositatem, hanc veteris philosophi, Solonis puta, vt Scipio Gentilis *Parerg. cap.* 21. ostendit, elegantem sententiam adduxit: id quod errantes docere poterat Anton. Augustin. *Emendat. lib.* 1. *cap.* 8. si mens non laeua fuisset.

§. XIII.

Studia Salu. Iuliani philologica.

IVVENEM IVLIANVM elegantiorum artium studiis ingenium ad maiora diligenter praeparasse, ipsa eius opera satis superque probant, in quorum fragmentis vbique adparent doctrinae solidioris vestigia: nec quisquam fortassis hodie suffragabitur Em. Merillio, sera demum aetate eum litteras attingere coepisse, existimanti, *Obs. lib. III. cap.* 19. lapso in hunc errorem ob eamdem *l.* 20. *D. de fideicomm.* quam superiore paragrapho explicauimus. Non imperitus ille fuit Graecae linguae, quamuis religioni sibi duxerit, Graeca sine necessitate immiscere Latinis, et hinc rarius eiusmodi lacinias adfuisse videatur libris suis. Pauciſſima sane Graeca occurrunt in eius fragmentis, ac fere tantum τεχνικά, vel alioquin ciuitate Latina donata, veluti ἐν πλάτει, *l.* 13. *D. de solut.* ἀναφορικῶς, *l.* 8. *D. de suis et legit. hered.* σωείτης, *l.* 65. *D. de reg. iur.* tutor ἀνεκλόγιστος *l.* 5. §. 7. *D. de adm. et peric. tut.* Legit tamen Aristotelem, eique testimonium denunciauit in *l.* 36. *D. de solut.* Est etiam, vbi Graecismum redolet eius Latinitas, vt facile deprehendas, illum haec recentem a Graecorum lectione scripsisse. In *l.* 3. *D. de dote praeleg.* ait: *qui ita legat vxori*

BIU Cujas

xori suae: TITIAE AMPLIVS, QVAM DOTEM, AVREOS HERES MEVS DAMNAS ESTO DARE: *manifestus est, dotem quoque relegasse.* Vbi sine ratione quidam in dubium vocant lectionem Florentinam, et pro *manifestus* rescribi iubent *manifestum.* Est enim vere Graeca loquutio, quali et Vlpianus bis vtitur in *l.* 22. §. 8. *D. solut. matr.* vbi de viro vxorem furiosam negligente: *Spernit,* inquit, *infelicitatem vxoris, et non ad eam flectitur, nullamque ei competentem curam inferre,* MANIFESTISSIMVS *est.* Et paucis interiectis: *sin vero dotem ita dissipare* MANIFESTVS *est.* Idem Graecismus et aliis eorum temporum scriptoribus perquam familiaris est. Tacitus *Annal. lib. II. cap.* 57. *atrox et dissentire* MANIFESTVS. Et *Histor. lib. I. cap.* 53. *mox* COMPERTVM *publicam pecuniam auertisse, vt peculatorem flagitari iussit.* Auctor *dialogi de causs. corrupt. eloqu. cap.* 16. *Aprum enim solere dissentire, et tu paullo ante dixisti, et ipse satis* MANIFESTVS *est iamdudum, in contrarium accingi.* Alioquin Latina Iuliani oratio pura est, nec adfectata tamen aut turgida, vel abrupta breuitate praeceps, qualem ea aetate adfectabant quam plurimi. Frustra ergo in eius Latinitate quaesiueris phaleras, quales et scriptiones iuridicae non admittunt, at Latinitatem vbique inuenies non modo castam, sed et aliquando tersam, adeo vt Laurentius Valla et reliqui Latinitatis ICtorum censores emissitiis illis oculis suis nihil in Iuliani fragmentis repererint, quod, tametsi ab illis reprehensum, non optimorum scriptorum auctoritate atque exemplo tueri possis. Dixit *l.* 6. §. 6. *D. de negot. gest.* CONTEMPLATIONE EIVS, quod non ferunt teretes istorum criticorum aures. Et tamen id ferre tenentur in Iustino *Histor. lib. VII. cap.* 5. *lib. VIII. cap.* 3. et Quinctiliano *Declam. III. pag.* 40. *et Decl. V. extr.* quae loca Car. Andr. Dukerus *de Latin. vet. ICtor. pag.* 319. adduxit. ENIM sine vllo praeposito vsus est Iulianus, si vera est lectio Florentina, in *l.* 17. *quib. mod. vsusfruct. vel vsus amitt.* Sed si fingamus etiam veram esse: non ideo crucem illico parandam putauerim Iuliano, quum et Ciceronem, Plautum, Terentium ita loquutos esse iam pridem docuerint Taubmannus ad Plaut. *Epidic. V.* 2. *v.* 36. et Gronou. *ad Liu. lib. XXXIIII. cap.* 32. Leuicula sunt, quae obeliseo notant, reliqua omnia, veluti, quod aliquando LIBERTINVM dixerit pro *liberto, l.* 20. §. 4. *D. de bon. libert.* PENVM pro *penus* vel *penu, l.* 19. *D. quand. dies leg.* NIHILOMINVS pro *nihilomagis. l.* 106. *D. de condit. et demonstr.* Quis enim primo fide sua credere

BIU Cujas

credere nos iubebit, haec omnia esse a Iuliani manu, ac non librarios potius hic aliquid deliquisse? deinde, quis ignorat, de terminatione, genere, ac flexione vocabuli *penus* ne inter veteres quidem grammaticos conuenisse? Sane illam ipsam formam, quam improbant in Iuliano, diserte probant Sosipater et Cledonius apud Vossium *de analogia lib. II. cap.* 20. Denique diserte notarunt Priscianus *lib. XVIII. pag.* 1196. et Nonius *cap.* 12. *n.* 46. *et* 54. duas abnutiuas apud veteres Latinos aeque, ac apud Graecos, fortius negare, ac proinde *nihilominus* saepe occurrere pro *non*, vel *non magis*. Locum Flori *lib. III. cap.* 17. eam in rem adduxit laudatus Duker. *de Lat. vet. ICtor. pag.* 366. Alium ex Ouidio addit Freinshemius *in Indice Flori*, voce *negationes duae*:

Quod si NVLLA *tibi* NON *sit legisse voluptas.*

sed quem me legere non memini. In iure tamen nostro hunc quoque Graecismum frequentissimum esse, patet ex *l.* 7. *§.* 2. *D. pro emtor. l.* 2. *§.* 1. *D. de vi bon. rapt. l.* 13. *§.* 11. *C. de iudic. l.* 56. *C. de decurion. l.* 1. *C. qui dar. tut. poss.* idque iam pridem obseruarunt Cuiac. in Comment. *ad l.* 7. *Dig. pro emtore*, et Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodos. tom. IIII. pag.* 522. Quam Cuiacii obseruationem licet suo more euertere conetur Io. Robertus *lection. recept. lib. II. cap.* 29. non magis tamen iusta est illa censura, quam alia Laur. Vallae et reliquorum, qui tamquam barbarum proscribunt GENITVR, quo Iulianum *l.* 13. *§. vlt. D. de reb. dub.* vsum esse, pro *gignitur*, obseruant. At non Iuliani fuit illa loquutio, sed testatoris formula, quam immutare et verbis magis Latinis eloqui, integrum non erat ICto. Ipse, dum in illo fragmento formulam testatoris attingit ac interpretatur, ab omni sorde abstinet, sensumque multo purius ita eloquitur: SIVE FILIVS, SIVE FILIA NATI EI FVERINT. Denique vel maxime quibusdam bilem mouet illud ADFLIGERE CVI PRETIVM, pro *damnare ad pretium restituendum*, quo vsus est Iulianus in *l.* 30. *D. de negot. gest.* Sed quidam codices manuscripti ibi habent INFLIGERE, quo recepto, phrasis ista non barbara, sed analogiae consentanea est, et *pretium alicui infligi* non minus recte dicitur, quam *infligi vsurae* pro condemnari in vsuras, qua loquutione vsi sunt Vlpianus *l.* 3. *§.* 4. *D. vbi pupill. mor. vel educ.* et Paullus *l.* 11. *pr. et l.* 17. *§.* 3. *D. de vsur.* ex quibus exem-

BIU Cujas

plis colligas, forenſen fuiſſe eam loquutionem, adeoque ICto; qualis fuit Iulianus, minime exprobrandam. Satis ergo patet, et Latinas litteras ſtudio laudabili excoluiſſe Iulianum, et ne lynceos quidem oculos quidquam ſtribiliginis in caſtiſſimo auctore deprehendiſſe. Potius adfirmare nobis licebit, multa, quae ad reconditas litteras pertinent, hodie ignorare criticos praeſtantiſſimos, quae doceri a Iuliano noſtro poterant, niſi eum lectu indignum, neſcio qua praeiudicata opinione, iudicaſſent. Exemplo vt rem illuſtremus, notum eſt, quam crucem criticis pleriſque etiam primi ordinis fixerint notae temporis A. D. III. KAL. quippe quas Rhenanus coniunctim legi iubet *ad III. Kalend.* alii recte quidem exponunt, ANTE DIEM III. KAL. quia et in Graecis monumentis eſt ΠΡΟ Γ. ΚΑΛ. et apud Plutarchum πρὸ ἑνδεκα καλανδῶν Μαΐων: ſed illud tamen idem eſſe putant, ac *pridie*, quos ſuauiter ridet Noriſius *ad Cenotaph. Piſan. diſſ. II. pag.* 342. *ſequ.* docetque non ſine adparatu, idem veteribus fuiſſe D. III. KAL. et A. D. III. KAL. Rem omnem conficere potuiſſet Iulianus, qui in *l.* 56. *§.* 5. *D. de verbor. obligat. qui ita*, inquit, *ſtipulatur*: ANTE KALENDAS PROXIMAS DARI SPONDES? *nihil differt ab eo, qui Kalendis dari ſtipulatur.* Omitto alia, quae pleniore manu ſererem, niſi me non iam ex inſtituto, ſed veluti obiter Saluii Iuliani vitam condere meminiſſem.

§. XIIII.

Peritia antiquitatum Romanarum.

Non minus deinde quaedam hinc inde ſeſe produnt antiquitatis veſtigia. Adhuc enim tum inter ICti laudes illa haud poſtrema erat, quam T. Ariſtoni ſuo tribuit Plinius *lib. I. epiſt.* 22. *quam peritus ille et priuati iuris et publici? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet?* Antiquum ſane leges ferendi ritum eleganter attingit Iulianus in *l.* 32. *D. de legib.* redditurus rationem, cur inueterata conſuetudo pro lege cuſtodiatur, et tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogetur. *Nam quum ipſae*, inquit, *leges nulla alia ex cauſſa nos teneant, quam quod iudicio populi receptae ſunt: merito et quae ſine vllo ſcripto populus probauit, tenebunt omnes. Nam quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis et factis?* Non amplius profecto populus vel centuriatim vel tributim ſuffragia ferebat, quum haec ſcriberet Iulianus. Iam pridem teſte Tacito *Annal. lib. I. cap.* 15. comitia e campo in curiam tranſtulerat Tiberius, adeoque pleraque a ſenatu conſtituebantur,

BIU Cujas

bantur, qui tum non amplius ambigebatur ius facere posse. *l.* 9. *D. de legib.* Quin tantum abest, vt sub Hadriano vlla potestas νομοθετικὴ penes populum superfuerit, vt ipse ille princeps iam coeperit inconsulto senatu, per sola edicta, quod placeret, sancire, et vetus illud ius fere quotidie nouis rescriptis emendare. Et tamen Iulianus et consuetudinis seu iuris non scripti auctoritatem a tacito populi suffragio; iuris scripti ab expresso arcessit, perinde ac si iis vixisset temporibus, quibus et pontes in campo Martio, et diribitores, et tabulas cistasque videre, vel audire potuerit rogationem consulis: VELITIS IVBEATIS QVIRITES. Sed latet hic simulacrum libertatis, quo populus aliquamdiu deludebatur a principibus, quorum intererat, seruire ciues, et tamen se credere liberrimos. Persuaserant enim illis, quidquid a principe vel consilio senatus, vel inconsulto illo, fieret, id omne fieri a populo, quia populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem contulerit, *l.* 1. *pr. D. de constit. princ.* Quin quamuis numquam de ferenda lege in commune consulerent imperatores Romani, sed saepe Hadrianus Britanniam, Aegyptum, Libyam, et Orientem peruagatus, epistolis Romam missis, quid fieri vellet, praeciperet, talem tamen principis epistolam credendam esse πόλεως συνθήκην κοινὴν, *communem rei publicae sponsionem*, quemadmodum adhuc philosophantur Papinianus et Marcianus in *l.* 1. *et l.* 2. *D. de legib.* principem enim referre totum populum, eius consensum esse consensum totius rei publicae, καὶ ἐκεῖ τε τὴν ῥώμην, ὅπως ποτ' ἂν τὸν βασιλέα εἶναι: *et Romam ibi esse, vbi sit imperator.* Herodian. *lib. I. cap.* 6. Eiusdem generis est fragmentum Iuliani in *l.* 5. *D. de manum. vind.* vbi soluta prius quaestione, an, qui consilium praebeat, possit apud se manumittere; statim addit: *se et in praetura, et in consulatu suo, quosdam ex seruis suis vindicta liberasse, et quibusdam praetoribus consulentibus se idem suasisse.* Vere ea in re morem maiorum sequutus est Iulianus. Ex quo enim primus consul Iunius Brutus Vindicium seruum, coniurationis indicem, per vindictam manumiserat, inualuerat, vt et consules et praetores, quando primum procedebant, a manumissione magistratum auspicarentur, quum boni ominis caussa, tum vt factum istud Bruti apud posteros quoque nulla deleret obliuio. Docuit nos illum ritum ex instituto Petr. Faber tum *in Comment. ad tit. de orig. iur. pag.* 193. tum *in Semestr. lib. II.*

BIU Cujas

cap. 20. *pag.* 269. *sequ.* adduxitque eam in rem locos egregios Libanii, Claudiani, Mamertini, Cassiodori, Sidonii Apollinaris, vt dubitari non liceat, sollemnem illam manumissionem saltim saeculo quarto et sequentibus quotannis fieri consueuisse. Sed longe antiquiorem esse ritum, vel eo posse demonstrari putat Faber, quod Vlpianus toto *libro II. de officio consulis*, fere de nulla alia re, quam de manumissionibus egerit, et vnica, quae a Triboniano sub isto titulo posita est, lex non nisi de manumissionibus agat. Nemo ergo non videt, Iulianum morem illum veterem in consulatu et praetura sua reuocasse in vsum, quumque forte deessent domini, qui seruos suos manumitti vellent, neque quisquam alienum seruum manumittendo ad libertatem perducere posset : *l.* 4. *C. de iis, qui a non dom.* suos apud se manumittere, quam sollemnitatem illam negligere maluisse, non modo praeceptoris exemplo commonitum, sed et probe gnarum ex iuris principiis, manumissionem esse legis actionem, adeoque ipsum magistratum eam apud se ipsum explicare posse, non secus ac emancipationem, adoptionem, actusque similes. *l.* 3. *l.* 4. *D. de adopt. et emancip. l.* 2. *D. de offic. praet. l. vn.* §. 2. *D. de offic. consul.* Ita porro in memoriam reuocat Iulianus *archimimos*, *l.* 25. *D. de oper. libert.* quorum et Suetonius in *Vespas. cap.* 19. et Scholiastes Horatii *ad Serm. I.* 6. meminit, quosque Theod. Marcilius in *not. ad Sueton.* interpretatur praefectos pantomimorum, qualis apud Gruter. *pag.* 1089.

L. ACILIVS L. F. POMPT. EVTYCHES
NOBILIS ARCHIMIMVS COMMVN. MIMOR.
ADLECTVS. DIVRNVS PARASITVS
APOLL. TRAGICO
COMICVS PRIMVS SVI TEMPORIS
ET OMNIBVS
CORPORIBVS AD SCAENAM HONOR.
DECVRIO BOVILLIS
QVEM PRIMVM OMNIVM ADLECTI
PATREM ADPELLARVNT.

cui *adlecti scaenicorum aere collato ob munera et pietatem ipsius erga se* insigne monimentum dedicarunt, simul propriae insaniae monimentum aere perennius ad posteritatem futurum. Cui stolido homini etiam iungere poteris alteram aeque stolidam, apud eumdem Gruter. *pag.* 330. 4. FABIAM M. ET D. L. ARETEN, ARCHI-

BIU Cujas

CHIMIMAM TEMPORIS SVI PRIMAM DIVRNAM. Ex quo Iuliani loco simul colligi potest, quid in postrema inscriptione sit *diurna archimima*, et in priore *diurnus parasitus?* Nempe illa fuit liberta, quae diurnas patrono operas tamquam archimima praestabat; siquidem operae libertorum diurnum erant officium, *l.* 1. *l.* 3. *D. de oper. libert.* quamuis alioquin noctu plerumque in scenam prodirent mimi. Et hinc in superiore etiam inscriptione DIVRNVS PARASITVS erit, qui has diurnas operas debebat patrono, vt illum prandentem arte sua et scurrilitate oblectaret, ollasque in capite suo confringi pateretur: coenae vero adesse non cogeretur. Sed iam non licet omnia eius generis consectari, quum sufficiat quaedam eius rei specimina dedisse.

§. XV.

Progredimur ad philosophiam, sine qua nemo temere ICti nomen cum laude tuebitur. Falluntur enim, quotquot philosophiae parum debere iuris prudentiam, vel inde colligunt, quod sero philosophari coeperint Romani, quum iam pridem XII. tabulae, fons vniuersi publici priuatique iuris, nec non interpretatio prudentum, formulaeque iudiciorum Romae viguissent. Nam quis dixerit a Scipionis temporibus, quibus Panaetius philosophiam docere Romae coepisse dicitur, nihil noui iuris amplius esse constitutum? Deinde quis, positis legibus, et aliquot veterum interpretamentis, nec non iudiciorum formulis, nullas amplius ICtorum partes in locupletanda iuris prudentia fuisse statuerit? Sane quum, Iuliano nostro obseruante, non ita scribi possint leges et SCta, vt omnes casus, omnesque articuli illis sigillatim comprehendantur: ex his sane, quae primo fuerant constituta, interpretatione certi quid constituendum erat. *l.* 10. *l.* 11. *l.* 12. *D. de legib.* Ea in interpretatione plerumque praestruebant communia quaedam principia moralia, ex quibus conclusiones pleraque, legibus non comprehensas, deriuarunt ICti, et diuersissimas quidem, prout huic illiue sectae sese addixissent. Certe id quidem vsquequaque verum est, ICtos Stoicorum παραδοξας δόξας, quae vt a reliquorum philosophorum sententiis, sic ab vsu ciuili remotae fuerint, plane neglexisse. Cicero enim *in prooem. Paradox. cap.* 1. animaduertit: *Catonem, quum in senatu sententiam diceret, saepe locos graues ex philosophia tractasse, abhorrentes ab hoc vsu forensi et publico, sed dicendo tamen consequutum, vt illa etiam populo probabilia viderentur.* Quin addit,

Eiusdem philosophia.

BIU Cujas

se quoque illa ipsa, quae vix in gymnasiis et otio Stoici probant, ludentem conieciſſe in communes locos, quae, quia ſint admirabilia, contraque opinionem omnium, ab ipſis etiam παραδόξα adpellentur, et tentare voluiſſe, poſſentne proferri in lucem, id eſt, IN FORVM, *et ita dici, vt probarentur.* Quod vero tentarunt Cato et Cicero, qui ſaepe ſubtiliſſimas iuris quaeſtiones in foro enodarunt: an neglexiſſe id putemus Rufos, Tuberones, Brutos, in ipſa ſtoa veluti enutritos, et philoſophiam illam lingua, calamo, moribus exprimentes? Et quid, quaeſo, opus eſt verbis, vbi ipſa adſunt rerum argumenta? Scribit Paulus: *ſi metu coactus adii hereditatem, puto me heredem effici, quia quamuis ſi liberum eſſet, noluiſſem: tamen coactus volui. l.* 21. §. 1. *D. quod met. cauſſ.* Idem omnes veteres ICtos ſenſiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Neque enim opus fuiſſet praetoris beneficio, ſi voluntatem, vi metuque extortam, non eſſe voluntatem exiſtimaſſent. Et tamen quid aliud hoc eſt, quam notiſſimum Stoicorum paradoxon: ſapientem nihil metuere, ad nihil cogi, ſtolidumque adeo cenſendum, qui metu perturbatus quid egerit, ac proinde indignum, qui fructum ex ſtultitia ſua capiat. Talia innumera in iure noſtro occurrunt, vt lucem meridie eſſe videantur negare, qui philoſophiae, praeter notiones generales, nec non grammaticam et dialecticam, quidquam debere iuriſprudentiam, negare non verentur.

§. XVI.

Varia ſcientiae philoſophicae ſpecimina.

Et philoſophiae quidem non expertem fuiſſe Iulianum noſtrum, et dialecticam in primis penitus imbibiſſe, vel inde patet, quod in *l.* 65. *D. de regul. iur.* mentionem facit celeberrimae illius vel ratiocinationis vel cauillationis, quam Graeci σωρίτην adpellant, eamque ita deſcribit, *quod ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputatio ad ea, quae euidenter falſa ſunt, perducatur.* Quam definitionem Iuliano ſublegit Vlpianus in *l.* 177. *D. de verbor. ſignif.* quippe multo adcuratiorem atque euidentiorem, quam illa Cornuti, ſcholiaſtae Perſii, *ad Sat. VI. v.* 80. *Chryſippus, philoſophus Stoicus, ſyllogiſmum* σωρίτην *poſuit et vocauit, quem per adiectionem et detractionem ex acerui frumentarii ſimilitudine oſtendit:* quamuis ſimilem fere habeat Cicero *Acad. quaeſt. lib. IIII. cap.* 16. Equidem non ideo laudandus eſt Iulianus, quod illud cauillandi genus perſpectum

BIU Cujas

ctum habuit, multoque minus laude aliqua dignus videretur, si illo delectatus sit, vti permulti Stoici, quorum *nodos veternosissimi artificii* Seneca *Epist.* 82. *vitiosissimum argumentorum genus* Cicero *Acad. quaest. l. c. aceruos* Persius *Sat. VI. v.* 80. perstringunt. Sed illud cordati hominis argumentum est, quod homines his insidiosis interrogationibus parum adsuetos aduersus aliorum captiones praemuniuit, vt vere hic de eo repeti possint illa Persii:

Inuentus Chrysippe tui finitor acerui.

Nimirum soritica illa cauillatione id agebant sophistae, vt quaestiones ex quaestionibus nectendo, ex earumque solutione nouum quid adsumendo, respondentes, nihil tale suspicatos, ad absurdum perducerent; tale est exemplum apud Diogen. Laërt. *lib. VII. segm.* 82. quamuis ibi perperam tamquam exemplum ἐγκεκαλυμμένε proponatur: Οὐχὶ τὰ μὲν δύο ὀλίγα ἐστὶν; οὐχὶ δὲ καὶ τὰ τρία; οὐχὶ δὲ καὶ ταῦτα μέν; οὐχὶ δὲ καὶ τὰ τέσσαρα, καὶ οὕτω μέχρι τῶν δέκα· τὰ δὲ δύο ὀλίγα ἐστί, καὶ τὰ δέκα ἄρα: *nonne pauca duo sunt? nonne etiam tria? non ista quidem? nonne autem et quatuor, atque ita vsque ad decem? Duo autem pauca sunt, et decem igitur.* Quum vero et in iure ad interrogatiunculas omnia redirent, quoties acceptilatione, maxime Aquilliana, tollenda erat obligatio, adeoque subesset periculum, ne stipulator, qui acceptum rogabat, spondentem in errorem induceret caperetque turpiter: ipse eo remedio vsurus monet, quam captiosa sit illa σωρίτης, quantoque ὑσυχιασμῷ opus sit ad fugiendos interrogatiuncularum laqueos. Hanc enim veram esse fragmenti istius speciem, et de acceptilatione libro Digestorum LIIII. disseruisse Iulianum, adcurate, vt solet, demonstrauit Iac. Gothofredus in *Comment. ad regul. iur. pag.* 269. *sequ.* Ex eadem arte Iulianus didicerat tot regulas interpretandi, quales in *l.* 15. *D. de legib. l.* 64. *l.* 67. *D. de regul. iur.* et alibi passim, tamquam gemmulae quaedam micant. Denique arte hac praemunitus tam praeclare argumentatur, vt nesciam, an aeque solidas decisionum suarum rationes vllus veterum ICtorum dederit, ac Iulianus. Sane modo a pari, vt in *l.* 32. §. 1. *D. de legib. l.* 49. §. 2. *D. de recept. et qui arbitr. recep. l.* 6. *D. quib. mod. vsusfruct. vel vs. amitt. l.* 32. *D. de seruit. praedior. vrban.* modo a contrario, vt *l.* 32. §. 1. *D. de legib. l.* 25. *D. de seruit. praed.*

BIU Cujas

praed. ruſtic. modo a genere ad ſpeciem, vt in *l.* 26. *D de ſtatu homin.* ab antecedente ad conſequens, vt in *l.* 27. *D. de adopt. et emanc.* ab effectu ad cauſſam, *l.* 25. *D. de iudic. l.* 27. *D. eod. l.* 74. *§.* 2. *l.* 75. *D. eod. tit.* a toto ad partem, *l.* 34. *§. vlt. D. de vſufr.* a maiore ad minus, *l.* 3. *D. ſi vſusfr. pet.* a fine, *l.* 4. *D. eod. tit. l.* 19. *D. de reb. cred.* a definitione, *l.* 42. *D. ad leg. Aquill. l.* 40. *D. de noxal. action.* a cauſſa ad effectum, *l.* 51. *D. ad leg. Aquill.* ab abſurdo, *l. ead.* Phyſicam Iuliani obſeruationem iam ſupra vidimus ex *l.* 36. *D. de ſolution.* Nempe quum ibi inciderit in quaeſtionem, quam partem totius debiti petiti ſuam faciat filius eius, qui vxorem praegnantem reliquit? ad Vrſeii Ferocis deciſionem notauit: *verius eſt, me eam partem perdidiſſe, pro qua heres fuiſſem, antequam certum fuiſſet, neminem naſci, aut quartam partem, quia tres naſci potuerunt, aut ſextam, quia quinque.* Quumque non defuturos praeuideret, qui irrideant hanc deciſionem, nec putent fieri poſſe, vt tot liberi vno partu fundantur: addidit, et auctoritate phyſicorum, et illa rerum magiſtra, experientia, conſtare quinque poſſe naſci: *nam et Ariſtotelem ſcripſiſſe, quinque naſci poſſe, quia vuluae mulierum totidem receptacula habere poſſint, et eſſe mulierem Romae Alexandrinam ab Aegypto, quae quinque ſimul pepererit, et tum habuerit incolumes, idque et in Aegypto adfirmatum ſibi eſſe.* Locum Ariſtotelis de quinque vuluae receptaculis hodie non exſtare, plerique obſeruant: quin eum ſententiam illam, quam Iulianus illi tribuit, διὰ τοῦτο πλεῖω γενέσθαι διὰ τὸ τόπων πλῆθος καὶ πῶς κοτυληδόνας, ἐυχ ἓν ἔσας, *quod multi generentur, pro numero locorum et acetabulorum, quae vnum non ſunt*, explodere, eamque οὐδὲν εἶναι, *nihili eſſe*, putare ex *lib. IIII. de gener. animal. cap.* 4. animaduertimus. Nec *lib. VII. Hiſtor. anim. cap.* 4. vbi de numeroſo foetu humano ex inſtituto agit, de quinque iſtis vteri receptaculis quidquam legimus. Sed non eſt veriſimile, Iulianum perperam citare Ariſtotelem, virum honeſtiſſimum, et multa ſcripſit philoſophus, quae ad nos non peruenerunt, ceu videre eſt apud Fabric. *Biblioth. Graec. lib. III. cap.* 7. *pag.* 185. inter quae etiam ſunt ἀνατομῶν libri octo, et ἐκλογαὶ ἀνατομῶν ἁ, quorum meminit Diogen. Laërt. *lib. V. ſegm.* 25. in quibus forte talia lecta fuerint. Certe integrum fragmentorum Ariſtotelicorum, a Cicerone, Strabone, Plutarcho, Gellio, Galeno, Athenaeo, Sexto Empirico

BIU Cujas

pirico, aliisque seruatorum aceruum cumulauit Franc. Patricius *Discurs. Peripatet. tom. I. lib. VII. pag.* 74. *seqq.* quorum hodie nullum in operibus philosophi illius supereſt vestigium. Denique non ideo sibi parum constitit Aristoteles, si vno loco affirmauit, nasci posse quinque, quia totidem sint vteri receptacula, et tamen alibi illam receptaculorum multitudinem causam partus multiplicis negauit. Fieri enim potest, vt in aedibus, quia plura sunt cubicula, plures habitent, et tamen amplitudo illa non semper causa est, cur multis locentur, quod illi satis animaduertunt, qui ab eo, quod est ἐκ τῶν δυνάτων, non colligendum esse, rem vere exsistere, prudenter monent. Alia circa hunc locum nasci potest quaestio, puta an vera sint illa, quae de quinque vteri receptaculis vel cellulis obseruasse Aristotelem, Iulianus testatur? Quod vereor, ne plerique, qui nostris temporibus per sectionem in minutissimarum corporis humani partium conformationem oculis emissitiis inquisiuerunt, negaturi sint. Certiora sunt, quae de muliere Alexandrina quinque vno partu Hadriani temporibus enixa refert Iulianus. Idem enim Laelii fide refert Paullus, *l. 3. D. si pars heredit. pet.* Caius, *l. 7. D. de reb. dub.* immo et Phlegon in *Mirabil. cap.* 29. et Iul. Capitolin. *in Anton. Pio, cap. 9.* quamuis apud priorem pro Τραϊανὸς rescribendum esse Ἀδριανὸς, posteriorem autem rem per errorem ad Pii tempora referre, non abs re suspicetur Car. Hannib. Fabrotus *de numero puerperii exerc. II. pag.* 1175. *tom. IIII. Thesaur. iur. ciu.* vbi et alia huius foecunditatis exempla paene admiranda collegit, expenditque, quod et ante istum facere coeperat Rigaltius in *Obseru. ad Tertull. de anima, cap. 6. pag.* 81. De moralibus Iuliani sententiis non est, quod multa moneamus, quum de iis paullo post, vbi de secta philosophica, quam reliquis praetulerit, differendum, dicendi futura sit occasio. Et quis ignorat, tales sententias excidere etiam solere illis, qui numquam philosophiae sacris sunt initiati.

§. XVII.

Satius ergo, vti iam dixi, fuerit, de philosophiae secta, quam praecipue sibi sectandam existimauit Iulianus, dispicere, siquidem id scire quam maxime interest eorum, qui in iuris prudentiae

Salu. Iulianus Stoicus.

tiae adyta paullo altius penetrare cupiunt. Et Stoicam quidem sectam, quae teste Tacito *Annal. lib. XIIII. turbidos et negotiorum appetentes facere* videbatur, quam maxime placuisse ICtis iam in vulgus notum est, et quum ab aliis, tum potissimum ab Emundo Merillio *Obseru. III. cap.* 8. *sequ.* luculenter demonstratum est. Idem tamen et scrupulum nobis iniicere poterat Iulianum inter Stoicos referentibus. Nam *Obseru. lib. I. cap.* 20. *seqq.* inter dissidentes ICtorum scholas Proculeianos magis a partibus Stoicorum fuisse, quam Sabinianos, probat argumentis quam plurimis, quin Sabinianos in quibusdam saltem doctrinis magis academiam, quam porticum sequutos, loco non vno suspicatur. Vid. *Obseru. lib. I. cap.* 24. *lib. IIII. cap.* 40. et *comm. in Decision. Iustin.* 39. *n.* 4. Quae si vera sint, paullo alieniorem a *summa illa Stoicorum philosophia*, quam Marcianus vocat *l.* 2. *D. de legib.* fuisse oporteret Iulianum, Sabinianorum sua aetate coryphaeum et facile principem. Enimuero id fortassis numquam in mentem venit Merillio, neque ille, dum Proculeianos strictius inhaesisse scribit doctrinis Stoicis, ideo inter Sabinianos locum inter illos denegat, aut eos ideo Platonicos fuisse adseuerat, quia in alio philosophiae capite academicos sectati sint. Quamuis si vera fateamur, ne id quidem satis demonstrarit, totamque Merillii sententiam de proportione arithmetica Stoicis, et geometrica academicis gratiore, nullo idoneo fundamento niti recte ostenderit Gottfr. Mascou. *de sect. Sabin. et Procul. cap.* 6. *§.* 4. *pag.* 103. Sane vt Labeo pater, a quo deinde Proculeiani descendunt, ita et Ofilius, praeceptor Ateii Capitonis, qui Sabinianorum duxit familiam, Stoae fuit addictissimus, idque satis patet ex *l.* 21. *pr. D. de furt.* Quumque id veluti proprium haberent Sabiniani, vt non temere a maiorum traditis discederent, facile patet, posteros quoque non facile alia philosophiae principia admisisse, quam quae admiserant sectae auctores, id est Stoica. Sed obseruandum praecipue videtur, duorum generum fuisse philosophos Stoicos, eorumque alios a Fabiano apud Senec. *de breuit. vit. cap.* 10. recte dictos *cathedrarios*, alios *veros* et *antiquos*. Illi fere verborum subtilitatibus immersi, quidquid e Stoa erat, probabant, lingua, somno, cibo, habitu quoque, et reliqua vitae ratione Stoicam tristitiam praeferentes: hi insuper habitis subtilitatibus, damnataque omni adfectatione, tantum e philosophia petebant, quantum

BIU Cujas

tum satis videbatur ad componendam vitam, resque publice priuatimque cum laude gerendas. Quali Stoicorum albo si quis cum reliquorum Sabinianorum tum Iuliani nomen adscripserit, non errauerit profecto, meque sibi omnino habuerit adsentientem.

§. XVIII.

Et Stoicismi quidem vestigium non vnum in Iuliani fragmentis deprehendo. Primo enim, quum Stoici essent curiosi verborum aucupes, deque eorum origine, proprietatibus, reliquisque adfectionibus subtilius paene, quam ipsi grammatici disputarent: idem quibusdam locis feciſse video Iulianum. Sic in *l.* 51. *D. ad leg. Aquill.* quaestionem elegantem proponit, si ita vulneratus fuerit seruus, vt eo ictu certum sit, eum periturum, medio deinde tempore institutus sit heres, et postea ab alio ictus decesserit, an cum vtroque agi de occiso possit ex lege Aquillia? Ad eam soluendam, primo disquirit, quid sit occidere. *Occidisse*, inquit, *dicitur vulgo quidem, qui mortis causſam quolibet modo praebuit: sed lege Aquillia is demum teneri visus est, qui adhibita vi et quasi manu causſam mortis praebuisset, tracta videlicet interpretatione vocis a* CAEDENDO *et a* CAEDE. Deinde demum ad decisionem, elegantem profecto ac notabilem, sese accingit. Ita et *l.* 60. *D. de re iud.* explicat, quid sit *morbus sonticus*, nempe, *qui cuique rei agendae impedimento sit*; non vti apud Gell. *Noct. Attic. lib. XX. cap.* 1. Caecilius et Cassius apud Venuleium in *l. vlt. D. de edict. aedilit.* existimat, *morbus grauior, et vim grauiter nocendi habens.* Recte enim peritissimus harum rerum Menagius in *Amoenit. iur. ciu. cap.* 39. *sonticus morbus*, inquit, *dictus est non ab eo, quod vim nocendi habeat, sed quod iustam legitimamque causſam adferat, vt ne quis in iudicio sisti possit. Est enim* sons αἰτίαν τινὸς ἔχων, vel αἴτιος. *Glossae veteres: Sontes* αἴτιοι, ὑπεύθυνοι, βλαβερεῖ. Hoc vero posito porro colligit Iulianus, febrim quoque morbum sonticum esse, adeoque litigatore ob febrim discedente, iudicem iure pronunciare non potuisse. *Litiganti enim quid magis impedimento est, quam motus corporis contra naturam, quem febrem adpellant?* Vbi et febris habes descriptionem. Ne vero cuiusuis febriculae obtentu iudicium defugere aut deserere vadimonium liceat, statim subiungit: *potest tamen dici, esse aliquam et febrium differen-*

Doctrinae Stoicae in Iuliani fragmentis vestigia.

rentiam. Nam si quis sanus alias ac robustus tempore iudicandi leuissima febre correptus fuerit, aut si quis tam veterem quartanam habeat, vt in ea omnibus negotiis superesse soleat: poterit dici, morbum sonticum non habere. Qua in re consentientem habet Hippocratem Ἐπιδημ. *lib. I. sect. 3. segm.* 15. febrem quartanam vocantem ἀσφαλέστατον πάντων πυρετῶν, καὶ ῥᾴιστον, καὶ μακρότατον, *febrium omnium securissimam et facillimam, et longissimam.* Non minore diligentia Iulianus noster disquirit, quid sit noxa, *l.* 200. *D. de verb. sign.* quid adpellatione filii et filiisfamilias contineatur, *l.* 201. *D. eod.* (vbi simul *adpellationis a nomine* distinctio plane Stoica, quam iam obseruauit Priscian. *lib. II.* apud Putsch. *pag.* 574.) quid denique sint dolia vinaria, et feriae, amphorae. *l.* 206. *D. eod.* Omitto alia huius generis quam plurima, et id tantum obseruo, Iulianum passim immiscuisse breues ac generales iuris regulas, et in eo quoque imitatum esse Stoicos, qui vel ideo maximi faciebant Zenonem suum, quod omnia regulis atque axiomatibus breuissimis esset complexus. Hinc Arrian. *Diss. Epictet. I. cap.* 20. Τί οὖν ἐλπίζεις; ὅτι τὴν μεγίστην τέχνην ἀπὸ ὀλίγων ἐξὶν ἀναλαβεῖν· καὶ τοί αὐτὸς μὲν ὁ προηγούμενος λόγος τῶν φιλοσόφων, λίαν ἐξὶν ὀλίγος. εἰ θέλεις γνῶναι, ἀναγνῶθι τὰ Ζήνωνος, καὶ ὄψει· *quid ergo speras? maximam scilicet artem te paucis complecti posse? Enimuero primitiae, et tamquam summa capita rationum pauca traduntur a philosophis. Si cognoscere cupis, lege Zenonis scripta, et videbis.* Tales regulas iuridicis etiam libris quamplurimas immiscuit Iulianus, e. g. *in his, quae contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris. l.* 15. *D. de legib. Qui in vtero sunt, in toto paene iure ciuili intelliguntur in rerum natura esse. l.* 26. *D. de stat. hom. Defensor, quum satis dedit, domini loco habendus est, l.* 76. *D. de procur.* et sexcenta huiusmodi, quae exscribere taediosum esset, maxime quum iuris studioso diligentem hic operam nauarit Iac. Gothofred. in *Manuali iur. pag.* 91. *seqq.* Consultius itaque fuerit, quid in rebus ipsis Stoae debuerit Iulianus noster, paucis explicare. Huc quidem prae ceteris refero, quae philosophatur de materia aliena in *l.* 61. *D. de rei vind.* Nimirum Minicius interrogatus, si quis nauem suam aliena materia refeciisset, num nihilominus eiusdem nauis maneret? respondit, manere. At Iulianus, quem ad Minicium notasse constat, addidit: *sed si in aedificanda ea idem fecisset,*

BIU Cujas

ciſſet, *non poſſe* nauem aedificantis manere, *quia proprietas totius nauis carinae cauſſam ſequatur.* Elegans ſane deciſio, et quae vere Stoam redolet. Quamuis enim vulgo contendant, Stoicos formam praetuliſſe materiae, idque probent auctoritate Senecae *Epiſt.* 88. adpoſite ſcribentis: *ligna nihil naui conferunt, quamuis non fiat nauis ſine lignis, non eſt, inquam, cur aliquid putes eius adiutorio fieri, ſine quo non poteſt fieri*: vid. Merill. *Obſ. lib. I. cap.* 21. iidem tamen Stoici, et fluere omnia et adſidua deminutione atque adiectione eſſe, et neminem noſtrum eſſe mane, qui pridie fuerit, et quidquid videmus, currere cum tempore, nihilque ex his, quae videmus, manere ſtatuebant: Senec. *Epiſt.* 58. quocum coniungendi Stobaeus in *Eclog. phyſ. cap.* 21. *pag.* 37. Plutarchus *de comm. not. cap.* 39. M. Antonin. εἰς ἑαυτὸν *lib. II. cap.* 17. *lib.* 5. *cap.* 33. Iam ſi Socrates manet mane, qui pridie fuit, quamuis quod ad materiam, eiuſque particulas, attinet, non ſit idem, qui fuit pridie, conſequens ſane eſt, vt et Titii nauis maneat, cuius ante fuit, quamuis quod ad materiam, non ſit eadem, quae fuit ante, et quaedam Sempronii tabulae acceſſerint. Atque ita quaeſtionem ſecundum Stoicos recte decidit Minicius. At non minus Stoica eſt Iuliani adnotatio. Non omnes enim Senecae ſententiam de forma, quam *Epiſt.* 88. obiter protulit, ſequebantur, ſed diſtinguere ſolebant formam externam ab interiore, illamque plane nihil circa rem mutare contendebant. Eleganter Arrianus *Diſſ. Epictet. IIII. cap.* 5. Μὴ γὰρ ἐκ ψιλῆς μορφῆς κρίνεται τῶν ὄντων ἕκαστον· ἐπεὶ οὕτω λέγε καὶ τὸ κήρινον μῆλον εἶναι, καὶ ὀδμὴν ἔχειν αὐτὸ δὲ, καὶ γεῦσιν· οὐκ ἀρκεῖ δὲ ἡ ἐκτὸς περιγραφὴ οὐδὲ πρὸς τὸν ἄνθρωπον ἡ ῥὶς ἐξαρκεῖ, καὶ οἱ ὀφθαλμοί: *quaeque enim res ex ſola figura non eſt iudicanda, alioqui et ceream maſſam dic eſſe pomum; dic habere pomi odorem eſt guſtum. Neque vero externa figura et circumſcriptio ſatis eſt: neque ad hominem conſtituendum naſus et oculi ſufficiunt, ſed decreta humana requiruntur.* Si itaque verum eſt, nullum ens e forma et figura externa iudicari: non potuit ſane non colligere Iulianus, dominium nauis non adquirere, qui ex alienis lignis eam de nouo fabricarit. Si porro et id ad Stoicorum pertinet doctrinas, quod in dubio libertatibus fauendum ſit, quod viſum Merillio *Obſ. lib. I. cap.* 15. inde quoque certo colligere licebit,

bit, Iulianum Stoae debere humanitatem illam, qua commotus in dubio pro libertate pronunciare non dubitauit. Nam *l.* 30. *D. de liber. cauſſ.* quaeſtionem mouet, quid iuris ſit, ſi duobus petentibus hominem in ſeruitutem pro parte dimidia ſeparatim, vno iudicio liber, altero ſeruus iudicatus ſit? Videbatur ſane ſeruus duci poſſe ab eo actore, ſecundum quem fuerat iudicatum, partim, quod alteri, qui ſuccubuerat, nihil in eo iuris eſſet, partim, quod ita ſenſiſſent Sabinus et Caſſius, quibus Iulianus ex ſectae formula alioquin fere ſemper adſtipulabatur. Nihilominus tamen ille ſubductis rationibus *commodius eſſe* adfirmat, *fauore libertatis, liberum quidem eum eſſe, compelli autem pretii ſui partem, viri boni arbitratu, victori ſuo praeſtare.*

§. XVIIII.

An et ſubtilitatum Stoicarum curioſus er?

Sed pigebit fortaſſis, triſtibus illis ac ſeuerioribus Stoicorum praeceptis immorari diutius, nec dubito, quin ipſum Stoae vocabulum lectori taedium aliquod mouere poſſit, ob ſubtilitates innumeras, quibus ſuperſtitioſa illa philoſophorum familia ſeſe oblectaſſe dicitur. Sed ſalua res eſt. E media Stoicorum turba prodiſſe nouimus viros cordatos et prudentes, quibus illae λεπτολογίαι et triſtes ineptiae nihil ad componendum animum profuturae, quam maxime ſordebant, quales in primis ſunt Seneca *Epiſt.* 45. 48. 49. 88. 106. 111. Arrian. *Diſſ. Epict. II.* 19. et M. Antoninus, qui *lib. I.* §. 17. ſe vel eo nomine Deo immortales debere gratias profitetur, ὅπως ἐπεθύμησε φιλοσοφίας, μὴ ἐμπεσεῖν εἴς τινα σοφιστὴν, μηδὲ ἀποκαθῆσαι ἐπὶ τὰς συγγραφὰς, ἢ συλλογισμοὺς ἀναλύειν, ἢ περὶ τὰ μετεωρολογικὰ καταγίνεσθαι, *quod quum philoſophandi cupiditas inceſſiſſet, non in ſophiſtam aliquem inciderit, nec commentariis euoluendis vel ſyllogiſmis reſoluendis, vel meteorologicis diſcutiendis tempus deſes contriuerit.* Talem profecto animum et Iuliano Deus dederat, non doctas nugas et ineptias, tamquam muſcas, captantem, non eorum cupidum, quae ipſa ſubtilitate ſua admirationi eſſent, ſed ſectantem vtilia, et vitae potius, quam famae profutura. Exemplis vt rem illuſtremus, iam ſupra ex *l.* 51. *D. ad leg. Aquill.* vidimus quaeſtionem de ſeruo ab vno ita vulnerato, vt eo ictu certum eſſet eum periturum, poſtea herede inſtituto, ac demum ab alio occiſo. Dubitabatur, an cum vtroque de occiſo agi poſſit ex lege Aquillia? Adfirmat Iulianus, ſed ita, vt aeſti-

BIU Cujas

aestimatio peremti non eadem in vtriusque persona fiat, sed qui prior vulnerarit, tantum praestet, quanto in anno proximo homo plurimi fuerit, repetitis ex die vulneris trecentis sexaginta quinque diebus; posterior in id teneatur, quanti homo plurimi venire potuerit in anno proximo, quo vita excessit, in quo pretium quoque hereditatis futurum sit. Mirum videri poterat, eiusdem serui occisi nomine ab alio maiorem, ab alio minorem praestari aestimationem: sed iste hoc non ait mirandum, quia vterque eorum ex diuersa caussa et diuersis temporibus occidisse hominem intelligatur: simulque addit: *quod si quis absurde a nobis haec constitui putauerit, cogitet, longe absurdius constitui, neutrum lege Aquillia teneri, aut alterum potius, quum neque impunita maleficia esse oporteat, nec facile constitui possit, vter potius teneatur. Multa autem iure ciuili contra* RATIONEM DISPVTANDI *pro vtilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest. Vnum interim posuisse contentus ero. Quum plures trabem alienam, furandi caussa, sustulerint, quam singuli ferre non possent, furti actione omnes teneri existimantur, quamuis* SVBTILI RATIONE *dici possit, neminem eorum teneri, quia neminem verum sit, eam sustulisse.* Similem se praestat Iulianus in *l.* 20. *D. de reb. cred.* vbi quaestio est, si tibi pecuniam donassem, vt tu mihi eamdem crederes, an credita fiat? Respondet, talem contractum neque donationem esse, neque pecuniam creditam: donationem non esse, quia non ea mente pecunia data sit, vt omni modo penes accipientem maneret: creditam non esse, quia exsoluendi caussa magis daretur, quam alterum obligandi. Sed quamuis ita se res habeat, si ad viuum omnia resecare velis: subtiliora tamen haec visa sunt Iuliano, quam vt in iis adquiesceret. Et hinc statim subiicit: *sed haec intelligenda sunt propter* SVBTILITATEM VERBORVM: *benignius tamen est, vtrumque*, (donationem et mutui dationem,) *valere.* Eodem denique pertinet species elegantissima in *l.* 13. *pr. D. de lib. et posthum.* Quum enim in testamento scriptum esset: SI FILIVS MIHI NATVS FVERIT, EX BESSE HERES ESTO, EX RELIQVA PARTE VXOR MEA HERES ESTO. SI VERO FILIA MIHI NATA FVERIT, EX TRIENTE HERES ESTO, EX RELIQVA PARTE VXOR HERES ESTO, ac deinde filius et filia nascerentur: querebatur, quomodo as esset distribuendus? Ruptum videri potuisset testamentum agnatione postumi vel postumae: at Iulianus in septem

BIU Cujas

tem partes assem distribuendum putauit, ita, vt ex his filius quatuor, vxor duas, filia vnam partem haberet, quia ita secundum voluntatem testantis filius altero tanto amplius habiturus esset, quam vxor, et haec altero tanto amplius, quam filia. Denique addit: *licet enim* SVBTILI IVRIS REGVLAE *conueniebat, ruptum fieri testamentum: attamen quum ex vtroque nato testator voluerit vxorem aliquid habere, ideo ad huiusmodi sententiam humanitate suggerente decursum est. Quod etiam Iuuentio Celso apertissime placuit.* Tam parum Iulianus subtilitates curabat, quibus alioquin magnopere delectabantur Stoici, vt de eo vere dicere possis, quod de C. Aquillio Gallo praedicabat Cicero pro *A. Caecina cap. 27. eum iuris ciuilis rationem numquam ab aequitate seiunxisse.*

§. XX.

Eius iuris prudentia legislatoria.

Tanta variae doctrinae praesidia sibi iuuenis pepererat Iulianus, cuius in eo quoque insignis prudentia eluxit, quod in his προπαιδεύμασι non adquieuit, sed ad sublimiora et rei publicae magis profutura adspirauit, id est, ad iuris prudentiam, quae tum plurimum in ciuitate laudis et gratiae habebat, et ad maiora nitentibus decus ac robur erat. Quantum in ea profecerit, ex ipsis eius fragmentis facile intelligitur. Sane quum, vt recte animaduertit Aristot. *ad Nicom. lib. VI. cap. 8. sequ.* trium generum sit omnis prudentia, adeoque et illa, quae in iure versatur, νομοθετική, *legislatoria*, βουλευτική *consultatrix*, καὶ δικαστική, seu *iudicialis*: reliqui seu ICti id quod in arte summum est, consequuti sibi videbantur, si in vna aut altera harum facultatum excellerent, Iulianus vero vasto ingenio omnes ita complexus erat, vt dubitem, an ea in re parem inter antiquos habuerit. Et νομοθετικῆς quidem iuris prudentiae, nullum certius argumentum proferri potest, quam quod inter tot praestantissima, quae tum illuxerant, ingenia, ipse potissimum electus sit, cui condendi edicti perpetui negotium daretur, quippe τῷ πάντων τῶν ἐν νομοθέταις εὐδοκιμηκότων σοφωτάτῳ, *omnium iurisconditorum qui olim fuerunt, prudentissimo*, vti vocatur in *Const. tanta* §. 18. Sed de hoc edicto ab eo condito paullo ante iam actum adcuratius. Nec minus iuris prudentiae legislatoriae laudem tuitu- est, reddito edicto DE CONIVNGENDIS CVM EMANCIPATO LIBERIS EIVS. Id enim a Iuliano introductum esse, testatur Marcel-

BIU Cujas

cellus in *l. 3. D. de coniung. cum emancip. lib.* Notum est, iure veteri decemuirali patri succedere non potuisse nisi suos, nec vllam hereditatis partem ad emancipatos peruenisse, quippe qui non amplius erant pars familiae. Quum vero tristius videretur, omni iure sanguinis ideo tantum excidere liberos, quod e patria potestate essent dimissi: praetor testamento praeteritis dederat bonorum possessionem contra tabulas, patre vero intestato mortuo, eosdem vocabat ex edicto: VNDE LIBERI. Sed ita saepius eueniebat, vt, si quis filium emancipasset, nepotesque ex eo retinuisset in potestate, illo petente bonorum possessionem, vel hi totius hereditatis auitae iacturam facerent, vel patri, quo minus consequeretur hoc beneficium, impedimento essent. Huic incommodo vero primus remedium inuenit Saluius Iulianus, edicto illo cauens, vt liberi cum emancipato coniungerentur, et hic acciperet dimidiam, reliquam liberi eius, hisque ille dumtaxat bona sua conferret. Ita neutris fiebat iniuria, et *neque emancipatus solus veniebat, et excludebat nepotes in potestate manentes, neque nepotes iure potestatis obiiciebantur patri suo*, quo argumento huius edicti aequitatem quam maxime commendat Vlpianus, *l. 1. §. 1. D. de coni. cum emanc. liber.* Paullo magis incertum, an et Saluianum interdictum huc referre liceat, tamquam prudentiae legislatoriae argumentum. Illud enim Saluio Iuliano tribuunt viri doctissimi, Ant. Augustin. *de nom. prop. Pand. cap. 4. pag. 331.* Cuiac. *in Paratitl. Dig. lib. XXXXIII. tit. vlt.* et, qui hos duumuiros sequuti sunt, innumeri alii. At in dubium id vocarunt Bachouius *ad Treutl. Voll. II. disp. 25. th. 2. litt. d.* et *de pignor. lib. III. cap. 20.* Hub. Giphan. in *Comment. ad §. 3. Inst. de interd.* nouisque vsus argumentis Corn. van Bynkersh. *Obs. lib. I. cap. 24.* Et sane vix probabile est, Iulianum, in quo alibi pellucent modestiae argumenta, tam arrogantis ingenii fuisse, vt non contentus, reperisse interdictum, et nomen illi suum imposuisset, et ita edicto voluisset insertum. Eo vero nomine id interpretatos esse Vlpianum et Paullum in *Commentariis ad edictum* ex *l. 2. §. 3. D. de interdict. l. 1. §. 1. et l. 2. D. de Saluian. interd.* satis intelligitur, nec vsquam aliud eius interdicti occurrit nomen. Deinde ipse Iulianus, interpretaturus hoc interdictum, Saluianum illud vocat, idque simpliciter sine vlla nota, qua se auctorem prodat. Denique quum ipse Iulianus ibi distinguat

BIU Cujas

casus, quibus directum et vtile hoc interdictum competat: vix excogitari posse rationem existimat Bynkershoekius, cur non et vtile hoc interdictum directum fuerit, sed sua ipsius interpretatione ostendere voluerit, se edictum illud anguste nimis concepisse. Haec vir illustris, quae postea diluere voluit Waechtlerus *in Actis erud. Lipsi. a.* 1716. *pag.* 264. Existimat enim, nullam prodere Iuliani arrogantiam, si interdictum a se inuentum, et ab aliis ita dictum eodem nomine citet, nec in tota *l.* 1. *D. de Salu. interd.* quidquam occurrere, quod non salua modestia scribere potuerit Iulianus: denique numquam vel praetorem vel legislatorem vllum fuisse, qui omnes causas casusque, quibus locum habeant, expresserit, nec ipsum Deum, qui solus poterat eas species omnes praeuidere, in legibus suis ita nobiscum loqui. Sed tamen, si vel ea omnia largiamur, incertum manet, auctorem huius interdicti esse Saluium Iulianum, quia id nemo veterum dixit, et plures cum ante Hadriani tempora, tum sub illo e gente Saluia honoribus functi sint amplissimis, quorum vnum aliquem interdicti istius auctorem aeque esse posse, ac Iulianum nostrum, nemo dubitauerit. Itaque hic ἀπέχειν malumus, quam ICto nostro aliquid tribuere, quod an ipse, si viueret, agniturus sit, pro certo adfirmare non liceat.

§. XXI.

Itemque consultatoria,

Nec miror eius prudentia in consulendo cauendoque illuxit, quippe qua maximam sibi laudem peperisse, aditumque ad summos honores recluisse videtur. Notum est, ab Augusti temporibus non promiscue omnibus, quibus studiorum fiducia erat, de iure respondendi facultatem fuisse, sed id pro beneficio peti solitum ab imperatoribus, donec Hadrianus rogatus, a viris praetoriis, vt sibi respondere liceret, rescripsit, *hoc non peti, sed praestari solere, et ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praepararet. l.* 2. §. 47. *D. de orig. iur.* §. 8. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* Existimant plerique viri docti, eam ICtis facultatem ab Hadriano redditam esse demum condito edicto perpetuo, quod in medio relinquimus, non abs re tamen existimantes, ex eo tempore saltim senatui studia sua probare debuisse illos, qui de iure responsuri essent ea auctoritate, vt non liceret iudicibus ab eorum sententia discedere, et

BIU Cujas

et eatenus veri quid ineſſe verbis Theophili, *in Paraphr. §. 8. Inſt. de iur. nat. gent. et ciu.* ſcribentis, ICtos eſſe σοφὸς, οἷς τὸ νομοθετεῖν ἡ σύγκλητος ἢ βασιλεὺς ἐπέτρεψε, *quibus iura condere aut ſenatus, aut princeps conceſſit.* Nam quod ipſe addidit, ἢ δημὸς, *aut populus*, plane non quadrat temporibus illis, quibus imperatores rerum potiebantur. Vtcumque ſe res habeat, talem ſane ICtum a ſenatu probatum fuiſſe nouimus Saluium Iulianum, de quo Spartian. in *Hadrian. cap.* 18. *quum iudicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos, aut comites ſolum, ſed ICtos, et praecipue Iuuentium Celſum, Saluium Iulianum, Neratium Priſcum, alioſque, quos tamen* SENATVS *omnes* PROBASSET. Hoc ergo fretus ſuffragio de iure reſpondit non modo principi, cauſſas cognoſcenti, vt ex hoc Spartiani loco patet, ſed et quibuſdam praetoribus ſe conſulentibus, *l. 5. D. de manumiſſ. vind.* Quieto cuidam, *l. 30. D. de vulg. et pupill. ſubſt.* et in primis Saluio Ariſtoni, *l. 6. D. de legat. praeſt.* quem cur a Tito Ariſtone, quem Plinius *lib. I. epiſt.* 22. tam magnifice laudat, diuerſum ſtatuere, vel cum Bertrando *de iuriſper. lib. I. cap.* 1. Ariſtonem illum pro reſpondente, Iulianum pro conſultore habere velimus, ego quidem non video. Reſponſa praeterea eius fere omnia, quae ſuperſunt, non ſunt de ſpeciebus leuibus ac vulgaribus, quales illa apud Martialem de tribus capellis, ſed de difficillimis, quas omnes ita ſoluit, vt fere ſemper eius ſententiae adſtipulentur reliqui eorum temporum ICti. Citatur ſane ſaepiſſime Iulianus ab Vlpiano, Paullo, Marciano, Marcello, Hermogeniano, Pomponio, Caio, Modeſtino, Papiniano, Aburnio Valente, Calliſtrato, Terentio Clemente, Africano, Venuleio, Licinio Ruffino, Scaeuola, et Valente, ſed ita, vt rarius ab eo horum vllus diſſentiat, ſi a Marciano diſceſſeris. Hinc ſaepe legas: *recte Iulianus putauit, l. 94. D. de legat. 2. recepta eſt Iuliani ſententia l. 29. §. 16. D. de lib. et poſtum. hoc autem, quod ſentimus, Iulianus quoque probat, l. 48. §. 1. D. de vulg. et pupill. ſubſtit. l. 62. §. 1. D. de rei vindic. l. 3. D. de except. rei iudic. Merito Iulianus reſpondit, l. 19. D. de vi et vi arm. Iulianus ait, l. 23. D. de reb. cred. eleganter ait, l. 2. §. 5. D. de iudic. ſcribit Iulianus, l. 33. §. 1. D. de vſufruct. l. 2. D. de iudic. l. 35. §. 2. D. de procur. recte ſcribit Iulianus, l. 21. §. 9. D. de recept. et qui arbitr. l. 39. §. 1. D. de rei vindic. id maxime conſequens eſt ei ſententiae, quam Iulianus probauit, l. 38. D. de condict. indeb. ſemper probaui Iuliani ſententiam, l. 45.*

BIU Cujas

D. de act. emt. et vend. et ego didici, et Iulianus existimat, l. 5. D. de oper. seru. Iulianus respondit, l. 33. D. de minor. l. 19. D. de dol. mal. l. 72. D. de hered. instit. hoc ita interpretari Iulianus noster videtur, l. 6. D. de vulg. et pupill. substit. Iuliani sententia est, l. 34. D. de pact. plerique Iuliani sententiam probant, l. 8. §. 2. D. de in ius voc. placet nobis Iuliani sententia. l. 6. D. de his, qui sui vel alien. iur. quae sententia Iuliani habet rationem, l. 2. §. 1. D. de noxal. act. quae sententia Iuliani vera est, l. 9. §. 4. D. de Public. in rem act. l. 1. §. 33. D. depos. l. 11. §. 16. D. de act emt. l. 29. D. de vsufr. verum est, quod Iuliano placet, l. 28. D. de pact. idque et Iulianus sentit, l. 35. D. de recept. arbitr. Iulianus ait, et ita vtimur, l. 5. §. 9. D de iur. dot. Iulianus scribit, et ita saepius est constitutum, l. 3. §. 1. D. de SC. Macedon. Et Iulianus scribit, et alii plerique consentiunt, l. 10. §. 2. D. de pact. ita et Iuliano, et multis aliis visum, l. 19. §. 4. D. de iudic. est verius, quod Iulianus scripsit, l. 6. princ. D. de tutor. Iuliani sententia humanior est, l. 23. §. 8. D. de aedil. edict. l. 2. §. 1. D. de vsufr. puto secundum Iulianum debere dici. l. 8. §. 3. D. de negot. gest. et similes. Deserunt aliquando Iuliani sententiam Vlpianus, Paullus, sed rarius, et vt plerumque illius dicta magis explicent, vel adhibita distinctione vindicent, quam refellant. Acerrimum censorem eius scripta inuenere Vlpium Marcellum : sed et ipse tamen aliquando Iuliani sententiam adprobat, veluti in *l. 12. D. de auctorit. et consut. l. 41. D. quib. ex causs. mai.* aliquando, quae de vna specie dixerat ICtus, ad alias profert, vti *l. 16. D. de pecul. l. 82. §. 3. D. de legat. 1. l. 27. §. 6. 7. 11. D. ad SC. Trebell.* aliquando, distinctione adhibita, decisionem eius restringit, *l. 8. §. 2. D. de SC. Vellei. l. 13. D. de mort. causs. donat. l. 40. D. de adquir. vel omitt. hered. l. 74. D. de iudic. l. 22. §. 5. D. rat. rem. hab.* Quin immo est, vbi, ne nihil dixisse videatur, nodum in scirpo quaerit, eademque, quae recte dixerat Iulianus, aliis dumtaxat verbis eloquitur, vt ne dissentire quidem illum, adpareat. *l. 23. D. de act. emt.* Notum quoque est, ipsos imperatores in constitutionibus suis plerumque confirmasse, et reliquis praetulisse, Iuliani sententiam, ac proinde saepe nos legimus, secundum Iuliani sententiam esse constitutum, *l. 3. §. 1. D. de SC. Macedon. §. 5. Inst. de susp. tutor.* et etiamnum exstant principum constitutiones, quibus plerumque Iuliani sententia probatur, veluti *l. 24. C. de negot. gest. l. 15. C. de vsufr. l. 10. C. de con-*

dict.

BIU Cujas

dict. indeb. §. 8. *Inst. de nupt.* §. 2. *Inst. de adsignat. libert.* §. 2. *de obl. quae quasi ex del. Nouell.* LXXXVII. *pr.* Denique nec id videtur omittendum, Theodosium et Valentinianum imperatores, quando ICtorum quorumdam voluminibus auctoritatem in foro summam tribuunt, in primo quidem ordine posuisse Papiniani, Paulli, Caii, Vlpiani, et Modestini scripta vniuersa: at iis tamen adiunxisse Scaeuolam, Sabinum, et IVLIANVM nostrum, quorum tractatus atque sententias illi quinque viri suis operibus miscuerint: *l. vn. C. Th. de respons. prudent.* non, quod minorem horum esse auctoritatem voluerint, si ex integris eorum operibus quidquam in foro citaretur, sed *quia*, quod recte vidit Anianus, *illi in suis corporibus non inueniebantur, sed in praefatorum opere tenebantur inserti.* Quamuis enim Iac. Gothofredus in *Comment. ad Cod. Theod. tom. I. pag.* 33. ICtorum istorum scripta in occidente tantum, et regno Tholosano, non autem in oriente, intercidisse, recte obseruat, siquidem multo post et a principe Arcadio citantur *l. 3. C. Th. de testam.* et a Triboniano inde Digesta locis quam plurimis locupletata sunt. At parum obest, vt quod ad forensem vsum intercidisse dicantur libri, qui se in oriente quoque ita hominum oculis subduxerant, vt vix millesimus eorum partem viderit, quosque ideo ipse Iustinianus in §. 17. *Const. tanta de conf. Dig.* vocat βιβλία σπάνια, καὶ μόλις ἐξευρημένα, καὶ ὧν ὐδὲ τὰς ὑποσημειώσεις οἱ πολλοὶ καὶ τῶν σφόδρα εὐδοκιμούντων ἐπὶ νόμοις ἐγίνωσκον, *libros raros, et qui vix inueniri potuerint, quin quorum paene titulorum etiam viri in iuris prudentia celeberrimi habuerit notitiam.*

§. XXII.

Denique quin et iuris prudentiae δικαστικῆς complura speci- et iudi-
mina dederit vir prudentissimus, qui et tot magistratus gessit, et cialis.
ipsi principi, cognoscenti, in consilio fuit, nemo temere, vt opinor, dubitauerit. Vnde id modo obseruare iuuat, eum passim libris suis miscere quaedam admonitoria, quae aliis iudicaturis vsui futura existimabat. Ita, quum saepe principes eos, qui suam opem implorabant, ad praesides prouinciarum remitterent, et hi deinde ambigerent, ipsine tunc cognoscere deberent, an iudicem dare possent; hunc illis scrupulum exemit Iulianus, *l.* 8. *D. de offic. praes.* vbi *saepe se audiuisse* ait *Caesarem dicentem, hac rescriptione*: EVM, QVI PROVINCIAE PRAEEST, ADIRE POTES, *non imponi necessitatem proconsuli vel legato eius, vel praesidi*

BIU Cujas

ſidi prouinciae ſuſcipiendae cognitionis, ſed eum aeſtimare debere; ipſe cognoſcere, an iudicem dare debeat. Si nimirum erat cauſſa extraordinariae cognitionis, eam tunc praeſidem ipſum cognoſcere oportebat: ſin ordinariae, iudicem dari erat conueniens, neque licebat praeſidi, illam eo obtentu, quod actor praeſidem adire iuſſus ſit, ad ſuum tribunal trahere, vt pluribus oſtendit ICtus eximius Ger. Noodt, *de iuriſdict. lib. I. cap.* 7. *pag.* 100. *ſeqq.* Alio loco, puta *l.* 32. *D. de legib.* oſtendit, quam normam iudices in pronunciando tenere oporteat, ſimulque in dubio ius, quo vrbs Roma vtitur, ſeruari debere, ſuadet, quod et Iuſtinianus deinde obſeruari praecepit circa conſuetudinem iudiciorum Conſtantinopolitanorum in §. *vlt. Inſt. de ſatiſdat.* Sed id quidem de moribus vere receptis tacito conſenſu principum intelligendum. Alioquin enim quod contra rationem iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentiam, *l.* 14. *D. de legib.* et iam Proculus, *l.* 12. *D. de off. praeſ.* recte monuit, non tam ſpectandum eſſe praeſidi, quid Romae factum ſit, quam quid fieri debuerit. Elegantiſſima quoque eſt illa Iuliani *rabula* in *l.* 21. *D. de reb. cred.* ex qua denuo adparet, illum aequitatem magis, quam ius ſtrictum iudicantibus commendaſſe. Quaerebatur inter veteres, an, qui decem petat, oblata ſibi quinque, et qui fundum petit, oblatam partem accipere, reliqua iudicio perſequi cogendus ſit? Erant, qui negarent actorem ad id compelli poſſe. At Iuliano, aequitatis ſtudioſiſſimo, *in vtraque cauſſa humanius facturus videtur praetor, ſi actorem compulerit ad accipiendum id, quod offeratur, quum* AD EIVS OFFICIVM PERTINEAT, LITES DEMINVERE. Diuina vox, cedroque digna, quam vtinam ſemper alta mente repoſitam haberent iudices, in id ſaepe vnice intenti, vt lites, quoad fieri poteſt, foueant, quin nouas ex vetuſtis ſerant, atque ita in turbido eo felicius piſcentur.

§. XXIII.

Salu. Iuliani inter ICtos auctoritas. Iulianus, Berytenſium anteceſſor, a noſtro diuerſus.

Ceterum incredibili illa, quam ſibi tot vigiliis pepererat, doctrina tantam non modo laudem, ſed gloriam conſequutus eſt, vt omnium fere conſenſione ICtorum ſuae aetatis coryphaeus putaretur. Argumento ſunt tot elogia, quibus eum tamquam ex compacto ornant, quotquot eius in ſcriptis ſuis faciunt mentionem. Spartianus in *Vita Did. Iuliani*, *cap.* 1. eum vocat *bis conſulem, praefectum vrbi, et* IVRISCONSVLTVM, *quod magis eum nobilem*

BIU Cujas

nobilem fecit, adeoque maiorem eum sibi celebritatem insigni illa iuris peritia, quam tot eminentissimis, quibus functus est, honoribus, comparasse, innuit. Iustinianus eum alibi vocat κεφαλὸν, *Const. dedit nobis Deus*, §. 18. *de conf. Digest.* quo vocabulo eos, qui honoribus maximis functi fuerant, compellari solitos, ostendit Menag. in *Amoenit. iur. ciu. cap.* 24. et iam ante illum Erasm. Schmiedius *ad Luc. I.* 2. alibi eum laudat, tamquam legum et edicti perpetui subtilissimum conditorem, *Const. tanta* §. 18. *de conf. Digest.* alibi virum sapientissimum, *Nouell. LXXIIII. pr.* alibi summum auctorem iuris scientiae *l.* 15. *C. de vsufr. et hab.* alibi subtilissimum testem, summae auctoritatis hominem, et edicti perpetui ordinatorem. *l.* 10. *C. de cond. indeb.* Sed et ante Iustinianum eum Theod. et Valent. laudant, tamquam magnae existimationis virum et disertissimum iuris peritum. *l.* 5. *C. de bonis, quae liber.* Diui fratres tamquam iuris auctorem, amicum suum, et clarissimum virum. *l.* 17. *pr. D. de iure patron.* Ad eiusdem laudes Alciat. *Dispunct. lib. II. cap.* 27. et Io. Bertrand. *de iurisper. lib. I. cap.* 1. pertinere existimant epigramma Theaeteti *Anthol. IIII.* 1. 2.

Τὸν Ἰουλιανὸν νομικῆς φάος εἶπον ἰδοῦσαι
Ῥώμη καὶ Βερυτός, πάντα φύσις δύναται.

Hunc Iulianum, legitimae scientiae lumen, dixere videntes
Roma et Berytus, omnia natura potest.

Sed id quidem epigramma ad alium plane Iulianum, antecessorem Berytensem, et Iustiniano σύγχρονον, et Nouellarum Iustiniani interpretem referendum esse, iam pridem obseruarunt Pithoeus, Grotius, Fabrottus, et hic omnino conferendus Menag. in *Amoenit. iur. ciuil. cap.* 24. id quod facile etiam inde intelligere potuissent viri docti, quod Theaetetus Beroen vel Berytum (hanc enim vnam eamdemque vrbem esse ex Nonni Dionysiacis ostendit Ios. Scaliger *ad Euseb. Chron. pag.* 121.) Iuliani doctrinam stupuisse tradit, quum tamen ex sententia Io. Strauchii *de Beryto, cap.* 4. §. 15. saeculo demum tertio, vel, vt Hub. Giphanio videtur, a Seueri imp. temporibus florere coeperit schola iuridica, eamque adeo doctrina sua illustrare non potuerit Salu. Iulianus, Hadriani aequalis, et, quod caput rei est, non scholae, sed rei publicae natus, atque hinc dissimillimus

ante-

BIU Cujas

anteceſſoribus illis, quos, ex quo vetera illa iuris oracula conticuerant, in ſcholarum vmbra conſenuiſſe nouimus.

§. XXIIII.

Praeceptor Salu. Iuliani Priſcus Iauolenus. An is homo ineptus et ſtolidus?

Si quaeras, quem potiſſimum auctorem ducemque habuerit ad iuris prudentiam, ipſe Iulianus nos hoc ignorare non patitur, quippe qui in *l. 5. D. de manumiſſ. vind.* Iauolenum, *praeceptorem ſuum* grato animo adpellat, etiam vbi id factu minus neceſſarium videri potuiſſet. Accedit, quod et Pomponius *l. 2. §. vlt. D. de orig. iur.* vbi totam ſcholae Sabinianae ſucceſſionem deſcribit, diſerte docet, Ateio Capitoni Maſſurium Sabinum, huic C. Caſſium Longinum, huic porro Coelium Sabinum, ei Priſcum Iauolenum, ac huic demum Aburnum Valentem, et Tuſcianum, itemque SALVIVM IVLIANVM ſucceſſiſſe. Fuit ſane Priſcus ille Iauolenus vir maximae auctoritatis, ac, vt ex eius fragmentis patet, prudentiſſimus iuris, quin quem et honoribus ſummis functum, et aliquando Africae proconſulem fuiſſe, ex *d. l. 5. de manum. vind.* recte colligunt viri docti, et in his Grot. *de vit. ICtor. lib. II. cap. 2.* Et fortaſſis ille ipſe Africae proconſulatus Iuliano Afro occaſionem dederit, Iauoleni ſibi amicitiam conciliandi. Eius luminibus haud parum obſtruxiſſe quibuſdam videtur Plinius *lib. VI. epiſt. 15.* vbi non modo refert, cum Paſſienus Paullus elegos recitaret, et pro more coepiſſet dicere: PRISCE IVBES, eum ad hoc, quamuis Paullo amiciſſimum, reſpondiſſe: *ego vero non iubeo*: ſed et deinde hanc ſubiicit ὑπόνοιαν: *cogita, qui riſus hominum, qui ioci. Eſt omnino Priſcus dubiae ſanitatis: intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam ius ciuile publice reſpondet: quo magis, quod tunc fecit, et ridiculum et notabile fuit.* Parum ſane abeſt, quin hinc Priſcum illum Iauolenum tamquam emotae mentis ineptiſſimumque hominem nobis depingant, vti et Labeonem, quia de illo Horat. *Serm. I. 3. v. 80.*

Labeone inſanior inter
Sanos dicatur.

vel C. Trebatium Teſtam, quia cum illo paullo familiarius iocatur Cicero. Sed iniuria fit optimo ſeni, quem dum Plinius adhuc interfuiſſe officiis, adhibitum conſiliis, et ius ciuile publice reſpondiſſe, fatetur, ſatis probabile eſt, tam dubiae ſanitatis viſum non eſſe aliis, ac ſibi. Et quid, quaeſo, ſtolidum ineſt illis Iauoleni Priſci verbis a Plinio tantopere exagitatis? Inoleuerat

BIU Cujas

uerat tum ille mos ſua aliorumque ſcripta recitandi: inuitari ſolebant amici, vt adeſſent ſtultitiae teſtes, et plauſu ſuo finirent fabulam, id eſt, vt bonas horas recitatoris cauſſa perderent. Quam moleſtum illud pleriſque fuerit, maxime occupatioribus, facile eſt ad intelligendum, idque non tacet Iuuenalis, qui eleganter *Sat. I. v.* 2. ſe ait

Vexatum toties rauci Theſeide Codri:

additque:

Impune ergo mihi recitauerit ille togatas,
Hic elegos? impune diem conſumſerit ingens
Telephus, aut ſummi plena iam margine libri
Scriptus, et in tergo nec dum finitus Oreſtes?

ac demum *Sat. III. v.* 5. ſe iam vel Prochytam praeponere ſuburrae adfirmat:

Nam quid, inquit, *tam miſerum, tam ſolum vidimus, vt non*
Deterius credas, horrere incendia, lapſus
Tectorum adſiduos, ac mille pericula ſaeuae
Vrbis, et Auguſto recitamus menſe poëtas?

An ergo adeo ridiculum quid fuiſſe dixeris Iauolenum, dum amico, huic inſaniae dedito, et ſenem grauioribus diſtrictum negotiis auditorem adhibere non dubitauerat, illam ſtoliditatem lepide exprobrauit, et interroganti: PRISCE IVBES, reſpondit: *ego vero non iubeo.* Diſplicet hoc Plinio, in eodem luto cum Paſſieno haerenti, et *lib. I. epiſt.* 13. ſaeculo gratulanti illam recitationum frequentiam. At non ideo diſplicuiſſe ſenilem illam moroſitatem arbitror aliis, qui grauioribus intenti negotiis recitationes illas cum tanto temporis diſpendio coniunctas, parum curabant, quorumque tum plures fuiſſe nec ipſe Plinius diſſimulat, dum *lib. I. epiſt.* 13. conqueritur: *ad audiendum pigre coitur. Plerique in ſtationibus ſedent, tempuſque audiendis fabulis conterunt, ac ſubinde ſibi nunciari iubent, an iam recitator intrauerit, an dixerit praefationem, an ex magna parte euoluerit librum: tum demum, ac tunc quoque lenti cunctanterque veniunt: nec tamen permanent, ſed ante finem recedunt, alii diſſimulanter et furtim, alii ſimpliciter et libere.* Si ergo Iauolenus non aliud dedit dubiae ſanitatis argumentum, quam quod recitaturo amico non ſupparaſitari voluit, ego quidem illum ideo inſanum non dixerim. Et fingamus, quaeſo, illi ſeni, et ſuſceptis pro re publica laboribus defeſſo, (talem enim illum tum fuiſſe, ipſe Plinius innuere videtur,

detur, vt manifesto erret Iul. Capitolinus, qui eum *in Anton. Pio cap.* 12. inter Pii consiliarios refert,) fingamus, inquam, ei iam annis graui accidisse, quod illi vitio datur apud Sophocl. in *Oedipo v.* 924.

Καὶ σ' ὁ πληθύνων χρόνος
Γέροντ' ὁμοῦ πίθησι καὶ τὸ νοῦν κενόν,
Et te ingraueſcens aetas
Senem ſimul facit, et mente deerrantem,

an inde sequitur, vt semper eum deliraſſe credere debeamus? Equidem saepe audiui illud Aristophanis *in Nubib. V. v.* 72. ὡς δὶς παῖδες οἱ γέροντες: at numquam, memini, quemquam existimare, semper pueros oportere senes fuisse, τοὺς φρένας νεαζόντους, vti mente hebescentes senes vocat Anacreon. Tot profecto ICtos eximios Iauolenum formasse non credibile est, si semper dubiae fuit sanitatis, saltim ex deliri hominis schola numquam prodiisset Saluius Iulianus, qui omnes aetatis suae prudentes longo post se interuallo reliquit.

§. XXV.

Condiſcipuli Iuliani, Ab. Valens, et Tuſcianus.

Nimirum praeter Saluium Iulianum, etiam Aburnum Valentem et Tuscianum inter Prisci Iauoleni successores refert Pomponius *l.* 2. *§. vlt. D. de orig. iur.* vt dubitari non possit, eos aut inter eius fuisse condiscipulos, aut certe ex eadem schola prodiisse. De Aburno Valente parum; de Tusciano fere nihil compertum habemus. Vtrum cum Aburno idem sit Saluius Valens, qui inter iurisperitos, quibus Antoninus Pius vsus est, recensetur a Iulio Capitol. *cap.* 12. an vero Saluius sit Iulianus noster, et ibi distinctio ponenda sit, pro certo non dixerim, quamuis posterius probabilius videatur. Multo minus ergo cum Pancirolo *Lect. var. lib. I. cap.* 79. existimandum est, ad Aburnium hunc rescripsisse Seuerum et Antoninum imperatores, *l.* 3. *C. de edend.* quum a temporibus Traiani, quibus Aburnum nostrum floruisse nouimus, ad tempus, quo constitutio ista prodiit, vltra paene saeculum effluxerit. Certius est, quod obseruauit Reinesius *Inscript. class. I. n.* 87. *pag.* 123. Eosdem nimirum esse Eburios, Aeburios, Aburios, Aburrios, et Aburnos, idque nomen in marmoribus, aliisque veterum monimentis non ignotum esse, inter quae et illud est, quod ipse protulit:

BIU Cujas

M. V. S.

EBVRIS EXORATI F.

VEIO EX COM. CAES. COS.

Superstes fuit Traiano, quem diuum vocat, in *l.* 42. *pr. D. de iure fisc.* scripsitque *libros VII. fideicommissorum*, et aliquot *actionum* libros, ex quorum vtrisque quaedam decerpserunt Digestorum conditores. Iauolenum ab eo memorari videmus, in *l.* 15. *D. de ann. legat.* Iulianum in *l.* 33. *D. de minor. et l.* 94. *D. de legat.* 3. vt adeo recte huic σύγχρονος dicatur, Alterius Tusciani ne nomen quidem certum, tantum abest, vt pleraque reliqua, quae de illo tradunt viri docti, adeo firmo talo subsistant. Quum enim non adeo obuium sit illud nomen, in tam varias formas illud mutarunt, vt a Bynkershoekio in *Praetermiss. pag.* 295. *edit. nou.* facete Proteus dicatur Tuscianus. Bertrandus eum transmutat in Tuscium Fuscianum, cui rescripsit d. Pius in *l.* 7. *D. de leg. praest.* Guil. Grotius in Viuianum; denique Hotomannus, Rupertus, et Menagius in Maecianum, quasi in codice quodam vetere lectum sit -- *lus* -- *cianus*, i. e. *Volusius Maecianus*, atque inde Digestorum conditores effinxerint Tuscianum. Vid. Rupert. *Animaduers. lib. III. cap.* 13. *sect.* 4. *pag.* 214. *edit. nou.* Eodem modo in aetate Tusciani caecutiunt plerique. Nam Guido Panciro-lus *Lect. var. lib. I. cap.* 79. ad eum rescriptum exstare scribit Seueri et Antonini, *l.* 1. *C. de hered. tut.* et hinc suspicatur, eumdem illum esse cum Tusciano, quem Commodi temporibus praefectum praetorio fuisse refert Iul. Capitolin. in *Pertinace, cap.* 5. Sed haec omnia nihili sunt. Non ideo statim mutandum erat nomen, quod non adeo frequens esset. Alias enim eodem iure ex ICtorum choro eiicere possemus Vrseium Ferocem, Vindium, Atilicinum, alios. Deinde, quum passim apud veteres occurrant Tusci, Tuscenii, Tuscennii, Tuscilii, Tuscilli; cur suspectum nobis sit Tusciani nomen? Sed salua res est. Exstat illud in *l.* 18. *C. mandati.* Exstat in *l.* 26. *C. Th. de episc. eccles.* Exstat in marmore apud Gruter. *pag.* 164. 4. Quamuis enim ibi in textu legatur FOSCANVS: viri tamen docti recte ex *d. l.* 26. *C. Th. de episc. eccles.* ostenderunt, ei non *Foscano*, sed TVSCIANO nomen fuisse. Denique nullius plane momenti est Panciroli obseruatio. Nam in *l.* 1. *C. de hered. tut.* et apud Iulium Capitolin. in *Pertinac. cap.* 5. non Tuscianum reperimus, sed Fuscianum, nec is Iauo-

BIU Cujas

leni discipulus et successor esse potuit, qui sub Seuero et Antonino demum proconsulatu Numidiae functus est. Paucis. Fuit inter Iuliani condiscipulos Tuscianus quidam, sed parum celebritatis consequutus, quia vel nihil scripsit, vel quae scripsit, iam pridem interciderunt, quamuis prius vel ideo magis crediderim, quod a nullo veterum vel scripta eius, vel sententiae ac opiniones, laudantur.

§. XXVI.

Salu. Iuliani auditores.

Ipse Iulianus quos discipulos formarit, non adeo liquidum est, nec ea de re est, quod multa dicamus, nisi quod suspicemur, ex ea schola prodiisse Volusium Maecianum, Sex. Pomponium Africanum, et Terentium Clementem ICtos celeberrimos, et omnes Iuliano aetate proximos. Primo enim quod ad L. Volusium Maecianum attinet, is inter M. Antonini praeceptores fuit, teste Iul. Capitol. in *vita Marci*, *cap.* 3. et proinde recte monet Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 5. apud Antoninum εἰς ἑαυτὸν *lib. I. segm.* 6. vbi praeceptores ipse suos laudat, pro Μαρκιανῦ legendum esse Μαικιανῦ, quod et Gatakerum iam suspicatum video. Fuit etiam inter diuorum fratrum amicos, ab iisque praeter veterem iuris ciuilis et bene fundatam peritiam anxie diligens vocatur, in *l.* 17. *D. de iure patron.* Ibidem diui fratres se cum Maeciano, et aliis amicis suis iurisperitis adhibitis plenius dicunt tractasse, vt dubium non sit, eum saltim ad ea tempora vitam produxisse, adeoque aetate aliquanto minorem esse Iuliano. Deinde et ipse Sabinianarum partium dux fuit, vt ex *l.* 30. *D. ad leg. Falcid. et l.* 86. *D. de condit. et demonstr.* probat Menag. *ibid.* Accedit, quod L. Volusius Maecianus Iulianum aliquoties vocat *suum*, veluti in *d. l.* 86. *D. de cond. et dem.* et *l.* 65. §. 1. *D. ad SC. Trebell.* Quod quamuis aliquando alio pertineat, veluti quando Caium *suum* vocat Iustinianus, in §. 6. *prooem. et §.* 5. *Inst. de publ. iud.* et *Const. omnem* §. 1. *de iur. doc. rat.* vel quando in epistolis ad familiares istud possessiuum nomini amicorum addi solet, quod fere perpetuo fieri solet apud Plinium, et in iure nostro: hic tamen vix aliud significare potest, quam praeceptorem, quia eiusdem aetatis non fuere Maecianus et Iulianus, et eodem sensu etiam Scaeuolam suum vocant Iulius Paullus et Claudius Tryphoninus. Vid. Otto in *Papin. cap.* 11. §. 11. Sex. Pomponii paullo incertior aetas est, adeo, vt sint, qui cum Ant. Augustino et Iac. Cuiacio duo eiusdem nominis ICtos claruisse putent, patrem

BIU Cujas

trem et filium, idque ideo, quia in *l.* 41. *D. de hered. inſt.* Sex. Pomponius ab ipſo Pomponio laudatur, et alibi tam *Sextus*, quam *Pomponius*, tamquam duo auctores citantur. *l.* 32. *D. de legat.* 1. *l.* 1. §. 27. *D. de SC. Silanian.* Sed quod ad *l.* 41. attinet, vix dubitandum videtur, quin illa non ſit Pomponii, ſed Iuliani, et inſcriptio non ad ipſam legem, ſed ad vltima verba pertineat, adeoque lex illa cum antecedente coniungi, eiuſque poſtrema verba ita legi debeant: *vt refert Sex. Pomponius libro XII. ex variis lectionibus.* Et quis nobis ſponſor fuerit idoneus, nullum inter antiquos vixiſſe Sextum ICtum, quum Sexti medici et philoſophi et rhetores complures celebrentur, in quorum indice, quem bene longum texuit Fabric. in *Bibl. Graeca lib. VI. cap.* 7. §. 6. *vol. XII. pag.* 619. etiam eſt Caecilius Sextus ICtus aeui Traiani, quem laudat Gell. *Noct. Attic. lib. XX. cap.* 1. quique facile hic cum Pomponio citari potuit. Non dicam iam, abſonam futuram fuiſſe citationem tam *Sexti*, quam *Pomponii*, ſi duo fuerint eiuſdem nominis, et vterque Sexti praenomen tulerit, contra eam admodum pulcram et ἀμφατικὴν, ſi alium ſtatuamus Sextum, a Pomponio diuerſum, et eo nomine inprimis notum. Si ergo vnus fuit Pomponius, quod mihi indubium videtur, is ſane aliquamdiu cum Iuliano vixiſſe, ei tamen ſuperſtes fuiſſe videtur, ſiquidem et Antonino Pio imp. ſuperuixerit, quippe quem diuum vocat *l.* 14. *D. de pollicitat.* et Caio denunciat teſtimonium *l.* 39. *D. de ſtipulat. ſeru.* quem tamen vixiſſe ſub Marco, patet ex *pr. Inſt. de SC. Orfit.* quin ad Antonini Caracallae tempora vitam produxiſſe, ex *l.* 42. iuncta *l.* 32. *pr. D. de donat. inter vir. et vx.* non male a viro docto, Franc. Carolo Conradi, colligitur in *Actis erud. Lipſ.* 1727. *pag.* 64. 65. Quum ergo talis ſit aetas Pomponii, vt per nullum commodius, quam per Iulianum proficere potuerit, et ipſe in *Enchiridio* vltimum omnium ICtorum poſuerit Saluium Iulianum: non temere inde collegeris eum hunc praeceptorem habuiſſe, niſi quem moueat in contrarium, quod quibuſdam in partes Proculeianorum paullo videatur pronior, veluti Chr. Ottoni a Boekeln *de diuerſ. fam. ICt. cap.* 6. quamuis illis temporibus ſenſim iam ita deferbuerat ſectae ſtudium, vt eum alii magis erciſcundis, quos vocant, ICtis, quam Proculeianis accenſendum putent. Denique non errabit, qui idem adfirmet de Africano, et Terentio Clemente, quo-

BIU Cujas

rum ille plerumque Iuliani sententiam amplectitur, hic non modo eius auctoritate saepius vtitur, sed et SVVM vocat Iulianum. *l. 6. D. de vulg. et pupill. substit.* Sed multo plures, vt supra diximus, ex eius libris profecerunt, et pauci ab eius aetate iuris prudentiae laude floruerunt, quibus Iuliani nostri opera non fuerint in deliciis, adeo vt communem illum ICtorum praeceptorem non absre dixeris.

§. XXVII.

Fuisse illum sectae Sabinianae antesignanum.

De secta, cui nomen dederat, dubitare nos non patitur Pomponius, qui eum inter Sabini successores diserte refert. Fuit itaque Sabinianus et Cassianus, idque iam a multis fuse demonstratum est, vt mirum sit eum Proculeianorum albo adscribere non dubitasse Hug. Donell. *Comm. lib. V. cap.* 25. et Io. Goeddeum in *Comment. ad l. 26. D. de verb. sign. n.* 10. *seqq.* Sane enim non modo Sabinianorum more in veterum auctoritate et placitis subsistit, *l.* 51. §. 1. *D. ad leg. Aquill. l.* 31. *pr. et* §. 1. *D. de vulg. et pup. substit.* adeo vt ne in rationes quidem iuris curiosius inquirendum existimet, *l.* 20. *D. de legib.* verum etiam nominatim se fateatur adstipulari Sabinianis, *l.* 11. §. 3. *D. de donat. int. vir. et vx.* Sabino et Cassio, *l.* 3. §. 6. *D. de lib. et postum. l.* 1. §. 5. *D. de adqu. et amitt. possess. l.* 30. *D. de lib. causs. l.* 28. §. 1. *D. de iureiur. l.* 14. §. 2. *D. de act. emt. et vend.* Contra Proculeianos passim refellit, et ipsum edictum perpetuum aliquando Labeonis sententiae oppositum, ceu patet ex insigni loco Callistrati *l.* 1. §. 1. *D. de iur. fisc.* Plerumque a P. Iuuentio Celso, Proculeiano, eum dissentire, luculenter iam demonstrauit Cuiac. *Obs. lib. VIII. cap.* 35. et *lib. XXVII. cap.* 13. quemadmodum eum saepissime notat Vlpius Marcellus, quem ad Saluii Iuliani libros *Animaduersiones* scripsisse constat, Proculi vero partibus addictissimum fuisse demonstrat Merill. *Obs. lib. I. cap.* 28. *lib. VII. cap.* 18. Hic enim sectae studio adeo minutatim omnes Iuliani decisiones excussit, vt pro insigni veritatis argumento habitum fuerit, si Marcello illi cum Iuliano conueniret. Cuiac. *Obs. lib. XIIII. cap.* 35. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 24. Sed quantumuis haec recte se habeant: verissimum tamen est, generosioris indolis fuisse Iulianum nostrum, quam vt vnius auctoritati, tamquam claudus pilae, inhaereret, et vel omnia à Proculo edicta reprehenderet, vel Sabinianorum placita pro oraculis habuerit. Hinc aliquando a Cassio

BIU Cujas

Cassio dissentit, *l.* 11. *§.* 12. *D. quod vi aut clam*, et a communi Sabinianorum sententia facit diuortium, *l.* 57. *D. de manum. test.* quin cum Proculo facit *l.* 6. *D. ad leg. Aquill.* et Celso apertissime placere suam sententiam gloriatur. *l.* 13. *D. de lib. et postum.* Vere ergo iniuria fit viro sine exemplo maximo, dum a Chr. Thomasio, *Naeu. iurisprud. anteiust. lib. II. cap.* 3. *n.* 1. *pag.* 84. depingitur, tamquam *homo, qui in* MSC. *praeceptorum suorum iuraverit*, quum vbique prudente vsus sit ἐκλογῇ, et res ipsa doceat, eum hac in re ὁμόψηφον fuisse Platoni, qui in *Critone, tom. I. Oper. pag.* 46. *nulli vmquam suorum alii se credere potuisse*, ait, *quam rationi, quam a se animo perpensam atque examinatam optimam expertus sit.*

§. XXVIII.

Quos honores in re publica gesserit?

Proximum est, vt ad honores, ab eo gestos, progrediamur. Erant enim tum illa tempora, quibus ad amplissimas in republica dignitates non alii felicius, quam aut armis, aut iuris peritia illustres adspirabant. Praeturae et consulatus sui ipse meminit, in *l.* 5. *D. de manum. vind.* ad quos tamen dignitatis gradus, quum non nisi per minores honores via pateret, nullum est dubium, quin expleto tirocinio forensi, primum quaestura, deinde tribunatu plebis vel aedilitate functus sit, antequam ad praeturam et consulatum procederet. Et praeturam quidem eius iam supra non sine probabili, vt opinamur, ratione in annum v. c. 883. reiecimus, quo et edictum perpetuum condidit. Consulatum vero quamuis non semel, sed bis gessisse dicatur Spart. *in Did. Iul. cap.* 1. ipsos tamen annos, quos tantus consul illustrauit, non notarunt fastorum consularium auctores. Primum ergo illum consulem suffectum fuisse, omnes fatentur. Iterum vero fasces tenuisse dicunt a. v. c. 900. quia eum annum Cassiodorus et alii consulatu ordinario *Iuliani et Torquati III.* signant, cuius sententiae praeter Onuphr. *in Fastis ad illum ann.* sunt Bertrandus *de Iurisper. lib. I. cap.* 1. Grot. *lib. II. cap.* 6. et alii. Sed quamuis hoc ferat temporum ratio, quibus Iulianum floruisse supra diximus: tamen ex Marqu. Gudii schedis, quibus veteres inscriptiones incredibili studio collegit, demum lucuienter demonstrauit Petr. Reland. *in Fast. cons. eius anni*, Iulianum illum Torquatum non Saluium nostrum esse, sed *C. Iulianum Veterem.* Neutrum ergo consulatum fuisse ordinarium, sed bis inter suffectos consulem processisse Iulianum oportet, quod

quod et aliis viris illustribus tum contigisse nouimus. Et sane ne hunc quidem alterum Iuliani nostri consulatum signari dixerim in marmore, quod supra §. 8. produximus, cuius in latere Fabrettus *Inscript. cap.* 10. *pag.* 695. inuenit: D. IIII. NON. MART. IVLIANO II. ET CRISP. COS. quia inscriptio illa meminit Didii Iuliani fratris Proculi Iuliani, quem proauum vidisse vix probabile est. Eodem teste Spartiano *in Did. Iul. cap.* 1. etiam ad praefecturam vrbanam adspirauit. Summa erat huius praefecturae dignitas, adeo vt Romae ipsos praefectos praetorio antecederent praefecti vrbi, saltim sequiori aeuo, ad quod pertinent adducta a Phil. Berterio *Pithan. Diatr. I. cap.* 3. *pag.* 811. testimonia Symmachi *lib. X. epist.* 36. Cassiod. *Varior. lib. III. epist.* 11. Iuliani *Nou. LVI.* et illud inprimis Ausonii *in Mosella, v.* 407.

Aut Italum populos, Aquilonigenasque Britannos
Praefecturarum titulo tenuere secundo.
Quique caput rerum, Romam, populumque, patresque
Tantum non PRIMO *rexit sub nomine.*

Quum vero simul amplissima esset praefecti vrbi, tum intra pomoeria, tum intra centesimum ab vrbe lapidem iuris dictio, adeo vt is *regere iura Quirini* dicatur Rutilio Numat. *Itin. lib. I. v.* 157. non mirum profecto est, ICtis inprimis ad eum honorem aditum patuisse. Scimus sane sub Vespasiano eo honore functum Pegasum, ICtum celeberrimum, de quo Iuuenal. *Sat. IIII. v.* 76.

Rapta properabat abolla
Pegasus, attonitae positus modo villicus vrbi,
Anne aliud tunc praefecti, quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus, omnia quamquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iustitia.

Huic ergo iam ex Sabinianorum secta iungere licebit alterum, Saluium Iulianum, quem ipsum quoque ea dignitate fulsisse satis compertum est, quamuis, quo anno, quoue tempore eam gesserit, nondum liqueat. Solebant viri praefectorii et consulares postea inter amicos Caesarum adlegi, eorumque in consilio esse, si res maioris momenti inciderent. Sunt hi οἱ συνέδροι καὶ σύμβουλοι apud Xiphilinum comites sedendi, et participes consiliorum, *l.* 7. *C. de offic. adsess.* συγκάθεδροι, *l.* 10. *§. 6. D. de excusat.*

BIU Cujas

excusat. immo et AMICI PRINCIPVM, ceu supra iam monuimus, de quibus fuse Iac. Guther. *de offic. dom. Aug. lib. I. cap.* 18. Ita Augustus quum ius diceret, μετὰ τῶν συνέδρων διεσκέψατο, *rem cum adsessoribus communicabat.* Xiphilin. Initio enim quindecim senatores in consilium adhibuerat in sex menses, postea quinto decennio, quum rei publicae administrationem suscepisset, petiit a senatu συμβούλους εἴκοσιν ἐτησίους, *viginti consiliarios annuos.* Xiphil. Morem ab eo tempore, quo Tiberius in insulam secesserat, interruptum, reuocauit Caius Caligula, ὃς τοὺς συνέδρους ἐκληφθὲν ἐξ οὗ ὁ Τιβέριος εἰς τὴν νῆσον ἐξεχώρησεν, ἀνενεώσατο, *qui adsessores, quod fieri desierat ex eo tempore, quo Tiberius in insulam secesserat, restituit.* Dio *lib. LX.* Postea is mos constanter viguit, saltim ad Alexandri Seueri tempora, et notum est, historiae augustae scriptores prolixos plerumque esse in recensendis ICtis, quos in consilium principes singuli adhibuerint. Nostro is honor, vt supra iam ex Spartiano vidimus, contigit sub Hadriano, et quidem cum Iuuentio Celso et Neratio Prisco, quos licet diuersae sectae, *senatus tamen omnes probarat.* Suspicor, eumdem honorem eum tuitum sub D. Pio, viso iuris peritis Vinidio Vero, Saluio Valente, Volusio Maeciano, Vlpio Marcello, et Iauoleno, si Iulio Capit. *in vita D. Pii, cap.* 12. credimus. At sane nullus tum fuit Saluius Valens, sed Aburnius, de quo supra actum, adeoque Saluius Iulianus hic erit intelligendus, qui tum itidem collegam Proculeianum et obtrectatorem habuit, Vlpium Marcellum. Id quod non modo principum illorum prudentiae, sed et ipsorum ICtorum modestiae insigne argumentum est. Nam vt illi procul dubio diuersae sectae prudentes ideo adhibebant in consilium, vt prolatis ex vtraque parte argumentis, quid iustum verumque esset, tanto certius liqueret, expensisque omnibus, quae hinc inde dicta sint, subductisque rationibus, tanto adcuratiorem facerent cogitationum suarum summam: ita hi mira animi moderatione ferebant et dissentientes, et aemulos, et quamuis in Pandectis perpetuus fere sit diuersissimarum opinionum conflictus, et crebra disputatio, vix tamen vllum verbum acrius, nedum conuicium aliquod reperias, quo inter se vsi sint viri illi grauissimi. Qua de re digna sunt, quae integra hic repetantur verba, quibus vir summus Corn. van Bynkershoek, vsus est in dedicatione exasciatissimarum Obseruationum iuris ciuilis: *Expedit bono publico,*

BIU Cujas

ad rem publicam non adhiberi eos homines, qui aliorum sententias, vbi a sua discrepant, continuo insectantur opprobriis, contumeliis, conuiciis, non alia caussa irritati, quàm quod alius alia mente sit, perpetui scilicet dictatores in re publica eruditorum. Hoc nomine semper habita fuit infamis natio grammaticorum, ab humanitate alieni, dum humanitatis studia tractant: sed non magis id miremur, quam hac parte grammaticis non cedere, qui pietatem, caritatem, animi mansuetudinem, et reliqua viri boni officia in vulgus profitentur. Nisi statim hic pedibus eas in suam cuiusque sententiam, stultitiae vel maleuolentiae notam non euadas. ICtorum, vtique veterum, semper praecipua laus fuit, modestia: illi quidem, quod sibi videtur, ex animi sui sententia respondent, sed meliora docti audiunt, et, si minus ante sapuerunt, resipiscunt. Labeo noster in senatus lectione sententiae suae libertatem aduersus ipsum Augustum magno animo defendebat, hoc superdicto: suum quemque iudicium habere; *et sic oportebat. Papinianum nostrum mente solida non deiecit vultus et gladius instantis tyranni: nec tamen minus eum, aliter quondam opinatum, in contrarium vocasse legimus veriorem Sabini sententiam; et sic quoque oportebat.* Haec Bynkershoekius, quae vtinam hodie ad modestiam reuocarent, vel in ruborem darent illos, qui si vel de stillicidiis aut tribus capellis agitur, adeo ferre non possunt collegarum dissensum, adeo excandescunt et in clamores et conuicia prorumpunt, vt eos non arrogantia et ira, sed furiis suis agitari iures!

§. XXVIIII.

An et prouincias rexerit?

Sed hos quidem honores gessisse Iulianum certum est: reliqui non nisi quorumdam coniecturis nituntur. Sic, eum aliquando Aquitaniam Belgicam, Dalmatiam, Germaniam, mox Baeticam rexisse, existimat quidem Guido Pancirolus *de clar. leg. interpret. lib. I. cap.* 38. nec de Aquitania dissentit Ant. Dad. Alteserra *Rer. Aquit. lib. IIII. cap.* 11. At nititur ea sententia *l.* 12. *D. de custod. et exhib. reor. l.* 14. *D. ad SC. Turpill. l.* 9. §. 4. *D. de poen. l.* 7. *§.* 1. *D. de accus. et inscr.* vbi quidem Saluius quidam, Saluius Carus, Saluius Valens, et Saluius Marcianus memorantur, qui tamen an cum nostro iidem fuerint, admodum ambiguum, immo alios plane ac diuersos fuisse perquam verosimile esse, iam supra diximus. Quum porro Iulianus in *l.* 5. *D. de man. vind.* se MEMINISSE scribat, *Iuuolenum, prae-*

praeceptorem suum, et in Africa, et in Syria seruos suos manumisisse, quum consilium praeberet : idem Pancirolus inde colligit, eum Iauoleno proconsuli in Africa et Syria adfediſſe, eaque fortaſſis occaſione ab eo ius edoctum eſſe. Sed et haec incerta. Potuit enim Iauoleno et tamquam legatus in illis prouinciis adeſſe. Forte et haec referre ſibi Iauolenum meminit, vt ſolemus non eorum ſolum, quae vidimus, ſed et, quae audiuimus, meminiſſe. In Aegypto ſe fuiſſe, ipſe refert Iulianus *l. 36. D. de ſolut.* priuatus, an cum imperio, non addit. Potuit ſane praefectura auguſtali ibi fungi, quem honorem ex ICtorum ordine geſſiſſe nouimus Voluſium Maecianum. Vulcat. Gallic. *in Auid. coſſ.* At fortaſſis etiam in Hadriani principis ibi commorantis comitatu fuit. Omnia et hic incerta et ambigua ſunt, vt non futurum ſit operae pretium, ſolis coniecturis indulgere.

§. XXX.

Enimuero tantam doctrinae copiam, totque fortunae obſequia mors demum, vti fit, euertit : qualis, aeque ignoramus, ac tempus, quo rebus humanis exceſſit. Sua illum morte prouectiore aetate exſpiraſſe, ſperare nos iubent viri merita, principumque, ſub quibus probabiliter obiit, puto Marci et Lucii Caeſarum, clementia, quos vix credimus in tanti tamque honorati viri necem coniuraſſe. De tempore mortis non magis certo conſtat. Quandoquidem tamen ex rationibus noſtris ſupra §. 12. ſubductis anno v. c. 915. fuerit ſeptuagenario propior : eum non adeo diu poſtea ſupervixiſſe, ac proinde ſub illis imperatoribus ſenem deceſſiſſe arbitramur. Quod enim ad Commodi imp. tempora triſtiſſima vitam produxiſſe, ab eoque crudeliſſimo principe obtruncatus dicitur a Bern. Rutil. *de vit. ICt. cap. 66.* manifeſtum errorem redolet, in quem ideo incidit, quod filium a patre non diſcreuit. Habuit enim ICtus noſter filium L. Saluium Iulianum, ſe profecto ac meliore fortuna digniſſimum, quippe virum conſularem et ſub Commodo praefectum praetorio. Habuit et nepotem, cui iam Tarunteii Paterni filia diſponſa fuerat, quique iam exercitum duxerat, vti ſupra ex Lampridio oſtendimus. Enimuero quum in inimiciſſima virtuti tempora incidiſſent, et nepotem Commodus ad nefandam Venerem fruſtra ſollicitaſſet, quin et ſuſpecta tyranno videretur adfectata cum Tarunteio adfinitas : pereundum erat et

Vitae finis et ſepultura.

BIU Cujas

Iuliano praefecto praetorio, et Tarunteio, et fortassis etiam filio, cuius post truculentum Commodi imperium nullam fieri mentionem animaduertimus. Diximus de his illustris familiae fatis supra §. 9. iisque nihil est, quod iam addamus, nisi quod Commodus illum praefectum suum, postquam ille semel gratia sua excidit, non modo occiderit, sed et ante mortem variis adfecerit iniuriis. Ait enim Lamprid. in *Commod. cap.* 3. *praefectum praetorio suum, togatum, praesente officio suo, in piscinam detrusit, quem saltare etiam nudum ante concubinas suas iussit, quatientem cymbala, deformato vultu.* Tantus virtuti honor erat sub principe, ex omni vitiorum genere veluti conflato, et qui sibi ex magno imperio nihil praeter maximam licentiam retinuerat. Sed tanto tolerabilius fuerit viro ornatissimo, ictum excipere ceruice, quam cum monstro illo perpetuo aetatem agere. Vt ad ICtum nostrum redeamus, sepultum illum esse in via Lauicana, quinto ab vrbe lapide, scribunt Rutilius *ibid.* Bertrandus *de iurisper. lib. I. cap.* 1. et Guil. Grot. *de vit. ICt. lib. II. cap.* 6. Sed non aliud habent huius rei argumentum, quam locum Spartiani, qui in *Did. Iulian. cap. vlt. corpus eius a Seuero vxori Manliae Scantillae ac filiae ad sepulturam est redditum, et in* PROAVI *monimento translatum milliario quinto, via Lauicana:* vbi non expressum est, paterni, an materni proaui istud fuerit monimentum, quamuis verosimilius sit posterius ob insignem Saluiae gentis celebritatem, ad quam gens Didia Petronia non adsurgebat. Ceterum via Lauicana aeque ac Praenestina a porta Esquilina, aut certe alia illi proxima egrediebatur, et quidem illa a dextris iuxta formam aquae Claudiae, ad Columnam oppidum, haec Gabios ac deinde Praeneste tendebat. Vid. Io. Barthol. Marlian. *Topogr. ant. Rom.* VII. 16.

§. XXXI.

Scripta Salu. Iuliani, *Digesta.*

Supereſt, vt de libris et operibus, quibus sibi monimentum aere perennius erexit, quaedam subiiciamus. Inter eos in indice Florentino primo loco comparent ΔΙΓΕΣΤΟΝ ΒΙΒΛΙΑ ΕΝΝΕΝΗΚΟΝΤΑ. De hoc dici non potest, quam vanas sibi quidam finxerint imagines. Plerique enim hos libros eosdem putant cum ipso edicto perpetuo, quod condidisse Iulianum nouimus, alii in librorum numero errarunt, alii ipsas Pandectas esse putant, quas iam habeamus, superstites. Edidit Io. Alb. Fabricius *in Bibl. Graecae Vol.* XII. *pag.* 367. *seqq.* ex codice Vossiano Leidensi

BIU Cujas

denſi Matth. Blaſtaris Hieromonachi *Hiſtoriam iuris*, in qua et haec habentur : Ταῦτα πάλιν ὁ πολὺ μετὰ Αὔγεσον ἄρξας Ἁδριανὸς ἀθρόισας εἰς ἓν τὰ μὲν τῶν ἄλλων πάντων ἰδίαν ἐποιήσατο γραμμαϊκὴν ἐν βίβλοις θεωρουμένην πεντήκοντα, Δίγεστα τοῦτοις ἤτοι Ρανδέκτην ὄνομα θέμενος, ὡς ἐκ πολλῶν δηλαδὴ συλλέγοντα : *Haec iterum Hadrianus, qui multo poſt Auguſtum imperauit, in vnum colligens, aliorum quidem omnium praeſcripta vnum opus confecit, in quinquaginta libros diſtributum, Digeſta ſiue Pandectarum ab eo nominatum, vt quae ex multis collecta ſunt.* Manifeſtum eſt, Graeculum illum edictum perpetuum hic cum Iuliani Digeſtis, et haec cum Iuſtiniani Pandectis, quas tantum illorum epitomen fuiſſe credidit, confudiſſe, et hinc mera ſomnia narraſſe. Falſum enim eſt, Hadrianum condidiſſe Digeſta, falſum eſt, vel edictum eius auſpiciis conditum, vel Digeſta Iuliani quinquaginta libris conſtitiſſe, falſum denique Edictum perpetuum et Digeſta illa eſſe vnum idemque opus. Vnde recte *pag.* 369. ad marginem ſubnotauit doctiſſimus Ille bibliothecae auctor : *de his Pandectis et Codice Hadriani altum apud veteres et Iuſtinianum ipſum ſilentium. Confer quae ſupra pag.* 341. *ſeqq.* Sed ibi vir eruditiſſimus, neſcio quem ſequutus auctorem, eadem fere narrat, aitque : *Edictum perpetuum, Hadriani, vt dixi auſpiciis conditum a Saluio Iuliano ex edictis praetorum corpus quoddam iuris quinquaginta libris digeſtum exhibebat.* Enimuero primo omnium ex ipſis fragmentis liquet, Digeſta illa non fuiſſe ipſum Edictum, quod breui libello, non L. libris, Iulianus complexus erat, ſed ampliſſimos iuris commentarios, ad edicti perpetui ſeriem et ordinem compoſitos, vel σύγημα vniuerſi iuris, qualia et alii, veluti Alphenus Varus, Celſus, Vlpius Marcellus, Cerui-dius Scaeuola, confecerunt, et familiari ICtis vocabulo Digeſta inſcripſerunt. Deinde et id liquidum exiſtimo, Iulianum aliquando ipſa edicti verba inſeruiſſe iſtis Digeſtis ſuis, eaque ſuo more eſſe interpretatum. Hinc enim factum, vt *l.* 1. *D. de his, qui not. infam.* decerpta dicatur ex *Iuliani libro primo ad edictum*, ad quem locum, quas turbas dent interpretes, infra ſuo loco oſtendimus. Et tamen nihil eſt, quod ibi mutandum videatur. *Libri ad edictum* iidem procul dubio ſunt, ac Digeſta, ad edicti ſeriem compoſita, nec debuit ideo Bertrandus Iuliano ſingulare opus AD EDICTVM tribuere, a Digeſtis illis diuerſum. Quamuis enim Pandectarum conditores alias plerumque verba edicti ex Vlpiani commenta-

BIU Cujas

riis petere soleant : fieri tamen potuit, vt eo titulo vel lacunam haberent Vlpiani codices, vel hic verba inserere neglexerit, adeoque illa ex Iuliano supplenda restituendaue duxerit Tribonianus. Sane hoc et alibi contigit, nempe in *l.* 1. *D. vnde legit.* vbi itidem verba edicti non ex Vlpiano, sed ex *Iuliani libro vicesimo septimo Digestorum* decerpta sunt. Denique et dubio carere arbitror, nonaginta libris hoc opus constitisse, partim, quod totidem libros numerauit indicis Florentini auctor, partim, quod ex pluribus fragmenta haud supersunt, praeterquam quod *l.* 32. *D. de legib.* desumta dicitur ex *libro Digestorum nonagesimo quarto.* Hinc multo plures Digestorum illorum libros nonnulli fuisse suspicantur, veluti Bertrandus nonaginta nouem, alius centum, Guil. Grotius, quamuis subdubitans, saltim nonaginta quatuor. At hanc quidem pugnam facile et sine pulueris iactu dirimi posse crediderim. In codice enim Florentino *d. l.* 32. ex IVLIANI *lib. LXXXIIII. Digestorum* citari, a mala autem manu quartum X. superadditum esse, testatur Laur. Theod. Gronouius, cui bene se id vidisse adseueranti facile fidem habeo cum Ottone in *praefat. tom.* 1. *Thes. iur. ciu.* Denique non praetermittendum videtur, quod quamuis pulcherrimum hoc opus iam Aniani temporibus pro deperdito habitum fuisse supra viderimus, illud tamen magno iuris prudentiae bono adhuc in Triboniani bibliotheca delituerit, ac proinde permagnum vsum praebuerit Pandectarum conditoribus, qui ex solis his libris CCCLXXVI. fragmenta integra nobis seruarunt, vt omittamus CXXVI. alia loca, quae expresso librorum huius operis numero, et CCCCXIIII. quae dissimulato vel libro, vel opere, ab Vlpiano et aliis ICtis adducuntur.

§. XXXII.

Variorum ad illa notae.

Quanti iam veteribus fuerit hic iuris prudentiae thesaurus, non aliunde rectius intelligitur, quam ex tot notis et animadversionibus, quibus illum certatim illustrare conati sunt viri iurisconsultissimi. Erat hoc in more positum ICtis, vt alter in alterius scripta notas conficeret, quibus vel reprehenderet refelleretque eius dicta, quod Ser. Sulpicium in Mucii Scaeuolae scriptis feciſse nouimus, cuius ideo notas *reprehensa Scaeuolae capita* vocat Gell. *Noct. Attic. lib. IIII. cap.* 1. vel explicaret,

BIU Cujas

caret, suppleret, distinctione aut limitatione aliqua adhibita iuuaret, prout vel adfectu, partiumque vel veritatis studio ad hoc vel illud impellerentur: vnde has notas *laudis et culpae adnotamenta* eleganter vocat Gell. *Noct. Attic. lib. XVII. cap.* 2. Et Grammatici quidem ad librorum oram signa quaedam adpingebant, veluti litteras, asteriscos, obeliscos, et similia, quibus vel commendarent, vel reprehenderent arguerentque certa loca, eorumque morem postea et philosophi et medici sunt imitati, de quibus notis multa habent Wouwer. in *Polymath. cap.* 17. Reines. *Lect. Var. lib. III. cap.* 7. Menag. *ad Diog. Laert. lib. III. segm.* 65. *pag.* 161. At ICti, qui sine ratione sibi nec ab aliis dissentiendum, nec iis suffragandum putabant, loco signorum breues stricturas adiiciebant, et tunc quoque *notare* dicebantur. Hinc frequentissimae loquutiones: *Marcellus notat, Proculus apud Labeonem notat*, et similes. Iulianus vtriusque generis scholiastas reperit. Notauit ad illius Digesta VLPIVS MARCELLVS, sed diuersae sectae, et hinc passim Iulianum notare videtur, quamuis collegam, et aliquando nihil tale meritum, quales Marcelli stricturae integrae in Pandectis supersunt sex, in *l.* 14. *D. de in rem vers. l.* 20. *D. de condit. et demonstr. l.* 5. *D. de hered. instit. l.* 80. *D. de legat.* 1. *l.* 75. *D. ad leg. Falcid. et l.* 34. *D. eod.* at locis 34. illae Iuliani aut aliorum fragmentis insertae reperiuntur. Notarunt ad eumdem Cerui-dius Scaeuola et IVLIVS PAVLLVS, sed Iuliano multo aequiores, vt magis defendendi eius, quam reprehendendi caussa, calamo hanc operam videantur indixisse. Et Scaeuolae quidem notae supersunt in *l.* 10. *D. de peric. et comm. rei vend.* et in *l.* 54. *D. de pact.* Paullinarum autem specimen habebis in *l.* 11. *D. quod met. causs. l.* 4. *D. de rescind. vendit. l.* 75. *de iudic. l.* 3. *de collat. l.* 15. *de mort. causs. don. l.* 4. *de manum. vindict.* Binis Pandectarum locis, puta *l.* 7. §. 2. *de pact.* et *l.* 25. §. 1. *de vsufructu* citantur MAVRICIANI *Notae ad Iuliani Digesta*, et ita etiam in Florentino est. Alii tamen libri vtrobique habent *Martianum*. Alterutrum itaque ad Iulianum notasse, certum est, quamuis apud me facile vincat lectio Florentina. Guil. Grotius *de vit. ICt. lib. II. cap.* 6. et AFRICANVM putat quaedam ad Iulianum notasse: sed fundus huic sententiae est in *l.* 39. *pr. D. de legat.* 1. vbi Vlpianus: *nam et sumtum an in hanc rem facere heres deberet*, AFRICANVS *libro vicesimo Epistolarum apud*

BIU Cujas

apud Iulianum quaerit, putatque; quod et ego arbitror sequendum. Hic vero non dicit Vlpianus, Africanum ad Iulianum notasse, sed ad eum scripsisse epistolam, et quaesiuisse, an heres in persequutionem serui legati, quem fuga aliquo abstulit, sumtus facere teneatur, quin et sententiam suam Iuliano exposuisse, quod teneri videatur. Cui sententiae et Vlpianus adiicit calculum.

§. XXXIII.

Libri *ad Minicium.* Alterum, cuius in indice Florentino mentio fit, IVLIANI opus sunt *ad* MINICIVM BIBAIA EΞ. Miniciorum stemma amplissimum texit Reines. in *Epist.* 34. *ad Rupert. pag.* 251. ostenditque ei familiae cum Cassiis, Aciliis, Iuniis Rusticis non vnam necessitudinem intercessisse. Noster sub Vespasianis et successoribus floruit, et sub Traiano rexit prouincias, ceu Cuiacius *Obs. lib. VII. cap.* 2. ex *l.* 9. *D. de feriis* docuit, cui et marmora suffragantur, maxime illud apud Gruterum *pag.* 41, 6.

HERCVLI
TIBVRT. VICT.
ET CETERIS DIS
PENAT. TIBVRT.
L. MINICIVS
NATALIS
COS. AVGVR.
LEG. AVG. PR. PR.
PROVINCIAE
MOESIAE INFER.
VOTIS SVSC.

Addatur idem Grut. *pag.* 59, 8. vbi Libyae procos. vocatur. Scripserat libros, quorum ne titulum quidem habemus superstitem. Quos quum commentario illustrarit Iulianus noster: aliquoties citantur eius libri *ad Minicium*, *l.* 10. *D. pro emt. ex Minicio*, *l.* 61. *D. de rei vindic.* et *apud Minicium*, *l.* 11. *D. de act. emt. vend.* vbi non praetermittendum est, Vlpianum citare *decimum librum apud Minicium*, quum tamen eum sex tantum scripsisse referat index, nec ex pluribus, quam sex libris fragmenta

BIU Cujas

menta decerpserint Pandectarum conditores, quum tamen eorum quadraginta integra exstare voluerint. Vnde in mendo cubare illum Vlpiani locum, et legendum ibi esse: *librum quintum*, iam alii animaduerterunt. Elegans est obseruatio Hub. Giphanii in *Oecon. iur. pag.* 120. ICtos ante Iulianum in libris suis sequutos esse ordinem librorum Sabini, post illum vero magis illis placuisse ordinem Edicti perpetui. Quae sane obseruatio et in libris ad Minicium videtur iustam habere rationem. Nam lib. I. et II. Iulianus disseruisse videtur de testamentis, bonorum possessionibus, legatis et fideicommissis; lib. III. de dominica et patria potestate; lib. IIII. de rebus creditis et contractibus; lib. V. de nuptiis, tutelis, delictis, adquirendo dominio et possessione, et stipulationibus; lib. VI. de interdictis, rei vindicatione et seruitutibus; et lib. VII. denique de iudiciis et iure publico.

§. XXXIIII.

Tertium Iuliani opus ita describit *Index Florentinus*: ΑΔ ΥΡΣΕΙΥΜ ΒΙΒΑΙΑ ΤΕΣΣΑΡΑ. Vrseium Ferocem sub Tiberio vixisse suspicatur Petr. Perennon. *Animadu. iur. lib. III. cap.* 23. Sed quum ipse Proculum citauerit, teste Vlpiano in *l.* 27. *§.* 1. *D. ad leg. Aquill.* et Paullo *l.* 11. *§.* 2. *D. de aqu. et aqu. pluu.* et contra ipse citetur a Cassio, *l.* 1. *§.* 10. *quar. rer. act. non dat.* eum sub Caligula, Claudio, et Nerone floruisse, probabile est. Scripserat et hic de iure libros, quorum nec numerum, nec titulos nouimus. Eos vero itidem libris quatuor illustrauerat Iulianus noster, ex quibus fragmenta 42. in Pandectis seruantur. In iis quoque ordinem Sabinianorum librorum seruari, obseruauit Iac. Gothofr. in *Serie librorum Sabini*: quod verum esse, comparatis cum illa serie tot Iuliani fragmentis, facile vnusquisque animaduertet. Nam libro I. de testamentis, bonorum possessione, et legatis, itemque de potestate dominica et patria, et rebus creditis; lib. II. de nuptiis, dote, tutelis, delictis, adquisitione dominii et possessionis, obligationibus; denique lib. IIII. de interdictis et iudiciis egit, quae ipsa est librorum Sabinianorum series. Ferocem quidam Proculeianum fuisse censent, sicuti Minicium Sabinianum, vt adeo notae ad Minicium magis ad illustrandum eius opus, quas vero

Libri *ad Vrseium Ferocem.*

BIU Cujas

ad Ferocem scripsit ad auctorem notandum potissimum comparatae fuisse videantur. At sicut de Minicio id facile largior ob *l.* 61. *D. de rei vind.* quam supra sumus interpretati: ita posterius non alio probatur argumento, quam quod Proculum aliquoties laudat, id quod tamen et Sabinianus facere potuit. Id vero obseruatu multo dignius videtur, quod ad eumdem Vrseium Ferocem iam ante Iulianum nostrum notas et strictura scripserit Cassius Longinus, quarum vestigia supersunt, *l.* 10. §. 5. *D. quib. mod. vsusfruct. amitt. l.* 16. §. 1. *D. ad SC. Velleian. l.* 104. §. 1. *D. de legat.* 1.

§. XXXV.

Liber *de ambiguitatibus.*

Supereſt quartum opus, quod in *Indice Florentino* inscribitur DE AMBIGVITATIBVS BIBAION EN. Est hic titulus plane Stoicus, eique sectae proprium hoc erat, in enodandis explanandisque ambiguitatibus desudare. Sic inter Cleanthis opera est liber singularis περὶ τῶν ἀπόρων, vel *de ambiguitatibus*, Diog. Laërt. *lib. VII. segm.* 175. inter Sphaeri περὶ ἀμφιβολιῶν, *de ambiguis*. Diog. Laërt. *lib. VII. segm.* 178. inter Chrysippi περὶ ἀμφιβολιῶν πρὸς Ἀπολλᾶν δ', *de ambiguis ad Apollam quatuor*, καὶ τῶν τροπικῶν ἀμφιβολιῶν ἁ, *de tropica ambiguitate liber singularis*, περὶ συνημμένης, τροπικῆς ἀμφιβολίας β', *de connexa tropica ambiguitate libri duo.* Πρὸς τὸ περὶ ἀμφιβολιῶν Πανθοίδα β', *ad id, quod scripsit Panthoedus de ambiguis libri duo*, περὶ τῆς εἰς τὰς ἀμφιβολίας εἰσαγωγῆς έ, *de introductione ad ambigua quinque*, Ἐπιτομὴ τῶν πρὸς Ἐπικράτην ἀμφιβολιῶν ά, *epitome ambiguorum ad Epicraten, lib. I.* συνημμένα πρὸς τὴν εἰσαγωγὴν τῶν εἰ τῶν εἰς τὰς ἀμφιβολίας β', *coniuncta ad introductionem ambiguorum lib. II.* vt adeo septendecim libros illa de ambiguis doctrina impleuerit Chrysippus. Diog. Laërt. *lib. VII. segm.* 93. Ἄπορα, quid vocarint veteres, exponit Gell. *Noct. Att. lib. VIIII. cap.* 15. ἀμφιβολίαν vero definiunt Stoici, quod sit λέξις δύο ἢ πλείω νοήματα σημαίνουσα λεκτικῶς ἢ κυρίως, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἔθνος, *dictio plures res significans per orationem et proprie, et in eadem natione.* Cuius rei elegans illud atque argutum exemplum adducunt Diog. Laërt. *lib. VII. segm.* 62. Sex. *Empir. Pyrrh. hypotyp. lib. II. cap.* 23. Quinctilian. *Inst. orat. lib. VII. cap.* 9. αὐλητρὶς πέπτωκε, vel αὐλητρὶς πεσοῦσα. in priore enim αὐλητρὶς est *tibicina* et αὐλὴ τρὶς, *aula* vel *domus ter*: adeoque vocabulum est

est ambiguum, quia sensum inde elicere licet duplicem, nimirum *tibicinam cecidisse*, et *aulam terruisse*. Posterius aeque argutius exponit Theon sophista *in Progymnasm.* περοῦσα enim est participium ἀπὸ τοῦ πίπτειν: sed idem potest ita exaudiri, quasi duplex esset vocabulum πᾶις ἔσα, adeoque itidem sensus erit ambiguus, *tibicinam cecidisse*, et *tibicinam puellam esse*. Haec ergo, quae innumera sunt, ad certas regulas reducere conabantur Stoici, quibus adhibitis illa animaduertere, adeoque cauere posses, quo minus decipereris. Quum vero et ICti Stoicorum innutriti praeceptis experiundo discerent, non modo in legibus, verum etiam in pactis, stipulationibus, et maxime in vltimis voluntatibus, in quibus interpretandis quotidie versabantur, permulta huius generis occurrere: non potuerunt non de similibus regulis cogitare, adeoque scribere de AMBIGVITATIBVS. Fortassis huc praecipue pertinuit Aelii Galli opus *de verborum, quae ad ius pertinent, significatione*, ex quo vnicum supereſt fragmentum in *l.* 157. *D. de verb. signif.* nec non quae passim ICti de rebus dubiis, nec non περὶ ἀπόρων tractant, quale est fragmentum Africani in *l.* 88. *pr. D. ad leg. Falcid.* Et sane huius generis etiam fuisse videntur, quae in libro *de* AMBIGVITATIBVS disseruit Iulianus noster, docent tria, quae ex eo supersunt, fragmenta. In primo enim *l.* 31. *de vulg. et pupill. substit.* explicat perplexam substituendi formulam: QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HERES ERIT, IDEM FILIO HERES ESTO, vbi ambiguum est, intelliganturne, *qui quandocumque heredes fuerint*? an, *qui heredes tum futuri sint, quum filius moriatur*. In altero, quod est in *l.* 62. *D. de legat.* I. explicatur formula: MVLOS DVOS, QVI MEI ERVNT, CVM MORIAR, SEIO HERES DATO. Quum enim testator non mulos, sed mulas moriens reliquisset, quum tempore testamenti factionis duos mulos haberet: ambigebatur, an sexus masculinus et femineum comprehendat. In tertio omnium prolixissimo, quod est in *l.* 13. *D. de reb. dub.* plura eius generis ἄπορα definit: e. g. SEIO CVM DVCENTIS, QVAE APVD EVM DEPOSVI, TRECENTA LEGO. In ambiguitatem enim incidunt haec verba, quia parum liquet, connumeratisne illis ducentis, quae deposita fuerant, trecenta legentur, an extra illa adhuc insuper trecenta, adeoque in vniuersum quingenta relicta sint? Ibidem quaerit, quomodo intelligenda formula: FVNDVM SEIANVM HERES MEVS

BIU Cujas

ATTIO CVM DIONE, MAEVII SERVO, DATO, ἄωρον enim est, sitne Dioni quoque fundus, an Dio simul cum fundo legatus. Sequitur formula: SI HOMINEM AVT FVNDVM NON DEDERIS? CENTVM DARE SPONDES? Est enim ἐκ τῶν ἀώρων, vtrum neutro, an altero non praestito stipulatio committatur? quo et sequentia in isto fragmento exempla pertinent. Perspicua satis videri poterat formula: SI QVIS MIHI FILIVS AVT FILIA GENITVR HERES MIHI ESTO, SI MIHI FILIVS AVT FILIA HERES NON ERIT, SEIVS HERES ESTO: et tamen ibi quaerit an non ambiguitas in ea lateat, et an non potius scribere debuisset testator: SI MIHI NEQVE FILIVS, NEQVE FILIA HERES ERIT. Talis fuit Iuliani liber de ambiguitatibus, qui nouum sufficere potest argumentum, eum Stoicos omnino esse in philosophia sequutum.

§. XXXVI.

An et *ad edictum*, et *de praedio dotali* scripserit?

Plura Iuliani nostri scripta in *Indice Florentino* non memorantur, nec alia vel ad manum fuerunt Pandectarum conditoribus, vel a veteribus ICtis laudata sunt. Et tamen Bertrandus *de Iurisper. lib. I. cap.* 1. duo adhuc alia fese putat eruisse, vnum AD EDICTVM ob inscriptionem *l.* 1. D. *de his, qui not. infam.* alterum DE DOTALI PRAEDIO ob *l.* 5. *C. de bon. quae lib.* vbi *tractatum de dotali praedio proposuisse* Iulianus dicitur. Prius iam non multis refellam. Memini enim me iam alibi ostendere, vnum idemque esse opus Digestorum et ad Edictum. Posterius iam Grotius *de vit. ICt. lib. II. cap.* 6. satis exploit. Suffecerit, erroris fontem monstrasse. *Tractatum* Bertrandus in *d. l.* 5. accepit pro libro, adeoque non potuit non existimare, exstitisse Iuliani librum *de dotali praedio.* Sed aliud fuit veteribus *tractare*, *tractatum proponere*, *tractatum habere*, idem nimirum, quod disquirere, disputare, sententias discrepantes inter se comparare. Ita ICti dicuntur *speciem tractare*, *l.* 23. *§.* 3. *D. de adqu. rer. dom.* eleganter tractare, *l.* 1. *§.* 16. D. *de coniung. cum emanc. fil. ei. tractatum habere*, *l.* 9. D. *de grad. et adfin.* Tertull. *de resurr. carn. cap.* 2. *atque adeo et haeretici ex conscientia infirmitatis numquam ordinarie tractant*, id est, disputationem infirmitatis suae sibi conscii semper fugiunt. Itaque et Iulianus in aliquo librorum suorum, v. g. Digestis, disputauerat de fundo dotali, adeoque *tractatum de eo proposuerat*, non

non vero singularem de illo scripserat librum, ex quo sane Tribonianus non minus, quam ex Modestini libro de differentia dotis, Paulli de dotis repetitione, Caii dotalitiorum libro aliqua in rem versurus fuisset, si istis adhuc temporibus talis exstitisset libellus. Et haec quidem de Iuliani vita, studiis, honoribus, scriptisque ex vetustis eruere monimentis licuit: coniecturis enim solis indulgere in rebus huiusmodi numquam placuit, certiora vero vel scriptorum, qui tanti viri parcissime meminerunt, socordia, vel iniuria fatorum, quae ab illis tradita aboleuerunt, nobis inuidit.

CAPVT IIII.

DE AVCTORITATE, ORDINE, ET MATERIA EDICTI PERPETVI, NEC NON DE COMMENTARIIS IVRISCONSVLTORVM AD EDICTVM PERPETVVM.

§. I. *Auctoritatem et robur obtinuit edictum perpetuum a SCto illi praemisso.* §. II. *An orationem in senatu ipse Hadrianus recitarit?* §. III. *De interna edicti perpetui forma.* §. IIII. *An in libros diuisum fuerit edictum perpetuum?* §. V. *De materia edicti perpetui.* §. VI. *De commentariis ICtorum ad edictum perpetuum,* SEX. POMPONII, §. VII. CAII, §. VIII. VLPIANI, §. VIIII. IVLII PAVLLI. §. X. DE CALLISTRATI *edictis monitoriis, et de* FVRII ANTHIANI *libris ad edictum.* §. XI. *De aliorum commentariis.* §. XII. *Ad ordinem seriemque edicti perpetui plerique ICtorum libri scripti.*

§. I.

SEd redeamus ad edictum, in quo componendo qualem se gesserit Iulianus, quantamque illud auctoritatem consequutum sit, hactenus dictum est pluribus. Iam supereſt, vt ostendamus, quo demum modo tantum obtinuerit pondus libellus Hadriani quidem auspiciis, at a priuato tamen conditus? Id vero ille debet SCto, quo ratum esse eum libellum, eumque in iure

Auctoritatem et robur obtinuit edictum perpetuum a SC. illi praemisso.

iure dicundo pro norma seruari iussit senatus. Iam pridem mos iste, quod Petr. Faber *Semestr. lib. I. cap. 25. pag.* 143. obseruauit, inoleuerat, vt principum ipsorum edicta paullo maioris momenti, vel antequam reddebantur, vel iam promulgata SCtis confirmarentur. Intererat enim ipsorum principum, et populum eo libertatis simulacro deludi, et edicta sua, se exstinctis, perpetuam in re publica auctoritatem obtinere, quod sperare vix poterant, nisi SCta accessissent, quae tum vere pro legibus erant. Hinc quum M. Aurelius Antoninus lanienam in Christianos adhuc exercitam cohibuisset edicto, quod nobis Graece Iustinus Martyr *Apolog. II.* seruauit, diserte addit: Ταῦτα δὲ καὶ τῷ συγκλήτῳ δόγματι κυρωθῆναι βέλομαι ἐν τῷ Φόρῳ τῷ Τραϊάνῳ προτεθῆναι, πρὸς τὸ δύνασθαι, ἀναγινώσκεσθαι: *haec ego SCto firmari volo, iubeoque hoc edictum meum in foro Traiani proponi palam, vnde recte de plano legi possit.* Idem vero et ante promulgationem edicti perpetui factum esse, exploratissimum habemus. In *constitutione* enim Graeca *Deus dedit* §. 18. *de conf. Dig.* Iustinianus τὸν λόγον τοῦ Ἀδριανοῦ ἐν κοινῷ διεξελθόντα ἐπὶ τῆς πρεσβυτέρης Ῥώμης, ORATIONEM *d. Hadriani in senatu veteris Romae recitatam*, non modo laudat, sed et integram ex ea sententiam profert. Orationes autem principum, in senatu recitatas, sequuta esse SCta, ac proinde et orationibus principum cauta dici, quae inuecta sunt SCtis nemo ignorat. Quin compertum habemus, suoque loco demonstrabimus, ex *l.* 102. D. *de reg. iur.* SCtum illud edicto perpetuo praemissum esse, tamquam prooemium, vt, qui illud euoluerent, vel primo conspectu scirent, non priuatam esse eam Iuliani scriptionem, sed librum publicis scriptum auspiciis, et in perpetuum pro iuris dicundi norma valiturum. Vnde recte Iac. Gothofredus in *Comment. de regul. iur. pag.* 449. *Prima*, inquit, *de edictalium numero regula ex ipsa edicti perpetui serie ad* PRAEFATIONEM EDICTI PERPETVI *pertinet, id est, ad SC. quod pro more tum recepto, eam orationem sequutum est, qua Hadrianus edictum perpetuum, sua auctoritate conditum, promulgauit, cuius diserte meminit Iustinianus ipse oratione sua ad senatum.*

§. II.

An orationem in senatu

Sed de ICto illo, quaeque eius sententia fuerit suo loco dispiciemus. Iam non iniucundum fuerit disquirere, quid de λόγῳ Ἀδριανοῦ, διεξελθόντι ἐπὶ τῆς πρεσβυτέρης Ῥώμης existiman-

BIU Cujas

mandum sit, ipsene Hadrianus eam coram siue recitarit, siue per quaestorem candidatum, cuius id munus fuisse docuimus in *Antiqu. Rom. lib. I. tit.* 2. §. 45. recitari iusserit, an, quod absentes facere solebant principes, ipseque Hadrianus in celeberrimo illo SCto *Q. Iulio Balbo* et *T. Iuuentio Celso* coss. condito, quod *l.* 20. §. 6. D. *de hered. pet.* occurrit, sententiam suam libello comprehensam Romam transmiserit, iusseritque illum in senatu recitari? Facile adparet, rem omnem in eo verti, vtrum Hadrianus tum Romae fuerit, nec ne? Id vero indagatu eo difficilius est, quo minus eius itinera et ADVENTVS in nummis aliisque vetustis monimentis certo tempori adsignari, iam Ezech. Spanhemius *de vsu et praest. numism. diss. XIII. pag.* 620. conquestus est, quod eo magis mirandum, quo notius est, Hadrianum omnes ante se principes peregrinandi studio superasse. At iam de aliis eius itineribus non agam, sed ea tantum exsequar, quae circa haec tempora, quibus edictum perpetuum prodiit, fecisse legitur. Eruditissimus Norisius in *Epoch. Syro-Maced. diss. IIII. cap.* 3. *pag.* 498. primum pro certo adfirmat, Hadrianum anno v. C. 882. mense Martio adhuc Romae egisse, idque colligit ex *l.* 20. §. 6. D. *de her. petit.* vbi Hadrianus tum Q. Iulio Balbo et C. Iuuentio coss. quaedam in senatu libello proposuisse dicatur. Sed id quidem parum certum est, quia in mendo cubare illa SCti verba, et pro PROPOSVIT, legendum esse P. P. id est, *pater patriae*, iam pridem luculenter demonstrauit Petr. Pithoeus *Aduers. lib. II. cap.* 15. Verba sane ibi in senatu fecisse non dicitur Hadrianus, sed consules, nec oratio principis, sed libellus memoratur, quem aeque ab absente submitti potuisse, quam a praesente adferri, facile patet. Quidquid sit, eodem anno v. C. 882. Hadrianum orientem lustrasse, et Gazae etiam fuisse, ex nummis Gazensium, quos ipse protulit laudatus Norisius, luculenter potest demonstrari. Quum enim in illis sub Hadriano duplex era occurrat, veluti in aliis Γ. ΕΠΙ ΒΥΙΡ. in aliis Δ. ΕΠΙ ΓΥΙΡ. in aliis denique Ε. ΕΠΙ ΔΥΙΡ. priorem nouam esse docet Gazensium epocham; posteriorem veterem, quam ab anno v. C. 693. auspicandam esse demonstrauit. Itaque annus ΒΥΙΡ, id est, 192. Gazensium annus est ab vrbe condita 885. idemque est tertius erae eorum nouae, quae adeo incipienda est ab Octobri anno 882. Iam illa era, vt idem docet Norisius, non aliunde ducta est, quam ab aduentu Hadriani, adeoque

ipse Hadrianus recitarit?

BIU Cujas

que Hadrianum anno v. c. 882. exeunte iam Gazae fuisse oportet, quod iter an tam breui temporis spacio, quod a Martio ad Octobrem elabitur, conficere potuerit, alii viderint. Eusebius, qui chronologicos Phlegontis liberti Hadriani, libros legit, principem hunc docet in Aegypto fuisse anno primo Olympiadis 227. qui fuit v. c. 883. Nilo submersum ibique Antinoum testatur, quod quamuis quibusdam dubium videatur, ipse tamen multo magis dubitauerim, in epocha casus tam famosi, et a Christianis vel maxime exagitati, errare potuisse vel Phlegontem, vel Eusebium. Itaque hoc anno per Gazam ex Syro-Phenicia et Iudaea in Aegyptum venit, ibique Antinoum suum muliebriter fleuit. Neque tamen ibi constanter haesisse Hadrianus, sed sequente vere reuersus in Asiam Orientem perlustrasse, et cum regibus vicinis de pace et foederibus egisse videtur. Sed anno v. c. 886. vel sequente eum rediisse in Aegyptum, satis constat ex nummis quam plurimis apud Ant. Pagi in *Critic. ad ann. Christi* 131. §. 3. in quibus ADVENTVM ALEXANDRIAE contigisse legimus L. IE. *anno Hadriani* 15. qui est ipse annus v. c. 886. et sequens. Mansit in Aegypto Hadrianus ad annum v. c. 888. quo ad C. Iulium Seruilium Vrsum Seruianum, sororis maritum, tum III. cos. dedit ex Aegypto litteras, de moribus Alexandrinorum, quas ex Phlegonte recitauit Vopiscus in *Saturnin. cap.* 8. Ac ex eo demum tempore per Orientem et Thraciam in Occidentem reuertisse videtur. Haec omnia incorrupta monimentorum fide nituntur, satisque probant, incertum esse, an Hadrianus anno v. c. 882. Romae fuerit, at certissimum esse, eumdem ab anno saltim insequente vsque ad annum 888. Aegyptum et Orientem paene totum esse peruagatum. Quum itaque supra ostenderimus, edictum conditum esse anno v. c. 885. erae Dionys. 131. satis patet, Hadrianum tum absentem Romae fuisse, adeoque λόγον διεξελθοντα καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης, cuius meminit Iustinianus, nihil aliud fuisse, quam epistolam vel libellum, quo consilium suum de edicto illo perpetuo stabiliendo fuerit complexus, et in cuius sententiam postea SCtum more maiorum sit factum. Neque enim erant tum tempora, quibus principum voluntati obsequium denegare auderet senatus, maxime vero Hadriani, qui tristibus satis exemplis ostenderat, quanto cum periculo sibi a senatoribus non obtemperaretur.

§. III.

BIU Cujas

§. III.

Ceterum vt ad internam edicti perpetui formam et constitutionem progrediamur : non videtur dubitandum, quin illud in aliquot partes diuisum fuerit, singulaeque partes suam habuerint inscriptionem vel rubricam generalem, quale quid et in Pandectis a Iustiniano obseruatum esse nouimus. Manifesto id velle arbitror Iustinianum, dum in *Constitutione ad antecessores §. 1. et 2.* meminit et *primae partis legum*, itemque *quae in legibus primum posita sit, et istam nuncupationem meruerit*, et *partis legum, quae de iudiciis nuncuparetur*, et *librorum de iudiciis et de rebus*, quas antecessores, antequam corpus istud Iustinianeum exstrueretur, in scholis iuridicis secundo et tertio anno soliti sint praelegere. Eas enim non aliarum legum, quam edicti perpetui partes fuisse, vel ex eo patet, quod earum praelectionum auditores *edictales* vocatos esse, §. 3. docet. Habuit itaque edictum suas partes, quarum quaedam iisdem fere inscriptionibus, quas Iustinianus postea Digestorum partibus praefigi voluit, fuerunt insignitae. Primam enim vocatam esse ΠΡΩΤΑ, alteram DE IVDICIIS, tertiam DE REBVS, ex illa constitutione ad antecessores luculenter patet, vt dubitare non possis, quin Tribonianus paruerit Iustiniano, in *Const. Deo auctore §. 5. de concept. Digest.* iubenti, *vt totum ius digereretur tam secundum Iustinianei constitutionem Codicis, quam edicti perpetui imitationem, prout* Digestoribus *commodius patuerit.* Enimuero in quot partes illud σύστημα fuerit distributum, non aeque cognitu facile est. Decem recenset Ob. Giphanius in *Oecon. Edicti perpet. pag. 122. seqq.* quarum *prima* complexa sit ΠΡΩΤΑ, *secunda* tractatum DE IVDICIIS, *tertia* DE REBVS CREDITIS, *quarta* DE DOTIBVS, TVTELIS, FVRTIS, *quinta* DE BONORVM POSSESSIONIBVS et TESTAMENTIS, *sexta* DE CAVTIONIBVS quibusdam PRAETORIIS, quae vicem actionum obtinuerint, *septima* DE DELICTIS quibusdam, *octaua* de EXECVTIONE seu fine iudiciorum, *nona* DE INTERDICTIS, ac *decima* denique, tamquam accessoria, edicta DE PIGNORIBVS, EXCEPTIONIBVS, et STIPVLATIONIBVS PRAETORIIS complexa sit. Iacobum Gothofredum contra fluctuasse ea in re animaduerto. In *Serie* enim *edicti perpetui* partes quasdam lineis seiungit, et harum numero octo et viginti : alias ex his ipsis, quas procul dubio principales existimauit, litteris maiusculis et vncialibus secreuit, earumque

De interna edicti perpetui forma.

BIU Cujas

numero sunt XX. Sed nisi me omnia fallunt, et partium edicti numerum retinuit Tribonianus, et in tribus primis Digestorum partibus adcurate exprimere voluit edicti partes, adeoque et huius *prima* pars fuere ΠΡΩΤΑ, quae Iulianus quatuor libris primis Digestorum exposuit. *Altera* et in edicto etiam fuit DE IVDICIIS, quam Iulianus libro quinto et sequentibus quatuor, ad nonum vsque interpretatus est. *Tertiae* de REBVS CREDITIS Iulianus destinauit libros decimum et quinque insequentes vsque ad quintum decimum. Quod ad reliquas partes attinet, ipse Iustinianus *in Const. Tanta* §. 5. *de confirm. Digest.* fatetur, tractatum de pignoribus, edicto aedilitio, et vsuris se quartae parti extra edicti perpetui ordinem intexuisse, quibus demtis illam de NVPTIIS, TVTELIS, et quibusdam aliis egisse patet; ad eamque pertinet Iuliani liber decimus sextus cum sex insequentibus vsque ad XXII. *Quinta* Digestorum pars de testamentis, legatis, fideicommissis; *sexta* de bonorum possessionibus, successionibus ab intestato, damnis imminentibus, donationibus, caussis status, adquirendo dominio et possessione, nec non de interdictis egit: at in edicto haec contrario ordine posita fuisse animaduerto, adeoque magis est, vt *quintam* edicti partem sanctiones DE BONORVM POSSESSIONIBVS, TESTAMENTIS, SVCCESSIONIBVS, LEGATIS, ET FIDEICOMMISSIS comprehendisse existimem, quibus explicandis Iulianus XVII. libros a XXIII. vsque ad XXXX. impleuit. Contra *sextam* manifesto complexam esse oportet doctrinas de DAMNIS IMMINENTIBVS et INFECTIS, CAVSSIS STATVS, ADQVIRENDO DOMINIO, et POSSESSIONE, DELICTIS PRIVATIS, et RE IVDICATA, eiusque exsequutione, et INTERDICTIS, quibus Iulianus impendit libros sequentes vsque ad XXXXVIIII. Denique in *septima* parte edicti actum esse nouimus de EXCEPTIONIBVS et STIPVLATIONIBVS PRAETORIIS, res ipsa docet. An vero haec vltima fuerint edicti perpetui capita, non dixerim. Iuliani enim Digestorum non nisi libri LVIII. ad has edicti partes pertinent, quum, de quibus rebus postremi libri XXXII. egerint, non adeo videatur exploratum. Caii etiam Commentariorum, quum libri exstiterint XXXII. tamen non nisi XXX. has edicti partes interpretantur, ex reliquis duobus aeque nulla fragmenta supersunt, ac ex Vlpiani et Paulli libris duobus postremis; vt facile pateat, fuisse in edicto ad finem quasdam sanctiones, quas hodie

BIU Cujas

hodie ignoramus, quia illas, tamquam a foro suorum temporum alienas, negligendas Iustinianus existimauit. Vnde et nos sub finem DESIDERARI QVAEDAM edicti capita, non abs re sumus suspicati.

§. IIII.

An in libros diuisum fuerit edictum perpetuum?

Haec de partibus edicti. An et in certos libros singulae partes descriptae fuerint, non aeque certum est, nisi quod id maiore verisimilitudine negandum esse videatur. Matth. equidem Blastares *in Hist. iur.* quam Io. Alb. Fabricius *tom. XII. pag.* 367. *Bibl. Graec.* edidit, edictum perpetuum, quod ipse Hadriani Digesta seu Pandectas perperam adpellat, quinquaginta libris constitisse putat, idque etiam ipse doctissimus Fabricius *pag.* 341. *eius voluminis* adfirmat. Sed haec coniectura fundamento destitui, et ex eo tantum petita videtur, quod Digesta Iustiniani ad edicti ordinem composita in totidem libros distributa sint: id quod suo loco, vbi de Iuliani Digestis diximus, demonstrauimus pluribus. Magis exploratum est, per certos titulos a Iuliano dispositia fuisse edicta. Eorum enim saepissime mentionem fieri animaduertimus. In *l.* 1. *D. de in int. rest.* Vlpianus ait: *vtilitas huius* TITVLI *non eget commendatione: ipsa enim se ostendit. Nam sub* HOC TITVLO *plurifariam praetor hominibus, vel lapsis, vel circumscriptis, subuenit.* Similiter Paullus *l.* 2. §. 3. *D. de interd. recuperandae possessionis causa interdicta proponuntur sub rubrica* VNDE VI: *aliqua enim sub* HOC TITVLO *interdicta sunt.* Ita et TITVLVM de furtis citari videmus in *l.* 195. §. 3. *D. de verb. signif.* vt iam non dicamus de libris Caii ICti, quibus varios titulos edicti praetoris vrbani, veluti *de praediatoribus, de publicanis, de liberali causa, de aquae pluuiae arcendae, de damno infecto, de re iudicata, de operis noui nunciatione, qui neque sequantur neque ducantur*, similesque illustrauit. Ex quibus simul patet, singulis edicti titulis praefixa fuisse quaedam elogia, quae RVBRICAS vocat Paullus *d. l.* 2. §. 3. *D. de interd.* Sollemnis enim ille mos erat ICtis, vt singulis librorum suorum sectionibus, quas ipsi titulos adpellitabant, praemitterent summam, quae tituli materiam exprimeret, eamque minio exararent, vt eo facilius incurrerent in oculos: quemadmodum ad illa Iuuenalis *Sat. XIIII.*

- *Perlege rubras*
Maiorum leges.

BIU Cujas

adnotant viri docti, et ad Persii *Satir. V. v.* 9. Cornutus scholiastes, quocum iungendus Quinctilian. *Inst. orat. lib. XII. cap.* 3. Denique et in paragraphos quasdam seu segmenta distributos fuisse singulos titulos, non obscure innuunt interpretes. Edicti enim de postulando tria segmenta, seu *tres ordines*, quos fecerit in eo titulo praetor, adcurate recenset Vlpianus, *l.* 1. §. 1. 3. 5. 7. *D. de postul.* Omnes in integrum restitutiones sub vno generali titulo de in integrum restitutionibus occurrisse, idem testatur *l.* 1. *D. de restit. in integr.* Vnde, quin totidem fuerint eius tituli paragraphi vel capita, quot caussae restitutionis, nemo dubitauerit. Denique et titulum de rebus creditis admodum prolixum fuisse, omnesque contractus, quibus alienam fidem sequimur, comprehendisse, ostendit idem Vlp. *l.* 1. *D. de reb. cred.* vt alia iam exempla praetermittam. Quis ergo dubitet, quin tot diuersa capita saltim notis quibusdam distinxerit Iulianus? Et tales mihi quidem videntur VERSVS fuisse, quibus libri veterum ICtorum constitisse memorat, quorumque trecenties decem millia numerauerat Tribonianus. Quamuis enim de iis permulta disputent critici et ICti doctissimi, inprimis Menag. *ad Diog. Laërt. lib. IIII. segm.* 24. Montfauc. in *Palaeograph. Graeca lib. I. cap.* 4. Ant. Contius *Lect. subcess. lib. I. cap.* 8. res omnis tamen eo redit, veteres ICtos στιχηρῶς scripsisse libros suos, adeoque lineam finiisse, vbi sensus aliquis perfectus esset, siue comma vnum, siue integrum colon, sensum plenum absolueret. Ita sane Cicero *pro dom. cap.* 17. illa Clodii: VELITIS, IVBEATIS, VT M. TVLLIO AQVA ET IGNI INTERDICATVR, exagitans, *hoc vos pati potestis, hoc ferre ciuitas, vt singuli ciues singulis* VERSICVLIS *et ciuitate tollantur?* Et *pro Milon. cap.* 26. mentionem iniiciens SCti supremi: DARENT OPERAM COSS. NE QVID RESP. DETRIMENTI CAPERET, addit: *quo vno* VERSICVLO *satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis.* Tales fuere veterum versus. Eos vero a segmentis illis, quae nos paragraphos vel commata adpellamus, parum differre, res ipsa docet: maxime quum veteres, qui alioquin vna serie omnia connectere solebant, finito eiusmodi versu, et lineam abrumpere solerent. Quod quum adcurate in Codice sacro exarando obseruari iusserint Masorethae: non abs re suspicatus est Rich. Simonius *in Hist. crit. Vet. Test. cap.* 28. eum scribendi morem Graecos Romanosque ab Hebraeis accepisse

BIU Cujas

cepisse. Ceterum ex his στίχοις seu versibus in legibus maximi fiebat primus, quippe qui plerumque et praecipuum legis caput complectebatur, et ipsi legi nomen dare solebat. Hinc Cicero *pro C. Rabir. Postum. cap. 6. Glaucia*, inquit, *solebat, homo impurus, sed tamen acutus, populum monere, vt quum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet.* Nec aliud voluisse arbitror Caium nostrum, dum in *l. 1. D. de orig. iur. cuiusque rei potissimam partem principium esse*, docet. Atque inde factum arbitror, vt ICti fere omnes primum singulorum titulorum paragraphum vocarent PRINCIPIVM, et inuecto sensim more, paragraphos numerandi, principium extra numerum esse vellent, quasi qui sit totius tituli versus primarius.

§. V.

Quod ad materiam edicti attinet, merito quaeritur, an illud sola ista, quae ad ius honorarium pertinent, comprehenderit, an et de aliis rebus iure ciuili inuectis in eo actum sit? Qua quidem in re Ob. Giphanio suffragor, qui in *Oecon. edicti perpetui, pag.* 127. pereleganter monet: *de his actionibus nulla edictorum verba, vt puto, exstant, vt neque de rei vindicatione. Cuius rei caussa videtur esse haec, quod hae actiones sint ciuiles, in edicto autem sua, hoc est, praetoria plenius; ciuilia nude tantum proposuisse, et interdum de iis multa omisisse, exceptis tantum actionibus.* Sane enim multa in edicto fuere de iudiciis, hereditatis petitionibus, vindicationibus, seruitutibus, contractibus, delictis, quae non a praetore reperta, sed ex ipsis XII. tabulis, aliisque legibus depromta sunt. Quamobrem ordinarium hoc fuisse ait Vlpianus *l. 1. D. de poss. her. pet.* post CIVILES ACTIONES *rationem habere praetorem etiam eorum, quos ipse velut heredes faciat.* Praeterea in edicto repetita nouimus haud pauca capita legum Aquilliae, Aeliae Sentiae, Iuniae Norbanae, SCtorum item Macedoniani, Velleiani, Syllaniani, Trebelliani, Pegasiani, et similium, vt fragmenta manifesto docent, et nos infra exemplis quam plurimis demonstrabimus. Quin quamuis aedilitio edicto locum in *Edicti serie* nullum dederit Iac. Gothofredus, satis tamen manifestum est, et illud in edictum migrasse. Diserte enim Iustinianus in *Const. ad antecessores* §. 4. vbi loquitur de libris Digestorum, quos de hypothecis, de edicto aedilium, et redhibitoria actione, et de euictionibus, nec non duplae stipulatione quartae operis istius parti inseruerat,

rat, tertio ſtudiorum anno auditoribus enarrandis, haec ſubiungit: *quum enim, quae pro emtionibus et venditionibus legibus cauta ſunt, in libris de* REBVS *praefulgent: hae autem* OMNES, *quas diximus*, DEFINITIONES, (adeoque etiam edictum aedilitium,) *in vltima parte* PRIORIS EDICTI *fuerant poſitae: neceſſario eas in anteriorem locum tranſtulimus, ne a venditionibus, quarum quaſi miniſtrae ſunt, vicinitate vlterius diuagentur.* Et in *Conſt. tanta* §. 5. *de confirm. Pandect.* de iiſdem agens Pandectarum libris inſtitutiis, eamdem conſilii ſui reddit rationem, *quia* nimirum HAEC OMNIA *titulis emtionum et venditionum conſentanea ſint, et* PRAEDICTAE ACTIONES, *quaſi pediſſequae illarum ab initio proceſſerint, in vetuſtioris tamen* EDICTI *ordinatione in loca deuia et multum diſtantia diuagatae ſint.* Quid quod et Vlpianus *libro LXXX.* Paullus *libro LXXVIIII. Commentariorum ad edictum* actiones etiam aedilitias, puta redhibitoriam et quanti minoris, expoſuerit, ceu patet ex *l.* 60. et *l.* 61. *D. de aedilit. edict.* Quibus obſeruatis, non adeo difficile fuerit, rationem reddere, cur, quum edictum aedilitium ſatis prolixum fuerit, et Iuſtiniani aetate adhuc exſtiterint Caii, Vlpiani, et Iulii Paulli libri bini ad edictum aedilium curulium, quibus verba aedilium πινακα integra fuerant inſerta, nihilominus tamen ſola illa de ſeruis et iumentis venumdandis, nec non de animalibus eo loco, vbi vulgo iter fit, non habendis, pars facta ſint iuris Iuſtinianei, quia ſcilicet eorum tantum capitum, quae in edictum migrauerant, rationem in Digeſtis habendam putaſſet imperator, reliqua autem vel ideo, quod a praetore, vel Iuliano potius, neglecta fuerant, iam pridem in deſuetudinem abiiſſent.

§. VI.

De commentariis ICtorum ad edictum perpetuum, *Sex. Pomponii*,

Operae pretium fuerit et de iis, qui commentariis ſuis hoc edictum illuſtrarunt, dicere. Quem laborem iam inde ab Hadriani temporibus, quibus hoc edictum compoſitum eſt, complures ſibi vltro depopoſcerunt viri doctiſſimi. Quum vero de IVLIANI Digeſtorum opere iam ſuo loco dictum ſit, dicendum iam erit de reliquis, quorum primus, niſi fallor, fuit SEX. POMPONIVS, ICtus celeberrimus, quem diuorum fratrum, quos vocant, aetatem viuendo attigiſſe, ex eo patet, quod Conſtitutionem diui Pii laudat in *l.* 14. *D. de pollicit.* De eo iam quaedam monuimus in vita Iuliani. Iam addimus, eum ſcripſiſſe

BIU Cujas

fisse *ad edictum* libros quam plurimos, quamuis eorum numerus plane ignotus sit. In Pandectis enim fragmenta non supersunt, sed citantur Pomponii quaedam ex libris VI. VII. XXV. XXXIII. XXXVIIII. LXIII. LXVIII. LXVIIII. LXXVIIII. et LXXXIII. ab Vlpiano, in *l.* 7. §. 6. D. *de pact. l.* 39. §. 6. D. *de procurat. l.* 11. §. 5. D. *de recept. arbitr. l.* 3. *pr.* D. *de administ. et peric. tut. l.* 1. §. 9. D. *de collat. l.* 1. §. 8. D. *de Carbon. edict.* et omissa a Labitto, *l.* 1. §. 14. D. *si quid in fraud. patron.* a Marciano, *l.* 13. §. 2. D. *de pignor.* Paullo, *l.* 21. D. *de rei vindic. l.* 1. §. 3. D. *de tutel.* et tamen in his libris LXXXIII. si Gothofredo credimus, edicti non nisi priorem partem vsque ad titulos de testamentis exsequutus est: vt adeo volumen istud, si ad finem perductum sit, libris plus quam centum constitisse oporteat. Eius operis non meminit Index Florentinus; fortassis nec Iustiniani temporibus exstitit, quia ex libris illis nullum omnino fragmentum in Pandectas migrauit. Quod etiam iam Ant. Augustinus *de nom. propr. Pand. pag.* 95. recte animaduertit. Itaque facile intelliges, cur nos in restituendo edicto perpetuo rationem non habuerimus paucissimarum istarum citationum. Nec enim ad eruendum edicti ordinem multum fecerunt, et vix vmquam nobis suppeditant edicti sententiam, tantum abest, vt verba quaedam edictalia debeamus Pomponio.

§. VII.

Proximus est CAIVS, quem in iure nostro perperam plerumque GAIVM adpellitari videmus, de cuius aetate iam alio loco quaedam monuimus. Neque quidquam hic addimus de aliis, ad eius vitam pertinentibus, quae iam diligenter exsequuti sunt Bertrandus, Grotius, quibuscum iungenda, quae in notulis Schultingius, in *Amoenitatibus iuris ciuilis* Aeg. Menagius disseruit. De edictis ille, si quis alius, optime meritus est, siquidem non solum edictum aedilitium, libris duobus illustrauit, verum etiam vrbano ac prouinciali eamdem nauauit operam. Primo enim in Florentino Indice laudantur *Caii ad edictum prouinciale* βιβλία λβ, ex quibus etiam, si duos postremos excipias, fragmenta quam plurima supersunt: deinde *ad edictum vrbicum* τὰ μόνα εὑρεθέντα βιβλία δέκα. Quod enim numerum auget Bertrandus, et XII. adhuc ad Iustiniani aetatem peruenisse putat, aeque fundamento caret, ac quod *de libris XV.* *Caii,*

ad

ad edictum publicum suspicatus est Angelus Politianus. Res ita se habet. Decem exstitere tum Caii volumina ad edictum vrbicum pertinentia, puta

I. ad titulum de praediatoribus.

II. ad titulum de publicanis, ad quem titulum etiam refero *l.* 139. D. *de reg. iur.* quamuis ibi *liber ad edictum praetoris vrbani*, omisso titulo, laudetur.

III. ad titulum de liberali caussa, quo etiam *l.* 6. D. *de lib. caussa* referenda, quamuis ibi *liber ad edictum praetoris vrbani* titulo haud expresso memoretur.

IIII. ad titulum de aquae pluuiae arcendae.

V. ad titulum de damno infecto.

VI. ad titulum de re iudicata.

VII. ad titulum de operis noui nunciatione.

VIII. ad titulum qui neque sequantur, neque ducantur.

VIIII. ad edictum praetoris vrbani de testamentis.

X. De legatis ad edictum praetoris vrbani.

Haec ergo sunt τὰ μόνα ἰυρεθέντα βιβλία δέκα, quae Iustiniani temporibus superfuerunt. At ex his commentarius ad edictum de testamentis libris duobus, ad edictum de legatis tribus constitit: fortassis et de liberali caussa libri II. exstiterunt. Nam ex CAII *libro secundo ad edictum praetoris* VRBANI *titulo de liberali caussa* decerptae esse dicuntur *l.* 30. *D. de bon. libert. l.* 1. *D. de colluf. deteg. l.* 10. *D. de vi et vi arm.* His ergo et libro illo ἀνανύμῳ, quem *l. 6. de lib. caussa* et *l.* 139. *de reg. iur.* laudari videmus, connumeratis, non decem, sed XV. Iustiniani aetate superfuissent: et hinc Politianus, vt videtur, numerum in Indice expressum turbauit, et pro libris decem, quindecim reposuit. Quod tamen eo minus admittendum, quo manifestius est, librum ἀνανύμον ab illis X. diuersum non esse, et Indicis auctorem non libros, sed volumina, quae de singulis titulis exstabant, numerasse. Vnde vero Bertrandus numerum duodenarium exsculpserit, ego quidem non video, nisi quod et Ant. Augustinum *Emend. lib. I. cap.* 5. similem errorem errasse constat, quod viri doctissimi παράγραμμα deinde suum fecisse videtur Bertrandus. Quamuis autem haec fragmenta ad illustrandum edictum faciant: in restituendo tamen ordine nos illa parum iuuerunt, quippe libri separati, et suo veluti numero et ordine electi. At tanto praeclariores sunt alterum *ad edictum prouinciale*

libri

BIU Cujas

libri XXXII. partim quod ex eo supersunt fragmenta quam plurima, partim quod iis saepe ipsa edicti sententia praeclare exprimitur. Quod ad ordinem etiam attinet, nihil ab edicti vrbani serie differre videmus edicti prouincialis ordinem. Quin ex eius fragmentis primum collegimus, vnum idemque fuisse edictum vrbanum ac prouinciale, vel paruum saltim inter illa discrimen intercessisse. Qua de re suo loco plura disseruimus.

§. VIII.

Excipit Caium VLPIANVS, νομοθέτης ἄριστος καὶ τὸ παρὸν εὖ διαθεῖναι, καὶ τὸ μέλλον εὐσόχως συνιδεῖν δύναμος, *ICtus praestantissimus, qui et rebus praesentibus recte vti, et futura prospicere poterat*, ceu eum vocat Zosim. *Histor. lib. I. cap.* 11. De eius vita, honoribus, doctrina, rebus gestis, ipsoque fato, quo periit, nihil iam dicam, quum omnia consectari, intempestiuum, pauca delibare, nefas videretur. Neque de reliquis eius operibus quidquam addam, sed quaedam dumtaxat monebo de eius COMMENTARIIS ad edictum, quorum βιβλία ὀγδοήκοντα τρία recensentur in Indice Florentino. Ex his omnibus etiam fragmenta quam plurima supersunt, praeterquam ex duobus postremis libris, quos tamquam capita iuris minus vsu recepta complexos, insuper habuit Tribonianus. Scriptos esse hos libros sub Antonino Caracalla, loca quam plurima docent. Eosdem vero ante libros ad Sabinum prodiisse, ex eo peracute collegit Cuiac. *Obs. lib. XI. cap.* 15. quod Vlpianus ipse in *l.* 32. §. 27. *D. de donat. inter vir. et uxor.* depromta ex libro XXXIII. ad Sabinum sententiam Labeonis adducit, quam *et a se, et a Papiniano libro X. Quaestionum probatam*, ait, ipse vero eam probauit libro XXXV. ad edictum, ceu patet ex *l.* 9. *D. de sponsal.* Quamuis ergo et illos ad Sabinum libros sub eodem principe composuerit, idque adpareat ex *l.* 23. §. 1. *D. de cond. indeb. l.* 3. *pr. et l.* 32. *pr. D. de donat. int. vir. et vxor.* maiores tamen natu, vt ita dicam, fuere libri ad edictum, omniumque eorum, quos Vlpianus composuit, parente suo dignissimi, vt mirum non sit, decerpta ex iis fragmenta vtramque paginam in Pandectis facere. Quantum ex tot eorum reliquiis colligimus, in concinnando hoc opere eam sibi legem praescripserat ICtus praestantissimus, vt primo singulorum fere titulorum insignem vsum, aequitatem, ac rationem ostenderet, veluti *l.* 1. *pr. D. quod quisque iur. l.* 1. *pr.*

Vlpiani.

BIU Cujas

1. *pr. D. de edend. l.* 1. *pr. de pact. l.* 1. *pr. D. de postul. l.* 1. *pr. D. de negot. gest. l.* 1. *pr. de in int. rest.* et locis aliis quam plurimis: aliquando et connexionis titulorum redderet rationem, veluti *l.* 1. *pr. D. si pars hered. pet. l.* 1. *pr. D. de possess. hered. pet. l.* 1. *de fid. hered. pet. l.* 1. *pr. D. de rei vind. l.* 1. *pr. de pecul.* et alias passim. Deinde proposuisse illum nouimus ipsa verba edicti, quin et aliquando criticas quasdam addidisse obseruationes de edicti verbis typicis, eorumque integritate vel mutatione, quales sunt illae in *l.* 1. *D. quod met. causs. l.* 1. *§.* 1. *D. commod.* Hinc porro singulis edicti verbis expositis, in quibus aliquando operosissime verborum significationes et differentias rimatus est, varias intermiscet quaestiones, disputationes, et casus, qui ea de re obuenerint? Si quando verba praetoris admodum perspicua essent, materiam ipsam, praemissis definitionibus, diuisionibusque, in certa capita partitus, singulaque adcurate exsequutus est, ceu docet exemplum *l.* 1. *§.* 1. *D. de suspect. tut.* Quanto adparatu in elucubrando eximio hoc opere vsus sit Vlpianus, vel ex eo intelligere est, quod singulis fere paginis non modo quam plurima edicta, decreta, rescriptaque principum, sed et tot veteres nouosque omnis generis scriptores adduxerit, quot nescio an vllus eorum temporum ICtus. Sic sane passim laudat constitutiones Iulii Caesaris, Augusti, Claudii, Titi, Domitiani, Neruae, Traiani, Hadriani, Antonini Pii, Diuorum Fratrum, Marci Aurelii Antonini, Commodi, Didii Iuliani, Seueri, et Antonini Caracallae. Ex melioris aeui legislatoribus auctoribusque ipsi passim laudantur Homerus, Solon, Draco, Hippocrates, Cicero, Augustus in vita sua. Ex ICtis Cato, Brutus, Rutilius Rufus, Aquillius Gallus, Q. Muc. Scaeuola, Ser. Sulpitius, Alfenus Varus, Aulus Ofilius, Aufidius Namusa, Cinna, Publicius Gellius, Trebatius, Cascellius, Q. Aelius Tubero, Ateius Capito, Massurius Sabinus, Cassius, Cael. Sabinus, Labeo, Proculus Nerua, Pegasus, Celsus pater, Plautius Atilicinus, Vitellius, Arrianus, Cartilius, Minicius, Puteolanus, Aulus, Vrseius Ferox, Pedius, T. Aristo, Fulcinius Priscus, Valerius Seuerus, Vindius Viuianus, Octauenus, Iulianus, Neratius, Iauolenus, Volus. Maecianus, Pomponius, Africanus, Marcellus, Ceruidius Scaeuola, Papinianus, Tertullianus, Marcianus, Iun. Mauricianus, Arrius Menander, Q. Saturninus, et Modestinus, vt alias omittam micantes in his aureis libris priscae

cae variaeque eruditionis scintillulas. Vtinam vero paullo diligentius vbique librorum numerum notassent aut Digestorum conditores, aut, qui ea descripserunt, librarii: multis enim locis illum in mendo cubare, aliis variare editiones, infra passim obseruauimus, magnoque studio medicinam illi morbo parauimus, an feliciter satis, ii viderint, quibus talia non plane sunt incomperta.

§. VIIII.

Eiusdem fere cum Vlpiano aetatis, studii, dignitatis fuit IVLIVS PAVLLVS, Vlpiani non obtrectator quidem, sed vere aemulus. Quamuis enim quod de eorum simultatibus et dissensionibus vulgo dicunt, non probem, quum non magis ac liberius Paullus ab Vlpiano, quam a reliquis omnibus dissentiat, idque ICti veteres omnes sine rancore animi ac acerbitate facere soliti sint: laudabilis tamen quaedam inter Vlpianum et Paullum interceſſisse videtur aemulatio. Idque vel inde colligas, quod praecipuus eorum labor in iisdem paene iuris capitibus versatus sit, quasi contendere inter se atque experiri voluissent, vter alterum ingenio atque acumine superaret. Scripsit Vlpianus ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam libros XX. Paullus decem; Vlpianus Sabinum libris LI. Paullus libris XVI. illustrauit. Fideicommissorum libros Vlpianus sex, Paullus III. Vterque porro scripsit ad edictum aedilium curulium, de adulteriis, de officio proconsulis, de officio praefecti vrbi, de officio praetoris tutelaris, de adpellationibus, de censibus. Vtriusque etiam habemus Institutiones, Responsa, Regulas, Notas ad Papinianum. Denique sicuti Vlpianus, ita et Paullus scripsit ad edictum, et hic quidem libros LXXX. ex quibus omnibus, si a duobus postremis discesseris, fragmenta supersunt quam plurima. Ceterum breuius et adstrictius fuisse videtur hoc Paulli opus, quam Vlpiani, quamuis huic librorum numero parum cedat. Rarius sane, nisi vocabulorum vel ambiguitas vel ἔμφασις id exigat, eius industriam in interpretandis praetoris verbis versari animaduertimus, plerumque edictum ipsum exponit, variasque quaestiones eo pertinentes mouet, quas deinde liberrimo iudicio, vt solet, soluit. Obscuritatem stili haud pauci accusant, quae tamen, nescio, an maior sit, quam aliorum eius aeui scriptorum. Est, vbi breuitas lectorem moratur: sed non nisi parum attentum, vel eius lectioni haud satis adsuetum. Si vero difficilia quaedam

Iul. Paulli.

BIU Cujas

ac δυσνόητα et in Paullo occurrunt, non eius sermoni et stilo hoc tribuendum est, sed ipsi quaestionum, quas decidit, subtilitati. Videtur enim adspernatus vulgaria et vbiuis obuia, non nisi sublimiora et recondita consectari, nec tam tyronibus ac dupondiis, quam iurisperitis, et in ipso foro versantibus scribere voluisse, saltim in operibus illis diffusioribus. Nam et illorum studiis pro virili consuluit libris breuioribus Regularum, Sententiarum, Manualium, Institutionum, et similibus. Praeter amplissimum illum Commentarium, aliud Paulli exstitit edictale opus, nempe BREVIVM, vel BREVIS EDICTI libri tres et viginti, quamuis ex libris tantum III. VI. VII. VIII. et XVI. quatuordecim in vniuersum fragmenta supersint. Ex quo tantillo numero facile aestimes, non adeo liquido inde constare, quod plerique tamen pro certo adfirmant, libros hos *breuium* non nisi maioris operis epitomen fuisse. Nos, quae huic sententiae obuerti possint, qualiaque fuisse videantur edicta illa breuia, supra, quantum satis est, diximus.

§. X.

De Callistrati *edictis monitoriis*, et de Furii Anthiani libris *ad edictum*.

Eodem loco etiam disseruimus de CALLISTRATI *edictis monitoriis*, quibus iam plura addere nihil attinet, nisi quod nos in restituendo edicto et Callistrati et C. Iuuentii Celsi operi institimus, non quasi eos ad edictum commentarios scripsisse putem, sed quod eos edicti seriem sequutos animaduerterim, quamuis ex Callistrati libris non omnibus sex, sed quatuor tantum prioribus fragmenta in vniuersum viginti et vnum in Pandectis inuenerint locum. Supereſt itaque FVRIVS ANTHIANVS seu ANTHIVS, cuius de aetate vitaque omnia incerta sunt. Scripsisse eum *libros V. ad edictum*, ex Indice Florentino discimus: sed ex eodem intelligere est, opus illud ad Iustiniani aetatem integrum haud peruenisse. Florentiae enim, teste αὐτόπτῃ Laur. Theod. Gronouio, *Emendat. Pandect. cap. 25. pag. 82.* [*edit. Conrad.* in *Histor. Pandect. authent.*] non legitur Ἄνθ. ἤτοι Φωφ. Ἀνθιάν. μέρος ἐδίκτ. βιβλίω πέντε, vti et Haloander et Taurellius expressérunt, sed μέρος ἐδίκτ. ἑβδόμων πέντε, id est, *pars edicti librorum quinque.* Ex his enim quinque libris non nisi pars, aut particula potius quaedam Iustiniani temporibus superfuit, puta liber I. ex quo solo tria tantum eaque perbreuia fragmenta supersunt, *l. 62. D. de pact. l. 40. D. de dol. mal.* et

et *l.* 80. *D. de rei vind.* vt adeo illa nos parum iuuerint in restituendo edicto, eiusue ordine, quamuis ea in *Serie edicti perpetui* suis locis aptauerit Iac. Gothofredus.

§. XI.

Exstitere et tres alii, qui post Iuliani aetatem edictum illustrarunt commentariis: sed ex quorum scriptis nihil omnino hodie supereſt. Vnde breuem eorum notitiam hic subiicere iuuabit. Primus est VIVIANVS, Iuliano, vt videtur, συγχρονος, saltim non multo posterior, quippe qui a Pomponio laudatur. *l.* 17. §. 4. D. *commod.* Scripsisse eum quaedam ad edictum, ex eo patet, quod eius sententias super illo frequenter laudat Paullus *l.* 4. §. 2. D. *naut. caup. stab. l.* 24. §. 9. D. *de damn. inf. l.* 1. §. 45. *de vi et vi arm. l.* 1. §. 6. D. *de itin. et actu priu.* Sed ex eo quidem opere nihil omnino in Pandectas migrauit. Idem dicendum de altero, Q. SATVRNINO: qui an idem sit cum Venuleio et Claudio Saturninis, disquisiuimus in *progr. de variis Saturninis*, ICt. [*Syllog. opusc. var. IIII. pag. edit. Geneu.* Certum est, quod scripserit *ad edictum*: eius enim operis librum *X.* laudat Vlpianus *l.* 19. §. 7. D. *de aur. arg. leg.* Denique et SEX. PEDIVS hic accensendus est, quem post Iulianum floruisse, colligunt ex *l.* 32. §. 16. D. *de recept. arbitr.* quia ibi probasse dicitur Iuliani sententiam. Opus eius *ad edictum* saepius laudant Vlpianus et Paullus, *l.* 6. §. 9. D. *de negot. gest. l.* 1. D. *de dolo mal. l.* 4. §. 2. *D. de alienat. iud. mut. causs. l.* 7. *l.* 13. §. 2. D. *de recept. arb. l.* 7. §. 3. D. *de pecul. l.* 1. §. 1. D. *de tribut. act.* et in primis *l.* 6. §. *fin.* D. *de bon. possess.* ex quo loco patet, satis diffusum fuisse hoc opus edictale, quippe cuius ibi liber XXV. a Iulio Paullo citatur. De aliorum commentariis.

§. XII.

Alii ICti, quamuis non iusta commentaria in edictum conficerent, libros tamen suos fere ad ordinem seriemque edicti perpetui disponere solebant. De Digestis Celsi, Marcelli, Scaeuolae, Quaestionibus Papiniani, Hermogenis Epitome iuris, Paulli Sententiis id obseruat Ob. Giphan. *Oecon. edict. perpet. pag.* 120. qui et Codices Hermogenis, Gregorii et Theodosii eo ordine compositos esse contendit, additque: *tanta fuit* Ad ordinem seriemque edicti perpetui plerique ICtorum libri *huius* scripti.

BIU Cujas

huius libri, siue edicti perpetui a Iuliano compositi auctoritas, vt omnes fere de iure libri et commentarii ad hoc edictum fuerint accommodati, qui edicto isto sunt posteriores. Quibus fere similia habet Euer. Otto in *Papinian. cap.* 12. § 6. Et de Celso quidem id certissimum, alibique iam a nobis obseruatum est, in *Progr. de P. Iuuent. Celso* [*Syllog. I. Opusc. num.* 13. *pag.* 531. *not.* (*k*) *edit. Geneu.*] vbi comparatis inter se fragmentis Celsi omnibus, subductisque rationibus hanc fecimus summam cogitationum nostrarum: *Ordo edicti in his Digestis obseruatur a libro I. ad librum* XXVII. *libro* XXVIII. *de legibus Cincia et Velleia; libro* XXVIIII. *de Fusia Caninia, Aelia Sentia, Iunia Norbana; libris* XXX. *et sex sequentibus, quod et Iac. Gothofredus in* Comment. ad reg. iur. pag. 748. *obseruauit, de lege Iulia et Papia Poppaea; libro* XXXVII. *de legibus iudiciorum publicorum, libro* XXXVIII. *de stipulationibus, ac postremo libro* XXXVIIII. *de iure fisci, re militari, aliisque, quae ad ius publicum pertinent, tractauerat.* Praeterea et fragmenta Celsi, non modo, quae ad leges Iuliam et Papiam Poppaeam pertinent, in Commentario nostro ad illas leges suis quaeque locis et capitibus adcommodauimus, sed et infra in *Notis ad edictum* idem tentauimus in fragmentis librorum priorum XXVII. vt de soliditate huius obseruationis neminem dubitaturum arbitrer. Aeque verum certumque est, Marcelli Digesta hunc edicti ordinem seruasse. Libro enim I. ille egit de magistratibus municipalibus et iuris dictionis modo. Libro II. de edendo, de pactis, de in ius vocando, postulando, cautione iudicio sisti, procuratoribus, negotiis gestis, et quibusdam in integrum restitutionibus. Libro III. de reliquis restitutionum caussis, arbitris, satisdando, iudiciis, et inofficiosi querela. Lib. IIII. de hereditatis petitione, rei vindicationibus, seruitutibus. Lib. V. de damnis, iudiciis diuisoriis, iureiurando, religiosis et sumtibus funerum. Lib. VI. de rebus creditis et contractibus. Lib. VII. de sponsalibus, nuptiis, iure dotium, et cognatis materiis. Lib. VIII. de donationibus inter virum et vxorem, diuortiis, rerum amotarum, ventre in possessionem mittendo, agnoscendo partu, de tutelis, de furtis, publicanis, operis libertorum. Lib. VIIII. de bonorum possessionibus. Lib. X. de testamento militis et testamentis. Libro XI. de successionibus ab intestato. Lib. XII.

de

BIU Cujas

de institutionibus, substitutionibus, conditionibus, SCto Syllaniano. Lib. XIII. XIIII. et parte XV. de legatis et fideicommissis, reliqua parte libri XV. de noui operis nunciatione, damno infecto, aquae pluuiae arcendae actione. Libro XVI. de cautis status. Libro XVII. de possessione et vsucapione. Lib. XVIII. de re iudicata et exsequutionibus. Lib. XVIIII. de interdictis. Lib. XX. de exceptionibus. Lib. XXI. de stipulationibus. Reliquis libris Marcellus exemplo Iuliani et Celsi suppleſſe videtur aliqua iuris capita, quae deesse in edicto existimabat. Eumdem ordinem et in Scaeuolae Digestis recte obseruauit Giphanius, nec non in Papiniani Quaestionibus, quibus et Responsa huius ICti addere iure potuisset. Vtrumque enim opus edicti perpetui ordinem sequi satis adparet ex indice horum operum, quem *Papiniano suo cap.* 17. subiungit Euer. Otto. Recte id de Hermogene etiam Giphanius obseruauit. Nam is ipse se eum ordinem obseruasse indicat *l.* 2. D. *de statu hom.* quamuis hic quaedam de statu personarum, praemiserit, quum in primis edicti titulis ea de re nihil dictum a praetore nouerimus. Immo ne in ceteris quidem adeo religiose ordini edicti inhaesisse videtur Hermogenianus, siquidem diserte ait, post doctrinam de statu hominum, *se de ceteris, ordinem edicti perpetui sequutum, et* HIS PROXIMOS et CONIVNCTOS ADPLICANTEM TITVLOS, *vt res postulat, dicturum.* Denique et in Paulli *Sententiis receptis*, nec non *Codice Gregoriano*, quamuis plures tituli culpa Aniani interciderint, eum edicti ordinem deprehenderunt viri doctissimi, Iac. Cuiac. *ad l.* 10. *D. vsufruct. quemadm. cau. ad Paull. ad edict. lib. XXXX.* et Ant. Schulting. *in Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 211. *et pag.* 684. De Hermogeniano id pro certo adfirmari non potest, quia ex eo tituli supersunt paucissimi, deque iis ne sciri quidem potest, an is ordo, qualem editores nobis dederunt, sit genuinus. Immo ne de Codice quidem Theodosiano plane falsus est Giphanius. Quamuis enim libri eius postremi vndecim fere de iure publico et sacro agant: in quinque tamen prioribus, qui ius priuatum comprehendunt, agitur primum de variis magistratuum officiis, deinde de ordine persequendi iuris et de praeparatoriis iudiciorum, de restitutionibus in integrum, iudiciis, actionibus ex dominio, tribus iudiciis diuisoriis, et de rebus creditis, variisque contractibus, hinc porro de emtione

BIU Cujas

tione venditione, nuptiis, tutelis, tum de bonorum possessionibus, testamentis, caussis status, possessione et vsucapione, re iudicata et cessione bonorum, nec non de interdictis, ac denique de legitimis successionibus, et quibusdam aliis, ceu recte obseruatum est a Iac. Gothofredo *in Proleg. Cod. Theod. cap.* 12. *pag.* 199. Quae omnia fere ordinem edicti perpetui redolere, nemo non videt, ipseque obseruasse videtur Gothofredus, dum scribit: *certe Gregoriani Codicis ordinem ferme sequutos conditores huius Codicis deprehendo, neque ab eo semper recedit Iustinianus.* Gregorianum enim Codicem edicti ordinem seruare, paullo ante vidimus. Possemus addere plures ex veteribus, quibus ille ordo edicti magnopere placuit, nisi vel haec exempla sufficere existimaremus.

FINIS HISTORIAE EDICTORVM, ET EDICTI PERPETVI.

BIU Cujas

IO. GOTTL. HEINECCII, IC.

OPVSCVLORVM
POSTVMORVM
TOMVS II.

EDICTI PERPETVI, ORDINI ET INTEGRITATI SVAE RESTITVTI,
PARTES II.

PRAEMISSIS VETERVM SCRIPTORVM DE HOC TESTIMONIIS,
CONTINENS.

BIU Cujas

BIU Cujas

DE EDICTO PERPETVO VETERVM SCRIPTORVM TESTIMONIA.

GELL. *Noct. Attic. lib. X. cap. 5.*

VErba praetoris ex EDICTO PERPETVO de Flamine diali et de sacerdote Vestae adscripsi.

ANTONIVS PIVS apud CALLISTR. *l. 32. D. ad leg. Cornel. de falsf.*

Diuus Pius Claudio rescripsit, pro mensura cuiusque delicti constituendum in eos, qui apud iudices argumenta protulerunt: aut, si plus meruisse videantur, quam ex FORMA IVRISDICTIONIS pati possunt, vt imperatori describantur, aestimaturo, quatenus coerceri debeant.

CERVID. SCAEVOLA *l. 4. D. de ventr. inspic.*

Quaesitum est, quum vxor defuncti praegnantem se dicat, an sorori, procuratoriue eius, secundum FORMAM EDICTI ventrem inspicere, et partum custodire permittendum sit? Respondi, κ. τ. λ.

CALLISTRATVS *l. 1. §. 1. D. de iure fisci.*

An bona, quae soluendo non sunt, ipso iure ad fiscum pertineant, quaesitum est. Labeo scribit, etiam eo, quod soluendo non sint, ipso iure ad fiscum pertinere. Sed contra sententiam eius EDICTVM PERPETVVM scriptum est, quod ita bona veneunt, si ex his fisco adquiri nihil possit.

SEVERVS et ANTONIN. AA. *l. 2. C. quod cum eo, qui in al. potest.*

Eius rei nomine, de qua cum filiofamilias contractum est, siue sua

BIU Cujas

voluntate, siue eius, in cuius potestate fuit, siue in peculium ipsius, siue in rem patris ea pecunia redacta est, si paterna hereditate abstinuit, actionem, nisi in id, quod facere possit, non dari, PERPETVI EDICTI interpretatione declaratum est.

SEVERVS et ANTONIN. AA. *l.* 3. *C. de edendo.*

Edita actio speciem futurae litis demonstrat, quam emendari vel mutari licet, prout EDICTI PERPETVI monet auctoritas, vel ius reddentis aequitas.

IDEM *l.* 2. *C. de condition. insert.*

Nec exemplum legati vel hereditatis, in quibus conditio diuortii nonnumquam remitti solet, huic rei comparandum est: quum absurdum sit, ideo PERPETVI EDICTI negligi FORMAM, quia patris sui voluntati non obtemperatur.

ANTONINVS CARACALLA imp. *l.* 1. *C. si tut. vel curat. interuen.*

Quod si legitimam aetatem implestis, idque tempus, quo in integrum restitui potestis, excessistis, curatores vestros, si aduersus eos nondum experti estis, iudicio SECVNDVM FORMAM IVRIS conuenite.

PAPINIANVS *l.* 5. §. 1. *D. vt legat. vel fideic. caufs. caueat.*

Sicuti, quum de bonis suis conferendis filius, accepta possessione cauere non potest, quia denegamus ei actiones, defertur ei conditio cauendi fratribus ex FORMA IVRISDICTIONIS, quod ex portione fratris fuerint consequuti, quum bona propria conferri coeperit, se restituturos.

IDEM *l.* 77. §. 29. *D. de legat.* 2.

Iure successionis ad duos eiusdem gradus possessione deuoluta, rationibus aequitatis, et PERPETVI EDICTI exemplo, pro parte dimidia mulierem releuandam, respondi.

ANTONIN. CARAC. *l.* 5. *C. de procurat.*

Actionem ei, qui absentis nomine agere vult, si non eum defendat denegari oportere, iam EDICTO PERPETVO expressum est.

ALEXANDER imp. *l.* 1. *C. de bon. possess. contra tab.*

Liberi contra tabulas parentum bonorum possessione admissa, solis pare-

BIU Cujas

parentibus et liberis legata praestare, secundum EDICTVM debent.

ALEXANDER imp. *l. 9. C. de legat.*

Si in fraudem eorum, quae testamento relicta sunt, admissus est accusator, qui testamentum falsum diceret: praeses prouinciae secundum IVRISDICTIONIS FORMAM solui legata iubebit.

IDEM *l. 1. C. de succes. edict.*

Si mater tua propter furorem suum patris sui bonorum possessionem non accepit, tu filius eius ad eorumdem bonorum patrui magni possessionem ex EDICTO, quo prioribus non petentibus sequentibus permittitur, admissus es.

IDEM *l. 6. C. vt in possess. legat.*

Certa est FORMA IVRISDICTIONIS, qua fideicommissi seruandi caussa in possessionem rerum, quae in caussa hereditaria sunt, aut dolo malo esse desierunt, is, cui legati vel fideicommissi nomine non satisdatur, mittitur.

IDEM *l. 2. C. de restitut. milit.*

Si quid de bonis eorum, qui reipublicae caussa absentes sunt deminutum est, actioneue qua competente eis, aliquis liberatus fuit: in integrum restitutio PERPETVA IVRISDICTIONE intra annum vtilem permittitur.

IDEM *l. 4. C. de arbitr. tut. l. 1. C. Greg. eod.*

Eum, qui bonis paternis secundum EDICTI FORMAM absentus est, hereditariis actionibus conueniri, nulla ratio suadet.

VLPIAN. *l. 5. D. de extraord. criminib.*

In eum, cuius instinctu ad infamandum dominum seruus ad statuam confugisse compertus est, praeter corrupti serui actionem, quae ex EDICTO PERPETVO competit, seuere animaduertitur.

IDEM *l. 8. D. de calumniat.*

Id, quod illicite extortum est, secundum EDICTI FORMAM, quod de his est, qui pecuniam, vt negotium facerent, aut non facerent, accepisse dicerentur, restitui iubeat.

PAVLL. *Sent. recept. lib. I. tit. 20. §. 1.*

Inter fideiussores ex EDICTO PRAETORIS, si soluendo sint; licet singuli in solidum teneantur, obligatio diuiditur.

BIU Cujas

PAVLL. *Sent. recept. lib. IIII. tit. 7. §. 6.*

EDICTO PERPETVO cauetur, vt si tabulae testamenti non adpareant, de earum exhibitione interdicto reddito, intra annum agi possit.

IDEM *l. 7. §. 1. D. de adpellat. recip. vel non.*

Item, si ex PERPETVO EDICTO aliquid decernatur, id, quo minus fiat, non permittitur adpellare.

IDEM *l. 14. D. qui satisdar. cog.*

Filius familias defendit absentem patrem: quaero, an iudicatum solui satisdare debeat? Paullus respondit, eum, qui absentem defendit, etiamsi filius vel pater sit, satisdare petituro ex FORMA EDICTI debere.

GORDIANVS imp. *l. 5. C. de his, quae vi metusue causs.*

Si adhibita vi compulsi sunt possessiones suas, quae maioris valebant, minimo distrahere: IVRISDICTIONIS TENORE, vt id, quod improbe factum est, in priorem statum reuoluatur, impetrabunt.

IDEM *l. 2. C. de praed. et al. reb. min.*

Quod si creditores id fecerunt, ita demum iuxta FORMAM EDICTI beneficium tibi impertietur, si fraudulenta venditione, participante consilio emtoris damnum tibi inflictum esse doceatur.

IDEM *l. 13. C. de procurat.*

Nam si integra res est, ratio PERPETVI EDICTI acceptam tibi non permittit alieno nomine actionem intendere.

IDEM *l. 3. C. de his, quae vi metusue causs.*

Si vi vel metu fundum auus tuus distrahere coactus est, etiamsi emtor eum alii vendidit, si tamen tu auo tuo heres exstitisti, vt tibi, reddito a te pretio restituatur, postquam placuit, in rem quoque dari actionem, secundum FORMAM PERPETVI EDICTI, adito praeside prouinciae, poteris postulare.

IDEM *l. 4. C. de his, quae vi metusue causs.*

Si per vim vel metum mortis aut cruciatus corporis venditio a vobis extorta est, et non postea eam consensu corroborastis: iuxta PERPETVI FORMAM EDICTI intra annum quidem agentes, quo experiundi potestas est, quadrupli condemnationem referetis.

GOR-

BIU Cujas

GORDIANVS imp. *l. 2. C. de in ius voc.*

Quum confitearis, patroni tui filium sine permissu praesidis te in ius vocasse, poenam EDICTO PERPETVO praestitutam rescripto tibi concedi, temere desideras.

IDEM *l. 2. C. de bon. possess. sec. tab.*

Bonorum quidem possessionem ex EDICTO PRAETORIS non nisi secundum eas tabulas, quae septem testium signis signatae sint, peti posse, in dubium non venit.

IDEM *l. vn. C. quando non petent. part. petent.*

Quoties pluribus liberis, cessante legitima successione, bonorum possessio defertur, beneficium EDICTI PERPETVI, quibusdam omittentibus, his solis, qui bonorum possessionem agnouerunt, portionem non petentium accrescere, in dubium non venit.

IDEM *l. 2. C. de bon. auct. iud. possid.*

Est IVRISDICTIONIS TENOR promtissimus, indemnitatisque remedium EDICTO PRAETORIS creditoribus hereditariis demonstratum, vt, quoties separationem bonorum postulant, caussa cognita, impetrent.

PHILIPPVS imp. *l. 1. C. de inoffic. donat.*

Non iniuria iuxta FORMAM de inofficioso testamento CONSTITVTAM subueniri vobis, vtpote quartam partem non habentibus, desideratis.

MODESTINVS *l. 52. §. 6. D. de oblig. et action.*

Iure honorario obligamur ex his, quae EDICTO PERPETVO vel a magistratu fieri praecipiuntur, vel fieri prohibentur.

HERMOGENIAN. *l. 2. D. de statu hom.*

Quum igitur hominum caussa omne ius constitutum sit: primo de personarum statu, ac post de ceteris, ordinem EDICTI PERPETVI sequuti, et his proximos et coniunctos adplicantes titulos, vt res patitur, dicemus.

VALERIANVS et GALLIENVS AA. *l. 18. C. ex quib. causs. infam. irrogatur.*

Non damnatos quidem duntaxat iniuriae, sed pactos quoque PERPETVVM EDICTVM infamat. Verum pactos eos tantum, qui vllos aduersariis nummos pro mala conscientia ex transactione numerassent, in hac caussa placuit intelligi.

CARVS

CARVS et NVMERIANVS AA. apud *Auctorem consultationis veteris ICti* §. 1. apud Schulting. in *Iuris prudent. vet. anteiustin. pag.* 814.

Quum fraudis studio transactionem interpositam esse dicas, quod inter vos gestum est, infirmat IVRIS AVCTORITAS.

DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. *l.* 2. *C. rer. amot.*

Diuortii causa rebus vxoris a marito amotis, vel ab vxore mariti amotarum EDICTO PERPETVO permittitur actio.

IIDEM *l.* 12. *C. quod cum eo, qui in alien. potestat.*

Dominum per seruum obligari non posse, ac tantum de peculio, deducto scilicet, quod naturaliter seruus domino debet, eius creditoribus dari actionem, vt si quid in rem eius versum probetur, de in rem verso, EDICTO PERPETVO declaratur.

IIDEM *l.* 9. *C. eod.*

Si ex alio contractu, non ex illicita mutui actione debitor exstitisti, vel quod patrem tuum in fidem suscepisti, tam in patris potestate iure teneris, quam etiam morte genitoris tui iuris effectus, et siquidem patri heres exstitisti, in solidum, alioquin in quantum facere potes, secundum EDICTI FORMAM.

IIDEM *l. vn. C. de alienat. iudic. mut. causs.*

In rem actionem possessio parit aduersario, alienatione etiam iudicii mutandi causa celebrata, in integrum restitutio EDICTO PERPETVO permittitur.

IIDEM *l.* 1. *C. si aduers. solut.*

Exemplo ceterorum debitorum tutores etiam, quae ex administratione tutelae debent, curatoribus soluentes liberantur: sed ante tempus in integrum restitutioni praestitutum, EDICTO PERPETVO permissum beneficium implorari, et an sit tribuendum per causae cognitionem aestimari potest.

IIDEM *l.* 1. *C. in comm. eademque causs.*

Si cognitis, quae gessit, his consensum post viginti quinque annos aetatis commodastis, quamuis illa minor pro portione sua restitutionis auxilium implorare possit, vobis tamen ad communicandum EDICTI PERPETVI beneficium eius aetas patrocinari non potest.

DIO-

BIU Cujas

DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. *l. 7. C. de his, quae vi metusue cauſſ.*

Si donationis, vel tranſactionis, vel ſtipulationis, vel cuiuſcumque alterius contractus obligationis confectum inſtrumentum metu mortis vel cruciatus corporis extortum, vel capitales minas pertimeſcendo, adito praeſide prouinciae, probare poteris, hoc ratum haberi ſecundum EDICTI FORMAM non patietur.

IDEM *l. 9. C. de patr. poteſt.*

Nec filium cuiquam negare eſſe liberum, SCto de partu agnoſcendo, ac denunciata poena, item praeiudicium EDICTO PERPETVO propoſitum, et remedium alimentorum, quod praeſidem maiori trimo petenti, nomine eius monſtratum iura manifeſto declarant.

IDEM *l. 13. C. de teſtam.*

Teſtandi cauſſa de pecunia ſua legibus certis facultas eſt permiſſa: non autem IVRIS DICTIONIS mutare FORMAM, vel iuri publico derogare cuiquam permiſſum eſt.

IDEM *l. vn. C. vti poſſid.*

Vti poſſidetis fundum, de quo agitur, quum ab altero nec vi, nec clam, nec precario poſſideatis, rector prouinciae vim fieri prohibebit, ac ſatiſdationis vel transferendae poſſeſſionis EDICTI PERPETVI FORMA ſeruata, de proprietate cognoſcet.

IDEM *l. 18. C. de furt. et ſeru. corrupt.*

In eum, qui ex naufragio vel incendio cepiſſe, vel in his rebus damni quid dediſſe dicitur, intra annum vtilem ei, cui res abeſt, quadrupli, poſt annum in ſimplum actionem proditam, praeter poenam, olim ſtatutam, EDICTI FORMA PERPETVI declarat.

IDEM *l. 9. C. de collation.*

Ab inteſtato te ad ſucceſſionem paternam venientem ad collationem FORMA EDICTI PERPETVI certo iure prouocat.

IDEM *l. 6. C. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.*

Iuris ignorantiam nec mulieribus prodeſſe, in EDICTI PERPETVI curſu de agnoſcenda bonorum poſſeſſione manifeſtum eſt.

BIU Cujas

DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS AA. *l.* 11. *C. de collat.*

Postumo praeterito, patris testamentum rumpenti, atque intestato succedenti, emancipatum, petita bonorum possessione conferre debere bona sua, PERPETVO EDICTO cauetur.

IIDEM *l.* 19. *C. ad SC. Velleian.*

Quum ad eas etiam obligationes, quae ex mulieris persona calliditate creditoris sumserunt primordium, decretum patrum, quod de intercessione feminarum factum est, pertinere, EDICTO PERPETVO declaratur: si tamen creditor. κ. τ. λ.

IIDEM *l.* 3. *C. de luit. pignor.*

Cum etiam EDICTO PERPETVO actione proposita, pecunia soluta creditori, vel si per eum factum sit, quo minus solueretur, ad reddenda ea, quae pignori acceperat, iure eum satis euidenter vrgeri, manifestum est.

IIDEM *l.* 8. *C. de iniur.*

Dominum pro atroci iniuria, quam seruus eius passus est, EDICTI PERPETVI actione proposita, qua damni etiam haberi rationem, verbis euidenter exprimitur, agere posse conuenit.

IIDEM *l.* 2. *C. sentent. resc. non poss.*

Peremtorias exceptiones omissas in initio, antequam sententia feratur, opponi posse, PERPETVVM EDICTVM manifesto declarat.

IIDEM *l.* 6. *C. de reuoc. quae in fraud.*

Si actu sollemni praecedentem obligationem peremisti, prospicis, aduersus fraudatorem intra annum, in quantum facere potest, vel dolo malo fecit, quo minus possit, EDICTO PERPETVO tantum actionem permitti.

IIDEM *l.* 2. *C. de succes. edicto.*

Si is, quem quarto gradu constitutum esse non ambigitur, ex EDICTO petiit, nec hoc te latuit, frustra nobis supplicasti.

IIDEM *l.* 7. *C. de incol.*

Ciues quidem origo, manumissio, adlectio vel adoptio; incolas vero, (sicut et diuus Hadrianus EDICTO SVO manifestissime declarauit) domicilium facit.

Fragmen-

BIU Cujas

Fragmentum regularum veteris ICti, §. 2. apud Schulting. in *Iuris prud. vet. anteiuſtin. pag.* 803. *a Petro Pithoeo primum editum* §. 2.

Sed conſtitutiones imperatoris ſimiliter honorandum quid (f. *honorarium quid*) eſt, et PRAETORIS EDICTVM ſimiliter, vel PROCONSVLIS.

DIOCLET. et MAXIMIAN. AA. *l.* 15. *C. Gregor. de pact.*

Pactum, quod contra IVRIS FORMAM prouinciae rector factum animaduertet, id infirmare minime dubitabit.

AVRELIVS (f. *Diocletianus*) *l.* 1. *C. Hermog. ex delict. defunct.*

Auditis partium adlegationibus V. C. proconſul prouinciae Africae, amicus noſter, in pronunciando FORMAM IVRIS ſequetur.

DIOCLET. et MAXIM. AA. *l.* 1. *Cod. Hermog. de ſucceſſ.* add. Auct. *veteris conſult.* §. 6. apud Schulting. in *Iuris prud. vet. anteiuſtin. pag.* 820.

Si ſecundum EDICTI FORMAM teſtamentum ſignatum exſiſtit, bona, quae quum moreretur auctor tuus, eius fuerunt, ſollemniter petis. (f. *pete.*)

EVSEB. *Chronic. n.* 2147.

Saluius Iulianus PERPETVVM condidit EDICTVM.

SPARTIAN. *Seuer. cap.* 17.

Saluii Iuliani DECRETA iuſſit aboleri, quod non obtinuit.

FEST. voc. *poſſeſſio pag.* 372. edit. Gothofred.

Itaque in legitimis actionibus nemo ex his, qui poſſeſſionem ſuam vocare audet, ſed ad interdictum venit, vt PRAETOR his verbis vtatur: VTI NVNC POSSIDETIS EVM FVNDVM, QVO DE AGITVR, QVOD NEC VI NEC CLAM NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS, ITA POSSIDEATIS, ADVERSVS EA VIM FIERI VETO.

AVREL. VICTOR Schotti *in Didio Iuliano, pag.* 137. *edit. Daceriae.*

Genus ei praenobile, iuriſque vrbani praeſtans ſcientia, quippe qui primus edictum, quod varie inconditeque a praetoribus promebatur, in ordinem compoſuerit.

BIU Cujas

EVTROPIVS *lib. VIII. cap.* 9.

Post eum Saluius Iulianus rem publicam inuasit, vir nobilis et iuris peritissimus, nepos Saluii Iuliani, qui sub diuo Hadriano PERPETVVM composuit EDICTVM.

PAEANIVS *in Metaphr. Graec. ibid.*

Ἰουλιανὸς δὲ ἦν ὁ τάυτην ἐγείρας τὴν στάσιν, ὃς καὶ τὴν βασιλείαν ἥρπασεν. ἐπιφανὴς μὲν καὶ νόμους ἐξησκημένος· Ἰουλιανῦ γὰρ ἔκγονος ἦν, ὃς τὸ ΔΙΗΝΕΚΕΣ ΔΙΑΤΑΓΜΑ τοῖς Ἀδριανῦ χρόνοις συνέταξεν, ὃ μέχρι νῦν ΑΔΡΙΑΝΙΟΝ καλεῖται, κατὰ τὴν τῶν Ἰταλῶν φωνὴν ΗΔΙΚΤΟΝ ΠΕΡΠΕΤΟΥΟΝ.

Eam vero seditionem Iulianus ille excitauerat, qui postea et imperium illico inuasit: vir illustris, et in iuris prudentia exercitatissimus, nepos quippe Iuliani istius, qui edictum perpetuum Hadriani temporibus composuerat, quod adhuc Hadrianeum, Latinis edictum perpetuum vocatur.

IVSTINIANVS *l.* 10. *C. de condict. indeb.*

Et huius sententiae subtilissimum testem adducit Saluium Iulianum, summae auctoritatis hominem, et PRAETORII EDICTI PERPETVI ordinatorem.

IVSTINIANVS *Constit. Graeca ad senatum* §. 18. *de confirm. Digest.*

Καὶ οὐκ ἡμέτερόν γε τοῦτο λέγομεν μόνον, ἀλλ' ἤδη καὶ ὁ πάντων τῶν ἐν νομοθέταις ἠυδοκιμηκότων σοφούτατος Ἰουλιανὸς αὐτὸ τοῦτο φαίνεται λέγων, καὶ τὴν ἐκ τῆς βασιλείας ἐπὶ τὰς ἀναφυομένας ζητήσεσιν ἐπικαλύμενος ἀναπλήρωσιν, καὶ πρός γε Ἀδριανὸς, ὁ τῆς εὐσεβῆς λήξεως, ὃ τε παρὰ τῶν Πραιτώρων κατ' ἔτος ἐκάστου νομοθετούμενα ἐν βραχεῖ τινι συνῆγε βιβλίῳ, τὸν κεφάλαιον Ἰουλιανὸν πρὸς τοῦτο παραλαβὼν κατὰ τὸν λόγον, ὃν ἐν κοινῷ διεξῆλθεν ἐπὶ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, αὐτὸ δὴ τοῦτο φησὶν, ὡς εἴ τι παρὰ τὸ διατεταγμένον ἀνακύψειεν, πρόσηκον εἶναι τοὺς ἐν ἀρχαῖς τοῦτο πειρᾶσθαι διαιρεῖν καὶ θεραπεύειν κατὰ τὴν ἐκ τῶν ἤδη διατεταγμένων ἀκολουθείαν.

Et hoc non primum a nobis dictum est: sed ab antiqua descendit prosapia, quum et ipse Iulianus, legum et edicti perpetui subtilissimus condi-

BIU Cujas

conditor, in suis libris hoc retulerit, vt si quid imperfectum inueniatur, ab imperiali sanctione hoc repleatur. Et hoc non ipse solus, sed et diuus Hadrianus in compositione edicti, et SCto, quod eam sequutum est, hoc apertissime definiuit. l. 2. §. 18. C. de vet. iur. enucl.

IVSTINIANVS *l. 1. §. 5. C. de vet. iur. enucl.*

Quumque haec materia summa nostri numinis liberalitate collecta fuerit, eam pulcherrimo opere exstruere, et quasi proprium et sanctissimum templum iustitiae consecrare: et in libros quinquaginta et certos titulos totum digerere, tam secundum nostri Codicis constitutionem, quam EDICTI PERPETVI imitationem.

IDEM Constit. *omnem reipubl. §. 1. ad antecessor.*

Et primi anni hoc opus legentibus tradebatur, non secundum EDICTI PERPETVI ordinationem, sed passim, et quasi per saturam collectum, vtile cum inutilibus mixtum, maxima parte inutilibus deputata.

IDEM *ibid. §. 3.*

In secundo autem anno, per quem ex EDICTO nomen antea eis positum, et a nobis probatur. κ. τ. λ.

PAVLL. DIAC. *Histor. miscell. lib. X. cap. 20.*

Post eum Didius Saluius Iulianus, ortu Mediolanensis, nonus decimus ab Augusto, rem publicam inuasit, vir nobilis et iure peritissimus, nepos Saluii Iuliani, qui sub Diuo Antonino PERPETVVM composuit EDICTVM.

LEO IMP. *Prooem.* Βασιλικῶν.

Ἰουστιανὸς, ὁ βασιλέων περιώνυμος ἅτε παρὰ Ἀδριανῷ, τῷ πάλαι Ῥωμαίων ἄρξαντος συνελέγη λαβὼν καὶ ταῦτα ἐν τεύχεσι ἓ διατάξας ἰδίαν καὶ διακεκριμένην ἀπειργάσατο πραγματείαν, Δίγεστα τούτοις ἤτοι Πανδέκτην ὄνομα θέμενος,

Iustinianus celeberrimus inter imperatores nominis ea, quae Hadrianus, Romanorum imperator collegerat, accipiens, eaque in libros quinquaginta redigens, proprium et separatum opus confecit, Digestorum seu Pandectarum ei nomen imponens.

BIU Cujas

MATTH. BLASTARES, Hieromonachus, *in Historia iuris apud* Io. Alb. Fabricium *Biblioth. Graecae vol. XII. pag.* 367. *seqq.*

Ταῦτα πάλιν ὁ πολὺ μετὰ Αὔγυστον ἄρξας Ἁδριανὸς ἀθροίσας εἰς ἓν τὰ μὲν τῶν ἄλλων πάντων ἰδίαν ἐποιήσατο φραγματείαν ἐν βίβλοις θεωρεμένην πεντήκοντα ΔΙΓΕΣΤΑ τούτοις, ἤτοι πανδέκτην ὄνομα θέμενος, ὡς ἐκ πολλῶν δηλαδὴ συλλέγοντα.

Haec iterum Hadrianus, qui multo post Augustum imperauit, aliorum quidem praescripta omnia in vnum colligens, opus confecit, in quinquaginta libros distributum, Digestorum siue Pandectarum vocabulo ab eo adpellatum, quia e multis erant collecta. [*Quae quam male descripta et imprudenter interpolata sint a* BLASTARE, *ex comparatione huius loci et eius, quem paullo ante ex* LEONIS *imp. prooemio decerpsimus, manifestum est.*]

EDICTI

EDICTI PERPETVI,

ORDINI ATQVE INTEGRITATI SVAE RESTITVTI,

PARS I.

QVAE IN PANDECTIS

ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ

NOMINE VENIT.

HVB. GIPHAN. *Oecon. iur. pag.* 122. *Videtur ergo edictum perpetuum* IVLIANI *in decem partes distribui posse, quarum* PRIMA *dicatur τὰ πρῶτα, et prima, siue praeparatoria iudicii contineat.*

SENATVSCONSVLTVM EDICTO PROOEMII LOCO PRAEMISSVM. (a)

(VLPIAN.

PROBATIONES ET ADNOTATIONES.

(a) PRAEMISSVM.] Sollemne erat imperatoribus Romanis, edicta alicuius momenti SCtis firmare, ceu probant CVIAC. *ad Paulli lib. XXX. ad edict. pag.* 447. *tom. V. Oper. edit. nouiss. et* PETR. FAB. *Semestr. lib. I. cap.* 24. Nobis ergo probandum erit, *primum*, etiam edictum perpetuum SCto firmatum esse, *deinde*, illud prooemii loco praemissum esse edicto, et easdem *denique* sententias, quas hic expressimus

BIU Cujas

(VLPIAN. PAVLL. CAIVS. IVLIANVS. CELSVS LIB. I.)

A. D. *** (b) Ser. Octauius Laenas Pontianus et M. Antonius Rufinus, Coss. (c) verba fecerunt de his, quae IMP. CAESAR, DIVI TRAIANI, PARTHICI, FILIVS, DIVI NERVAE

preſſimus comprehendiſſe. PRIMVM probatur ex celeberrima IVSTINIANI *conſtitutione ad ſenatum et omnes populos de confirmatione Digeſt.* §. 18. vbi non modo laudat τὸν λόγον τῆ̃ Ἀδριανῆ̃, ἐν κοινῷ διεξελθόντα ἐπὶ τῆς πρεσβυτέρης Ῥώμης, *orationem d. Hadriani in ſenatu veteris Romae recitatam:* ſed et integram ex ea ſententiam adducit. Orationes autem principum SCtis praemittebantur. Et mirum ſane videretur, ſi rem tanti momenti cum ſenatu non communicaſſet Hadrianus, de quo DIO CASS. *lib. LXVIIII. pag.* 790. ἔπραττε δὲ καὶ διὰ τῆ̃ βουλευτηρίου πάντα τὰ μεγάλα καὶ ἀναγκαιότατα: *res magnas et valde neceſſarias non gerebat, niſi interpoſita ſenatus auctoritate.* ALTERVM demonſtrari poteſt ex VLPIANI *lib. I. ad edict. l.* 102. *pr. D. de reg. iur.* vbi interpretationem verborum ADVERSVS EDICTVM FACERE ad hoc prooemium vel SC. noſtrum pertinere, recte vidit IACOB. GOTHOFRED. *Comm. ad regul. iur. pag.* 449. quum CVIAC. *Tom. VIII. Oper. pag.* 707. id fragmentum perperam referat ad caput edicti perpetui: *quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit.* TERTIVM denique probatu facillimum eſt. *Prima* enim paragraphus ſollemnia SC. verba et formulas continet. *Alterius* ſententiam nobis ſeruauit IVSTINIANVS conſtitutione paullo ante laudata §. 18. *Tertiae*, quae ſanctionem poenalem complectitur, veſtigia expreſſiſſima exſtant apud VLPIAN. *d. l.* 102. *pr. D. de reg. iur.*

(b) *A. D. ***]* Verba haec ſollemnia expreſſimus ex SCto, quod noſtrum paucis annis anteceſſit, et integrum exſtat *l.* 20. §. 6. *D. de hered. petit.* Quumque ex eo intelligamus, in principio ſtatim notari conſueuiſſe diem et conſules, quod et de aliis SCtis, probant BRISSON. *de formul. lib. II. pag.* 192. et NORIS. *Cenotaph. Piſan. diſſ. II. cap.* 17. *pag.* 342. nobis vero quum de die et menſe, quibus hoc SC. factum eſt, nihil certo conſtet: relinquenda hic fuit lacuna, quam aſteriſcis expleuimus.

(c) *Coss.*] Habes hoc par conſulum in marmore apud GRVTER. *pag.* 179. 6. vbi vocantur SER. LAENAS PONTIANVS et M. ANTONIVS RVFINVS, nec non in alio

pag.

BIU Cujas

NERVAE NEPOS, HADRIANVS AVG. PONT. MAX. P. P. (d) die ***, qui proxime fuerunt, libello complexus est QVID

pag. 337. vbi tamen posterior cos. perperam vocatur ANNIVS RVFINVS. Incidit horum consulatus in annum erae Dionys. 131. eoque anno edictum perpetuum conditum esse, tradit EVSEB. *in Chron.* qui ad annum Hadriani 15. Olymp. 227. 3. *p.* 167. *edit. Scalig.* scribit: *Saluius Iulianus pepetuum composuit edictum.* Idque eo probabilius est, quo certius constat, Hadrianum eo anno celebrasse quindecennalia, quibus, vti et decennalibus, et vicennalibus principes plerosque actus, memorabiles ad posteritatem, explicare solebant. ANT. PAGI *Dissert. hypat. part. II. cap.* 11. *pag.* 209. *Critic. in Baron. tom. I. pag.* 127. Et sane didicisse hoc potuit EVSEBIVS ex IVL. AFRICANO, qui opus suum chronologicum absoluit *Grato* et *Seleuco* coss. anno erae Dionys. 221. GEORG. SYNCELL. *pag.* 212. adeoque non multum abfuit ab Hadriani temporibus, quibus conditum est edictum perpetuum.

(d) PONT. MAX. P. P.] Paullo aliter Hadriani titulos recenseri videmus in SCto, quod alioquin hic nobis pro norma fuit, *l.* 20. §. 6. *D. de hered. petit.* Ibi enim Hadrianus vocatur IMPERATOR MAXIMVSQVE PRINCEPS, eodem fere modo, ac olim Persarum Parthorumque reges dicebantur μεγάλοι βασιλεῖς. ARISTOPH. *Plut. v.* 170. IVLIAN. IMP. *orat. VI.* Sed in mendo cubare illam legem 20. et verba: MAX. P. P. ab aliquo mutata esse in illa: MAXIMVSQVE PRINCEPS PROPOSVIT, iam suspicatus est PETR. PITH. *Aduersar. lib. II. cap.* 15. Et recte quidem ex mea sententia. Nam primo vocabulum IMPERATOR *d. l.* 20. §. 6. in eodem titulo sine exemplo bis repetitur. Deinde illud PROPOSVIT non potest cum consequentibus verbis consistere, quum contra omnia eleganter fluant hoc modo: *coss. verba fecerunt de his, quae imp. Caes. D. Traiani, Parthici, filius, D. Neruae nepos, Hadrianus, aug. pontifex max. pater patriae, libello complexus esset.* Fatendum tamen est, Hadrianum aliquando omnino dictum esse OPTIMVM MAXIMVMQVE PRINCIPEM, GRVTER. *Inscript. pag.* 249. 2. REINES. *Inscript. class. III. n.* 13. *et* 15. quin et ἀσυνθέτως OPTIMVM MAXIMVM: CAPAC. *Histor. Neapolit. lib. II. cap.* 12. quum tamen id cognomen solius Iouis fuisse, contendat REINES. *ad Inscript. p.* 331. Simili OPTIMI MAXIMIQVE PRINCIPIS titulo vsi sunt Antoninus Pius apud REINES. *Inscript. class. III. n.* 23. itemque

FACULTÉ DE DROIT DE PARIS BIBLIOTHÈQUE
FACULTÉ de DROIT DE PARIS
BIU Cujas

(e), QVID FIERI PLACEAT. DE QVA RE ITA CENSVERVNT. §. I. Quod IMP. CAESAR DIVI TRAIANI, PARTHICI, FILIVS, DIVI NERVAE NEPOS, HADRIANVS, AVG. edicta praetorum, proconsulum, ac praesidum prouinciarum, varie adhuc quotannis proposita, in ordinem redigi, ac per [M.] SALVIVM IVLIANVM, v. c. (f) breui libello comprehendi (g) componique iusserit: PLACERE, vt illud

Seuerus, eiusque filius, Antoninus Caracalla, teste CVIAC. *Obseru. lib. II. cap.* 33.

(e) LIBELLO COMPLEXVS EST.] *Libellus* idem est, ac oratio principis, quae praemitti solebat SCtis, *l. penult. D. ad SC. Tertull. l.* 8. *pr. D. de transact.* IVSTINIANO in laudata constitutione §. 18. λόγος ἐν κοινῷ διεξελθών. Maluimus tamen *libello*, quam *oratione*: partim quod eadem loquutio est in *l.* 20. §. 6. *D. de hered. petit.* partim quod Hadrianus eo tempore ab vrbe abfuit. ANT. PAGI *Crit. Baron. tom. I. pag.* 128. Absentes vero principes loco orationum, quas ipsi aliquando recitare solebant, ad senatum mittebant epistolas vel libellos, quorum recitatio ad officium quaestorum candidatorum pertinebat: *l. vn. §. vlt. D. de offic. quaestor.* BRISS. *Antiqu. sel. lib. I. cap.* 17. REINES. *Inscript. class. II. n.* 16. *class. VI. n.* 40 *class. VII. n.* 132. et *Variar. lib. III. cap.* 16. idque iam ab Augusti temporibus. SVETON. *Octau. cap.* 65. DIO CASS. *lib. LIIII. pag.* 539.

(f) IVLIANVM v. c.] Esse hunc edicti perpetui auctorem, in vulgus notum est. De eius vita plura suo loco. MARCI praenomen ei, nescio quem sequutus auctorem, tribuit RVPERTVS in *Animaduersion. ad Pompon. Enchirid.* Nos illud, tamquam non satis certum vncinulis inclusimus. Addidimus epitheton v. c. quod iam ante Hadriani tempora proprium senatoribus fuisse, lapides docent. REINES. *Inscript. class. VII. n.* 11.

(g) COMPREHENDI.] In hoc constitit Saluii Iuliani opera, quam his similibusque verbis describunt veteres. AVREL. VICT. *Schotti, cap.* 19. *Hadriani iussu, quod varie inconditeque a praetoribus promebatur,* IN ORDINEM COMPOSVIT. EVTROP. *Histor. lib. VIII. cap.* 9. *Iulianus, nepos Saluii Iuliani, qui sub Hadriano perpetuum* COMPOSVIT *edictum.* Quod ita expressit PAEANIVS: ὁ τὰ διηνεκὲς διάταγμα τοῖς Ἁδριανοῦ χρόνοις ΣΥΝΕΤΑΞΕΝ. EVSEBIVS: *Saluius Iulia-*

lud edictum, a [M.] SALVIO IVLIANO v. c. compositum, in vrbe ac prouinciis (h) vim auctoritatemque edicti perpetui

Iulianus perpetuum COMPOSVIT *edictum.* Denique IVSTINIANVS saepe laudata *constitutione* ad senatum et omnes populos *de confirm. Digest. §.* 18. Ἀδριανὸς τὰ παρὰ τῶν πραιτώρων κατ' ἔτος ἕκαστον νομοθετούμενα ἐν βραχεῖ τινὶ ΣΥΝΗΓΕ βιβλίῳ, τὸν κράτιστον Ἰουλιανὸν πρὸς τοῦτο παραλαβών: *diuus Hadrianus ea, quae a praetoribus quotannis edita fuerant, breui* COMPLEXVS *est libello, adsumto ad id optimo Iuliano.* Nec omittendus locus *l.* 10. *C. de condict. indeb.* vbi Iulianus vocatur *praetorii perpetui edicti* ORDINATOR. Quae omnia eo pertinent, quod Iulianus non modo vetera edicta collegerit, et in vnum redegerit corpus, sed et eadem iusto et concinniore ordine digesserit. Quod tamen ab eo vix potuit fieri, quin quaedam, quae pridem exoleuerant, praetermitteret, quaedam ad temporum suorum mores inflecteret mutaretque, quaedam denique, quae dies postulare videbatur, adiiceret: vt adeo IVLIANVS in componendo edicto perpetuo eadem prope vsus sit libertate, qua postea in compilandis Digestis principumque constitutionibus, permittente Iustiniano, vsi sunt Tribonianus, eiusque socii. *Vid.* REN. BOTTEREAV *Hadrian. legislat. ad annum* 144. §. 1.

h) PROVINCIIS.) Diuersa fuisse edicta VRBANVM et PROVINCIALE, vulgo credunt, idemque et nos olim credidimus, antequam in hoc studium edictale incumberemus. Iam aliter sentimus, argumentis conuicti quam plurimis, idemque edictum, quod in vrbe *vrbicum*, *vrbanum*, *praetorium* dictum sit, in prouinciis dictum esse *prouinciale* vel *proconsulare*, statuimus. Nam primo de condito quodam singulari edicto prouinciali, nemo veterum auctorum quidquam prodidit memoriae. Quis vero credat, omnes veluti ex compacto de lege tam celebri, et per vniuersum orbem Romanum vigente, tacere potuisse, si huiusmodi edictum prouinciale, ab vrbano diuersum vmquam exstitisset? Deinde CAIVS, qui edictum prouinciale commentariis luculentissimis illustrauit, edicti perpetui praetorii ordinem per omnia seruauit, argumento luculentissimo, illud cum prouinciali vnum idemque fuisse. Praeterea idem ICtus, recitans verba edictalia, promiscue vtitur formulis: AIT PRAETOR, et AIT PROCOS. *l.* 4. *D. quod quisque iur. in alt. stat. l.* 1. §. 2. *D.*

quod

BIU Cujas

tui habeat, ac proinde vbique in locis publicis PALAM, VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSIT (i), proponatur, neque fas

quod cuiusque vniu. nom. Quis vero non risisset iureconsultum, si modo ex vrbano, modo ex prouinciali edicto periochas aliquas decerptas explicasset, et tamen istam rhapsodiam inscripsisset *Commentarios in edictum prouinciale?* Quum porro eo consilio edictum compilari iusserit Hadrianus, ne varie et incondite, vti olim edicta proponerentur: quid probabilius est, quam eum idem vbique ius in vrbe ac prouinciis vigere voluisse? Constat sane, libera adhuc re publica, nouos prouinciarum magistratus edicta vrbana plerumque in prouincialia sua transtulisse. CICERO *ad Attic. lib. VI. epist.* 1. et *Verrin. I. cap.* 46. Quanto magis insequentibus temporibus operam dedisse principes, probabile est, vt in vrbe ac prouinciis vnum idemque ius vigeret? Denique ARISTIDES *Orat. in Romam pag.* 390. diserte testatur, aetate sua, (scripsit autem hanc orationem sub M. Antonino imp.) non amplius fuisse leges diuersas, sed θεσμὸς καὶ τάξεις ἀφύκτους ἅπασι ἐπιταθεῖσας, *leges atque ordinem perpetuum omnibus praescriptum*: addens *pag.* 395. non opus esse amplius, vt, quibus singulae ciuitates vtantur, leges operose recenseantur, quandoquidem Romani νόμους κοινοὺς, *communes leges* dederint omnibus, et iam vniuersum orbem Romanum (ἅπασαν τὴν οἰκουμένην,) tamquam vnam domum administrent. Quae omnia de edicto perpetuo accipienda esse, recte vidit EZECH. SPANHEM. *Orb. Rom. exerc. II. cap.* 7. *pag.* 285. Et haec quidem argumenta inducere potuerunt ANTONIVM PAGI, vt in *Critica Baron. tom. I. pag.* 127. scriberet, *edicto perpetuo omnes ciuitates Romanae vrbis leges sequi iussae esse.*

(i) LEGI POSSIT.) Formula, in SCtis ipsisque principum magistratuumque edictis frequentissima, quam VALERIVS PROBVS *in Notis* expressit litteris: V. D. P. R. L. P. id est, *vnde de plano ab omnibus legi possit*, vel vti in vetere tabula aenea est: VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSITVR. CVIAC. *Obs. lib. VII. cap.* 30. Exempla habes apud IOSEPH. *Antiqu. Iud. lib. XIIII. cap.* 12. *lib. XVIIII. cap.* 4. VLPIAN. *l.* 11. §. 3. *D. de institor. act.* et AVSON. *in Gratiar. act. pag.* 395. *edit. El. Vineti.*

BIU Cujas

fas sit vlli praetori, proconsuli, praesidiue prouinciae alia noua, atque huic aduersa, edicta iuris dictionis suae caussa proponere, vel secundum ea ius dicere. (k)

§. II. Itemque placere, si in aliqua parte edicti manifesta fuerit sententia, posse eos, qui iuris dictioni praesunt, ad similia procedere, atque ita ius dicere. (l)

§. III.

(k) *Ius dicere.*] Edicta olim erant *leges annuae.* CIC. *in Verr. I. cap.* 42. At Hadrianus ideo edictum perpetuum condi iusserat, ne amplius prodirent τὰ κατ' ἔτος ἑκαστον νομοθετήματα. *l.* 2. §. 18. *C. de vet. iur. enucl.* Ex eo ergo tempore nihil amplius edicere poterant magistratus, quod edicto perpetuo aduersaretur. Sunt, qui magistratibus, condito hoc edicto perpetuo, omnem edicendi potestatem ademptam fuisse statuunt, veluti BOTTEREAV in *Hadr. legislat. ad annum* 134. *pag.* 189. MENAG. *Amoen. iur. ciu. cap.* 34. Sed multo post Alexander imp. meminit interdictorum, quae praeses *in* ALBO *proposita habeat.* Et edictorum a praefectis vrbi et praetorio propositorum exempla passim exstant apud AMMIANVM MARCELLINVM, GRVTERVM in *Inscriptionum thesauro*, ipsisque *Nouellis CLXV. et seqq.* vbi ἐπαρχικοὶ τύποι, nec non γενικοὶ τύποι vocantur. CVIAC. *Obs. lib. VI. cap.* 10. Edicere ergo poterant magistratus, etiam condito edicto perpetuo, sed non aliquid statuere, quod illi vlla ex parte aduersaretur. Attamen saeculo sexto edicta proponi paullatim desiisse etiam a praefectis praetorio, colligimus ex CASSIOD. *Var. lib. XI. epist.* 8.

(l) *Ius dicere*] Huius paragraphi 2. sententiam ipse nobis seruauit IVSTINIANVS constitutione saepe laudata *ad senatum et populum* §. 18. vbi Hadrianum libello isto, in Senatu recitato, sanxisse ait, ὡς, εἴ τι παρὰ τὸ διαπεπραγμένον ἀνακύψειεν, πρέπον ἦ τὲς ἐν ἀρχαῖς τοῦτο πειρᾶσθαι διαιρεῖν καὶ θεραπεύειν κατὰ τὴν ἐκ τῶν ἤδη διατεταγμένων ἀκολουθείαν: *vt, si quid praeter id, quod iam ordinatum est, emerserit: conueniens esset, eos, qui magistratus gerant, illud conari interpretando decidere et remedium interponere secundum eorum, quae iam edicto ordinata sint, consequentiam.* Quin et ipse IVLIANVS hanc SCti sententiam videtur in animo habuisse *l.* 12. *D. de legib.* Vnde eam hic ipsis eius verbis exprimere voluimus.

BIU Cujas

§. III. Placere denique, ne quis aliquid ADVERSVS HOC EDICTVM (m), vel quo fraus ei fiat, FACERE velit: quiue tale quid feciſſe dicetur, in eum magiſtratum, qui iuris dictioni praeeſt, prout res eſt, animaduertere debere cenſuerunt.

Cur vero id SCto ſuo monendum duxerint patres, facile intelligitur. Breuius enim quum eſſet hoc edictum perpetuum: dubitare quis potuiſſet, an ſuffecturum ſit tot cauſſis, quae quotidie emergunt, iure terminandis. At ſenatus ab interpretatione remedium petere iubet magiſtratus, quale et PEDII conſilium reperimus in *l.* 13. *D. de legib.*

(m) HOC EDICTVM.] Verba τυπικὰ ſeu edictalia, quae ſuo more interpretatur VLPIANVS *lib. I. ad edict. l.* 102. *pr. D. de reg. iur.* Quumque ibi moneat ICtus eum videri ADVERSVS EDICTVM FACERE, qui vetante praetore facit: veroſimilis profecto eſt coniectura IAC. GOTHOFREDI in *Commentar. pag.* 451. Vlpianum explicare hic voluiſſe differentiam phraſeon: ADVERSVS EDICTVM et IN FRAVDEM EDICTI FACERE. Quod non alio pertinere potuit, quam ad formulam ſollemnem, et in edictis paſſim obuiam: NE QVIS ADVERSVS EDICTVM, VEL QVO FRAVS EI FIAT, FACERE VELIT. Quam breuioribus verbis ita exprimit PLAVT. *prol. Poenuli v.* 16. *Bonum factum ſit,* EDICTA VT SERVETIS MEA.

TITV-

BIU Cujas

TITVLVS I. (a)

DE ACTIONE DANDA (b).

BONVM FACTVM! (c) SI QVIS

(a) TITVLVS I.] Ne quis miretur, edictum perpetuum a nobis in certos *titulos* distingui, singulisque titulis praemitti suas *rubricas*: idem a IVLIANO in concinnando edicto perpetuo obseruatum esse, semel monuisse sufficerit. Id sane non modo ex indice Florentino, sed et ex ipso iure nostro, veluti ex *l.* 1. *D. de in integr. restit. l.* 2. §. 3. *D. de interdict. l.* 195. §. 3. *D. de verb. sign.* luculenter potest demonstrari. Sequutus ergo est IVLIANVS morem veterem ICtorum, qui *minio adnotabant legum titulos*, vti rem exprimit scholiastes PERSII *Sat. V. v.* 9. Addi possunt QVINCTILIAN. *Institut. orat. lib. XII. cap.* 3. et viri docti ad illa IVVENALIS *Sat. XIIII.*

Perlege RVBRAS
Maiorum leges.

(b) ACTIONE DANDA.] Recte obseruarunt OB. GIPHANIVS *Oecon. iur. pag.* 124. et CVIAC. *ad l.* 1. *de verb. signif. tom. VIII. Oper.* initio edicti perpetui de iuris dictione, et plerisque, quae eo pertinent, materiis fuisse actum, quum contra nihil solidi insit obseruationi MERILLII *Obs. lib. IIII. cap.* 5. quod in edicto, primo statim loco de statu hominum actum, et in sequentibus quoque idem, qui in Pandectis occurrit, ordo seruatus sit. Neque hanc coniecturam firmat *l.* 2. *D. de statu hom.* vbi sane HERMOGENIANVS non tradit, in edicto perpetuo primo statim capite actum esse de statu hominum, sed, se eam doctrinam praemissurum promittit, et tum demum RELIQVA *secundum ordinem edicti perpetui exsequuturum.* Primo ergo omnium actum esse *de danda actione*, idque edicti caput a prooemio proximum fuisse, colligimus ex VLPIANI *lib. I. ad edict. l.* 102. *D. de reg. iur.* in cuius principio quaedam ad edicti prooemium pertinentia occurrunt, in §. 1. de danda denegandaque actione agitur. Vid. IAC. GOTHOFRED. *Comment. de reg. iur. pag.* 451.

(c) BONVM FACTVM!] Formula et haec edictalis est, qua edicta tantum non omnia auspicari solebant magistratus Romani. BRISSON. *de formul. lib. III. pag.* 274. et viri docti ad illud PLAVTI

BIU Cujas

QVIS (d) actionem a me postulabit (e), eam, prout res est (f), DABO

PLAVTI *prolog. Poenuli v.* 16.

BONVM FACTVM 'ST, *edicta vt seruetis mea.*

A Graecis haec formula exprimitur verbis ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, vel ΚΑΛΩΣ ΕΧΕΙ, ΑΓΑΘΟΣ ΔΑΙΜΩΝ, ΘΕΟΣ ΑΓΑΘΟΣ. APPIAN. *de bello ciuil. lib. IIII. pag.* 595. *et* 607. IOSEPH. *Antiqu. Iud. lib. XIIII. cap.* 7. SELDEN. *Marm. Arundel. pag.* 130. REINES. *Inscript. pag.* 497. SMITH. *de sept. eccl. Asiae, pag.* 20. *seqq.* 56. 60. IAC. GRONOV. *Memor. Cossonian. pag.* 142. 145. 148. Quum ergo in edicto tum sollemni hanc formulam exsulasse non sit verosimile: eam illi merito praemisimus.

(d) SI QVIS.] Verba haec, tamquam edictalia explicat VLPIANVS *lib. I. ad edict. l.* 1. *D. de verb. sign.* Quum enim feminis postulantibus alias parum faueat praetor, existimare quis potuisset, eum hic masculis tantum actionem promittere: maxime quum alias coniungere soleat vtrumque sexum: QVI QVAEVE. *l.* 2. §. 1. *D. de cap. minut. l.* 1. *pr. D. ad exhib.* At euellere hunc scrupulum volens VLPIANVS, verbum hoc SI QVIS tam feminas, quam masculos, complecti monet. Quod et alibi monuit *l.* 3. §. 1. *D. de negot. gest.* Quare genuinam *legis* 1. *D. de verb. signif.* speciem non vidit CVIAC. *Tom. VIII. Oper. pag.* 478. *seq.* dum illam ad damni infecti cautionem retulit.

(e) *Postulabit.*] Actionem dabat praetor, sed non nisi postulantibus. *l.* 1. *pr. D. de superfic.* Exempla passim obuia sunt. Apud CICERONEM *in Verr.* III. *cap.* 11. postulatum videmus iudicium de professione agrorum. Apud EVMDEM *ad Att. lib.* II. *epist.* 24. damnatus iudicium postulaturus fuisse dicitur. Denique Seium apud praetorem vtilem de euictione actionem sibi aduersus Titium dari postulasse refert IVLIANVS *l.* 39. *pr. D. de euict.* Infames actionem non nisi pro certis personis postulare poterant, veluti pro fatuis. GAI. *lib.* I. *ad edict. prouinc. l.* 2. *D. de postul.* Et hinc de infamibus, veluti de iis, qui mercede conducti in scenam prodiisse, dicuntur, quaedam ad hunc edicti titulum notauit IDEM *ibid. l.* 2. D. *de his, qui not. infam.*

(f) *Prout res est.*] Dabat praetor postulantibus actionem, sed caussa cognita. Hinc saepe eamdem postulantibus denegabat, idque iure. Nam *eius est denegare actionem, cuius est et* DARE: ait VLPIAN. *lib.* I. *ad edict. l.* 102. §. 1. D. *de reg. iur.* quem locum de absolutione et condemnatione perpe-

BIU Cujas

DABO. (g)

TIT. II.

DE MAGISTRATVVM MVNICIPALIVM POTESTATE ET OFFICIO. (a)

perperam exponit CVIAC. *tom.* VIII. *Oper. pag.* 868. Ita actionem praetor denegabat contra seruum, quocum nulla era actio: CAI. *lib.* I. *ad edict. prou. l.* 107. D. *de reg. iur.* nec non contra patrem vel filium, nisi de peculio castrensi: CAI. *ibid. l.* 4. D. *de iudic.* item aduersus eum, cui priuilegium erat domum reuocandi: IVLIAN. *lib.* I. *Dig.* * *l.* 2. *pr.* D. *eod. l.* 25. *l.* 27. D. *eod. l.* 15. D. *de iuris dict.* vel eum, qui tutus erat exceptione, siue temporali, CAI. *ibid. l.* 3. D. *de except.* siue perpetua, veluti rei iudicatae. VLP. *lib.* I. *ad edict. l.* 3. *pr.* D. *de popul. act.* Sed et actio aliquando ideo denegabatur, quod ei praescriptum esset; vel quod non competeret aduersus heredes: VLPIAN. *ibid. l.* 8. D. *eod.* vel, si vnius in actionibus popularibus minus interesset, quam alterius: VLP. *ibid. l.* 3. §. 1. D. *eod.* vel vnus altero minus videretur idoneus. PAVLL. *lib.* I. *ad edict. l.* 2. D. *eod.* Ita ad hunc edicti titulum commode referuntur tot veterum fragmenta, quorum speciem vix vllus peruidit.

(g) DABO.] En verbum solemne. Omnis enim praetoris iuris dictio absoluebatur DANDO, DICENDO, ADDICENDO. Varro, *de lingua Lat. lib. V. cap.* 4. Ouid. *Fast. lib.* I. *v.* 47. *seqq.* At aliquando iusto plus sibi indulgebat in dandis denegandisue actionibus, nec omnes hac in re eandem normam seruabant, ceu patet ex Auctore *ad Herenn. lib.* II. *cap.* 13. Quin aliquando praetor actionem iustissime postulatam negabat. Qualia exempla sunt apud Ciceron. *in Verr.* III. *cap.* 54. et Valer. Maxim. *Histor. lib.* VII. *cap.* 7. *ex.* 7. Quae quum ita sint, non mirum sane est, postulationem illam atque impetrationem actionum demum sublatam esse primum a Constantino M. ac deinde a Theodosio. *l.* 1. *l.* 2. *C. de formul. et impetration. action. sublat.* vbi omnino euoluenda sunt *Paratitla* Cuiacii.

(a) POTESTATE ET OFFICIO.] Hic tractatus de magistratuum municipalium iuris dictione, qui in pandectis postremum paene locum occupat, inter primos fuit in edicto perpetuo: idque recte obseruarunt Cuiacius, Ob. Giphanius, Iac. Gothofredus, et

BIU Cujas

SI QVIS MVNICIPVM INCOLARVMVE (b) magistratibus, IVS DICENTIBVS (c), muneraue publica obire iubentibus

Corn. van Bynkershoek *Obseru. lib.* II. *cap.* 25. Nobis hic probandum est, I. hunc titulum a primo *de actione danda* proximum fuisse: II. illud quatuor haec capita, quae hic sistimus, comprehendisse. *Prius* facile praestamus. Quum enim ex *l.* 102. D. *de reg. iur.* constet, prooemium proxime excepisse titulum *de danda actione*, VLPIANVS autem *lib.* I. *ad edictum* de nulla alia, praeter illam, materia agat, quam de magistratuum municipalium iuris dictione: consequens profecto est, vt titulum *de danda actione* proxime sequutus sit hic ipse *de iurisdictione magistratuum municipalium. Posterius* non minus facile demonstramus. Nam primi capitis sententiam seruauit CAIVS *lib.* I. *ad edict. prou. l.* 29. D. *ad municipal.* et VLPIAN. *lib.* I. *ad edict. l. vn.* D. *si quis ius dic. non obtemp.* secundum ex VLP. *ibid. l.* 1. D. *de fugitiu.* tertium ex VLP. *ibid. l.* 4. D. *de damn. infect.* postremum ex eodem *l.* 4. *§.* 7. D. *eod.* et *l.* 6. D. *de magistr. conu.* eruimus.

(b) INCOLARVMVE.] Hoc edicti caput multo breuius exhibuerunt Guil. Ranchinus et Ger. Noodt *ad Pand. lib.* II. *tit.* 3. *pag.* 51. Sed posterior ipse addit: *haec verba collegi ex rubrica et* l. vn. D. si quis ius dic. non obt. *nec dubito fuisse plura: est enim verosimile, etiam in edicto fuisse a praetore propositum, cui danda sit haec actio, et cui adplicanda poena, in edicto expressa.* Nescio, an rationes bene subduxerit Noodtius. Id vero scio, verba, quae hic expressimus, fuisse edictalia. Ea enim ex instituto explicant CAI. *lib.* I. *ad edict. prou. l.* 29. D. *ad municip. et* CELS. *lib.* I. *Dig.* * *l.* 27. §. 2. D. *eod.*

(c) IVS DICENTIBVS.] Intelliguntur hic magistratus, non vrbani, (quippe qui ipsi in immorigeros animaduertere possunt ex lege Ateria Tarpeia, de qua Dionys. Halicarn. *lib. X. cap.* 57. *pag.* 674.) sed municipales, quibus ea potestas non concessa est. Hinc VLPIAN. *lib.* I. *ad edict. l. vn. pr.* D. *si quis ius dic. non obtemp. omnibus magistratibus,* NON TAMEN DVVMVIRIS, *secundum ius potestatis suae concessum est, iuris dictionem suam defendere poenali iudicio.* Res ipsa ergo exigebat, vt praetor illis iuris dictione sua subueniret. Ex quo simul patet, in mendo cubare libros, qui in *d. l. vn. pr.* pro *non tamen*,

BIU Cujas

bus (d), NON OBTEMPERABIT (e), in eum, QVANTI RES ERIT (f), intra annum iudicium dabo (g).

§. I.

men, quod et Haloandrina, et Florentina probat, legunt *non tantum*. Vid. Ant. Augustin. *Emendat. lib.* III. *cap.* 6.

(d) IVBENTIBVS.] Magistratuum municipalium erat, municipes atque incolas ad obeunda munera publica compellere. Quum vero ab illis maximopere abhorrerent homines: e re visum est praetori, in hac quoque muneris parte iis subuenire. Saltim munerum publicorum hic factam esse mentionem colligimus ex loco CAII *lib. I. ad edict. prou. l.* 29. *D. ad municipal.* vbi ICtus: INCOLA *et his magistratibus parere debet, apud quos incola est, et apud quos ciuis est: nec tantum municipali iuris dictioni in vtroque municipio subiectus est, verum etiam omnibus* PVBLICIS MVNERIBVS *fungi debet.*

(e) OBTEMPERABIT.] Verba haec edictalia, quae tum *in rubrica*, tum in *l. vn. D. si quis ius dic. non obt.* supersunt, ita ibidem interpretatur VLPIANVS: *is videtur ius dicenti non obtemperasse, qui, quod extremum in iuris dictione est, non fecerit, veluti, si quis rem mobilem vindicari a se passus non est, sed duci eam vel ferri passus est. Ceterum si et sequentia recusauit, tunc non obtemperasse videtur.* Cui loco, satis in se perspicuo, meras tenebras offundunt interpretes. Balduinus enim et Ranchinus ipsum textum suo arbitrio refingunt: celeberrimus vero Noodtius *extremum* accipit pro fine. Sed salua res est. Extremum in iuris dictione non est exsequutio, quae iam mixti imperii pars habetur, sed sententia. Qui ergo sententiae non paret, sed rem ad exsequutionem peruenire patitur, is ius dicenti non videtur obtemperasse, ceu exemplum ab VLPIANO additum docet. Si non tam actor vel reus, quam eorum tutores, curatores, vel procuratores ius dicentibus obtemperare nolint: ipsi tutores, curatores, procuratores iudicio hoc poenali tenentur. VLPIAN. *lib. I. ad edict. l. vn.* §. 2. 3. *si quis ius dic. non obtemp.*

(f) QVANTI RES ERIT.] *Hoc iudicium non ad id, quod interest, sed quanti ea res est, extenditur*: inquit VLPIANVS *ibid.* §. 4. id est, in veram quantitatem, quam alterutri addixit iudex, ceu ex locis similibus *l.* 5. §. 1. *D. si quis eum, qui in ius voc. vi exem.* et *l.* 5. §. *vlt.* D. *qui satis dare cog.* probat Iac. Gothofred. *Animadu. iur. ciuil. cap.* 1.

(g) *Iudicium dabo.*] Quia hoc iudicium meram poenam conti-

BIU Cujas

§. I. Magistratus ac duumuiros ciuitatium (h) seruos FVGITIVOS (i) inuestigare ac persequi, ADPREHENSOSque (k) et

net: ideo neque post annum, neque in heredem datur. Ita VLPIAN. *lib. I. ad edict. l. vn.* §. *vlt. D. eod.*

(h) *Ciuitatium.*] Occasione iuris dictionis municipalis hic quaedam de fugitiuis edixisse praetorem, recte obseruarunt Iac. Gothofredus, aliique viri docti, et in his Ger. Noodtius *Comm. ad Pand. pag.* 258. et Ant. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 230. idque luculenter probari potest ex fragmentis VLPIANI *lib. I. ad edict. l.* 1. *D. de fugit.* et *l.* 22. *D. de iniur.* Nam et in hoc potissimum positum erat magistratuum municipalium officium, vt seruos fugitiuos e fuga retraherent, poena iis proposita, qui negligentius hoc fungerentur officio. *l.* 1. §. 2. *l. penult. D. de fugitiu.* Speciatim LIMENARCHIS id negotii fuerat datum, *l. penult. D. eod.* id est, portuum custodibus, quorum et alibi inter munera publica municipalia sit mentio, *l. vlt.* §. 10. *D. de mun. et honor. l.* 38. *C. de lib. causs.* et apud Gruter. *Inscript. pag.* 427. 9. Vbi enim facilius deprendi potuissent fugitiui, quam in portubus?

(i) FVGITIVOS.] Hic quemadmodum alias ab *errone* distinguatur, docet Labeo apud Vlpianum *l.* 17. §. 14. D. *de edict. aedilit.* In hoc edicto et erro inter fugitiuos est: non autem ex fugitiua natus. IDEM *ibid. l.* 1. §. 5. D. *eod.*

(k) ADPREHENSOSque.] Inuestigandis adprehendendisque fugitiuis operas locabant FVGITIVARII, de quibus ex instituto Cuiac. *Obs. lib. V. cap.* 8. *lib. XVII. cap.* 10. *lib. XXI. cap.* 11. Quum vero hi, ad quaestum suum attentissimi, istis plerumque ingenuis manus iniicerent, eosque pro fugitiuis in publicum deducerent: his iniuriarum actionem competere monuit VLPIAN. *lib. I. ad edict. l.* 20. D. *de iniur.* Ceterum et fugitiuariis, et magistratibus, fugitiuos persequentibus, quam maxime fauebant leges, partim quod maxima pars facultatum plerumque in mancipiis consisteret: partim quod ipsius rei publicae interesset, omnibus modis cauere, ne fugitiui ad hostes vel barbaros elaberentur. Et eo pertinent omnia SCta et edicta de inuestigandis fugitiuis, puniendisque, qui illis receptum dederint, quae fusius recenset VLPIANVS *lib. I. ad edict. l.* 1. *pr.* §. 1. *et* 2. *D. de fugitiu.*

(l) De-

BIU Cujas

et IN PVBLICVM DEDVCTOS (l), DILIGENTI CVSTODIA (m) coercere, perſcriptiſque NOMINIBVS ac NOTIS (n) ad PRAE-

(l) DEDVCTOS.] Vnuſquiſque, qui fugitiuum adprehenderat, eum in publicum deducere debebat. IN PVBLICVM vero DEDVCI dicebantur, qui magiſtratibus municipalibus tradebantur, publiciſque miniſteriis. Ita verba haec edictalia explicat VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 3. *et* 6. *D. de fugitiu.*

(m) DILIGENTI CVSTODIA.] Fugitiuorum tam ingenioſa eſt improbitas, vt eos vix Argus cuſtodiat. Plaut. *Captiu. I.* 2. *v.* 7.

Liber captiuus auis fere conſimilis eſt.
Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
Satis eſt : numquam poſt illum poſſis prendere.

Merito ergo monentur magiſtratus, fugitiuos DILIGENTER CVSTODIRE, ne euadant. VLPIAN. *lib. I. ad edict. l.* 1. §. 4. *D. de fugitiu.* qui et §. 7. addit, DILIGENTEM CVSTODIAM *etiam vincire permittere.*

(n) NOTIS.] Fuiſſe haec in edicto, teſtem habemus VLPIANVM *lib. I. ad edict. l.* 1. §. 8. *D. eod.* ita ſcribentem : *tamdiu autem cuſtodiuntur, quamdiu ad praefectum vigilum vel ad praeſidem deducantur, eorumque* NOMINA *et* NOTAE, *et cuius ſe quis eſſe dicat, ad magiſtratum deferantur, vt facilius agnoſci et percipi fugitiui poſſint.* NOTAE *autem verbo etiam cicatrices continentur.* Quae de NOTIS hic monuit praetor, ea non ſolum ad cicatrices fortuitas, vel in poenam inflictas, ſed et maxime ad illas, quibus certae gentes vel religionis vel diſcriminis cauſſa ſuos deformabant. Sane de Aſſyriis tale quid memoriae prodidit Lucian. *de dea Syra, tom. II. pag.* 684. de Aegyptiis Sex. Empir. *Pyrrhon. hypot. lib. II. cap.* 24. de Aethiopibus idem *ibid. lib. I. cap.* 14. de Zabiis Hottingerus *Hiſtor. orient. lib. I. cap.* 8. de Thracibus Herodot. *lib. V.* de Dacis et Sarmatis Plin. *Hiſt. nat. lib. XXII. cap.* 1. et Sext. Empir. *ibid. lib. III. cap.* 24. de Gelonis Virgil. *Georg. lib. II. v.* 115. et Claudian. *in Ruffin. lib. I. v.* 313. de Britannis et Pictis Tertullian. *de vel. virg. cap.* 10. et Claudian. *de bello Get. v.* 417. Praeterea ipſi Romani ſeruos ſuos typo quodam, vt ab aliis internoſci poſſent, notabant, vti et milites, fabricenſes, et aquarios. Veget. *de re milit. lib. II. cap.* 5. *l.* 3. *C. de fabric. l.* 10. *C. de aquaed.* Stewech. *ad Veget. pag.* 82. et Turneb. *Aduerſ. lib. XXIIII. c.* 12. Quum ergo hae notae non modo

BIU Cujas

PRAEFECTVM VIGILVM (o) praesidemue prouinciae mitti iubebo.

§. II. Si quem magistratus vel duumuiri ciuitatium DAMNI INFECTI (p) suo nomine promittere, alienoue satis dare iubebunt (q), neue ante praefinitum diem promissum satisue datum erit (r): eum, cui, de calumnia iuranti, cautum non erit,

do patriam, sed et scelera ipsumque dominum fugitiui proderent: nemo non intelligit, cur notas illas adcurate perscribi iusserit praetor.

(o) PRAEFECTVM VIGILVM.] Sequimur hic VLPIAN. *lib. I. ad edict. l.* 1. §. 8. *D. de fugit.* Et sane ad praefecti vigilum officium et hoc pertinebat, vt fugitiuos conquirerent, eosque redderent dominis. *l. vlt. D. de off. praef. vig.* de praesidibus prouinciarum praeter Vlpianum testem habemus Paullum *l.* 4. *D. de fugitiu.*

(p) DAMNI INFECTI.)De *damno infecto* quaedam initio statim edicti sui sanxisse praetorem, viderunt viri docti, quotquot de edicti perpetui serie atque ordine fuere solliciti, veluti Ob. Giphanius *Oecon. iur. pag.* 124. Iac. Cuiac. *Obs. lib. VII. cap.* 15. Corn. van Bynkershoek *Obs. lib. II. cap.* 25. Et sane res extra omnem dubitationis aleam posita est. De ea enim cautione ipso *commentariorum libro I.* egerunt VLPIANVS *l.* 1. *l.* 4. *D. damn. infect.* PAVLLVS *l.* 5. *D. eod.* CAIVS *l.* 6. *D. eod.* Occasionem, qua praetor quaedam ad hanc cautionem pertinentia occupauit, ita describit VLPIANVS *d. l.* 1. *quum res celeritatem desideraret, et periculosa dilatio praetori videretur, si ex hac causa iuris dictionem sibi reseruaret: magistratibus municipalibus delegandum hoc recte putauit.*

(q) *Satis dare iubebunt.*] Cautio damni infecti ideo necessaria erat, quia *eueniebat, vt nonnumquam damno dato nulla competeret actio, non interposita ante cautione: veluti si vicini aedes ruinosae in nostras aedes ceciderint, adeo, vt plerisque placuerit, ne cogi quidem eum posse, vt rudera tollat, si modo omnia, quae iaceant, pro derelicto habeat.* Ita CAI. *lib. I. ad edict. prou. l.* 6. *D. damn. infect.*

(r) *Satisue datum non erit.*] Duas res magistratibus municipalibus praetor praesesue iniunxerat, CAVTIONEM et POSSESSIONEM: cetera suae iuris dictioni reseruauerat. VLPIAN. *lib. I. ad edict. l.* 4. *§.* 3. D. *damn. inf.* Quamuis enim

BIU Cujas

erit, in possessionem EIVS REI (s); cuius nomine, vt caueatur, postulatum est, mittent. Si quis rem ex magistratuum vel duumuirorum decreto possideri passus non erit: ego (t) rem, cuius nomine caueri POSTVLATVM EST (u), DVM EI, QVI ABERIT, PRIVS DOMVM DENVNCIARI IVBEAM (x), caus-

enim iubere caueri praetoria stipulatione, et in possessionem mittere, imperii magis sit, quam iuris dictionis, VLPIAN. *lib.* I. *ad edict. l.* 4. D. *de iuris dict.* eaque, quae magis imperii sunt, quam iurisdictionis, veluti restituere in integrum aut bona rei seruandae caussa iubere possidere, aut dotis seruandae caussa, aut legatorum seruandorum caussa, a magistratibus municipalibus explicari nequeant: PAVLL. *lib. I. ad edict. l.* 26. *D. ad municipal.* damni tamen infecti nomine caueri ideo recte iubebant, quod praetor hoc illis speciatim mandasset. *d. l.* 4. §. 3. *D. damn. infect.* Cuiac. *Recitat. ad Paull. lib. I. ad edict. pag.* 4. 5.

(s) EIVS REI.] Haec quoque verba edictalia sunt, quae ita interpretatur Paullus *lib. I. ad edict. l.* 4. §. 1. *D. damn. infect. si intra diem a praetore constituendum non caueatur: in possessionem eius rei mittendus est.* EIVS REI *sic accipe, siue tota res sit, siue pars rei.*

(t) *Ego.*] Magistratus municipales decernere missionem, at non admittentem missum ne pignoribus quidem captis coërcere poterant. Hinc si forte duraretur non caueri, vt possidere liceret, quod caussa cognita fieri solebat, non duumuiri, sed praetor, vel praeses permittebat, itemque, vt ex caussa decederetur de possessione. VLPIAN. *lib. I. ad edict. l.* 4. §. 2. *et* §. 4. *D. eod.* Rem omnem eleganter explicat Cuiac. *Recit. ad Paulli lib. I. ad edict. pag.* 6. 7.

(u) POSTVLATVM EST.] Nam iudicium hoc certam habet conditionem, SI POSTVLATVM EST. Alioquin datur ei, qui non est admissus, actio in factum. VLPIAN. *lib. I. ad edict. l.* 4. §. 2. *eod.*

(x) DENVNCIARI IVBEAM.] Sunt et haec verba edictalia, quae seruauit expositque VLPIAN. *ibid. d. l.* 4. §. 5. *eod.* vbi obseruat, ABESSE et eum videri, qui in iure non est: DENVNCIARE vero DOMVM idem esse, ac denunciare ad praedium, vel procuratori absentis, vel inquilinis, vel, si non sit, cui fieri possit denunciatio, (quod iacente hereditate, vel non exsistente

te

BIU Cujas

cauſſa cognita poſſideri iubebo (y). Contra ipſos quoque magiſtratus duumuiroſue ciuitatium, qui neque caueri, neque poſſideri iuſſerint (z), quanti ea res eſt, cuius nomine damni infecti cautum non erit, POSTVLANTI (aa) iudicium dabo.

te herede contingere poteſt), libellum ad ipſas aedes proponere. Satis vero verecunde praetor DENVNCIARI DOMVM iubet, non extrahi de domo ſua. VLPIAN. *ibid.* Nemo enim de domo ſua extrahi debet. PAVLL. *lib. I. ad edict. l.* 103. *D. de reg. iur.* Et quamuis is, qui domi eſt, aliquando in ius vocari poſſit: de domo tamen ſua extrahi non debet. PAVLL. *lib. I. ad edict. l.* 21. *D. de in ius voc.* Satis enim poenae ſubire videtur, qui non defenditur et latitat, quod aduerſarius in poſſeſſionem bonorum eius mittitur. Si tamen aditum ad ſe praebet, aut ex publico conſpicitur, eum recte in ius vocari, dixerat Iulianus. PAVLL. *lib. I. ad edict. l.* 19. *D. eod.* Quae loca omnia ad hunc *de damno infecto* titulum recte retulit Cuiac. *Recitat. ad Paulli lib. I. ad edict. pag.* 9. 10.

(y) *Poſſideri iubebo.*] Tunc miſſus eſt in conditione vſucapiendi. Si plures cauere iubentur, vno non cauente, in eius portionem fit miſſio. Contra plures, hanc exigentes cautionem, aequaliter omnes in poſſeſſionem eunt. Quin dominus et vſufructuarius, exigentes hanc cautionem, ſimul audiuntur. PAVLL. *lib. I. ad edict. l.* 5. *D. damn. inf.* Si dies cautioni praeſtitutus praeteriit, praetoris vel praeſidis eſt, ex cauſſa vel reum notare, vel protelare diem: et, ſi hoc localem exigit inquiſitionem, rem ad magiſtratus municipales remittere. VLPIAN. *lib. I. ad edict. l.* 4. *pr. D. eod.*

(z) *Poſſideri iuſſerint.*] Sententiam hanc debemus VLPIANO *lib. I. ad edict. l.* 4. *§.* 7. *D. damn. infect.* vbi illam his verbis complectitur: *in eum, qui quid eorum, quae ſupra ſcripta ſunt, non curauerit, quanti ea res eſt, cuius damni infecti nomine cautum non erit, iudicium datur, quod non ad quantitatem, ſed ad id, quod intereſt, refertur, et ad vtilitatem venit, non ad poenam.* Attamen §. 9. ceſſare monet hoc iudicium, ſi tam vicinum vrbi ſit municipium, vt, magiſtratu ſe non interponente, praetor vel praeſes adiri potuiſſet.

(aa) POSTVLANTI.] POSTVLARE hic proprie dicimus pro tribunali petere, non alibi. VLPIAN.

BIU Cujas

dabo. (bb)

§. III. Si qua alia in re officio ſuo minus diligenter functi eſſe dicentur (cc): quanti ea res erit, aduerſus illos (dd) iudicium dabo. (ee)

PIAN. *ibid. l. 4. §. 8. eod.* Vbicumque enim cauſſae cognitio eſt, ibi praetor deſideratur. PAVLL. *lib. I. ad edict. l. 105. D. de reg. iur.* Ceterum ex priore loco, magiſtratus municipales tribunal habuiſſe, male colligit Cuiac. *Recitat. ad Paull. lib. I. ad edict. pag.* 10. Neque enim hic locus ad magiſtratus municipales, ſed ad praetorem vel praeſidem, a quibus haec actio ſubſidiaria aduerſus duumuiros impetranda erat, pertinet. Tribunal quidem duumuiris aedilibuſque municipalibus tribui animaduertimus apud Sueton. *de claris rhetor. cap. 6.* et in marmoribus apud Reineſ. *Inſcript. claſſ. II. n. 89. claſſ. VI. n. 44.* ſed tunc id nomen κατὰ χρησιν tribuitur biſellio, de quo poſt Chimentellium *de honore biſellii* plura dixit Noriſ. *Cenotaph. Piſan. diſſ. I. cap. 3. pag.* 39.

(bb) *Iudicium dabo.*] Quae actio quum rei habeat perſequutionem, et heredi, et in heredem, et in perpetuum datur. VLPIAN. *lib. I. ad edict. l. 4. §. 10. D. damn. infect.*

(cc) *Functi eſſe dicentur.*] Caput hoc de actione ſubſidiaria aduerſus magiſtratus hic locum inueniſſe, plura, quae paullo poſt adferemus, interpretum fragmenta teſtantur. At qualis diligentia exigitur a magiſtratibus? Reſpondet VLPIAN. *lib. I. ad edict. l. 6. de adminiſtr. rer. ad ciuitat. pertin.* eos non ſolum dolum, ſed et latam negligentiam, et hoc amplius etiam diligentiam praeſtare debere.

(dd) *Adverſus illos.*] Et quidem ſi plures, aduerſus ſingulos pro rata, quoties ex culpa vel negligentia conueniuntur; aduerſus ſingulos in ſolidum, ſi ex dolo. *l. 7. D. de magiſtr. conuen.* Plures enim magiſtratus vnius hominis vicem ſuſtinent. Et hoc plerumque lege municipali eis datur. Verum etſi non eſt datum, dummodo non denegatum, moribus competit. VLPIAN. *lib. I. ad edict. l. 25. D. de adminiſtr. rer. ad ciu. pert.*

(ee) *Iudicium dabo.*] Datur et aduerſus magiſtratuum heredes ex reſcripto diui Pii, quod fuſius explicat VLPIAN. *ibid. l. 6. D. de magiſtr. conuen.* immo et aduerſus patrem, quo volente magiſtratum ſuſcepit.

TIT.

BIU Cujas

TIT. III.

DE MODO IVRISDICTIONIS.

(VLPIANVS LIB. II.)

MAgistratum ROMAE (a) vel in municipiis extra terminos iuris dictionis suae (b), vel de maiore NOMINE (c) caussa-

ue,

(a) ROMAE.] Proximum in edicto fuisse hoc *de modo iuris dictionis* caput, recte obseruauit Iac. Gothofredus in *serie edicti perpetui*. Ipsam edicti sententiam breuiter, suo more, complexus est PAVLLVS *lib. I. ad edict. l. vlt. D. de iuris dict.* dum ait: *extra territorium ius dicenti impune non paretur*. TERRITORIVM proprie non erat vrbis et prouinciarum, sed municipiorum: vti recte obseruauit Cuiac. *Recitat. ad Paulli lib. I. ad edict. pag. 2. seqq.* Ex quo recte colligit vir doctissimus, hoc fragmentum non ad vrbanam vel prouincialem, sed ad municipalem iuris dictionem pertinere. Et priorem sane obseruationem satis esse solidam, patet ex Siculo Flacco *de condit. agror. pag.* 24. 25. et Nic. Rigaltii *glossis agrimens. pag.* 324. At verissimum tamen est, praetorem etiam Romanarum iuris dictionum fines rexisse. ROMAE sane hic factam esse mentionem, discimus ex PAVLLI *lib. I. ad edict. l. 2. pr. D. de verb. sign.* vbi id vocabulum exponit, et, quid inter *Romam* et vrbem intersit, luculenter ostendit.

(b) *Iuris dictionis suae.*] Si manifestum erat, magistratum extra iuris dictionis suae terminos ius dicere: ad eum vocatus impune non parebat. Contra si dubia esset iuris dictio: idem PAVLLVS *lib. I. ad edict. l. 2. D. si quis in ius voc. non ier.* monet, vocatum venire debuisse, vt hoc ipsum sciretur, an eius sit iuris dictio.

(c) NOMINE.] Verbum edictale, quod ita interpretatur PAVLLVS *lib. I. ad edict. l. 4. D. de verb. sign.* NOMINIS *adpellatione rem significari, Proculus ait.* Et ita quidem Florentiae legitur, nec aliter in codice, quo vsi sunt auctores Βασιλικῶν, qui id exprimunt per γραμματεῖον, id est, *rationes* vel *nomina*, vt mirum sit, lectionem vulgarem, quae pro *nomine* substituit *pecuniam*, tam acriter defendere non modo Alciatum, sed et Io. Goddeum *in Comment. ad tit. de verb. signific. pag.* 113. *seqq.*

BIU Cujas

ue, quam cuique conceſſum eſt (d), ius dicere non patiar, nec quemquam, vt, ita ius dicturo obtemperet, cogam.

TIT. IIII.

DE VADIMONIIS. (a)

QVi in ius vocatus, vades ſe daturum promittet, eum fideiuſſores vadimonii ſiſtendi cauſſa PRO REI QVALITATE

ſequ. Quod ad rem ipſam attinet, nulli omnino magiſtratui licebat de maiore nomine vel cauſſa, quam conceſſum erat, ius dicere. Idque non modo de magiſtratibus municipalibus intelligendum eſt, *quos* SVPRA IVRIS DICTIONEM SVAM ius dicere poſſe negat Paullus *Sentent. recept. lib. V. tit.* 5. §. 1. verum etiam de vrbanis, vti mox ex inſtituto demonſtrabimus. Attamen ſupra modum iuris dictionis ius dici non videtur, I. ſi quis cum eodem pluribus actionibus agit, quarum ſingularum quantitas intra iuris dictionem iudicantis eſt. II. Si maior quidem quantitas, at per modum reconuentionis petitur. III. Si plures agant, ac ſinguli ratam ſuam petant, veluti iudicio familiae erciſcundae. Ita Oſilius et Proculus: quamuis hoc tertio caſu magis totam rem, quae petitur, conſiderandam eſſe contendant Caſſius et Pegaſus, quorum ſententiam probat CAIVS *lib. I. ad edict. prou. l.* 11. *D. de iuriſd.* IIII. Si ita conuenerint inter litigantes, vt de re maiori apud magiſtratum minorem agant. PAVLL. *lib. I. ad edict. l.* 28. *D. ad municipal.* V. Si ex poſtfacto reus poſſidere aliquid coeperit, quod iuris dictionis modum excedat. PAVLL. *lib. I. ad edict. l.* 4. *D. de hered. petit.* Quam genuinam huius legis ſpeciem eſſe, recte vidit Cuiac. *Recitat. ad Paull. lib. I. ad edict. pag.* 13.

(d) *Conceſſum eſt.*] Saepe ad certam ſummam vel cauſſam reſtricta erat iuris dictio. Exemplo eſſe poſſunt fideicommiſſa, quorum de maiore ſumma conſules, de minore praetores fideicommiſſarii ius dicebant. Quinctilian. *Inſt. orat. lib. III. cap.* 6. CVIAC. *Obſ. lib. XXI. cap.* 34.

(a) *De vadimoniis.*] Ordinem hunc ipſa praeſtabunt veterum interpretum, quae ſuo ſingula

BIU Cujas

TATE LOCVPLETES DARE IVBEBO. (b)

§. I. Si de certo die, quo die absens sistatur, non conuenerit (c): itineri faciundo VICENA MILLIA PASSVVM IN SINGVLOS DIES, PRAETER EVM DIEM, QVO CAVTVM PROMISSVM, ET IN QVEM SISTI OPORTEBIT, DINVMERARI IVBEBO. (d)

§. II.

gula loco adferemus fragmenta. Nec de sententia huius edicti quisquam dubitabit, qui adnotationes nostras paullo adcuratius expenderit.

(b) DARE IVBEBO.] Hanc edicti sententiam nobis seruauit PAVLLVS *lib. I. ad edict. l. 1. D. in ius vocatus vt eat : edicto cauetur, vt fideiussor, iudicii sistendi caussa datus, pro rei qualitate locuples detur, exceptis necessariis personis : ibi enim qualemcumque accipi iubet.* Vbi tamen duo monenda sunt. *Primum*, quod in edicto procul dubio non fuerit *: iudicii sistendi caussa*, sed : *vadimonii sistendi caussa.* Erat enim haec loquutio huic rei propria, et non modo Iuliani temporibus, sed et multo post in foro recepta, ceu patet ex loco *Pariatoris legum Mosaic. et Roman. tit. 2. §. 6.* a Triboniano demum et reliquis Pandectarum collectoribus vbique expuncta. Salmas. de modo *vsurar. cap. 16. Alterum*, quod exceptio de personis necessariis et coniunctis, quam hic adsuit PAVLLVS, vera quidem sit, sed ad hunc titulum omnino non pertineat, quia edictum illud de personis coniunctis, quod integrum supereſt, *libro* demum V. *ad edictum* interpretatus est VLPIANVS *l. 2. §. 2. sequ. D. qui satis dar. cogant.*

(c) *Non conuenerit.*] Vadimonium ita concipiebatur, vt fideiussores, reum certo die adfuturum, sponderent, *l. 8. pr. D. qui satis dar. cogant.* qui dies plerumque erat perendinus: vnde *comperendinare* et *comperendinatio* apud Ciceron. *pro Muraen. cap. 12. in Verrem II. cap. 11.* Plin. *lib. VI. epist. 2.* de qua *comperendinatione* eruditam dissertationem edidit Io. Albertus Spies, Norinbergensis, Lipsiae anno 1728. Quum vero et pro absentibus aliquando promitteretur vadimonium, ne in eorum bona iretur, Cic. *pro P. Quinct. cap. 5.* non potuit non quaestio nasci, quot dierum inducias concedendas sint reo, pro quo promissum sit vadimonium? Quam ipsam quaestionem hic decidit praetor.

(d) DINVMERARI IVBEBO.] Huius

§. II. Si quis vadimonium non obibit, neque MAIORE PARTE DIEI (e), ad quem eum adfuturum promissum est, sisteHuius edicti non modo sententiam, verum etiam verba ipsa seruauit CAIVS *lib. I. ad edict. prouinc. l.* 1. *D. si quis caut. in iud. sist. causs. fact. non obtemp. Vicena*, inquit, *millia passuum in singulos dies dinumerari praetor iubet, praeter eum diem, quo cautum promittitur, et in quem sistere in iudicium oportet. Nam sane talis diei dinumeratio neutri litigatorum onerosa est.* Qualia fere etiam sunt, quae habet VLPIAN. *lib. II. ad edict. l. 3. pr. D. de verbor. signif.* Vicenorum millium passuum erat iter diurnum, admodum modicum, cuius et in aliis caussis forensibus habebatur ratio. *l.* 2. §. 3. *D. quis ordo in bon. possess.* §. 16. *Inst.* et *l.* 13. §. 2. *D. de excusat. tut.* Iter sane illud diebus aestiuis singulis conficiebat iustus exercitus, Veget. *de re milit. lib. I. cap.* 9. immo et Hadrianus imp. id saepe pedibus fecisse fertur. Spartian. *Hadrian. cap.* 10.

(e) MAIORE PARTE DIEI.] Sunt haec verba τυπικὰ, quae ita interpretatur PAVLLVS *lib. I. ad edict. l.* 2. §. 1. *D. de verb. signif.* *cuiusque* DIEI MAIOR PARS *est horarum septem primarum diei, non supremarum.* Similiter Seruius *ad* illa Virgilii *Aeneid. lib. VIIII. v.* 156.

Nunc adeo MELIOR *quoniam* PARS *acta* DIEI *est.*

MELIOR, inquit, *id est*, MAIOR *et prima. Septima enim ab ortu hora, strepitus forensis conticescere solebat.* Martialis *Epigramm. lib. IIII. epigr.* 8.

Prima *salutantes atque* altera *continet hora:*
Exercet raucos tertia *caussidicos:*
In quintam varios extendit Roma labores:
Sexta *quies lassis:* septima *finis erit.*

Quibus geminum est vetus epigramma Graecum, quod simul αἰνιγματῶδές τι continet, adlatum a Grotio *Florum sparsa ad ius Iustin. pag.* 299.

Ἐξ ὧραι μύχθοις ἱκανώτατα, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γεγμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγεσι βεβοτῆς.
Sex operis aptae, post has, quas exigis, horas
Prandia litterulis sumere quosque monent.

Vbi scholiastes vetus: Φησὶ, δεῖν μέχρι τῆς ἕκτης ὥρας τῆς ἡμέρας ἐργάζεσθαι· μετὰ δὲ ταύτην ἐπ' ἄριστον ἔρχεσθαι. Τοῦτο δὲ φησὶ δηλοῦν καὶ τὸ ὡρολόγιον. Τὰ γὰρ μετὰ τὴν ἕκτην σημεῖα, τετάρτη τὸ τῆς ἑβδομάδος τὸ Ζ, καὶ τῆς ὀγδόης τὸ Η, καὶ τῆς ἐννεάτης τὸ Θ, καὶ τῆς δεκάτης τὸ Ι,

BIU Cujas

sistetur, neque defendetur excusabiturue (f): in fideiussores, quanti ea res est, actionem dabo. (g)

TIT. V.

DE LITE VINDICIARVM. (a)

(PAVLLVS LIB. II.)

κατὰ συλλαβὰς συναπτόμενα ΖΗΘΙ δίδωσιν ἀναγινώσκειν, τετάρτῃ ὥρᾳ πάρεστε· φάγε ἵνα ζῇν ἔχῃς. Hoc dicit: *ad sextam vsque diei horam laborandum esse, post eam eundum ad prandium. Idque ipsum horologium indicare. Nam post sextam horam pro septima nota est* Z, *pro octaua* H, *pro nona* Θ, *pro decima* I. *Quae litterae in syllabas collectae dant vocem* ΖΗΘΙ, *id est, edere te iubent, vt viuere possis.* Quum itaque iam septima hora strepitus forensis conticesceret: fieri non potuit, quin desertum vadimonium, commissaque videretur stipulatio, si quis reum, lapsa iam maiore diei parte, non stitisset.

(f) *Excusabiturue.*] Iustam excusationem praeter alias causas praebebant feriae, eaque non modo a principibus, sed et certo casu a prouinciarum praesidibus indictae: PAVLL. *lib. I. ad edict. l. 4. D. de fer.* quia diebus feriatis ius non dicitur, nisi res moram non fert. VLPIAN. *lib. II. ad edict. l. 3. D. eod.* Excusandi quoque videbantur fideiussores, quoties reus ante condemnationem decesserat. Qui CAI. *lib. I. ad edict. prou. l. 5. D. qui satis dar. cog.* Denique multo minus committi videbatur stipulatio, si quando ipse praetor differret vadimonium: id quod eum facere potuisse, patet ex Epitomatore Liuii *lib. LXXXVI.* et Iuuenale *Sat. III. v.* 213.

(g) *Actionem dabo.*] Ita haec actio describitur *l. 2. §. 5. D. si quis caut. in iud. sist. causs. fact. non obtemp.* Si in duplum, triplum, quadruplum conuentus erat reus, in tantum etiam fideiussores condemnabantur, quippe qui, quanti res erat, tenebantur. CAI. *lib. I. ad edict. prouinc. l. 3. D. si quis caut. in iudic. sist. causs. fact.*

(a) DE LITE VINDICIARVM.] Proximum hunc fuisse *de lite vindiciarum* titulum, partim ex interpretum fragmentis colligimus, partim ex Paulli *Sentent. recept. lib. I. tit. 11. §. 1.* vbi et pleraque huius edicti sententias seruauit. Et sane quum PAVLLVS libro commentariorum primo de vadimoniis egerit, hic autem nouum auspicatus sit librum: de ordine dubitari vix poterit. Quid vero fuerit

BIU Cujas

QVi de vindiciis litigant (b), eos SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS PRAESENTIBVS VIAM DICAM, VINDICIASque

rit apud veteres LIS VINDICIARVM, luculenter docet Asconius Paedianus *ad Ciceron. in Verrem I. cap.* 45. cuius verba, quamuis plusçula, hic merito adscribimus: LIS VINDICIARVM *est, quum litigatur de ea re, cuius incertum est, quis debeat esse possessor. Et ideo, qui eam tenet, satis det pro* PRAEDE LITIS VINDICIARVM *aduersario suo, quo illi satis faciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua iurgium esset: rursus sponsione ipse prouocatur ab aduersario certae pecuniae aut aestimationis, quam amittat, nisi sua sit hereditas, de qua contenditur.* PRAEDES *ergo dicuntur satis datores locupletes pro re, de qua apud iudicem lis est, ne interea, qui tenet, diffidens caussae possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores, et culta deserat.* Quae omnia quin edicto suo expresserit praetor, nemo dubitauerit.

(b) *De vindiciis litigant.*] Qui in XII. tabulis MANVM IN IVRE CONSERERE dicebantur: eos insequente tempore de VINDICIIS LITIGARE vel CONTENDERE dicebant. Nimirum olim, qui de possessione litigabant, veniebant in rem praesentem, ibique, facta manuum consertione, quem actor suum esse fundum contendebat, eum contrauindicabat reus verbis sollemnibus: ad quem ritum adludens Plaut. *Rudent. IIII. 3. v.* 85.

GR. *Nescio, neque ego istas vestras leges vrbanas scio:*
Nisi quia HVNC MEVM ESSE DICO. TR. EGO ITEM AIO ESSE MEVM.

At moris istius, quem veterem illam barbaramque μονομαχίαν adumbrasse censet Abraamus Wielingius *de furto per lanc. et lic. concept. cap.* I. *§.* 5. *pag.* 15. demum pertaesum esse Romanos, docet Gell. *Noct. Atic. lib. XX. cap.* 10. cuius en verba: *postquam praetores, propagatis Italiae finibus, datis iuris dictionibus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dandarum caussa in longinquas res grauati sunt, institutum est contra XII. tabulas tacito consensu, vt litigantes non in iure manum conserrent, sed* EX IVRE MANVM CONSERTVM VOCARENT, *id est, alter alterum ad conserendam manum in rem, de qua agebatur, vocaret, atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terrae aliquid ex eo, vti vnam glebam in ius in vrbem ad praetorem deferrent, et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicarent.* Haec Gellius, ex quo discimus, primum ipsum praetorem cum litigantibus in rem praesentem

BIU Cujas

que SVMERE iubebo (c). Post deinde alterutri vindicantium, qui REM (d), de qua agitur, nec vi, nec clam, nec precario ab

sentem iuisse, ibique hos conserta manu vindicasse et contrauindicasse: postea vero solos litigantes, altero alterum ex iure manum consertum vocante, eo profectos esse, adlataque gleba, vel simili rei symbolo, in ea vindicasse. Quod iam Ennii tempore factum esse, patet ex eius versibus apud Ciceronem:

Non EX IVRE MANVM CONSERTVM, *sed mage ferro*
Rem repetunt, regnumque petunt vadunt solida vi.

Vbi et verba forensia, prout ea descripsit Gellius, occurrunt, et *solida vis* opponitur forensi illi atque *imaginariae*. Denique et iter hoc litigantium in rem praesentem obsoleuit, ritus vetustissimi tantum vmbra quadam relicta. Solebat enim actor quidem reum ex iure manum consertum in rem praesentem vocare: sed reus eumdem illico reuocabat verbis sollemnibus: VNDE TV ME EX IVRE MANVM CONSERTVM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Tum e sublimi proclamante praetore: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIBVS PRAESENTIBVS VIAM DICO. INITE VIAM, litigatoribus, duce quodam sapiente, adhibitisque testibus, iter imaginarium per forum conficiebant, ac clamante iterum praetore: REDITE VIAM, eodem duce, redibant. Ita enim histrioniam hanc forensem describit, nec sine sale exagitat Cicero *pro Muraen. cap.* 12.

(c) *Iubebo.*] Fuerunt haec olim in edicto. Festus: SVPERSTITES, inquit, *testes praesentes significat. Cuius rei testimonium est, quod* SVPERSTITIBVS PRAESENTIBVS, *ii, inter quos controuersia est,* VINDICIAS SVMERE *iubebantur.* Vbi vero iubebantur. Non sane in XII. tabulis, sed in edicto praetoris, vti iam obseruauit Iac. Gothofredus *ad leges XII. tabular. pag.* 113. Attamen quia haec verba summam vetustatem redolent, nec adeo certum est, ea in edicto suo retinuisse Iulianum: illa, tamquam edictalia, praetermittere quidem noluimus, includenda tamen putauimus vncinolis, quippe incerti, an in edicto perpetuo talia exstiterint.

(d) REM.] Vocabulum et hoc edictale est, quod interpretatur, eiusque differentiam a PECVNIA ostendit PAVLLVS *lib. I. ad edict. l.* 5. D. *de verb. signif.*

(e) *Ab*

BIU Cujas

ab altero possidet (e), dummodo se ea in re nihil deterius facturum, PRO PRAEDE LITIS VINDICIARVM (f) satis dederit (g), et ab aduersario prouocatus, SPONSIONEM in eamdem pecuniam fecerit (h), vin-

(e) *Ab altero possidet.*] Possessio vitiosa numquam alterutri litigantium proderat. Esse vero haec tria possessionis vitia, non ICti tantum sciunt, sed et Donatus *ad Terent. Eunuch. II. 3. v.* 27. monuit.

(f) PRO PRAEDE LITIS VINDICIARVM.] Sunt et haec verba sollemnia, quemadmodum Asconii Paediani testimonio probauimus. Iam addimus locum Ciceronis *in Verr. I. cap.* 45. *si quis testamento heredem se esse arbitraretur, quod tum non exstaret: lege ageret in hereditatem, aut pro* PRAEDE LITIS VINDICIARVM, *quum satis accepisset, sponsionem faceret. Ita de hereditate certaret. Hoc, opinor, iure et maiores nostri, et nos semper usi sumus.* Apud Valerium etiam Probum exstant notae: P. P. L. V. id est, PRO PRAEDE LITIS VINDICIARVM. Ex quibus omnibus intelligitur, forensem fuisse hanc formulam, quam in edicto suo insuper habuisse praetorem, vix probabile est. Neque obstat, in iure nostro Iustinianeo de praede litis vindiciarum altum esse silentium. Idem enim hic egisse Tribonianum, quod supra de ex-

Heineccii Opusc. postum.

puncto vadimonii vocabulo obseruauimus, nemo non animaduertit.

(g) *Satis dederit.*] Quum fieri non posset, vt, qui pro praede litis vindiciarum satis accipiebat, omnes fundi arbusculas dinumeraret, et singulas non deteriores fore, sibi stipularetur: ad certam pecuniae summam redigebatur illa cautio, e. g. DECEM MILLIA SALVA FORE PROMITTIS? de qua stipulatione ad hunc titulum egit VLPIAN. *lib. II. ad edict. l.* 67. *pr. D. de verb. oblig.*

(h) *In eamdem pecuniam fecerit.*] Ad sponsionem faciendam prouocatum esse eum, secundum quem praetor dederat vindicias, iam Ciceronis et Asconii Paediani testimoniis probauimus. Addimus iam locum Arnobii *aduers. gent. lib. IIII. pag.* 138. qui ad eumdem adludens ritum: *quis*, inquit, *quaesitor? quis arbiter cernicibus tantis erit, vt inter personas huiusmodi aut* VINDICIAS *iustas* DARE, *aut* SACRAMENTA *conetur pronunciare non iusta?* Sacramentum enim hic est sponsio. Ceterum edictale hoc fuisse vocabulum, discimus ex loco PAVL-

BIU Cujas

vindicias dabo. (i)

§. I. Si, qui possidet, pro praede litis vindiciarum non satisdabit, petitori satis danti vindicias dabo. (k)

§. II. Neutro satisdante, possessorem, vti possidet, possidere (l), vel, si qua mihi iusta caussa visa fuerit (m), rem IN SEQVELI *lib. III. ad edict. l. 7. D. de verb. signif.* vbi illud ita interpretatur ICtus: SPONSIO *adpellatur non solum, quae per sponsus interrogationem fit, sed omnis stipulatio promissioue*: id est, proinde est, siue quis interroget: PROMITTISNE? an SPONDESNE? Grot. *Florum sparsi ad ius Iustin. pag.* 304.

(i) *Vindicias dabo.*] Ei dumtaxat vindicias dabat praetor, qui ciuiliter animoque sibi habendi possidebat. Non ergo depositario, nisi depositum in creditum abiisset, de quo casu differuit VLPIAN. *lib. II. ad edict. l.* 10. *D. de reb. cred.* neque commodatario, quia nemo commodando rem facit eius, cui commodauit, VLPIAN. *ibid. l.* 9. *D. commodati.* neque conductori, quia non solet locatio dominium mutare. VLPIAN. *ibid. l.* 39. *D. locat.* Qua occasione et VLPIAN. *ibid. l.* 32. *D. pro soc.* de differentia societatis et communionis, et PAVLVS *lib. II. ad edict. l.* 5. §. 1. *D. de verb. signif.* de locatione operarum et operis differuisse videntur.

(k) *Vindicias dabo.*] Sententiam hanc integram debemus Paullo *sentent. recept. lib. I. tit.* 11. *cap.* 1. cuius verbis paene gemina sunt illa Diocletiani et Maximiani augg. *l.* 1. *C. vti possid. vti possidetis fundum, de quo agitur, quum ab altero nec vi, nec clam, nec precario possideatis, rector prouinciae vim fieri prohibebit. Satisdationis vel* TRANSFERENDAE POSSESSIONIS *edicti perpetui forma seruata, de proprietate cognoscet.* Postrema enim verba ad hanc ipsam *de translatione possessionis* paragraphum pertinere, comparatis inter se Paulli et horum imperatorum verbis, facile intelliges.

(l) *Possidere.*] Sequuti et hic sumus Paullum *Sentent. recept. lib. I. tit.* 11. §. 1. In pari enim caussa meliorem possidentis conditionem esse debere, expeditissimi iuris est.

(m) *Caussa visa fuerit.*] Sequestrationi non nisi ob iustam caussam locum esse, satis constat. Vid. *l.* 7. §. *vlt. D. qui satis dar. cog. l.* 21. §. *vlt. D. de adpellat. l.* 22. §. 8. *D. solut. matrim.*

BIU Cujas

SEQVESTRE DEPONI (n) iubebo.

§. III. Si quis hominem liberali cauſſa manu adſeret (o), ſiue eum in ſeruitutem vindicabit: SECVNDVM LIBERTATEM VINDICIAS DABO. (p)

TIT. VI.

DE IVDICIS DATIONE. (a)

(n) IN SEQVESTRE DEPONI.] Verba haec edictalia ſeruauit, expoſuitque PAVLLVS *lib. II. ad edict. l. 6. D. depoſ. proprie* IN SEQVESTRE EST DEPOSITVM, *quod a pluribus in ſolidum certa conditione cuſtodiendum reddendumque traditur.* Eodem fere modo vocabulum explicat Gell. *Noct. Att. lib. XX. cap.* 10.

(o) *Manu adſeret.*] Talis lex in ipſis XII. tabulis exſtitit Liu. *Hiſtor. lib. III. cap.* 43. Dionyſ. Halicarn. *lib. X. cap.* 32. §. 18. *l.* 2. §. 24. *D. de orig. iur.* Eam vero deinde, vti alias leges decemuirales, in edictum migraſſe, colligimus ex *rubrica*, et *l.* 2. *l.* 4. *l.* 6. *l.* 9. *l.* 11. *l.* 13. *D. de liberal. cauſſ.* quamuis ex his textibus de loco, vbi de vindiciis ſecundum libertatem dandis egerit praetor, nihil certi conſtare, fateamur.

(p) SECVNDVM LIBERTATEM VINDICIAS DABO.] Verba haec antiqua et ſollemnia ſeruaſſe praetorem, perquam veroſimile eſt. Rationem, cur ſecundum libertatem vindicias dandas putauerint Romani, hanc reddidiſſe videtur PAVLLVS *lib. II. ad edict. l.* 106. *D. de reg. iur.* quod libertas ſit res inaeſtimabilis. Recte. Nam de re inaeſtimabili non deteriore reddenda nemo pro praedelitis vindiciarum poterat ſatis promittere. Quare recte et acute Iac. Gothofred. in *Comm. ad reg. iur. pag.* 462. hoc PAVLLI fragmentum ad edictum *de lite vindiciarum* retulit, at perperam contra Cuiacium negauit, inaeſtimabile hic eſſe, quod certo pretio nequeat aeſtimari, aliter procul dubio initurus rationes, ſi ſpeciem huius legis ſatis perſpectam habuiſſet.

(a) IVDICIS DATIONE.] Poſteriorem hunc titulum illo *de lite vindiciarum* fuiſſe exiſtimamus, quia vindiciae iudicis dationem, quin et ipſam petitionem antecedebant. Priorem vero eumdem fuiſſe titulo *de formula iuris dictionis et albo corrupto*, ex eo patet, quod VLPIANVS et PAVLLVS de iudicis datione *libro II.* de formula

BIU Cujas

QVi iuris dictioni praesunt (b), quibusue mandata est iuris dictio (c), ii, si ipsi non cognoscent (d), iudices

mula iuris dictionis *libro III. ad edictum* egerunt.

(b) *Iuris dictioni praesunt.*] Iudicem dare est actus iuris dictionis, quippe quae in DECERNENDO et IVDICIS DATIONE consistebat. *Decernebat* magistratus, quoties ipse extra ordinem cognoscebat. Ordinarie vero, auditis litigantium adlegationibus, iudices, arbitros, recuperatores dabat. *l.* 12. *§.* 1. D. *de iudic.* Sigon. *de iure ciu. Rom. lib. I. cap.* 20. Ger. Noodtius *de iuris dict. lib. I. cap.* 5. *pag.* 99. *tom. I. Oper.*

(c) *Mandata est iuris dictio.*] Iis quoque, quibus mandata fuerat iuris dictio, iudices dare ius erat. *d. l.* 12. *§.* 1. D. *de iudic.* Edicto vero hoc fuisse expressum, colligimus ex IVLIAN. *lib. I. Digest. l.* 5. D. *de iudic.* vbi, quinam mandare iuris dictionem possint, ex instituto disquirit: itemque ex PAVLLI *lib. II. ad edict. l.* 6. D. *eod.* et *l.* 12. D. *de offic. procos.* vbi et de mandata iuris dictione, et de datis a mandatario iudicibus differit.

(d) *Non cognoscent.*] Notio magistratus, quae sine iudicis datione explicabatur, αὐτεξούσιος vocabatur IVRIS DICTIO, veluti in lege Thoria apud Car. Sigon. *de iure Ital. lib. II. cap.* 2. itemque COGNITIO, cui in iure Iustinianeo plerumque additur epitheton EXTRAORDINARIA. Sed eo nos vti noluimus, quia viri docti id a Triboniano inuentum, saltim non admodum antiquum esse existimant. Salmas. *de modo vsurar. cap.* 13. *pag.* 111. Schulting. in Προτ. *Dig. lib. II. tit.* 1. *§.* 23. *pag.* 187. Neque tamen in magistratuum arbitrio erat, ipsine decernere, an iudices dare mallent: sed certae erant causſae, de quibus extra ordinem cognoscebant, quae *cognitiones*; aliae, quas iudicibus delegabant, quae *causſae ordinarii iuris* dicebantur, Sueton. *Claud. cap.* 15. eoque pertinent PAVLLI et CALLISTRATI *libri Cognitionum*, de quibus Merill. *Obs. lib. II. cap.* 26. Erant etiam cognitiones, quas ipsi sibi principes reseruauerant, delegari solitae aliis, qui vocabantur IVDICES SACRARVM COGNITIONVM, Gruter. *Inscript. pag.* 102. 9. 271. 4. 284. *sequ.* Reines. *Inscript. classſ.* II. *n.* 16. IVDICES EX DELEGATIONIBVS SACRIS, Gruter. *pag.* 433. 4. VICE SACRA IVDICANTES, *l.* 16. *C. Th. de adpellat.* SACRI COGNITORES, *l.* 3. *C. vbi senat. l.* 5. *C. quorum adpell. non recip.*

BIU Cujas

ces (e), ARBITROS (f), recuperatoresue, qui de cauſſa iudicent, ſententiamque ex formula ferant (g), dabunt.

§. I.

recip. a quibus an prouocari potuerit, diſquirit Cuiacius *Obſeru. lib.* XVI. *cap.* 2.

(e) *Iudices.*] Iudices, arbitri, recuperatores legebantur ex decuriis iudicum, quarum initio tres, poſtea ex inſtituto Auguſti quatuor fuere, addita quippe decuria DVCENARIORVM. Quintam porro decuriam adiecit C. Caligula, teſte Sueton. *Calig. cap.* 16. Hinc IVDICES EX QVINTA DECVRIA memorantur in marmore apud Gruter. *Inſcript. pag.* 51. *pag.* 402. 5. *pag.* 446. 2. 3. *pag.* 484. 3. et alibi paſſim. Sextam adiici petentibus id negauit Galba. Suet. *Galb. cap.* 14. Pedanei cur dicti ſint, quia res in vulgus nota, non addo. Id tamen moneo, hoc nomen illis non ideo eſſe inditum, quod pedites inceſſerint, quamuis id ſibi perſuaſerit Pancirol. *de claris Legum interpret. lib.* I. *cap.* 2. *pag.* 16.

(f) ARBITROS.] Vocabulum hoc edictale ſeruauit expoſuitque PAVLL. *lib.* II. *ad edict. l.* 1. D. *de recept. arbitr.* vbi de arbitrorum compromiſſariorum et a magiſtratibus datorum diſcrimine egiſſe videtur, quamuis Digeſtores eam tantum partem, quae ad prius arbitrorum genus pertinet, inde decerpſerint. Coniunximus vero IVDICES, ARBITROS, et RECVPERATORES, quia omnibus his vocabulis veteres vtebantur. IVDICES enim vocati, qui in iudiciis ſtricti iuris; ARBITRI, qui in bonae fidei et arbitrariis iudiciis fuerant dati. Cicero *pro Q. Roſcio cap.* 4. Seneca *de benefic. lib.* I. *cap.* 7. Addatur Gonzal. Tellez *ad cap.* 1. *X. de arbitr. tom.* I. *pag.* 1009. RECVPERATORIBVS, de quibus Feſt. *voc. reciperator*, et Gell. *Noct. Attic. lib. XX. cap.* 1. locus in iudiciis potiſſimum recuperatoriis erat. Plaut. *Bacchid.* III. 3. Sueton. *Veſpaſ. cap.* 8. Plin. *lib.* III. *epiſt. penult.* At eodem poſtea nomine veniebant ciues Romani, qui in praeſidum erant conſilio, Vlpian. *Fragment. tit.* 1. §. 13. Theoph. *ad* §. 4. *Inſt. qui et ex quib. cauſſ. manum.* quorumque conſeſſus vocabatur CONSILIVM, Theophil. *ibid.* vel συμβούλιον, *Act. cap.* 25. *v.* 12. De eo plura Schulting. in Πρόλ. *Dig. lib.* II. *tit.* 1. §. 13. pag. 188.

(g) *Ex formula ferant.*] His finibus circumſcriptum erat iudicum, arbitrorum, et recuperatorum officium, vt excuſſo diligentius facto, auditiſque probationibus ex formula ferrent ſententiam. *Iudex* enim ſemper dabatur

BIU Cujas

§. I. Si conuenerint (h) iudices, arbitri, recuperatores: magistratus eos addicent, iudiciumque, prout res erit (i), ordinabunt.

TIT.

ad totam caussam, quum *arbiter* aliquando et ad quaestionem incidentem excutiendam daretur. *l.* 10. D. *qui satisdar. cog.* Et hinc cum curatoribus iudices comparasse videtur PAVLL. *lib.* II. *ad edict. l.* 15. D. *de tut. et cur. dat.* quia et curator ad totam caussam, in locum tutoris reipublicae caussa absentis, datur. Sed, re paullo adcuratius expensa, inscriptio huius fragmenti mendosa videtur. Pro *libro* enim II. *ad edictum*, legendum, *lib.* XII. quo libro PAVLLVM titulum edicti *de eo, quod falso tut. auct. gest. esse dicitur* explicasse, patet ex *l.* 2. *l.* 4. *l.* 6. *l.* 8. D. *de eo, quod falso tut. auct.*

(h) *Si conuenerint.*] CONVENIRE dicebantur IVDICES, qui non reiiciebantur a litigantibus. Valer. Maxim. *Histor. lib. II. cap.* 8. *ex.* 2. Licebat enim his, vel accipere iudices, qui a praetore ferebantur, vel, iis recusatis, alium PROCARE. Cicero *pro A. Cluent. cap.* 43. *neminem voluerunt maiores nostri non modo de existimatione cuiusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima, esse iudicem, nisi qui inter aduersarios* CONVENISSET. Add. Plinius *Panegyr. cap.* 36. et Cicero *de orat. lib. II. cap.* 70. Qui conuenerant, iudices a praetore ADDICEBANTVR, *l.* 80. *D. de iudic.* et quidem etiam inuiti. *l.* 13. §. 2. D. *de vacat. et excus. mun.* Suet. *Claud. cap.* 15. Plin. *lib. III. epist.* 20. *lib. X. epist.* 66. Quum ergo omnia haec verba et sollemnia, et forensia fuerint, ea in edicto suo retinuisse praetorem, admodum est opinabile.

(i) *Prout res erit.*] Formulae, iudicibus praescriptae, variae erant pro caussarum varietate. In iudiciis STRICTI IVRIS iudex iubebatur reum in certam summam condemnare, si pareret, eum debere. Hinc eiusmodi negotio nulla inerat exceptio, nec quod ante tempus fuerat solutum, condictione indebiti repetebatur. VLPIAN. *lib. II. ad edict. l.* 17. D. *de condict. indeb.* Si tamen reus iusta exceptione tutus sibi videretur: postulandum erat a praetore, vt exceptionem illam insereret formulae. Cic. *Academ. quaestion. lib. IIII. cap.* 30. Hinc de variis exceptionibus hic agunt interpretes, veluti REI IVDICATAE, VLPIAN. *lib. II. ad edict. l.* 1. D. *de except. rei iud.* et PLVS PETITIONIS, PAVLL. *lib. II. ad edict. l.* 4. D. *de vsufr.*

l. 1.

BIU Cujas

TIT. VII.

DE FORMVLA IVRISDICTIONIS, ET ALBO CORRVPTO. (a)

(VLP. LIB. III. PAVLL. LIB. III. IVLIAN. LIB. II.)

QVi magistratum potestatemue habebunt, si de NOMINIBVS REBVSVE (b), quae ad eorum iuris dictionem EX

l. 1. D. *de operis seruor.* Contra in BONAE FIDEI iudiciis formula erat laxior, facultasque dabatur arbitris aestimandi, quid alter alteri dare facere oporteret EX FIDE BONA, Valer. Max. *lib. VIII. cap.* 2. vel reum condemnandi in id, QVOD AEQVIVS MELIVS videretur, quod in rei vxoriae actione potissimum fiebat: Cicero *pro Q. Roscio cap.* 4. *de offic. lib. III. cap.* 15. *l.* 3. *§. penult.* D. *sol. matr. l.* 82. *fin.* D. *de solut.* vel iubendi satisfieri pacto fiduciae: VTI INTER BONOS BENE AGIER OPORTEAT, ET SINE FRAVDATIONE. Cic. *ad diuers. lib. VII. epist.* 12. Topic. *cap.* 17. Hinc pacta in continenti adiecta inesse dicuntur negotiis bonae fidei, PAVLL. *lib. II. ad edict. l.* 6. D. *de rescind. vend. l.* 68. D. *de verb. obligat.* et contractuum horum interpretatio religioni iudicantium relinquitur, secus ac in stricti iuris negotiis. VLPIAN. *lib. II. ad edict. l.* 76. D. *de legat.* 3. Denique in IVDICIIS ARBITRARIIS ita concipiebatur formula, vt ex aequo et bono arbitrari liceret iudici, quantum restituere vel dare facere oporteat reum, et, si arbitrio non pareretur, condemnatio in amplius quid fieret, quod ἰδικῶς ἐγκεῖσθαι τούτοις τοῖς ἀναγωγαῖς, obseruat Theophil. *§.* 4. *Inst. de action.* Quid in iudiciis diuisoriis, quorum vnum tantum, *finium regundorum*, arbitrarium est, iudici vel arbitro ex formula liceat, explicat VLPIAN. *lib. II. ad edict. l.* 55. D. *fam. ercisc.*

(a) ALBO CORRVPTO.] Quum hic nouum commentariorum librum inchoënt VLPIANVS, PAVLVS, et IVLIANVS: certum est, hunc titulum posteriorem fuisse superioribus. Praecessisse autem illum edictum *quod quisque iuris in alt. statuit*, ex ordine in Pandectis obseruato colligimus.

(b) NOMINIBVS REBVSVE.] Verba edictalia, quae suo more inter-

EX LEGIBVS (c), SCtis, principumue edictis ac constitutionibus pertinent, decernent (d), neque eis obtemperabitur, mulctam pro modo iuris dictionis suae dicent. (e)

§. 1. SI QVIS (f) ID, QVOD IVRISDICTIONIS PERPETVAE CAVSSA, [non prout res incidit, (g)] IN ALBO, VEL CHARTA, VEL

interpretatur VLPIAN. *lib. III. ad edict. l. 6. pr.* D. *de verb. signif.*

c) EX LEGIBVS.] Id quoque vocabulum edictale est, explicatum ab VLPIANO *ibid. l. 6. §. 1.* D. *de verb. signif.* cuius legis speciem plane non vidit Ioann. Goedd. *Comment. tit. de verb. signif. pag.* 149.

(d) *Decernent.*] Praeterquam si reo competit ius domum reuocandi, de quo VLPIAN. *Lib. III. ad edict. l. 2. pr. et §. 1.* D. *de iudic.* Praeterea sibi, vxoribus, liberis, ceterisque, quos secum habeant, ius dicere non posse magistratus, hoc loco monuit VLPIAN. *ibid. l. 10.* D. *de iuris dict.*

(e) *Dicent.*] Sententiam hanc, quam hic expressimus, debemus VLPIANO *lib. III. ad edict. l. 2. §. vlt.* D. *de iudic.* vbi ille: *his datur mulctae dicendae ius, quibus publice iudicium est, at non aliis, nisi hoc specialiter iis permissum est.* Permissum vero hoc erat non magistratibus municipalibus, de quibus supra *ad tit. 2.* sed vrbanis, et postea prouinciarum praesidibus. Quod enim ad priores attinet, iam lege Ateria Tarpeia fuerat cautum, ἵνα ταῖς ἀρχαῖς πάσαις ἐξῇ τοὺς ἀκοσμοῦντας, ἢ παρανομοῦντας εἰς τῶν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιῶν, vt *magistratibus omnibus fas esset, insolentes et iuris dictioni suae non obtemperantes mulctare.* Dionys. Halic. *Antiqu. Rom. lib. X. cap. 57. pag.* 674.

(f) SI QVIS.] Integrum hoc edictum seruauit, suoque more interpretatus est VLPIAN. *lib. III. ad edict. l. 7.* D. *de iuris dict.*

(g) *Non prout res incidit.*] Verba, vncis inclusa, habentur in *d. l. 7. D. de iuris dict.* At ea glossema redolere videntur Cuiacio *Obseru. lib. I. cap.* 24. Et sane vti verosimillima est haec eius coniectura: ita non aeque videtur audiendus, dum et insequentia verba: VEL CHARTA, VEL ALIA MATERIA, sollicitat. Nam quamuis antiquissimis temporibus praetor solo fortassis *albo* vsus sit, id est, alba tabula, alboue pariete, vel λευκώματι: potuit tamen Saluii Iuliani aetate alius mos inoleuisse. Sane simile quid legimus apud Paullum *Sentent. recept. lib. I. tit. 13. §. 3.* Vid. Ian. a Costa *ad §. 12. Inst. de*

BIU Cujas

VEL ALIA MATERIA (h) PROPOSITVM HABVERIT (i), DOLO MALO (k) CORRVPERIT (l), IN EVM (m) QVINGENTORVM AVREO-

de action. pag. 534. et Ant. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 247.

(h) ALIA MATERIA.] In historia edicti perpetui et de ALBO et de aliis materiis, in quibus principum et magistratuum edicta proponi consueuerint, plura diximus. Modo enim illa incidebant marmoribus, quorum hunc vsum antiquissimum esse τὰ δέξαντα ἐν αὐτοῖς ἀναγράφειν, obseruauit Sophocl. scholastes Apollonii *ad lib. IIII. Argonaut. v.* 480. modo aeri, veluti apud Gruter. *Inscript.* 573. *pag.* 4. *l.* 4. *C. Th. de priuil. eor. qui in sacro palat. l.* 1. *C. Th. de alim. quae inopes*, modo eadem inscribebant mappis linteis tabulisque cerussatis, de quibus Salmas. *ad Script. histor. aug. pag.* 355. Iac. Gothofred. *ad Cod. Theodos. tom. II. pag.* 420. Mabillon. *de re diplom. lib. I. cap.* 9. modo in chartis, de quibus, ipsaque eas conficiendi ratione fusius disseruit laudatus Salmas. *c. l. pag.* 444. *seqq.* Quae ideo hic repetere visum est, vt vel hoc argumento demonstraremus, non esse rationem, cur haec verba, quae in *d. l.* 7. D. *de iurisdict.* occurrere diximus, pro glossemate vel emblemate Triboniani cum Cuiacio habenda esse censeamus.

(i) PROPOSITVM HABVERIT.] Immo ne id quidem impune erat facinus, si quis edictum, antequam proponeretur, dolo malo corrupisset. VLPIAN. *lib. III. ad edict. l.* 7. *§.* 2. D. *de iurisdict.*

(k) DOLO MALO.] Excusandus ergo videtur, qui ob imperitiam, vel rusticitatem, vel iussu ipsius praetoris, vel casu corrupit. VLPIAN. *ibid. l.* 7. *§.* 4. D. *eod.*

(l) CORRVPERIT.] Siue raserit, vel aliquid in eo mutauerit. Paull. *Sentent. recept. lib. I. tit.* 13. §. 3. Multo magis ergo mulctandus, qui integrum dolo malo sustulit. VLPIAN. *ibid. l.* 7. *§.* 4. D. *de iurisd.*

(m) IN EVM.] Aduersus plures corrumpentes haec actio datur in solidum. VLPIAN. *ibid. l.* 7. §. 4. CAI. *lib. I. ad edict. prou. l.* 8. D. *de iurisdict.* Si seruus inscio domino corrupit, aduersus hunc agitur noxaliter: sin eo sciente, in solidum. Qualis autem hic scientia sufficiat, disquirunt VLPIAN. *lib. III. ad edict. l.* 3. *l.* 5. *l.* 7. D. *de noxal. act.* et PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 4. D. *eod.* Quid obtineat, si

 tota

BIU Cujas

AVREORVM (n) IVDICIVM DABO. (o)

tota familia album corruperit, docuit PAVLLVS *lib. III. ad edict. l.* 9. D. *de iurisd.*

(n) QVINGENTORVM AVREORVM.] Accursius maluit QVINQVAGINTA, idque et aliis post eum placuit, veluti Mureto et Arn. Vinnio *ad §.* 12. *Inst. de act.* tantam pecuniae summam maiorem rati, quam quae ob delictum non nimis grande exigi potuerit. Et sane Hadriani temporibus, quibus edictum perpetuum in lucem prodiit, aurei quadraginta libram, ac proinde D. aurei XII. libras cum dimidia conficiebant. Io. Fridr. Gronou. *de pecun. vet. lib. III. cap.* 4. *pag.* 321. Iam libra auri, teste eodem, *lib. IIII. cap.* 13. constabat LXX. solidis, et sic librae XII. cum dimidia dant solidos DCCCLXXV. quumque idem vir doctissimus *libro IIII. cap.* 15. probarit, solidi valorem fuisse sex Carolinorum, vel trium imperialium: tota quingentorum aureorum summa fuerit 5250. Carolinorum, vel 2625. imperialium. Quae mulcta sic satis magna videtur pro delicto non maximo. Sed recte Cuiac. *Obs. lib. X. cap.* 10. hic nihil mutandum censuit. Nam et Florentiae leguntur quingenti aurei, et eumdem numerum seruant Basilica. Praeterea mulcta 2625. imperialium et dimidii satis modica videri potuit in tanta Romanorum opulentia. Ceterum in seruum, a domino non defensum multo grauius animaduersum legimus, quippe cuius corpus torquebatur. VLPIAN. *lib. III. ad edict. l.* 7. §. 3. *D. de iurisdict.* Sed et qui principis edictum corruperat, poenae legis Corneliae de falsis erat obnoxius. *l.* 32. *D. ad leg. Corn. de falsi.* Sed nescio, an vlli mortalium huiusmodi facinus peius cesserit, quam Christiano cuidam, qui quum Diocletiani et Maximiani augg. edictum aduersus Christianos propositum, dilacerasset, *non modo extortus, sed et legitime* (fortassis *lentissime*) *coctus cum admirabili patientia postremo exustus est*, teste Lactant. *de mortib. persequut. cap.* 13.

(o) IVDICIVM DABO.] Est hoc iudicium populare, quippe quod pro tuenda praetoris maiestate cuiuis ex populo datur. VLPIAN. *lib. III. ad edict. l.* 7. §. 3. *D. de iurisdict.* Ad agendum tamen non admittebantur, nisi personae integrae existimationis, et quae per edictum postulare poterant. Id enim de actionibus popu-

BIU Cujas

TIT. VIII.

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR. (a)

QVI MAGISTRATVM POTESTATEMVE HABEBIT, SI QVID IN ALIQVEM NOVI IVRIS (b) STATVERIT (c), IPSE (d) QVANDOQVE,

popularibus in genere hac occasione obseruat PAVLLVS *lib. III. ad edict. l. 4. D. de popular. action.*

(a) EODEM IVRE VTATVR.] Ordinis rationem iam superiore titulo reddidimus. Priorem vero fuisse hunc titulum titulo *de edendo*, ex eo patet, quod VLPIANVS demum libro *Commentar.* IIII. longissimum de edendo tractatum instituit. Ceterum et hoc edictum integrum supereſt apud VLPIAN. *lib. III. ad edict. l. 1. D. quod quisque iur.*

(b) NOVI IVRIS.] Nouum ius hic idem, ac iniquum. VLPIAN. *lib. III. ad edict. l. 3. pr. D. quod quisque iur. in alt. stat.* Eodem sensu Tiberium *noui iuris repertorem* vocat Tacitus *Annal. lib. II. cap. 30.* vti iam obseruauit Schulting. Πρωτ. *lib. II. tit. 2. §. 1.*

(c) STATVERIT.] Et quidem cum effectu. Neque enim solus conatus sufficit: VLPIAN. *lib. III. ad edict. l. 1. D. quod quisque iur. in alt. stat.* quia cogitationis poenam nemo patitur. VLPIAN. *ibid. l. 18. D. de poen.* Si magistratus de adsessorum sententia ius nouum statuerat: (pertinebat enim hoc ad adsessorum officium, vt magistratibus, edicta scripturis, adessent, *l. 1. D. de offic. adsess.*) id adsessoribus potius, quam magistratui imputabatur. PAVLL. *lib. III. ad edict. l. 2. D. quod quisque iur. in al. statuer.* quam legem a violenta Ant. Fabri emendatione vindicat Bachou. in Πρωτ. *h. t.* De culpa ab adsessoribus praestanda quaedam etiam monuit Iac. Cuiac. *Obseru. lib. XXIII. cap. 40.* Quid vero obtineat, si filiusfamilias magistratu functus ius nouum atque iniquum statuerit? disquirit VLPIANVS *lib. III. ad edict. l. 3. §. 4. D. quod quisque iur. in alt. stat.*

(d) IPSE.] Non vero eius heres. Quod quamuis ex ipsa actionum poenalium natura atque indole facile intelligatur, suo tamen more monendum duxit VLPIAN. *lib. III. ad edict. l. 3. §. 5. D. eod.*

BIU Cujas

DOQVE, ADVERSARIO POSTVLANTE EODEM IVRE VTI DEBEBIT. (e)

§. I. SI QVIS APVD EVM, QVI MAGISTRATVM POTESTATEMVE HABEBIT, ALIQVID NOVI IVRIS OBTINVERIT (f), QVANDOQVE POSTEA, ADVERSARIO EIVS POSTVLANTE (g), EODEM IVRE ADVERSVS EVM DECERNETVR. (h) PRAETERQVAM SI QVIS EORVM CONTRA FECERIT, QVI IPSE EORVM QVID FECISSE dicetur. (i)

(e) IVRE VTI DEBEBIT.] Nec quidquam interest, siue iam natae sint actiones, siue postea demum adquisitae. Non tamen quod ex nouo atque iniquo edicto solutum est, tamquam indebitum repetitur. VLPIAN. *lib.* III. *ad edict. l.* 3. §. 6. 7. *D. quod quisque iur.* Cuius iuris ratio est rei iudicatae auctoritas, quae pro veritate est. Vnde nec pecunia ex caussa iudicati soluta condicitur. *l.* 1. *C. de condict. indeb.* Neque obstat, iniquam esse sententiam. Praetor enim ius reddere dicitur, etiam quum inique decernit, relatione scilicet facta non ad id, quod ita praetor fecit, sed ad illud, quod praetorem facere conuenit. *l.* 11. *D. de iust. et iur.*

(f) OBTINVERIT.] Requiritur ergo, vt quis ius nouum ac iniquum et postulauerit, et obtinuerit. VLPIAN. *lib.* III. *ad edict. l.* 3. *pr. D. quod quisque iur.* De tutore vel curatore, ius nouum postulante, videndus IDEM *ibid. l.* 3. §. 1. *D. eod.*

(g) POSTVLANTE.] Etiamsi is postulet, qui nouo illo ac iniquo iure non est laesus. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 2. *D. eod.*

(h) DECERNETVR.] Multae hic natae quaestiones, veluti an praeter actionem etiam exceptio ex hoc edicto nascatur? qualis sit illa exceptio? cur huic actioni etiam aduersus heredes locus sit? De quibus occasione loci VLPIANI *lib.* III. *ad edict. l.* 3. §. 5. *D. eod.* disquirunt Cuiac. *Obseru. lib.* XI. *cap.* 40. et Schulting. *Πρόκτ. lib.* II. *tit.* 2. §. 6. *sequ.*

(i) FECISSE *dicetur.*] Vltima haec edicti verba nobis seruauit interpretatusque est CAIVS *lib. l. ad edict. prou. l.* 4. *D. quod quisque iur.* Quidam Pandectarum editores etiam verba insequentia: SCILICET VT QVOD IPSE QVIS IN ALTERIVS PERSONA AEQVVM ESSE CREDIDISSET, ID IN IPSIVS QVOQVE PERSONA VALERE

BIU Cujas

LERE PATIATVR, litteris maiusculis, quasi edictalia essent, exprimunt. At non praetoris haec verba sunt, sed iureconsulti, aequitatem vel rationem huius edicti ostensuri, vti iam obseruarunt Hotoman. *Obs. lib. VIII. cap.* 15. et Ger. Noodtius *ad Pand. h. t. pag.* 50. Ceterum perneceſſarium omnino erat hoc edictum, quia, obſeruante Dione Caſſio *Hiſtor. lib. XXXVI. pag.* 19. οὐχ οἱ στρατηγοὶ πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διετέτακτο, ἐφύλαττον, ἔπειτα ἐπαύσαντο τοῦτο ἐφύλαττον, ἔπειτα τὰ γραφέντα ἐτήρουν· ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον, καὶ συχνὰ ἐν τούτῳ πρὸς χάριν, ἢ καὶ ἔχθραν τινῶν ὥσπερ εἰκὸς ἐγίνετο: *nec praetores illud ius, quod ad contractus dirigendos conſtitutum erat, ſeruabant, neque ſtricto iuri ſtabant, ſed ſaepenumero ea variabant, crebroque per gratiam odiumque certorum hominum permulta gerebantur.* Acriore ergo remedio opus videbatur coercendae tum ciuium nefariorum, tum ipſorum magiſtratuum edicta in aliorum gratiam vel odium ſuo arbitratu mutantium iniquitati. Ceterum tralatitium eſt hoc edictum, et ſatis antiquum, quippe quod iam Cn. Octauius in albo habuit, teſte Ciceronе *ad Quint. fratr. lib. I. epiſt.* 1. §. 7. cuius verba adſcribere non piget: *his rebus nuper Cn. Octauius iucundiſſimus fuit --- Qui in magiſtratibus iniurioſa decreuerant, eodem ipſis priuatis erat iure parendum. Haec illius ſeueritas acerba videretur, niſi multis condimentis humanitatis mitigaretur.* Noui huiuſmodi atque iniqui edicti a C. Verre propoſiti exemplum exſtat apud Ciceron. *in Verr. I. cap.* 41. *ſequ.* Dum vero hoc caput in edicto perpetuo exſtare voluit IVLIANVS: id nouo nobis argumento eſt, magiſtratus, condito edicto perpetuo, non ſtatim deſiiſſe noua edicta, ſub magiſtratus ſui auſpicia proponere. Quid enim opus fuiſſet edicto hoc poenali, ſi iis omne ius noua iura ſtatuendi fuiſſet ademtum. Vidit ſane huius argumenti pondus Maranus *Paratitl. h. t. pag.* 176.

BIU Cujas

TIT. VIIII.

DE EDENDO. (a)

(VLPIANVS LIB. IIII.)

QVa (b) quisque ACTIONE (c) apud me vti volet, eam illum EDERE aduersario (d) OPORTEBIT.

(a) DE EDENDO.] Posterior superiore fuit hic titulus, quia de illo VLPIANVS *libro III.* de hoc *libro IIII.* egit. Priorem autem fuisse titulo de pactis, ordo in Pandectis et Codice obseruatus persuadet. Eumdem ordinem edicti hic agnoscunt Ob. Giphanius *Oecon. iur. pag.* 124. et Iac. Gothofredus in *Serie edicti perpetui.*

(b) *Qua.*] Primi huius capitis sententiam seruauit VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 1. *pr. et* §. 1. *D. de edendo.*

(c) ACTIONE.] Vocabulum edictale, quo actiones in rem, in personam, vtiles, praeiudicia, stipulationes praetorias, interdicta, iudicia duplicia, non autem exceptiones contineri, monet PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 8. §. 1. *D. de verb. signif.* Merito autem actionem, qua quisque vsurus est, edi iubet praetor, *quia scire oportet reum, vtrum concedere, an contendere vltra debeat, et, si contendendum putet, veniat instructus ad agendum, cognita actione, qua conuenitur.* Ita suo more rationem reddit, vtilitatemque huius edicti commendat VLPIANVS *lib. IIII. ad edict. l.* 1. *pr. D. de edendo.*

(d) EDERE *aduersario.*] Vocabulum hoc edictale, EDERE, ita interpretatur VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 1. *D. de edendo:* EDERE *est copiam describendi facere, vel in libello complecti, et dare, vel dictare. Eum quoque* EDERE, *Labeo ait, qui perducat aduersarium suum ad album, et demonstret, quod dictaturus est, vel id dicendo, quo vti velit.* Sic *editae ex* ALBO *actionis* mentio fit in antiquioribus editionibus Velleii Paterculi *Histor. lib. II. cap.* 28. Sed pro *ex albo*, ibi legendum esse *ex alto*, censuerunt Iust. Lipsius *Quaesit. per epistol. lib. III. cap.* 8. et Io. Frid. Gronou. *Obseru. lib. II. cap.* 23. quod deinde Schegkius, Heinsius, et reliqui editores omnes probant. Edenda autem erat actio demum in

BIU Cujas

TEBIT. (e)

§. I. Semel editam emendari mutariue, dumne plus petierit actor, permittam. (f)

§. II.

in iure apud praetorem, non simul ac quis in ius vocabatur. Plaut. *Perſ. IIII.* 9. *v.* 8.

D. *Quid me in ius vocas?*

SA. *Illic apud praetorem dicam: ſed ego in ius voco.*

Nec obſtat locus Terentii *Adelph. II.* 1. *v.* 39.

Neque vendundam cenſeo,
Quae libera eſt: nam ego liberali
illam adſero cauſſa manu.
Nunc vide, vtrum vis argentum accipere, an cauſſam meditari tuam.

Non enim haec eſt actionis editio, ſed argumentum, quo lenoni perſuadet, vt accepta pecunia ſecum tranſigat. Ipſa actionis editio demum in iure fiebat. Plaut. *Aulul.* IIII. 10. *v.* 30.

Iam quidem ad praetorem hercle, te rapiam, et tibi ſcribam dicam.

vbi vetus gloſſarium Terentianum DICAM exponit per *ſchedulam*, id eſt, libellum, quo actor actionem ſuam in iure complectitur, quo ſenſu et Graeci dicunt λαγχάνειν δίκην, ἐπάγειν δίκην, ἐπάγειν γραφήν, ἀποφέρειν δίκην. κ. τ. λ.

(e) OPORTEBIT.] Vocabulum et hoc edictale eſt, quod interpretatur PAVLL. *lib.* III. *ad edict. l.* 8. *pr.* D. *de verb. ſignif.* vbi pro OPORTEBIT, OPORTET reſcribendum eſſe, fruſtra monent Coel. Caleagninus et Fornerius in *commentariis*. Iam enim ipſe PAVLLVS obſeruauit, verbum hoc tam praeſens, quam futurum tempus ſignificare, quod non poteſt dici de verbo praeſentis temporis, *oportet*, quod non aeque facile ad futurum, quam *oportebit* ad praeſens tempus referri, vel inde patet, quod ſaepiſſime coniunguntur OPORTET, OPORTEBIT, veluti *l.* 76. §. 1. *et l.* 89. D. *de verb. oblig.* vbi legendus Grot. *in Florum ſparſ. pag.* 304. Accedit, quod et in Baſilicis hic retentum eſſe animaduertimus futurum ΟΠΟΡΤΕΒΙΤ. Τὸ ὀφορτεβιτ ῥῆμα καὶ τὸν ἐνεστῶτα, καὶ τὸν μέλλοντα δηλοῖ. *Baſilic. lib.* II. *tit.* 2. Denique, quod caput rei eſt, legiſlatorium praetoris ſtilum magis omnino ſapit futurum OPORTEBIT, quam praeſens OPORTET.

(f) *Permittam.*] Hanc edicti ſententiam debemus Seuero et Antonino augg. *l.* 3. *C. de edend.* vbi hi principes: *edita*, inquiunt, *actio ſpeciem futurae litis demonſtrat, quam emendare vel mutare licet, prout* EDICTI PERPETVI *monet*

BIU Cujas

§. II. Instrumenta quoque (g), quibus in iudicio (h) vti volet actor, aduersario EDI COGAM SINE DIE ET CONSVLE. (i)

§. III. ARGENTARIAE MENSAE EXERCITOREM (k) RATIONEM

monet auctoritas, vel ius dicentis decernit aequitas.

(g) *Instrumenta quoque.*] Sententiam huius paragraphi nobis suggessit VLPIAN. *lib.* IIII. *ad edict. l.* 1. §. 2. *D. de edend.*

(h) *In iudicio.*] Non cogitur quis edere instrumenta, quibus non est vsurus, VLPIAN. *ibid. l.* 1. *§.* 2. *D. eod.* nisi sint communia. *l.* 2. *l.* 7. *C. eod.* Ita nec reus regulariter edere tenetur instrumenta, nisi in quibus exceptionis suae ponit fundamentum, quia tunc reus excipiendo actor est. VLPIAN. *ibid. l.* 1. *D. de except.* Immo ne actor quidem semper ad edendum compellitur, veluti, quando reus ipse instrumentum domi habet. PAVLL. *lib.* III. *ad edict. l.* 2. D. *de edendo.*

(i) SINE DIE ET CONSVLE.] Verba haec τυπικὰ interpretatur VLPIAN. *lib.* IIII. *ad edict. l.* 1. *§.* 2. D. *eod.* addita ratione: *ne quid excogitetur ex die et consule, quod praelato die fiat.* Quae verba satis obscura diuersimode explicant interpretes, et in his Cuiac. *Obseru. lib.* III. *cap.* 7. *lib. X. cap.* 14. et Sam. Petit. *Iur. Attic. lib.* IIII. *tit.* 3.

(k) EXERCITOREM.] Edictum hoc prope integrum exstat apud VLPIAN. *lib.* IIII. *ad edict. l.* 4. *pr.* D. *de edendo.* vbi tamen acute obseruat Muret. *Obs. iur. cap.* 9. ex verbis, vti in vulgata exstant, aliquid excidisse, rescribendumque esse: RATIONES CVIQVE, QVAE AD SE PERTINENT. Neque enim alias edicto quadrarent verba VLPIANI: *huius edicti ratio aequissima est. Nam quum singulorum rationes argentarii conficiant: aequum fuit, id, quod mei caussa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi.* ARGENTARII vel ARGENTARIAE MENSAE EXERCITORES dicebantur, qui publica auctoritate pecuniam foenori locabant, auctiones faciebant, aliis soluebant, constituebant pro aliis, rationes conficiebant, pecuniam denique suo periculo traiiciendam credebant. Cic. *pro Flacc. cap.* 19. Mensas ac tabernas suas habebant ad forum, vel ad aedem Castoris, vbi et militum erant stationes, securitatis caussa dispositae. Iuuenal. *Sat.* XIIII. *v.* 258.

Si

BIU Cujas

NEM cuique, QVAE AD SE PERTINET (l), EDERE IVBEBO (m) AD-

Si ſpectes, quanto capitis diſcrimine conſtent
Incrementa domus, aerata multus in arca
Fiſcus, et ad VIGILEM *ponendi*
Caſtora numi,

quem locum ſolus fere recte interpretatus eſt Ioannes Britannicus. Cuiuis porro tabernae argentariae praefixum erat certum ſignum διακριτὸν, e. g. SCVTVM CIMBRICVM in *Actis diurnis*, quae poſt Steph. Vin. Pighium et Thom. Reineſium pleniora edidit Henr. Dodwell. ſub finem *Praelectionum Cambdenianarum.* Plura de argentariis, menſariis, trapezitis, nummulariis diſputarunt Cuiac. *Obſeru. lib. X. cap.* 14. Salmaſ. *de modo vſur. cap.* 17. *pag.* 499. Deſid. Herald. *Animaduerſ. ad ius Attic. et Rom. lib.* II. *cap.* 24. *pag.* 173. quae hic non repetimus, id monuiſſe contenti, argentariorum officium publicam quodammodo cauſſam habere, CAI. *lib.* I. *ad edict. prouinc. l.* 10. §. 1. D. *de edend.* ac proinde feminas remotas eſſe a menſa argentaria: CALLISTR. *lib.* I. *edict. monit. l.* 12. D. *eod.* quum contra filiifamilias argentariam recte faciant. VLPIAN. *lib.* IIII. *ad edict. l.* 4. §. 2. 3. 4. D. *eod.* Cur vero rationes omnibus edere teneantur argentarii, ad nummularios autem hoc edictum non pertineat, diſquirunt VLPIAN. *ibid. l.* 6. §. 1. et PAVLL. *lib.* III. *ad edict. l.* 9. §. 1. *D. de edend.* Add. Herald. *Animadu. ad ius Attic. et Rom. lib.* II. *cap.* 24. §. 7.

Heineccii Opuſc. poſtum.

(l) QVAE AD SE PERTINET.] Quid ratio ſit, docent VLPIAN. *lib.* IIII. *ad edict. l.* 6. §. 5. *D. de edend.* et CAIVS *lib. I. ad edict. prou. l.* 10. §. 2. *eod.* Eam *grandem codicem* vocat Iuuenal. *Sat. VII. v.* 110. vbi conſulendus vetus ſcholiaſtes. Ad quem vero pertineant rationes, oſtendunt VLPIAN. *lib.* IIII. *ad edict. l.* 6. §. 5. et PAVLL. *lib.* III. *ad edict. l.* 9. §. 4. *D. de edend.* Quumque praecipue ad creditores pertineant rationes, hac occaſione, quis creditor vocetur, expoſuit CAIVS *lib. I. ad edict. prou. l.* 11. *D. de verb. ſignif.*

(m) EDERE IVBEBO.] EDERE hic eſt vel dictare, vel tradere libellum, vel codicem praeferre. VLPIAN. *lib.* IIII. *ad edict. l.* 6. *pr.* §. 7. *D. de edend.* Non alibi autem edere rationes quiſquam tenetur, quam vbi fecit argentariam, niſi quis exemplum ſibi ſuis ſumtibus tranſmitti petat: VLPIAN. *lib.* IIII. *ad edict. l.* 4.

BIU Cujas

ADIECTO DIE ET CONSVLE (n): dummodo is, qui sibi edi postulabit (o), EAS NON CALVMNIANDI CAVSSA SIBI EDI POSTVLARE iurabit.

§. IIII. Item ARGENTARIO (p), EIVE, QVI rationes ITERVM SIBI EDI POSTVLABIT, CAVSSA COGNITA EDI IVBEBO. (q)

§. V. Si quis (r) DOLO MALO (s) non edet: in eum, quan-

§. 5. *D. eod.* quo casu et spacium temporis, ad describendas proferendasque rationes, argentario merito indulgetur. PAVLL. *lib.* III. *ad edict. l.* 5. *D. eod.*

(n) DIE ET CONSVLE.] Neque enim accepta et data adparere possunt, sine die et consule. VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 1. §. 2. *l.* 6. §. 6. D. *eod.*

(o) *Edi postulabit.*] Ita PAVLLVS *lib.* III. *ad edict. l.* 9. §. 3. *D. eod.* Nec interest, cum ipsone argentario sit controuersia, an cum alio. CAI. *lib. I. ad edict. prou. l.* 10. *pr.* D. *eod.*

(p) Item ARGENTARIO.] Supersest haec edicti pars apud VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 6. §. 8. D. *de edend.* Caussae autem cognitio ideo necessaria est, quod ordinarie rationes non redduntur argentario, sed si se forte ruina, naufragio, incendio, similiue casu, codicem perdidisse probauerit. VLPIAN. *ibid. l.* 6. §. 9. D. *eod.*

(q) EDI IVBEBO.] Id quoque iubet praetor non aliter, quam caussa cognita. VLPIAN. *ibid. l.* 6. §. 10. *D. eod.* Iustas vero caussas, ob quas quis sibi rationes iterum edi postulare possit, recensset PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 7. *pr.* D. *eod.* qui paullo post §. 1. monet, ITERVM hic non esse δευτέρως, *secundum*, sed πάλιν, id est, quotiescumque opus sit. Videatur Strauch. *Lexic. partic. iur. pag.* 112. *sequ.*

(r) *Si quis.*] Hanc edicti partem restituimus ex VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 8. et PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 9. *D. de edendo.*

(s) DOLO MALO.] DOLO MALO non edere et is videtur, qui edidit, sed malitiose, vel qui in totum non edidit: VLPIAN. *ibid. l.* 8. *pr.* D. *de edend.* non autem, qui a loco, vbi edendum est, abest. Nam frustrandae actionis caussa latitare non videtur, qui praesens suscipere iudicium non compellitur. VLPIAN. *lib.*

BIU Cujas

quantum postulantis interest, rationes editas non esse (t), caussa cognita, iudicium dabo. (u)

TIT. X.

DE PACTIS ET CONVENTIONIBVS. (a)

PACTA

lib. IIII. ad edict. l. 3. D. de iudic. Atqui ne praesens quidem iudicium suscipere cogitur argentarius, quia edere non tenetur rationes, nisi eo loco, vbi argentariam exercuit. *l. 4. §. 5. D. de edend.* Denique et iis, qui ob aetatem, rusticitatem, vel lubricum sexus non ediderunt, subuenire solere praetorem, docet VLPIAN. *ibid. l. 1. §. 5. D. de edend.*

(t) *Editas non esse.*] Datur haec actio in id, quod interest. VLPIAN. *ibid. l. 6. §. 4. D. eod.* Additur autem: RATIONES EDITAS NON ESSE. Inde enim aestimatur, quantum actoris interest, illo tempore, non quantum postea interesse coeperit. VLPIAN. *ibid. l. 8. §. 1.* CAIVS *lib. 1. ad edict. prou. l. 10. §. 3. D. eod.*

(u) *Iudicium dabo.*] Est haec actio IN FACTVM DE EDENDO, quae tunc datur, quando alia non suppetit. Procuratorem enim nostrum ad edenda instrumenta compellimus actione *mandati*: socium actione *pro socio*, tutorem *arbitrio tutelae*. PAVLL. *lib. III. ad edict. l. 9. pr. D. de edend.* Ceterum haec actio heredi quidem, at non aduersus heredem, nisi ex proprio eius facto, immo ne post annum quidem dari, monet VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l. 13. D. eod.*

(a) DE PACTIS ET CONVENTIONIBVS.] Rationem ordinis iam ad superiorem titulum reddidimus. Integrum edictum seruauit VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l. 7. §. 7. D. de pact.* et ex parte Iustinianus imp. *l. 29. C. eod.* iustis vero commentariis illustrarunt Ge. Conrad. Crusius, (vid. *Thesaur. iur. ciu. tom. I. pag. 672.*) et Ger. Noodtius, cuius libellus bonae frugis plenissimus *tomo I. Operum, pag. 483.* occurrit. Inter alia obseruat Crusius, titulum hunc inscriptum fuisse *de pactis et conuentionibus*, similemque fuisse rubricam in Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, et Theodosiano, nec non in *Paulli Sentent. recept. lib. I. tit. 8.* ac proinde mirum videri, Cuiacium apud Paullum rescribendum putasse: *de pactis et conuentis*: quum tamen vetus *auctor consultationis* ab ipso Cuiacio editus,

BIU Cujas

PACTA CONVENTA (b), QVAE NEQVE DOLO MALO

hunc Paulli titulum laudet sub rubrica: *de pactis et conuentionibus vel transactionibus.* Enimuero in Codice Gregoriano *titulus* 2. *libri I.* et in Hermogeniano *titulus* 4. inscribitur *de pactis et transactionibus*, non *de conuentionibus.* Et *auctor consultationis* non semel illum Paulli titulum, sed diuersimode admodum citat. Nam *capite* 3. laudat Paulli titulum *de pactis et conuentionibus, vel transactionibus: capite* 6. *de pactis et transactionibus: cap.* 7. modo *de pactis*, modo *de pactis et conuentis*: vt omnino incertum sit, quomodo sese habuerit illa rubrica, quamuis omnino verisimillimum videatur, praetorem scripsisse *de pactis et conuentionibus*, vel *de pactis conuentis*, vel, quod aeque Latinum est, *de pactis et conuentis.* Transactionis in rubrica factam esse mentionem, dubitare me fateor, immo plane adsentior Ant. Schultingio, ita scribenti *in Iurisprud. anteiustin. pag.* 218. *de transactionibus separatum edictum propositum non fuit: sed, quae in pactis habent locum, et in transactionibus, quae interueniente pacto fiunt, ordinarie obtinebunt. Quia tamen in transactionibus nonnulla aliter se habent, ac in aliis pactionibus; Tribonianus de illis quoque speciali titulo in Pandectis et Codice agi, consultius esse existimauit.*

(b) PACTA CONVENTA.] CONVENTIO quid sit, ostendit VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 1. §. 3. D. *de pact.* Eius species sunt PACTVM et CONTRACTVS. PACTVM a *pactione* dictum existimat VLPIANVS, *ibid. l.* 1. §. 1. 2. D. *eod.* quum potius vtrumque sit a vetere verbo *pago*, quo decemuiros vsos esse in XII. tabulis, nouimus. Auct. *ad Herenn. lib. II. cap.* 13. Quinctilian. *Inst. orat. lib. I. cap.* 6. Quum vero pactum sit duorum vel plurium in idem placitum consensus, vel, vti rem exprimit Aristot. *ad Nicomach. lib. VIIII. cap.* 6. περὶ τὸ πρακτὰ ὁμόνοια: consequens est, vt pacisci possint, qui possunt consentire, PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 4. §. 1. D. *de pact.* siue EXPRESSE per verba, siue TACITE et ipso facto, veluti redditione chirographi, PAVLL. *ibid. l.* 2. D. *eod.* vel illatione rerum in aedes conductas. PAVLL. *ibid. l.* 4. *pr.* D. *eod.* Sic et conditiones quasdam pactis tacite inesse, obseruat IDEM *ibid. l.* 4. §. 2. D. *eod.* Aliquando iis accedebat iusiurandum, quod,

BIU Cujas

MALO (c), NEQVE ADVERSVS LEGES, PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA, EDICTA PRINCIPVM (d), NEQVE QVO FRAVS

quod, quoties propter certam rem praeſtandum eſt, ne parentibus quidem, vel patronis remittitur. IDEM *ibid. l.* 14. D. *de iureiurando.* Ex quibus fragmentis, eorumque ἀλληλεχία, ſatis intelligitur, edicti interpretes longiſſimum hic inſtituiſſe tractatum de PACTIS, vel CONVENTIONIBVS, diuerſiſque eorum generibus. Nos hic praecipuas tantum partitiones adferemus. Primum pacta vel PVBLICA ſunt, de quibus VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 5. D. *de pact.* vel PRIVATA. Haec vel LEGITIMA, de quibus PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 6. D. *eod.* vel IVRIS GENTIVM. Ex his porro alia actiones producunt, quae hodie NON NVDA vocamus, alia exceptionem tantum pariunt, quae NVDA adpellantur. VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 7. §. 4. D. *eod.* NON NVDA ciuilem obligationem producunt, vel quia NOMEN vel CAVSSAM habent, ac proinde in CONTRACTVM tranſeunt, vel quod in continenti ACCEDVNT contractibus bonae fidei. VLPIAN. *ibid. l.* 7. *pr. et* §. *ſequ.* D. *eod.* Denique pacta vel IN REM ſunt, vel IN PERSONAM: quorum pactorum differentiam non tam ex verbis, quam ex mente atque intentione contrahentium aeſtimandam eſſe, monet VLPIAN. *ibid. l.* 7. §. 8. *l.* 22. *l.* 26. D. *eod.* In dubio ſaltim magis in rem, quam in perſonam concepta eſſe praeſumuntur, niſi is, vnde petitur, contrarium liquido probet. CELS. *lib. I. Digeſt. l.* 9. D. *de probat.*

(c) DOLO MALO.] Quid ſit DOLO MALO paciſci, ad hunc locum docet VLPIANVS *lib. IIII. ad edict. l.* 7. §. 9. 10. 11. D. *de pact.* Eo pertinent omnia pacta contra bonos mores inita, vel ad circumueniendos alios comparata, quale eſt illud: DO TIBI DECEM, VT VIGINTI REDDAS, de quo PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 17. D. *eod.* itemque ſi ſibi ſtipulatur maritus, vt in dote praeter dolum malum nihil praeſtare cogatur. VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 6. D. *de pact. dot.*

(d) EDICTA PRINCIPVM.] Pacta, contra leges inita, irrita eſſe, tralatitium eſt, *l.* 5. *C. de legib.* eoque pertinent fragmenta CAII *lib. I. ad edict. prou. l.* 28. *pr.* D. *de pact.* et VLPIANI *lib. IIII. ad edict. l.* 7. §. 16. D. *eod.* Quo poſteriore loco iureconſultus: *generaliter*, inquit, *quoties pactum a iure communi remotum eſt, ſeruari hoc non oportet, nec*

BIU Cujas

FRAVS (e), CVI EORVM FIAT, FACTA ERVNT (f), SERVABO.

LEGARI, *nec iusiurandum de hoc adactum, ne quis agat, seruandum est.* At quid PACTVM LEGARE? Alios malle: NEC LIGAT, QVVM NEC IVSIVRANDVM *d. h. a. s. s.* refert Cuiacius *Obseru. lib. I. cap.* 24. qui tamen τὸ LEGARI defendit, quod et Florentinus codex illud habeat, et Graeci hic seruarint Latinum ληγατεύειν, et sensus liquidus sit, contra leges nec pactum, nec legatum, nec iusiurandum seruandum esse. Sed quamuis sensus ita sit satis commodus: nescio tamen, an eum fundant verba Vlpiani. Quare aut fallor ego, aut probanda est coniectura Mureti *Obs. iur. cap.* 10. legentis, ADLEGARI, aut ex lege geminationis rescribendum: *et generaliter, quoties pactum a iure communi remotum est, seruari hoc non oportet. Oportet nec legari, nec iusiurandum*; cet. Hinc seruanda non sunt pacta priuatorum contra rempublicam inita, quum de priuatis quisque iure paciscatur, VLPIAN. *ibid. l.* 7. *§.* 13. D. *eod.* adeoque et de iniuriis: PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 17. *§.* 1. D. *eod.* immo et de re iudicata, quamuis transigi, si de ea litigantibus satis constat, non possit. VLPIAN. *ibid. l.* 7. *§.* 13. D. *eod.* et *l.* 11. D. *de transact.* Alia pacta contra leges et ius commune inita recensent VLPIAN. *ibid. l.* 7. *§.* 18. *sequ. l.* 10. *l.* 29. et CAIVS *lib. I. ad edict. prou. l.* 28. *pr. et §.* 1. *et* 2. D. *de pact.*

(e) FRAVS.] Quis IN FRAVDEM LEGIS aliquid facere dicatur, explicat VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 30. D. *de legib. l.* 7. *§.* 10. D. *de pact.* Idem sequente §. 11. meminit verborum edictalium: NEQVE FIAT, ex quibus Accursius collegit, quaedam edicti verba periisse. Sed verba haec non alia esse, quam quae hic exstant, recte obseruauit Muret. *Obs. iur. ciu. cap.* 10. quamuis eius coniecturam de siglis parum probabilem existimemus.

(f) FACTA ERVNT.] Hic veteres iureconsulti varias quaestiones suo more mouent, veluti de pactis procuratorum: VLPIAN. *ibid. l.* 10. *§.* 2. *l.* 12. D. *de pact.* PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 11. *l.* 13. D. *eod.* tutorum et curatorum: PAVLL. *ibid. l.* 15. D. *eod. l.* 22. D. *de administr. et peric. tutor.* filiorum familias et seruorum: PAVLL. *ibid. l.* 19. *l.* 21. D. *de pact.* CAI. *lib. I. ad edict. prou. l.* 18. *l.* 20. *l.* 30. *D. eod.* fideiussorum: PAVLL. *ibid. l.* 23. *l.* 25. D. *eod.* correorum: IDEM *ibid. l.* 25. *l.* 27. *D. eod.* magistrorum societatis: VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 14. D. *eod.*

BIU Cujas

VABO. (g)

TIT. XI.

DE IN IVS VOCANDO. (a)

(VLP. LIB. V. PAVLL. LIB. IIII. CAI. LIB. II.)

EVm, qui magistratum potestatemue habebit (b), quiue

eod. denique emtorum hereditatis. VLPIAN. *ibid. l.* 16. D. *eod.*

(g) SERVABO.] Seruat pacta praetor, tum ex nudis dando EXCEPTIONEM, VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 7. §. 2. 3. 4. 5. *D. de pact.* tum ex legitimis et quibusdam adiectis, ACTIONEM indulgendo. PAVLL. *lib. III. ad edict. l.* 6. D. *eod. l.* 7. D. *de naut. foen.* VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 7. §. 5. 6. D. *de pact.* Compromissum etiam inter pacta est, quod tamen actionem non parit, sed exceptionem, quamuis ex eo, si stipulatio interceſſit, peti possit poena conuentionalis. VLPIAN. *lib. IIII. ad edict. l.* 2. D. *de exception.* Ex transactione vero et actio nasci potest, et exceptio. HERMOGEN. *lib. I. Epitom. iur. l.* 16. D. *de transact.*

(a) DE IN IVS VOCANDO.] Titulos, qui ad in ius vocationem pertinent, superioribus posteriores fuisse, vel id argumento est, quod ab eo nouos commentariorum libros inchoarunt VLPIANVS, PAVLLVS, et CAIVS. De ipsorum insequentium titulorum ordine nulla est dubitandi ratio. Tribonianum enim in Pandectis, multoque pressius in Codice hic sequutum esse edicti perpetui ordinem, iam obseruarunt Ob. Giphan. *Oecon. iur. pag.* 124. et Ger. Noodtius *Tomo II. Oper. pag.* 64. Rubricam huius tituli his ipsis verbis conceptam esse, discimus ex *l.* 1. §. 11. D. *de postul.*

(b) *Potestatemque habebit.*] Potestatem habere dicuntur, qui coërcere, et in carcerem duci iubere possunt. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 2. D. *de in ius voc.* Veteres iureconsulti hos magistratus VOCATIONEM, adeoque et PRENSIONEM habere dicebant, quum contra, qui *prensionem* habebant, non ideo et *vocationem* habere dicerentur. Qua de re ex Varrone et Ateio Capitone quaedam

BIU Cujas

ue legatione fungetur (d), item infantem (e), furiosum, mente captum, seruum (f), denique quemcumque de

dam excerpsit Gell. *Noct. Attic. lib. XIII. cap.* 12. Varronem hic audire operae fuerit pretium: *in magistratu*, inquit, *alii habent* VOCATIONEM, *alii* PRENSIONEM, *alii neutram.* VOCATIONEM, *vt consules et ceteri, qui habent imperium:* PRENSIONEM, *vt tribuni plebis et alii, qui habent viatorem: neque* VOCATIONEM *neque* PRENSIONEM, *vt quaestores, et ceteri, qui neque actorem habent, neque viatorem. Qui* VOCATIONEM *habent, iidem prendere, tenere, abducere possunt, et haec omnia, siue adsunt, quos vocant, siue acciri iusserunt.* Qui itaque *vocationem* habebant, iis ius erat et absentes vocandi, et prehendendi praesentes. Qui *prensionem*, praesentes tantum prehendi, non vocare absentes poterant. Qui *neutram*, ii nec coërcebant iure quemquam, nec in carcerem duci iubebant. Quamobrem hi recte in ius vocantur, vti denuo obseruauit Varro apud Gellium *Noct. Attic. lib. XIII. cap.* 13. dum scribit: *qui potestatem neque* VOCATIONIS *populi viritim habent, neque* PRENSIONIS, *eos magistratus a priuatis in ius vocari est potestas. M. Laeuinus, aedilis curulis, a priuato ad praetorem in ius est eductus: nunc stipati seruis publicis, non modo prendi non possunt, sed et vltro submouent populum.* In ius ergo vocari poterant XXuiri, quaestores, immo et aediles curules, antequam seruis publicis stipati incederent: idque vetus principium et IVLIANI adhuc temporibus omnino valuit.

(d) *Legatione fungetur.*] Legati enim gaudebant iure domum reuocandi, de quo CAI. *lib. II. ad edict. prou. l.* 8. *D. de iudic.*

(e) *Infantem.*] Ita VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 4. *pr. D. de in ius voc.* iuncta *l.* 22. *pr. D. eod.* Pubertati proximus ob delictum quoque recte vocabatur, capax quippe et furandi, et iniuriae faciendae. CAI. *lib. II. ad edict. prou. l.* 3. *pr. D. de reg. iur.*

(f) *Seruum.*] Siue ex contractu, siue ex delicto seruorum aliquid petatur, non aduersus seruum, sed aduersus dominum agitur. Ex contractu actionibus quod iussu, tributoria, de peculio, de in rem verso, similibusque actionibus: ex delictis actionibus noxalibus, de quibus ad hunc locum pluribus agit CAIVS *lib. II. ad edict. prou. l.* 1. *D. de noxal.*

BIU Cujas

de domo sua (g), vel inde, vbi litis (h), officii (i), sollemnitatisue vel reipublicae caussa (k) adesse quemquam opor-

noxal. act. Sane nec ad titulum *de noxalibus actionibus*, nec ad alterum *si ex nox. causs. agatur, quemadm. cau.* pertinere potuit hoc fragmentum, quia CAIVS haec edicta aliis commentarii sui libris exposuit.

(g) *De domo sua.*] Plerique putarunt, neminem de domo sua in ius vocandum esse, quia sua cuique domus tutissimum refugium ac receptaculum sit, adeo vt inde aliquem extrahens iniuriam inferre videretur, *l.* 18. *D. de iniur.* Cicero *pro domo sua, cap.* 41. *quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus vniuscuiusque ciuium? Hic dii Penates, hic sacra, religiones, caerimoniae continentur. Hoc perfugium est ita sanctum omnibus, vt inde abripi neminem fas sit.* Sacra itaque deorum Penatium religionem, ac veluti ius ἀσύλου conciliabant domibus. In iis enim erat ἐφέστιον, *sacrarium, lararium*, vbi dii Penates summa religione colebantur, adeo vt aliquando illa *pars domus consecrata* diceretur. Sueton. *Galb. cap.* 4. Non mirum itaque videri potest, iniuriarum postulari potuisse, qui quem ex aedibus suis in ius rapuisset, quemadmodum monuit OFILIVS, vetus edi-

Heineccii Opusc. postum.

cti interpres apud PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 23. *D. de iniur.*

(h) *Litis.*] Non erat in ius vocandus, qui apud praetorem agebat caussam, vel qui litigandi caussa necesse habebat in iure vel certo loco sisti. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 2. *fin. l.* 4. *pr. D. de in ius voc.*

(i) *Officii.*] Hinc vocandus non erat iudex, dum caussam cognoscebat. VLPIAN. *ibid. l.* 2. *D. eod.* Finito tamen officio recte vocabatur, veluti si litem suam fecerat. Quod iudicium contra IVLIANI sententiam statuit VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 16. *D. de iudic.*

(k) *Sollemnitatisue vel rei publicae caussa.*] Ex hac ratione in ius vocari nequeunt pontifices, sacerdotesque, dum sacris operantur, nec reliqui, qui iis adsunt, quique propter loci religionem inde se mouere non possunt. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 2. *D. de in ius voc.* At quinam illi, qui se inde propter loci religionem mouere non possunt? Ex plerorumque sententia ipsi sacerdotes, quos et alibi VIpianus *l.* 13. *pr. D. de vacat. et excus. mun.* a sacerdotio discedere sine religione posse, negat. Sed aliud

BIU Cujas

est, a sacerdotio iudicandi caussa discedere, aliud, propter religionem loco se mouere non posse. Consilium quoque satis calidum est Franc. Duareni, qui *in Comment. ad h. t. cap.* 3. verba illa Tribonianismum redolere, et ad monachos pertinuisse suspicatur. Nobis omnes, qui sacris intererant, videntur intelligendi. Illi enim propter loci religionem inde se mouere non poterant, priusquam sacerdos exclamasset: ΑΑΟΙΣ ΑΛΕΣΙΣ, vel apud Latinos: ILICET! Marqu. Freher. *Parerg. lib. II. cap.* 18. Praeterea sollemnitatis caussa in ius vocari non potuisse existimant eos, *qui equo publico in caussa publica transuehebantur.* VLPIAN. *ibid. l.* 2. *D. h. t.* Locum enim hunc capiunt de sollemni illa equitum transuectione, quae quotannis, ipsis Idib. Iuliis fiebat ex aedibus Honoris in Capitolium, de qua Isaac. Casaubon. *ad Sueton. Aug. cap.* 38. Iac. Raeuard. *Var. lib. II. cap.* 15. et, qui nuper singulari ac pererudita dissertatione hunc ritum exposuit, Io. Erardus Kappius. Sed huic Duareni, Cuiacii, Raeuardi, aliorumque doctissimorum virorum sententiae, vti ipsi animaduertunt, non parum refragantur verba IN CAVSSA PVBLICA, pro quibus Raeuardus IN CAPITOLIVM, Hotomanus *Obs. lib. III. cap.* 21. IN CENSV PVBLICO rescribi iubent, maiore audacia, quam verosimilitudine, quum et Florentiae legatur: *in caussa publica*, et haec verba in suo exemplari inuenerint auctores Basilicorum *lib. VII. tit.* 8. qui illa vertunt: διὰ δημοσίαν χρείαν. Itaque non sollemnem illam equitum transuectionem in animo habuit VLPIANVS, sed cursum publicum τὸν δημόσιον δρόμον, vti est in Basilicis. Quibus enim in caussa publica iter celerius erat faciendum, ii, dispositis per stationes equis publicis transuehebantur, eiusque rei caussa diploma a principe accipiebant, vt, eo ostenso, equi illico praeberentur. Plin. *lib. X. epist.* 14. 54. 121. *sequ.* Iulius Capitolin. *in Pertinac. cap.* 1. Id diploma *sigillum* vocat Lactant. *de mort. persequ. cap.* 24. id est, tesseram, qua non exhibita equi non praebebantur. Scheffer. *de re vehicular. cap.* 18. *pag.* 264. *Diplomata* vero illa, vel *sigilla*, vel *tesseras* princeps quibusdam necessitatis caussa, aliis pro beneficio dabat, eique rei praerat LIBERTVS AVGVSTALIS A DIPLOMATIBVS, qualis fuit Aurelius Symphorus, apud Reines. *Inscript. class. VI. n.* 13. *pag.* 309. Hi ergo vere *equo publico in caussa publica transuehebantur*: ac proinde in hoc ipso loco Vlpiani omnino intelligendi sunt, vti iam pridem viderunt Io. Coras. *in Miscell. lib. VI. cap.* 11. et Freher.

BIU Cujas

oportebit, vel die feriato (l), IN IVS VOCARI (m) veto.

TIT.

her. *Parerg. lib. II. cap.* 18. Denique, vt in viam redeamus, sollemnitatis causſa in ius vocandi non erant, qui vxorem ducebant, vel quae nubebant, itemque qui funus familiare ducebant, iuſtaque faciebant mortuo. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 2. *D. eod.* Quod poſtremum et ad eos, qui funus proſequuntur, porrectum eſt. *l.* 3. *D. eod.*

(l) *Die feriato.*] Id Marci Aurelii imp. oratione et ad ferias meſſis et vindemiarum productum eſt. *l.* 1. *pr. D. de fer.* Erant tamen cauſſae, de quibus et feriatis diebus ius dici poterat, de quibus VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 2. *D. de fer.*

(m) IN IVS VOCARI.] *In ius vocare* eſt iuris experiundi cauſſa vocare. PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 1. *D. de in ius voc.* De ritu in ius vocandi omnia peruulgata ſunt. Monere tamen iuuat, videri illos falli, qui vilioris tantum conditionis homines, veluti fures, raptores, lenones, obtorto collo in ius rapi potuiſſe contendunt, et in his Hoppe-rum *de arte iur. lib. III.* Raeuardum *ad XII. tabb. cap.* 5. *pag.* 27. Bachou. *ad Treutler. diſp. IIII. cap.* 1. *litt. B.* et Gundlingium, cuius ſingularem ea de re diſſertatiunculam inſertam *Gundlingianis*, legere me memini: nec minus falli, qui inter honeſtiores vilioreſque perſonas hoc diſcrimen ſtatuunt, quod illae non niſi praeuia anteſtatione, hae et ſine illa in ius potuerint rapi, idque velle exiſtimant Plautum, *Perſ. IIII.* 9. *v.* 10.

DO. *Nonne anteſtaris?* SA. *Tuin' ego cauſſa, carnufex,*
Cuiquam mortali libero aures atteram?

Sed iocum comicum ſapit illa oratio. Leges ipſae inter perſonas honeſtiores vilioreſque non diſtinguunt: et exempla docent, eodem modo et honeſtiores et viliores perſonas in ius vocari conſueuiſſe. Narrantem ſupra audiuimus Varronem, *M. Laeuinum, aedilem curulem, a priuato ad praetorem in ius* DEDVCTVM ESSE. Et multo poſt etiam integrae exiſtimationis homines in ius raptos, legimus. Sic Dinonem auditorem, nullius criminis reum, ob didactrum non ſolutum, in ius rapit philoſophus, πελθείς γε αὐτῷ θοιμάτιον περὶ τὸν τράχηλον, καὶ ἐβόα, καὶ ὠργίζετο, *pallio eius collo iniecto, vociferans et excandeſcens admodum.* Lucian.

BIU Cujas

TIT. XII.

IN IVS VOCATI VT EANT AVT SATIS VEL CAVTVM DENT. (a)

QVi ex quacumque cauſſa IN IVS VOCATI erunt, eos aut IRE, AVT de iudicio ſiſti SATIS CAVTVMVE DARE oportebit. (b)

§. I.

Hermotim. pag. 511. *tom. I. Oper.* Et apud eumdem *in Lexiph. pag.* 829. *tom. I.* ob diuulgatum initiatorum quorumdam nomen a ſacerdotibus obtorto collo in ius rapitur Dinias, homo cetera honeſtiſſimus. Paſſim equidem occurrunt in ius vocandi formulae paullo duriores, et quas vix conueniri dixeris viris honeſtioribus, quales illae : Ἕλκυσά σε, ὦ κακόδαιμον, *Cepi te, o ſceleſte*, ἕπου μοι πρὸς δικαστήριον, *ſequere, ſceleſte, ad tribunal*, Lucian. in *bis accuſ. tom. II. pag.* 221. nec non illa apud Horat. *Serm. I. 9. v.* 75. *Quo tu*, TVRPISSIME? et apud Martialem *Epigr. lib. I. epigr.* 104. *v.* 11.

In ius, O FALLAX *atque* INFICIATOR, *eamus.*

Sed qualis vir, quem vocabant, talis et oratio erat, nec probabile eſt, viros etiam honeſtiores verbis tam iniurioſis compellatos eſſe : quamuis, quod ad ipſam in ius vocationem attinet, eos nulla praerogatiua donauit praetor, ſed parentes tantum, patronos, patronas, matronas, de quibus plura ſuo loco.

(a) CAVTVM DENT.] Eumdem hic ordinem ſeruaſſe praetorem, quem in Pandectis deprehendimus, iam ſupra dictum. Edicta vero, quae ad in ius vocationem pertinent, per plures titulos ſparſa fuiſſe obſeruat Hub. Giphan. *Oecon. iur. pag.* 124.

(b) *Oportebit.*] Verba edictalia, litteris expreſſa maiuſculis in rubrica ſuperſunt, ex qua et ipſam edicti ſententiam eruimus. Ceterum praetor hic ob oculos habuiſſe videtur legem XII. tabularum : SIN TOVS VOCAT-QVEAT, apud Ciceron. *de legib. lib.* II. *cap.* 4. Aliquando et ad incompetentem vocatus magiſtratum ire tenebatur : VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 5. *D. de iudic.* idque ideo, vt exceptionem vel prae-

BIU Cujas

§. I. Si satisdare volent (c), eos fideiussores LOCVPLETES (d) dare iubebo.

§. II. SI QVIS PARENTEM (e), PATRONVM, PATRONAM, LIBEROS AVT PARENTES PATRONI PATRONAEVE, LIBEROSVE SVOS (f), EAMVE (g), QVAM IN POTESTATE HABEBIT, VELVTI VXOREM VEL NVRVM, IN IVDICIVM VOCABIT, QVALISCVNQVE FIDEIVSSOR (h) IVDICIO SISTENDI CAVSSA ACCIPIATVR.

TIT.

praescriptionem fori ibi opponeret. Quare et iis erat eundum, qui priuilegio domum reuocandi gaudebant, quamuis hi non recte in ius vocarentur, VLPIAN. *ibid. l. 5. D. eod.* multoque magis eundum erat iis, qui ius agendi esse negabant aduersariis. VLPIAN. *ibid. l. 41. D. de locat.* CAI. *lib. II. ad edict. prouinc. l. III. §. 1. D. de reg. iur.*

(c) *Satisdare volent.*] Haec quoque sententia facile probatur ex toto hoc titulo, et maxime ex *l. 2. D. qui satisdar. cog.*

(d) LOCVPLETES.] Quinam sint fideiussores LOCVPLETES, ad hunc locum explicauit VLPIAN. *lib. V. ad edict. l. 2. D. qui satisdar. cog.*

(e) SI QVIS PARENTEM.] Integram hanc edicti partem seruauit VLPIAN. *ibid. l. 2. D. qui satisdar. cog.* vbi et matrem, et patrem, in aui potestate constitutum, parentum nomine venire, praetoremque magis ad naturalem necessitudinem, quam ad potestatem patriam, respexisse obseruat.

(f) LIBEROSVE SVOS.] Hoc edictum ad omnes liberos, siue ex masculino, siue ex feminino sexu descendentes, ac proinde et ad nepotes ex filiabus pertinet. VLPIAN. *ibid. l. 2. §. 3. D. eod.*

(g) EAMVE.] Pleraeque editiones hic habent: EVMVE, QVEM IN POTESTATE HABEBIT. Sed quid attinebat seorsum exprimere eum, qui in potestate esset, quum iam antea liberos memorasset? Primus ergo monuit Cuiac. *Obseru. lib. VII. cap.* 11. rescribendum esse EAMVE, QVAM IN POTESTATE HABEBIT, quam emendationem exempla sequentia *vxoris* et *nurus* manifesto exigunt. Vxores enim, quae in manum conuenerant, vel in mariti, vel, si filiofamilias nupsissent, in soceri potestatem transisse, ostendimus *in Commentar. ad leg. Iul. et Pap. Popp. lib. II. cap.* 11. *pag.* 238.

(h) FIDEIVSSOR.] *Qualiscumque fideiussor*, id est, etiam non

BIU Cujas

TIT. XIII.

SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT.

NI IERIT (a), qui in ius erit vocatus, neue satis cautumue dederit, is, prout res erit mulctabitur. (b)

§. I. Si quis satis cautumue dederit, neque ille sistetur (c) in fideiussorem, QVI QVEM IVDICIO SISTI PROMISIT, TANTI, QVANTI EA RES ERIT (d), ACTIONEM DABO, vel IN BONA EIVS, QVI, QVVM IVDICIO SISTENDI CAVSSA FIDEIVSSOREM

locuples, quod ad facultates attinet. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l. 2. §. 4. D. in ius voc. vt eat.* Pro locuplete enim accipitur fideiussor qualiscumque in personis necessariis. PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l. 3. D. eod.*

(a) NI IERIT.] Vetus est haec formula, quam ab ipsis decemuiris praetor veluti per manus traditam acceperat, qui in XII. tabulis dixerant: NIT ANTESTAMINO. Porphyrion *ad Horat. Serm. I. 9. extr.* Eam suo more retinuisse praetorem, ex rubrica huius tituli patet.

(b) *Mulctabitur.*] Mulctam interminatum esse praetorem iis, qui in ius vocati non ierint, discimus ex *l. 2. §. 1. D. eod.* Quum vero huius mulctae quantitas nusquam exprimatur: probabile est, eam fuisse arbitrariam *pro iuris dictione iudicis*, (vel potius magistratus,) vti loquitur siue Paullus, siue Tribonianus, *d. l. 2. §. 1. D. h. t.* vbi et exceptiones, quae ab hac mulcta liberant, recensentur.

(c) *Neque ille sistetur.*] Attamen liberabantur fideiussores, si reus, priusquam sisteretur, decesserat. PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l. 4. D. qui satisdar. cog.* Mortuum enim sisti, eo minus intererat actoris, quo certius est, ne hostem quidem, fato functum, si vel maxime offerretur, receptum esse a gentibus humanioribus. Exemplum huiusmodi deditionis, ob mortem irritae, est apud Liuium *Histor. lib. VIII. cap. 39.*

(d) EA RES ERIT.] Verba haec edictalia seruauit interpretatusque est VLPIAN. *lib. V. ad edict. l. 2. D. qui satisdar. cog.* vbi, fideiussores in veram quantitatem conueniri, monet, nisi in certam tantum summam fideiusserint.

BIU Cujas

SOREM DEDISSET (e), FRAVDATIONIS CAVSSA LATITABIT, VEL CVI HERES NON EXSTABIT, QVIVE EXSVLI CAVSSA SOLVM VERTERIT, NEQVE POTESTATEM SVI FECERIT (f), NEQVE DEFENDETVR (g), IRI IVBEBO.

TIT. XIIII.

QVI NEQVE SEQVANTVR, NEQVE DVCANTVR. (a)

PAREN-

(e) FIDEIVSSOREM DEDISSET.] Hanc quoque edicti partem debemus VLPIANO *lib. V. ad edict. l. 2. D. ex quib. cauſſ. in poſſeſſ. eat.* Ceterum veterem illam, ac tralatitiam eſſe edicti partem, probamus ex inſigni loco Ciceronis *pro P. Quinct. cap. 19. recita edictum*: QVI FRAVDATIONIS CAVSSA LATITABIT. *Non eſt is Quinctius, niſi ſi latitant, qui ad negotium ſuum, relicto procuratore proficiſcuntur.* CVI HERES NON EXSTABIT. *Ne id quidem.* QVI EXSVLI CAVSSA SOLVM VERTERIT.

(f) POTESTATEM SVI FECERIT.] Poteſtatem ſui non facit, qui id agit, ne ſui copiam habeat aduerſarius. Itaque praetor latitantis bona poſſideri iubet. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l. 2. §. 4. D. ex quib. cauſſ. ad eumd. iud. eat.*

(g) NEQVE DEFENDETVR.] Intelligendum hoc παραπλησίως, vt neque ſufficiat, defendiſſe vmquam, niſi duret defenſio, neque obſtet, ſi nunc offeratur defenſio. Contra et is defendi intelligitur, qui per abſentiam in nullo deteriorem cauſſam aduerſarii fecit. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l. 2. §. 4. D. ſi quis in ius voc. non ier.* Quae omnia inſignem lucem capiunt ex laudata Ciceronis oratione *pro P. Quinctio.*

(a) NEQVE DVCANTVR.] Titulum hunc cum hac ipſa rubrica exſtitiſſe in edicto praetoris, ex eo patet, quod CAIVS librum ſingularem edidit *ad titulum edicti vrbici: qui neque ſequantur, neque ducantur*, ex quo libro ſupereſt fragmentum *l. 48. D. de verb. ſignif.* Add. Cuiac. *Obſeru. lib. II. cap. 66.* et Duaren. *Diſp. anniuerſ. I. cap. 1.* Subiunximus eum ſuperiori, quia et in Pandectis coniungi videmus rubricas: *ſi quis in ius vocatus non ier. ſiue quis eum vocau. quem ex edicto non debuer.* Ceterum primum huius edicti caput integrum ſeruauit VLPIANVS *lib. V. ad edict. l. 4. §. 1. D. de in ius voc.*

BIU Cujas

PARENTEM (b), PATRONVM (c), PATRONAM,

(b) PARENTEM.] Hoc nomine hic veniunt adscendentes omnes, quamuis, qui vltra tritauos sunt, maiores potius, quam parentes, vocentur. Nec interest, siue ex seruili contubernio, siue ex iusto matrimonio, siue ex illegitimo concubitu liberos procrearint. VLPIAN. *ibid. l.* 4. §. 2. *D. de in ius voc.* Ita saepe veteres *parentes* vocant omnes maiores, veluti Virgil. *Aen. lib. II. v.* 448.

Auratasque trabes veterum decora alta PARENTVM.

Add. *Aeneid. lib. III. v.* 95. et *lib. X. v.* 827. De matre quoque eo minus dubitatur, eam parentis vocabulo comprehendi, quo illa semper certior est. PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 5. *D. eod.* Ad adoptiuum patrem hoc edictum, soluta potestate, non pertinet: naturalem autem, ne durante quidem adoptione, vocare licet. PAVLL. *ibid. l.* 7. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 8. *pr. D. eod.* Emancipatus tamen impetrata venia parentem recte vocat. *l.* 3. *C. de in ius voc.*

(c) PATRONVM.] PATRONVS quis fit MANVMISSIONE, IVREIVRANDO, DETECTA COLLVSIONE et RE IVDICATA. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 8. §. 1. *D. de in ius voc.* Quod ad MANVMISSIONEM attinet, nihil interest, directe quis manumiserit, an ex fideicommisso. Nam et ita manumittens in ius vocari nequit, praeterquam in id, vt manumittat. PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 9. *D. eod.* Sed et, qui hac lege emit, vt manumittat, nec manumissor, capite minutus, (excepto deportato,) a liberto recte in ius vocatur. VLPIAN. *ibid. l.* 10. §. 6. *D. eod.* Porro patronus vocari non potest, qui libertum inscius adrogauit, vel is, cuius libertus ius aureorum annulorum impetrauit: VLPIAN. *ibid. l.* 10. §. 6. *eod.* nec is denique, qui in villa, lictore non praesente, manumisit. Eo enim pertinet fragmentum elegantissimum VLPIANI *ibid. l.* 8. *D. de manumiss. vind. ego, quum in villa cum praetore fuissem, passus sum apud eum manumitti, etsi* LICTORIS *praesentia non esset.* Quamuis enim manumissio per vindictam sine lictore non posset explicari, et libertas posita videretur

In festuca, quam LICTOR *iactat ineptus,*

Pers. *Sat. V. v.* 175. et ibi Cornut. tantus tamen erat libertatis fauor, vt et manumissio sine lictore et festuca facta seruo prodesset, quamuis hic ad plenam libertatem non adspiraret. Hinc apud Plaut. *Menaechm.*

BIU Cujas

NAM, (d), LIBEROS (e), PARENTES PATRONI PATRO-

naechm. V. 9. v. 88. Messenio, seruus, a Menaechmo liber esse iussus, gratulanti alteri libertatem respondet: *sed meliore opus est auspicio, liber perpetuo vt siem*, id est, vindicta, vti illum locum recte interpretatur Lipsius et Petr. Pithoeus. Nec minus est notabile exemplum Antistii Labeonis, patris, qui, teste Appiano, *de bello ciuili lib. IIII. pag. 669.* quum iam mori decreuisset πιστοτάτῃ τῶν ἰκετῶν τῆς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας αὐτὸν, ὡς ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίοις ἐλευθεροῦν, ἐπιστρεφομένῳ δὲ ξίφος ἔδωκε, καὶ τὴν σφαγὴν ὑπέσχε: *fidelissimum seruorum dextra prehendens, et circumagens in girum, vti mos est Romanis manumittentibus, ei tradidit gladium, iugulumque praebuit.* Denique nescio, an non eodem pertineat vetus monimentum, quod exhibuit Io. Fridric. Christius *Noct. Halens. specim. II.* vbi domini quidem et seruorum manumittendorum itemque praetoris imagines: nullum lictoris vestigium: immo ipse potius praetor tenet virgam vel scuticam, quam alias lictor iactare solebat. Et tamen antiquissimum est hoc monimentum, ex Iac. Marchuccii *Antiquitatibus statuariis vrbis Romae*, quae Romae 1623. prodierunt, desumtum. Vt vero e diuerticulo redeamus in viam, ad hanc edicti partem porro monent interpretes nostri, in ancillam ea lege venditam, vt prostituta libera esset, et tamen contra legem venditionis prostitutam, non emtorem, sed venditorem iura patronatus habere. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 10. §. 1. *D. de in ius voc.* Non autem erat patronus, contra quem iudicatum fuerat, quoue deferente iurauerat seruus, se esse ingenuum, vel a quo coactus seruus iurauerat, se libertum vxorem non ducturum. VLPIAN. *ibid. l.* 8. §. 1. 2. *D. eod.* Cuius iuris originem ostendimus *in Commentar. ad leg. Iul. et Pap. Popp. lib. II. cap.* 17. *pag.* 306. Denique nec ei salua erant patronatus iura, cuius libertus natalium impetrauerat restitutionem: multoque minus in seruum publicum manumissum iura illa vindicare sibi poterant municipes singuli. VLPIAN. *ibid. l.* 10. §. 4. *D. eod.*

(d) PATRONAM.] PATRONA alias dicitur, quae manumisit. At interpretatione hoc edictum et ad patroni vxorem prolatum est. *l.* 1. *C. de in ius voc.*

(e) LIBEROS.] *Liberi* hic intelliguntur omnes, etiam in adoptionem dati, immo et nepotes, in familia adoptiua suscepti, modo

BIU Cujas

PATRONAE IN IVS SINE PERMISSV MEO (f) NE VOCET. (g)

§. I. Si qvis (h) evm eamve, qvem quamve ex edicto meo non debverit, vocabit (i): evm eamve neqve sequi, neqve dvci (k) oportebit.

§. II. Tum in eum quoque, qui aduersus edictum meum (l) quemquam sciens, dolo malo (m), in ius vocabit, quin-

do nondum emancipati. Vlpian. *ibid. l.* 10. §. 5. 7. 8. 9. *D. de in ius voc.* Si liberta ex patrono peperit, ne hoc quidem casu se mutuo vocant liberta eiusque filii. Vlpian. *ibid. l.* 10. §. 10. *D. eod.* Contra indignus eo honore videtur, qui capitis accusauit libertum, vel qui illum per calumniam in seruitutem petiit. Vlpian. *lib. V. ad edict. l.* 10. §. 11. *D. de in ius voc.*

(f) Sine permissv meo] Permittit vero praetor has personas vocari, si actio non sit famosa, vel quae pudorem fugillet. Ob huiusmodi enim causas non permittit, nisi causa cognita. Vlpian. *ibid. l.* 10. §. 12. *D. eod.*

(g) Ne vocet.] Quod edictum ne tunc quidem cessat, quando patronus, tamquam alterius tutor, curator, actor, defensor, in ius vocandus est. At ipsius patroni tutor vel curator impune vocatur. Vlpian. *lib. V. ad edict. l.* 10. §. 13. *D. eod.*

(h) Si qvis.] Verba ipsa edicti, praeter pauca, quae litteris minusculis expressimus, quaeque ipsa res exigit, supersunt in rubrica, quam supra inueniri monuimus in *l.* 48. *D. de verb. signif.*

(i) Vocabit.] Hic non solum omnes personae, quas paullo ante recensuerat praetor, ἀπὸ τῆς καινῆς repetendae, sed et illae adiiciendae videntur, quae morbo, alioue casu, veluti vinculis vel custodia impeditae non eunt. Eo enim pertinet fragmentum Caii ex *libro sing. ad edict. vrbicum, qui neque sequ. neque duc. l.* 48. *D. de verb. signif.*

(k) Neqve sequi, neqve dvci.] Sunt haec verba πατρικὰ vel edictalia, vti ex eodem Caii fragmento patet. Sequi vero est volentis, dvci nolentis et inuiti. Attamen alias et volentes ducuntur, eoque sensu poëta:

dvcvnt *volentem fata*; *nolentem* trahvnt.

(l) *Aduersus edictum meum.*] Datur ergo haec actio aduersus ipsum vocantem, non aduersus heredes, neque vltra annum, quia poenalis est. Vlpian. *ibid. l.* 24. *D. de in ius voc.*

(m) *Dolo malo.*] Moderand vide-

BIU Cujas

quinquaginta aureorum iudicium dabo. (n)

TIT. XV.

NE QVIS EVM, QVI IN IVS VOCABITVR, VI EXIMAT. (a)

NE

videbatur iuris dictio, si poeniteret libertum, siue patronus non ierit, vel non inuitus ierit: PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 11. *D. eod.* multoque magis, si ab ignorante sine dolo malo aliquid aduersus edictum factum esset. CALLISTR. *lib. I. edict. monitor. l.* 2. *D. in ius voc. vt eat.*

(n) *Iudicium dabo.*] Si libertus, inopia pressus, tantam inferre mulctam non potest, a praefecto vrbi, tamquam inofficiosus castigatur. *l. vlt. D. de in ius voc.* Ignoscendum tamen minori. Quamuis enim alias haec poena, edicto perpetuo constituta, non temere remittatur: *l.* 3. *C. de in ius voc.* tamen fere in omnibus iudiciis poenalibus et aetati, et imprudentiae succurritur. PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 108. *D. de reg. iur.* Add. Iac. Gothofred. *in Comment. pag.* 465.

(a) VI EXIMAT.] Edictum hoc, cuius maxima pars supersit, ideo proposuerat praetor, vt metu poenae coercerentur ii, qui in ius vocatos vi eximerent. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 1. *pr. D. ne quis eum, qui in ius voc.* Saepe enim eueniebat, vt in ius raptus clamore conuocaret homines, et hi illum eripere conarentur. Sic leno apud Plaut. *Rudent. III.* 6. *v.* 29. in ius vocatus vociferatur: *obsecro, subueni mi, Charmida, rapior obtorto collo, Viden' me, vt rapior. Non subuenire mihi audes?* Et hic quidem leno surdo narrabat fabulam. At aliquando misertum est in ius rapti, veluti apud Lucian. *Hermotim. pag.* 511. *tom. I.* Καὶ εἰ μὴ τῶν συνηθῶν τινὲς ἐν μέσῳ γενόμενοι ἀφείλοντο τὸν νεανίσκον ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῷ, εὖ ἴσθι, σοφὸς ἂν, ἀπεπεφάγει αὐτὸ τὸν ῥῖνα ὁ γέρων. ὅτως ἠγανάκτει: *nisi e familiaribus quidam e manibus illius adolescentem* ERIPVISSENT, *qui forte fortuna ei rei interfuerunt, periculum erat, ne nasum misero mordicus euulsisset senex. Adeo impotenter debacchabatur, impulsus iracundia.*

BIU Cujas

NE QVIS EVM (b), QVI IN IVS VOCATVS ERIT (c), VI EXIMAT (d), NEQVE FACIAT DOLO MAGIS EXIMATVR (e), si quid aduersus ea factum erit (f), QVANTI EA RES ERIT AB ACTO-

(b) NE QVIS EVM.] Nec tamen incidit in edictum, qui personam, quae in ius vocari non potest, vi eximit: VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 2. *D. h. t.* PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 2. *D. eod.* nec qui alio, quam quo debuerat, vocatum eximit: PAVLL. *ibid.* nec qui seruum eximit, quem actor non in ius vocare, sed exhiberi petere debebat. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 3. *pr. D. eod.* Nec tamen excusatur, qui exemit eum, qui se per calumniam vocatum queritur, quum non ad eximentem, sed ad iudicem pertineret ea cognitio. PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 4. §. 1. *D eod.*

(c) VOCATVS ERIT.] Quum aliud sit IN IVS, aliud ad IVDICEM vocare: ad priorem tantum casum hoc edictum pertinet, neque in illud incidit, qui vocatum ad iudicem exemit. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 3. §. 1. *D. h. t.*

(d) VI EXIMAT.] Vis hic et sine dolo malo sufficit. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 2. *D. h. t.* EXIMERE autem et ERIPERE quomodo differant, docet PAVLL. *lib. IIII. ad edict. l.* 4. *pr. D. eod.* Sunt, qui huc referendum putant locum VLPIANI *lib. V. ad edict. l.* 9. *D. de verb. signif.* vbi docet, quid sit PERISSE, vel, vt in Haloandrina est, RAPVISSE, quam posteriorem lectionem acriter tuetur, qui et ipse hoc fragmentum edicto nostro adcommodat Io. Goeddeus *in Comment. ad tit. D. de verb. signif. pag.* 187. Sed priorem lectionem non modo codex Florentinus probat, sed et Basilica hic habent ἀπολέσῃ. Immo huic lectioni ipsa suffragatur VLPIANI interpretatio. Et quid hoc fragmentum ad edictum nostrum, in quo de eo, quod perierat, vel raptum fuerat, non magis agitur, quam de eo, quod fractum, raptum, ruptumque est. Itaque nos cum Cuiacio *tom. VIIII. Oper. pag.* 487. potius in numero libri erratum, fragmentumque hoc ex VLPIANI *libro XV. ad edictum* decerptum esse, existimamus. Et talis error etiam in inscriptione *l.* 1. *D. si pars her. pet.* manifesto admissus est.

(e) EXIMATVR.] Edictalia haec verba restituimus ex fragmento PAVLLI *lib.* IIII. *ad edict. l.* 4. §. 2. D. *ne quis eum, qui in ius voc.*

(f) *Aduersus ea factum erit.*] Perinde vero est, siue per se quis exemerit, siue per alios. VLPIAN. *lib. V. ad edict. l.* 5. *pr.* D. *eod.* Si

BIU Cujas

ACTORE AESTIMATA, DE QVA CONTROVERSIA EST (g), in factum iudicium dabo.

TIT. XVI.

DE POSTVLANDO. (a)

(VLPIAN. LIB. VI. PAVLL. LIB. V. CAI. LIB. III.)

Eum,

Si plures exemerunt, aduersus singulos agitur, et exemtus nihilominus manet obligatus. VLPIAN. *ibid. l.* 5. §. 3. 4. D. *eod.* Si seruus exemit, dominus sciens in solidum, ignarus rei noxaliter conuenitur. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 1. D. *eod.*

(g) CONTROVERSIA EST.] Verba haec edictalia explicat VLPIAN. *ibid. l.* 5. §. 1. 2. D. *h. t.* Quis vero genuinus huius formulae sensus sit, acriter disceptatum esse nouimus inter Io. Steckium *Vindic. leg. anticrit. cap.* 1. et Iac. Gothofred. *Animadu. iur. ciu. cap.* 1. quorum ille Ant. Fabrum: hic ipsum Steckium impugnat.

(a) DE POSTVLANDO.] Quum hic nouum Commentariorum librum auspicentur VLPIANVS, PAVLLVS, et CAIVS: nemo dubitabit, quin titulus hic superioribus omnibus, qui ad in ius vocationem pertinent, fuerit posterior. Et quia nulla est ratio, cur ab ordine in Pandectis et Codice seruato discedendum existimemus: nulla quoque ratio suadet, vt priorem illum fuisse negemus titulo *de his, qui notantur infamia.* Rubrica tituli iisdem verbis exprimitur ab VLPIANO *lib. VI. ad edict. l.* 1. *pr. D. h. t.* et ex eiusdem fragmenti §. 1. 3. 5. *et* 7. discimus, tribus partibus hoc totum edictum constitisse, quarum quodnam fuerit argumentum, ipse his verbis ostendit: QVOSDAM *praetor in totum prohibuit postulare*: QVIBVSDAM *pro se permisit*: QVIBVSDAM *et pro certis tantum personis et pro se permisit* INITIVM *autem facit praetor ab his, qui in totum prohibentur postulare, in quo edicto aut* PVERITIAM, *aut* CASVM *excusat.* En iustam huius edicti ἀνάλυσιν. Ceterum EXCVSARI hic idem esse, ac prohiberi, res ipsa docet, similemque verbi notionem deprehendimus in *l.* 11. *D. de decurion.* vbi Cuiac. *Obseru. lib. XXVI. cap.* 37. pro *excusare, excuriare* legi iubet.

BIU Cujas

EVm, qui annos septendecim non in totum compleuerit (b), surdumque, qui prorsus non exaudit, pro se aliisque POSTVLARE (c) veto. SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO. (d)

§. I. Femina (e), isque, qui vtroque lumine orbatus (f), qui-

(b) *In totum compleuerit.*] Ita huius edicti sententiam exprimit VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 1. §. 3. *D. de postul.* Quamuis enim adolescentulis Romanis iam anno aetatis decimo sexto toga virilis vel pura dari soleret, Norisi. *Cenotaph. Pisan. diss. II. cap.* 4. *pag.* 114. eodemque tempore illi non sine celebritate in forum deducerentur: Ouid. *Fastor. lib. III. v.* 787. Sueton. *Octau. cap.* 26. *Neron. cap.* 7. Io. Fr. Gronou. *Obseru. lib. II. cap.* 21. *pag.* 398. *sequ.* non tamen illico postulabant, sed commendati viro cuidam prudenti et facundo, aliquando sese ad militiam illam forensem praeparabant. Gronou. *Obs. lib. III. cap.* 23. *pag.* 654. Hinc modicam XVII. annorum aetatem iudicabat praetor, ad procedendum in publicum, maxime quum eadem aetate, et paullo maiore Nerua, filius, de iure responsitasse diceretur. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 3. *h. t.* Quo loco *responsitare* minus esse, quam *respondere*, tradiderunt Maranus, Mornacius, et Dionys. Gothofredus: sed sine idonea ratione, ceu demonstrauit Aegid. Menag. *Amoenit. iur. ciu. cap.* 2.

(c) POSTVLARE.] Aelius Donatus apud Dionys. Gothofredum in *Auctor. lingu. Latin. pag.* 1335. hoc verbum ita interpretatur: POSTVLARE *est, quaedam dicere de altero apud alterum.* At iure consultis dicuntur POSTVLARE, qui desiderium suum vel amici in iure apud eum, qui iuris dictioni praeest, exponunt, vel alterius desiderio contradicunt. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 2. *h. t.* Quumque hoc sensu et creditores *postulare* dicantur: ea occasione de creditoribus quaedam dixisse videtur VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 10. *l.* 12. *pr. et* §. 1. *D. de verbor. signif. et l.* 2. *D. de re iudic.*

(d) EGO DABO.] Hanc quoque edicti partem, ipsaque eius verba legitima seruauit, suoque more exposuit VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 4. *D. de postul.*

(e) *Femina.*] Alterum hoc est edicti caput, de quo ex instituto VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 1.

BIU Cujas

l. 1. §. 5. *D. h. t.* Postulare non potuisse feminas, satis notum est, ac proinde eas ita loquentes inducit Iuuenal. *Sat. II. v.* 51.

Numquid nos agimus causſas? ciuilia iura
Nouimus? aut vllo ſtrepitu FORA *veſtra mouemus.*

Cur vero feminis pro aliis postulare nefas fuerit, non aeque expeditum est. Si credas VLPIANO *ibid. l.* 1. §. 5. *h. t.* occasionem huic edicto dedit *Carfania* vel potius *C. Afrania*, Licinii Buccionis, senatoris, vxor, inuerecundius, quam pro sexus sui pudore, postulans. Hanc enim mulierem VLPIANO ista scribenti in animo fuisse, recte post Andr. Alciatum docent Perizon. *ad Valer. Max. lib. VIII. cap.* 3. *ex.* 2. et Corn. van Bynkershoek *Obſeru. lib. IIII. cap.* 12. Sed si dicendum quod res est, nihil fere est in illa VLPIANI narratione extra omnem dubitationis aleam positum. Femina illa Vlpiano *Carfania*; Valerio Maximo *c. l. C. Afrania*: quod merito praeferimus, quamuis et *Carfaniae* et *Carfiniae* nomina non ignota Romanis fuerint. Vid. Iuuenal. *Sat. II. v.* 69. Gruter. *Inſcript. pag.* 241, 3. 960, 3. 994, 2. ac proinde eam formam retinendam existimet Cuiac. *Obſeru. lib. XXVI. cap.* 38. Carfania Vlpiani pro aliis procul dubio postulauerat: quia alias non fuisset ratio, cur praetor ob illius latratus edicto prohibere voluerit, ne feminae pro aliis postularent: at C. Afrania Valerii Maximi pro se postulauerat inuerecundius. Vlpianus Carfaniam suam edicto occasionem dedisse scribit. Valerius Max. talis edicti ne verbo quidem meminit, sed tantum C. Afraniam *inuſitatis latratibus tribunalia ita exercuiſſe* ait, *vt muliebris calumniae notiſſimum euaſerit exemplum, et pro crimine improbis feminarum moribus C. Afraniae nomen obiici conſueuerit.* Denique ex Plutarchi *comparatione Numae et Lycurgi pag.* 77. videre est, iam inde ab vrbe condita foro interdictum fuisse mulieribus, adeo, vt muliere aliquando causſam agente, deos consulendos censuerit senatus, τίνος ἄρα τῇ πόλει σημεῖον εἴη τὸ γενόμενον, *ecquid hoc exemplum ciuitati portenderet?* Sed fortasſis initio statim mulieres a postulando repulerant Romani: interiecto autem tempore frontem perfricare, et non modo pro se, sed et pro aliis postulare coeperant. Quum vero verecundiae fines omnes transſiliſſet C. Afrania, praetor fraena iniicienda putauit illi muliebri licentiae, vetuitque, ne saltim pro aliis postularent feminae. Quum ergo pro se postulare omnino possent: non fecit contra edictum femina, quam Christus in parabola

BIU Cujas

(f), quiue corpore suo muliebria passus (g), aut capitali crimine damnatus erit (h), quiue operas, vt cum BESTIIS (i) DEPVGNARET, LOCAVERIT, pro aliis apud me ne postulent (k)

§. II.

rabola inducit παρέχεσθαι τῷ κείτῃ κόπον, καὶ ὑπωπιάζεσθαι αὐτὸν, adeoque pro se inuerecundius postulantem. *Luc. cap.* 18. *v.* 5.

(f) *Vtroque lumine orbatus.*] Caecus enim insignia magistratus, nec videre, nec venerari poterat. Quam rationem reddit, ipsamque rem exemplo P. Caeci, Nonnii Asprenatis patris, illustrat VLPIANVS *lib. VI. ad edict. l.* 1. *§.* 5. *D. h. t.* vbi legenda, quae notarunt Cuiac. *Obs. lib. XXVI. cap.* 38. et Corn. van Bynkershoek *Obseruat. lib. IIII. cap.* 12. Caecus ergo, quamuis et senatoriam dignitatem retineret, et magistratum recte gereret, (vti Appii Claudii Caeci exemplum docet *l.* 2. *§.* 36. *D. de orig. iur.* Liu. *Epit. lib. XIII.*) postulare tamen pro alio non poterat. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 5. *D. h. t.* Addantur Duaren. *Disp. anniu. I. cap.* 23. et Donell. Comment. *iur. ciu. lib. XVII. tit.* 24.

(g) *Muliebria passus.*] Nisi quis forte vi praedonum vel hostium tam nefanda passus sit. VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 1. §. 6. *D. h. t.*

(h) *Damnatus erit.*] Quod SCto et ad eos porrectum est, qui ob admissam in iudicio publico calumniam damnati sunt. VLPIAN. *ibid l.* 1. §. 6. *D. eod.*

(i) BESTIIS.) Verba haec, quae litteris maiusculis expressa sunt, tamquam edictalia, interpretatur VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 6. *D. h. t.* vbi distinguit, operasne quis ad bestias conficiendas locauerit, an hoc sine mercede, et virtutis ostentandae caussa fecerit, nec in arena se honorari passus sit : itemque, vtrum in arena cum bestiis pugnarit, an mercede conductus extra arenam venatus sit feras, quae regioni nocent. Quod ideo monendum duxit VLPIANVS, quod et amphitheatralis illa laniena VENATIONIS nomine veniret. Iust. Lipsi. *de amphitheatro, cap.* 5.

(k) *Ne postulent.*) Postulare tamen possunt, si tutorum curatorumque officio funguntur, et pupillorum minorumue caussam agunt. VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 1. §. 6. *l.* 6. *pr. D. h. t.*

BIU Cujas

§. II. QVI LEGE (l), PLEBISCITO, SENATVSCONSVLTO, EDICTO DECRETOVE PRINCIPVM (m), NISI PRO CERTIS PERSONIS, POSTVLARE PROHIBENTVR, HI PRO ALIO, QVAM PRO QVO LICEBIT, NE POSTVLENT. Qui EX OMNIBVS, QVI SVPRA SCRIPTI SVNT (n), IN INTEGRVM RESTITVTVS NON ERIT (o), PRO ALIO NE POSTVLET, PRAETERQVAM PRO PARENTE (p), PATRONO, PATRONA, LIBERIS PARENTIBVSQVE PATRONI, PATRONAE, LIBERISVE SVIS, FRATRE, SORORE, VXORE, SOCERO (q), SOCRV, GENERO, NVRV, VITRICO, NOVERCA, PRIVIGNO, PRIVIGNA, PVPILLO, PVPILLA, FVRIOSO, FVRIOSA (r), CVI EORVM A PARENTE,

(l) QVI LEGE.] Tertii huius capitis et sententiam, et ipsa verba τυπικὰ debemus VLPIANO. *ibid. l.* 1. §. 7. 8. 9. 11. *et l.* 7. *D. h. t.*

(m) DECRETOVE PRINCIPVM.] Omnes, qui ex edicto, legibus, et constitutionibus principum infamia notantur, (de quibus titulo insequente erit dicendum), hac edicti parte postulare prohibentur. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 8. *D. h. t.*

(n) SVPRA SCRIPTI SVNT.] Puta hoc ipso §. 2. Si enim sint ex superioribus, restitutionem non facile impetrabunt. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 9. *D. h. t.*

(o) RESTITVTVS NON ERIT.] Restitutio haec non potest dari, nisi a principe vel senatu. An et a praetore data restitutio sufficiat, ad hunc locum disquirit VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 10. *h. t.*

(p) PARENTE.) Haec omnia se alibi plenius exsequutum ait VLPIAN. *lib.* VI. *ad edict. l.* 1. §. 11. *D. h. t.* Ac proinde nos remittit ad *titulum edicti* 12. vbi occasione satis dationis de iudicio sisti fusius de parentibus, patronis, patronorumque liberis et parentibus disseruit.

(q) SOCERO.) Haec quoque edictalia verba debemus VLPIANO *ibid. l.* 3. §. 1. 2. D. *eod.* vbi et prosocerum et prosocrum, progenerum et pronurum, dummodo adhuc duret adfinitas, intelligi debere, monet. Adfinitatem enim apud Romanos aeque, ac Graecos, soluto matrimonio exspirasse, satis notum est, idque ex Terent. *Hecyr. II.* 2. aliisque veterum testimoniis probauimus *in Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. lib. II. cap.* 17. *pag.* 311. *sequ.* Add. Arn. Vinn. *ad* §. 6. *Inst. de nupt.* Henr. Bern. Reinold. *Var. cap.* 24. et Ger. Noodtius *ad tit.* D. *de nupt. pag.* 495. *tom. II. Oper.*

(r) FVRIOSO, FVRIOSA.) Ex interpretatione prudentum etiam

BIU Cujas

TE, AVT DE MAIORIS PARTIS TVTORVM SENTENTIA (s), AVT AB EO, CVIVS EA DE RE IVRIS DICTIO FVIT, EA TVTELA CVRATIOVE DATA ERIT. (t)

TIT. XVII.

DE HIS, QVI NOTANTVR INFAMIA. (a)

tiam *pro fatuo* et *fatua*. *l.* 2. D. *eod.* Pro omnibus enim, qui in curatione sunt, etiam personae viliores et infames postulare possunt, ceu pluribus ostendunt VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 3. §. 3. *et* PAVLL. *lib. V. ad edict. l.* 4. D. *de postul.*

(s) DE MAIORIS PARTIS TVTORVM SENTENTIA.] At quomodo tutor curatorue dari potest DE MAIORIS PARTIS TVTORVM SENTENTIA? Est haec non alia, quam tutela *cessitia*. Quemadmodum enim tutela veluti in bonis erat: ita et cedi poterat alii, eaque cessio in iure fiebat, qua de re quidquid hodie scimus, debemus VLPIANO *tit.* 11. §. 7. *sequ. et* §. 17. vbi praeclara multa adnotauit Ant. Schulting. *in iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 596. *et* 600. Ceterum ex hoc loco, quem interpretes ne attingunt quidem, patet, tutelam cedi potuisse *de maioris partis tutorum sententia*, quum alias in re communi melior sit conditio prohibentis. *l.* 12. *l.* 28. *D. commun. diuid.* Praeterea ex eodem discimus, parum solidam esse Cuiacii lectionem in VLPIANO *ibid.* §. 8. feminarum saltim tutelam cessitiam *legem Claudiam* SVSTVLISSE. Quomodo enim sublatum dici potuit, quod tempore Hadriani adhuc immotum stetit, et in ipsum migrauit edictum perpetuum?

(t) DATA ERIT.] Haec quoque verba debemus VLPIANO *lib.* VI. *ad edict. l.* 3. D. *eod.* qui simul monet, merito praetorem exprimere debuisse etiam *mutum*, *surdum*, *prodigum*, *adolescentem*, quia et his curatores soleant dari.

(a) NOTANTVR INFAMIA.] De ordine titulorum horum iam supra diximus. Ipsum edictum, quod sub hoc titulo exponimus, integrum exstat in *l.* 1. D. *h. t.* cuius inscriptio et Florentiae ita se habet: IVLIANVS *lib.* I. *ad edictum.* Addit Taurellius: *sic in Pisanis: putamus tamen* VLPIANVS: *nam* IVLIANVS *non scripsit ad edictum.* At ne VLPIANVS

INFAMIA NOTANTVR, QVI AB EXERCITV (b) IGNOMINIAE CAVSSA (c) AB IMPERATORE, EOVE, CVI EA DE RE STATVERE SIA-

NVS quidem hoc edictum libro commentariorum suorum primo, sed sexto demum, interpretatus est, ac proinde si quis Taurellii coniecturam probat, ei simul mutandus libri numerus, rescribendumque erit: VLPIAN. *libro sexto ad edictum.* Quid si digestores scripserint: IVLIANVS *libro perpetui edicti*, indicaturi, se hoc edictum bene longum non, vti solent, ex VLPIANI, PAVLLI, CAII commentariis, sed ex ipso edicto perpetuo descripsisse? Sed ita mireris, cur in solo hoc titulo, relictis lacunis, ipsos adierint fontes. Quare ego hunc nodum, quum soluere non possim, secare nolo. Adde tamen Ant. August. *de nomin. propr. Pandect. cap.* 1. *class.* 3. *pag.* 61. *Thesauri iur. ciu. tom.* I.

(b) AB EXERCITV.] Siue miles sit caligatus, siue alius, vsque ad centurionem, vel praefectum cohortis, vel aleae. Immo et, qui exercitui praeest, quamuis consularibus insignibus condecoratus, et dux notantur, si ignominiae caussa et cum indignatione principis missi sint, non si cui eorum successor sine principis indignatione datus. VLPIAN. *lib.* I. *ad edict. l.* 2. *pr. §.* 1. D. *h. t.* vbi et, quid sit EXERCITVS, suo more ostendit. CALIGATOS milites esse gregarios, vel ex ipso iure nostro *l.* 6. D. *de re milit.* discimus, cum quo textu iungendus est Lips. *ad Tacit. Annal. lib.* I. *cap.* 41. et Torrent. *ad Sueton. Aug. cap.* 25. Exemplum tribuni mil. C. Auieni, a Iulio Caesare ab exercitu ignominiae caussa remoti, exstat apud Hirt. *de bello Afric. cap.* 54.

(c) IGNOMINIAE CAVSSA.] Hac occasione de variis missionum generibus disseruit VLPIAN. *ibid. l.* 2. §. 2. *D. h. t.* Quemadmodum enim honeste, et exactis stipendiis, missi honorifico veteranorum cognomine se iactabant, seque in marmoribus adpellitant VETERANOS HONESTAE MISSIONIS vel HONESTE MISSOS: Reines. *Inscript. class.* VIII. *n.* 55. *et class.* I. *n.* 300. ita ignominiae caussa missi infames habebantur, Brisson. *de formul. lib.* IIII. *pag.* 364. *sequ.* Pet. Fab. *Semestr. lib.* I. *cap.* 17. Ita mittebantur adulterii damnati: VLPIAN. *ibid. l.* 2. §. 3. *D. h. t.* non qui munerum euitandorum caussa militiam sequebantur, dimittendi illi quidem, nec pro reipublicae caussa absentibus habendi, sed salua tamen existimatione. VLPIAN. *ibid. l.* 1. *D. de re milit. l.* 2. §. 2. *D.*

BIU Cujas

STATVENDI IVS FVERIT, DIMISSVS ERIT: QVI ARTIS LVDICRAE (d) PRONVNCIANDIVE CAVSSA IN SCENAM (e) PRODIERIT (f): QVI LENOCINIVM FECERIT (g): QVI IN IVDICIO PVBLICO CALVMNIAE (h) PRAEVARICATIONISVE CAVS-

de his, qui not. infam. Ceterum a MISSIONE distinguenda EXAVCTORATIO, de qua Lipſ. *ad Taciti Annal. lib.* I. *pag.* 37. An vero et exauctorati aliquando notati fuerint infamia, diſquirit Cuiac. *Obſeru. lib.* XXVII. *cap.* 8.

(d) ARTIS LVDICRAE.] Non vero artem ludicram facere videntur, qui virtutis cauſſa exercentur, veluti athletae, thymelici, xyſtici, agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, nec vlla aliorum miniſteria, qui ſacris deſeruiunt. VLPIAN. *ibid. l.* 4. *pr. D. h. t.* De his omnibus conſulendi ſunt Petr. Faber *in Agoniſtic.* et qui de omni re agoniſtica praeclare aliquot ſpecimenibus mereri coepit, v. c. coniunctiſſimuſque collega Io. Henr. Schulzius. De iis, qui aquam equis ſpargunt, elegans eſt obſeruatio Philippi Rubenii *Elect. lib.* II. *cap.* 18. Deſignatores vero et βεβαιωτὰς deſcripſit Donat. *ad Terent. Adelph.* I. 2. *v.* 7.

(e) IN SCENAM.] SCENA quid ſit, ad hunc ipſum locum oſtendit VLPIAN. *ibid. l.* 2. *§.* 5. *D. h. t.*

(f) PRODIERIT.] Modo quaeſtus cauſſa prodierit. VLPIAN. *ibid. d. l.* 2. *D. h. t.* Tales praeter hiſtriones erant arenarii, gladiatores, mimi, pantomimi, de quibus vid. Balduin. *ad leg. Iul. et Pap. pag.* 73. et nos in *Comment. ad eamdem legem lib.* II. *cap.* 1. *et* 2.

(g) LENOCINIVM FECERIT.] Siue principaliter id agat, ſiue quaeſtu illo, tamquam cauponariae alteriuſue negotiationis acceſſione, vtatur. Sed et ii, qui in ſeruitute peculiaria mancipia quaeſtui habuerunt, ob eam rem, etiam liberi facti, notantur. VLPIAN. *ibid. l.* 4. §. 2. 3. *D. de his, qui not. infam.* Et tamen etiam honeſtiores turpi hoc quaeſtu rem faciebant, domique habebant lupanaria, in quibus ancillas proſtituerent. *l.* 27. *§.* 1. *D. de hered. petit. l.* 38. *pr. D. de oper. libert.* Merill. *Obſ. lib.* II. *cap.* 12.

(h) CALVMNIAE.] Condemnatum autem calumniae eſſe oportet ſententia: nec ſufficit, calumniatum aliquem eſſe. VLPIAN. *ibid. l.* 4. *§.* 4. D. *de his, qui not. infam.* Hinc ne a cenſore quidem ob hoc aliudue crimen notati infamiam contraxiſſe videntur. Io. Bodin. *de re publ. lib.*

BIU Cujas

(i) CAVSSA QVID FECISSE IVDICATVS ERIT (k): QVI FVRTI (l), VI BONORVM RAPTORVM (m), INIVRIARVM, DE DOLO MALO ET FRAVDE, SVO NOMINE (n) DAMNATVS (o), PACTVSVE ERIT (p): QVI PRO SOCIO, TVTELAE, MANDATI, DEPOSITI

lib. III. *cap.* 3. *lib.* VI. *cap.* 1. Reinold. *Var. cap.* 15. *pag.* 110.

(i) PRAEVARICATIONISVE.] Quid sit PRAEVARICATOR, ad hunc edicti locum exposuit VLPIAN. *lib.* VI. *ad edict. l.* 1. *pr.* D. *de praeuaric. l.* 4. §. 4. *D. de his, qui not. infam.* vbi in lege priore est: PRAEVARICATOR *est, qui in vtraque parte consistit, quin immo in altera*: in posteriore vero: *immo ex aduersa.* Alterutrum subleſtum; neutrum absurdum; posterius tamen verosimillimum est.

(k) IVDICATVS ERIT.] Praeuaricationis proprie damnabantur accusatores: at postea eius criminis rei etiam facti sunt aduocati. VLPIAN. *lib.* VI. *ad edict. l.* 1. §. 1. *D. de praeuaricat.* Plin. *lib.* I. *epist.* 20. Cuiac. *Obs. lib.* VIIII. *cap.* 40.

(l) FVRTI.] Siue nec manifesti, siue manifesti. VLPIAN. *ibid. l.* 6. *pr. D. de his, qui not. infam.*

(m) VI BONORVM RAPTORVM.] Praetore de vi interloquente: VIM FECISTI, ex interdicto damnatus saluam habet existimationem; ex delicto omnino infamis habetur. VLPIAN. *lib.* VI. *ad edict. l.* 32. *D. de poen.*

(n) SVO NOMINE.] Non notantur procuratores, defensores, tutores, et curatores, immo ne heredes quidem damnati. Quin et ipse reus, lite per procuratorem suscepta, saluam retinet existimationem. VLPIAN. *ibid. l.* 6. §. 2. *D. h. t.* Illud mirum videri posset, quod ne seruus quidem notatur, quamuis domini heres, si dominus eius nomine noxale sustinuerit iudicium, si vel maxime demum ipse seruus heres condemnetur. PAVLL. *lib. V. ad edict. l.* 14. *D. eod.* Mittimus alias quaestiones, veluti qualis condemnatio infamet? an et is notetur, qui grauiore poena, quam leges comminantur, adfectus est? an et extraordinaria crimina infament? an subsequente vitae emendatione haec macula eluatur? ceteras, quas soluit VLPIAN. *ibid. l.* 13. §. 5. 6. 7. 8. *l.* 24. *D. h. t.*

(o) DAMNATVS.] Quid si damnatus adpellationem interposuerit? De eo casu agit VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 6. §. 1. *D. eod.*

(p) PACTVSVE ERIT.] Edi-

BIU Cujas

POSITI SVO NOMINE (q), NON CONTRARIO IVDICIO (r) DAMNATVS ERIT (s): QVI EAM, QVAE IN POTESTATE EIVS ESSET, GENERO MORTVO, QVVM EVM MORTVVM ESSE SCIRET (t), INTRA ID TEMPVS, QVO ELVGERE VIRVM (u) MORIS EST

talia haec verba laudant Valerianus et Gallienus augg. *l.* 18. *C. de cauſſ. infam. irrogant.* Pactum autem aliquem eſſe oportet interpoſito pretio, ac proinde non notatur, qui precibus veniam impetrauit, vel qui iuſſu praetoris pactus eſt, vel delato iureiurando ſe deliquiſſe negat. VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l. 6. §. 3. 4. D. de his, qui not. inf.* Pacti enim, dato pretio, confeſſi videntur, PAVLL. *lib. V. ad edict. l. 5. D. eod.* ac proinde et ii notantur, qui in cauſſa fiſcali cum delatoribus paciſcuntur. VLPIAN. *ibid. l. 4. D. de iur. fiſc.*

(q) SVO NOMINE.] Heres ergo non notatur, niſi ex dolo proprio in cauſſis mandati et depoſiti. VLPIAN. *ibid. l. 6. §. 6. D. h. t.*

(r) CONTRARIO IVDICIO.] Actione contraria ex his contractibus conuentus haud notatur, niſi quod mandans fit infamis, qui fidem, quam pro eo fideiubens eſt ſequutus, dolo malo non liberat. VLPIAN. *ibid. l. 6. §. 5. D. h. t.* Alias in actionibus contrariis non de perfidia, ſed de calculo, agitur, ac proinde omnino ceſſat infamia. VLP. *ibid. l. 6. §. 7. D. eod.*

(s) DAMNATVS ERIT.] Non ſi pactus fuerit. Id enim ſalua exiſtimatione fieri poſſe, docet PAVLL. *lib. V. ad edict. l. 7. D. h. t.*

(t) MORTVVM ESSE SCIRET.] Ne ignorantia puniatur. Si multo poſt, mortuum eſſe generum, cognorit, dies luctus cedit a tempore mortis. Quare ſi, exacto iam legitimo tempore, reſciuerit: mulier eodem die et ſumet lugubria, et ponet. VLPIAN. *ibid. l. 8. D. eod.*

(u) ELVGERE VIRVM.] Luctus tempus primis temporibus decem menſium, poſtea annale fuit. Initio enim Romulus ordinans annum, eum in decem tantum menſes deſcripſerat, et tamdiu etiam maritum lugebant viduae, quia totidem menſes in vtero latitare partus videbatur. Ouid. *Faſtor. lib. I. v. 30.*

Eſt tamen et ratio, Caeſar, quae mouerit illum:
Erroremque ſuum, quo tueatur, habet.
Quod ſatis eſt, vtero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.

Per

Per totidem menſes a funere coniugis vxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.
Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
Quum rudibus populis annua iura dedit.

Sed neſcio, an videre hoc potuerit trabeati cura Quirini, ſi verum eſt, quod memoriae prodidit Plutarch. in *Numa pag.* 67. Numam primum ſtatuiſſe, τῦ μακροτάτε πένθες χρόνον εἶναι δεκαμηνιαῖον, ἐφ' ὅσον καὶ χηρεύσιν αἱ τῶν ἀποθανόντων γυναῖκες, *vt maximi luctus tempus eſſet decem menſium, et tamdiu viduae etiam mortuos maritos lugerent.* Vtut ſe res habeat, quum luctus hic indictus ſit viduis, ne qua fieret turbatio ſanguinis, *l.* 11. §. 1. 2. *D. de his, qui not. infam.* ea vero metuenda non videretur, exactis decem menſibus: decimeſtrem illam viduarum luctum ſufficere creditum eſt, quamdiu libera ſtetit res publica, nec mutatum quidquam toto illo tempore, quamuis circumferretur narratiuncula, eum, qui primus Gracchorum hoc cognomen tulerit, duodecim menſes in vtero fuiſſe. Varro apud Chariſ. *Inſtit. Gramm. lib. I.* Nihil, inquam, Romanos mouebat illa fabula, ſatis quippe gnaros, τὸ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνειν τὰς νομοθέτας, *quod ſemel aut bis fit, praeterire legiſlatores, l. 6. D. de legib.* Sed et ſub Auguſti, Antonii, et Lepidi triumuiratu mos ille vetus manſit. Quum enim M. Antonius Octauiae nuptias adfectaret: illa more maiorum in manum non conuenire poſſe videbatur, niſi SCto lege ſolueretur, ἐκ ἐώνλος νόμε πρὸ δέκα μηνῶν ἀνδρὸς τελευτήσαντος γαμεῖσθαι, *non permittente lege, vt femina ante, quam decem menſes a morte mariti tranſiiſſent, nubat.* Plutarch. *in M. Anton. pag.* 929. C. Caligulam quoque non auxiſſe tempus luctus, certiſſimum eſt, quippe potius nuptias promiſcue indulgens etiam intra luctus tempus, dum mulier non praegnans eſſet. Dio Caſſ. *Hiſtor. lib. LVIIII. pag.* 645. Sub Hadriano demum de tempore, quo femina vterum gerat, acriter diſceptatum eſt, iſque, *requiſitis philoſophorum et medicorum ſententiis, decreuit, poſſe et vndecimo menſe partum edi*, Gell. *Noct. Attic. lib. III. cap.* 16. quum Cenſorin. *de die natali cap.* 7. recenſitis omnium paene veterum ſententiis, de vndecimeſtri partu ſubiiciat: *ceterum vndecimum menſem Ariſtoteles ſolus recipit* (puta *lib. VII. de hiſt. animal. cap.* 4.) *ceteri vniuerſi improbarunt.* At quamuis Hadrianus demum hanc Ariſtotelis ſententiam decreto ſuo probaret: non tamen ideo lege ſanxit,

xit, vt viduae duodecim menſes lugerent maritos, ſed primi iis tam diuturnum luctum indixiſſe videntur Gratianus, Valentinianus, et Theodoſius AAA. ceu ipſi fatentur *l.* 2. *C. Iuſtin. et l.* 1. *C. Th. de ſec. nupt.* Quamuis enim et ante id tempus aliquando per integrum annum maritos lugerent viduae, veluti apud Apuleium *Aſin. aur. lib.* VIII. *pag.* 181. *edit. Beroald.* id tamen non ex neceſſitate faciebant, ſed ex pietate, et vltro, quia parum honeſtum videbatur, viri deſiderium citius ponere. Hinc Seneca *Epiſt.* 63. *annum feminae ad lugendum conſtituere maiores*, NON VT TAM DIV LVGERENT, *ſed ne diutius.* Non lege id ſancitum eſſe ait Seneca, ſed moribus: nec neceſſitatem hac conſuetudine imponi feminae, ſed in eius arbitrio eſſe, quamdiu lugere velit, dumne non pauciores, quam decem menſes, aut anno diutius lugeat. Quamuis vero extra omnem dubitationis aleam poſitum videatur, primos illos imperatores, Gratianum, Valentinianum, et Theodoſium decem luctus menſibus duos alios adieciſſe: non tamen eſt, cur cum Iac. Gothofr. *Comment. ad Cod. Th. tom. I. pag.* 182. inuehamur in Tribonianum, eumque tum in edicto, tum apud VLP. et PAVLL. *l.* 8. *l.* 10. *et l.* 11. *D. h. t.* expunxiſſe verba: DECEM MENSES, et iis illa, quae hodie ibi legimus: INTRA TEMPVS LEGITIMVM, vel: INTRA QVOD TEMPVS VIRVM ELVGERE MORIS SIT, ſubſtituiſſe ſuſpicemur. Cur enim vel praetor, vel Vlpianus, vel Paullus, his verbis vti non potuiſſent? Annon et decem menſes fuere tempus legitimum, vel intra quod virum elugere moris erat? Sed redeundum eſt ad ipſa edicti noſtra verba, ad quae id quoque notant interpretes, viro non eamdem incubuiſſe neceſſitatem lugendi vxorem, ac vxori elugendi virum, PAVLL. *lib. V. ad edict. l.* 9. *D. h. t.* Quamuis enim vix dubitandum videatur, quin et mariti, et reliqui propinqui, amiſſis vxoribus et propinquis lugubria ad aliquot menſes vel dies ſumſerint. Em. Merillius *Obſeru. lib. V. cap.* 37. et 38. tamen ne id quidem erat neceſſitatis, ſed honeſtatis tantum, ac proinde nec nuptiis impedimento erat hic luctus, VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 11. *pr. D. eod.* nec ideo, quod huius luctus eum taeduiſſet, notabatur infamia. VLPIAN. *ibid. l.* 23. *eod.* In alia omnia ire videtur Paull. *Sentent. recept. lib. I. tit.* 21. §. 13. ſed, non tam Paullum, quam interpolatorem eius, Anianum, diſſentire, oſtendit Corn. van Bynkersh. *Obſ. lib. V. cap.* 13.

BIU Cujas

EST (x), ANTEQVAM VIRVM ELVGERET, IN MATRIMONIVM COLLOCAVERIT, EAMVE SCIENS QVIS

(x) MORIS EST.] Attamen si talis erat maritus, qui more maiorum non esset lugendus: lugubria quidem sumere nefas erat, nec tamen viduae licebat intra legitimum illud tempus nubere. Tales vero, quos lugere non licebat, erant hostes, perduelles, suspendiosi, et quicumque sibi non vitae taedio, sed ex conscientia criminis manus intulerant. VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 11. *§.* 1. 2. 3. *D. de his, qui not. inf.* De HOSTE nota est Horatii vox, sororem obtruncantis: *sic eat, quaecumque Romana lugebit hostem.* Liu. *lib. I. cap.* 26. PERDVELLES quoque lugere, iam antiquitus vetitum. Saltim Tiberius, legem maiestatis exercens, propinquis interdixit, ne propinquos capitis damnatos lugerent. Suet. *Tiber. cap.* 61. Et quamuis veteribus mors voluntaria magis paene pro virtute, quam pro crimine esset: semper tamen genus mortis turpissimum visum est laqueo frangere gulam, constrictisque faucibus miserum spiritum elidere. Hinc Euripid. in *Helena*, *v.* 305.

Πῶς θάνοιμ' ἂν ἓν καλῶς;
Ἀχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι,
Κἀν τοῖσι δεῖλοις δυσπρεπὲς νομίζεται·
Σφαγαὶ δ' ἔχουσιν εὐγενές τι κοὐ καλόν.

Quo vero modo bene moriar?
TVRPES *enim sunt* LAQVEI *sublimes.*
In seruis etiam hoc FOEDVM *creditur.*
Sed caedes aliquid generosum et pulcrum habet.

Heineccii *Opusc. postum.*

Nec minus elegans est Seruii locus ad illud Virgilii *Aen. lib. XII. v.* 603.

Et NODVM INFORMIS LETHI
trabe nectit ab alta.

Addit enim grammaticorum doctissimus: *sciendum, quia cautum erat in pontificalibus libris, vt, qui laqueo vitam finiisset, insepultus abiiceretur. Vnde bene ait poëta:* INFORMIS LETHI, *quasi mortis infamissimae. Ergo quum nihil sit hac morte deformius, poëtam etiam pro reginae dignitate dixisse accipiamus. Cassius autem Hemina ait, Tarquinium Superbum quum cloacas populum facere coëgisset, et hanc ob iniuriam multi se suspendio necarent, iussisse corpora eorum cruci suffigi. Tunc primum turpe habitum est, mortem sibi consciscere. Et Varro ait: suspendiosis, quibus iusta fieri ius non*

BIU Cujas

QVIS VXOREM DVXERIT, NON IVSSV EIVS (y), CVIVS IN POTESTATE EST, ET QVI EVM, QVEM IN POTESTATE HABERET, EAM, DE QVA SVPRA COMPREHENSVM EST, VXOREM DVCERE PASSVS FVERIT (z): QVIQVE SVO NOMINE (aa), NON IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE ESSET, EIVSVE NOMINE (bb), QVEM QVAM-

sit, suspensis oscillis, veluti per imitationem mortis parentari. Docet ergo Virgilius ferundum Varronem et Cassium, quia se laqueo induerat, letho periisse deformi. Denique de his βιοθανάτοις parum honorifice sensisse video Baebium, Sassinatem, qui municipibus et incolis locum sepulturae legauit in praedio suo EXTRA EOS, QVI SIBI LAQVEO MANVS INTVLERINT, ET QVI QVAESTVM TVRPEM PROFESSI SINT. Reines. *Inscript. class. VII. n.* 20.

(y) NON IVSSV EIVS.] Infamia notatur, qui, quum sui iuris esset, SCIENS viduam, nondum circumacto luctus tempore, duxit. Neque tamen omnis ignorantia excusat, sed facti tantum. Contra excusatur, qui patris iussu duxit, veniaque dignus habetur, qui obtemperauit: VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 11. *§.* 4. *D. h. t.* si vel maxime soluta patris potestate vxorem retineat. PAVLL. *lib. V. ad edict. l.* 12. *D. eod.* Quamuis enim dissentiente filiofamilias sponsalia fieri non possint, PAVLL. *ibid. l.* 13. *D. de sponsal.* ac proinde Donatus ad illud Terentii *Andr. I. 5. v.* 3.

Vxorem decrerat dare sese mihi hodie: nonne oportuit
PRAESCISSE *me ante? nonne prius* COMMVNICATVM *oportuit?*

recte scribat: COMMVNICATVM, *inquit, quia non omnis nuptiarum potestas in patre est*: nullum tamen crimen patitur, cui in obsequio gloria relicta fuit, quique non prohibuit, quum prohibere posset. PAVLL. *ibid. l.* 109. *D. de reg. iur.* Ita sane legitur Florentiae, nec aliter in Basilicis: Οὐδὲ ἐν ἐγκλήμασι ὑποπίπτει ὁ δυνάμενος κωλῦσαι, καὶ μὴ κωλύσων. Quare recte hanc lectionem tuetur, quamuis genuinam legis speciem non adsequutus, Iac. Gothofred. in *Comment. pag.* 469.

(z) PASSVS FVERIT.] Non si postea demum nuptias ratas habuerit. VLPIAN. *lib. VI. ad edict. l.* 13. *pr. D. h. t.*

(aa) SVO NOMINE.] Siue per se, siue per alium, siue per epistolam. VLPIAN. *ibid. l.* 18. *D. de sponsal.*

(bb) EIVSVE NOMINE.] Non omnis,

BIU Cujas

QVAMQVE IN POTESTATE HABEBIT, BINA SPONSALIA (cc), BINASVE NVPTIAS IN EODEM TEMPORE (dd) CONSTITVTAS HABVERIT.

TIT. XVIII.

DE PLVS PETENDO. (a)

(VLP. LIB. VII. PAVLL. LIB. VI.)

EVm, qui a me iudicem poſtulabit (b), rem, quam petet, itemque, quid quantumque ſibi alterum reſtituere, dare,

omnis, qui alieno nomine conſtituit, notatur, ſed qui nomine liberorum conſtituit, conſtituique paſſus eſt. VLP. *ibid. l.* 13. *D. h. t.*

(cc) BINA SPONSALIA.] Itemque ſi nuptias conſtituerit cum femina, quam ducere nefas eſt, vel ſi alii deſponſa, alii nupta ſit femina. VLP. *ibid. l.* 13. §. 1. *D. h. t.*

(dd) EODEM TEMPORE.] Quod non de initio ſponſaliorum intelligendum eſt. Sufficit enim tempus, quo ſponſalia bina facta ſunt, concurrere. VLPIAN. *lib.* VI. *ad edict. l.* 13. §. 2. *D. de his, qui not. infam.*

(a) DE PLVS PETENDO.] De pluris petitione titulum in edicto exſtitiſſe, ex Senecae *Epiſt.* 48. probauit Iac. Raeuard. *Var. lib.* III. *cap.* 14. At hunc locum tenuiſſe hunc titulum, nec Ob. Giphanius, nec quiſquam, quod ſciam, alius, praeter Iac. Gothofredum, animaduertit, cuius ſententiam aliquot veterum interpretum fragmenta omnino confirmant. Quamuis enim Tribonianus ex inſtituto ſuo, huius iuris, iam ante Iuſtinianum maximam partem abrogati, vix veſtigium vllum in Pandectis exſtare paſſus ſit: bina tamen loca, quae ad illud manifeſto pertinent, communem illam ſtragem euaſerunt, alterum PAVLLI *ex libro* VI. *ad edictum l.* 6. *D. de rei vindicat.* alterum VLPIANI *ex libro* VII. *l.* 44. *D. locat.* Quod vero ad ipſius edicti ſententiam attinet, priorem eius partem ex §. 33. *Inſt. de action.* et Paulli *Sentent. recept. lib.* I. *tit.* 10. §. 1. poſteriorem ex eadem §. 33. et quibuſdam aliis veterum teſtimoniis expreſſimus.

(b) *Iudicem poſtulabit.*] Poſtulabatur IVDEX, quoties actio

BIU Cujas

dare, facere oporteat, designare iubebo (c). Qui iusto plus petet (d), eum caussa cecidisse decernam.

erat stricti iuris. Alias ARBITER dabatur, vti iam supra ad *tit.* 6. monuimus. Inter hos autem quid fuerit discriminis, docet Cicero *pro Q. Rosc. cap.* 4. dum scribit: *pecunia tibi debetur certa, quae nunc petitur* PER IVDICEM, *in qua legitimae partis sponsio est. Hic tu, si amplius* HS *numo* PETISTI, *quam tibi debitum*, CAVSSAM PERDIDISTI. IVDICIVM *est pecuniae certae. Ad* IVDICIVM *hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus. Ad* ARBITRVM *hoc modo adimus*, (de quo verbo forensi ADIRE vid. Io. Fridr. Gronou. *ad Senec. trag. Herc. fur. v.* 733.) *vt neque nihil, neque tantum, quantum postulauimus, consequamur.* Quare is demum, qui in iudicio stricti iuris, nec non in actione arbitraria, plus petierat, caussa cadebat: non item, qui in bonae fidei iudiciis plus intentione sua complexus fuerat. Vid. Franc. Hotom. Matth. Wesenbecius, Ian. a Costa, et Euer. Otto *ad d.* §. 33. *Instit. de action. Quid est*, inquit Tullius, *in* ARBITRIO? *Mite, moderatum*, QVANTVM AEQVIVS MELIVS *sit dari. Ille tamen confitetur*, PLVS SE PETERE, *quam debeatur, sed satis superque habere dicit, quod sibi ab arbitrio tribuatur.* Sic quamuis locare seruitutem nemo possit: VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 44. *D. locat.* non tamen plus petiisse videbatur, qui seruitutem sibi vna cum praedio locatam esse aiebat, quia actio conducti bonae fidei est.

(c) *Designare iubebo.*] Non modo ergo actionibus personalibus certi quid, quoad licet, petendum, verum etiam realibus. Quod argumento est, regulam illam: *qui plus petit, caussa cadit*, etiam in actionibus arbitrariis locum habuisse. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 241. Hinc tam sollicite disquiri animaduertimus, an et partem incertam vindicare liceat? *l.* 76. §. 1. D. *de rei vind.* itemque quid designare oporteat eum, qui materiam factam, infectam, argentum signatum, vestimenta, vasa, hominem, fundum sit vindicaturus. PAVLL. *lib.* VI *ad edict. l.* 6. *D. de rei vind.*

(d) *Plus petet.*] Plus petitur vel RE, vel TEMPORE, vel LOCO, vel CAVSSA. §. 33. *Inst. de action.* Paull. *Sentent. recept. lib.* I. *tit.* 10. §. 11. Euseb. *de paschate*

BIU Cujas

nam. (e)

§. I. Si tamen minor XXV. annis iusto plus intentione sua complexus, siue alia iusta caussa mihi visa fuerit, in integrum restituam. (f)

TIT.

chate homil. XI. quem locum elegantissimum attulit Rupert. *Animaduers. ad Enchirid. Pompon. pag.* 188. Attamen haec omnia non edicto expressa, sed interpretatione prudentum inducta videntur. Diserte enim Diocletianus et Maximianus AA. *l.* 2. *C. Hermog. de calumn. et plus petit. plus*, inquiunt, *petitur*, SICVT RESPONSIS PRVDENTVM CONTINETVR, *summa, loco, tempore, caussa, qualitate, aestimatione.* Ecquid interfuerit inter petitionem ante diem, et ante exsistentem conditionem, disquirit Em. Merill. *Obseru. lib.* III. *cap.* 26.

(e) *Caussa cecidisse decernam.*] Ita sese habebat ius antiquum, ceu patet ex *d.* §. 33. *Inst. de act.* Hinc quum apud Plaut. *Mostell. III.* 1. *v.* 121. Danista dixisset, *nihilo plus se petere:* adludens ad hoc edictum Tranio, seruus respondet:

Velim hercle, vt vno nummo plus peteres?

Et auctor *Queroli*, comoediae Plauto vulgo tributae: *Si parasitus amplius, quam praefinitum est, postulauerit,* PLVS PETITI PERICVLO *stranguletur.* Add. Quinctilian. *Inst. orat. lib. III. cap.* 6. Quomodo vero sensim hoc ius immutatum sit, ipse docet Iustinianus *d.* §. 33. Quumque binae constitutiones, eo pertinentes, hodie in Codice nostro desiderentur, eas restituit Iac. Cuiac. *Obseru. lib. XII. cap.* 21. et alia quaedam, quae huc pertinent, notauit *Obs. lib.* VII. *cap.* 27.

(f) *In integrum restituam.*] Ad hanc edicti partem adludens Seneca *Epist.* 48. *Quid enim aliud*, inquit, *agitis, quum eum, quem interrogatis, in fraudem inducitis, quam vt* FORMVLA CECIDISSE *videatur? Sed quemadmodum illum praetor, sic illos philosophia* IN INTEGRVM RESTITVIT. Hinc Claudium, imperatorem, collaudat Sueton. *Claud. cap.* 14. quod eos, qui apud priuatos iudices plus petendo formula cecidissent, restituerit. Ceterum sententiam huius edicti integram debemus Iustiniano §. 33. *Inst. de action.*

BIU Cujas

TIT. XVIIII.

SI EX NOXALI CAVSSA AGITVR, QVEMADMODVM CAVEATVR. (a)

SI QVIS EVM, DE QVO NOXALIS ACTIO EST (b), IVDICIO SISTI PROMISIT, IN EADEM CAVSSA (c) EVM (d) EX-

(a) QVEMADMODVM CAVEATVR.] Hunc demum locum tenuisse titulum, *si ex noxali caussa caueatur*, facile intelligitur ex tot fragmentis VLPIANI ex *lib.* VII. et PAVLLI ex *lib.* VIII. *ad edictum* depromtis. Itaque ratio fugit Ob. Giphanium, dum titulis *de postulando*, et *de his, qui not. infam.* proximum fuisse caput *de procuratoribus*, immo haec capita omnia titulum generalem constituisse existimat. Rectius rationes subduxit Iac. Gothofredus, qui in *Serie edicti perpetui*, titulo *si ex nox. causs.* hunc locum adsignauit, in eo tamen falsus, quod illi praemisit duos alios *de cautione iudicio sisti*, et *de vadimonio deserto* ob fragmenta *l.* 17. *D. de auct. tut. l.* 110. *§.* 1. *D. de reg. iur. l.* 16. *D. qui satisdar. cog.* et *l.* 7. *D. de iudic.* Quis enim sibi persuaderi patiatur, praetorem bis de eadem re edicere, adeoque actum agere voluisse? Fragmenta quoque illa alio pertinere, mox adparebit. Et haec quidem de ordine, ipsius edicti verba πρωτικὰ supersunt apud VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 1. *pr. D. si ex nox. causs.*

(b) NOXALIS ACTIO EST.] Quae sint ACTIONES NOXALES, hic ostendisse videtur CAI. *lib.* III. *ad edict.* (ita enim legendum omnino videtur), *l.* 2. *D. de noxal. act.* Dantur illae et aduersus bonae fidei possessorem: VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 11. D. *eod.* quin et aduersus vsufructuarium, suo quippe iure priuandum, si seruum fructuarium non defenderit. VLPIAN. *ibid. l.* 3. D. *eod.*

(c) IN EADEM CAVSSA.] Id est, in ea conditione, vt ius actoris non fiat deterius. Hinc in eadem caussa non sistitur seruus, si actor vel mutata serui persona, vel loco, in deteriore caussa esse coeperit, veluti si seruus venditus aut potentiori datus, vel alii noxae deditus sit. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 1. D. *si ex noxali causs.* Quod tamen iure nouo quodammodo mutatum esse, monet PAVLL. *lib. VI. ad edict. l.* 2. *pr.* D. *eod.* In criminalibus iudi-

ciis

BIU Cujas

(d) EXHIBERI (e) IVBEBO, IN QVA TVNC EST, DONEC IVDICIVM ACCIPIATVR.

ciis noxae deditioni non est locus: ac proinde stipulatio: NOXIS SOLVTVM IRI, non committitur, si seruus crimen publicum admiserit. IVLIAN. *lib.* II. *Digest.* *l.* 200. D. *de verb. signif.* Nec mutata conditione seruus, criminis publici reus, a poena seruili liberatur, eo quippe modo plectendus, cui locus fuisset tempore admissi criminis: ita Vlpianus *l.* 1. *pr.* D. *de poen.* immo tempore accepti iudicii, vti idem Vlpianus *l. penult.* D. *si ex nox. causs.* in quorum locorum conciliatione sudant Cuiac. *Obs. lib. X. cap.* 22. Iul. Pac. *Antinom. lib. I. cap.* 74. Ger. Noodtius *ad Pandect. h. t. pag.* 59. *sequ.* et omnes ἐναντιοφανῶν scriptores reliqui.

(d) EVM.] Absente seruo, praesens dominus iudicium suscipere, et de seruo, quamprimum poterit, exhibendo cauere debet. Si falso negat, seruum in potestate sua esse, vel si eum dolo possidere desiit, in solidum conuenitur. PAVLL. *lib. VI. ad edict.* *l.* 2. §. 1. D. *si ex nox. causs. l.* 12. D. *de nox. act.* Si alius in maiorem summam, quam postea iudicatum est, satis promiserit: id stipulatori non obest, quia in eo, quod plus est, semper inest et minus: PAVLL. *ibid. l.* 110. *pr.* D. *de reg. iur.* cuius legis genuinam speciem peruidisse non videtur Iac. Gothofredus *Comment. pag.* 473. Neminem tamen alterius nomine satis promittere cogit praetor, multoque minus tutorem cogit ad interponendam, (si pupillus cauere velit), auctoritatem. PAVLL. *ibid. l.* 17. D. *de auct. tut.* Non admittitur porro absentis domini defensor, nisi cauerit: quia nemo alienae rei expromissor sine stipulatione intelligitur. PAVLL. *ibid. l.* 110. §. 1. D. *de reg. iur.* Qui iuratus satis promisit, non videtur peierasse defensione ex iusta causa deserta, PAVLL. *ibid. l.* 16. D. *qui satisdar. cog.* quemadmodum contra non liberatur, si in ius vocatus forum mutarit. VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 7. D. *de iudic.* Si dominum absentem nemo defendit, seruus iussu praetoris erit ducendus, data domino superuenienti causa cognita facultate, seruum iam damnatum defendendi. PAVLL. *lib.* VI. *ad edict. l.* 2. §. 1. D. *si ex nox. causs.*

(e) EXHIBERI.) Quia homo mortuus exhiberi non potest, poena rei impossibilis nulla committitur. VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict.*

BIU Cujas

TIT. XX.

DE EO, PER QVEM FACTVM ERIT, QVO MINVS QVIS IN IVDICIO SISTAT. (a)

QVI DOLO MALO FECERIT (b), vel fieri quid PASSVS ERIT (c), QVO MINVS IN IVDICIO SISTAT (d), in eum (e), quanti actoris interfuturum eſt, eum non

edict. (ita recte Florentiae legitur), *l.* 69. D. *de verb. ſignif.*

(a) IN IVDICIO SISTAT.] Quemadmodum in Pandectis, ita et in edicto hic titulus ſuperiori, *ſi ex nox. cauſſ. agitur quemadm. cau.* proximus fuit. Eodem enim libro vtrumque titulum interpretati ſunt VLPIANVS et PAVLLVS, ille *libro* VII. *hic libro VI. ad edictum.* Ipſum edictum praeter paucula verba ſupereſt partim in rubrica, partim in *l.* 1. D. *h. t.* ex quibus aliiſque, quae attulimus, teſtimoniis etiam de ipſius edicti ſententia, qualem nos hic exhibemus, ſatis ſuperque conſtat.

(b) DOLO MALO FECERIT.] Dolo malo feciſſe dicitur, qui ſuis manibus, vel per alios retinuit, qui alios rogauit, vt iturum detinerent, vel abducerent, vel venienti triſte quid nunciauit. VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 1. §. 2. 3. *D. de eo, per quem fact.* Idem dicendum erit de eo, qui nomine praetoris falſas litteras reddidit, vel falſum edictum poſuit, quamuis, qui tale quid feciſſe dicitur, etiam ex lege Cornelia teneatur. VLPIAN. *ibid. l.* 25. *D. ad leg. Corn. de falſ.*

(c) PASSVS ERIT.] Sunt et haec verba edictalia, quae reſtituimus ex fragmento PAVLLI *lib.* VI. *ad edict. l.* 110. §. 2. *D. de reg. iur.* vbi docet, pupillum non intelligi PATI poſſe, puta dolo malo fieri, quia alias vix procederet regula. Quum vero et qui fecit, et, qui fieri aliquid aduerſus edictum paſſus eſt, aduerſus edictum feciſſe videatur, alterutrum ad poenam ſufficit, quia vbi verba coniuncta ſunt, (non copulatiue, ſed disiunctiue,) ſufficit alterutrum. PAVLL. *ibid. l.* 110. §. 3. *D. de reg. iur.* ibi Gothofred. *in Comment. pag.* 476.

(d) IN IVDICIO SISTAT.] Haec quoque verba edictalia in rubrica ſuperſunt. In rubricis enim Pandectarum verba edictalia plerumque latitare, iam ab aliis obſeruatum eſt.

(e) *In eum.*] Si plures dolo malo fecerunt, quo minus quis iudicio

BIU Cujas

non ſtitiſſe (f), in factum iudicium dabo. (g)

TIT. XXI.

DE COGNITORIBVS. (a)

Omnes iudicio ſiſtatur: ſinguli tenentur in ſolidum, at, vno tamen ſoluente, reliqui liberantur. VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 1. §. 4. D. *h. t.* Locum haec actio habet etiam aduerſus pubertati proximum, ſi ipſe dolo malo fecerit, non ſi paſſus tantum ſit aliquid fieri, ceu paullo ante ex PAVLLI fragmento oſtendimus. Pubertati enim proximum doli capacem eſſe, et furandi et iniuriae faciendae, notauit CAIVS *lib.* III. *ad edict. prou.* (ita enim legendum videtur), *l.* III. *pr.* D. *de reg. iur.* Contra heredes non datur haec actio, at heredibus tamen: quia in heredes tranſire non ſolent actiones, quae ſunt poenales ex maleficio. CAI. *ibid. l.* III. *§.* 1. D. *de reg. iur.* niſi forte heredes lucrum ex dolo defuncti ceperint. VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 1. *§.* 6. D. *h. t.* Si ſeruus tale quid fecit, contra dominum agitur noxaliter. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 6. *eod.* Immo et tunc haec actio ex mente Sabini competit, ſi ſeruus actoris, inſcio domino, dolo malo quid fecit, non ſi eo ſciente, vel, quum poſſet, non prohibente dolo fecit, ſiquidem tunc exceptionem aduerſus actorem ſufficere, obſeruauit Oſilius, edicti interpres: PAVLL. *lib.* VI. *ad edict. l.* 2. D. *h. t.* quemadmodum et aduerſus ipſum actorem, dolo malo quid facientem, haec exceptio ſufficit. VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 1. §. 3. D. *eod.* Si ſtipulator dolo Titii, promiſſor dolo Maeuii impediti ſunt: vtrique contra impedientem competit actio: promiſſore autem et ſtipulatore ſe inuicem impedientibus, dolus compenſatur. IVLIAN. *lib.* II. *Digeſt. l.* 3. §. 2. 3. D. *h. t.*

(f) *Non ſtitiſſe.*] Quomodo hic fiat aeſtimatio eius, quod intereſt, multis docet IVLIAN. *ibid. l.* 3. *pr.* §. 1. D. *eod.* vbi addit, ſi impediens non ſoluendo ſit, aequum eſſe, vt aduerſus ipſum reum detur actio reſtitutoria.

(g) *Iudicium dabo.*] Non tamen vltra annum. VLPIAN. *lib.* VII. *ad edict. l.* 1. §. *vlt.* D. *de de eo, per quem fact.*

(a) DE COGNITORIBVS.] De cognitoribus hic edixiſſe praetorem, nec Ob. Giphanius, nec Guil. Ranchinus, nec quiſquam alius, praeter Iac. Gothofredum et

BIU Cujas

et Ant. Schulting. in *Iurisprud. vet. anteiust. p.* 222. vidit. Et sane etiam Paullus *Sentent. recept. lib.* II. *tit.* 12. titulo *de procuratoribus* praemittit titulum de *cognitoribus*, et in Codice Theodosiano vtraque materia *de cognitoribus et procuratoribus* eodem titulo tractatur. Quod simul argumento est, cognitores non modo Paulli aetate, sed et multo post sub Theodosio II. in foro non ignotos fuisse, ac proinde non potuisse fieri, vt praetor illos in edicto suo sicco pede praeteriret. Quamuis vero cognitorum in Pandectis ac Codice nec vola exstet, nec vestigium, et Tribonianum in expungendo hoc vocabulo diligentissimum fuisse, vel ex sola *l.* 28. §. 7. D. *de poen.* comparata cum Paulli *Sentent. recept. lib. V. tit.* 25. §. 10. ὀφθαλμοφανῶς possit demonstrari: supersunt tamen quaedam VLPIANI et PAVLLI fragmenta, quae ad nullum alium, quam hunc ipsum *de cognitoribus* titulum commode referri posse videntur. Cur plura exstare passi non sint digestores, a pluribus quaesitum, quam ad liquidum perductum est. Parum sane solida est Theodori Marcilii ratio, quam in *Notis ad* §. 1. *Inst. per quos ag. poss.* attulit, puta, quod cognitoribus tantum locus fuerit in iudiciis ordinariis, adeoque nullus eorumdem vsus potuerit supereſſe, ex quo omnia iudicia coeperint esse extraordinaria. §. *vlt. Inst. de interd.* Vnde enim probari potest, cognitoriam operam tantum in iudiciis ordinariis eluxisse? Nec magis verosimile est commentum Iac. Gutherii, *de offic. dom. aug. lib.* I. *cap.* 25. existimantis, ex eo demum tempore, quo vice sacra iudicantes *cognitores* dici coeperint, exoleuisse cognitorum forensium nomen, ne quid hac denominatione illorum dignitati decedere videretur. Quum enim procuratorum Caesaris dignitas amplissima non obstaret, quo minus procuratores forenses vetus nomen retinerent: cur ob cognitorum dignitatem sublatum esse cognitorum forensium nomen, statuamus? Minime omnium credimus Pandulpho Prateio *Iurisprud. med. lib.* II. *cap.* 9. totam hanc mutationem supinae Triboniani negligentiae tribuenti. Immo nos potius inde eius diligentiam prudentiamque elucere arbitramur, quod seruauit institutum, nihilque in corpus suum, nisi quod in ipsis obtineret rerum argumentis, admiserit. Ego cognitorum vocabulum ideo expunxisse scio Tribonianum, quod eorum in foro nomen iam pridem exoleuisset: caussam, cur exoleuerit, fateor me scire cum ignarissimis. Ceterum Iac. Gothofredus in *Serie edicti perpetui* huic *de cognitoribus* titulo praemittit alium *de muliere, de dote, abesse, amisisse.* Sed Dauus hic sum, non Oedipus, nec

BIU Cujas

OMnes, qui ex edicto meo infamia notantur, quiue apud me postulare prohibentur (b), vel constituere (c) cognitores (d), vel a PRAESENTIBVS

nec scio, quid sibi hac rubrica velit vir eximius. Sunt quaedam fragmenta, in quibus explicantur verba MVLIER, ABESSE, AMISISSE: sed ea ad hunc ipsum titulum pertinuisse arbitror, nec ideo fingenda fuit rubrica, quae non magis aliquid significat, quam τὸ βλίθρι.

(b) *Postulare prohibentur.*] Sententiam huius edicti expressimus ex Paulli *Sentent. recept. lib.* I. *tit.* 2. §. 1. qui solus ex iureconsultis doctrinam de cognitoribus exposuit. Ait enim: *omnes infames, qui postulare prohibentur*, COGNITORES *fieri non possunt, etiam volentibus aduersariis.* Quis vero hoc prohibuerit, nisi praetor, qui de his rebus edicere solitus est? Accedit, quod idem fere tradidisse videtur CAIVS *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 7. D. *de postul.* quamuis verba eius mutila esse existimemus. Ait enim: *quos praetor apud se prohibet postulare, eos omnino prohibet,* (omisisse digestores videntur verba: *etiam cognitores fieri*) *etiamsi aduersarius eos patiatur postulare.*

(c) *Vel constituere.*] Apud Paullum hoc hodie non legimus. Olim tamen id lectum fuisse, ex hoc Aniani interpretamento patet: *infames ad agendas causas nec mandatum* DARE, *nec suscipere ab altero possunt, etiamsi hoc eorum aduersarii adquiescant.* Quam Aniani adnotationem hic non esse contemnendam, recte vidit Ant. Schulting. *Iurisprud. vet. anteiustin. pag.* 222.

(d) *Cognitores.*] COGNITORES dicebantur, qui praesentes a praesentibus constituebantur in ipso iudicio, et quidem ad negotia iudicialia explicanda. Procuratori enim et alia extra iudicium peragenda mandari poterant: cognitori iudicialia tantum. Ille et absens, et domi; hic praesens tantum et coram ipso iudice erat constituendus, et hinc vocatur PRAESENTIS COGNITOR, *l. vlt. C. Th. de cognit. et procur.* itemque AD COGNITIONEM ALIENI IVRGII SVFFRAGATOR. *l.* 6. *C. Th. eod.* Hinc Festus: *cognitor est, qui litem alterius suscipit* CORAM EO, *cui datus est.* Et Ascon. Paedian. *ad Cicer. diuinat. cap.* 4. *qui defendit alterum in iudicio, aut* PATRONVS *dicitur, si orator est; aut* ADVOCATVS, *si aut ius suggerit, aut praesentiam suam accommodat amico: aut* PROCVRATOR, *si negotium*

BIU Cujas

BVS (e) constitui veto.

gotium suscipit: aut COGNITOR; *si praesentis caussam nouit, et sic tuetur, vt suam. Ergo Cicero cognitorem modo dixit* FAMILIARISSIMVM DEFENSOREM. Locum hunc operose explicat Io. Fr. Gronou. *de pecun. vet. lib.* IIII. *cap.* 3. simulque ibidem adducit locum Manilii *lib. V. Astron. v.* 313. *seqq.*

Non vllo careat digito, quaue iuerit hasta,
Defueritque bonis sector, poenamque lucretur
Noxius, et patriam fraudarit debitor aeris,
COGNITOR *est vrbis,*

ex quibus contra Salmasium probari posse existimat, cognitorem eumdem cum sectore bonorum esse. Quod et Scaligero in mentem veniisse video in *Not. ad illum Manilii locum pag.* 379. *edit. Boecl.* Sed eum locum potius argumento esse censeo, omnes dictos esse COGNITORES, qui in foro cuicumque negotio pro praesentibus amicis interuenerint, siue mancipes hi fierent, siue sectores, siue quadruplatores. Glossa: *cognitor*, ἔνδικος. Ergo *cognitor vrbis* erit apud Manilium, qui se omnibus amicorum rebus, ad se nihil pertinentibus, tamquam magnus ardelio immiscet, qualis ille apud Horat. *Serm.* I. 5. *v.* 38. qui obuio eam operam promittens:

Ire domum, atque
Pelliculam curare iube, cui
COGNITOR *ipse.*

Ex quo Horatii, nec non Ciceronis loco *pro Q. Rosc. cap.* 2. simul discimus, cognitore semel a praesente domino constituto, huic postea abesse a foro licuisse.

(e) A PRAESENTIBVS.] Vocabulum hoc fuit edictale, quod ad hunc ipsum locum explicaturus VLPIANVS *lib.* VII. *ad edict. l.* 5. *et l.* 7. D. *de procurat.* PRAESENS, inquit, *habetur, et qui in horto est:* quemadmodum et eum, *qui in foro, vrbe, ac continentibus aedificiis est,* PRAESENTES *dici* monet PAVLL. *lib.* VI. *ad edict. l.* 6. D. *eod.* quamuis vterque procul dubio non omiserit, cognitores ab iis demum, qui in ipso foro praesentes sint, recte constitui posse. Ceterum haec loca Duarenus perperam ad titulum edicti *si ex nox. causs. agat.* pertinuisse putat, quia VLPIANVS statim addit: *Et ideo procurator eius praesentis esse videtur.* Quid vero aliud est procurator praesentis, quam cognitor? Et sane quum saepe contingeret, vt quis, licet praesens, in forum tamen, quoties opus esset, descendere non posset: *ex bono et aequo esse videbatur,*

BIU Cujas

veto. (f)

§. I. MVLIERI (g), non nisi in rem suam, cognitoriam operam suscipere permitto.

§. II. Sed et alios quoscumque (h), veluti quorum culpa

tur, *quod maior annis LX. et cui morbus caussa esset, cognitorem dare posset.* Ita Auct. *ad Herenn. lib.* II. *cap.* 13.

(f) *Constitui veto.*] Hinc frequenter in foro incidit disceptatio, possitne quis cognitor esse, nec ne. Vid. Quinctilian. *Instit. orat. lib. III. cap.* 8.

(g) MVLIERI.] Huius quoque alterius paragraphi sententiam debemus Paullo, qui *Sentent. recept. lib.* I. *tit.* 2. §. 2. *feminae*, inquit, *in rem suam cognitoriam operam suscipere non prohibentur.* NON PROHIBENTVR, puta a praetore, qui his rebus modum praescribere solebat. In edicto tamen fuit vocabulum MVLIER, quod ad hunc ipsum locum, tamquam edictale explicat VLPIAN. *lib. VII. ad edict.* (ita enim Florentiae legitur,) *l.* 13. *pr. D. de verb. signif.* eoque et virginem viri potentem contineri, obseruat. Quod et Seruius notat ad illa Virgilii *Aeneid. lib. XI. v.* 687.

Aduenit, qui vestra, dies muliebribus armis
Verba redarguerit.

(h) *Quoscumque.*] Hic quoque nobis ante oculos fuit locus Paulli *Sentent. recept. lib. I. tit.* 2. §. 3. *in rem suam cognitor procuratorue ille fiet, qui pro aliis postulat.* Quum vero hic vocabula ABESSE et AMISISSE interpretentur VLPIAN. *lib. VII. ad edict. l.* 13. §. 1. 2. 3. *D. de verb. signif.* et PAVLL. *lib. VI. ad edict.* (ita enim quaedam editiones habent, quamuis in codice Florentino sit *liber VII.*) cogitandum fuit de casu, quo quis ob rem, quae ABESSET, quaeue AMISSA ESSET, in rem suam cognitor fieri potuerit: isque se nobis facile obtulit. Fingamus, creditorem, soluto debito, amissi sua culpa pignoris aestimationem praestare debere, idque illum facere cesso sibi prius a debitore pignoris amissi dominio: hic sane creditor, qui antea pignus amissum nec actione hypothecaria persequi, nec illud vindicare poterat, facta sibi praesenti a praesente cessione recte illud vindicabit tamquam cognitor in rem suam, dum talis sit, qui pro aliis ex edicto praetoris postulare possit.

BIU Cujas

pa aliquid ABESSE (i), vel qui quid AMISISSE (k) dicentur, in rem ſuam cognitores dari permittam, dum tales ſint, qui pro omnibus apud me poſtulare poſſint.

TIT. XXII.

DE PROCVRATORIBVS. (a)

(VLPIAN. LIB. VIII. et VIIII. PAVLL. LIB. VII. et VIII.)

Procu-

ſit. Et poſita quidem huiuſmodi ſpecie edicto huic facillime aptabuntur verba edictalia: MVLIER, ABESSE, AMISISSE, ex quibus Iac. Gothofredus ſingularem rubricam, nihil ſignificantem, finxerat.

(i) ABESSE.] Quae ABESSE dicantur, exponunt VLPIAN. *lib. VII. ad edict. l.* 13. §. 1. 2. 3. et PAVLL. *lib. VI. l.* 14. *D. de verb. ſignif.*

(k) AMISISSE.] Id quoque verbum AMISISSE, tamquam πρακτικὸν explicat PAVLL. *ibid. d. l.* 14. §. 1. *D. de verb. ſign.* vbi docet, *rem* AMISISSE *videri, qui aduerſus nullum eius perſequendae habeat actionem*: quemadmodum in ſpecie paullo ante propoſita nullam pignoris amiſſi perſequutionem habebat creditor, non hypothecariam actionem, quia debito ſoluto ceſſat pignoris perſecutio, nec rei vindicationem, quia ante ceſſionem non erat dominus. Quae itaque de ſtipulationibus iudicialibus hic accumulauit Ioannes Goeddeus *in Comment. ad tit. D. de reg. iur. pag.* 224. *et* 230. non inerudita ſunt, at plane ἀπροσδιόνυσα, quia praetor de his ſtipulationibus in hac edicti parte non egit.

(a) DE PROCVRATORIBVS.] Proximum hunc fuiſſe edicti titulum, vel iureconſultorum fragmenta probant. VLPIANVS enim huic edicti capiti duos *libros*, VIII. et VIIII. PAVLLVS tres, VII. VIII. et VIIII. deſtinarunt. Ex PAVLLI *libro VII.* tria fragmenta in indicem retulit Iac. Labittus. Sed *l.* 14. *D. de verb. ſignif.* potius ex *libro VI.* decerptam eſſe oſtendimus; *l.* 9. D. *de vi publ.* quam potius ex *libro XVII. ad edict.* deſumtam eſſe; ex *l. 6. D. de vi et vi arm.* patet. Solum ergo genuinum eſt, quod ſupereſt in *l.* 5. D. *de reſt. in integr.* ex quo ſimul colligimus, in prima ſtatim edicti parte praetorem expreſſiſſe, qui procuratores eſſe poſſint.

BIU Cujas

PRocuratorem in quacumque cauſſa, ſi mandatum ei erit (b), ab eo, qui eius actionis dominus erit (c), datum admittam, dum talis ſit, cui ex edicto meo poſtulare liceat. (d)

§. I.

(b) *Mandatum ei erit.*] Siue expreſſe, ſiue tacite, ſiue verbis, ſiue litteris, ſiue nutu. §. 1. *Inſt. per quos ager. poſſ.* Nam et DELEGARE ſolo nutu ſurdus et mutus poteſt. VLPIAN. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 17. D. *de nouat.*

(c) *Dominus erit.*] Quia actiones omnes inter legis actiones erant, *l.* 2. §. 6. D. *de orig. iur.* lege vero per procuratores agi non poterat: *l.* 123. D. *de reg. iur.* procuratoribus in foro plane non erat locus, praeterquam acturis pro populo, pro libertate, pro tutela, et furti ex lege Hoſtilia eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, vel rei publicae cauſſa abeſſent, quiue in eorum, cuius tutela eſſent. *pr. Inſt. de iis per quos ag. poſſ.* Hinc ipſi adeſſe cogebantur litigatores, adeo, vt ne MORBVS quidem AEVITASVE, id eſt, ſenectus liberarent a neceſſitate adeundi praetorem. Gell. *Noct. Attic. lib.* XX. *cap.* 1. Quod quum permoleſtum demum videretur: illum iuris antiqui rigorem vſus fori paullatim emolliuit, repertuſque eſt modus, quo procuratores ſaluis antiqui iuris principiis admitterentur, puta vt DOMINI LITIS facti fingerentur, ſiquidem tunc iudicio, tamquam ſtipulatione contraxiſſe videbantur, *l.* 3. §. 11. *D. de pecul.* tota lite, quaſi per nouationem in procuratorem tranſlata. *l.* 11. *l.* 29. D. *de nouat.* Ne tamen in praeiudicium domini ipſius vergeret fictum iſtud dominium: quaedam procurator ſine ſpeciali domini mandato ſuſcipere non poterat, inter quae an et iuſiurandum in litem fuerit, diſputat VLPIAN. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 7. *D. de in lit. iur.* Quum ergo procurator dominium litis per litis conteſtationem conſequeretur: ipſum, a quo conſtituebatur, dominum eſſe debuiſſe, patet, qualem et filiumfamilias certis caſibus eſſe, docet VLPIAN. *ibid. l.* 8. D. *de procurat.* Sane et hic ex omnibus cauſſis tamquam paterfamilias obligatur, et ob id cum eo agi, tamquam cum patrefamilias, poteſt. CAI. *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 39. D. *de oblig. et act.*

(d) *Poſtulare liceat.*] Sane et minor admittitur, dummodo ſit ſeptemdecim annorum. §. 5. *Inſt. ex quib. cauſſ. manum. non lic. l.* 8. D.

BIU Cujas

§. I. Eos (e), qui suo nomine agere non possunt, (f), itemque furiosos (g), mente captos, infamia notatos,

8. *D. de institor. act.* Nec obstat, quod minori non videatur deneganda restitutio in integrum. *Non* enim *videtur* (a munere procuratoris) *excluſus, quem praetor in integrum ſe reſtituturum, pollicetur.* PAVLL. *lib. VII. ad edict. l.* 5. *D. de in int. reſtit.* Ita perspicua est species huius legis, ipseque eius intellectus facillimus, vt merito mireris, τὸν πάνυ Cuiacium, in his alioquin acutissimum, hunc textum ad materiam de furto et vi bonorum raptorum, de qua hac parte edicti plane non egerat praetor, referre non dubitare. Vid. eius *Comment. ad* Paulli *libros edictal. pag.* 102. *tomo V. Oper.*

(e) *Eos.*] Sententiam huius edicti nobis seruauit Paullus *l.* 43. *§.* 1. *D. de procur. quando quaeritur, an alicui procuratorem habere liceat: inſpiciendum, an non prohibeatur procuratorem dare, quia hoc* EDICTVM *prohibitorium eſt.* Ergo procuratores habere possunt, qui non prohibentur. Quos autem prohibeat praetor, aliunde constat, et mox distinctius explicabitur.

(f) *Agere non possunt.*] Regulam hanc habemus *l.* 17. §. 20. *D. de iniur. omnibus, qui* SVO NOMINE *actionem habent, procuratoris dandi facultas eſt.* Qui enim suo nomine agere non potest, non est dominus litis, ac proinde nec in alium transferre potest hoc litis dominium. Procuratorem ergo recte constituit filiusfamilias, at non seruus. VLPIAN. *lib. VIII. ad edict. l.* 33. §. 1. *D. de procur.* Quamuis enim huius legis inscriptio praeferat *librum VIIII.* notandum tamen est, §. 3. *et ſequ.* demum ex *libro VIIII.* decerptas esse, quum priores sint ex *libro VIII.* Id et alibi contigisse animaduertimus. Vniuersitas porro non procuratorem dat, sed syndicum, qui tunc actor est rei publicae seu vniuersitatis, non singulorum. VLPIAN. *ibid. l.* 2. *D. quod cuiuſcumque vniuerſit.*

(g) *Furioſos.*] Procurator dabatur ab absente. Pro absente alias et furiosus habebatur: non hic tamen, quia *in eo animus deeſt, vt ratum habere non poſſit.* PAVLL. *lib. VIII. ad edict. l.* 2. *§.* 1. *D. de procurat.* Quamobrem furiosi et mente capti non dant procuratores, sed pro iis agunt, actionesue suscipiunt, eorum curatores, vel constituti ab his actores. Nec tamen iure nouo soli agnati curabant furiosos, quamuis eos

BIU Cujas

tatos (h), eosque, qui popularem actionem instituere volent (i), procuratores dare et habere veto. (k)

§. II. PROCVRATOREM (l), AD LITEM SVSCIPIEN-

eos solos ad hanc curationem vocassent leges XII. tabularum. CAI. *lib. III. ad edict. prou. l.* 13. *D. de curat. furios.*

(h) *Infamia notatos.*] Huc pertinent omnia fragmenta, quae ex VLPIANI *lib. VIIII.* et PAVLLI *libro VIIII.* ad titulum *de his, qui not. infam.* relata sunt, vt *l.* 10. *l.* 15. *l.* 16. *l.* 17. *l.* 18. *l.* 19. *l.* 23. *D. eo tit.* vbi de feminis, quae intra annum luctus nupserunt, iisque, qui illas vel elocarunt, vel duxerunt, agitur. Has vero aliasque personas infames procuratores dare non potuisse, discimus ex *§. vlt. Inst. de iis, per quos ager. poss.* Hinc vetus exceptio procuratoria: EO, QVOD NON LICVISSET ADVERSARIO DARE VEL FIERI PROCVRATOREM, de qua *l.* 19. §. 2. *D. de prob. et praesumt.* et Quinctilian. *Inst. orat. lib. IIII. cap.* 7. *lib.* VII. *cap.* 1.

(i) *Instituere volent.*] In iudiciis popularibus, rei quidem procuratorem dare poterant, non actores: PAVLL. *lib. VIII. ad edict. l.* 5. *D. de pop. act.* nisi ad hos res directe pertinebat. PAVLL. *ibid. l.* 42. *pr. D. de procur.* Quae vero sint actiones populares, ea occasione ostendit IDEM *ibid. l.* 1. *D. de popul. act.*

(k) *Habere veto.*] Prohibitorium fuisse hoc edictum, paullo ante ex *l.* 43. §. 1. *D. de procur.* probauimus. In prohibitoriis autem edictis verba praetoris sollemnia erant: FIERI VETO. Brisson. *de form. pop. Rom. lib. III. pag.* 382.

(l) PROCVRATOREM.] De hoc edicti capite, quod ad reorum procuratores pertinet, eodem *libro VIII.* egerunt VLPIANVS et PAVLLVS, quum ille de procuratoribus actorum libro demum VIIII. disseruerit, argumento satis luculento, hanc §. ordine priorem fuisse. Procuratorem autem se coacturum edicit praetor, quicumque, quum habilis sit, non inuitus eam operam in se suscepit, non tamen militem, qui non nisi in caussa cohortis et in rem suam procurator fieri potest. VLPIAN. *lib. VIII. ad edict. l.* 8. §. 1. 2. *D. de procurat.* Si plures dati sunt: melior est conditio occupantis, id est, eius, qui prius litem contestatus est. PAVLL. *lib. VIII. ad edict. l.* 32. *D. eod.*

BIU Cujas

PIENDAM DATVM (m), PRO QVO CONSENTIENTE (n) DOMINVS IVDICATVM SOLVI EXPOSVIT, IVDICIVM ACCIPERE (o) COGAM. (p)

§. III.

(m) DATVM.] Potest et suscepta iam lite procurator dari, dum pro eo dominus cautionem iudicatum solui exponat, CAI. *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 46. *D. de procur.* vbi et de officio procuratoris, actionibusque, quae inter dominum et procuratorem intercedere possunt, agitur.

(n) QVO CONSENTIENTE.] Nam iudicium suscipere non cogitur, pro quo ignorante dominus defunctus iudicatum solui exposuit. VLPIAN. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 15. *pr. D. de procur.* Cautio vero illa semper exigitur. Immo in communi diuidundo iudicio duplex requiritur cautio, quia idem procurator et ad agendum et ad defendendum constituitur. VLPIAN. *ibid. l.* 15. §. 1. D. *eod.* Sed et defensor absentis emtoris, litem venditori denuncians cauere huic praeterea debet, rem ratam habiturum dominum. VLPIAN. *lib.* III. *Digest. l.* 75. D. *eod.*

(o) IVDICIVM ACCIPERE.] Omnia procurator, tamquam dominus agit, adeo, vt et interrogatus in iure respondeat, concesso tamen ad deliberandum spacio. CAI. *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 5. D. *de interr. in iure fac.* Hinc et tunc defendisse censetur, quando, praestita de rato cautione, quid fieri passus est, quod passurum dominum probabile est. PAVLL. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 36. D. *de procur.* Neque tamen procuratori recte soluitur, nisi speciali mandato instructo. PAVLL. *ibid. l.* 86. D. *de solut.* Actionem porro iudicati datam esse aduersus procuratorem, tamquam dominum litis, demonstrauit Iust. Henn. Boehmerus *Diss. de domin. lit. cap.* 2. §. 15. Attamen quum exceptione doli mali elidi posset haec actio, *l.* 28. *D. de procur.* non mirum est, veteres aliquando negare, actionem iudicati aduersus procuratorem competere. *l.* 61. *D. de procur. l.* 4. *D. de re iudic.* Recte enim PAVLLVS *lib. VIII. ad edict. l.* 112. *D. de reg. iur.* obseruat, nihil interesse, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem excludatur. Cuius notissimae regulae speciem denuo non vidit Iac. Gothofr. *in Comment. ad d. l.* 112.

(p) COGAM.] Non tamen cogitur procurator in rem suam venditorem defendere. CAI. *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 34. *D. de procur.* Immo nec vllus alius cogitur, si iusta

BIU Cujas

§. III. Accepto (q) semel iudicio (r) procuratorem mutari, litemque ab eo transferri, nisi caussa cognita (s), non

iusta non defendendi caussa sit, veluti inimicitia capitalis: VLPIAN. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 14. *D. eod.* dignitas supervèniens: VLPIAN. *ibid. l.* 8. §. 3. *D. eod.* valetudo: peregrinatio: CAI. *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 9. *D. eod.* immo et praesentia domini, si hic ad defendendum cogi possit. PAVLL. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 11. *D. eod.* Expensis ergo rei circumstantiis, caussa cognita aestimandum est, cogendusne, an excusandus procurator videatur; CAI. *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 12. VLPIAN. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 13. *D. de procur.* an reo non defenso actorem in possessionem mitti oporteat. *l.* 3. *C. de procur.*

(q) *Accepto.*] Hoc caput inter superius et sequens fuisse intermedium, vel inde patet, quod VLPIANVS de procuratore rei, deque mutatione procuratoris *libro* VIII. de procuratore actoris *libro* VIIII. egerit. Adde, quae notauimus ad *litt. s.*

(r) *Semel iudicio.*] Ante litis contestationem liberrima est potestas vel mutandi procuratorem, vel iudicium per se accipiendi. PAVLL. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 16. *D. de procurat.* Nam quia nondum in procuratorem transiit litis dominium, dominus omnia integra habet, licetque ipsi vel caussam suam meditari, vel eam alii mandare, idque et coram, et per internuncium, et per epistolam, pure aeque, ac in diem vel sub conditione facere potest. VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 1. *l.* 3. D. *de procurat.* PAVLL. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 4. D. *eod.* Sed haec omnia, vti diximus, ante litis contestationem et nondum accepto iudicio. Postea enim, translato semel dominio litis, procurator mutari non potest, nisi caussa cognita. VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 17. *pr. et* §. 1. D. *de procur.*

(s) *Nisi caussa cognita.*] Hunc locum explicans VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 17. §. 2. *D. de procurat. In hac*, inquit, *caussae cognitione non solum ea versantur*, QVAE SVPRA DIXIMVS *in procuratore non cogendo suscipere officium* (ex quibus verbis hanc paragraphum illa superiore de procuratore rei posteriorem fuisse, luculenter patet:) *verum etiam aetas.* Iure quoque procuratorem mutat dominus, si ille suspectus, aut in vinculis, aut in hostium potestate est: VLPIAN. *lib.* VIIII.

BIU Cujas

non permittam. (t)

§. IIII. CVIVS (u) NOMINE (x) QVIS ACTIONEM

ad edict. l. 19. D. *eod.* aut si iudicio publico, vel priuato, vel valetudine, vel maiore re sua distringitur, PAVLL. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 20. D. *eod.* nec non si latitat, aut inimicitiam concepit. CAI. *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 21. D. *eod.* vel si adfinitatem contraxit cum aduersario, eiue heres factus est: PAVLL. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 22. D. *eod.* vel si longa peregrinatio ei impedimento est. VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 23. *D. eod.* Quibus vrgentibus caussis multo magis ipse procurator recte renunciat mandato suo. PAVLL. *lib.* VIII. *ad edict. l.* 24. D. *eod.* Non autem remouendus est procurator ex caussa, quae famam sugillare posset, si velit ille pudorem purgare, nec remouendus procurator in rem suam, nec qui vult vti iure retentionis, nisi dominus ei soluere paratus sit. VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 26. D. *eod.*

(t) *Non permittam.*] Ne caussa quidem cognita id permittit praetor, nisi vt tota caussa transferatur, et, si id ex parte actoris fit, stipulatio committatur. VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 27. D. *de procurat.* An vero procurator aliquando et sine praetoris arbitrio mutetur, idem disquirit VLPIAN. *ibid. l.* 31. §. 1. 2. D. *eod.*

(u) CVIVS.] Integrum hoc edictum seruauit VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 33. §. 3. D. *de procur.*

(x) NOMINE.] Nihil interest, cuiuscumque dignitatis aut quocumque nomine agat procurator. Hinc idem iuris est circa CVRATORES furiosorum et prodigorum: VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 5. *D. de postul.* nec non circa TVTORES, pupillis etiam iis, qui de statu suo litigant, datos. VLPIAN. *ibid. l.* 17. *D. de tut. dat.* Diuisa tutela, is, qui administrat, contutoribus in agendo praefertur. VLPIAN. *ibid. l.* 4. *D. de adm. et peric. tut.* Nec tamen tutores, acturi pro pupillis, de rato cauent. VLPIAN. *ibid. l.* 23. *D. eod.* Praeterea idem iuris est circa ACTORES, a tutoribus vel curatoribus suo periculo constitutos, PAVLL. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 24. *D. eod.* quamuis hi de rato cauere teneantur. VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 9. *D. rem rat. hab.* Nec minus huc referendi PROCVRATORES IN REM SVAM, de quibus VLPIAN. *ibid. l.* 35. *D. de procur.* Immo et aliquando FEMINAE,

BIU Cujas

NEM (y) DARI SIBI POSTVLABIT, IS EVM VIRI BONI ARBITRATV DEFENDET (z), ET EI, QVO NOMINE AGET, ID RATVM HABERE EVM (aa), AD QVEM EA RES PERTINET, BONI VIRI ARBITRATV SATISDET. Si non defendet (bb), neue satisdabit

NAE, quippe quibus pro parentibus, senibus, vel aegrotis, causſa cognita agere permittitur. PAVLL. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 41. *D. eod.* Poſtremo et de DISPENSATORIBVS monet PAVLL. *ibid. l.* 51. *D. de ſolut.* eos procuratores non eſſe, niſi habeant mandatum, quo reuocato nihil eos poſſe: praeterquam quod debitor, ignorans, reuocatum eſſe mandatum, recte eis ſoluit. Erant autem DISPENSATORES, vt ex *Gloſſis* Iſidori patet, *arcarii*, eorumque non modo in marmoribus paſſim fit mentio, verum etiam in iure noſtro, veluti *l.* 41. §. 17. *D. de fideic. libert.* Eleganter hoc officium deſcribit Theophil. *Paraphr.* §. 10. *Inſt. de mand.* DISPENSATOR ἐστὶν ὁ οἰκέτης, ὃς ἔωθεν ἐκδανείζειν τὰ δεσποτικὰ χρήματα: DISPENSATOR *eſt ſeruus, qui foenori dare ſolet pecunias domini.* Talis diſpenſator, *breuiarium rationum offerens* apud Sueton. *Galb. cap.* 14. Talis diſpenſator Trimalchionis, *aureos numerans* apud Petron. *Satyr. cap.* 30. Quare vetus interpres οἰκονόμου *Luc. cap.* 12. *v.* 42. non ſatis commode vertit *diſpenſatorem*, rectiuſque eum, *cui dominus committit pecuniam ſuam, diſpenſatorem* dicendum eſſe monet Auguſt. *Serm.* XVIIII. *ex nouis.*

(y) ACTIONEM.] Regulariter quilibet actionem alieno nomine intentare poteſt. VLPIAN. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 29. D. *de procur.* Interdictum tamen de liberis ducendis alieno nomine poſtulanti non datur. VLPIAN. *ibid. l.* 40. *pr. D. eod.*

(z) DEFENDET.] Quid hic ſit DEFENDERE, docent VLPIAN. *ibid. l.* 35. *l.* 37. *l.* 39. *pr.* D. *de procurat.* et PAVLL. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 43. *l.* 45. D. *eod.*

(aa) RATVM HABERE EVM.] Ad hanc cautionem pertinent, quae fuſe differit VLPIANVS *ibid. l.* 35. §. 3. *l.* 39. §. 1. *ſequ. l.* 40. §. 1. *ſequ.* D. *de procurat. l.* 9. D. *rem rat. hab. l.* 23. D. *de admin. ac peric. tut.*

(bb) *Non defendet.*] Hanc clauſulam fuiſſe in edicto, patet ex *l.* 5. *C. de procur.* vbi id *edicto perpetuo expreſſum* dicitur, et *l.* 3. *C. eod.* vbi ita *ſecundum formam*

bit (cc), actionem ei non dabo, praeterquam si praesentis procurator erit. (dd)

§. V. Parentes (ee), liberos, fratres, adfines proximos, patronos, libertos, maritos, si ratam rem habituros eos easue, ad quos quasue ea res pertinebit, boni viri arbitratu satisdabunt, nec voluntas eorum mutata erit, et sine mandato admittam.

TIT.

mam iuris dictionis seruari discimus. Vnde non obscurum est, quo pertineat fragmentum PAVLLI *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 43. §. 4. *D. de proc. poena non defendentis procuratoris haec est, vt denegetur actio.*

(cc) *Satis dabit.*] Ger. Noodtius de hoc edicti capite, si quis alias, optime meritus verba haec restituit ex Paulli *sentent. recept. lib. I. tit.* 10. §. *vlt.* vbi iureconsultus: *si satis non det procurator absentis*, ACTIO *ei absentis nomine non datur.*

(dd) *Procurator erit.*] Ita Diocletianus et Maximianus augg. *l. vn. C. de satisdat. non est incerti iuris, eum, qui apud acta factus est agentis procurator, non compelli, ratam rem habiturum dominum, satis dare. Hoc enim casu quasi* PRAESENTIS PROCVRATOREM INTERVENIRE *intelligendum est.* Hunc quoque locum obseruauit Noodtius *ibid. pag.* 88. qui tamen perperam huc refert *l.* 5. *l.* 6. *l.* 7. D. *de procur.* quippe ex PAVLLI *libro* VI. et VLPIANI *libro* VII. *ad edictum* decerptas, ac proinde alio pertinentes. Vid. supra *tit.* 21. *litt. e.*

(ee) *Parentes.*] Sententiam huius capitis nobis suggerit VLPIANVS *l.* 3. §. 3. *D. iudic. solui. sed et si forte ex liberis vel parentibus interueniat aliquis, vel vir vxoris nomine, a quibus mandatum non exigitur, an committatur stipulatio, quaeritur. Magisque erit, ne committi debeat, nisi fuerit ei mandatum, vel ratum habitum. Quod enim eis agere permittitur* EDICTO PRAETORIS, *non facit eos procuratores.* Ger. Noodtius eodem refert fragmentum VLPIANI *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 35. *de procurat.* vbi tantum ὡς ἐν παρόδῳ huius iuris fit mentio. Denique ex *l.* 1. et *l.* 2. *C. de consort. eiusd. lit.* discimus, hoc edictum postea et ad litis consortes prolatum esse.

BIU Cujas

TIT. XXIII.

QVOD CVIVSCVMQVE VNIVERSITATIS NOMINE, VEL CONTRA EAM AGETVR. (a)

QVOD CVIVSCVMQVE (b) VNIVERSITATIS (c) NOMINE,

(a) CONTRA EAM AGETVR.] Quum hoc edictum iisdem *libris* VIIII. exposuerint VLPIANVS et PAVLLVS: nulla sane nos mouere potuit ratio, vt ab ordine Pandectarum recederemus. Verba edictalia, litteris maiusculis expressa, in ipsa rubrica seruata sunt. Reliqua suo quaeque loco vera praestabimus.

(b) CVIVSCVMQVE.] *Cuiuscumque* dicit praetor, quia nihil interest, municipii, an collegii, an totius prouinciae nomine agatur. Quo vltimo casu et proximae insulae ad prouinciam pertinere videntur. VLPIAN. *lib. VIIII. ad edict. l. 9. D. de iudic.* Sed et singuli conuentus ac dioeceses ad prouinciam referendae, quia *toto et pars continetur*, CAI. *lib. III. ad edict. prou. l.* 113. *D. de reg. iur.* vbi male Gothofredus existimat, rationem reddere voluisse CAIVM, cur vniuersitas in vna persona superstite subsistat? Quoties enim hoc contingit: non pars toto continetur, sed pars nomen tantum totius adsumit. Non sane solet CAIVS, elegantissimi ingenii iureconsultus, tam subtiles rationes reddere.

(c) VNIVERSITATIS.] Intelligenda est vniuersitas licita. Neque enim societatem, neque collegium, neque huiusmodi corpus passim habere omnibus conceditur, siquidem legibus, et SCtis, et principum constitutionibus res illa continetur. Ea occasione licita quaedam collegia recenset CAIVS *lib. III. ad edict. prouinc. l. 1. pr. D. quod cuiuscumque vniu. nom.* plura nos ex antiquitatibus eruimus in *Dissert. de collegiis et corpor. opific. cap. 9.* [quae recusa exstat in *Syllog. I. opusculor. varior. num. 9. pag. 367. seqq. edit. Geneu.*] Licitis collegiis permissum est habere res communes, arcam communem, immo et actorem vel syndicum, per quem tamquam in re publica quadam, quod communiter fieri deberet, fieret. CAI. *ibid. l. 1. §. 1. D. eod.* Hinc in marmoribus ARCARII COL. Reines. *Inscript. pag.* 431.

Lect.

BIU Cujas

MINE (d), VEL CONTRA EAM AGETVR, de eo actori (e) a maiore parte vniuersitatis electo (f), et in eum iudicium dabo.

§. I. Si nemo vniuersitatem DEFENDET, res eius possideri vel VENIRE IVBEBO. (g)

§. II. Extraneum quoque, defensurum vniuersitatem, si iudicatum solui satisdederit, admittam. (h)

TIT.

Lect. var. lib. III. cap. 16. ARCA SEVIRORVM AVGVSTALIVM, SOCII SEV. AVGVSTAL. QVIBVS ARCAM HABERE PERMISSVM A DIVO PIO. Gruter. *Inscript. pag.* 414. 2. 7. 12.

(d) NOMINE.] Siue in rem agatur, siue in personam. Nam et res communes habent vniuersitates, quae an publicae dici possint, quaerit CAI. *ibid. l.* 16. *D. de verbor. signif.* quemadmodum et VLPIAN. *lib. VIII. ad edict. l.* 41. *D. de adqu. rer. dom.* disquirit, an statuae in publico positae sint ciuium?

(e) *Actori.*] Non magis tamen quisquam municipum vel collegarum hoc officium suscipere cogitur, quam priuatus operas procuratoris. Neque enim hoc est munus publicum, de quo hac occasione egisse videtur PAVLL. *lib. VIII. ad edict. l.* 18. D. *de verb. signif.*

(f) *Electo.*] Modum eligendi constituendique syndicos et actores ad hunc locum descripserunt VLPIAN. *lib. VIII. ad edict. l.* 3. *D. h. t.* et PAVLL. *lib. VIII. ad edict. l.* 4. D. *eod.*

(g) VENIRE IVBEBO.] Cum sententiam huius edicti, tum verba πατικὰ VENIRE IVBEBO seruauit exposuitque CAI. *lib. III. ad edict. prou. l.* 1. §. 2. D. *h. t.*

(h) *Admittam.*] Postremam etiam hanc sententiam debemus CAIO *lib.* III. *ad edict. prou. l.* 1. §. 2. D. *h. t.* Ait enim ibi iureconsultus: *et si extraneus defendere velit vniuersitatem: permittit* PROCONSVL, *sicut in priuatorum defensionibus obseruatur, quia eo melior conditio vniuersitatis fit.* Vbi non ex ICtorum interpretamentis hoc ius esse, sed *proconsulem*, (adeoque et *praetorem*) id edicto permisisse, dicit Caius. Animaduertit hoc etiam Ger. Noodtius *ad Pandect. pag.* 93. cui tamen non adsentimur, inferenti verba: SICVT IN PRIVATORVM DEFENSIONIBVS OBSERVATVR. Esse enim haec CAII, non ipsius praetoris, verba, nemo non animaduertit.

BIU Cujas

TIT. XXIIII.

DE NEGOTIIS GESTIS. (a)

(VLPIAN. LIB. X.)

SI QVIS (b) NEGOTIA (c) ALTERIVS (d), SIVE QVIS NEGO-

(a) DE NEGOTIIS GESTIS.] Hunc *de negotiis gestis* titulum superioribus fuisse posteriorem, inde adparet, quod de procuratoribus et syndicis VLPIANVS egit *libro commentariorum* VIIII. de negotiis gestis *libro X.* Praecessit autem hic titulus illum *de calumniatoribus*, quia PAVLLVS titulum *de negotiis gestis libro* VIIII. titulum *de calumniatoribus* demum *libro X.* enarrauit. Idem ergo hic ordo, qui in Pandectis. Ipsa edicti verba seruauit VLPIAN. *lib. X. ad edict. l. 3. pr.* D. *de negot. gest.* Eiusdem vero insignem vtilitatem *l.* 1. D. *eod.* suo more commendat.

(b) SI QVIS.] Hic quoque, sub genere masculino femininum comprehenditur. Nam et femina negotia potest gerere: VLPIAN. *lib. X. ad edict. l. 3. §. 1.* D. *de negot. gest.* immo et pupillus, VLP. *ibid. l. 3. §. 4.* D. *eod.* nec vlla necessitas est, hic textum sollicitandi cum Cuiacio *Obs. lib. XIII. cap. 7.* Vid. Reinh. Bachou. Πρώτ. *Heineccii Opusc. postum. h. t.* De eo, qui in seruitute gesserat negotia, disputat PAVLL. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 18. *D. eod.*

(c) NEGOTIA.] Siue vnum, siue plura. VLPIAN. *lib. X. ad edict. l. 3. §. 2.* D. *eod.*

(d) ALTERIVS.] Siue masculi, siue feminae, siue vnius, siue plurium. VLPIAN. *lib. X. ad edict. l. 3. §. 3.* D. *h. t.* Si alter SOCIORVM passus est geri negotia, alter prohibuit, saltim cum altero patiente agendum est. IVLIAN. *lib.* III. *Digest.* * *l.* 8. §. 3. D. *de negot. gest.* Recte etiam geri possunt negotia PVPILLORVM: IVLIAN. *ibid. l. 6. pr. D. eod.* immo et is, qui pro tutore, tamquam tutore, gessit, pupillum habet obligatum. VLPIAN. *ibid. l. 5. D. de eo, qui pro tut.* Recte item negotia geruntur FVRIOSORVM: VLPIAN. *lib. X. ad edict. l. 3. §. 3. D. eod.* Immo et negotia FILII FAMILIAS vel ANCILLAE gerendo obligationem quis adquirit, dummodo vel peculium

BIU Cujas

NEGOTIA, QVAE CVIVSQVE, QVVM MORITVR (e), FVERINT, GESSE-

habeant, vel in rem patris dominiue verſum ſit. VLPIAN. *ibid. l.* 14. D. *de negot. geſt.* Similiter et CAPTIVI negotia geri poſſunt ab eiuſdem fortunae ſocio, qui pro eo λύτρον ſoluit, eoque pertinet locus elegantiſſimus PAVLLI *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 21. *pr.* D. *de neg. geſt.* Denique ex negotiis ſuis geſtis et MVNICIPIA obligantur. VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 7. D. *quod cuiuscumque vniuerſ. nomin.* Nam et vniuerſitates tenentur ex eo, quod in earum rem verſum eſt: VLPIAN. *ibid. l.* 27. D. *de reb. cred.* maxime quum earum bona non publica, ſed priuata ſint. VLPIAN. *ibid. l.* 15. *l.* 17. *D. de verb. ſignif.* Si adminiſtratores ciuitatis contrahere quem iuſſerunt cum ſeruo ciuitatis: non negotiorum geſtorum, ſed quod iuſſu, agendum eſt. VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 4. D. *quod iuſſu.* Ceterum pro quo quis geſſerit, ex initio geſtionis aeſtimandum eſſe, monet VLPIAN. *ibid. l.* 15. D. *de neg. geſt.*

(e) QVVM MORITVR.] Verba haec adiecit praetor, quia, qui mortui negotia gerit nondum adita hereditate, neminem videtur obligatum habere: VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 6. *D. de negot. geſt.* quamuis ipſius hereditatis negotia geri poſſe, expediti iuris ſit. PAVLL. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 21. *D. eod.* Suſtinetur tamen et illa negotiorum mortui geſtio per fictionem iuris, eoque fundamento nititur ACTIO FVNERARIA. VLPIAN. *ibid. l.* 1. *D. de religioſ.* Nimirum gentes tantum non omnes ea olim peruaſerat opinio, animas, inſepulto corpore male ſe habere. Hinc Sibylla apud Virgil. *Aen. lib.* VI. *v.* 325. interrogata ab Aenea, quaenam ſit illa animarum turba, quam Charon repellat, tranſituque Stygis prohibeat?

Haec, inquit, *quam cernis, inops* INHVMATAQVE *turba eſt:*
Portitor ille Charon: hi, quos vehit vnda, SEPVLTI.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt.
Centum errant annos, volitantque haec littora circum:
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reuiſunt.

Ad quae verba poëtae notat Seruius: *duo*, inquit, *dicit: id eſt: nec legitimam ſepulturam habet, nec imaginariam.* INOPEM *enim dicit ſine pulueris iactu. nam ops terra eſt, id eſt, ſine humatione. Vult autem oſtendere, tantum valere inanem, quantum plenam ſepulturam. Nam et Deiphobi vmbra tranſuecta eſt,*

BIU Cujas

est, cui Aeneas cenotaphium fecit, vt:

Hunc egomet tumulum Rhoeteo in littore inanem
Constitui.

Bene autem SEPVLTOS, *id est, fletos: (nam sine fletu sepultura non est.)* Et paucis interiectis: *centum autem annos ideo dicit, quia hi sunt legitimi vitae humanae, quibus completis potest anima transire ripas, id est, ad locum purgationis peruenire, vt redeat rursus in corpora.* Nec aliter philosophatur Patrocli vmbra apud Homerum *Iliad.* XXIII. *v.* 69.

Εὕδεις αὐταρ ἐμοῖο λελασμένος ἔπλευ, Ἀχιλλεῦ;
Οὐ μέν μευ ζώοντος ἀκήδεις, ἀλλὰ θανόντος.
Θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω.
Τηλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων,
Οὐδέ με πῶς μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν,
Ἀλλ' αὖτως ἀλάλημαι ἀὐ εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δεῦ.
Καὶ μοι δὸς τὴν χεῖρ' ὀλοφύρομαι· ἢ γὰρ ἔτ' οὔτι
Νίσσομαι ἐξ Ἀΐδαο, ἐπήν με πυρὸς λελάχητε.

Dormis, an mei oblitus es, Achilles?
Non quidem me viuentem negligens, at mortuum.
Sepeli me quam celerrime, portas Plutonis vt intrem.
Procul me arcent animae, simulacra mortuorum,
Neque me aliquo misceri super flumen sinunt:
Sed temere erro per latissimarum portarum domum Plutonis.
Da mihi manum, vt deplorer.
Non enim rursum
Redibo ex inferis, postquam me ignis absumsit.

Et *Odyss. libro VI.* vbi Vlyssi iter ad inferos facienti Elpenora socium occurrisse fingit, hanc addit rationem:

Οὐ γὰρ πω ἐτέθαπτο ὑπὸ χθονὸς εὐρυοδείης.

Nondum enim sepultus erat sub terra, longas vias habente.

Tum porro *v.* 66. *seqq.* hunc Elpenora ita inducit loquentem:

Νῦν δέ σε τῶν ὄπιθεν γενάζομαι, ἠ παρεόντων,
Πρός τ' ἀλόχου καὶ πατρός, ὃς ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα,
Τηλεμάχου θ', ὃν μοῦνον ἐνὶ μεγάροισιν ἔλειπες,
Μή μ' ἄκλαυτον ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν,
Νοσφισθεὶς μή τοι θεῶν μήνιμα γένωμαι,
Ἀλλὰ με κακκῆαι σὺν τεύχεσιν, ὅσσα μοι ἔστιν,
Σῆμά τ' ἐμοὶ χεῦαι πολιῆς ἐπὶ θινὶ

GESSERIT (f): IVDICIVM EO NOMINE DABO. (g)

θινὶ θαλάσσης.

Nunc te per eos, qui post te sunt, oro non praesentes,
Perque vxorem, et patrem, qui enutriuit paruulum,
Telemachumque, quem vnicum reliquisti in aedibus.
Ne me indefletum insepultumque discedens post te relinquas.
Seiunctus ne qua tibi deorum indignatio fiam:
Sed me combure cum armis, quaecumque mihi restant,
Sepulcrumque mihi erige spumosi in littore maris.

Ex qua veterum de statu insepultorum persuasione facile est ad intelligendum, cur dirissima quaeuis imprecaturi hostibus, id iis in primis imprecati sint, vt insepulti manerent, veluti Agamemnon apud Homer. *Iliad. VI. v.* 59.

Ἅμα πάντες
Ἰλίῳ ἐξαπολοίατ' ἀϊδεσοι καὶ ἀθαπτοι.
Simul omnes
Ilio peribunt incurati et insepulti.

Add. Homer. *Iliad. XXII. v.* 335. et Virgil. *Aeneid. lib. IIII. v.* 620. Quisquis ergo sepeliebat mortuum, is videbatur τῷ θανόντι χάριτα ποιῆσαι, *grata feciſſe mortuo*: Eurip. *Helen. v.* 1304. et hinc actione funeraria impensas ab herede iure reposcebat. VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 12. D. *h. t.*

(f) GESSERIT.] Nec interest, animum quis gerendi habuerit, an sibi mandatum esse per errorem crediderit. Quia nec error quidem in persona obest. VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 5. D. *de neg. gest.* Non vero obligatur, qui negotia gessit prohibentis: PAVLL. *lib. VIIII. ad edict. l.* 40. D. *mand.* vel cui negotiorum gestoris opera nulla adlata est vtilitas. Hinc is actionem quidem habet, qui absenti necessaria emit: CAI. *lib. III. ad edict. prou. l.* 22. D. *de negot. gest.* non autem, qui, mota lite, legata integra sine cautione soluit. PAVLL. *lib.* VIIII. *ad edict. l.* 41. D. *ad leg. Falcid.* Hinc de negotiorum gestoris officio plura hic tradidit VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 8. D. *de negot. gest.*

(g) NOMINE DABO.] Est haec ACTIO NEGOTIORVM GESTORVM, de qua prolixe ad hoc edictum disseruerunt CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 2. *D. h. t.* VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 3. *§.* 7. *sequ. l.* 10. *l.* 20. *D. eod.* IVLIAN. *lib. III. Digest. l.* 6. D. *eod.* PAVLL. *lib. VIIII. ad edict. l.* 13. *l.* 21. *§.* 3. *D. eod.* An et vsu-

rae,

BIU Cujas

TIT. XXV.

DE CALVMNIATORIBVS. (a)

(PAVLL. LIB. X. CAI. LIB. IIII.)

IN eum, qui, vt CALVMNIAE CAVSSA (b) NEGOTIVM FACERET, vel non faceret, vel a lite improba DESISTERET,

rae, et quales hac actione petantur, disquirit VLPIAN. *ibid. l.* 27. *D. de vsur.* Etiamsi enim non promissae sint ab absente, quippe gestionem ignorante: tantundem tamen in bonae fidei iudiciis potest iudicis officium, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interpretatio. PAVLL. *ibid. l.* 7. *D. de neg. gest.* Ceterum actio negotiorum contraria cessat ob impensas inutiliter et praeter absentis consuetudinem factas, quia tunc et mandati actio cessat, si mandatarius fines mandati excessit. CAI. *ibid. l.* 41. *D. mand.* Immo ob impensas inutiles iam solutas minor petere posse videtur restitutionem in integrum, eoque fortassis pertinuerit fragmentum VLPIANI *lib. X. ad edict. l.* 6. *D. de minor.* Cessat deinde actio, si quis donandi animo gesserit. Quod in dubio tamen non praesumitur, quia in obscuris inspici solet, quod verosimillimum est, et quod plerumque solet fieri. PAVLL. *lib. VIIII. ad edict. l.* 114. *D. de reg. iur.* An itaque maritus, negotia gerens vxoris officio potius ductus in rem eius aliquid impenderit, ex eius rei modo et impensarum genere aestimandum est. CELS. *lib. I. Dig. l.* 47. D. *de donat. int. vir. et vxor.*

(a) DE CALVMNIATORIBVS.] Posteriorem superiore hunc titulum fuisse in edicto, supra iam demonstrauimus. Eumdem vero antecessisse edicta de restitutionibus in integrum, ex eo patet, quod VLPIANVS et PAVLLVS illa *libro* demum XI. enarrare coeperunt. Sententiam, ipsaque verba edictalia, maiusculis expressa litteris, seruauit VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 3. §. 1. D. *de calumniatorib.*

(b) CALVMNIAE CAVSSA.] Verba haec τοῦτο interpretatus est VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 3. §. 1. D. *h. t.* ostenditque, nihil interesse, siue in publico, siue in priuato iudicio calumniae

BIU Cujas

RET (c), pecuniam ab aliquo accepisse (d) DEPECTVSVE ESSE

causſa accepta pecunia negotium alicui faceſſere voluerit. VLPIAN. *ibid. l.* 2. §. 1. D. *eod.* Nec minus huic actioni locus eſt, ſi quis calumnioſe poſſeſſione fuerit deiectus ab eo, qui pecuniam eo nomine accepit, quamuis aduerſus deiicientem habeat etiam interdictum vnde vi, VLPIAN. *lib. X. ad edict. l.* 4. D. *de vi et vi arm.* quemadmodum ſi in publico iudicio pecunia calumniae cauſſa accepta eſt, etiam repetundarum iudicio locus eſt. VLPIAN. *ibid. l.* 1. D. *de calumn.*

(c) DESISTERET.] Hoc quoque verbum edictale ſeruat explicatque VLPIANVS *lib. X. ad edict. l.* 21. D. *de minor. l.* 10. D. *de iudic.* Eodem pertinent fragmenta Paulli *Sentent. recept. lib. I. tit.* 6. quibus abſurda praemittitur rubrica *de reis inſtituendis.* Schulting. *Not. ibid.*

(d) *Ab aliquo accepiſſe.*] Qui pecuniam eo nomine dederat, eum cauſſa cadere voluit Antoninus Caracalla, imp. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 3. D. *h. t.* At CALVMNIATOR proprie eſt, qui pecuniam accepit, depectuſue eſt, vel aliud ſenſit ex ea re compendium: VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 5. *l.* 3. *pr.* D. *eod. l.* 115. *pr.* D. *de reg. iur.* veluti ſi cui eo nomine gratis vtenda data eſt pecunia, vel res aliqua minore pretio vendita, vel minoris locata ſit, vel qui pecuniam alii dari iuſſit. PAVLL. *lib. X. ad edict. l.* 2. D. *de calumniat.* Qui pecuniam ſibi ſtipulatus, eam tamen non accepit, videri poterat hac actione non teneri, quia *non videtur* ACCEPISSE, *qui ſtipulatus exceptione ſubmouetur:* PAVLL. *ibid. l.* 115. §. 1. D. *de reg. iur.* Et tamen tenebitur, quia DEPECTVS EST. Nihil porro intereſſe videtur, ſiue quis ab aduerſario acceperit depectuſue ſit pecuniam, ſiue eius mandatu ab alio, ſiue, poſtquam ea data eſt, rem ratam habuerit dominus. PAVLL. *ibid. l.* 7. *pr.* D. *de calumniat.* Quin et publicanus tenetur, qui, ne retineret mancipia aliena, pecuniam indebite accepit. PAVLL. *lib. X. ad edict. l.* 7. §. 2. D. *eod.* Sic CALVMNIATOREM occaſione huius tituli deſcribunt iureconſulti, fere, vt Socratis diſcipulos Ariſtophan. *Nub. v.* 97.

Αὐτοὶ διδάσκειν' ἀργύριον ἤν τις διδῷ
Λέγοντα νικᾶν καὶ δίκαια κἀδίκα.
Hi docent, dummodo quis iis argentum det,
Hominem orantem cauſſas aequas et iniquas vincere.

BIU Cujas

ESSE (e) dicetur, intra annum (f) in quadruplum eius pecuniae, quam accepisse depectusue esse probabitur, post annum in simplum in factum actionem dabo. (g)

TIT.

(e) DEPECTVSue ESSE.] DEPECTVS esse dicitur, qui turpiter pactus, inquit VLPIAN. *lib. X. ad edict. l. 3. §. 2. D. de calumn.* Haec an genuina sit verbi notio, erudite disquirit Car. Andr. Duker. *de Latinit. vet. ICtor. pag.* 284. *sequ.* Dum vero idem vir doctissimus *pag.* 290. scribit, *verba huius edicti fuisse tantum de eo, qui pecuniam accepisse dicatur, nec quidquam praetorem loquutum de eo, qui* DEPECTVS SIT, *ac proinde poenam edicti interpretatione iureconsultorum ad eum productum videri*: vereor, vt illi adsentiri possimus. Neque enim iureconsulti, qui leges veteres interpretantur, alia vocabula, quam legitima, solent explicare. Potuit ergo edictale esse hoc vocabulum, si vel maxime in eo interpretando humani quid passus sit Vlpianus. Ceterum ex ipsa praetoris intentione non abs re colligit VLPIANVS *lib. X. ad edict. l. 1. §. 8. D. de calumniat.* ad eos, qui transigendi animo pecuniam acceperunt, hoc edictum non pertinere.

(f) *Intra annum.*] Annus vero hic ex persona eius, qui dedit, ne secum ageretur, ex momento temporis, quo dedit; in illius vero persona, cum quo vt agatur, ex eo tempore, quo quis, datam esse pecuniam, nouit, computatur. CAI. *lib.* IIII. *ad edict. prou. l. 6. D. h. t.*

(g) *Actionem dabo.*] Datur haec actio partim ei, qui dedit, ne sibi fieret negotium, partim ei, propter quem data est pecunia. Proinde contingere potest, vt vterque hanc actionem habeat. VLPIAN. *lib. X. ad edict. l. 3. §. 3. D. eod.* Neque tamen haec actio heredi datur: CAI. *lib.* IIII. *ad edict. prou. l. 4. D. eod.* nec contra heredem, nisi quatenus ad eum peruenit. VLPIAN. *ibid. l. 5. pr. D. eod.* Porro haec actio institui non potest contra patronum, quippe qui nec aliis actionibus famosis, iisque, quae non famosae quidem, at fraudis tamen mentionem habent, conueniri non debet. VLPIAN. *lib. X. ad edict. l. 5. l. 7. D. de obsequ. par. et patr.* Quod adeo verum est, vt vxor liberta ne iusiurandum quidem marito rerum amotarum nomine recte

BIU Cujas

TIT. XXVI.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS. (a)

(VLP. LIB. XI. XII. et XIII. PAVLL. LIB. XI. et XII. IVLIAN. LIB. IIII. CELS. LIB. II.)

QVOD (b) [VI] METVSVE CAVSA

recte deferat. VLPIAN. *ibid. l.* 16. D. *de iureiurando.* Idem honor et aliis personis habendus est, quibus debetur reuerentia: non iis, qui pro his interuenerunt. VLPIAN. *ibid. l.* 7. §. 5. D. *de obsequ. par.* Liberti quoque heres omnia extranei iura integra habet aduersus defuncti patronum. PAVLL. *lib. X. ad edict. l.* 8. D. *eod.* Denique haec actio et patri datur, cuius filio, vt negotium fieret, pecunia data est, quemadmodum et aduersus illum agitur, si filiusfamilias pecuniam accepit. PAVLL. *ibid. l.* 7. §. 1. D. *h. t.*

(a) RESTITVTIONIBVS.] VLPIANVS *libris Commentariorum* XI. XII. *et* XIII. PAVLLVS *libris* XI. *et* XII. non aliam paene materiam, ac restitutiones in integrum explicarunt. Idem ergo et hic ordo, qui in Pandectis. At praetor restitutiones illas non per plures titulos sparserat, vti id in Pandectis et Codice factum esse animaduertimus, sed vno titulo generali omnia comprehenderat restitutionis in integrum genera. Primus id obseruauit Ob. Giphan. *Oecon. iur. pag.* 125. idque luculenter probatur ex loco VLPIANI *lib.* XI. *ad edict. l.* 1. D. *de restit. in int.* vbi iureconsultus noster: *vtilitas huius* TITVLI *non eget commendatione: ipsa enim se ostendit. Nam* SVB HOC TITVLO *plurifariam praetor hominibus vel lapsis, vel circumscriptis, subuenit, siue* METV, *siue* CALLIDITATE, *siue* AETATE, *siue* ABSENTIA, *inciderint in captionem.*

(b) QVOD.] Verborum edictalium pars haud minima superest apud VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 1. D. *quod met. causs.* Ideo autem necessarium videbatur hoc beneficium, quod alias iureconsulti, Stoae addictiores, coactos etiam homines velle, statuerent, *l.* 21. §. 5. D. *eod.* adeoque negotium ideo, quod metus caussa gestum esset, pro nullo non putarent habendum. Nimirum Stoicis

Stoicis soli sapientes liberi, ceteri omnes serui videbantur. Cicero *Parad. cap.* 5. Iam quum libertas iisdem sit ἐξουσία ἀυτοπραγίας; seruitus vero στέρησις τῆς ἀυτοπραγίας. Diog. Laërt. *lib.* VII. *segm.* 121. porro inde colligebant, σοφὸν, ὡς ἐλεύθερον ζῆν, ὡς βέλτιστα, ἂν ἔτ' ἀναγκάσαι ἐξῇ, ἢ κωλύειν, ἢ βιάσασθαι. *sapientem tamquam liberum viuere, vt velit, et nec cogi posse, nec prohiberi, neque vi ad aliquid adigi.* Arrian. *Diss. Epictet. IIII. cap.* 1. Hinc magnifica illa vox Senecae *Epist.* 51. *non sum imperata facturus. Iugum non recipio, immo, quod maiore virtute faciendum est, excutio. Non est molliendus animus. Si voluntati cesserо: cedendum erit dolori, cedendum labori, cedendum pauertati. Idem sibi iuris in me volet esse ambitio et ira.* Et *Epist.* 74. *Sapiens non hominem* TIMET, *non fortunam.* Itaque stulti videbantur Stoicis, qui se vi et metu ad aliquid dandum faciendumue adigi patiebantur: eosque indignos esse existimabant, quibus subueniretur. Nam inter eorum scita et illud erat: *sapientem neque ignoscere, neque misereri*, de quo Lipsius *Manuduct. ad philos. Stoic. lib. III. cap.* 19. Adoptatis itaque his principiis, non poterant non statuere iureconsulti, coactum etiam velle, et ex facto suo omnino obligari. Menag. *Amoen. iur. ciu. cap.* 31. Caussam enim metus non esse illum, qui eum excusserit, sed qui sibi eum incuti passus sit. Simplic. *ad Epictet. Enchirid. cap.* 10. *pag.* 66. Εἰ τοίνυν μήτε ὁ θάνατος μήτε τι τῶν τοιούτων δεινόν ἐστιν δῆλον, ὅτι οὔτε ἀυτὸ, οὔτε οἱ ἐπάγοντες ἀυτὸ τῆς ταραχῆς ἡμῖν εἰσιν αἰτίαι, ἀλλ' ἡμεῖς ἀυτοὶ ἑαυτοῖς, καὶ δόγματα ἡμῶν, ἡ λύπης, ἢ φόβε, ἢ τινὸς ἄλλε τοιούτε· ἀλλ' ἡμᾶς αὐτὰς καὶ τὰ ἡμέτερα δόγματα: *quod si neque mors, nec huiusmodi quidquam terribile est: constat, neque ipsa, neque eos, qui illa inferunt, perturbationis nobis caussam esse, sed nosmet ipsos, nostrasque opiniones. Numquam ergo perturbationis nostrae caussa alteri adscribenda est, siue is dolor sit, siue* METVS, *siue quid aliud eiusmodi, sed nobismet ipsis, et nostris opinionibus.* At postea haec philosophia non visa est publici saporis, ac proinde subueniendum omnino esse vi ad aliquid adactis statuebant, ita tamen, vt permultum interesse videretur, vtrum in BONAE FIDEI, an in STRICTI IVRIS negotio aliquid metus caussa gestum esset. Prius ipso iure nullum esse, censebant, quia bonae fidei nihil esset tam contrarium, quam vis et metus. *l.* 116. *D. de reg. iur. l.* 3. *D. de rescind. vendit. l.* 21. *D. sol. matrim. l.* 5. *D.*

BIU Cujas

SA (c) GESTVM ERIT

5. *D. de legat.* 1. Posterius ratum quidem esse volebant leges, non autem praetor, qui hoc casu restitutionem in integrum edicto suo promiserat. Ger. Noodtius *de formula emend. dol. mal. cap.* 16. *pag.* 382. *tom. I. Oper.* Auctorem huius edicti idem vir doctissimus Cassium fuisse credit, ob *l.* 4. §. 33. *D. de doli mali et met. except.* Contra C. Octauio, qui anno v. c. 678. praetura functus est, rectius illud tribuit Paull. Manut. *ad Ciceron. de offic. lib. I. cap.* 11. Nam idem hoc edictum *formulae Octauianae* nomine venire animaduertimus apud eumdem Ciceron. *in Verr. III. cap.* 65. Nimirum primum C. Octauius eos, quibus vi aliquid extortum fuerat, restituebat in integrum, sed tantum aduersus eos, qui vim intulerant, non aduersus quoscumque rerum vi extortarum possessores. Cic. *Epist. ad Q. Fratrem lib. I. epist.* 1. §. 7. et *in Verr. III. cap.* 65. Deinde Cassius, nescio quis, (non sane Lucius ille, cuius tribunal scopulus reorum vocabatur: Valer. Max. *lib. III. cap.* 7. *ex.* 9.) actionem etiam aduersus possessorem dedit, at non exceptionem, quia sufficere videbatur exceptio doli mali. Postea sequentibus praetoribus aequissimum visum est, et exceptionem quod metus caussa dari, quia et huic aduersus quemcumque possessorem locus esse possit. *l.* 4. §. 33. *D. de doli et met. except.*

(c) [VI] METVS [VE] CAVSSA.] Quae vncis inclusimus, verba, ea verba olim in edicto lecta esse, certissimum est. Cicero *in Verr. III. cap.* 65. *aditum est ad Metellum, eductus est Apronius: eduxit vir primarius, C. Gallius, senator: postulauit a L. Metello, vt ex edicto suo iudicium daret in Apronium*: QVOD PER VIM AVT METVM ABSTVLISSET, *quam formulam Octauianam et Romae Metellus habuerat, et habebat in prouincia.* Nec aliter M. Seneca *Controu. lib. IIII. cap.* 26. *lex*: PER VIM METVMVE GESTA NON SINT RATA. Sed Saluius Iulianus vocabulum VI expunxit, quia quod vi atrocior fit, id metu quoque fieri existimabat. VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 1. D. *quod met. causs.* Quare edicti verba et vim et metum continent, sed atrocem illam quidem et iniustam, non, quam magistratus iure licito honoris, quem sustinet, intulit. VLPIAN. *ibid. l.* 3. D. *eod.* Per METVM enim non quilibet intelligitur timor, sed metus maioris MALI-

BIU Cujas

ERIT (d), RATVM NON HABEBO.

MALITATIS VLPIAN. *ibid. l.* 5. D. *eod.* de quo rariſſimo vocabulo videndus Car. Andr. Dukerus *de Latinit. vet. iureconſult. pag.* 325. Metus porro hic accipiendus non vani hominis, ſed talis, qui cadit in virum conſtantem: CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 6. D. *eod.* qualis timor ſeruitutis ſimiliumque malorum. PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 4. D. *eod.* Non ergo reſtituitur, qui tuta quaeuis timuit, quamuis et ei, qui in furto vel adulterio ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſus, vel dedit, vel promiſit, id beneficium non denegetur. VLPIAN. *ibid. l.* 7. D. *eod.* Reſtituitur etiam, qui inſtrumenta ingenuitatis interuerſuro, vel ſtuprum illaturo, vel liberis ſuis intolerabilem iniuriam intentanti pecuniam promiſit vel dedit. PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 8. D. *eod.* Poſtremo metum non illum, quo quis iam defunctus eſt, ſed praeſentem, hic eſſe intelligendum, monet VLPIAN. *ibid. l.* 9. D. *eod.*

(d) GESTVM ERIT.] Ex quo Caſſius, vti ſupra dictum, hanc actionem aduerſus quemcumque rei vi extortae poſſeſſorem conceſſit: generaliter loqui coepit praetor, et IN REM, nec adiecit, a quo geſtum ſit. VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 1. D. *quod met. cauſſ.* Itaque haec actio eſt in rem ſcripta: cuius iuris aequitatem ex inſtituto tuetur M. Seneca *Controu. lib. IIII. cap.* 26. dum ait: *an ſi eſt* IN RE *vis et neceſſitas, ita tamen reſcindantur, quae per vim et neceſſitatem geſta ſunt, ſi vis et neceſſitas a paciſcente adhibita eſt? Nihil, inquit, mea, ſi tu cogaris, ſi non a me cogeris: meam culpam eſſe oportet, vt mea poena ſit. Non, inquit. Neque enim lex adhibenti vim iraſcitur, ſed paſſo ſuccurrit, et iniquum illi videtur, id ratum eſſe, quod aliquis non, quia voluit, pactus eſt, ſed quia coactus eſt. Nihil autem refert, per quem illi neceſſe fuit: iniquum enim, quod reſcinditur, facit fortuna eius, qui paſſus eſt, non perſona cogentis.* Quamuis vero verbum GESTVM, quo hic vtitur Praetor, ab aliis ſimilibus, veluti ACTVM vel CONTRACTVM, omnino differat: VLPIAN. *ibid. l.* 19. *D. de verb. ſignif.* hic tamen illo vocabulo et contractus, et alia negotia continentur, adeo, vt Pomponius ſcribat, etiam ad manumiſſionem et aedificii depoſitionem, quam quis coactus fecerit, hoc edictum eſſe proferendum. Praecipue tamen hic intelligi oportet quaeuis ſtricti

BIU Cujas

BO (e). Sed si quid PER [VIM AVT] METVM ABLATVM esse dicetur (f), NEQVE EA RES ARBITRIO IVDICIS RESTITVE-

iuris negotia, quia *vox iuris et et legum est, bonae fidei contractum non posse rescindi.* Symmach. *lib. II. epist.* 87. Nimirum bonae fidei contractus ob vim et metum ipso iure nullus est: *l.* 1. *C. de resc. vendit.* quia nihil tam contrarium est consensui, quo bonae fidei iudicia sustinentur, quam vis et metus, quem comprobare contra bonos mores est. VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 110. *pr. D. de reg. iur.* Contra PROMISSA, *quae coactus quis* METV, *vel quae deceptus dolo promisit, pleraque* IVRE PRAETORIO, *nonnulla* LEGIBVS *liberantur.* Cic. *de offic. lib. I. cap.* 10. *Iure praetorio*, quae promissa sunt in negotiis stricti iuris; *legibus*, quae in bonae fidei contractibus quis recepit.

(e) RATVM NON HABEBO.] Restituit praetor, dando et ACTIONEM, et EXCEPTIONEM *quod metus causa.* VLPIAN. *ibid. l.* 9. *§.* 3. *D. quod met. causs.* Immo praeter hanc actionem personalem, et in rem scriptam hoc casu etiam actio in rem datur, qua possessor non modo rem restituere, sed et de dolo repromittere cogitur, quamuis haec actio, si quadruplum quis iam consequutus sit, cesset. VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 4. 5. 6. *D. eod.* Ceterum impetrata restitutione omnia reducuntur ad priorem statum: quod, quomodo fiat, exemplis variis ostendunt VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 7. 8. *l.* 12. *pr. D. eod.* CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 10. *D. eod.* PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 21. *D. eod.* et *ad Iulianum l.* 11. *D. eod.* IVLIAN. *lib. IIII. Digest. l.* 12. §. 1. *et* 2. *D. eod.* vbi simul docemur, cessare hoc edictum, si quis vim vi repulerit: si creditor debitorem ad soluendum vi adegerit: si quis creditorem sine malitia fideiussoris coëgerit, vt huic acceptum ferret: si debitor, exceptione perpetua tutus, acceptum sibi ferre creditorem coëgerit. PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 14. *pr. D. quod met. causs.*

(f) ABLATVM *esse dicetur.*] Huius clausulae sententiam reperimus *l.* 14. §. 1. *D. quod met. causs.* ex quo textu edictum supplere conati sunt alii, et in his Nic. Cisnerus *de restit. in integr. tit.* 2. *n.* 1. qui tamen procul dubio fallitur, dum priorem partem ita concipit: *si res metu mortis, aut cruciatus corporis tradita, cautioue vel acceptilatio extorta, aut alioquin aliquid alicui ablatum est.*

Haec

BIU Cujas

STITVETVR (g), INTRA ANNVM, QVO PRIMVM EXPERIVNDI POTESTAS ERIT (h), in quadruplum, post annum in simplum (i), CAVSSA COGNITA (k), iudicium dabo (l). In heredem quoque, quatenus ad eum per-

Haec enim non ex edicto, sed ex prudentum interpretamentis esse, facile vnusquisque intelligit. Nos sequuti sumus verba Ciceronis *in Verr. III. cap. 65.* SI QVID PER VIM AVT METVM ABLATVM.

(g) RESTITVETVR.] Verba ipsa edictalia habet VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l. 14. pr. §. 1. D. quod met. causs.*

(h) POTESTAS ERIT.] Ad haec verba, tamquam πυθικὰ, prouocat Gordianus *l. 4. C. eod.*

(i) *In simplum.*] Quadruplatur omne id, quod restitui oportet, si reus poenam restitutione euitare vellet. In simplum actio et post annum datur, at non nisi CAVSSA COGNITA. VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l. 14. §. 1. D. quod met. causs.*

(k) CAVSSA COGNITA.] In hac caussae cognitione versatur primum, an alia actio in promtu sit? VLPIAN. *ibid. l. 14. §. 2. D. eod. l. 4. C. eod.* Deinde, an vere vis facta sit? VLPIAN. *ibid. l. 5. D. de vi et vi arm.* non autem, an ipse rei possessor vim fecerit? vel rei fuerit conscius? VLPIAN. *ibid. l. 14. §. 3. D. quod vi aut met. causs.*

(l) *Iudicium dabo.*] Est enim actio arbitraria, aliquando continens absolutionem. VLPIAN. *ibid. l. 14. §. 4. 5. 6. D. eod.* Quid quadruplo illo contineatur, idem docet VLPIAN. *ibid. l. 14. §. 7. 8. 9. 10. 14. D. eod.* Si homo, vi extortus, ante rem iudicatam sine dolo vel culpa rei periit, tripli tantum poena est, VLPIAN. *ibid. l. 14. §. 11. 12. D. eod.* vbi et de fugitiuo seruo quaestio soluitur. Porro, qui metum incussit, is et de dolo tenetur. VLPIAN. *ibid. l. 14. §. 13. D. eod.* Pluribus incutientibus metum, aduersus singulos agitur in solidum: at vno soluente reliqui liberentur. VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l. 14. §. 15. D. eod.* PAVLL. *lib. XI. ad edict. l. 15. D. eod.* Idem dicendum, si alter metum incusserit, ad alterum res peruenerit. Aduersus dominum agitur noxaliter, qui, paratus ad noxae deditionem, nihilominus adhuc conuenitur, si res ad eum peruenerit. VLPIAN. *ibid. l. 16. pr. §. 1. D. eod.* Varios denique casus, quibus haec actio cessat, subiungit PAVLL. *lib. XI. ad edict. l. 21. D. eod.*

BIU Cujas

peruenit, actionem dabo. (m)

§. I. QVAE (n)

DO-
LO

(m) *Actionem dabo.*] Aduersus heredem agi, in quantum ad illum peruenit, iam supra vidimus. Aequum enim est, vt, quod scelere quaesitum est, ad compendium heredis non pertineat. VLPIAN. *ibid. l.* 16. §. 2. D. *eod.* Clausulam hanc edicti desumsimus ex CAI: *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 19. D. *eod.* vbi illam tantum ad actionem in simplum perpetuam pertinere, docet. Quid porro ad heredem peruenisse dicatur, disquirit VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 20. D. *eod.* Ceterum Nic. Cisner. *de restit. in integr. pag.* 5. huic edicto adsuit clausulam: *si seruus metum intulerit, eius nomine in dominum aut de peculio, aut noxale iudicium dabo.* Sed quod de noxali iudicio ait, id procul dubio est ex interpretationibus prudentum. De peculio vero actionem promisisse praetorem, ne verosimile quidem est: quia ea actio ad delicta filiorumfamilias et seruorum non pertinet, *l.* 58. D. *de reg. iur.* quamuis damnato filio vel seruo, actio iudicati de peculio aduersus patrem vel dominum detur. *l.* 57. D. *de iudic. l.* 3. §. 11. D. *de pecul.*

(n) QVAE.] Edicti huius auctor est C. Aquillius Gallus, iureconsultus celeberrimus. Cic. *pro Caecin. cap.* 28. *de nat. deor. lib. III. cap.* 30. Verba ipsa edicti supersunt apud VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 1. §. 1. D. *de dolo mal.* vbi et insignem huius edicti aequitatem vtilitatemque commendat. Inueniendae vero formulae *de dolo malo* eadem fere caussa fuit, ac superioris, *quod metus caussa.* Stoici enim, quorum principia iureconsulti quam maxime sequebantur, sapientem nec decipi, nec errare, iactabant. Hinc παραδοξον Zenonianum apud Laërt. *lib.* VII. *segm.* 121. μὴ δοξάσειν τὸν σοφὸν, τετε ψευδεῖ μὴ συγκατατίθεσθαι: *non opinaturum sapientem, id est, falso nulli vmquam adsensurum.* Cui gemina sunt illa scriptoris veteris apud Stobaeum *Eclog. pag.* 183. Ἀγνοεῖν μηδὲν τὸν σοφὸν, *nihil ignorare sapientem*: itemque εὖ πάντα τὸν σοφὸν ποιεῖν, *eum omnia recte facere.* Laërt. *lib.* VII. *segm.* 125. Stobaeus *ibid. pag.* 180. Ex quo porro consequi videbatur, vt nec fallat quemquam sapiens, nec a quoquam fallatur. Stob. *ibid. pag.* 183. Is ergo, qui se decipi passus erat, nec sapiens erat, nec dignus videbatur, cui subueniretur.

BIU Cujas

LO (o) MALO (p) FACTA ESSE DICENTVR (q), SI DE HIS ALIA ACTIO NON ERIT (r), ET IVSTA CAVSSA ESSE

retur. Sed primus haec principia deseruit C. Aquillius Gallus, proposita hac formula, quam *omnis malitiae euerriculum* vocat Cicero *de nat. deor. lib.* III. *cap.* 30.

(o) DOLO.] Huc pertinent variae DOLI definitiones, ab Aquillio, Seruio, et Labeone confectae, quas expendit VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 2. D. *de dol. mal.*

(p) MALO.] Non contentus fuit praetor DOLVM dicere, adiecit MALVM, quoniam et dolus bonus est, id est, sollertia iure permissa, veluti qua hostes et latrones circumueniuntur. VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 1. §. 3. D. *de dolo mal.* Sane non Latini tantum, sed et Graeci hoc vocabulum ἐκ τῶν μέσων esse existimabant, ac proinde vtrique *dolum bonum*, a *malo*, τὸν δόλον ἀγαθὸν ἀπὸ τῆς κακῆς distinguebant. Muret. *Lect. var. lib.* XVIII. *cap.* 4. Eu. Otto *Diss. sing. de dolo bono.*

(q) DICENTVR.] Modo is, qui se deceptum dicit, non sit ius publicum sequutus. *Neque enim capitur, qui ius publicum sequitur*: inquit VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 116. §. 1. D. *de reg. iur.* Hunc textum potius ad restitutionem minorum referendum existimat Iac. Gothofr. in *Comment. pag.* 408. *sequ.* quia de hac quoque laudatus Vlpianus *lib.* XI. *ad edictum* egit, et *legi* illi 116. plane gemina sunt, quae tradunt Papinianus *l.* 51. §. *penult. D. de fideiuss.* et Zeno imp. *l. vlt. C. de in int. rest.* Sed quum principium *l.* 116. ad titulum *quod metus caussa*; §. 2. ad titulum *de dolo malo* manifesto pertineant, quo colore intermedius §. 1. ad titulum *de minoribus* referri possit, me quidem haud intelligere fateor. Nec deest profecto species, si vel maxime haec lex ad titulum *de dolo malo* accommodetur, puta illa ipsa *l.* 51. §. *pen. D. de fideiuss.* quae aeque ad dolo deceptos, quam ad minores referri potest.

(r) ACTIO NON ERIT.] Non enim datur actio haec famosa, quamdiu supereſt aliud quodcumque remedium. VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 1. §. 4. 5. 6. 7. *D. de dolo malo.* Hinc aere pro auro pignori dato, vel *furti* agendum erit, si dato iam pignore debitor aes pro auro subiecerit, vel *pignoratitia*, si in ipsa pignoris datione, vel *ex stellionatu*, si rem alienam, vel alii iam oppignoratam tradiderit: VLPIAN. *ibid. l.* 36. D. *de pignor. act.*

BIU Cujas

ESSE VIDEBITVR, nisi iudicis arbitrio restituetur (s), intra annum, quo primum experiundi potestas est, CAVSSA COGNITA (t), IVDICIVM DA-

act. quemadmodum qui in mandato exsequendo dolose versatus est, *mandati*; VLPIAN. *ibid. l.* 42. D. *mandati.* qui in emtione venditione, *emti venditi*, vel aliquando *praescriptis verbis* conuenitur. VLPIAN. *ibidem l.* 50. D. *de contrah. emt. l.* 32. D. *de act. emt.* Cessat quoque haec actio, si alius sit, a quo indemnis praestari debeat deceptus. PAVLL. *lib.* XI. *ad edict. l.* 2. *l.* 4. et VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 7. *pr.* D. dolo mal. Hinc qui pupillus deceptus est, non agit aduersus tertium decipientem, quia ei actione *tutelae* satis prospectum est: VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 8. *l.* 3. *§.* 5. D. *de dol. mal.* nisi forte tutor soluendo non sit. CAI. *lib.* IIII. *ad edict. prou. l.* 6. D. *eod.* Quod ad contractus attinet, notum est, distinguere iureconsultos veteres, sintne *bonae fidei*, an *stricti iuris*: et circa priores permultum interesse, caussamne contractui dederit alterius contrahentis dolus, an hic in ipsum contractum inciderit, quum priore casu nullus sit contractus, posteriore per actionem ex ipso contractu emendetur, VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 7. *pr.* D. *de dol. mal.* vbi non necessarium est, vt cum Noodtio integram propositionem textu eiiiciamus. Valet ergo et hic regula Symmachi, *lib.* I. *epist.* 87. *vox iuris et legum est, bonae fidei contractum non posse rescindi*: adeoque haec restitutio datur tantum in contractibus stricti iuris, vel *ob promissa, quae quis deceptus dolo promisit*, vti loquitur Cicero *de offic. lib.* I. *cap.* 10. Plures casus speciales, vbi huic restitutioni locus sit, vel non sit, expendit VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 7. *§.* 2. *sequ. l.* 9. *pr.* §. 1. 2. 3. 4. *l.* 21. et *l.* 24. PAVLL. *lib.* XI. *ad edict. l.* 18. *§.* 2. *sequ. l.* 20. *l.* 22. *l.* 25. et CAI. *lib.* IIII. *ad edict. prou. l.* 8. D. *de dol. mal.*

(s) *Restituetur.*] Est enim actio *de dolo malo* ARBITRARIA, et hinc reus tum demum, si arbitratu iudicis non restituit, in tantum condemnatur, in quantum actor in litem iurauit. PAVLL. *lib.* XI. *ad edict. l.* 18. *pr.* D. *de dolo malo.* Re ab eo, qui se liti obtulerat, vindicata, possessor adhuc tenetur. PAVLL. *ibid. l.* 7. D. *de rei vind.*

(t) CAVSSA COGNITA.] Edictalia haec verba explicat VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 9. *§.* 5. D. *de dolo malo.* Cognoscit autem

DABO (u). In heredem eius (x), qui dolo feciſſe videbitur, quatenus ad eum peruenisse dicetur (y), iudicium erit (z) Denique in eum, qui dolo fecerit, poſt annum; itemque aduerſus patronos, patronas, coniuges (aa), pupillos (bb), perſo-

tem praetor inter alia, an minor forte ſit ſumma, quam vt danda videatur famoſa haec actio. VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 9. §. 5. PAVLL. *lib.* XI. *ad edict. l.* 10. D. *eod.* Quamobrem et libello exprimendum erat, quid dolo malo factum eſſet. PAVLL. *l.* 16. D. *eod.*

(u) IVDICIVM DABO.] Si plures conueniuntur, aduerſus ſingulos actio datur in ſolidum, ita tamen, vt, vno ſoluente, reliqui liberentur. VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 17. D. *de dolo malo.*

(x) *In heredem eius.*] Tale quid in edicto fuiſſe, recte obſeruarunt Eguin. Baro *Manual. iur. pag.* 68. et Ciſner. *de reſtitut. in integr. pag.* 33. quamuis his, plures alias adſuentibus lacinias, minime adſentiamur. Teſtem omni exceptione maiorem habemus CAIVM *lib.* IIII. *ad edict. prou. l.* 26. D. *de dol. mal.* cuius en verba: *in heredem eatenus daturum ſe eam actionem*, PROCONSVL POLLICETVR, *quatenus ad eum peruenit.* Add. CAI. *ibid. l.* 28. VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 17. D. *eod.* Heredes tamen ex dolo defuncti non notantur infamia, ac proinde actio aduerſus illos perpetua eſt: PAVLL. *lib.* XI. *ad edict. l.* 29. D. *eod.* nec in heredum perſona cauſſae cognitio eſt neceſſaria. VLPIAN. *ibid. l.* 30. D. *eod.*

(y) *Peruenisse dicetur.*] Vel quatenus dolo eorum factum eſt, quo minus peruenire. PAVLL. *ibid. l.* 27. D. *eod.*

(z) *Iudicium erit.*] Id nec famoſum eſſe, nec anni terminis circumſcribi, iam antea notauimus. PAVLL. *ibid. l.* 29. VLPIAN. *ibid. l.* 30. D. *de dol. mal.*

(aa) *Coniuges.*] Hanc quoque edicti partem reſtituerunt Eguin. Baro et Nic. Ciſnerus, quibus omnino adſtipulantur tot fragmenta, quibus illa explicatur. Inter coniuges ſaltim non huic actioni, ſed *rerum* amotarum erat locus. CAI. *lib.* IIII. *ad edict. prou. l.* 26. D. *rer. amot.*

(bb) *Pupillos.*] Ne aduerſus hos quidem de dolo malo agitur, niſi tamquam heredes conueniantur, vel pubertati ſint proximi, vel ad eos aliquid peruenerit. VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 13. §. 1. *l.* 15. *pr.* D. *de dol. mal.*

BIU Cujas

personasque, quibus reuerentia debetur (cc), in factum actionem dabo.

§. II. QVOD CVM MINORE (dd), QVAM VIGINTI QVIN-

mal. PAVLL. *lib.* XI. *ad edict. l.* 14. D. *eod.* Nec magis aduersus municipes ex facto administratorum ciuitatis, vel aduersus dominum ex facto procuratoris datur de dolo actio, nisi quatenus ad eos peruenit. Ac proinde designari oportet in libello, cuius dolo malo quid factum sit, secus ac in actione quod metus caussa, quippe in rem scripta. VLPIAN. *ibid. l.* 15. §. 1. *sequ.* D. *de dol. mal.*

(cc) *Reuerentia debetur.*] Aduersus omnes illos *in factum* agendum est, quibus debetur reuerentia, quales sunt, quos recensent VLPIANVS *lib.* XI. *ad edict. l.* 15. §. 1. D. *de dol. mal.* et PAVLL. *lib.* XI. *ad edict. l.* 12. D. *eod.* siquidem contra hos nec aliis actionibus, quae fraudis habent mentionem, experiundum est, veluti *serui corrupti.* PAVLL. *ibid. l.* 6. D. *de obsequ. par. et patr.* Competit tamen de dolo actio aduersus harum personarum heredes, quippe quibus non eadem semper, ac defunctis, reuerentia debetur. VLPIAN. *lib.* XI. *ad edict. l.* 13. *pr.* D. *de dol. mal.*

(dd) MINORIBVS.] Minoribus laesis primum subuenit LEX LAETORIA, quam iam ante Plauti tempora latam esse, constat, fortassis a M. Laetorio Planciano, tribuno pleb. A. V. C. 490. Plura fuisse videntur eius legis capita, quorum passim meminerunt veteres. Sic sane haec lex definiuit annos minorennitatis, eosque ad annum aetatis XXV. sine sexus discrimine produxit. *l.* 2. *C. Th. de donat.* Vnde et LEX QVINAVICENNARIA vocatur a Plauto *Pseudol. I.* 3. *v.* 68. Deinde eadem lege cautum fuerat, vt minoribus, si peterent, curatores caussa cognita darentur, quum antea ex lege XII. tabularum non nisi furiosi et prodigi curatores acciperent. Iul. Capitolin. in *Marc. cap.* 10. Tertio eadem lex adolescentes vetuerat instipulari, adeoque eorum promissis vim obligandi detraxerat. Sueton. apud Priscian. *lib.* XVIII. Hinc Labrax, leno, apud Plaut. *Rudent. V.* 3. *v.* 24.

Cedo, quicum habeam iudicem,
Ni dolo malo instipulatus sis;
niue etiamdum siem
Quinque et viginti natus annos,

ad quem locum, praeter Plauti interpretes, videndus Raeuard. *Protri-*

BIU Cujas

QVINQVE ANNIS NATV (ee), GESTVM ESSE DICETVR,

Protribun. cap. 10. Quarto hac lege creditoribus negata videtur actio aduersus minores, qui mutuam sumserant pecuniam, atque ita interpretanda querela Callidori adolescentis, apud Plaut. *Pseudol. l. 3. v. 68.*

Perii, annon tum lex me perdidit quinauicennaria?
Metuunt credere omnes.

Denique inter praecipua legis capita et illud fuit, quo cautum, vt minores, in quocumque contractu dolo malo circumuenti, in integrum restituerentur. Cic. *de offic. lib. III. cap.* 15. *atque iste* DOLVS MALVS *etiam legibus erat vindicatus, vt tutela XII. tabulis, et circumscriptio adolescentium* LEGE LAETORIA. Quum vero ob lubricum aetatis adolescentuli saepe et sine alterius dolo malo laederentur: praetor, naturalem sequutus aequitatem, minorum, quocumque modo laesorum tutelam suscepit. VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l. 1. pr. §. 1. D. de minorib.* Hinc id interest inter legem Laetoriam et edictum, quod ex illa minoribus non nisi DOLO MALO circumscriptis et actio et exceptio daretur, eaque prodesset et iis, *qui pro minoribus viginti quinque annis* CIRCVMSCRIPTIS *fideiussissent: l. 7. §. vlt. D. de except.* Cuiac. *Obseru. lib.* XVIIII. *cap.* 29. immo et iudicium publicum aduersus decipientes posset institui, de quo Cicero *de nat. deor. lib.* III. *cap.* 30. edicto autem remedium proditum esset minoribus, etiam dolo malo non circumscriptis, modo, res suas deteriores eo negotio factas esse, demonstrarent.

(ee) NATV.] Post hos enim annos demum virilem illum vigorem, et quandam veluti maturitatem ingenii, exserere sese existimabant. Et sane quum communi plerarumque gentium suffragio centum annorum aetas longissima sit hominum: *l.* 56. D. *de vsufr. l.* 23. *C. de sacrosanct. eccles. l.* 8. D. *de vsufr. leg.* Plin. *Hist. nat. lib.* VII. *cap.* 4. (nam sententiam Amobii *lib.* II. *adu. gent.* et Trebellii Pollionis *Claud. cap.* 1. qui cum mathematicis quibusdam 120. annos homini ad viuendum datos esse statuunt, sese non magis probauit aliis, quam Epigenis, qui annis 112. Berosi, qui 116. Herodoti, qui 120. Hesiodi, qui 96. Sibyllae, quae annis 122. vitam hominis longissimam definiuerunt: Censorin. *de die nat. cap.* 17. et ibi Lindenbrog. *pag.* 87.) Laetorius primum longissimae huius aetatis quadrantem adolescentiae attribuisse, et sic minorennitatem finisse

BIU Cujas

TVR (ff), VTI QVAEQVE RES ERIT (gg), intra annum, quo

nisse anno aetatis quinto vicesimo, videtur. Et ad hunc vsque annum minores curatorum auxilio reguntur, nec iis antea rerum suarum committitur administratio, quamuis bene rem gerentibus. VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 1. D. *de minor.* Ceterum, quemadmodum infans ne stipulari quidem potest, VLPIAN. *ibid. l.* 70. *D. de verb. oblig.* infantia maior stipulatur quidem recte, at non promittit, nec mandat sine tutoris auctoritate: VLPIAN. *ibid. l.* 25. D. *de fideiuss.* ita minor haec omnia quidem recte agit, at laesus, non minus, quam impubes, restituitur in integrum, ac proinde nec honor illi tuto committitur, si subsit laesionis periculum, VLPIAN. *ibid. l.* 8. *D. de muner. et honor.* nec restitutioni tunc obstat decretum coss. vel praesidis, sed solius principis. VLPIAN. *ibid. l.* 3. *pr. D. eod.* Impetrata venia aetatis valide sese obligat adolescens. Nam princeps bona concedendo etiam obligationes concessisse videtur. PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 21. *D. de verb. signif.* Ceterum initiumne contractus, an finem spectari oporteat? itemque an tacita post minorennitatem ratihabitio noceat? quomodo hoc tempus computandum sit? denique an et filiisfamilias et seruis id beneficium pateat? disquirit VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 3. §. 1. *ad* §. 11. *l.* 5. *D. de min.*

(ff) ESSE DICETVR.] GESTVM hic accipitur qualiter qualiter: siue contractum sit, siue quid aliud contigerit, e. g. si pecunia a debitore paterno soluta perierit: si minor interuenerit: si hereditatem obaerati adierit: si, legata optione rem deteriorem pro optima elegerit, cet. VLPIAN. *ibid. l.* 7. *l.* 9. *pr. D. de minor.* HERMOGEN. *lib. I. Epit. iur. l.* 8. *et* 35. *D. eod.* Sed et mulier minorennis restituitur, si laesa sit in dote promittenda, non si delinquendo damnum senserit, e. g. diuertendo. VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 9. §. 1. 2. 3. 4. 5. *l.* 11. §. 1. *D. de min.* Fieri etiam non potest, vt praetor aduersus libertatem det restitutionem, VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 6. *l.* 11. *pr. D. eod.* nisi ex magna caussa id a principe fuerit concessum. PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 10. *D. eod.* An et contra curatorem, qui ex falsa caussa excusationem meruit, detur restitutio, elegante proposita specie, disquirit VLPIAN. *ib. l.* 11. §. 2. *D. eod.*

(gg) QVAEQVE RES ERIT.] Neque enim PASSIM subuenitur ado-

BIU Cujas

quo primum experiundi potestas erit (hh), ANIMADVERTAM. (ii)

§. III. QVI QVAEVE, POSTEAQVAM QVID CVM HIS

adolescentibus: sed caussa cognita, VLPIAN. *lib. XI. l.* 11. §. 3. *seq.* D. *de min.* vbi PASSIM opponitur tribunali, vt in *l.* 7. §. 1. D. *de ventr. in possess. mitt.* Quae enim tribunal non requirunt, ea PASSIM possunt explicari, etiam *quando praetor in balneum vel in theatrum it.* §. 2. *Inst. de libertin.* In eo vero caussae cognitio inrer alia vertitur, an cum aeque minorenni fuerit negotium? VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 11. §. 6. D. *de minorib.* Nam tunc alterutri laeso non subuenitur, quum contra mulieri, apud minorennem intercedenti, recte opponatur exceptio minorennitatis, quamuis ei actio aduersus debitorem, si soluendo est, restituatur: CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 12. D. *eod.* quia generatim is, pro quo constitutum est, obligatus manet. CAI. *ibid. l.* 28. D. *de const. pecun.* Deinde id quoque in caussae cognitionem venit, solisne minoribus, an et his, qui se pro illis obligarunt, subueniendum sit? itemque an in rem danda videatur restitutio. VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 13. D. *de minor.* PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 14. D. *eod.* CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 15. D. *eod.* Denique vel maxime dispiciendum est, an non minorennis alia actione recuperare rem suam possit? VLPIAN. *lib. XI. ad edict. l.* 16. D. *eod.*

(hh) *Potestas erit.*] Verba haec ob locum *l. vlt. C. de temp. in int. restit.* huic edicto inserenda esse, iam vidit Ger. Noodtius *ad h. t. pag.* 112. Dabatur ergo haec restitutio intra annum vtilem, qui ne exsuli quidem prorogabatur, neque maiori, qui intra tempus restitutionis contestatus, destituerat. VLPIAN. *ibid. l.* 20. D. *de minor.* Quid hic *d. l. vlt. C. de temp. in int. rest.* mutarit Iustinianus, in vulgus notum est.

(ii) ANIMADVERTAM.] Ita animaduertunt restituuntque tum praefectus vrbi, tum alii magistratus pro iuris dictione sua, etiam in aliis caussis, quam contra sententiam suam. VLPIAN. *ibid. l.* 16. §. *vlt.* D. *de min.* Sed et praefectus praetorio contra suam sententiam restituit, quamuis ab eo adpellare non liceat. HERMOGEN. *lib. I. Epit. iur. l.* 17. D. *eod.* Attamen minor magi-

BIU Cujas

HIS ACTVM (kk) CONTRACTVMVE SIT, CAPITE DEMINVTI

ſtratus reſtituere non poteſt contra maiorum vel ipſius principis ſententiam, niſi hic cauſſam de nouo induci in auditorium ſuum patiatur: cuius rei exempla adfert VLPIAN. *ibid. l.* 18. *pr. §.* 1. 2. 3. 4. *D. eod.* Praeterea obſeruandum, reſtitutionem minoris et ſucceſſoribus, quantumuis maioribus, prodeſſe. VLPIAN. *ibid. l.* 18. §. *vlt. D. eod.* Alia, ad effectum huius reſtitutionis pertinentia, attulerunt VLPIAN. *ibid. l.* 21. *D. de minor.* PAVLL. *ibid. l.* 23. *l.* 26. *D. eod.* CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 25. *l.* 27. *eod.* et CELSVS *lib. II. Digeſt. l.* 28. *D. eod.*

(kk) CVM HIS ACTVM.] Qui ſe alteri obligauerat, is aliquando mutabat ſtatum, et vel *maximam*, vel *mediam*, vel *minimam* patiebatur CAPITIS DIMINVTIONEM. Qui maiorem paſſi fuerant, ex contractibus, antea initis, non magis obligabantur, quam mortui: at quia tamen habebant ſucceſſores, ſaltim fiſcum: ſalua erat actio aduerſus illum illoſue, ad quem quoſue eorum bona peruenerant. VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 2. *pr.* D. *de cap. minut.* PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 5. *pr.* §. 1. *l.* 7. *§.* 2. 3. D. *eod.* At alia erat ratio capitis deminutionis minimae, quam adoptiui atque emancipati patiuntur. His enim manifeſto accidebat capitis deminutio: quum emancipari vel in adoptionem dari nemo poſſit, vt non in imaginariam SERVILEM CAVSSAM deduceretur: PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 3. *§.* 1. D. *de cap. min.* In ſeruilem autem perſonam nulla obligatio cadere poterat. *l.* 22. D. *de reg. iur.* Non autem ea reſtitutione opus erat ob adrogationem, quia filiusfamilias non minus, quam paterfamilias, obligatur. *l.* 39. D. *de oblig. et act.* Bachou. *in* Πρώτ. *h. t. pag.* 1149. Vinn. *Comment. ad §.* 3. *Inſt. de adquiſ. per adrogat.* Schulting. Πρώτ. *h. t.* §. 1. *pag.* 464. *ſequ.* Et quamuis hic diſſenſiſſe a reliquis videantur Sabinus et Caſſius: contra eorum tamen ſententiam obtinuit, vt ex adrogati etiam antegeſtis aduerſus adrogantem de peculio actio detur. VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 42. D. *de pecul.* Ceterum in hoc edicto, cuius verba ſuperſunt apud VLPIAN. *ibid. l.* 2. §. 1. D. *de cap. min.* ponebatur, aliquid ACTVM CONTRACTVMVE ESSE, ante adoptionem vel emancipationem. Ac proinde illud non pertinebat ad delicta: VLPIAN. *ibid. l.* 2. §. 3. D. *eod.* (ex iis enim orta obligatio cum capite

BIU Cujas

NVTI DIMINVTAEVE ESSE (ll) DICENTVR: IN EOS EASVE, PERINDE, QVASI ID FACTVM NON SIT, IVDICIVM DABO. (mm)

§. IIII.

capite ambulat: PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 7. §. 1. D. *eod.*) nec ad ius testandi, quia id in filiumfamilias non cadit: VLPIAN. *ibid. l.* 20. D. *de verb. signif.* immo ne ad ipsos quidem contractus, post capitis deminutionem initos, quia, qui postea cum iis contraxit, id sibi ipsi debet imputare: VLPIAN. *ibid. l.* 2. §. 1. D. *de cap. min.* nec denique ad adrogatorem, qui debitorem suum adrogauit, quamuis postea sui iuris factum: VLPIAN. *ibid. l.* 2. *l.* 4. D. *eod. l.* 11. D. *de iudic.* nec denique ad substitutum capitis deminutionem passum. Nec enim per illam perit substitutio, partim quia nondum competebat, partim quod extra bona est. PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 42. D. *de adquir. rer. dom.*

(ll) DEMINVTAVE ESSE.] CAPITIS DEMINVTIO est status mutatio. CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 1. *de cap. min.* Maxima et media morti aequiparabantur. Quod adeo verum est, vt captiui et sententiam passi diem illum, quo libertatem iure postliminii, vel ciuitatem principis populiue beneficio receperant, *natalem suum* vocarent, et *alterius vitae quoddam quasi initium*: Cic. *post redit. cap.* 11. et *ad Attic. lib. IIII. epist.* 1. quemadmodum et Athenienses eosdem δευτεροπότμους, quasi *secunda fata exorsos* dicebant, teste Hesychio. Gronou. *Diatr. ad Stat. cap.* 12. *pag.* 69. Hinc qui statum mutarant, vel de eo saltim dubitabant, non habebant testamentifactionem: VLP. *lib. XII. ad edict. l.* 15. D. *qui test. fac. poss.* et minima quoque omnes obligationes, non quidem naturales, sed ciuiles, perimebat. CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 8. D. *de cap. min.* PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 9. D. *eod.* Peribant porro negotia priuata, non publica, veluti officium magistratus, dignitas senatoria, PAVLL. *ibid. l.* 5. §. 2. D. *eod.* tutela, praeter legitimam, quae ex XII. tabulis descendit. PAVLL. *ibid. l.* 7. *pr.* D. *eod.* Cuiac. *Obs. lib. VIIII. cap.* 7. Iac. Gothofr. *ad XII. tabb. pag.* 96. Quid de iure hereditario capite minutorum fiat, ad hunc locum itidem dispexisse videntur interpretes, eoque pertinere arbitramur longum tractatum de actionibus hereditariis apud PAVLL. *ibid. l.* 40. D. *de action.*

(mm) IVDICIVM DABO.] Quae actio et perpetua est, et heredi

ac

BIU Cujas

§. IIII. QVOD EO AVCTORE (nn), QVI TVTOR NON FVERIT (oo), GESTVM ESSE DICETVR (pp), SI ACTOR IGNORAVERIT (qq), DABO IN INTEGRVM RESTITVTIONEM

ac in heredem datur : VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 2. §. 5. D. *de cap. minut.* non autem in eos, qui similes heredibus. PAVLL. *lib. XI. ad edict. l.* 5. D. *de alien. iud. mut.* Fragmentum enim hoc plane fugitiuum, et a Digestoribus loco alienissimo positum, non ad edictum *de alienat. iud. causs.* quod PAVLLVS libro demum XII. enarrauit, sed ad hunc ipsum titulum referendum est. Ceterum quum perpetuam esse hanc actionem, ex *l.* 2. §. 5. D. *de cap. minut.* ostendimus : merito mireris, virum eximium, Ger. Noodtium *ad h. t. pag.* 123. huic edicto adsuisse lacinias : *intra annum, quo primum experiundi potestas est.*

(nn) EO AVCTORE.] Digestorum compilatoribus hoc caput seiungere a reliquis, et in *librum Pandect.* XVII. reiicere placuit. Sed tot interpretum fragmenta satis euincunt, praetorem illud inter reliquas restitutionis species hoc ipso loco tractasse. Ob. Giphan. *Oecon. iur. pag.* 125. Et haec est illa in integrum restitutio, quam ob IVSTVM ERROREM dari scribit Paull. *Sentent. recept. lib. I. tit.* 7. §. 2. et *l.* 2. *D. de restit. in integr.* Edicti verba ipsa pleraque exstant apud VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 1. §. 1. 6. *l.* 7. *pr. D. quod falsi. tut. auct.* reliqua suo quaeque loco vera praestabimus.

(oo) NON FVERIT.] Sunt haec verba πυθικὰ, in quibus tamen multa, quae exprimenda erant, praetermisisse praetorem, exemplis quibusdam ostendit VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 2. 3. 4. 5. *D. eod.*

(pp) ESSE DICETVR.] Sunt et haec verba πυθικὰ, depromta ex ipsa rubrica : *quod falso tutore auctore gestum esse dicitur.*

(qq) IGNORAVERIT.] Verba et hic habes edictalia, quae ideo adiecerat praetor, quia non scienti, sed ignoranti subuenire statuerat. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 6. *D. eod.* Ignorasse vero et is videtur, qui monenti, hunc non esse verum tutorem, in continenti non credidit. PAVLL. *lib. XII. ad edict. l.* 2. *D. eod.* Si, quod gestum, ipso iure nullum est, ne scientia quidem nocet : VLPIAN. *ibid. l.* 3. D. *eod.* quemadmodum nec minori vllo modo fraudi esse potest, quod cum falso tutore contraxerit : VLPIAN.

BIU Cujas

NEM (rr) IN EVM, QVI, QVVM TVTOR NON ESSET, DOLO MALO (ss) AVCTOR FACTVS ESSE DICETVR, IVDICIVM DABO, VT QVANTI EA RES ERIT (tt), IN TANTAM PECVNIAM CONDEMNETVR. (uu)

§. V. SI (xx) CVIVS QVID DE BONIS, QVVM IS METV,

PIAN. *ibid. d. l.* 3. nec ei, qui a praetore ad gerendum cum falso tutore negotium compulsus est. VLPIAN. *ibid. l.* 5. D. *eod.* Pupilli quoque scientia non computatur, sed tutoris, daturque restitutio, etiamsi pupillo de dolo cautum sit. PAVLL. *lib. XII. ad edict. l.* 6. D. *eod.*

(rr) RESTITVTIONEM.] Plus est in RESTITVTIONE, quam in EXHIBITIONE. *Exhibere* enim est praesentiam corporis praebere: *restituere*, possessorem facere, et fructus reddere. Pleraque etiam *restitutionis* vocabulo continentur, CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 22. D. *de verbor. sign.* quamuis hoc fragmentum multo commodius ad edictum *de alienat. iudic. mut. causs. fact.* referri posse fateamur, idque infra suo loco ostensuri simus pluribus.

(ss) DOLO MALO.] Non ergo sufficit, falsum tutorem scientem auctorem esse factum: sed dolus eius malus requiritur. Si enim coactus auctoritatem interposuit: nonne excusari debet? VLPIAN. *ibid. l.* 7. §. 1. D. *quod falso tut. auct.*

(tt) QVANTI RES ERIT.] His vero verbis non poena continetur, sed veritas, sumtibus, in restitutionem factis, computatis. Quo fit, vt vno ex pluribus falsis tutoribus soluente, reliqui liberentur. VLPIAN. *ibid. l.* 7. §. 2. 3. 4. D. *eod.* PAVLL. *lib.* XII. *ad edict. l.* 8. D. *eod.* Sed et alia incommoda falsus tutor perinde sustinet, ac si eo tempore vere tutor fuisset, e. g. si per eum factum sit, vt actionis dies exierit, vel res vsucapta sit. CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 10. D. *eod.* Cuiac. *Obs. lib.* XXII. *cap.* 19.

(uu) CONDEMNETVR.] Est haec actio in factum praetoria, quae heredi quidem ceterisque successoribus, nec tamen in heredem, nec post annum competit. Rationem reddit VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 9. D. *quod falso tut. auct.*

(xx) SI.] Sequitur sexta restitutionis caussa, ABSENTIA. Quum enim saepe contingat, vt vel absentis res vsucapiatur, vel

BIU Cujas

TV (yy), AVT SINE DOLO MALO

absens, qui sui copiam non facit, vsucapiat: aequum visum est praetori, *laesum ius suum per id tempus, quo quis rei publicae operam daret, vel aduerso casu laboraret*; praesentemque, quod ad absentem attinet, *integrum habere*. VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 1. *pr. D. quib. ex causs. maior.* Auctorem huius edicti PVBLICIVM, praetorem, fuisse, duplici argumento probamus. Primo enim actio rescissoria, qua haec restitutio petitur, diserte in iure nostro vocatur PVBLICIANA, *l.* 35. *D. de obl. et act.* vbi Publiciana illa, *quae ad exemplum vindicationis datur*, ab altera, *quae rescissa vsucapione redditur*, diserte distinguitur. Deinde vtraque actio eiusdem naturae ac indolis est. Quemadmodum enim priore praetor ita permittit agere in rem, *vt actor dicat, se quasi vsucepisse, quod non vsuceperit*: ita in posteriore *possessor dicit, aduersarium non vsucepisse, quod vsuceperit. §.* 3. *Inst. de action.* Quis fuerit ille Publicius, vtriusque actionis auctor, hodie ignoramus. Id vero compertum habemus, nec Carolum Sigonium, qui *libro l. de iudiciis cap.* 17. has actiones demum sub imperatoribus inuentas esse existimat, nec Ioannem Bertrandum, qui *de iuris perit. lib. II. cap.* 16. eas Q. Publicio, praetori, cuius meminit Cicero *pro Cluent. cap.* 45. tribuit, rem acu tetigisse. Nam haud paullo ante illa tempora huius actionis rescissoriae mentionem facit Terentius *Phorm. II.* 4. *v.* 9. vbi ita loquentem inducit rabulam:

Mihi
Sic hoc videtur. Quod TE ABSENTE, *hic filius*
Egit, RESTITVI IN INTEGRVM *aequum est, et bonum:*
Et impetrabis. Dixi.

Non enim ex iuris Attici principiis loqui caussidicum, ceu visum est Grotio *Florum spars. pag.* 131. sed ex Romani, nec eumdem de minorennium, sed de absentium restitutione intelligendum esse, res ipsa docet. Ceterum ipsum edictum integrum, quamuis parum castigatum, exstat apud VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 1. *D. quib. ex causs. mai.* Nitori tamen suo pleraque restituit Ger. Noodtius *Comment. ad Pand. pag.* 123.

(yy) METV.] Metum iustum, talemque, qui cadit in virum constantem, non timorem superuacuum, intelligit praetor. CALLISTRAT. *lib. II. edict. monit. l.* 2. §. 1. *D. quib. ex causs. maior.* Iustusne vero sit metus, necne, prudentis iudicis est, aestimare. VL-

BIU Cujas

LO (zz) REI PVBLICAE CAVSSA ABESSET (aaa), AVT IN VINCVLIS

VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 3. *D. eod.*

(zz) SINE DOLO MALO.] DOLO MALO ABESSE videtur, quamuis rei publicae causſa abſens, qui alterius grandis commodi causſa id egit, vt rei publicae causſa abeſſet. CALLISTR. *ibid. l.* 4. *D. eod.* Quo inprimis pertinebant LEGATIONES LIBERAE, quas viri primarii, quoties in quadam prouincia illis negotium priuatum eſſet, ſibi decerni petebant, vt vel publicis auſpiciis ſumtibuſque iter facerent, vel tanto maiore ſaltim cum dignitate illis locis verſarentur. Cicero *pro Flacco cap.* 34. *An* LEGATIONES *ſumere* LIBERAS *exigendi causſa, ſicut et tu ipſe nuper, et multi viri boni ſaepe fecerunt, rectum eſt. Quod ego non reprehendo: ſocios video queri.* Idem *orat. agrar. II. cap.* 17. *Atque illud circumſpicite veſtris mentibus, vnaque legatos noſtros, homines auctoritate tenui, qui rerum priuatarum causſa* LEGATIONES LIBERAS *obeunt, tamen exterae nationes ferre vix poſſunt.* Earumdem liberarum legationum et alibi paſſim meminit Cicero, veluti *ad Attic. lib.* XV. *epiſt.* 11. vbi Atticum docet, *liberas legationes definitum tempus lege Iulia habere, nec facile addi poſſe.* Quod ideo procul dubio cautum eſt, quod permulti data opera abeſſent quam diutiſſime, vel maturius proficiſcerentur, quibus hoc edicto non ſubueniri, oſtendit VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 5. *pr. D. quib. ex cauſſ. maior.* Omnia ergo haec veterum fragmenta ad legationes liberas pertinent, quas Calliſtrati adhuc temporibus decerni conſueuiſſe, patet ex *l.* 14. *D. de legat.* vbi ipſe Vlpianus: *qui*, inquit, LIBERA LEGATIONE *abeſt, non videtur rei publicae causſa abeſſe: hic enim non publici commodi causſa, ſed ſui, abeſt.* Vid. Cuiac. *Obſeru. lib.* VIIII. *cap.* 29.

(aaa) REIP. CAVSSA ABEST.] Reipublicae causſa abeſſe non videntur, qui Romae operam dant rei publicae, veluti magiſtratus. VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 5. *D. quibus ex cauſſ. mai.* PAVLL. *lib.* XII. *ad edict. l.* 6. *D. eod.* Militantes tamen Romae pro rei publicae causſa abſentibus ex priuilegio habentur. VLPIAN. *ibid. l.* 7. *D. eod.* Tales erant milites *vrbani*, qui, vbi tria confecetant ſtipendia, in *praetorianorum* numerum referri poterant. Doſitheus *Sentent. et epiſt. Hadriani* §. 6. ὁ πατὴρ σὺ εἰς τὴν πολιτ-

BIU Cujas

CVLIS (bbb), SERVITVTE, (ccc), HOSTIVMVE POTESTATE ESSET (ddd), POSTEAVE (eee) deminutum erit

κὰν στρατεύῃ, καὶ ἐὰν καλὸς στρατευτὴς ἔσῃ, τρίτῳ ὀψωνίῳ δυνήσῃ εἰς τὸ πραιτώριον μεταβῆναι: *interim in vrbana milita, et, si bonus miles fueris, tertio stipendio poteris in praetorianam transire.* Praeterea non censebantur rei publicae causſa abeſſe legati municipiorum, quia municipia iure rerum publicarum non vterentur, niſi quod et his ex conſtitutione Marci et Commodi AA. ſubueniretur. PAVLL. *lib. XII. ad edict. l.* 8. *D. eod.*

(bbb) IN VINCVLIS.] Haec verba ad omnem captiuitatem pertinent, quamuis vincula alicui non eſſent iniecta. CALLISTR. *lib.* II. *Edict. monitor. l.* 9. D. *eod.* VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 10. D. *eod.* Nec tamen ideo ſibi non conſtat Vlpianus, quando *l.* 216. D. *de verb. ſignif.* ſcribit, *eum, qui in carcere cluſus eſt, non videri neque* VINCTVM, *neque* IN VINCVLIS *eſſe, niſi vincula adhibita ſint eius corpori.* Hoc enim fragmentum, teſte inſcriptione, pertinet ad legem Aeliam Sentiam, quae vinctos manumiſſos in miſeram dedititiorum conditionem detrudebat: quam acerbam ſanctionem ad quam pauciſſimos par erat pertinere. Edictum autem noſtrum, tamquam inſigne beneficium, cum quam plurimis communicari, aequiſſimum videbatur.

(ccc) SERVITVTE.] Siue bona fide ſeruiat, ſiue liber homo inuitus detineatur. CALLISTR. *lib.* II. *Edict. monit. l.* 11. D. *quib. ex cauſſ. maior.* Non autem ad eos pertinet edictum, qui de ſtatu ſuo litigant, ſi lis iam coepta ſit: VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 12. D. *eod.* multoque minus ad ſtatuliberos, qui nec bona habent, et vere ſerui ſunt. PAVLL. *lib.* XII. *l.* 13. D. *eod.*

(ddd) POTESTATEVE ESSET.] Intelliguntur hic capti ab hoſtibus, non transfugae, quibus nec ius poſtliminii conceditur. CALISTR. *ibid. l.* 14. D. *quib. ex cauſſ. maior.* At captis ab hoſte ſubuenit praetor, ſiue poſtliminio reuerterint, ſiue apud hoſtes deceſſerint, ſiue denique ibi nati ſint. VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 15. *pr.* D. *eod.*

(eee) POSTEAVE.) Si in abſentis bona itum, auctore praetore, (id quod variis ex cauſſis fieri poſſe, hac occaſione oſtendit VLPIAN. *ibid. l.* 1. D. *quib. ex cauſſ. in poſſeſſ.*) tunc cuius bona poſſideri iuſſit praetor, ei ſuccurrit

BIU Cujas

erit (fff), SIVE CVIVS ACTIONIS EORVM, CVI DIES EXISSE DICETVR (ggg), item (hhh) SI QVIS QVID VSV SVVM FECISSET, AVT QVOD NON VTENDO AMISSVM SIT, CONSEQVVTVS (iii), ACTIONEVE SOLVTVS OB ID, QVOD DIES EIVS EXIERIT, QVOD ABSENS NON DEFENDERETVR (kkk), INVE VINCVLIS ESSET,

rit ex hoc edicto, non ei, cuius praesentis in bona itum est. VLPIAN. *ibid. l.* 15. §. 2. D. *quib. ex cauſſ. maior.* Quomodo hic intelligendum sit aduerbium POSTEA, et quantum laxamenti detur domum reuerso ad instituendam actionem, idem docet VLPIAN. *ibid. l.* 15. §. 3. D. *quib. ex cauſſ. maior.* Non enim negligentibus subuenitur, sed necessitate rerum impeditis, PAVLL. *lib.* XII. *ad edict. l.* 16. D. *eod.* quia negligentes res suas potius pro derelictis habere existimantur. Quo pertinere videtur fragmentum VLPIANI *lib.* XII. *ad edict. l.* 1. D. *pro derelicto.*

(fff) *Deminutum erit.*] Haec verba, quae textu exciderunt, ipse sensus exigit, ceu recte obseruauit Ger. Noodtius *Comment. ad pandect. pag.* 123. *Tom. II. Oper.*

(ggg) DIES EXISSE DICETVR.] Quando exiisse dicatur dies, ex instituto ad hunc ipsum locum docuit VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 17. D. *quib. ex cauſſ. maior.* PAVLL. *ibid. l.* 18. *pr.* D. *eod.*

(hhh) *Item.*] Hac edicti parte praetor praesentibus auxilium pollicetur aduersus eos, qui absentes eorum res vsuceperunt. VLPIAN. *lib.* XII. *ad edict. l.* 21. *pr.* D. *quib. ex cauſſ. maior.*

(iii) CONSEQVVTVS.] Praesentes restituens, praetor non quaerit, qua ex causa absint aduersarii, modo non defendantur. Nec interest, per se, an per alios, potestati suae subiectos, vsuceperint. VLPIAN. *ibid. l.* 21. §. 1. 2. D. *eod.* Nam et ea, quae seruus peculiariter nactus est, dominus absens vsucapit, praeterquam si talis sit, vt ne suo quidem nomine quidquam vsucapere possit. PAVLL. *lib.* XII. *ad edict. l.* 8. *D. de vsurp. et vsuc.* Restitutione vero hac non opus esse, si rem sacram, aliamque commercio exemtam absens possideat, ad hunc locum monuit CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 9. *D. de vsurpat. et vsucap.*

(kkk) NON DEFENDERETVR.] Si enim absens reliquit procuratorem, qui conueniri potuisset, reuersus dominus inquietari non

BIU Cujas

ESSET (lll), SECVMQVE AGENDI POTESTATEM NON FACERET (mmm), AVT QVVM EVM INVITVM VOCARE NON LICERET, (nnn), NEQVE DEFENDERETVR (ooo), QVVMQVE MAGISTRATVS

debet: quis vero DEFENDI dicatur, fusius hic ostendit VLPIAN. *ibid. l.* 21. §. 2. *D. quib. ex causs. mai.* Hinc absentis amici interrogandi, velintne absentem defendere? et si interrogari nemo possit, testatione id complecti oportebit. Quae omnia illustrari possunt ex Cicer. *Orat. pro P. Quinct.* Ceterum hoc edictum et ad furiosos, prodigos, infantes, ciuitates pertinet, PAVLL. *lib. XII. ad edict.* (ita enim rescribendum esse iam supra monuimus) *l.* 15. *D. de tut. et curat. dat.*

(lll) VINCVLIS ESSET.] Expresserat hanc personam praetor, quia fieri potest, vt quis in vinculis, et praesens tamen sit, qui procul dubio vsucapit, modo non sit in seruitute. VLPIAN. *ibid. l.* 23. *D. quib. ex causs. maior.* Qui apud hostes est, quia seruit, nec vsu adquirit, nec coeptam adimplet possessionem, nisi quod vsusfructus quasi possessionem postliminio recipit. VLPIAN. *ibid. l.* 23. §. 1. 2. 3. *D. eod.* Qui enim ipse possidetur, possidere non potest. VLPIAN. *ibid. l.* 118. *D. de reg. iur.*

(mmm) NON FACERET.] Quamuis enim actor in latitantis bona mitti possit: contingit tamen, vt nec mittatur actor, nec reus latitare dicatur, e. g. si iudici mora contingat: VLPIAN. *ibid. l.* 23. §. *vlt. D. quib. ex causs. mai.* vel si reus frustretur, vel tergiuersetur, et quauis sollertia id efficiat, ne secum agatur. PAVLL. *lib. XII. ad edict. l.* 24. *D. eod.* vel si reus non quidem frustrandi caussa, vel multitudine rerum districtus hoc agat: CAI. *lib. IIII. ad edict. l.* 25. D. *eod.* vel si denique per ipsum praetorem stet, quo minus quis possit conueniri. Aduersus relegatum praesenti subuenitur ex generali clausula praetoris, ipsi vero relegato non subuenitur, quia procuratorem relinquere potuit. VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 26. *pr.* §. 1. D. *eod.*

(nnn) NON LICERET.] De iis loquitur praetor, quos omnino in ius vocari non patitur, veluti de consulibus, et similibus. Qui enim, permittente praetore, vocari possunt, ad eos edictum non pertinet. Cur enim, qui vocaturus erat, praetorem non adiit? VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 26. §. 2. D. *ex quib. causs. maior.*

(ooo) DEFENDERETVR.] Haec

BIU Cujas

TVS EA DE RE ADPELLATVS ESSET, SIVE CVI PER MAGISTRATVM SINE DOLO IPSIVS (ppp) ACTIO EXEMPTA ESSE DICETVR (qqq), EARVM RERVM ACTIONEM INTRA ANNVM, QVO PRIMVM EA DE RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT, restituam (rrr). ITEM SI QVA ALIA IVSTA CAVSSA VIDEBITVR (sss), IN INTEGRVM RESTITVAM, QVOD EIVS PER LEGES, PLEBISCITA, EDICTA

Haec clauſula ad omnes ſupraſcriptos pertinet, praeterquam ad abſentes, qui vſuceperunt, de quibus iam antea cautum fuerat. VLPIAN. *ibid. l.* 26. §. 1. D. *eod.*

(ppp) SINE DOLO IPSIVS.] Siue dilatione iudicis eximatur actio, ſiue magiſtratus non fuerit copia, ſiue alias ius non dixerit. Si enim ius dixit, cauſſaque cognita denegarit actionem, ceſſat omnino reſtitutio. Sin magiſtratus per ſordes, vel per gratiam, ius non dixit: vel ex hac edicti parte agi poteſt, vel ex ſuperiore clauſula: SECVMVE AGENDI POTESTATEM NON FACIAT. Id enim egit litigator corrumpendo iudicem, ne ſecum ageretur. VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 26. §. 4. *ſequ.* D. *quib. ex cauſſ. maior.*

(qqq) ACTIO EXEMTA ESSE DICETVR.] EXEMTA dicitur actio, quando agi poſſe deſiit. VLPIAN. *ibid. l.* 26. §. 5. D. *quib. ex cauſſ. mai.*

(rrr) *Reſtituam.*] Verbum hoc, quod ipſe ſenſus exigit, merito reſtituimus. Vocatur autem haec actio, vti iam ſupra ſub litt. XX. oſtendimus, PVBLICIANA vel RESCISSORIA, de cuius natura omnia in vulgus nota ſunt.

(sss) IVSTA CAVSSA VIDEBITVR.] Eſt haec poſtrema pars edicti de reſtitutione *ob abſentiam*, eaque clauſula inſerta eſt neceſſario, quia multi caſus euenire poſſunt, qui deſiderant reſtitutionem, nec ſingulatim tamen enumerari a praetore potuerunt. Sic ex hac edicti parte ſubuenitur legatione pro municipio functis, licet proprie non abſint rei publicae cauſſa. Subuenitur etiam teſtimonii, vel adpellationis, vel cognitionis, vel alterius negotii neceſſarii cauſſa euocatis, vel peregrinantibus: VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 26. §. 4. D. *quib. ex cauſſ. maior.* immo et ob probabilem cauſſam veluti ob ſtudia: itemque iis, qui nec in vinculis, nec in cuſtodia, ſed ſub fideiuſſoria cautione ſunt, VLPIAN. *ibid. l.* 28. *pr. D. eod.* PAVLL. *lib. XII. ad edict. l.* 27. *D. eod.* vbi hic addit,

BIU Cujas

CTA DECRETAVE PRINCIPVM LICEBIT. (ttt)

§. VI. SI QVA (uuu) ALIENATIO IVDICII MVTANDI

dit, absentes ex necessitate restitui, quamuis nihil e bonis amiserint, sed tantum non lucrati sint.

(ttt) LICEBIT.] Non hic quaeritur, an leges restitutionem permittant, sed annon prohibeant. Ceterum et ACTIONEM pollicetur praetor et EXCEPTIONEM : illam tamen non nisi intra annum vtilem, qui quomodo computandus sit, disquirit VLPIAN. *lib. XII. ad edict. l.* 28. §. 2. 3. 4. 5. 6. *D. quib. ex causs. mai.* et PAVLL. *lib. XII. ad edict. l.* 30. *D. eod.* vbi simul obseruat, si miles, qui vsucapit, decesserit, et heres adimpleuerit vsucapionem, aequum esse, vt rescindatur, quod postea vsucaptum est, vt eadem in heredibus, qui in vsucapionem succedunt, seruentur : quia nemo plus commodi heredibus suis relinquit, quam ipse habuerit. PAVLL. *ibid. l.* 120. *D. de regul. iur.* De EXCEPTIONE RESCISSORIA videndus est Noodtius *Comment. ab Pandect. pag.* 129. *tom. II. Oper.* Et haec quidem sunt, quae ad hoc caput pertinent, veterum fragmenta. Vnum superest CALLISTRATI *lib. II. edict. monitor. l.* 2. *pr. D. quib. ex causs. maior.* vbi iureconsultus docet, restitutionem hanc reipublicae caussa absentium ideo vsu minus frequentari, quod illis ex ipsis legibus, SCtis, principumque constitutionibus ius extra ordinem dici soleat.

(uuu) SI QVA.] Est hoc postremum restitutionum in integrum caput, cuius verba priora debemus cum rubricae, tum PAVLLO *libro XII. ad edict. l.* 8. *pr.* §. 1. *D. de alien. iud. mut. causs.* Ipsa sententia edicti ex tot interpretum fragmentis tam manifesta est, vt verborum reliquorum restitutio non admodum difficilis esse videatur. IVDICII vero MVTANDI CAVSSA ALIENARE videtur is, qui suo facto alienam caussam reddidit deteriorem, e. g. alterius prouinciae hominem, aut potentiorem aduersario suo opponens, CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 1. *D. eod.* aut quemcumque alium, qui vexaturus sit aduersarium : VLPIAN. *lib. XIII. ad edict. l.* 2. *D. eod.* vel necessitatem huic imponens agendi in alia prouincia : vel seruum, quem quis petit, manumittens ; vel locum, in quo opus factum, cuiusque nomine intenditur *quod vi aut clam*, vel *aquae pluuiae*, vel in quo *nouum opus nunciatum est*, alienans.

BIU Cujas

DI CAVSSA (xxx) DOLO MALO (yyy) FACTA ERIT: neque priſtina cauſſa reſtituatur (zzz), aduerſus eum, qui aliena-

nans. CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l. 3. pr. D. eod.* Quin et tunc huic edicto locus eſt, ſi res ab eo, cui alienata, vſucapta ſit: VLPIAN. *lib. XIII. ad edict. l. 4. pr. D. eod.* ſiue per venditionem, ſiue alio modo alienata ſit: non tamen ſi cui legata, vel hereditate relicta, vel venditori redhibita: PAVLL. *lib. XII. ad edict. l. 8. §. 2. 3. 4. D. eod.* vel in ſolutum data ſit, VLPIAN. *lib. XIII. ad edict.* (perperam enim inſcriptio praefert *lib. XXII.*) *l. 10. pr. D. eod.* Non autem alienare intelligitur, qui tantum amittit poſſeſſionem. VLPIAN. *lib. XIII. ad edict. l. 119. D. de reg. iur. l. 4. §. 1. C. de alienat. iud. mut. cauſſ. fact.*

(xxx) IVDICII MVTANDI CAVSSA.] Superuacuum videri poſſet hoc edictum, quia, qui dolo poſſidere deſiit, pro poſſeſſore habetur: *l. 131. l. 151. D. de regul. iur.* ſed fuit tamen omnino vtiliſſimum. Namque ea regula iure antiquo non valuit, quippe ex interpretatione SCti, Hadriano imperante facti, ſero demum nata: *l. 27. §. 3. D. de rei vindic.* Ceterum contingere poteſt, vt iudicii mutandi cauſſa, at ſine dolo malo; vel dolo malo quidem, at non iudicii mutandi cauſſa poſſidere quis deſierit: VLPIAN. *ibid. l. 4. §. 1. D. de alienat. iudic. mutand.* Immo fieri poteſt, vt, qui alienauit, iudicium accipere adhuc paratus ſit. Quibus caſibus ceſſat haec ex edicto reſtitutio. CAI. *ibid. l. 3. §. 5. D. eod.*

(yyy) DOLO MALO.] DOLVS hic praecipue requiritur. Si enim vlla iuſta alienandi cauſſa ſubeſt, edictum ceſſat. VLPIAN. *ibid. l. 4. §. 2. 3. 4. D. de alien. iud. mut. cauſſ. fact.* Ex ipſa tamen alienatione non leuis doli praeſumtio naſcitur. *Difficile enim eſt, vt bona cauſſa ſit, cuius actio in ius alterius deſperatione transfertur.* Symmach. *lib. X. epiſt. 45.* Alienante tutore, vel furioſi curatore, vtilis actio datur, quia conſilium huius fraudis inire non poſſunt. VLPIAN. *ibid. l. 10. §. 1. D. eod.*

(zzz) *Cauſſa reſtituatur.*] Non enim rem exhiberi ſufficit, ſed et priſtina cauſſa arbitratu iudicis reſtituenda eſt. PAVLL. *lib. XII. ad edict. l. 8. pr. D. eod.* Hinc adpoſite ad hunc locum notauerat CAIVS *lib. IIII. ad edict. prou. l. 22. D. de verb. ſignif.* plus eſſe in RESTITVTIONE, quam in EXHIBITIONE. Vid. ſupra *litt. rr.*

BIU Cujas

alienauerit (aaaa), ei, ad quem ea res pertinebit, quanti eius interierit, alium aduersarium non habuisse (bbbb), intra annum, quo primum experiundi potestas est (cccc), in factum actionem dabo.

TIT. XXVII.

DE RECEPTIS [*arbitris*,] ET QVI ARBITRIVM RECEPERVNT, VT SENTENTIAM DICANT. (a)

(PAVLL.

(aaaa) *Qui alienauerit.*] Eo refero locum PAVLLI *lib. XII. ad edict. l.* 8. D. *de rei vindic.* vbi disputat de fundo, quem duo siue pro diuiso, siue pro indiuiso possident, quantum ab alterutro peti possit?

(bbbb) *Aduersarium non habuisse.*] Petitur hac actione, quod interest. Si ergo res petitoris non fuerit, vel seruus alienatus sine alienantis culpa decesserit, iudicium hoc cessat, nisi quid praeter id actoris interfit. VLPIAN. *lib. XIII. ad edict. l.* 4. *§.* 5. D. *de alienat. iud. mut. causs. fact.* CAI. *lib. III. ad edict. prou. l.* 3. *§.* 4. D. *eod.* Est ergo haec actio rei persequutoria, non quidem contra heredem, at heredi tamen datur. VLPIAN. *ibid. l.* 4. *§.* 6. D. *eod.* Nam et heredem restitui in integrum, expeditissimi iuris est. VLPIAN. *ibid. l.* 6. D. *de in integr. rest.*

(cccc) *Potestas est.*] Post annum vtilem non datur haec actio: VLPIAN. *ibid. l.* 6. D. *de alien. iud. mut.* quia ad rei quidem persequutionem pertinet, attamen ex delicto dari videtur. CAI. *lib. IIII. ad edict. prou. l.* 7. D. *eod.* Interdum tamen successori plusculum indulgetur temporis, si forte eius aetas praetorem moueat. Eo enim pertinere videtur fragmentum VLPIANI *ibid. l.* 19. D. *de minor.* Quaedam hac occasione de restitutionibus generatim disseruisse VLPIANVM, colligo ex fragmentis *l.* 25. D. *de administ. tut. l.* 2. D. *de excep. rei iudic. l.* 16. D. *de nou. oper. nunc.* ex eodem *libro XIII. ad edict.* desumtis.

(a) SENTENTIAM DICANT.] Posterior hic titulus fuit edicto *de in integrum restitut.* quia de hoc PAVLLVS *libro ad edictum XIII.* de illo XII. egit. Priorem autem eumdem fuisse titulo: *nautae, caupones, stabularii*, ex eo patet, quod illum *libro* demum *XIIII.* expositi VLPIANVS. Idem ergo hic ordo edicti, qui Pandectarum. Rubricam ita, vti nos,

BIU Cujas

QVI (b) ARBITRIVM

nos, exemplar Accurſii exhibuit. Qua lectione nihil verius eſſe, oſtenderunt Radulph. Forner. *Rer. quotid. lib. II. cap.* 1. et Ger. Noodtius *Comment. ad Pandect. h. t. pag.* 135. Nec aliter ſe habet rubrica in Codice: DE RECEPTIS ARBITRIS. Verba τυπικά, tamquam diſperſa Virbii membra collegimus ex VLPIAN. *lib. XIII. ad edict. l.* 3. §. 2. *l.* 15. D. *de recept. arbitr.*

(b) QVI.] Antiquiſſima eſt diſceptatio coram arbitris, quam, et nondum conſtitutis ciuitatibus, locum habuiſſe probabile eſt. In eos vero et conſtitutis rebus publicis compromittebant, quicumque abhorrebant a litibus et ſtrepitu forenſi. Hinc lex Attica apud Demoſthen. *aduerſ. Mid. pag.* 618. Ἐὰν δέ τινες περὶ συμβολαίων ἰδίων πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητῶσι, καὶ βούλονται διαιτητὴν ἑλέσθαι ὁντινοῦν ἐξέσω αὐτοῖς αἱρεῖσθαι, ὃν ἂν βούλωνται διαιτητήν. ἐπειδὰν βούλωνται κατακοινὸν, μενέτωσαν ἐν τοῖς ὑπὸ τούτου διαγνωσθεῖσι, καὶ μηκέτι καταφερέτωσαν ἀπὸ τούτου ἐφ' ἕτερον δικαστήριον ταυτὰ ἐγκλήματα, ἀλλ' ἔστω τὰ κριθέντα ὑπὸ τοῦ διαιτητοῦ κύρια: *ſi qui de priuatis contractibus litigarint, et arbitrum ſumere voluerint quemcumque: iis liceat, quemcumque voluerint, ſumere arbitrum. Quod ſi communiter voluerint: adquieſcant in eius ſententia, neque ab hoc in aliud iudicium eaſdem actiones deferant: ſed, quae ab arbitro iudicata fuerint, rata ſunto.* De qua lege pluribus agunt Petit. *Leg. Attic. tit.* 5. et Deſ. Herald. *Animadu. ad ius Attic. et Rom. lib. V. cap.* 14. Et ſane vix vlla lis oriebatur, inter Athenienſes, quin in vicinos et amicos compromitterent. Vnde Chremes apud Terent. *Heaut. III.* 1. *v.* 90.

Paullulum negoti mihi obſtat.
Simus et Crito,
Vicini noſtri, hic ambigunt de finibus.
Me cepere ARBITRVM. *Ibo, ac dicam, vt dixeram,*
Operam daturum me: hodie non poſſe his dare.

His moribus et Romani vſi ſunt. Nam et apud hos compromiſſa quodammodo ad ſimilitudinem iudiciorum redegit praetor, modo legibus boniſque moribus non aduerſarentur. VLPIAN. *lib. XIII. ad edict. l.* 3. *pr.* D. *de recept. arb.* Requiritur tamen, vt quis hanc in ſe operam receperit. Sicuti e-

BIU Cujas

TRIVM (c), PECVNIA COMPROMISSA (d) RECEPERIT:

nim neminem cogit Praetor, vt recipiat: ita, vbi quis semel recepit, rem ad curam et sollicitudinem suam pertinere existimat. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 1. D. *eod.*

(c) ARBITRIVM.] Recipere arbitrium possunt omnes, cuiuscumque dignitatis: etiam consulares, non tamen consules, praetores, aliiue, quos praetor cogere non potest. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 3. D. *eod.* PAVLL. *lib.* XIII. *ad edict. l.* 4. D. *eod.* Potest et filiusfamilias arbiter esse, etiam in caussa patris: potuisset enim aduersarius in eum non compromittere. VLPIAN. *ibid. l.* 5. D. *eod.* CAI. *lib. V. ad edict. prou. l.* 6. D. *eod.* Nihil porro interest, in ingenuum, an in libertinum; in integrae existimationis hominem, an in infamem compromissum sit, modo non in seruum. Quod adeo verum est, vt, si qui in Titium et seruum compromiserint, neuter compellatur: VLPIAN. *ibid. l.* 7. D. *eod.* nisi ita sit compromissum, vt alterutrius sententia valeat, tunc enim Titius compellitur. PAVLL. *ibid. l.* 8. *D. eod.* Sententia tamen ab arbitro iam libero dicta ideo non est nulla, quod in eum adhuc seruum compromissum est. VLPIAN. *ibid. l.* 9. *pr. D. eod.* Praeterea arbitri sumi non possunt pupilli, furiosi, surdi et muti, nec iudices in iis caussis, in quibus dati sunt iudices. Denique manifesto infames, quamuis arbitri esse possint, a praetore tamen non coguntur, infamati ab ipsis litigatoribus caussa cognita excusantur. VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 1. 2. 3. 4. 5. *l.* 11. *pr. D. eod.* PAVLL. *lib. XIII. ad edict. l.* 10. *D. eod.*

(d) PECVNIA COMPROMISSA.] Arbiter sententiam dicere non cogitur, nisi compromissum interuenerit. Pecunia autem compromissa intelligitur, siue poena nummaria, siue alia res vice pecuniae promissa, siue vtrimque aliquid eum in finem depositum, siue ab vno pecunia, ab altero res promissa, siue de non petendo compromissum sit. Sed et eo casu arbitrum praetor non cogit sententiam dicere, si alteruter tantum aliquid promisit. Denique, si sub conditione compromissum est, non prius cogit sententiam dicere, quam si exstiterit conditio. VLPIAN. *ibid. l.* 11. §. 1. 2. 3. 4. 5. *D. eod.* PAVLL. *ibid. l.* 12. *D. eod.* Coactioni porro non est locus, si poena alteri accepto lata sit, nec si quis de caussa alia, quam de qua compromissum, poenam promiserit. VLPIAN. *ibid. l.* 13. *pr.* §. 1. *D. eod.* Formulam stipulandi poenam:

SI

BIU Cujas

RIT (e): EVM SENTENTIAM DICERE COGAM. (f)

SI ITA FACTVM NON ERIT, vel: SI ADVERSVS ID FACTVM ERIT, exponit VLPIAN. *ibid. l.* 71. *D. de verb. oblig.* Qui enim NON FACIT, quod facere debet: videtur facere aduersus ea, quia non facit. Et qui FACIT, quod facere non debet: non videtur facere, quod facere iussus est. PAVLL. *lib. XIII. ad edict. l.* 121. *D. de reg. iur.* Accedebant aliquando compromisso fideiussores, de quibus VLPIAN. *lib. XIII. ad edict. l.* 26. *D. de recept. arbitr. l.* 12. *D. de const. pec. l.* 36. *D. ad SC. Trebell.*

(e) RECEPERIT.] Aliquando tamen arbitri excusantur. Sic nemo cogitur iis diebus dicere sententiam, quibus iudex non cogitur, nisi dies compromissi exitura esset: nec cogitur is, qui sibi nondum liquere, iurauit, quippe cui spatium denegari ad deliberandum non debet. VLPIAN. *ibid. l.* 13. §. 3. 4. *D. eod.* Reliquas causas, cur ad dicendam sententiam cogi non debeant arbitri, recensent VLPIAN. *ibid. l.* 15. *et l.* 17. D. *eod.* et PAVLL. *ibid. l.* 16. *pr. et §.* 1. D. *eod.*

(f) COGAM.] Quid sit DICERE SENTENTIAM, quidque in sententiae dictione obseruandum sit, ostendunt PAVLL. *ibid. l.* 19. D. *h. t.* VLPIAN. *ibid. l.* 21. *pr. §.* 1. 2. 3. 4. 5. 11. D. *eod.* CAI. *lib. V. ad edict. prou. l.* 20. D. *eod.* Sententiae vero semel dictae standum est: et quamuis praetor nec stare quemquam cogat sententiae, nec adpellationem admittat: dat tamen victori actionem ex stipulatu ad consequendam poenam compromisso insertam. VLPIAN. *ibid. l.* 21. §. 12. *l.* 25. *l.* 27. *l.* 29. *l.* 31. D. *h. t.* PAVLL. *ibid. l.* 21. *l.* 24. *l.* 28. *l.* 30. *l.* 32. *l.* 34. D. *eod.* CAI. *ibid. l.* 35. D. *eod.* IVLIAN. *lib. IIII. Digest. l.* 37. D. *eod.* Elegans eam in rem locus est Luciani *in Abdicato, tomo I. pag.* 715. Ὅρᾳς γάρ ὡς καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις δικαστηρίοις, ὡς ἀεὶ μὲν τῷ κλήρῳ λαχόντων δικαστῶν, ἢν τις ἄδικον οἴηται γεγενῆσθαι τὴν κρίσιν δίδωσιν. ὁ νόμος ἐς ἕτερον ἐφεῖναι δικαστήριον. Ἢν δὲ τινες ἑκόντες, αὐτοὶ συνθῶνται δικασάς, καὶ προαιρόμενοι ἐπιτρέψωσι διαιτᾶν, οὐκ ἔτι. Οἷς γὰρ ἐξὴν μὴ δὲ τὴν ἀρχὴν ἐμμένειν, εἰ τούτοις τις αὐθαίρετος εἵλετο, κύριον ἐστὶ δίκαιος τοῖς ἐγνωσμένοις: *etenim illud consideratо, quemadmodum in reliquis iudiciis, vbi iudices sortibus ferunt sententiam, si quis perperam pronunciatum existimet, permittitur alios adire iudices. At si qui ipsi sua sponte iudices constituerunt, delectisque arbitris causam commiserunt, posthac non idem licet. Etenim, si quis, quorum sententiis initio stare non cogebatur, hos sponte delegerit, iam aequum est, boni consulere, quae statuerint.*

BIU Cujas

TIT. XXVIII.

NAVTAE, CAVPONES, STABVLARII RECEPTA VT RESTITVANT. (a)

(VLPIAN. LIB. XIIII.)

NAVTAE (b), CAVPONES, STABVLARII (c), QVOD CVIVSQVE

(a) RESTITVANT.] Posteriorem superiore hunc titulum fuisse, iam supra probauimus. Antecessisse autem illum edictum *de satis dando*, vel id argumento est, quod PAVLLVS hoc *libro* demum XIIII. *ad edictum* exposuit. Verba ipsa seruauit, summamque edicti aequitatem magnopere commendauit VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 1. *pr. D. naut. caup. stabular.* De nautarum, cauponum, stabulariorum probitate parum honorifice sentiebant veteres, quibus ideo male audiebat forum Appii,

Differtum NAVTIS, CAVPONIBVS, *atque malignis.*

Horat. *Serm. l.* 5. *v.* 3. Acrioribus ergo opus esse videbatur legum vinculis, ne impune spoliare possent vectores et viatores, quos istorum hominum fidem sequi oportebat.

(b) NAVTAE.] Eo nomine veniunt omnes, qui nauem exercent, quales et ratium exercitores, lintrarii, eorumque magistri et ναυφύλακες, non remiges, et mesonautae, per quos exercitores non obligantur. VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 1. §. 2. 3. 4. D. *eod.*

(c) STABVLARII.] Per CAVPONES et STABVLARIOS intelliguntur omnes, qui cauponam et stabulum exercent, eorumque institores, non mediastini, atriarii, focarii, et his similes. VLPIAN. *ibid. l.* 3. *D. eod.* Sunt vero MEDIASTINI *extremae inter seruos conditionis, quorum ministerium erat, domum scopis mundare, purgamenta euerrere, spongiis detergere gradus, nitidas ostendere columnas, et prorsus facere id, quod Aeschinem feciſſe cum patre suo, Trometo cauillatur Demosthenes:* τὸν βάθρον σπογγίζειν, καὶ τὸ παιδογωγεῖον κορεῖν, εἰ μὴ τις ἄλλος ἐλευθέρου παιδὸς ἔχοντος. Reines. *Inscript. pag.* 623. Nec multo melior erat ATRIARIORVM vel ATRIENSIVM conditio, qualis apud

QVE (d) SALVVM ESSE RECEPERINT (e), NISI RESTITVENT (f), IN

pud eumdem Reines. *Inscript. classs. XI. num.* 39. RHOE, ATRIENSIS DE BASILICA ASINIA. Nam et horum erat, *supellectilem exponere, ferramenta detersa nitidare, ac rubigine liberare, ceteraque, si refectionem desiderent, fabris concinnanda tradere.* Columella *de re rust. lib. XII. cap.* 3. Eosdem et DIAETARIOS vel DIAETARCHAS dictos esse, scopariisque praefuisse, censet Cuiac. *Obseru. lib. X. cap.* 34.

(d) QVOD CVIVSQVE.] Omnes res, merceſque, quas ſaluas fore receperunt, ad hoc edictum pertinent, etiam, quae iis accedunt, nec non veſtimenta, quibus vectores in nauibus vtuntur, et cetera, quae in quotidianum vſum habentur. Parum quoque refert, noſtraſne, an alienas res intulerimus, dum noſtra interſit, eas ſaluas eſſe. Quod exemplis illuſtrat VLPIAN. *idid. l.* 1. §. 6. 7. *D. naut. caup. ſtab.* Vir eximius, Io. Goedd. in *Comment. ad tit. D. de verb. ſign.* huc etiam refert fragmentum VLPIANI. ex *lib. XIIII. ad edict. l.* 23. *D. de verb. ſignif.* vbi VLPIANVS, quid RES ſit, exponit. Sed quid hic moneri attinebat, per RES etiam *cauſſas* et *actiones* intelligi, quas nautae ſaluas fore, numquam recipere ſolent? Quare illum locum VLPIANI potius ad ſequentem titulum pertinere, mox oſtendemus.

(e) RECEPERINT.] RECEPISSE ſufficit, nec intereſt, ſiue adſignatae ſint ſingulae, ſiue non. Facta enim receptione non modo nautarum et famulorum, ſed et vectorum viatorumque facta praeſtant. Quin licet res in nauim nondum intulerint, eaeque in littore perierint, periculum tamen ad eos pertinet. VLPIAN. *lib. XIIII. ad edict. l.* 1. §. 8. *l.* 3. *pr. D. naut. caup. ſtab.* CAI. *lib. V. ad edict. prou. l.* 2. *D. eod.* Aequum enim eſt, vt, qui mercedem pro rei cuſtodia accipit, is et periculum ferat. CAI. *ibid. l.* 40. *D. locat.* Sed et, ſi mercedem non accipiant, cuſtodiae tamen nomine merito tenentur. Nam et fullo et ſarcinator, non praeciſe pro cuſtodia, ſed pro arte mercedem accipit, et tamen ad cuſtodiam ex locato tenetur. CAI. *ibid. l.* 5. *pr. D. naut. caup. ſtab.*

(f) NISI RESTITVENT.] Vel reſtituere coguntur res, quas ſaluas fore receperunt, vel ſoluendo alioue modo ſatisfacere. Nam et ſatisfactio pro ſolutione eſt. VLPIAN. *lib. XIIII. ad edict. l.* 25. *D. de ſolution.* Solutio vero facta cenſetur, etiamſi et alius pro alio

BIU Cujas

IN EOS IVDICIVM DABO. (g)

TIT. XXVIIII.

DE SATISDANDO. (a)

(PAVLL.

alio ignorante soluerit. CAI. *lib. V. ad edict. prou. l.* 53. *D. eod.* Sed et seruo, habenti peculii administrationem recte soluitur, siquidem et nouandi ius habet. CAI. *ibid. l.* 21. D. *de iureiurando.* Si vector vel viator, nautae vel cauponi iusiurandum detulerit, isque iurarit, etiam iusiurandum loco solutionis cedit. CAI. *ibid. l.* 27. D. *eod.*

(g) IVDICIVM DABO.] Dat praetor actionem IN FACTVM, quam cur necessariam duxerint veteres, ac non potius locati vel depositi actiones sufficere existimarint, disquirit VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 4. D. *naut. caup. stabul.* vbi et docet, cui, et contra quem detur haec actio? an ea cum actione furti cumulari possit? Praeterea an non etiam nautae, caupones, stabularii actionem furti habeant aduersus eos, qui res vectorum vel viatorum subtraxerunt, disquirit PAVLL. *lib.* XIII. *ad edict. l.* 4. D. *eod.* qui et *l.* 41. *D. locati* obseruat, nautas et caupones, si seruum sibi locatum surripuerint, et locati, et furti teneri. Eadem porro *in factum* actio datur, si nauta nautae, vel caupo cauponis res surripuerit, itemque si post impositas merces aliae res illatae perierint, quarum alias vectura non debetur, e. g. vestes quotidianae. PAVLL. *lib.* XIII. *ad edict. l.* 4. §. 1. 2. *D. naut. caution. stabul.* VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 1. §. 6. *D. eod.*

(a) DE SATISDANDO.] Quum CAIVS *de satisdationibus* adhuc *libro commentariorum V.* de *iudiciis sexto* demum egerit: edictum hoc de satisdationibus priorem obtinuisse locum oportet. Posteriorem vero illo superiore titulo locum huic ideo tribuimus, quia PAVLLVS *edictum de nautis, cauponibus, stabulariis libro* XIII. *de satisdando libro* demum XIIII. exposuit: vt iam non dicamus, eumdem ordinem a Paullo *Sentent. recept. lib. I. tit.* 11. ipsoque Iustiniano *in Codice* obseruari. Non autem hic actum de vadimonio, seu cautione iudicio sisti, de qua supra: sed de ea cautione, quae iam intentata actione, factis sponsionibus, datoque

BIU Cujas

(PAVLL. LIB. XIIII.)

EVm, vnde petitur, vel a quo RES (b) vindicatur (c), eiusue procuratorem, omnesque, qui ALIENO NOMINE IVDICIVM ACCIPIENT (d), IVDICATVM SOLVI (e), neque rem deminui (f), satisdari iubebo (g). Si possessor victus neque rem, neque litis aestimationem petitori praestabit:

toque et addicto iudice praestanda erat IVDICATVM SOLVI: de qua plura Car. Sigon. *de iudic. lib. I. cap.* 25. et Car. Brett. *in Ordine perant. iudic. cap.* 28.

(b) RES.] Vocabulum hoc edictale explicatur ab VLPIANO *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 23. *D. de verb. sign.* quem locum Io. Goeddeum perperam ad superiorem titulum retulisse, paullo ante obseruauimus.

(c) *Vindicatur.*] *Olim* enim, *si in rem agebatur*, SATISDARE *possessor compellebatur, vt, si victus esset, nec rem ipsam restitueret, nec litis aestimationem, potestas esset actori, aut cum eo agendi, aut cum fideiussoribus*, inquit Iustinianus *pr. Inst. de satisd.* Quo loco illum satisdationem, ex edicto praetoris descendentem exponere, ex postremis principii verbis patet: *tutores vero et curatores eodem modo, quo et procuratores, satisdare debere*, VERBA EDICTI *faciebant.*

(d) IVDICIVM ACCIPIENT.] Hanc quoque sententiam exprimit Iustinianus *d. pr. Inst. de satisdat. multo magis, qui in rem actione conueniebatur, satisdare cogebatur*, si ALIENO NOMINE IVDICIVM ACCIPIEBAT.

(e) IVDICATVM SOLVI.] Haec etiam verba procul dubio edictalia sunt. Iustinianus *ibidem*: *quae satisdatio*, inquit, *adpellatur* IVDICATVM SOLVI. *Vnde autem sic adpelletur, facile est intelligere. Namque stipulabatur quis, vt solueretur sibi, quod fuisset iudicatum.*

(f) *Rem deminui.*] Eam deminutionem praetor prohibuerat maxime in hereditate. Addiderat diuus Pius, vt et de non distrahenda hereditate caueretur. VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 5. *pr. D. de hered. petit.*

(g) *Satisdari iubebo.*] Quid sit SATISDARE, et vnde *satisdatio* dicta sit, explicat CAI. *lib. V. ad edict. l.* 1. *D. qui satisdar. cog.* Nimirum stipulatio iudicatum solui praetoria est, *l.* 2. §. 2. *D. de praet. stipul.* et hinc personas desiderat pro se interuenientium.

BIU Cujas

ſtabit: vel aduerſus illum, vel aduerſus fideiuſſores actionem dabo. At ſi iuſta cauſſa videbitur, CAVSSA COGNITA, ETIAM POST LITEM COEPTAM DEMINVTIONEM FIERI CONCEDAM. (h)

§. I. Procuratores, TVTORES CVRATORESVE (i), alieno nomine in rem perſonamue agere volentes (k), REM RATAM HABITVRVM ſatiſdare iubebo (l), niſi vel pro ciuitate

VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 7. *D. eod.* Si dubitatur, ſintne fideiuſſores idonei, nec ne, arbitri dantur, a quibus, ſi iniquius arbitrati ſint, aeque ac a iudicibus poteſt adpellari. CAI. *ibid. l.* 9. *D. qui ſatiſdar. cog.* Quis dies in hac ſtipulatione conſtituendus ſit, docet PAVLL. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 8. *pr. D. eod.* quo loco et alia, quae ad fideiuſſorum perſonam atque obligationem pertinent, obſeruat. Fideiuſſoribus vero an ea in re ſimiles ſint MANDATORES, diſputaſſe hac occaſione videtur VLPIANVS, qui de mandatoribus agit *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 28. *D. mand.* quemadmodum et de iis, qui pro alio conſtituunt, ad eumdem locum diſſeruit *d. lib.* XIIII. *ad edict. l.* 27. *D. de conſt. pecun.* CAI. *lib. V. ad edict. prou. l.* 53. *D. de ſolut.*

(h) FIERI CONCEDAM.] Verba haec edictalia VLPIANO debemus, qui illa ſuo more interpretatur *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 5. *pr. et* §. *ſequ. D. de hered. pet.*

(i) TVTORES CVRATORESVE.] Fuiſſe haec totidem verbis in edicto, colligimus ex *pr. Inſt. de ſatiſdat. tutores vero et curatores eodem modo, quo procuratores, ſatiſdare debere*, VERBA EDICTI *faciebant.* Perperam ergo Giphanius, Weſenbecius, Vinnius, aliique Inſtitutionum interpretes, Iuſtiniano hic edictum *de procuratoribus l.* 33. §. 3. D. *de procurat.* in mente fuiſſe, cenſent.

(k) *Agere volentes.*] Non tamen admittebatur, qui legis actionem alieno nomine volebat explicare, ſi vel maxime cauere vellet, quia *nemo alieno nomine* LEGE AGERE *poteſt.* VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 123. *pr.* D. *de reg. iur.* cuius fragmenti, vtut hoc modo admodum perſpicui, mirabilem ſpeciem fingit lac. Gothofredus *in Comment. ad h. l.*

(l) *Satiſdare iubebo.*] Hanc quoque edicti ſententiam expreſſit Iuſtinianus *pr. et* §. 1. *Inſt. de ſatiſdat.*

BIU Cujas

uitate agent, vel bonis curatores erunt dati (m)

§. II. Eum quoque, qui reum, quocum in personam agitur, in iudicio defendere volet, IVDICATVM SOLVI satisdare iubebo. (n)

(m) *Erunt dati.*] Iustinianus *d. pr. Inst. de satisdat. sed aliquando*, inquit, *his agentibus satisdatio remittebatur.* Quibus vero remitti consueuerit, patet ex *l.* 9. D. *rem rat. hab.* vbi iureconsultus: *actor*, inquit, *ciuitatis nec ipse cauet, nec minister vniuersitatis, nec curator bonis consensu creditorum datus.* Postea tamen id mutatum, in eumque sensum Tribonianum detorsisse verba VLPIANI, *l.* 23. D. *de admin. et peric. tut.* existimat Vinn. *ad Inst. pag.* 857.

(n) *Satisdare iubebo.*] Haec cautio indefinite praestanda est in id, quantum soluendum esse iudex postea in sententia expresserit. VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 9. D. *de iudic. solui.*

PARTIS I. EDICTI

FINIS.

BIU Cujas

EDICTI PERPETVI
PARS II.
QVAE IN PANDECTIS DE IVDICIIS INSCRIBITVR.

HVB. GIPHAN. *Oecon. iur. pag.* 125. Proximo deinde loco in edicto fuisse videtur titulus de IVDICIIS. Hunc titulum videntur singulae actiones subsequutae, et in edicto fuisse propositae.

EDICTI PERPETVI
PARS II. (a)
DE IVDICIIS.

TIT.

(a) PARS II.] Alteram hanc edicti partem non obscure designat IVSTINIANVS, dum veterem studii iuridici ordinem descripturus, secundo curriculi academici anno studiosis quaedam ex *ea parte legum*, *quae* DE IVDICIIS *nuncupatur*, itemque *ex illa*, *quae* DE REBVS *adpellatur*, tradita esse, refert. *Constit. Omnem reipubl.* §. 1. *ad Anteceſſor.* De EDICTI enim PERPETVI parti-

BIU Cujas

TIT. XXX.

DE IVDICIIS, ET VBI QVISQVE AGERE VEL CONVENIRI DEBEAT. (b)

(PAVLL. LIB. XV. XVI. XVII. XVIII. et XIX. CAI. LIB. VI. IVLIAN. LIB. V. CELS. LIB. III.)

Filios filiasuefamilias cum patre; seruos, ancillas, pupillos,

partibus loqui Imperatorem, vel id argumento est, quod secundo illo anno EDICTALIVM nomen ferrent studiosi. Accedit, quod omnes edicti interpretes, praeter VLPIANVM, nouos hic Commentariorum suorum libros auspicati sunt, veluti PAVLLVS, CAIVS, IVLIANVS, CELSVS. Cur idem non fecerit VLPIANVS, isque *librum XIIII.* quo postremos partis I. titulos exposuerat, per duos titulos secundae partis continuare maluerit, non facile dixerim, nisi quod res ipsa docet, veteres in partiendis operibus suis, non tam rerum, quam singulorum librorum quantitatis rationem aliquando habuisse.

(b) CONVENIRI DEBEAT.] Titulum *de iudiciis* exstitisse in edicto, recte obseruarunt Iac. Gothofredus et Ob. Giphanius *Oecon. iur. p.* 125. quamuis hic, *se edicta sub hoc titulo comprehensa reperire satis liquido certoque non potuisse*, ingenue fateatur. Et sane nullum supereſt ex hoc titulo fragmentum, nullum vocabulum edictale vel *νυπιὸν*, nullum de sententiis huius edicti testimonium. Neque hic tuto sequi licet Egu. Baronem et Ranchinum, qui multas hic sententias, huc plane non pertinentes, accumulant. Coniecturam tamen satis probabilem suppeditat PAVLLVS, qui quinque libris hunc titulum diligentissime exposuit. Ex iis hodie exstant fragmenta quatuor et quinquaginta: quibus inter se paullo accuratius comparatis, illico patet, virum illum diligentissimum *libro Comment. XV.* ex quo vnica supereſt *l.* 2. D. *de publ. iud.* rubricam interpretatum, varia iudiciorum genera recensuisse: *libro XVI.* de persona standi in iudicio; *libro XVII.* de ipsis iudicibus, eorumque officio: *libro XVIII.* de reis; *libro* denique *XVIIII.* de actoribus seu petitoribus

BIU Cujas

los, pupillas, etsi infantia maiores, denique furiosos (c) cum quocumque aduersario in iudicio consistere non patiar.

§. I.

toribus egisse. Itaque dubitari nequit, quin totidem fuerint edicti huius capita. Ceterum de ipsa huius tituli rubrica refert Cuiac. *Obs. VII.* 30. dicere solitum esse virum quemdam clarissimum, in edicti perpetui Digestis *ante Iustinianum non* DE IVDICIIS, *sed* DE VINDICIIS, *scriptum esse, generali titulo, quandoquidem proponantur in ea parte digestorum vindiciae, seu vindicationes.* Sed recte addit, eam se coniecturam numquam probasse, idque repetit *Recit. ad Pand. h. t. p.* 130. *tom. VII. Op.* Et sane multum interest inter *vindicias* et *vindicationes*; et *de vindiciis* iam prima Edicti parte actum est.

(c) *Furiosos.*] Ad hoc primum huius tituli caput, in quo de persona standi in iudicio actum esse, ex PAVLLI fragmentis collegimus, pertinet *titulus Codicis qui legitimam personam standi in iudicio habeant vel non. lib. III. tit.* 6. Quinam autem legitimam personam in iudicio standi habeant, aliunde notum est. Sic SERVIS cum nullo ingenuo consistendi ius erat: *l.* 44. §. 1. D. *de iudic. l. vlt. C. de noxal. act.* multoque minus inter ipsum dominum et seruum erat actio, quamuis hic, intolerabili adfectus iniuria, ad Principis confugere statuam, et de domino conqueri posset. *l.* 1. §. 1. 8. D. *de off. praef. vrb.* Postea tamen et seruis permissum, in certis caussis consistere aduersus dominos, quas recenset HERMOGEN. *lib. I. Epit. iur. l.* 53. D. *de iudic.* Paucae tamen illae exceptiones non ex edicto, sed ex Principum constitutionibus natae esse videntur. Deinde nec FILIIS-FAMILIAS erat persona legitima standi in iudicio, si cum patribus consistere vellent, praeterquam si lis esset de peculio castrensi vel quasi castrensi, *l.* 4. D. *de iudic. l.* 11. D. *eod.* Immo iure vetere ne cum extraneis quidem disceptare eos potuisse, ostendit Ger. Noodt *Comment. in Pandect. p.* 148. quamuis id iure nouo mutatum esse, nemo ignoret. Porro nec PVPILLI PVPILLAEVE, immo nec MINORES recte in iudicio stabant sine tutoribus et curatoribus: *l.* 1. *l.* 2. *C. qui leg. pers. standi in iud. hab.* praeterquam in caussis momentaneae possessionis *l.* 3. *C. eod. l. vlt. C. Theod. vnde vi.* FVRIOSI hic mentionem feciisse praetorem, non surdi et muti colligimus ex fragmento PAVLLI *lib. XVI. ad Edict. l.* 124. D. *de reg. iur.* cuius en verba: *vbi non voce et praesentia opus est, mutus, si intelle-*

Etum

§. I. Qui iurisdictioni praesunt (d), quibusue mandata est iurisdictio (e), vel Romae, vel vbi quisque domicilium habet (f), vndeue ortus est, vel vbi contraxit, deliquitue, de con-

ctum habet, potest videri respondere. idem in surdo. hic quidem et respondere potest. FVRIOSVS *absentis loco est, et ita* POMPONIVS *lib. I. Epistolarum scribit.* Docuisse ergo videtur Paullus, surdum vel mutum recte in iudicio stare et respondere posse, si rationis vsu polleat, non aeque furiosum. Vnde hoc fragmentum ad titulum *de iudiciis*, et quidem ad caput *de his, qui personam legit. standi in iudic. hab.* recte refert Iac. Gothofred. in *Commentar. p.* 531.

(d) *Qui iurisdictioni praesunt.*] Iudices dabant, quibuscumque id lege, SCto vel constitutionibus Principum concedebatur, non modo qui suo nomine ius dicebant, sed et quibus mandata erat iurisdictio, veluti legati proconsulum. Idem et praefecto vrbi propter vim imperii, ceterisque Romae magistratibus, moribus concessum fuerat. PAVLL. *lib. XVII. ad edict. l.* 12. §. 1. D. *de iudic.* Si praeses iudicem dederat, antequam aduenisse successorem cognosset, id non minus erat ratum, ac si manumiserat, vel tutorem dederat. CELS. *lib. III. digest. l.* 17. D. *de offic. praesid.* Hinc et praefectus Augustalis Aegypti recte dabat iudicem, quamdiu eius successor Alexandriam non esset ingressus, quamuis venisset in prouinciam, ceu patet ex loco VLP. *lib. XIIII.* (non Lib. XV.) *ad edict. l.* 1. D. *de offic. praef. Aug.*

(e) *Mandata est iurisdictio.*] Hos dare potuisse iudices, iam antea exemplo legati Procos. ostendimus. Addit hic IVLIANVS *lib. V. digest. l.* 3. D. *de offic. eius, cui mand. est iurisdict.* mandatarium tunc non pro suo agere imperio, etiamsi praetor sit, qui alienam iurisdictionem exsequatur.

(f) *Domicilium habet.*] Sunt haec ordinaria fora DOMICILII, tum *proprii*, tum *communis*, quale Romae omnes agnoscebant, ORIGINIS, CONTRACTVS, DELICTI, et REI SITAE. Ad fora *domicilii* et *originis* pertinet fragmentum VLPIANI *lib. XIIII. ad edict. l.* 123. §. 1. D. *de reg. iur.* vbi *temporariam permutationem ius prouinciae mutare*, negat. Quamuis vero de huius legis genuina specie permulta disputent Cuiac. *Obs. XXIIII.* 2. et *tomo VIII. p.* 714. Raeuard. *ad d. l.* 123. *de reg. iur.* et alii: certissimum tamen videtur, illam ad titulum *de iudiciis* ipsumque forum domicilii atque originis esse referendam. Solebant enim Imperatores Romani

pro

BIU Cujas

contractu delictoue, nec non, vbi res, quae petitur, sita est, iudices dabunt. Eos, dum iustae aetatis, talesue sint, qui per naturam, leges, plebiscita, Senatusconsulta, decreta edictaue Principum, iudicare non prohibentur (g), sententiam ferre (h), reosue, si ipsis liquebit, vel absoluere, vel ad rem

pro belli necessitate vel ob alias vrgentes causas prouincias suas cum Senatus prouinciis permutare: auctorque est Suetonius *Aug. cap.* 47. Augustum, quamuis prouincias validiores, et quas annuis imperiis magistratuum regi nec facile, nec tutum videretur, ipse susceperit, ceteras proconsulibus sortito permiserit, *nonnullas tamen interdum* COMMVTASSE. Sic sane Cyprum et Galliam Narbonensem eum populo tradidisse, recepta Dalmatia, memoriae prodidit Dio Cass. *lib. LIII. p.* 523. Eius exemplum et successores imitati sunt, qui et ipsi aliquando commutabant prouincias, vti Marcus Aurelius apud Iul. Capitolin. *vit. Marci cap.* 8. aliquando duas coniungebant, quale exemplum est apud Plin. *Histor. Natur. III.* 14. aliquando vnam in duas pluresue parte distrahebant. *l.* 3. *D. de offic. adsessor. l.* 9. *D. de postuland.* quod in Diocletiano et collegis acriter reprehendit Lactant. *de mort. persequut. cap.* 7. Omnia haec, quia ad tempus fiebant, non mutabant ius prouinciae, et sic e. g. Syrus adsessoris munere non fungebatur in Palaestina, si vel maxime Syriae detracta esset. Ita et de iudicibus quaeri poterat, an Syrus in Palaestina, Palaestinus in Syria dari possit? Speciem hic plane non peruidit Cuiac. *ad d. l.* 123. *tom. VIII. Oper.*

(g) *Non prohibentur.*] Quum Praetor vnum iudicare vetat, ceteris id permittit. Prohibentur autem aliqui LEGE, veluti qui senatu moti, alii NATVRA, vti surdi, muti, perpetuo furiosi, impuberes, alii MORIBVS, vt feminae et serui. Ceterum si qui iudices esse non prohibentur, perinde est, siue in potestate, siue sui iuris sint. PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 12. *prin.* §. 2. 3. *D. de iudic.*

(h) *Sententiam ferre.*] Tale quid in edicto fuisse, inde colligimus, quod hic prolixe disputant iurisconsulti de causis, ob quas iudex a ferenda sententia excusetur, nec non de modo dicendi sententiam. Ita IVLIANVS *lib.* V. *digest. l.* 74. *princ. D. de iudic.*

BIU Cujas

rem RESTITVENDAM (i), vel in certam ſummam, idue, quod intereſt (k), condemnare (l) cogam.

§. II.

iudic. diſerte ſcribit, de qua re cognorit, de ea iudicare cogendum eſſe iudicem, etiam de ſumma maiore, quam iuſſus ſit, ſi inter litigatores conueniat. Et IDEM *ibid. l.* 60. *D. de re iudic.* diſquirit, an laturum ſententiam febris litigantium impedire poſſit? In primis quaerunt, ſi plures ſint dati iudices, quid in concipienda ſententia obſeruandum ſit? CELS. *lib.* III. *digeſt. l.* 39. D. *eod. tit.* PAVLL. *lib.* XVII. *ad edict. l.* 36. D. *eod. l.* 38. D. *eod.* vbi conferri meretur Cuiac. *Obſeru.* X. 20.

(i) RESTITVENDAM.] RESTITVERE is intelligitur, qui ſimul etiam cauſſam actori reddit, quam is habiturus eſſet, ſi ſtatim iudicii accepti tempore res ei reddita fuiſſet, id eſt, et vſucapionis cauſſam et fructuum. PAVLL. *lib.* XVII. *ad edict.* (ita enim habent pleraeque editiones, habuitque et illa, qua Iacob Labittus vſus eſt.) *l.* 3. D. *de verb. ſignific.* Vnde ſimul patet, edictale fuiſſe hoc verbum. Quia vero dubium aliquando ſuboritur, quid quantumue alter poſſideat, eiuſque rei difficillima plerumque probatio eſt: PAVLL. *ibid. l.* 3. D. *de interrog. in iur. fac.* eius rei cauſſa interrogationes in iure, antequam ad iudicem veniebatur, fiebant. PAVLL. *ibid. l.* 12. D. *eod.* Contra quem experiundum ſit deponenti, ſi plures heredes reliquerit depoſitarius, diſputat PAVLL. *ibid. l.* 9. D. *depoſiti.*

(k) *Quod intereſt.*] Ita in interdicto VNDE VI condemnatio facienda eſt, quanti intereſt poſſidere. PAVLL. *ibid. l.* 6. D. *de vi et vi arm.* Si vero ſemel in certam ſummam quem condemnauit iudex, verba non ſunt captanda, e. g. dena pro decem. IVLIAN. *lib. V. Digeſt. l.* 79. *D. de legat. I.*

(l) *Condemnare.*] Qui DAMNARE poteſt, poteſt et ABSOLVERE. PAVLL. *lib.* XVII. *ad edict. l.* 3. D. *de re iudic.* Quod ideo monuiſſe videtur iuriſconſultus, quod praeſcriptae iudicibus formulae, non abſolutionis, ſed condemnationis tantum facerent mentionem: SI PARET, L. TITIVM EX MVTVO DEBERE CENTVM, TV ILLVM IN CENTVM CONDEMNA. Briſſon. *de formul. lib.* V. *p.* 370. Ceterum aut abſoluere aut condemnare oportebat iudicem, niſi litigatores tranſegiſſent. CELS. *lib.* III. *Digeſt. l.* 12. *D. de tranſact.*

BIU Cujas

§. II. Eos, qui rem possident (m), et a quibus quis sibi dari fieri quid oportere, probabit (n): nisi iusta exceptione tuti sint (o), iudicium accipere cogam.

l. 51. *D. de oblig. et action. l.* 16. *D. de condict. causs. dat. l.* 26. *D. de nouation.* Qui textus omnes ad officium iudicis pertinuisse videntur.

(m) *Rem possident.*] Si scilicet, qui agunt, ius aliquod sibi ea in re esse dicant. Alias *bona fides tantumdem possidenti praestat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 136. *D. de regul. iur.* In re deposita ad excludendam alterius actionem sufficit, si depositarius eam sine dolo malo possidere desierit, adeo, vt ne cauere quidem hic teneatur, SI DEPREHENDERIT, EAM REDDI: quamuis si res ad illum iterum peruenerit, depositi teneatur. PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 20. D. *depositi.* Si possessor malit cedere possessione, quam iudicium accipere, audiendus est, quod tamen non procedit, instituta actione aquae pluuiae arcendae, si reus suo nomine conuenitur, sed si quando aduersus bonae fidei emtorem agitur. PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 7. D. *de aqu. et aqu. pluu.* Reales actiones ea in re imitantur in rem scriptae, veluti noxales, quae aduersus quemcumque possessorem competunt. Et hinc de actionum noxalium indole longum hic tractatum instituerunt CAI. *lib.* VI. *ad edict. prou. l.* 4. *D. si ex noxal. causs. l.* 15. *l.* 23. *l.* 25. *l.* 27. *l.* 29. *D. de noxal. action.* et PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 22. *l.* 24. *l.* 26. *D. eod. tit.* quum tamen ille *lib.* VII. hic *libro* XXII. *Comment.* edictum de actionibus noxalibus explicarit.

(n) *Probabit.*] De rebus amotis permittendum marito, vt vxori de quibusdam rebus iusiurandum deferat, de quibusdam probet. PAVEL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 14. *D. de act. rer. amotar.*

(o) *Exceptione tuti sint.*] Sunt enim quaedam exceptiones litis ingressum impedientes, quaecumque nimirum in continenti probentur. Talis in primis exceptio IVRISIVRANDI, quod transactionis speciem continet, maioremque habet auctoritatem, quam res iudicata: PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 2. D. *de iureiur.* dummodo id praestitum sit, vti delatum est. Nam si ego ita detulerim, vt per Deum iurares, tu per caput filiorum tuorum, (vti

M. Re-

BIU Cujas

gam. (p)

§. III. Eum, qui dominus hereſue erit, aliudue ius in qualibet re habebit (q), vel qui eam ſibi ex iuſta cauſſa traditam, bonaque fide acceptam amiſit (r), in rem agere: itemque eum, cuius intereſt, aliquid dari, fieriue,

M. Regulus homo nequiſſimus, apud Plin. *Epiſt.* II. 20.) iuraueris: ratum non erit id iusiurandum. PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 4. D. *eod. tit.* Pluribus de hoc iureiurando voluntario diſſerit IDEM *ibid. l.* 17. *l.* 20. *l.* 21. *l.* 26. *l.* 8. *l.* 10. *l.* 28. *l.* 30. D. *eod.* nec non *l.* 5. D. *de except.* vbi eum, qui ſe iuraſſe dicit, non impediri ait, quo minus et aliis exceptionibus vna cum illa vtatur.

(p) *Accipere cogam.*] Qui ſub impoſſibili conditione promiſit, fideiuſſorem adhibere nequit, ac proinde nec promiſſor, nec fideiuſſor iudicium accipere cogitur. PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 29. D. *de fideiuſſ.* Eadem occaſione de ſtipulationibus alternatiuis, itemque de formulis ſtipulandi: QVIDQVID TE FACERE OPORTET, OPORTEBIT: PRAESENS IN DIEMVE, diſputat PAVLL. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 76. D. *de verb. obligat.* Nec alio pertinere crediderim, quod de eo, qui abſentem defenſurus, eo iam mortuo acceperat iudicium, damnatuſue ſoluerat, diſſerit IVLIAN. *lib.* V. *Digeſt. l.* 74. D. *de iudic.*

(q) *In qualibet re habebit.*] Actiones de ſeruitutibus ruſticorum vrbanorumque praediorum eorum ſunt, quorum ſunt praedia. Sepulcra autem noſtri non ſunt dominii: at viam ad ſepulcrum poſſumus vindicare. VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 1. D. *ſi ſeruit. vindic.*

(r) *Amiſit.*] Modo vere poſſederit. Nam ecce, neque ſeruus, neque per ſeruum dominus, qui apud hoſtes eſt, poſſidet. PAVLL. *lib.* XVIIII. *ad edict. l.* 11. *D. de vſurpat. et vſucap.* Si qui rem bona fide poſſeſſam amiſit, et qui eamdem poſſidet, pari iure ac titulo nitatur: pro hoc pronunciandum, quia in pari cauſſa potior poſſeſſor haberi debet. PAVLL. *lib.* XVIIII. *ad edict. l.* 128. *princ. D. de regul. iur.* Ex quo facile reddideris rationem, cur de actione Publiciana, itemque de actione quaſi Seruiana, tam multa ad hunc titulum adcumulauit PAVLL. *lib.* XVIIII.

BIU Cujas

ue, (s) illud condicere ab aduersario, cui iusta exceptio non erit (t), permittam.

TIT. XXXI.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO. (a)

(PAVLL.

ad edict. l. 2. l. 4. l. 6. l. 10. l. 12. D de Publician. in rem act. et *l. 18. D. de pignor.* quum tamen titulum de Publiciana in rem actione demum *lib. XXI. ad edict.* ex instituto illustrarit.

(s) *Dari, fieriue.*] Siue ex contractu alterum obligatum habeat actor, siue ex delicto. Hinc de multis actionibus personalibus hic disseruerunt interpretes, veluti de EFFVSIS et DEIECTIS, CAI. *lib. VI. ad edict. prou. l. 2. l. 7. D. de his, qui effud. vel deiec.* PAVLL. *lib. XVIIII. ad edict. l. 4. l. 6. D. eod. tit.* de SERVO CORRVPTO, CAI. *ibid. l. 15. D. de seru. corrupt.* PAVLL. *ibid. l. 2. l. 4. l. 6. l. 8. l. 12. l. 14. D. eod. tit. l. 2. l. 4. D. de aleator.* item de INIVRIIS. PAVLL. *ibid. l. 26. D. de iniur.* Non solum autem, qui alterum obligatum habent, ipsi agere possunt, verum etiam eorum heredes et bonorum possessores. *Qui* enim *in vniuersum ius succedunt, heredum loco habentur.* PAVLL. *lib. XVIIII. ad edict. l. 128. §. 1. D. de reg. iur.* vel vti rem exprimit VLPIAN. *lib. XIIII. ad edict. l. 2. D. de bonor. possess. in omnibus vice heredum bonorum possessores habentur.*

(t) *Exceptio non erit.*] Talis et hic exceptio IVRISIVRANDI, quod et tunc pro praestito habetur, si alteri, parato ad iurandum, deferens id remittat. PAVLL. *lib. XVIIII. ad edict. l. 6. D. de iureiur.* Sic tot veterum, et PAVLLI, inprimis fragmenta, tametsi diuersissimi argumenti, suis quaeque locis horum edicti capitum aptari posse, ostendimus. Fateor tamen, me nondum perspicere, quo pertineat fragmentum ex PAVLLI *eod. lib. XVIIII. ad edict. l. 8. D. de hered. petit.* Viderint, quibus plus otii est, alii.

(a) DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.] Querelam inofficiosi testamenti ex Edicto praetoris esse, suspicati sunt Petr. Pithoeus *ad Pariat. Leg. Mosaic. et Rom. XVI. 3.* et Herm. Vulteius *ad princ. Inst. de inoffic. testam. n. 3.* At id non magis verum est, quam quod ea ex lege quadam Glicia, vel ex prin-

BIU Cujas

principum constitutionibus promanarit: quamuis eae sententiae magnos habeant auctores, et prior quidem Iac. Cuiac. *Obseru.* II. 21. XVII. 17. et Siccam. *de consuetudin. iudic.* II. 6. posterior Franc. Duaren. *ad tit.* D. *de inoffic. testam. cap.* 2. Quemadmodum enim ex constitutionibus non potest esse querela, quae iam tempore liberae reipublicae paene quotidie in foro audita est: Cic. *in Verr. I.* 42. Val. Maxim. *VII.* 7. 2. et quae de lege illa Glicia habent viri docti, non nisi dubiae lectionis inscriptione *l.* 4. D. *de inoffic. testam.* nituntur: ita praetori actionis huius inuentae gloria frustra adsignatur, quum diserte negent leges nostrae, *praetorem succurrere exheredatis. l.* 8. *princ.* D. *de bonor. possess. contra tabul.* quod sane negari salua fronte ab vllo iurisconsulto non potuisset, si ex edicto profecta esset haec actio. Id vero non impediuit, quo minus et de inofficioso testamento caput aliquod in edicto reperiretur, quum praetor et de aliis multis, vel lege sancitis, vel vsu et moribus paullatim receptis, perinde, ac si a se inuenta essent, edixerit. Ceterum prima huius querelae origo vere iurisconsultis debetur. Quum enim iudice Seneca *de Clement. I.* 14. *nemo sanus filium ad primam offensam exheredet, nisi magnae ac multae iniuriae eius patientiam euicerint*, ac proinde apud Lucianum *in Abdicato Tom. I. p.* 730. filius abdicationem attribuat recurrenti pristinae patris insaniae, a qua eum paullo ante liberauerat, eamque eleganter vocet τὰ τῆς πάλαι μανίας προοίμια: *superioris insaniae prooemia*: ita fingebant iurisconsulti, non integrae mentis fuisse patrem, qui filium, nihil tale commeritum, exheredem scripserit, ac proinde nec iniuriam fieri patri, cuius testamentum contra officium pietatis factum sub hoc colore rescinderetur. V. A. Corn. van Bynkershoek *Obseru. II.* 12. Id quod iurisconsulti Romani a Graecis aliisque gentibus videntur didicisse, quae insanire dicebant omnes, qui liberos et cognatos non male de se meritos postponerent extraneis. Demosthen. *in Olympiad. p.* 1072. Διέφθαρται, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ παραφέρεται. *Emotae mentis est, iudices, et desipit:* idque orator inde probat, quod, sororibus neglectis, meretricem domi alat sumtuosissime, eamque auro et vestibus instruat. Nec aliter Teron apud Ioseph. *Antiquit. Iudaic.* XVI. 11. 4. qui Herodem, saeuientem in filios, ita adloquitur: Ποῖ ὠδὲ ὤχοντό σε καὶ πεπωκασιν ἐκ τῆς ψυχῆς αἱ φρένες. Ποῖ δὲ καὶ ὁ περὶ τοὺς ἐκείνους νοῦς, ὦ πολλὰ καὶ μεγάλα κατορθώσας; πῆς δὲ ἡ τῶν φίλων καὶ συγγενῶν ἐρημία. *Sanus-*

BIU Cujas

PAVLL. LIB. XX. IVLIAN. LIB. VI. CELS. LIB. IIII.

QVi (b) testamentum

ne es ? aut vbi est excellens istud ingenium , quo tot tantasque res adsequutus es ? quae est ista amicorum cognatorumque solitudo ? Isaeus *Orat. I.* quae est *de Cleonymi hereditate , p.* 365. Πῶς γὰρ ἂν εὐφρονῶν , ὦ ἄνδρες , κακῶς ποιεῖν ἡμᾶς ἠβουλήθη , τὸς μηδὲν αὐτὸν ἠδικηκότως ; *Quo pacto ergo mentis compos dici posset , iudices , qui nobis voluisset nocere , nobis inquam , (cognatis) nulla re ei molestis* ? Hoc ergo COLORE , seu , vt eleganter vocat Quinctil. *Inst. orat. IV.* 2. hac *falsa expositione* , quam tueretur dicentis ingenium , vtebantur iureconsulti , vt eorum , qui proprium sanguinem odissent , testamenta euerterent , atque inde demum nata est illa inofficiosi querela , quam praetor in edictum suum recepit , tamquam diuturno vsu probatam. Postremo quod ad ordinem attinet , eum facile praestamus. Sequutus enim hic titulus est superiorem de iudiciis , quia de iudiciis PAVLLVS *lib.* XVIIII. *ad edictum* , de querela inofficiosi *lib.* XX. egit. Praecessit vero caput de hereditatis petitione , quia VLPIANVS iudicium de inofficioso testamento *lib.* XIIII. alterum de hereditatis petitione *lib.* XV. est interpretatus. Verba edicti , qualia nos posuimus , ipsa huius actionis natura atque indoles requirit. Vnde illa eodem fere modo expressit Guil. Ranchinus et alii.

(b) *Qui.*] Quum haec querela daretur sub colore furoris ac dementiae , eam initio instituebant et ii , qui ob necessitudinem hereditatis spem conceperant , quamuis ipsis non deberetur portio legitima. Hinc testamenta materna tamquam inofficiosa accusabant liberi , etiam antequam eos ad successionem vocaret SC. Orphitianum. Plin. *Epist. V.* 1. Valer. Maxim. *VII.* 7. Schulting. *exercit. singul. ad illud Caput Valerii Max.* addita editioni Torrentianae. Id vero iure nouo aliter se habere , obseruat VLPIAN. *lib. XIIII. ad edict. l.* 1. *D. de inoffic. testam.* Cognatos enim proprios , qui sunt vltra fratrem , melius , ait , facturos , si se non vexent sumtibus inanibus , quum obtinendi spem non habeant. Ceterum quod ad liberos attinet , testamentum paternum rescissuros , nihil

tum (c) INOFFICIOSVM DICERE volet (d), eo, quod se iniuste exheredatum, praeteritumue, neque quartam partem (e) portionis ab intestato debitae sibi relictam esse quenihil interest, postumi sint, an viuo testatore nati, an vtero extracti. Si, cui ius succedendi non est, hanc querelam instituit, non actori prodest victoria, sed ei, qui ius succedendi habet. Heredibus etiam ius est de inofficioso queri, si iam bonorum possessionem agnouerit defunctus, vel querela ipsa sit praeparata. VLPIAN. *Lib.* XIIII. *ad edict. l.* 6. D. *eod. tit.* An pater filii nomine, eoque inuito recte queratur? item an exheredatus, qui tamen hereditatem possidet, querelam per modum contradictionis recte moueat? denique an et impubes arrogatus ac postea exheredatus, quartam D. Pii hac querela consequatur? disquirit VLPIAN. *ibid. l.* 8. *pr.* §. 13. *et* 15. *D. eod. tit.*

(c) *Testamentum.*] Nec ideo subsistit testamentum, quod in eo princeps heres est institutus. VLPIAN. *Lib.* XIIII. *ad edict. l.* 8. §. 5. D. *eod. tit.* Semper enim boni Principes adspernabantur illa morientium iudicia, quae pietatem laederent, et cum cognatorum iniuria essent coniuncta: §. 8. *Inst. quib. mod. test. infirm.* secus ac Caligula, qui testamenta omnia, quibus sibi nihil esset relictum, tamquam ingrata et inofficiosa rescindebat. Sueton. *in Calig. cap.* 38. Praeterea et contra patris veterani testamentum querelae erat locus, non tamen si esset militare, et miles intra annum a missione decessisset. VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 8. §. 3. 4. D. *de inoffic. test.* iuncta *l.* 1. D. *de pecul. castrens.*

(d) INOFFICIOSVM DICERE.] Edictalia fuere haec verba, quae ex instituto interpretatur Marcellus *lib.* III. *Digest. l.* 3. D. *de inoffic. testam.* Attamen huic actioni locus non est, si quis litem simul dereliquerit, vel pater pupillariter substituerit filio, matre excluſa, vel si quis praeteritus exheredatusue testamentum agnouerit, cet. VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 8. §. 1. 5. 6. 7. 10. 11. 12. *D. de inoffic. testam.*

(e) *Quartam partem,* De quartae origine nos alibi. Recte enim Ian. a Costa *ad princ. Inst. de inoffic. testam.* Chifflet. *de legit. port. cap.* 3. *p.* 726. *tom. V. Thesaur. iur. ciuil.* Anton. Schulting. *Iurispr. vet. anteiustin. p.* 381. ostenderunt, eam vere esse ex lege Falcidia, eiusque interpretatione.

BIU Cujas

queratur: illi eo nomine intra quinquennium querelam dabo. (f)

TIT.

tione. Nam et in quarta portionis ab inteſtato debitae conſtitit, et diſerte vocatur QVARTA FALCIDIA, tum a Paullo *Recept. Sent.* IIII. 5. 5. tum ab VLPIANO *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 8. §. 9. *et* 14. D. *eod. tit.* De modo computandi portionem legitimam idem agit VLPIAN. *lib.* XIIII. *ad edict. l.* 8. §. 8. 9. *D. eod. l.* 42. *D. ad leg. Falcid.*

(f) *Querelam dabo.*] CONQVERI vel QVERI εὐφημίας ἕνεκα dicuntur, qui cum cognatis aliisque neceſſariis agunt. Voſſ. *Inſtit. Orat. l.* 6. 2. Ger. Noodt *Comment. ad Pand. p.* 148. Ant. Schulting. *ad Valer. Maxim. VII.* 7. *p.* 908. *ſequ.* De effectu huius querelae agit VLPIAN. *ibid. l.* 8. §. 14. *et* 16. *D. de inoffic. teſtam. l.* 4. *D. de his, quae vt indign. l.* 14. *D. de adpellat.* Poſſitne vna cum hac querela ſimul inſtitui iudicium de libertate, an illud potius differendum ſit, diſquirit idem VLPIAN. *ibid. l.* 7. *princ.* §. 1. 2. *D. de hered. petit.* eoque etiam pertinent fragmenta ex *eod. lib.* XIIII. *l.* 1. *D. de fideicomm. libert. et l.* 19. *D. de ſtatulib.* Ceterum mirum eſt, ne vnicum quidem ſupereſſe PAVLLI fragmentum, quod ad hunc titulum referri poſſet. Cuius rei non aliam video rationem, quam quod hic iurisconſultus ſingulari libro de inofficioſo teſtamento hoc caput iuris exhauſerat, immo praeter illum ediderat etiam librum de *centumuiralibus iudiciis*. Ita enim legendum in inſcriptione *l.* 18. *l.* 23. *l.* 32. *D. de inoffic. teſtam.* non de *ſeptemuiralibus iudiciis*, vti Florentiae legitur, quamuis haec lectio adriſerit Cuiacio *Obſeru.* XIV. 14. Quod cum alii, tum accuratiſſime demonſtrauit Io. Frid. Gronou. *Obſ.* IIII. 2. Quum vero in centumuiralibus illis iudiciis vel maxime audirentur querelae de inofficioſis teſtamentis, vti docuit Ted. Siccama de *iudic. Centumuir. I.* 5. *et* 6. fieri non potuit, quin Paullus hanc materiam et in hoc libello accuratius exponeret. Quid ſi ergo vir occupatiſſimus praeteruectus ſit hoc edictum, lectoremque, vti fieri ſolet, ad haec opera ſua remiſerit?

BIU Cujas

TIT. XXXII. (a)

DE HEREDITATIS PETITIONE.

(VLPIAN. LIB. XV.)

SI quis HEREDITATEM (b), quam sibi obuenisse dicat, petet (c), ei aduersus eum, qui PRO HEREDE,

(a) TIT. XXXII.] De ordine iam supra diximus. Sententiam restituere non adeo difficile fuit, quia quinquaginta supersunt fragmenta, quae ad eius interpretationem pertinent. Quin non infeliciter hoc edictum iam restituit Ger. Noodt *Comment. ad Pandect. p.* 175. qui etiam recte obseruat, non ex edicto, sed ex SCo, Hadriani temporibus facto, esse laciniam, quam nonnulli huic capiti adsuunt: ITEM SI QVID IN HEREDITATE DAMNI DATVM FACTVMVE ERIT, SIVE QVID EO NOMINE AVT ABERIT ALICVI, AVT AD EVM PERVENERIT, PRAESTETVR.

(b) HEREDITATEM.] Hac occasione non modo HEREDITATEM definiuerunt edicti interpretes veluti IVLIAN. *Lib. VI. Digest. l.* 62. D. *de regul. iur.* CAI. *lib. VI. ad edict. prouinc. l.* 24. *D. de verb. signif.* verum etiam quibus modis deferatur hereditas, explicarunt. Nimirum illa ad nos pertinet vel VETERE IVRE, vel NOVO. Vetere, veluti ex lege XII. tabularum, vel *ex testamento*, vel ab intestato: nouo, veluti ex SC. Tertulliano et Orphitiano, constitutionibus principum, cetera. CAI. *lib.* VI. *ad edict. prouinc. l.* 1. *l.* 3. *D. de hered. petit.* Deinde heres quis efficitur vel SVO NOMINE, si ipse sit institutus, vel a LEGE ad hereditatem vocatur, vel PER ALIOS, veluti per liberos et seruos suos. VLPIAN. *lib.* XV. *ad edict. l.* 2. D. *eod. tit.* Per προλῆψιν hic monuit idem VLPIAN. *ibid. l.* 4. *D. vt leg. vel fideicomm. causs. caueat.* hereditatem petiturum ex fideicommisso, vel eamdem ex fideicommisso possidentem legatariis legatorum seruandorum cauſſa cauere debere, eoque non cauente, hos in possessionem esse mittendos.

(c) *Petet.*] Petit heres, cui vere delata est hereditas. Vtilem tamen hereditatis petitionem habet etiam is, qui hereditatem vel totam, vel pro parte a fisco mercatus est. Sed et heres debitoris hereditatem pe-

BIU Cujas

DE, (d) PROVE POSSESSORE POSSIDEBIT (e), iudicium

tendo id, quod defunctus pignori dederat, consequitur. IVLIAN. *lib. VI. Digestor. l.* 54. *pr. §.* 1. *D. de hered. petit.*

(d) PRO HERede.] Tenetur petitione hereditatis, qui vel ius vel rem hereditariam pro herede vel pro possessore possidet. VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 9. *D. eod. tit.* Rem hereditariam diximus, et quidem etiam minimam. Qui enim ex asse, vel pro parte heres est, intendit quidem hereditatem suam esse, siue totam, siue pro parte: attamen id ei tantum restituitur officio iudicis, quod aduersarius possidet. CAI. *lib. VI. ad edict. prouinc. l.* 10. *D. eod. tit.* Ceterum PRO HERede POSSIDERE dicitur, qui se putat heredem esse. Sed et bonorum possessor pro herede possidere videtur. VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 11. *pr. D. eod. tit.* Qui alteri hereditatem ex fideicommisso restituit, non tenetur, nisi dolo malo id fecerit. VLPIAN. *ibid. l.* 13. §. 2. 3. *D. eod.* At tenetur emtor hereditatis, vel qui hereditatem restituit, retenta sibi certa quantitate, vel certis fructibus. VLPIAN. *ibid. l.* 13. §. 4. *vsque ad* 11. *D. eod. tit.* Praeterea petitur hereditas tantum ab eo, qui suo, non alieno, nomine possidet: VLPIAN. *ibid. l.* 13. §. 12. *D. eod. tit.* nisi quis liti se offerat. CELS. *lib. IIII. Digest. l.* 45. *D. de heredit. petit.* Denique pro possessore habetur, qui dolo possidere desiit, nisi possessor iudicium accipere paratus sit. VLPIAN. *l.* 13. *l.* 14. *D. eod. tit.* De debitore hereditatis pluribus egerunt VLPIAN. *ibid. l.* 13. §. 15. *l.* 16. *pr. D. de hered. petit.* PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 14. *D. eod.* CAI. *lib. VI. ad edict. prou. l.* 15. *D. eod. tit.* PAVLL. *ibid. l.* 2. *D. quor. bonor.* De iis denique, qui pretia rerum hereditariarum possident, negotia hereditaria gesserunt, vi deiecti sunt, deieceruntue, aliisque, a quibus possit, vel non possit peti hereditas, disseruerunt VLPIANVS *lib. XV. ad edict. l.* 16. §. 1. *vsque ad* 7. *l.* 18. *princ. §.* 1. *D. de heredit. pet.* CAI. *ibid. l.* 17. *D. eod. et l.* 1. *D. pro emtor.*

(e) PRO POSSESSORE POSSIDEBIT.] *Pro possessore possidet*, qui interrogatus cur possideat, nihil habet, quod respondeat, nisi illud: possideo, quia possideo, nullamque adeo caussam possessionis dicere potest. Vnde et fur et raptor hereditatis petitione tenentur. VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 11. §. 1. *l.* 13. *pr. D. eod.* Talem

cium dabo, vt restituatur. (f)

lem causſam reddit Paris apud Libanium, qui interrogatus, cur possideat Helenam, respondit: ὅτι ἔλαβον, *quia accepi*, itemque apud Plutarchum Philippus Macedo, qui de possessa Haloneso interpellatus: ἔχω, inquit, ὅτι ἔχω, *habeo, quia habeo.* Grot. *Florum sparſ. p.* 137. Potest vero quis omnibus titulis pro possessore possidere, veluti *pro emtore*, si e. g. a furioso sciens emerit, *pro dote*, si a minore XII. annis acceperit. VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 13. §. 1. *D. de hered. petit.* Eam enim ante aetatis annum XII. iura vxoris non habuisse, nec proinde dotem constituere potuisse, ostendimus *in Comment. ad Leg. Iul. et Pap. II.* 5. *pag.* 182. Item titulo *pro suo*, quem titulum ex instituto hic explicauit VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 13. §. 8. *D. de hered. pet. l.* 126. *princ. D. de regul. iur.*

(f) *Restituatur.*] Hereditatis petitio olim vere erat iudicium in rem, in quod praestationes personales non veniebant. Ger. Noodtius *Comment. ad Pand. h. t. p.* 175. Postea illa tum ex edicto perpetuo, tum ex SCto vix biennio ante hoc edictum condito actionis mixtae naturam induit. Ex eo itaque tempore in hereditatis petitionem veniebant I. vniuersae RES HEREDITARIAE, tum iura, tum corpora: VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 18. §. 2. *D. de hered. petit.* et ex his illa quoque, quorum periculum ad heredem pertinet, quamuis in defuncti bonis non fuerint, e. g. res ei oppignoratae, PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 19. *pr. D. eod. tit.* siquidem et pignoris persequutio per se actionem in rem parit, VLPIAN. *ibid. l.* 17. *D. de pignor.* nec non in quibus possessor retentionem habuit, non tamen seruitutes, PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 19. §. 2. 3. *D. de hered. pet.* quamuis si ipsa praedia rustica vel vrbana possessoris negligentia deteriora facta sint, peti possit aestimatio, IVLIAN. *lib. VI. Digest. l.* 54. §. 2. *D. eod. tit.* Deinde in hereditatis petitionem veniunt, II. quae HEREDITATIS CAVSSA erant COMPARATA, vti mancipia, pecora, item quae pecunia hereditaria hereditatis causſa emta. Quae enim sui causſa emerat possessor, non ipsa petuntur, sed eorum pretium. VLPIAN. *ibid. l.* 20. *princ. D. eod. tit.* Quod adeo verum est, vt iniuriarum actionem habeat, qui seruum, quem pecunia quidem hereditaria, at sui tamen causſa comparauit, distrahere volens, ab herede prohibetur. VLPIAN. *ibid. l.* 24. *D. de iniur.* Sed pleraque haec, vti diximus, originem debent Senatusconsulto, paullo ante edictum

BIU Cujas

perpetuum condito, quod integrum exstat apud VLPIANVM *lib.* XV. *ad edict. l.* 20. *§.* 6. *D. de hered. petit.* Quum ergo in eo interpretando prolixissimi fuerint, quicumque ex veteribus edictum perpetuum iustis commentariis illustrarunt, et ego in scriniis meis reperiam dissertatiunculam, in qua multis abhinc annis de hoc SCto quaedam in chartam conieceram, lectu omnino non indigna: putaui me gratiam inturum a lectore humanissimo, si facta digressione, potiora inde decerpta, hic exhiberem.

DE SENATVSCONSVLTO HADRIANI TEMPORIBVS FACTO, QVOD EXSTAT L. XX. §. 6. DIG. DE HEREDIT. PETIT.

EXCVRSVS.

Dies et Coss. quibus hoc SC. conditum.

I. SOllemne erat Romanis, scripturis Senatusconsultum, diem et Coss. eius anni, quo conditum illud fuerat, in principio statim accurate exprimere, vt nec tempus, quo prodiisset, nec magistratus, qui ea de re ad Senatum retulisset, a posteris ignoraretur. Obseruatum id sane in SCtis omnibus, quae integra supersunt, quaeque mira diligentia collegit Brisson. *de Form. lib. II. p.* 192. Neque ab eo more discessum in SC. antiquissimo de bacchanalibus, quod e tabula aenea, a Iac. Gronouio, Raph. Fabretto et Io. Clerico editum pererudito commentario illustrauit V. A. Corn. van Bynkershoek *de relig. peregr. p.* 259. *sequ.* Ita et SCti nostri auctores: PRIDIE IDVS MARTIAS Q. IVLIVS BALBVS ET P. IVVENTIVS CELSVS TITIVS AVFIDIVS OENVS SEVERIANVS CONSVLES VERBA FECERVNT. Inde vero discimus, conditum esse hoc SC. anno v. c. 881. quippe cui anno licet consules ab Eusebio dentur ΚΕΛΣΟΣ ΚΑΙ ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ, a Prospero Aquitanico vero, Cassiodoro et auctore fastorum Oxoniensium apud Petr. Reland. *Fast. p.* 799. CELSVS ET MARCELLINVS: SCto tamen nostro plane suffragatur vetus marmor apud Gruter. *Inscr. p.* 573. 2. quod 12. Kal. Mart.

BIU Cujas

Mart. eiusdem anni praefert P. IVVENTIVM CELSVM, II. Q. IVLIVM BALBVM cos. At quum et Marcellus cos. quem Eusebius Prosper Aquitanicus et Cassiodorus Iuuentio collegam adiungunt, in vetusto monumento repertus sit ab Henr. Norisio *Epoch. Syro-Maced. diss. V.* 3. *p.* 498. in eoque occurrant MARCELL. ET CELS. II. cos. oportet sane Q. Iulium Balbum agnomen Marcelli vel Marcellini tulisse, vt adeo SC. hoc scriptum sit prid. Id. Martias *Q. Iulio Balbo Marcello* et *P. Iuuentio Celso coss.*

An in eo coss. ordinariis iungantur suffecti?

II. Sed ne sic quidem res in vado est. Quo enim pertinere dixeris tot alia nomina et cognomina, TITVS (vel, vti Florentiae legitur, TITIVS) AVFIDIVS, OENVS, (al. ARRIVS) SEVERIANVS? Suffectos hos esse, suspicantur plerique, quamuis ne hi quidem in nominibus eorum genuinis satis conueniant. Onuphrius enim Panuinius eos vocat *T. Aufidium* et *Arrium Seuerianum*, alii *T. Aufidium* et *Hoenium Seuerianum*, alii *T. Aufidium* et *Ennium Sergianum*: Almeloueen *in Fast. coss. p.* 86. *T. Aufidius Fronto* et *Arrius Seuerianus*. Immo Rupertus omnia illa cognomina vni tribuit T. Aufidio, et sic nobis fingit hoc par consulum: *T. Aufidium Hoenium Seuerianum* et *Neratium Marcellum*. Sed pleraque haec omni fundamento destitui, obseruauit V. C. quo olim collega suauissimo vsus sum, Petrus Wesselingius *Obseru. var. II.* 21. *p.* 233. Et sane sine exemplo est, in SCtis simul exprimi consulum ordinariorum et suffectorum nomina: et in codice Florentino non *Titus* legitur, sed *Titius*, quod non praenomen, sed nomen est: Alciat. *Parerg. V.* 20. praeterea Panuinius, et qui eum sequuti sunt, non e vetustis monimentis eruerunt hoc par consulum, sed ex ipso SC. nostro, quod aliter explicari non posse existimarunt, quam si ponamus, P. Iuuentium Celsum et Q. Iulium Balbum ordinarios. T. Aufidium et Oenum Seuerianum suffectos Coss. fuisse. At laudatus Wesselingius ostendit, nihil nos cogere, vt haec consulum suffectorum nomina esse existimemus: quum illo aeuo, quo SC. hoc prodiit, fere in mores iuisset, vt viri primarii sex pluribusque variarum gentium Romanarum cognominibus vterentur, eiusque rei luculentissima exstent apud Gruter. *Inscr. pag.* 437. 1. *pag.* 375. *pag.* 433. 4. et passim alibi. Quare verosimilius est, omnia haec

BIU Cujas

fuisse Iuuentii Celsi cognomina, ac proinde hoc SC. conditum esse PRIDIE IDVS MARTIAS Q. BALBO (Marcello,) et P. IVVENTIO CELSO, TITIO, AVFIDIO OENO SEVERIANO, COSS.

Libellus huic SC. praemissus.

III. Senatusconsulta tum fiebant non tam de amplissimi ordinis sententia, quam ex voluntate principum, qui ideo, oratione praemissa, quid fieri vellent, Senatui significabant. Vnde passim oratione principis cautum dicitur, quod SCto aliquo fuerat cautum. *l.* 9. *D. ad SC. Tertull. l.* 4. *C. de professor. l.* 2. *D. de ser. l.* 1. *D. ne de statu def. l.* 16. *l.* 60. *l.* 67. *§.* 3. *D. de ritu nupt. l.* 16. *D. de sponsal.* de quo more plura obseruauit Barn. Brisson. *Select. Antiqu. lib. I. cap.* 16. Idem etiam hic factum esse animaduertimus. Coss. enim tum VERBA FECERVNT DE HIS, QVAE IMP. CAESAR, D. TRAIANI, PARTHICI, FILIVS. D. NERVAE NEPOS, HADRIANVS AVG. PONT. MAX. P. P. V. NONAS MARTIAS, QVAE PROXIME FVERVNT, LIBELLO COMPLEXVS FVERAT, QVID FIERI PLACEAT: DE QVA RE ITA CENSVERVNT. Quae ad Hadriani titulum, qui in Pandectis nostris corruptissimus est, pertinent, ea iam in commentario hoc ad Edicti prooemium occupauimus. LIBELLVS autem vocatur haec Hadriani oratio, fortassis, quod tum abesset Hadrianus. Solida enim satis videtur obseruatio Iac. Gutherii *de Offic. dom. Aug. I.* 30. Imperatores praesentes *orationibus*, absentes *epistolis* vel *libellis* monuisse Senatum, quid fieri vellent. Ita enim ipsum Augustum fecisse refert Sueton. *cap.* 65. *Absens et* LIBELLO, *per quaestorem recitato, de filia notum senatui fecit.* Et de Tiberio testis est Dio Cass. *lib. LVIII. pag.* 627. eum libello, (quem ipse vocat ἐπιστολὴν μακρὰν,) Capreis Romam misso de Seiani criminibus conquestum esse, eoque et illa Iuuenalis *sat. X. v.* 71. pertinent:

Verbosa et grandis EPISTOLA *venit*
A Capreis.

Vbi Scholiastes: *Multa superflua ad populum Principes solent* SCRIBERE. Norisius quidem Cardinalis *de Epoch. Syro-Maced. Diss. V.* 3. *pag.* 438. et Tillemont. *histor. impp. tomo II. part. II. pag.* 403. ex hoc ipso libello in senatu tum lecto, colligunt, Hadrianum ineunte illo anno adhuc Romae fuisse: sed tantum abest, vt id inde

BIU Cujas

de probari possit, vt vel hoc testimonium sufficere videatur, ad eius absentiam demonstrandum, nisi iam alii aliunde obseruassent, Hadrianum eo tempore lustrasse Syriam et Arabiam. Conf. Ren. Bottereau. *Hadr. Legisl. pag.* 17.

Ex eo libello quaedam fragmenta supersunt.

IIII. Attamen quemadmodum Suetonius *Tiber. cap.* 65. epistolam illam Capreis Romam a Tiberio missam, *orationem* vocat, eaque vocabula et alios auctores frequenter vsurpasse promiscue, Casaubonus ad eum locum obseruat: ita et libellum hunc Hadriani ORATIONEM non semel adpellitat PAVLLVS IC. *lib. XV. ad edict. l.* 22. *et l.* 40. *princ. D. de hered. petit.* Immo et verba quaedam ibidem seruauit ex hoc libello: et quidem *d. l.* 22. sequentia: DISPICITE, PATRES CONSCRIPTI, NVMQVID SIT AEQVIVS, POSSESSOREM NON FACERE LVCRVM, ET PRETIVM, QVOD EX ALIENA RE PERCEPERIT, REDDERE, QVIA POTEST EXISTIMARI, IN LOCVM HEREDITARIAE REI VENDITAE PRETIVM EIVS SVCCESSISSE, ET QVODAMMODO IPSVM HEREDITARIVM FACTVM: *lege* vero 40. *pr. D. eod.* haec pauca: vt POST ACCEPTVM IVDICIVM ID ACTORI PRAESTETVR, QVOD HABITVRVS ESSET, SI EO TEMPORE, QVO PETIT, RESTITVTA ESSET HEREDITAS. Plura huius orationis fragmenta me deprehendere non memini. Vel ex his autem satis constat, tota illa oratione id egisse Hadrianum, vt Senatui huius nouae sanctionis aequitatem verbis argumentisque exquisitissimis commendaret.

Occasio SC. ex hereditate caduca Rustici. Quis ille Rusticus?

V. Sed redeundum iam est ad ipsum SC. cuius occasionem nobis verba, quae proxime sequuntur, luculenter describunt. Ait enim Senatus: QVVM ANTEQVAM PARTES CADVCAE EX BONIS RVSTICI FISCO PETERENTVR, HI, QVI SE HEREDES ESSE EXISTIMANT, HEREDITATEM DISTRAXERINT. Celeberrima iis temporibus fuit Rusticorum familia, quae seuerioris philosophiae laudem, tamquam gentilem quamdam possessionem quam diutissime retinuit. Eorum iustum stemma, quantum fieri potuit, confecit Thom. Reines. *epist. ad Rupert. XXXIIII. pag.* 216. quod hic paullo locupletius et nos exhibebimus:

L. Iv-

BIU Cujas

L. IVNIVS MAVRVS, Lar. Auguſt. Magiſter, apud Gruter. *Inſcript. pag.* 1068. 8.

IVNIVS MAVRICVS
ſub initium principatus Veſpaſiani.
Tacit. *Hiſtor. IIII.* 40.

Vxor II. Vxor II.

POMPONIA GRATILLA vxor II. Aruleni Ruſtici, cui vidua nupſit. Relegata a Domitiano. Plin. *Epiſt. III.* 11.

= N. =

IVNIVS ARVLENVS RVSTICVS, philoſophus Stoicus, a Domitiano interemtus, Sueton. *Domitian. cap.* 10. Tacit. *Agricol. II.* Dio Caſſ. *lib. LXVII. pag.* 765. Plutarch. *de curioſ. pag.* 522. *Tom. II.*

IVNIVS MAVRICVS, exſul ſub Domitiano. Plin. *Epiſt. I.* 5. *et* 14. III. 22.

IVNIA ſoror = Vettius Bolanus, legionis ductor. Tacit. *Annal. XV.* 3. rexit Britanniam anno 821. Tacit. *Hiſt. II.* 65. *Agric. cap.* 8. *et* 16.

Aſſudius Curianus, Gratillae ex priore matrimonio filius, a matre exheredatus, Plinio herede inſtituto. Plin. *Epiſt. V.* 11.

Q. IVNIVS RVSTICVS, cui rhetorem quaerit patruus Iunius Mauricus. Plin. *Epiſt.* II. 15. Coſ. ann. 872.

Fratres quidam Iunii Ruſtici, quorum meminit Plin. *Epiſt.* II. 15. inter quos fortaſſis *Iunius Mauricianus*, ICtus, de quo infra §. 309.

Iunia virgo, cui Plinius maritum inuenit. Plin. *Epiſt. I.* 14.

= Minucius Acilianus Brixienſis Trib. pleb. Praetor. et Senator. *Epiſt. I.* 14.

M. Vettius Ruſticus Bolanus coſ. anno 863. Gruter. *Inſcript. pag.* 128. 5. et 169. 7.

IVNIVS RVSTICVS, philoſophus Stoicus, Marci Antonini Imp. praeceptor, Iul. Capitol. *Marc. cap.* 2. et M. Antonin. *εἰς ἑαυτὸν lib. I. cap.* 7. Conſul ſuffectus anno 915. Gruter. *Inſcr. pag.* 181. 3. praefectus vrbi et amicus imperatorum vocatur a DD. fratribus. *l.* 1. §. 3. *D. de adpellat.* idem vt videtur, qui Iuſtinum Martyrem capitis damnauit. *Acta S. Iuſtini philoſophi et ſociorum eius*, apud Ruinart. *Act. mart. ſel. pag.* 58.

Iam

Iam ex hac tabula facile patet, non posse hic intelligi *Iunium Arulenum Rusticum*, qui iam Domitiani temporibus perierat. Sueton. *Domit. cap.* 10. nec *L. Iunium Rusticum*, qui diu post SC. nostrum superfuit, et anno 914. consul fuit: nec *Q. Iunium Rusticum* vel *M. Vettium Rusticum Bolanum*, qui filium reliquerunt, vt adeo vix adpareat, cur caducae factae sint partes quaedam hereditatis, ab iis relictae. Rustici sane, cuius in SCto fit mentio, PARTES CADVCAE FISCO PETEBANTVR, isque non suos heredes reliquerat, sed eos, QVI SE HEREDES ESSE EXISTIMABANT, ac proinde hi eius hereditatem bona quidem fide possidebant, nec tamen heredes erant, vti verba illa interpretatur VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 20. §. 12. *D. de hered. petit.* Iam quum notum sit, caduca non cessisse fisco, si quis testamento facto decessisset, isque liberos parentesue vsque ad tertium gradum heredes haberet, siue alios quoscumque, qui heredes haberent, heredes instituisset: Vlpian. *tit.* 18. §. 1. Rusticum illum, cuius SC. nostrum meminit, non liberos aliosue legitimos heredes reliquisse oportet, quippe quibus ius fuisset capiendi caducas coheredum partes, sed extraneos, quibus solis fiscus portiones caducas praeripiebat. Qua de re ex instituto diximus *in Comment. ad leg. Iul. et Pap. III.* 3. *pag.* 385. *sequ.* Id vero in neminem rectius quadrare dixeris, quam in IVNIVM MAVRICVM, cuius senectus in hanc aetatem incidit, quique liberos non videtur reliquisse, quamuis fratris Aruleni liberos, tamquam suos, diligeret, teste Plinio *Epist. II. cap.* 18. Potest tamen et ex Aruleni Rustici filiis, quibus Plinius rhetorem quaerebat, aliquis ἄπαις et testatus obiisse, institutis extraneis, ab iisque fiscus petiisse partes caducas, maxime, quum non satis certum sit, ipsum Iunium Mauricum vel Rustici tulisse cognomen, vel vitam ad annum 881. produxisse.

Proprie hoc SC. ad caduca et vacantia pertinuit: an ad sola?

VI. Quum itaque Rusticus ille, quisquis fuerit, condito testamento extraneos scripsisset heredes ac legatarios, ex iisque quidam vel post mortem testatoris ante aditam hereditatem, vel ante exsistentem conditionem decessissent, vel ob caelibatum similemue caussam tantum capere per leges non possent: (ex his enim caussis partes caducas factas esse nouimus ex Vlpiani *tit.* 17. et *l. vn.* §. 2. *C. de caduc. toll.*) et coheredes, antequam fiscus illas portiones peteret,

BIU Cujas

teret, pleraſque res hereditarias diſtraxiſſent, non ignari, ex iuris veteris principiis ab heredibus peti nihil poſſe, quod ipſi non poſſiderent: Hadrianus, ne huiuſmodi quid in fraudem legis caducariae in poſterum quoque fieret, ius iſtud antiquum hoc SC. duxit emendandum, ſanxitque prudenter, vt et, qui dolo poſſidere deſiiſſet, pro poſſeſſore haberetur, et pretium ex rerum hereditariarum venditione diſtractum in locum rerum ipſarum ſuccederet. Vtrumque enim primum hoc SCto inuectum eſſe, patet ex *l.* 27. §. 3. *l.* 20. §. 17. *D. de hered. petit.* Quamuis vero hoc SC. proprie pertineret ad bona caduca et vacantia, quae fiſco vel ciuitati petebantur: illud tamen poſtea et ad petitiones priuatorum, immo et ad omnes petitiones vniuerſitatis, veluti peculii caſtrenſis prolatum eſſe, monet VLPIAN. *ad edict. l.* 20. §. 7. *ſequ. D. eod.* Quare recte ICti duce ipſo Hadriano, inde formarunt regulam iuris: *pretium in vniuerſalibus ſuccedere in locum rei. l.* 22. *D. eod. l.* 18. *D. quod met. cauſſ. l.* 23. *D. de adim. legat.*

Primum SC. caput de vſuris pretii rerum hereditariarum venditarum non exigendis.

VII. Progredimur ad ipſam ſanctionem, cuius primum caput tale fuit: PLACERE REDACTAE EX PRETIO RERVM VENDITARVM PECVNIAE VSVRAS NON ESSE EXIGENDAS. *Redacta* dicitur pecunia, non modo quae iam exacta eſt, ſed et, quae exigi potuit, licet nondum exacta ſit. VLPIAN. *ibid. l.* 20. §. 15. *D. eod.* Huius vero vſuras hoc caſu ideo ab heredibus Ruſtici exigi vetat Senatus, quod, ANTEQVAM PARTES CADVCAE EX BONIS RVSTICI FISCO PETERENTVR, HEREDITATEM DISTRAXISSENT, adeoque nec in mora ſoluendi fuiſſent. Ceſſante autem mora, vſuras etiam in bonae fidei iudiciis peti non poſſe, expeditiſſimi iuris eſt. *l.* 32. §. 2. *D. de vſur.* Ac proinde aliter procul dubio eſſet pronunciandum, ſi, qui pro herede vel pro poſſeſſore poſſident, petita iam hereditate, res hereditarias diſtraherent. Tunc enim aut res ipſae cum fructibus in hoc iudicium veniunt, aut pretium eiuſque vſurae: vtrum nimirum petitor eligit, niſi forte vero ac iuſto pretio diſtractae ſint res ſteriles et tempore periturae. VLPIAN. *ibid. l.* 20. §. 16. *D. de hered. petit.* Ne ergo et malae fidei poſſeſſores res hereditarias quocumque tempore ſe impune alienare poſſe exiſtimarent:

BIU Cujas

rent: non sine caussa addit Senatus: IDEMQVE IN SIMILIBVS CAVSSIS SERVANDVM: vt scirent omnes, tunc demum pecuniae ex rerum hereditariarum distractione redactae vsuras exigendas non esse, si CAVSSA esset per omnia illi heredum Rustici SIMILIS, puta si qui bona fide pro herede possident, hereditatem, nondum petitam distraxerint. Attamen postea et ad malae fidei possessores hoc SC. quodammodo produxit Seuerus Imp. in Epistola ad Celerem, cuius meminit VLPIAN. *ibid. l.* 20. §. 12. 13. 14. *D. eod.*

Caput secundum de pretio in locum rerum succedente.

VIII. Sequitur alterum caput SC. de pretio in locum distractarum rerum hereditariarum in posterum successuro: ITEM PLACERE, A QVIBVS HEREDITAS PETITA FVISSET, SI ADVERSVS EOS IVDICATVM ESSET, PRETIA, QVAE AD EOS RERVM EX HEREDITATE VENDITARVM PERVENISSENT, ETSI EAE ANTE PETITAM HEREDITATEM DEPERISSENT DEMINVTAEVE FVISSENT, RESTITVERE DEBERE. Qua sanctione, ceu res ipsa docet, cauetur, vt pretia rerum hereditariarum distractarum petitori non minus, quam res ipsas restituere cogantur possessores, contra quos fuerit iudicatum. Vt vero ei iuri locus sit, requiritur primo, vt ADVERSVS POSSESSORES IVDICATVM SIT: alias enim ea est possidentium praerogatiua, vt rem tamdiu iure retineant, quamdiu eam alter suam esse non probauerit. §. 4. *Inst. de interdict.* Deinde redactam ex illis pretiis pecuniam ad possessores PERVENISSE oportet. *Peruenisse* autem creditur, siue exegerit illam, siue nondum exegerit, quum habeat actionem venditi, quam qui habet, rem ipsam habere intelligitur. *l.* 15. *D. de reg. iur.* Attamen eo casu cessa actione liberari hereditatis possessorem, aequissimum censet VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 20. §. 18. *D. de hered. pet.* Si quis vendiderit res hereditarias, iisque ab alio euictis, pretium inde redactum emtori restituere coactus sit, nihil restituit petitori, partim quod ad possessorem hereditatis nihil peruenit, partim quod res illae euictae non fuerunt hereditariae. Aliud si rem hereditariam sibi venditam redhibuerit emtor. Tunc enim ipsam rem hereditariam possidet, et ipsam adeo, non eius pretium restituere cogitur. Quae omnia latius exsequitur VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 20. §. 17. *sequ. de hered. pet.* Sed si quid ad heredem peruenit ex dolo defuncti, et heres in id, quan-

BIU Cujas

tum ad eum peruenit, conuenitur, sufficit, si vel momento ad eum peruenerit. PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 127. *D. de reg. iur.* Disquirit ea occasione IVLIANVS *lib. VI. Digest. l.* 20. §. 18. D. *de hered. petit.* an restituere teneatur possessor id, quod indebite exegit? itemque an imputari debitori possit, quod indebite soluit? et vtrumque negat. Cuius decisionis rationem reddere videtur PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 23. D. *de negot. gest.*

Quid si res apud emtorem deperierint, deminutaeue sint?

IX. Porro ad hoc secundum huius SC. caput obseruandum est, Senatum, quod ad rerum hereditariarum distractarum pretium attinet, nihil interesse censuisse, siue res illae distractae exstent apud emtorem, siue ANTE PETITAM HEREDITATEM DEPERIERINT, DEMINVTAEVE SINT. Vbi CAIVS *lib. VI. ad edict. prou. l.* 21. *D. de hered. petit.* DEPERDITVM *intelligi, quod in rerum natura esse desierit*: DEMINVTVM, *quod vsucaptum esset, et ob id de hereditate exiisset.* Et huc referendum etiam fragmentum VLPIANI ex *libro* 15. *ad edict.* (ita enim legendum esse pro *libro V.* iam supra ad *tit.* 15. *litt. d.* monuimus,) *l.* 9. D. *de verb. signif.* vbi τῷ PERISSE etiam scissum et fractum et vi raptum contineri dicitur. Siue vero *deperditum* aliquid, siue *deminutum sit*: is, qui pro herede possidet acceptum, eius rei pretium restituere cogitur, et malae quidem fidei possessor res ipsas reddere iubetur, vel si recuperare eas nequeat, tantum, in quantum in litem iuratum est: VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 20. §. 21. D. *de hered. petit.* bonae autem fidei possessor, in quantum factus est locupletior, adeo vt et poenam conuentionalem, quam emtor ob tardiorem solutionem praestitit, restituere cogatur: VLPIAN. *ibid. l.* 23. *D. eod.* non autem, si quid, quia vi deiectus est, vel quia ad iudicium non venit aduersarius, poenae nomine est consequutus. PAVLL. *ibid. l.* 24. D. *eod.* Similes casus ad hanc partem edicti explicant VLPIANVS *lib. XV. ad edict. l.* 25. *pr. et* §. 1. et PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 22. *D. eod.*

Tertium SC. caput de iis, qui dolo possidere desierint.

X. Tertium SC. caput ita se habet: ITEM (placere,) EOS, QVI BONA INVASISSENT, QVVM SCIRENT AD SE NON PERTINERE, ETIAMSI ANTE LITEM CONTESTATAM FECERINT, QVO MINVS POSSIDERENT,

BIU Cujas

SIDERENT, PERINDE CONDEMNANDOS, QVASI POSSIDERENT, EOS AVTEM, QVI IVSTAS CAVSSAS HABVISSENT, QVARE BONA AD SE PERTINERE EXISTIMASSENT, VSQVE EO DVNTAXAT, QVO LOCVPLETIORES EX EA RE FACTI ESSENT. Magnum ergo discrimen statuit Senatus inter praedonem et bonae fidei possessorem, eo casu, quo bona hereditaria non amplius exstant. Illum ita describit, QVOD BONA INVASERIT, QVAE SCIAT AD SE NON PERTINERE, adeoque isti praedones sunt, qui hereditatem inuaserunt, quum ab initio nullam caussam haberent possidendi. VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 25. §. 3. *D. de heredit. petit.* De casu, si ab initio quidam possessionem ex iusta caussa adeptus esset, postea vero conscius, ad se nihil hereditatem pertinere, praedonio more versari coepisset, nihil quidem dixerat Senatus: at VLPIANVS tamen parum referre putat, ab initio quis dolose in hereditate versatus sit, an postea hoc facere coeperit? At magis interest, factum quis sciuerit, an in iure errarit. Nam si putasset, recte factum testamentum, quum esset inutile, vel proximum se credidisset agnatum, quum eum alius antecederet, praedo dici non potest, qui dolo caret, quamuis in iure erret. VLPIAN. *ibid. l.* 25. §. 5. *et* 6. *D. eod. tit.* Tales itaque praedones pro possessoribus habentur, ETIAMSI ANTE LITEM CONTESTATAM FECERINT, QVO MINVS POSSIDERENT. Quod ideo adiectum, quod post litem contestatam, immo post controuersiam motam omnes incipiunt malae fidei possessores esse, et quasi praedones tenentur. VLPIAN. *ibid. l.* 25. §. 7. *D. eod. tit.* In malae fidei possessore autem et dolus praeteritus in petitionem hereditatis deducitur, immo et culpa. IDEM *ibid. l.* 25. §. 2. *D. eod. tit.*

Regulae huius sensus et origo.

XI. Itaque, qui praedo dolo malo fecit, quo minus possideat, ex SC. nostro PERINDE CONDEMNANDVS EST, QVASI POSSIDERET, idque siue dolo possidere desierit, siue dolo possessionem noluerit admittere: VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 25. §. 8. *D. eod. tit.* Ex quo loco etiam discimus, clausulae huic locum esse, siue res adhuc exstet, et ab alio possideatur, siue in totum non exstet. Priore enim casu et a possessore et ab eo, qui possidere dolo malo desiit, hereditas peti potest, et si per multos ambulauerit possessio, omnes tenentur, et quidem non modo ad hereditatem, sed et ad

BIU Cujas

fructus. Posteriore casu aduersus vtrumque in litem iuratur. VLPIAN. *ibid. l.* 25. §. 8. 9. 10. *D. eod. tit.* En itaque originem regulae totius, a iureconsultis nostris inculcatae: *Eum, qui dolo malo possidere desiit, pro possessore habendum esse. l.* 131. *D. de regul. iur. l.* 150. *l.* 157. *D. eod. tit.* Non illa sane vetus est, nec apud vilum veterum iurisconsultorum, qui ante edictum conditum floruerunt, reperitur, sed hoc ipso SCto introducta, posteaque interpretatione producta est ad pleraque alia iuris capita, veluti ad rei vindicationem, *l.* 17. §. 3. *D. de rei vindic.* ad actionem ad exhibendum, *l.* 9. *D. ad exhibend.* ad interdicta quorum bonorum, *l.* 1. *princ. D. quor. bonor.* quod legatorum, *l.* 1. §. 7. *D. quod legator.* de tabulis exhibendis, *l.* 3. §. 6. *D. de tabul. exhibend.* de liberis exhibendis, *l.* 1. *princ. D. de liber. exhib.* de precario, *l.* 2. D. *de precar.* ne quid in loco publico fiat: *l.* 2. §. 42. D. *ne quid in loc. publ.* denique ad actiones noxales, *l.* 12. D. *de noxal. act.* vbi semper qui dolo desiit possidere, pro possidente damnatur. Omnia, inquam, haec ex SCto nostro sunt, nec mirum est, Iulianum, qui post hoc SC. edictum composuit, ad regulam illam pleraſque actiones, vbi aduersus possessores agendum est, accommodasse. Viderunt hoc viri doctissimi, Iac. Raeuard. *ad l.* 131. *D. de reg. iur.* Ger. Noodtius *in Comment. ad Pand. p.* 135. et Schulting. in φρων. *tit. de alienat. iudic. mut. caus. facl.* In alia omnia vero iuit doctissimus Gundling. *in* φρων. *ad eumd. tit.* §. 12. *p.* 391. sed argumentis fisus nimis dilutis, quam vt euidentissimo testimonio Paulli in *l.* 27. §. 3. *D. de rei vindic.* opponi possint.

Bonae fidei possessor non restituit fructus perceptos, nisi quibus est locupletior factus.

XII. Ita de praedonibus et malae fidei possessoribus sanxerat Senatus: Quid vero de bona fide possidentibus? EOS, QVI IVSTAS CAVSSAS HABVISSENT, QVARE BONA AD SE PERTINERE EXISTIMASSENT, VSQVE EO DVMTAXAT, QVO LOCVPLETIORES EX EA RE FACTI ESSENT, condemnandos censuit. In rei vindicatione bonae fidei possessor fructus perceptos ante litis contestationem omnes suos facit, *l.* 48. *D. de adquir. rer. domin.* adeo, vt nec de consumtis teneatur, etiamsi sit factus locupletior. *l.* 4. §. 2. *D. fin. regund.* §. 2. *Inst. de offic. iudic.* At id non placuit Hadriano in hereditatis petitione, aequiusque visum est, possessorem non facere

BIU Cujas

facere lucrum, *l.* 22. *D. de heredit. petit.* Quemcumque ergo sumtum fecerint ex hereditate, vel si quid dilapidauerint, perdiderint, vel si inde lautius splendidiusque vixerint, vel si dimidiam hereditatem consumserint, dum se re sua abuti putant, nihil praestant: multoque minus, si quid alicui donauerint, quia eo non facti locupletiores, nisi forte ἀντίδωρα pretiosiora receperint. Quae omnia multis propositis casibus explicant VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 25. §. 11. *sequ. l.* 27. *l.* 29. *l.* 31. *l.* 33. *l.* 37. *D. de hered. petit.* PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 26. *l.* 28. *l.* 30. *l.* 32. *l.* 34. *l.* 36. *l.* 38. *l.* 40. *D. eod. tit. l.* 4. *D. de except.* CAI. *lib. VI. ad edict. prouinc. l.* 35. *l.* 39. *l.* 41. *D. eod. tit.* Omnia enim haec excerpere, et taedioſum, et ab instituti ratione alienum esset futurum.

A quo tempore hereditas fisco petita intelligatur?

XIII. Denique, quum petitae fisco hereditatis mentio in SCto facta esset: subiungendum Senatus putauit hoc vltimum caput: PETITAM AVTEM FISCO HEREDITATEM EX EO TEMPORE EXISTIMANDVM ESSE, QVO PRIMVM SCIERIT QVISQVE, EAM A SE PETI, ID EST, QVVM PRIMVM AVT DENVNCIATVM ESSET EI, AVT LITTERIS VEL EDICTO EVOCATVS ESSET, CENSVERVNT. Quaeri enim poterat, a quo tempore hereditas fisco peti videatur? Et respondet Senatus, EX EO TEMPORE QVO SCIERIT QVISQVE, EAM A SE PETI. Nam vbi scit: incipit malae fidei possessor esse. VLPIAN. *lib.* XV. *ad edict. l.* 20. §. 11. *D. de heredit. petit.* Scire autem hoc possessor intelligitur, ex quo ei denunciatum est. Nam qua fronte quis ignorantiam praetenderet, qui vel litteris vel edicto euocatus est? Nec tamen id ita intelligendum, ac si is, cui denunciatum non est, bona fide possideat. si vel maxime sciat, hereditatem fisco deberi. Nam et sic vsuras debet, quia malae fidei possessor esse incipit. Contra si denunciatum sit, et tamen nesciat, veluti, quod non ipsi, sed procuratori eius sit denunciatum: haec denunciatio illi fraudi esse nequit, quia Senatus possessori denunciari voluit, nisi forte procurator illum ea de re fecerit certiorem. Ceterum a quo denunciatum sit, nihil interest, quia ea de re nihil omnino senatusconsulto cautum est. VLPIAN. *lib.* XV. *ad edict. l.* 20. §. 11. *D. de hered. petit.*

Con-

BIU Cujas

Concluſio diſſertationis.

XIIII. Et haec quidem ſunt, quae ad illuſtrandum hoc SC. longe celeberrimum pertinere viſa ſunt: quaeque vel ideo praetermittenda non duximus, quod eius vſus quam latiſſime patet, et iuriſconſulti noſtri, qui edictum interpretati ſunt, illi plus fere chartae, quam ipſi edicto de hereditatis petitione impenderunt. At ne longius euagari videamur, iam e diuerticulo in viam redimus.

TIT. XXXIII. (a)

SI PARS HEREDITATIS PETATVR.

SI PARS HEREDITATIS PETITVR (b), ei, qui eam partem ſuam eſſe dicet, aduerſus eum, qui pro herede proue poſſeſſore poſſidebit, iudicium dabo (c), vt ea pro indiuiſo reſtituatur.

§. I.

(a) TIT. XXXIII.] Eumdem hic fuiſſe edicti, qui pandectarum, ordinem, certiſſimum eſt ex loco VLPIAN. *lib. XV.* (ita reſcribendum eſſe pro *lib. V. ad tit.* 15. *ſub litt. d.* monuimus,) *ad edict. l.* 1. *D. ſi pars hered. pet. Poſt actionem, quam proponit Praetor ei, qui ad ſe ſolum hereditatem pertinere contendit,* CONSEQVENS FVIT *et ei poponere, qui partem hereditatis petit.* Nec exiſtimandum eſt, vno titulo generali, ſicuti reſtitutiones in integrum, omnia haec hereditatis petitionis genera complexum eſſe Praetorem. Id enim ſi factum eſſet, vix crediderim, VLPIANVM a titulo de fideicommiſſaria hereditatis petitione nouum Commentariorum librum auſpicari voluiſſe.

(b) PETITVR.] Edictalia haec verba in rubrica ſeruaſſe Tribonianum, recte obſeruauit Gerard. Noodtius *in Comment. ad Pandect. h. t. p.* 188. cui et ipſum edictum nos maximam partem debere non diffitemur.

(c) *Iudicium dabo.*] Qui hereditatem eiuſue partem petit, is non ex eo metitur, quod poſſeſſor occupauit, ſed ex ſuo iure, et ideo, ſiue ex aſſe heres ſit, totam hereditatem petit, licet tu vnam rem poſſideas. Quod fuſius

BIU Cujas

§. I. Quandoque et incerta pars petetur (d), cauſſa cognita iudicium dabo.

TIT. XXXIIII. (a)

DE POSSESSORIA HEREDITATIS PETITIONE.

Cui

ſius interpretantur, variiſque caſibus illuſtrant VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 1. §. 1. 2. 3. 4. *D. ſi pars hered.* et CAI. *lib. VI. ad edict. prouinc. l.* 2. *D. eod. tit.*

(d) *Incerta pars petetur.*] Fundamentum huius clauſulae habes apud VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 1. §. *vlt. D. ſi pars hered. pet.* vbi *Praetorem interdum et incertae partis hereditatis petitionem indulgere, idoneis cauſſis interuenientibus*, monet. Et eo pertinet belliſſimus caſus de tergeminia in *l.* 3. *D. eod. tit.* VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 4. *D. eod. tit.* Alia huiuſmodi exempla geminorum, tergeminorum, pluriumque ſimul editorum paſſim occurrere apud Ariſtotel. *Hiſtor. animal. VII.* 4. Phlegont. Trall. et Antigon. *de Mirabil. II.* 9. *Noct. Attic. X.* 2. Tertullian. *de anima cap.* 6. iam obſeruauit Grot. *in flor. ſparſ. p.* 138. Nos hic addimus Plin. *Hiſt. natur. lib. VI.* Strabon. *lib. XV. l.* 3. *D. de reb. dub. l.* 36. *D. de ſolution.* ſimulque obſeruamus, non ſatis conuenire inter Paullum et reliquos. Ille enim mulierem quinquies quaternos enixam eſſe in Peloponneſo, Plinius, eamdem quater quinos peperiſſe ſcribit. Non mirum autem tergeminorum etiam naſcendorum curam fuiſſe Romanis, quibus Horatiorum tergeminorum virtus imperium ſeruauerat. In horum ſane memoriam priuilegium dederant tergeminis, vt ex publico alerentur. Dionyſ. Halicarn. *lib. III. Antiquit. Rom. p.* 215. adeoque eorumdem procul dubio virtuti iſti dederunt, vt nondum natis partes hereditatis paternae ſeponerentur. Sed haec hactenus. Illud quoque hic non praetermittendum, quod ex Iuliano hic monet VLPIAN. *lib. XV. ad edict. l.* 3. *D. de except. rei iudic.* exceptionem hanc obſtare, quoties eadem quaeſtio inter eaſdem perſonas reuocetur, ac proinde, ſi rebus ſingulis petitis hereditatem quis petat, vel contra, eum hac exceptione eſſe eſſe ſubmouendum.

(a) TIT. XXXIIII.] De huius quoque tituli genuino loco dubitare nos non patitur VLPIAN. *lib.*

BIU Cujas

CVi ex edicto meo bonorom possessio data erit, illi, si eam suam esse petet, aduersus eum, qui pro herede proue possessore possidebit, iudicium dabo, vt restituatur. (b)

TIT. XXXV. (a)

DE FIDEICOMMISSARIA HEREDITATIS PETITIONE.

(VLPIAN. LIB. XVI.)

SI hereditatem petet is, cui ex Senatusconsulto (b) ea restituta erit (c), aduersus eum, qui pro herede proue possessore

XV. ad edict. l. 1. D. de possess. hered. petit. vbi similis transitio: *Ordinarium fuit, post ciuiles actiones, heredibus propositas, rationem habere praetorem etiam eorum, quibus bonorum possessio data est.* Edictum ipsum iam ante nos feliciter restituit Gerard. Noodt *in Comment. ad Pandect. h. t.*

(b) *Restituatur.*] Per hanc hereditatis petitionem tantumdem consequitur bonorum possessor, quantum superioribus actionibus ciuilibus consequi potest. CAI. *lib. VI. ad edict. prouinc. l. 2. D. de possess. hered. pet.*

(a) TIT. XXXV.] Ordinem et hic facile praestabimus. VLPIANVS enim hic non modo librum Commentariorum XVI. auspicatus est, sed et in *l. 1. D. h. t.* hac transitione vtitur: *Ex ordine occurrit actio, quae proponitur his, quibus restituta est hereditas.*

(b) *Senatusconsulto.*] Trebelliano, temporibus Neronianis condito. *Nam quisquis suscepit restitutam hereditatem ex SC. ex quo actiones transeunt, fideicommissaria hereditatis petitione vti poterit*, inquit VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l. 1. D. de fideic. her. pet.* Quamuis enim alioquin heres fiduciarius iure ciuili, et post restitutam hereditatem, heres maneat: SC. tamen id temperatum est, *neque ambigitur Senatum ius facere posse.* VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l. 9. D. de legib.*

(c) *Restituta erit.*] Non interest, mihi quis rogatus sit restituere, an ei, cui heres exstiti, cuiue bonorum possessor fim, vel alius successor. VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l. 3. prine. D. de fideic. hered. pet.* Intelligitur autem restitutio non re, sed verbis, vel per epistolam facta, dum ea rite,

BIU Cujas

possessore possidebit (d), iudicium dabo, vt restituatur. (e)

TIT. XXXVI. (a)

DE REI VINDICATIONE.

(PAVLL. LIB. XXI. CAL. LIB. VII. IVLIAN. LIB. VII. CELS. LIB. V.)

SI quis (b) rem (c), tamquam suam iure domi-

te, et, si pupillus restituat, cum tutorum auctoritate facta sit. VLPIAN. *ibid. l.* 37. *D. ad SC. Trebellian.* De qua rite facienda restitutione, translatisque hoc modo actionibus agunt etiam VLPIAN. *ibid. l.* 39. *D. eod. tit.* et PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 38. *l.* 40. *l.* 42. *D. eod. tit.* Ceterum facta restitutione eae actiones transferuntur, quae transeunt ad heredes et in heredes competunt. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 2. *D. de fideicomm. hered. petit.*

(d) *Possidebit.*] Hanc enim actionem sciendum est, aduersus eum, qui hereditatem restituit, non competere. VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l.* 3. §. 1. *D. eod. tit.*

(e) *Restituatur.*) Itaque haec actio eadem recipit, quae hereditatis petitio ciuilis. PAVLL. *lib. XX. ad edict. l.* 2. *D. de fideicommiss. hered. petit.*

(a) TIT. XXXVI.] Ordinem hic quoque eumdem, ac in pandectis obseruatum esse, luculenter probatur testimonio VLPIANI *lib. XVI. ad edict. l.* 1. *princ. D. de rei vindic. Post actiones, quae de vniuersitate propositae sunt, subiicitur* ACTIO *singularum rerum petitionis.* Quae singularum rerum petitionis actio non alia est, quam REI VINDICATIO. Ipsum edictum periit. At quum supersint fragmenta veterum interpretum vltra quadraginta; non adeo difficile fuerit, illud restituere. Et iam occupauit hanc operam Ger. Noodt *in Comment. ad Pandect. h. t. pag.* 190. quem in plerisque sequimur.

(b) *Si quis.*] Patet haec actio omnibus, qui rem tamquam suam vindicare cupiunt. Enimuero quum paullo difficilior plerumque sit dominii probatio; vtilissima est admonitio CAII *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 24, *D. de rei vind. eum, qui destinarit rem petere, animaduertere debere, an aliquo interdicto nanciscì possit possessionem, quia commodius sit possidere, et aduersarium ad onera petitoris compellere, quam alio possidente petere.*

(c) *Rem.*] Non interest, *mobilis*

BIU Cujas

bilis sit res an *immobilis*, et illa quidem *animata* an *inanimata*, dum sit *corporalis*, et in dominio nostro constituta. *Incorporales* enim, quae nec traditionem nec vsucapionem, adeoque nec dominium admittunt, hac actione peti non posse, facile intelligitur. Cai. *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 43. §. 1. *D. de adquir. rer. domin.* Hinc LIBER HOMO, in potestate nostra constitutus, actionibus quidem praeiudicialibus potius, aut interdicto, aut cognitione praetoris petendus est, quam vindicandus: attamen et vindicari potest adiecta caussa EX IVRE QVIRITIVM. VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l.* 1. §. 1. 2. *D. de rei vindic.* Nimirum quum patria potestas nihil aliud fuerit, quam dominium iuris Quiritium. Bynkersh. *de iur. occid. lib. cap.* 1. *pag.* 145. et hinc recte Lactant. *diuin. Instit. lib. IIII. cap.* 3. *dominum eumdem esse* adfirmat, *ac patrem, idque etiam iuris ciuilis rationem demonstrare:* consequens erat, vt, quemadmodum *pater habebat liberorum auctoramentum*, teste Seruio *ad Virgil. Aeneid. XI. v.* 558. eosque tamquam res mancipi mancipare atque abalienare poterat: Cai. *Inst. lib. I. cap.* 6. §. 3. ita eidem et vindicare eosdem liceret, et quidem ex IVRE QVIRITIVM, quia nulli erant alii homines, qui tali in liberos potestate vtebantur, qua Romani vel Quirites vtebantur. §. 2. *Inst. de patr. potest.* Deinde non modo res singulae vindicantur, sed et VNIVERSITATES, non tamen *iuris*, sed *rerum*, veluti grex, armentum, equitium, licet singula capita nostra non sint, dum maior pars ad nos pertineat. VLPIAN. *lib. XXI. ad edict. l.* 1. §. 3. *et l.* 3. *D. de rei vindic.* PAVLL. *lib. XVI. ad edict. l.* 2. *D. eod. tit.* Contra et ACCESSORIA rerum separatim vindicantur, veluti armamenta nauis et scapha. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 1. *D. eod. tit.* MASSA ex diuersorum dominorum rebus ita CONFVSA COMMIXTAQVE, vt deduci et separari nequeant materiae, pro rata vindicantur a singulis domnis. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 2. *l.* 5. *princ. et* §. 1. *D. de rei vindic.* quamuis et communi diuidundo, et furti, et ad exhibendum hoc casu recte agatur. PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l.* 4. *D. eod. tit.* Ita et dominus equae, quam alterius equus impraegnauit, recte EQVVLVM vindicat, et dominus fundi ARBOREM alienam, quae in fundo suo radices egit, quum contra, si ea nondum coaluit, a domino recte vindicetur. VLPIAN. *ibid. l.* 5. §. 2. *D. eod. tit.* Vindicare etiam quis potest FVNDVM, eumque totum, quamuis alter in eo vsum-

dominii (d) vindicabit, neque ea res arbitrio iudicis restituetur,

vsumfructum habeat, quia vsusfructus non dominii pars est, sed seruitutis, nec falso dicitur meum esse, cuius nec vlla pars dici potest alterius esse. Ita cum IVLIANO PAVLLVS *lib. XXI. ad edict. l.* 25. *princ. D. de verb. signif.* qui et sequente §. de PARTE disputat, vtrum eius adpellatione res pro indiuiso an pro diuiso significetur. Prius Q. Mucio Scaeuolae videbatur: at Seruius Sulpicius eo vocabulo vtrumque significari statuebat, quem et PAVLLVS sequitur. Tam subtiliter hic vindicantur veteres, mereturque de quaestione, an vsusfructus sit pars dominii, legi Ger. Noodtius *de Vsufructu lib. I. cap.* 2. *pag.* 389. *tom. I. Op.* de controuersia vero illa inter Mucium et Seruium Franc. Balduinus *in Iurisprud. Mucian. pag.* 244. *sequ.* Vtrum plures agentes rem CONIVNCTIM, an DISIVNCTIM vindicent, ex verbis actorum iudicandum est. Oratio tamen, quae neque coniunctionem neque disiunctionem habet, ex mente pronunciantis vel pro coniuncta, vel pro disiuncta accipitur. PAVLL. *ibid. l.* 28. §. 1. *D. de verb. signific.* Denique CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 40. *D. de rei vindic.* hic recte monet, mulierem, quae intercedens fundum pignori dederit, eum, quamuis a creditore distractum, actione in rem recte petere, quia nullum pignus creditor vendidisse censeatur.

(d) *Iure dominii.*] Haec in rem actio competit ei, qui aut *iure gentium* aut *iure ciuili* dominium adquisiuit. Quumque adquiri illud non possit in rebus, quarum non est commercium: consequens est, vt loca sacra et religiosa, tamquam nostra, vindicari non magis possint, PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l.* 23. *princ.* §. 1. *D. de rei vindic.* quam littora et viae publicae, nisi simul vendita. PAVLL. *ibid. l.* 51. *D. de contrah. emt.* Recte contra vindicamus non modo, quae per OCCVPATIONEM adquisiuimus, et adhuc retinemus in dominio; verum etiam per modum ACCESSIONIS ius vindicandi consequimur in brachio vel pede alieno statuae nostrae *adiuncto*, in *scriptura*, *pictura* chartae tabulaeque nostrae illita, (quamuis quod ad posteriorem attinet, ob artis praestantiam rem mutauerit Iustinianus Imp. §. 34. *Inst. de rer. diuis.*) item in *adferruminatis*, non tamen

BIU Cujas

tuetur (e), aduersus illum, qui eam possidere dicetur (f), iudicium

in *ariete*, qui se gregi nostro adiunxit, nec in *tigno iuncto*. PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l.* 23. §. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *D. de rei vindic.* Sed et per TRADITIONEM ius vindicandi consequimur, siue ab ipso domino, siue ab eius procuratore facta sit. Non tamen rei dominicae dominium transfert Procurator Caesaris, nisi negotium Caesaris gerens consensu ipsius tradat. Qua de re ex instituto VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l.* 1. *D. de offic. procur. Caesar.* quemadmodum, licet Procurator Caesaris in venditione duplum vel triplum pro euictione promiserit: fiscus tamen tantum simplum praestat. Contra si ab eo, cui res fisci distrahendi ius est, distractum quid fuit, res illa, pretio soluto, statim fit emtoris. VLPIAN. *ibid. l.* 5. *D. de iur. fisc.* In priuatis dispiciendum est, an domini sint, an alienandi ius habeant, siquidem tunc nec dominium, nec ius vindicandi traditione transferre possunt. Hinc nec eos, quibus bonis a praetore interdictum est, traditione quidquam transferre, nec curatores furiosorum, si horum res, tamquam suas, tradiderint, quamuis res suas, tamquam furiosi tradere eos posse, non dubitetur. VLP. *lib. XVI. ad edict. l.* 10. *D. de curat. furios.* Quomodo et per seruos proprios et communes, immo et homines bona fide possessos, denique seruos fructuarios eorumque vicarios adquiratur, disquirit CAIVS *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 43. *pr. et* §. 2. *et l.* 45. *D. de adquir. rer. domin.*

(e) *Restituetur.*] Exigit hanc formulam ipsa negotii natura. Est enim rei vindicatio actio arbitraria, adeoque ad officium iudicis pertinet, iubere restitui, et possessore nolente eum condemnare simul in fructus pro qualitate possessionis. §. 2. *Inst. de offic. iudic.* PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 35. §. 1. *D. de rei vindic.* Add. Ger. Noodtius *in Comment. ad Pandect. h. t. pag.* 195.

(f) *Possidere dicetur.*] Qui petitorio iudicio vtitur, ne frustra experiatur, prius requirere debet, vtrum is, quocum instituturus est actionem, possessor sit, doloue possidere desierit. CAI. *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 36. *princ. D. de rei vindic.* Quo fine in rebus mobilibus prodita est actio ad exhibendum: vnde, quid EXHIBERE sit, ad hunc locum docet PAVLL.

BIU Cujas

iudicium dabo. (g)

§. I.

PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 2. *D. ad exhibend.* Tenetur ergo primum POSSESSOR, ex quacumque cauſſa poſſideat, dummodo habeat facultatem reſtituendi. VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l.* 9. *D. de rei vindic.* et tempore litis conteſtatae poſſideat. PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 27. *§.* 1. *D. eod. tit.* Nec intereſt, ſiue per ſe, ſiue per filium, ſeruumue quis poſſideat, quamuis his abſentibus ſine culpa patris vel domini tempus dandum, vel cauendum ſit de reſtitutione. PAVLL. *ibid. l.* 27. §. 4. *D. h. t.* Quid vero ſi res mobilis petatur, eaque non praeſens ſit, cuiuſnam illa ſumtibus erit reſtituenda. De eo caſu diſputant PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 10. *l.* 12. *D. eod.* et VLPIAN. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 11. *D. eod.* Deinde et, qui DOLO POSSIDERE DESIIT, hac in rem actione conuenitur, PAVLL. *ibid. l.* 27. *§.* 3. *D. h. t.* Quum vero dolo quis poſſidere deſinat per alienationem: quid ALIENATIO ſit, ad hunc locum exponit PAVLL. *lib.* XXI. (ita enim Florentiae legitur,) *ad edict. l.* 28. *princ. D. de verbor. ſignif.* Denique et illum pro poſſeſſore haberi, qui SE LITI OBIVLIT, docet idem PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 27. *princ. D. eod. tit.*

(g) *Iudicium dabo.*] Puta REI VINDICATIONEM, quae datur ad REM reſtituendam cum omni CAVSSA. VLPIAN. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 13. *l.* 15. *l.* 17. *l.* 19. PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 14. *l.* 16. *l.* 27. §. 1. *D. de rei vindic.* Reſtituendae etiam ACCESSIONES et FRVCTVS, et a bonae quidem fidei poſſeſſore tantum exſtantes, a malae fidei poſſeſſore non modo conſumti, ſed et percipiendi. VLPIAN. *ibid. l.* 17. *D. h. t.* CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 20. *l.* 30. *l.* 36. *D. eod. tit.* PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 31. *l.* 33. *D. eod. tit.* Non tamen pro malae fidei poſſeſſore habetur, qui in ſolutum accepit: *quia nihil* DOLO *facit creditor, qui ſuum recipit.* PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 129. *princ. D. de regul. iur.* Aliquando et CVLPA praeſtanda, de qua prolixe PAVLL. *ibid. l.* 21. *D. de rei vind.* VLPIAN. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 22. *D. eod.* CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 36. §. 1. *D. de rei vindic.* Contra et poſſeſſori IMPENSAS in rem factas repetere licet. Qua in re quid iuris ſit, diſquirunt PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 27. §. 5. *D. eod.*

BIU Cujas

§. I. Superficiario etiam, CAVSSA COGNITA, IN REM ACTIONEM DABO. (h)

TIT. XXXVII.

DE PVBLICIANA IN REM ACTIONE. (a)

SI QVI BONA FIDE EMIT (b), VEL ID, QVOD TRADITVM,

eod. tit. et CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 28. *D. eod. tit.* Sed haec omnia ita intelligenda sunt, si ad rem restituendam condemnatur possessor. Alias enim, quando caussa principalis non consistit, nec ea quidem, quae sequuntur locum habent. PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 129. §. 1. *D. de regul. iur.*

(h) IN REM ACTIONEM DABO.] Fuisse haec in edicto, quia haec verba πρετικὰ adhibuisse Praetorem, colligo ex VLPIAN. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 73. §. 1. iuncta *l.* 75. *D. de rei vindic.* vbi iurisconsultus: *Superficiario*, inquit, *Praetor caussa cognita, in rem actionem pollicetur.* Ad quae verba PAVLLVS *lib.* XXI. *ad edict. l.* 74. *D. eod. tit.* explicat, quis dicatur SVPERFICIARIVS, nempe *qui in alieno solo superficiem ita habet, vt certam pensionem praestet.*

(a) DE PVBLICIANA.] De Publiciana in rem actione iisdem libris adhuc agunt VLPIANVS, PAVLLVS et reliqui interpretes, quibus de rei vindicatione egerant, vt dubitari nequeat, quin edicti ordinem religiose hic seruarint Pandectarum conditores. Ipsa edicti verba debemus VLPIANO *lib.* XVI. *ad edict. l.* 1. *princ. D. de Public. in rem act.* sed non satis integra. Nam in *l.* 7. *D. eod. tit.* explicantur etiam verba edictalia: QVI BONA FIDE EMIT, quae in illa edicti formula non occurrunt. Itaque supplendum illud fuit, eo modo, qui iam placuit Ger. Noodt *Comment. ad Pandect. pag.* 202.

(b) BONA FIDE EMIT.] Non enim omnis emtio prodest, vt Publiciana quis vti possit, sed ea demum, quae bonam fidem habet, quamuis venditor in dolo versetur. Contra et successori prodest bona fides emtoris, licet is dolo fecerit. Si seruus emerit, eius dolus erit spectandus, non domini. Respicitur autem ad tempus emtionis, vt nec quod ante emtionem, nec quod

BIU Cujas

DITVM (c) EX IVSTA CAVSSA (d) NON A DOMINO,

quod post eam dolo malo factum, obsit. Nec tamen sola bona fides prodest, sed accedere oportet traditionem. Haec vberrime VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l.* 7. §. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. *D. de Public. in rem act.*

(c) TRADITVM.] In *l.* 1. *princ. D. h. t.* legitur: TRADITVR, quod exemplo *oritur*, pro *ortus*, nec non enallage temporum tuetur Gerard. Noodtius *ibid. pag.* 202. Sed concinnior multo est lectio Hotomani et Anton. Fabri, quam sequuti sumus. Traditionis autem mentionem facit Praetor, quia quamuis multae sint iuris partes, quibus quis dominium sine traditione nanciscitur, veluti legatum, VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 2. *D. de Public. in rem act.* et aliae caussae pleraeque: IDEM *ibid. l.* 3. *princ. D. eod. tit.* traditionem tamen factam esse oportet, vt Publicianae locus sit. Non tamen interest, pretium ab emtore solutum sit, nec ne, quia de hoc nihil expresserat praetor, atque inde coniectura capi posse videbatur, nec id eum requirere. CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 8. *D. de Public. in rem act.* Nec deinde interest, emtori res sit tradita, an eius heredi, breui manu, an alio modo. Quando duobus res tradita ab eodem venditore, prioris emtoris; sin a diuersis venditoribus, possidentis caussa potior est. VLPIAN. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 9. *princ.* §. 1. 2. 3. 4. *D. eod. tit.*

(d) EX IVSTA CAVSSA.] Tertium hoc requisitum est. Nam qui iustam traditionis caussam habet, vtitur Publiciana. Tales iustae caussae praeter bona fide emtionem sunt dotis datio, traditio ex caussa iudicati, VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 1. *D. eod. tit.* noxae deditio, VLPIAN. *ibid. l.* 5. *D. eod. tit.* adiudicatio, donatio, aliaeue caussae lucratiuae, item permutatio et similes. VLPIAN. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 7. *princ.* §. 1. *vsque ad* §. 5. *D. eod. tit.* Quaecumque enim sunt rerum adquirendarum iustae caussae, ex iis datur haec in rem actio. Non autem prodest possessio iniusta, et cui habilis ad transferendum dominium titulus non accedit. Vnde facile intelligitur, an qui a mandatario, vel a pupillo emit, hanc actionem habeat? Vid. CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 13. *D. eod. tit.* VLPIAN. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 14. *D. eod.* Iustam autem caussam

BIU Cujas

NO (e), ET NONDVM VSVCAPTVM (f) PETET (g), nisi ea arbitrio iudicis restituatur (h), aduersus eum, qui possidere dicetur, caussa cognita (i), IVDICIVM DABO. (k)

TIT.

ideo desiderat praetor, quia Publiciana actio ad instar proprietatis, non ad instar possessionis respicit. VLPIAN. *ibid. l.* 7. §. 6. 7. *D. eod. tit.* Non autem locum habet haec actio de rebus, quae vsucapi non possunt, veluti de fugitiuis seruis vel rebus furtiuis. VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 5. *l.* 11. *pr.* §. 1. *D. eod. tit.* Potest tamen peti partus ancillae furtiuae, apud bonae fidei emtorem conceptus. VLPIAN. *ibid. l.* 11. §. 2. *sequ. D. eod. tit.* Partum enim non esse partem rei furtiuae, Scaeuola *lib.* XI. *Quaestionum* scripserat. VLP. *ibid. l.* 10. §. 2. *D. de vsurpat. et vsucap. l.* 26. *D. de verbor. signif.* Qua de subtili controuersia, non modo inter Ceruidium Scaeuolam et Marcellum agitata, sed et ex vetere P. Scaeuolae et Bruti dissensione orta, adeoque antiquissima, erudite disserit Franc. Balduin. *in Iurisprud. Muciana pag.* 53. Ita et res aliena bona fide emta Publiciana petitur, quia a tempore traditionis vsucapi potest, non autem seruitus, nisi vna cum praedio. VLPIAN. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 10. *princ. et* §. 1. *D. de vsurp. et vsucap.* multo minus res ab eo emta, quem praetor alienare vetuit. PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 12. *D. eod. tit.*

(e) NON A DOMINO.] Si enim a domino traditum esset, verum transiret dominium, locusque esset ipsi rei vindicationi. §. 40. *Inst. de rer. diuis.*

(f) VSVCAPTVM.] Nam etsi vsucaptum esset, actio ciuilis competeret, neque desideraretur honoraria. VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l.* 1. §. 1. *D. h. t.*

(g) PETET.] Haec actio *in* rem heredi et honorario successori competit. VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l.* 7. §. 9. *D. h. t.* immo et heredi futuro, si seruus hereditarius: sed et municipibus, si seruus publicus bona fide emerit. VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 6. *D h. t.*

(h) *Restituatur.*] Exigit hanc clausulam natura huius actionis, quippe arbitrariae, ceu recte vidit Ger. Noodtius, *in Comment. ad Pand. h. t. pag* 202.

(i) *Caussa cognita.*] Caussa cognita dari Publicianam, obseruauit Papinianus, in *l.* 57. *D. mandati.*

(k) IVDICIVM DABO.] In hac Publi-

BIU Cujas

TIT. XXXVIII.

SI AGER VECTIGALIS PETATVR. (a)

(VLPIAN. LIB. XVII.)

SI AGER VECTIGALIS (b) PETETVR, neque is arbitrio iudicis resti-

Publiciana actione eadem omnia erunt, quae et de rei vindicatione dicta sunt. VLPIAN. *lib. XVI. ad edict. l.* 7. §. 8. *D. de Public. in rem act.*

(a) SI AGER VECTIGALIS PETATVR.] Quum PAVLLVS, IVLIANVS, CAIVS iisdem commentariorum libris, quibus superiores actiones explicauerant, etiam de hac actione agant: dubitare non licet, quin materiam seruitutum hic titulus antecesserit. Sequutum autem eumdem esse edicta de rei vindicatione et Publiciana in rem actione, vel id argumento est, quod *librum XVII. Commentariorum* hic auspicatus est VLPIANVS. Ceterum priora edicti verba in rubrica ex parte supersunt: reliqua ipsa huius actionis natura omnino exigit.

(b) AGER VECTIGALIS.] Varii generis sunt agri, de quibus copiose hic egerunt veteres. Tales fuere agri *tributarii* et stipendiarii, de quibus VLPIANVS *lib. XVII. ad edict. l.* 27. *D. de verbor. signif.* vbi conferendi Cuiac. *obseru. lib. VII. cap.* 3. *et* 4. et Goedd. *in Comment. ad h. t. p.* 381. In primis huc pertinent agri *vectigales*, de quibus PAVLLVS *lib.* XXI. *ad edict. l.* 1. *princ. D. h. t.* VECTIGALES, inquit, *vocantur, qui in perpetuum locantur, id est, hac lege, vt tamdiu pro illis vectigal pendatur, quamdiu neque ipsis, qui conduxerint, neque his, qui in locum eorum successerunt, auferri eos liceat.* Nimirum initio agri publici inculti populo Romano ita locati, vt certum inde vectigal quotannis penderetur, agri vectigales dicebantur. Quam rem omnem exponit Appian. *de Bell. ciuil. lib. I. pag.* 353. Ῥωμαῖοι, inquit, τὴν Ἰταλίαν πολέμῳ κατὰ μέρη χειρούμενοι, γῆς μέρος ἐλάμβανον, καὶ πόλεις ἐνῴκιζον, ἢ ἐς τὰς πρότερον οὔσας κληρούχες ἀπὸ σφῶν κατέλεγον· καὶ τὰ δὲ μὲν αὐτοῖς φρυρίων ἐπῴκουν. *Mos erat Romanis, nunc hos, nunc illos Italiae populos subiugando parte agri mulctare, in eumque colonias deducere, aut in iam ante condita oppida nouos colonos sui generis adscribere. Hae coloniae, tamquam praesidia, partis bello prouinciis impo-*

BIU Cujas

restituetur, aduersus eum, qui possidere dicetur, caussa cognita iudicium dabo. (c)

TIT. XXXVIIII.

DE VSVFRUCTU, OPERIS SERVORVM, VSV ET HABITATIONE. (a)

Ei,

nebantur. Addit is Appianus, consueuisse eosdem, quantum erat culti agri colonis diuidere, aut vendere elocareue, incultum vero iure ἐμφυτέυσεως, quibus vellent, dare. De quo vltimo instituto porro ait: τὴν δὲ γὴν ἀργὸν ἐκ τοῦ πολέμου τότε ὄσαν, ἣ δὴ καὶ μάλιστα ἐπλήθυεν, οὐκ ἀγαγόντες πω σχολὴν διαλαχεῖν, ἐπεκήρυττον ἐν τοσῶδε τοῖς ἐθέλουσιν ἐκπονεῖν, ἐπὶ τέλει τῶν ἐτησίων καρπῶν, δεκάτη μὲν τῶν σπειρομένων, πέμπτη δὲ τῶν φυτευομένων ὥρισο δὲ, καὶ τοῖς προβατεύουσι τέλη μειζόνων τε καὶ ἐλαττόνων ζώων. *Quidquid incultum supererat, vt fere bellum sequi solet vastitas, quia sub sortem mittere non vacabat, per praeconem inuitatis adsignabatur, quibuscumque liberet colere, excepta sibi vectigalis nomine in singulos annos ex arbustis prouentus parte quinta, frugum vero decima. Quin et gregibus vectigal indictum erat, tam minoris, quam maioris pecoris.* Plura huius generis collegit V. C. Petr. Burmannus *de vectigal. populi Rom.* Sane contractum, quo Romani in elocando agro publico inculto vti solebant, postea et municipia ac coloniae in rebus vniuersitatis, PAVLL. *Lib.* XXI. *ad edict. l.* 1. §. 1. *D. si ager vectig.* quin et priuati in agris suis elocandis adhibebant, ad quos ipsos quoque postea hoc edictum prolatum est.

(c) *Iudicium dabo.*] Qui agrum vectigalem in perpetuum conduxerunt a municipibus, quamuis non efficiantur domini, tamen placuit eis competere in rem actionem aduersus quemuis possessorem, ipsosque municipes. PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l.* 1. §. 1. *D. eod. tit.* Idem est, etsi ad tempus habuerint conductum, nec tempus conductionis finitum sit. PAVLL. *ibid. l.* 3. *D. eod. tit.*

(a) HABITATIONE.] Hanc de seruitutibus personalibus doctrinam veteres edicti interpretes iisdem libris interpretantur, quibus de seruitutibus praediorum egerunt. VLPIANVS praeterea

Li-

BIU Cujas

Ei, qui apud me VSVMFRVCTVM, (b) OPERAS SERVORVM,

Librum XVII. iam a superiore titulo fuerat auspicatus. Vicinos ergo in edicto fuisse oportet titulos de agris vectigalibus, de seruitutibus personalibus et de seruitutibus praediorum, nec vllam comminisci licet rationem, cur Pandectas et Codicem hic ab Edicti ordine discessisse existimemus, ceu iam non modo a Iac. Gothofredo, *in Serie edicti*, sed et ab Obert. Giphanio *in Oeconom. Iur. p.* 126. recte obseruatum est.

(b) VSVMFRVCTVM.] Perlongum hic tractatum instituere iuris consulti de natura vsusfructus, et quemadmodum quis vtatur fruatur, ceu tot fragmenta, quae supersunt, satis superque demonstrant. Ita ad hunc titulum *primo* disputarunt, quibus modis vsusfructus constituatur, quod pluribus modis fieri posse, monet CAI. *lib.* VII. *ad edict. prou. l.* 6. *D. de vsufruct.* veluti legato, et adiudicato in iudiciis diuisoriis. CAI. *ibid. l.* 74. *D. eod. tit.* vbi priore casu locus est iuri adcrescendi, de quo VLPIAN. *lib.* XVII. *ad edict. l.* 10. *D. de vsufruct. adcresc.* et CAI. *lib.* VII. *ad edict. prou. l.* 5. *D. eod. tit.* In qua lege Cuiac. *in Africano Tractat. V. p.* 428. abundare obseruat verba: *deducto vsufructu*, quia et non deducto vsufructu idem obtineat. *Deinde* hic veteres disquisiuerunt, quarum rerum vsusfructus sit, *itemque* quomodo quis rebus singulis vtatur fruatur boni viri arbitratu, *denique* quomodo vsufructuarius fructus percipiendo suos faciat. Eo enim pertinent elegantes quaestiones, quas CAI. *ibid. l.* 30. *D. de verbor, signif.* tractasse videtur de vsufructu siluae caeduae et non caeduae, terrae noualis et integrae, glandis caducae, siluae pascuae et similium, vbi addendus Cuiac. *Obseru.* XXIIII. 5. De stipula etiam illecta eo loco non alio fine egerat CAIVS, quam vt elegante exemplo doceret, percipiendo vsufructuarium fructus suos facere, simulac a fundo separati sint, quamuis nondum collecti. Io. Goedd. *Comm. ad tit. de verbor. signif. p.* 410. Nec minus huc referenda quaestio, an, qui vendidit fructus, vtatur fruatur? Quod adfirmat CAI. *ibid. l.* 39. *D. de vsufruct.* quia, qui pretio fruitur, non minus habere intelligatur, quam qui principali re vtatur, fruatur. Postremo ad generalem

BIU Cujas

RVM, (c) VSVM, (d) HABITATIONEM ab altero (e) petet, (f), vel eorum iurium aliquod AD ALIVM PERTINERE NEGABIT, in

hanc de natura vsusfructus tractationem pertinet etiam quaestio de impensis ab vsufructuario ferendis, quam tractat CAIVS *ibid. l.* 45. *D. de vsufruct.*

(c) OPERAS SERVORVM.] Equidem et in hominis vsufructu sunt operae, et ob operas mercedes CAI. *ibid. l.* 3. *D. de oper. seruor.* attamen plus est in vsufructu, quam in operis Nam his solis fruitur is, cui illae legatae, quamuis et merces pro operis imponi possit, teste Labeone apud CAI. *ibid. l.* 13. *D. eod. tit.* Ceterum capitis deminutione non amitti operas, ad hunc locum monuit VLPIAN. *lib.* XVII. *ad edict. l.* 2. *D. eod. tit.*

(d) VSVM.] *Nunc videndum de vsu et habitatione*, inquit CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 1. *pr. D. de vsu et habit.* vt adpareat, eumdem hic verborum ordinem in edicto seruatum esse, qui a nobis est repraesentatus. Hunc vero vsum sine fructu iisdem modis constitui, quibus constituitur vsusfructus, idem monuit CAI. *ibid. l.* 1. §. 1. *D. eod. tit.*

(e) *Ab altero.*] Quocumque possessore. IVLIAN. *lib.* VII. *Digest. l.* 5. §. 1. *D. si vsufr. petat.* Hinc et ab emtore vsusfructus peti potest, qui tamen tunc litem denunciare poterit venditori, perinde ac si pars fundi ab eo peteretur. CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 49. *D. de euict.* Multo minus ergo dubitari potest, quin haec actio detur aduersus eum, qui dolo possidere desiit. Qui enim accepto iudicio sine dolo desierit possidere, absoluitur, quod secus se habet, si quis liti se obtulerit. PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 6. *D. si vsusfr. petat.*

(f) *Petet.*] Modo ius adhuc saluum habeat. Hinc tractatum hic a veteribus, quibus modis hae seruitutes amittantur. Quo pertinet inter alia fragmentum CAII *lib.* VII. *ad edict. prou. l.* 19. *D. quib. mod. vsusfr. amitt.* quo docuit, si fundus ad alium proprietarium peruenerit, vsumfructum ideo non perire. Nam *neque vsusfructus*, inquit, *neque iter actusue, dominii mutatione amittitur.* Eodem pertinet perelegans CAII obseruatio, ex eodem *lib.* VII. *l.* 30. D. *eod. tit.* carnem et corium mortui pecoris in fructu non esse, quia eo mortuo vsus-

BIU Cujas

in rem actiones dabo. (g)

§. 1. De vsufructu quoque pecuniae, olei, tritici, ceterarumque rerum, quae vsu consumuntur, (h) minuunturque, easdem actiones dabo, dum is, qui hoc ius ex Senatusconsulto petet, cauerit, SE QVANDOCVMQVE MORTVVS AVT CAPITE DEMINVTVS FVERIT, EIVSDEM QVALITATIS RES, earumue rerum aestimationem, RESTITVTVRVM. [i]

TIT.

vsusfructus exstinguitur. Ex quo consequitur, vt, si praescriptio obstet, frustra adhuc vsusfructus petatur, de quo IVLIAN. *lib.* VII. *Digest. l.* 3. *D. si vsusfr. pet.*

(g) *In rem actiones dabo.*] Actiones nimirum CONFESSORIAM et NEGATORIAM, quae quibusnam dentur, hac occasione ostendit VLPIAN. *lib.* XVII. *ad edict. l.* 5. *princ. §.* 7. *D. si vsusfr. petat.* itemque aduersus quos? IDEM *ibid. l.* 5. §. 1. D. *h. t.* et ad quid denique comparatae sint? IDEM *ibid. l.* 5. §. 2. 3. 4. 5. 6. *D. eod. tit.*

(h) *Consumuntur.*] Quasi vsusfructus non ex edicto praetoris est, sed ex Senatusconsulto: VLPIAN. *Frag.* XXIIII. 26. *et* 27. *l.* 1. D. *de vsufr. ear. rer. l.* 24. *D. de vsufr. leg l. vlt.* D. *vsufruct. quemadm. cau. l.* 69. D. *ad leg. Falcid. l.* 1. *C. de vsufr.* et quidem non libera adhuc republica condito, quum vsumfructum corporum tantum, non item quantitatum et iurium esse, adhuc docuerit Cicero *in Topic. cap.* 3. sed tamen non multo post sub Augusto, vel sub initia Tiberii, quia hoc SC. iam interpretati sunt Massurius Sabinus, Nerua, Cassius et Proculus, ceu colligi potest ex *l.* 5. §. 1. *et l.* 3. D. *de vsufruct. ear. rer.* Qua de re plura M. Aurel. Galuan. *de vsufruct. cap.* 3. Ger. Noodt *de vsufr. II.* 20. Ant. Schultingius *in iurispr. vet. anteiust. p.* 658. et nos *in Antiqu. Rom. II.* 4. *et* 5. §. 7. Quamuis vero praetori hoc ius non debeat originem: Praetorem tamen et in edictum suum illud admisisse, patet ex fragmentis CAII *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 2. *et l.* 7. D. *de vsufr. ear. rer. quae vs. cons.*

(i) *Restituturum.*] De pecunia recte caueri oportet his, a quibus eius pecuniae vsusfructus legatus est. Nam eo SC. non id effectum est, vt pecuniae vsusfructus proprie sit, (nec enim naturalis

BIU Cujas

TIT. XXXX.

DE SERVITVTIBVS RVSTICORVM ATQVE VRBANORVM PRAEDIORVM. (a)

ITem si quis SERVITVTEM [b] praedii vrbani

turalis ratio auctoritate Senatus commutari potuit,) sed vt, remedio cautionis introducto, coeperit quasi vsusfructus haberi. CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 2. D. *de vsufr. ear. rer.* Non solius tamen pecuniae mentionem a Senatu factam, sed et VINI, OLEI, TRITICI, ex VLPIAN. *Fragm. l. c.* discimus. Earumdem rerum hic mentionem factam in edicto, colligimus ex CAII *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 7. *D. eod. tit.* vbi monet, si VINI, OLEI, FRVMENTI vsusfructus fuerit legatus, proprietatem ad legatarium transferri debere, cautionemque ab eo desiderandam, VT QVANDOQVE MORTVVS AVT CAPITE DEMINVTVS FVERIT, EIVSDEM QVALITATIS RES RESTITVATVR, aut aestimatis rebus certae pecuniae nomine cauendum, itemque de ceteris quoque rebus, quae vsu consumuntur, esse intelligendum.

(a) PRAEDIORVM.] Quum iisdem libris de seruitutibus personalibus et praedialibus egerint veteres edicti interpretes, nulla est ratio suspicandi, alium in edicto, quam in pandectis ordinem fuisse. Id vero notatu dignum, in codice huic titulo praefixam esse rubricam *de seruitutibus et aqua*, id quod Iac. Cuiac, *in Paratitl. h. t.* Προφθέγμαν esse putat, dictum pro *de aqua et aliis seruitutibus*, quemadmodum et titulum Digestorum, *de rebus creditis*, *si certum petatur*, eodem modo exponit: *si certum petatur*, *de rebus creditis*. conf. eiusd. *Paratitl. Digest.* XII. 1. Vtut sit, certum profecto est, in pandectis aeque ac in codice pleraque fragmenta, ex commentariis ad hunc edicti titulum depromta ad seruitutes aquaeductus, aquae haustus, pecoris ad aquam adpulsus, aquae rota ex flumine tollenda, similesque pertinere, vt verisimile sit, si non in ipsa rubrica aquae speciatim facta fuerit mentio, saltim interpretes vtilissimas istas seruitutes ceteris accuratius exposuisse.

(b) SERVITVTEM.] Hic iurisconsulti permulta more suo accumularunt *de seruitutibus* cum *in genere*, tum *speciatim* de singulis. Nam

BIU Cujas

Nam *primo*, quum seruitutes, teste Iustiniano, §. 5. *Inst. de reb. corpor. et incorporalibus*, etiam *iura praediorum* adpellentur: CELSVS *lib. V. Digest. l.* 86. D. *de verbor. signif.* monuit, multo latius patere huius vocabuli notionem. *Quid enim aliud*, inquit, *sunt iura praediorum, quam praedia qualiter se habentia, vt bonitas, salubritas, amplitudo.* vbi erudite monet Cuiac. *Paratitl. Codic. III.* 34. praedia qualiter se habentia esse loquutionem Stoicorum, qualis illa Senecae *Epist.* 50. *Quid enim aliud est animus, quam quodammodo se habens spiritus?* Quemadmodum itaque Lipsius *Physiolog. Stoic. III.* 9. spiritum quodammodo se habentem exponit πνεῦμα τὸ ποιόν, id est, *spiritum certa qualitate praeditum*: ita *praedia qualiter se habentia* erant praedia certis qualitatibus praedita, veluti bonitate, salubritate, amplitudine, vt non sit necesse cum Alciato *in Comm. ad l.* 86. D. *de verbor. signific.* rescribere *aequaliter*, quippe quod nec sequentia exempla ferunt. *Deinde* de definienda seruitute procul dubio fuerunt solliciti, quumque nossent, eam esse ius in praedio alieno: prudenter monuerunt, rem propriam domino seruire non posse. Hinc si quis binas aedes habeat, vna contignatione tectas, et vtrasque diuersis legauerit, vel cesserit, nec antea fuit seruitus, quia vnus vtriusque aedificii dominus, nec in posterum est, quia tigna erunt duorum, ex regione cuiusque. IVLIAN. *lib.* VII. *Digest. l.* 37. D. *de seruit. vrban. praed.* iuncta *l.* 36. D. *eod. tit.* Aliter tamen se res habet, si quando duorum praediorum dominus alterum ea lege alicui dederit, vt id praedium, quod datur, seruiat ei, quod ipse retinet, vel contra. Tunc enim iure imposita censetur seruitus. CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 3. D. *commun. praed.* Quum porro praedia vicina vicinis seruiant, secundum definitionem: hanc quoque definitionis partem haud intactam reliquerunt. Eo enim pertinet quaestio, an et quatenus vicinitatem vel contiguitatem praediorum desiderent seruitutes? de qua PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 1. *princ.* D. *de seruit. praed. vrban. l.* 7. §. 1. D. *de seruit. praed. rustic. Tertio* veteres interpretes hic non minus solliciti fuerunt de seruitutum diuisione, inter quas notissima illa in *praediorum vrbanorum* et *rusticorum*: de qua paullo post. Aliam habet PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 3. D. *de seruit.*

BIU Cujas

uit. quod seruitutum quaedam in SOLO, quaedam in SVPERFICIE consistant, quam plerique eamdem cum superiore esse existimant, adeo, vt iam Graeci ideo seruitutes rusticorum praediorum δουλείας ἀγρῶν, vrbanorum δουλείας τῶν οἰκῶν adpellare non dubitarint. Vnde non mirandum, sententiam hanc adoptasse viros doctissimos, in primis Ger. Noodt *in Comm. ad Pandect. h. t.* Enimuero seruitutes non seruientis, sed dominantis qualitas distinguit: Paulli vero diuisio ad praedia seruientia pertinet. Deinde quem praestantiorem Paulli interpretem quaeramus ipso Paullo? Is vero diserte scribit et fundum fundo seruire posse, et aedificia fundis, et fundos aedificiis. *l.* 12. D. *commun. praedior.* Sic sane aedificium potest aquaeductum debere alii aedificio. *l.* 11. §. 1. D. *de public. in rem act.* et haec seruitus vrbana, in solo tamen consistit. Et aedificium alterius areae debere potest seruitutem altius tollendi, quum tamen haec seruitus in superficie praedii seruientis consistens, sit rustica, ceu iam ab Em. Merillio *Obseru. I.* 32. obseruatum est. Quare nulla videtur iusta ratio deserendi sententiam vulgarem, puta, rusticorum et vrbanorum praediorum seruitutes vsu esse distinguendas. Ita enim et *seruos rusticos* et *vrbanos*, *vestem*, *togam*, *penum*, *supellectilem rusticam* et *vrbanam* veteres distinxisse, patet ex *l.* 99. D. *de legat.* 3. *l.* 4. §. 5. D. *de pen. legat. l.* 12. D. *de supell. legat.* vbi quaedam haud proletaria notauit idem Merill. *Obseru. III.* 5. *Praeterea* hac occasione disputarunt interpretes, quomodo constituantur seruitutes? vbi CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 5. D. *de seruit.* monet, iisdem fere modis constitui seruitutes praediorum, quibus et vsusfructus, vsumque earum et temporibus seruari posse. Ita sane illae et emtione interueniente adquiruntur. IVLIAN. *lib.* VII. *Digest. l.* 16. D. *si seruit. vindic.* Nec interest, totus fundus seruitute oneretur, an pars illius, siquidem ad certam fundi partem seruitus et remitti et constitui potest. PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 6. D. *de seruit.* dummodo qui constituit, liberam de praedio disponendi facultatem habeat. Vnde facile intelligitur, in re communi neutrum, altero inuito, seruitutem cuiquam constituere posse. VLPIAN. *lib.* XVII. *ad edict. l.* 2. D. *de seruit.* quemadmodum nec parietem communem alterutri vicinorum demoliendi ius est. CAI. *lib.*

BIU Cujas

vrbani [c] rusticiue [d] VINDICABIT, [e] VEL EAM AD ALIVM PERTI-

lib. VII. ad edict. prou. l. 8. D. *de seruit. praed. vrban. Postremo* et quibus modis seruitutes amittantur, fragmenta quaedam ad hunc titulum pertinentia ostendunt, veluti *confusione*, IVLIAN. *lib.* VII. *Digest. l.* 27. D. *de seruit. praed. rust.* CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 1. D. *quemadm. seruit. amitt.* itemque *non vsu*, ita tamen, vt qui et iter et actum habet, si statuto tantum tempore ierit, actum non vsu amisisse non videatur. PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l.* 2. D. *eod. tit.* siue ipse, siue socius, fructuarius vel bonae fidei possessor iuerit: CELS. *lib. V. Digest. l.* 6. *D. eod. tit.* siue pupillus mihi socius sit, et neuter nostrum iuerit. PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l.* 10. *pr. D. eod. tit. Morte* et *capitis deminutione* iura praediorum non perire, vulgo traditum esse, monet CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 3. *D. eod. tit.*

(c) *Praedii vrbani.*] Seruitutes praediorum vrbanorum plures hic recenset CAI. *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 2. *D. de seruit. praed. vrban.* interque eas et seruitutem ALTIVS TOLLENDI, cuius naturam satis obscuram esse constat. Quae alii hic diuinarint, iam non dicam. Solam Alex. Arn. Pagenstecheri attingemus sententiam. Acute ille coniicit *in Sicilim. manip. III. p.* 70. fuisse nonnumquam vicino ius, alterius vicini aedes sumtibus suis tollendi altius, ita vt superior illa contignatio quamuis vicini imposita aedibus, tollentis esset, vicinusque id pati in suo teneretur. Et sane non desunt eius rei exempla. Quod enim de Arado, Phoenices vrbe, scribit Pomponius Mela *de Situ Orbis II.* 7. *p.* 43. *Arados in Phoenice est parua, et quantum patet, tota oppidum: frequens tamen, quia et super aliena tecta sedem ponere licet.* Idem et Romae frequenter contigisse constat, maxime post ἅλωσιν Gallicanam. Vnde Dionys. Halicarn. *lib. X. Antiquit. Rom. p.* 659. Εισὶ δὲ καὶ σύνδυο καὶ σύντρεις, καὶ ἔτι πλείονες, συνοίντες οἰκίαν κατεσκευάζοντο μίαν, ἑτέρων μὲν τὰ καταγεια λαγχανόντων, ἑτέρων δὲ τὰ ὑπερῶα. *Nonnulli etiam duo simul et tres pluresue vnas aedes, collatis impendiis exstruxerunt, aliis infimas earum partes, aliis superiores sibi capientibus.* Et Liuius *lib.* XXXVIIII. *cap.* 14. me-

BIU Cujas

minit *coenaculi ſuper aedes, ſcalis ferentibus in publicum, ſed obſeratis tum, aditu in aedes verſo.* Quae ipſa loca iam pridem etiam obſeruauit Cuiac. *Obſeru.* XIII. 26. Enimuero licet haec veriſſima ſint: non tamen ita intelligas, quid interſit inter ſeruitutem *oneris ferendi* et *altius tollendi*, hoc modo explicatam. Vtraque enim conſiſteret in eo, quod alterius parietes aedificium meum ferre debeant. Et ſi vel maxime cum Strykio *in vſu Pandect. VIII.* 2. 7. fingas, commodum noſtrarum aedium ex vicini aedibus a nobis altius ſublatis promoueri, non autem in dominio noſtro eſſe hanc contignationem, vicini aedibus immiſſam: ne ſic tamen quidem res in vado eſt. Nam formulam actionis confeſſoriae, quod ad hanc ſeruitutem attinet, talem fuiſſe ait Iuſtinianus *in §. 2. Inſt. de action.* AIO MIHI IVS ESSE, ALTIVS AEDES MEAS TOLLENDI, qua vti ſane non poteſt, qui vicini aedes altius tollendi ſibi ius eſſe contendit. Accedit, quod in *l. 4. D. de ſeruit. praed. vrb.* ponatur ſpecies, alicui ius eſſe, inuito vicino, aedes ſuas altius tollendi, vel non tollendi, et hinc PAVLL. *lib.* XXI. *ad edict. l. 5. D. eod. tit.* exponat, quid in ſeruitutibus dicatur, altero inuito fieri. At in vtroque caſu, qualem et Pagenſtecherus et Strykius fingit, non aedes noſtrae altius tolluntur, ſed vicini, nec in poſteriore quiſquam ſibi perſuaſerit, eo inuito fieri, vt aedes ſine eius impendio altius tollantur. Itaque etiamnum nihil cauſſae eſt, cur a vulgari huius ſeruitutis explicatione diſcedere velimus, quam optime ſuo more illuſtrauit Ger. Noodtius *Comment. ad tit. Pand. de ſeruit. praed. vrb. p.* 211. *tom.* II. *Op.* Sed ne videamur et ipſi iuſto altius hic tollere, paucis addimus, veteres interpretes hic quam maxime ſollicitos fuiſſe videri de differentiis ſeruitutum ruſticorum vrbanorumque praediorum, inter quas et hanc eſſe monent, quod vrbanae non vſu non exſtinguantur, niſi ſeruientis praedii dominus vſuceperit libertatem: in ſeruitutibus ruſticis ſolus non vſus ſufficere videatur. Huc enim pertinent fragmenta CAII *lib.* VII. *ad edict. prou. l. 6. D. de ſeruit. praed. vrban.* et IVLIANI *lib.* VII. *Digeſt. l. 32. D. eod. tit.*

(d) *Ruſticiue.*] Hic quoque varias huius generis ſeruitutes explicarunt interpretes, ceu patet ex fragmentis, quae ſuperſunt, quam plurimis. Sane ad ſeruitutes ITINERIS, ACTVS, VIAE, pertinent fragmenta VLPIANI *lib.* XVII.

BIU Cujas

PERTINERE NEGABIT: in rem (f) actiones (g) dabo.

TIT.

XVII. ad edict. l. 4. pr. §. 1. 2. 3. 4. 5. D. si seruit. vindic. PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l. 7. pr. D. de seruit. praed. rustic.* CELSI *lib. V. Digest. l. 9. D. de seruit.* CAII *lib. VII. ad edict. prou. l. 8. pr. D. de seruit. rustic. praed.* Ad seruitutem AQVAEDVCTVS et ius *aquam per rotam ex flumine tollendi*, VLPIAN. *lib. XVII. ad edict. l. 2. D. commun. praed.* Ad AQVAEHAVSTVM eiusque vsum, VLP. *ibid. l. 3. §. 3. l. 5. §. 1. D. de seruit. praed. rustic.* Ad seruitutem PASCENDI, VLPIAN. *ibid. l. 3. pr. D. eod. tit.* Ad seruitutes *fructus cogendi, coactosque habendi*, itemque *rudus et saxa iaciendi*, VLPIAN. *ibid. l. 3. §. 1. 2. D. eod. tit.* Ad seruitutes denique *calcis coquendae, cretae eximendae, pecoris ad aquam adpulsus*, VLPIAN. *ibid. l. 5. §. 1. D. eod. tit.* Nec est, quod his explicandis immoremur, quum haec omnia plena manu ferantur in iurisconsultorum libellis.

(e) VINDICABIT.] Quae maiusculis litteris expressimus, ea τυπικὰ fuisse arbitramur ob *rubricam tit. si seruit. vindic. vel ad alium pertin. neget.* Ceterum hic monuerunt interpretes, si plures coheredes sint, ab eo vindicandam esse seruitutem legatam, quem testator demonstrauit. VLPIAN. *ibid. l. 5. pr.* iuncta *l. 4. D. de seruit. praed. rustic.* Alioquin vindicari seruitus potest a quocumque possessore, qui etiam hic non tenetur dicere, pro qua parte possideat, hoc enim petitoris munus est in speciali actione, non possessoris. Quin et a superficiario potest peti seruitus, ceu docuit VLPIAN. *ibid. l. 37. D. de rei vind.* Alia tamen est actio, qua possessorem praedii dominantis ad reficiendum compellimus. Si alter vsumfructum praedii habet, alter eiusdem proprietatem, non cum illo, sed cum hoc de onere reficiendi agendum est. PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l. 1. §. 1. D. de seruit. praed. vrban.*

(f) *In rem.*] In rem agere non possunt, qui extra seruitutis vsum aliquid in alieno faciunt, veluti qui in aliena area aedificant. VLPIAN. *lib. XVII. ad edict. l. 37. D. de rei vindic.* item redemtores operum suis caementis in alieno solo aedificantes. VLPIAN. *ibid. l. 39. princ. D. eod. tit.* Nec magis in rem agit, post adlatam meliorem conditionem, qui cum pacto addictionis in diem emit. VLPIAN. *ibid. l. 41. D. eod.*

BIU Cujas

TIT. XXXXI.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICETVR. (a)

(VLPIAN.

tit. nec filiusfam. rem peculiarem extra cauſſam caſtrenſem vindicaturus, quamuis depoſiti recte agat. VLP. *ibid. l.* 19. *D. depoſ.* Contra in rem agere non prohibetur mulier de fundo, quem intercedens pignori dedit, quamuis ille a creditore diſtractus ſit. VLPIAN. *ibid. l.* 39. §. 1. *D. de rei vind.* nec non qui fundum a ſeruo, filioue familias, liberam adminiſtrationem habente, vel procuratore venditum traditumque accepit. VLPIAN. *ibid. l.* 41. §. 1. *D. eod. tit.* vel qui a muliere non vxore fundum donatum per epiſtolam accepit, quem tamen illa ab eo conduxit, quia per illam adquiſiuiſſe poſſeſſionem videtur, tamquam per colonam. VLPIAN. *ibid. l.* 77. *D. eod. tit.* denique qui mortis cauſſa donauit, et conualuit. VLPIAN. *ibid. l.* 29. *D. de mort. cauſſ. donat.* Vt adeo ex inſtituto hac occaſione de iis, qui in rem agere poſſint, diſputaſſe videatur Vlpianus.

(g) *Actiones.*] CONFESSORIAM puta et NEGATORIAM, de quarum natura ſuo more prolixius agunt VLPIAN. *lib. XVII. ad edict. l.* 2. *l.* 4. §. 2. *ſequ. l.* 6. *pr. l.* 8. *D. ſi ſeruit. vindic.* PAVLL. *lib. XXI. ad edict. l.* 7. *l.* 9. *D. eod. tit.* Atque hic quidem colophonem impoſuere IVLIANVS *libro digeſtorum VII.* VLPIANVS *libro XVII. Comment. ad edict.* PAVLLVS *lib. XXI. ad edict.* Nec ex fragmentis horum librorum vllum eſt, quod non ſuo loco adcommodari potuerit, praeter IVLIANI *l.* 12. *D. de ſtatulib.* et VLPIANI *l.* 45. *D. de donat. int. vir. et vxor.* cuius obſcuritatem ipſe agnouit Cuiac. *Obſeru. V.* 36. Sed inſcriptionem manifeſto deprehendes in mendo cubare, ſi conferas *l.* 130. *D. de regul. iur.* vbi idem fragmentum ex VLPIANI *lib. XVIII. ad edict.* occurrit. Citatur etiam ex VLPIAN. *lib. XVII. ad edict. l.* 60. *D. de ceſſ. bonor.* quae tamen ad materiam de ſeruitutibus pertinere potuit, quia agit de onere reficiendi, de quo frequentiſſimam eſſe quaeſtionem circa ſeruitutes, nemo temere negauerit.

(a) FECISSE DICETVR.] Actionem de pauperie ex legibus XII. tabularum deſcendere, recte vidit Iuſtinianus, *princ. Inſt. ſi quadrup. paup.* ſequutus VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 1. *pr. D. eod.*

BIU Cujas

(VLPIAN. LIB. XVIII. PAVLL. LIB. XXI. IVLIAN. LIB. VIII.)

SI QVADRVPES (b) PAVPERIEM FECISSE DICETVR: (c) eum, qui possidebit,

eod. tit. Nihilominus tamen et praetor ea de re edixerat, idque patet ex eiusdem VLPIANI verbis in *d. l.* 1. §. 3. *D. eod. tit.* vbi iureconsultus: *Ait Praetor*: PAVPERIEM FECISSE. Alibi et verba quaedam huius edicti seruauit, puta illa: NOXAE DEDERE. *l.* 1. §. 14. *D. eod. tit.* Sententiam legis XII. tabularum eamdem, procul dubio, cum edictali, habet idem in *l.* 1. *pr. D. eod.* Vt adeo non admodum difficile fuerit, inde edictum ipsum exstruere, cuius de loco dubitare nos non patiuntur tot interpretum, nouos hic libros auspicantium, fragmenta.

(b) QVADRVPES.] Pertinet haec actio directe ad omnes quadrupedes, quae dorso et collo domantur: VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 1. §. 2. *D. si quadrup. paup. fec.* vtilis actio etiam ad non quadrupedes. PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l.* 4. *D. eod. tit.* Quo referenda etiam quaestio de cane feroce, qui in tabernam se immittentem laedit, apud eumdem PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l.* 2. §. 1. *D. eod.*

(c) PAVPERIEM FECISSE.] PAVPERIES est damnum sine iniuria facientis datum. Nec enim potest animal iniuria facisse, quod sensu caret, inquit VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 1. §. 3. *D. si quadrup. paup. fec.* eodem modo philosophatus, ac Seneca *de Ira II. 26. Atqui vt his irasci dementiae est, quae animo carent, sic et mutis animantibus, quia nulla est iniuria, nisi a consilio profecta. Nocere itaque nobis possunt, vt ferrum aut lapis: iniuriam quidem facere non possunt.* In sequentibus huius *l.* 1. paragraphis ad vndecimam vsque accurate docet, actionem hanc non dari, si quadrupes propter loci iniquitatem, aut culpa mulionis, aut ex dolore, aut instigatione alterius animalis pauperiem fecerit, aut si fera fugiens nocuerit; non interesse vero siue corpore pauperiem dederit quadrupes, siue per aliam rem, quam tetigit, veluti si plaustrum euertendo hominem obtriuerit. Addit his CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 3. *D. eod. tit.* dari hanc actionem etiam ob liberum hominem a quadrupede vulneratum, non quidem, vt deformitatis ratio habeatur, vel noxia

BIU Cujas

debit (d), NOXIAM (e) ſarcire, aut animal NOXAE DEDERE (f) iubebo.

TIT.

noxia aeſtimetur, ſed ad impenſas in curationem factas, operaſque amiſſas et reliqua damna conſequenda.

(d) *Eum, qui poſſidebit.*] Noxa enim caput ſequitur, ac proinde agitur non aduerſus dominum, cuius fuit quadrupes, quum noceret, ſed cuius nunc eſt. VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 1. §. 12. *D. h. t.* Datur etiam aduerſus heredes, ceteroſque, non tamen iure ſucceſſionis, ſed eo iure, quo domini ſunt. VLPIAN. *ibid. l.* 1. *§.* 17. *D. eod. tit.* Hinc ſi ante litem conteſtatam perierit animal, actio exſtinguitur. VLPIAN. *ibid. l.* 1. *§.* 13. *D. eod. tit.* Sufficit tamen, ſi quis in iure interrogatus reſponderit, ſuam eſſe quadrupedem. VLP. *lib. XVIII. ad edict. l.* 7. *D. de interrog. in iur. fac.* Si commune eſt animal, cum ſingulis agitur in ſolidum. VLPIAN. *ibid. l.* 1. *§.* 14. *D. ſi quadrup. paup.*

(e) NOXIAM.] *Noxia* eſt ipſum delictum, inquit VLPIAN. *ibid. l.* 1. *§.* 1. *D. eod. tit.*

(f) NOXAE DEDERE.] Noxae dedere eſt animal tradere viuum. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 14. *D. ſi quadrup. paup.* Itaque agendum eſt alternatiue, vt aut noxia ſarciatur, aut quadrupes noxae dedatur, praeterquam ſi quis ſe poſſidere falſo negauerit, ſiquidem tunc in ſolidum condemnabitur. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 15. *D. eod. tit.* vel ſi animal fortaſſis a tertio poſt litem conteſtatam ſit occiſum, niſi dominus actori actionem aduerſus occidentem cedere malit. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 16. *D. eod. tit.* Eadem occaſione monuerunt veteres interpretes, actionem hanc et heredi ceteriſque ſucceſſoribus dari. IDEM *ibid. l.* 1. *§.* 17. *D. eod.* immo et iis, quorum intereſt, veluti commodatario, fulloni, ceteris. Recte etiam monuit Iuſtinianus *Imp. §.* 1. *Inſt. ſi quadrup. paup.* actionem de pauperie concurrere cum actione aedilitia de cane, verre, vrſo, leone, ibi habitis, vbi vulgo iter fit. Cuius iuris rationem redditurus VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 130. *D. de regul. iur. actiones*, inquit, *praeſertim poenales, de eadem re concurrentes, alia aliam non conſumit.* Quumque eadem regula iiſdem paene verbis occurrat in *l.* 60. *D. de oblig. et action.* et ibi tamen inſcriptio praeferat VLPIANI *lib. XVII. ad edict.*

BIU Cujas

TIT. XXXXII.

DE LEGE AQVILLIA. (a)

edict. vix ambigere licebit, inscriptionem illam, ceu iam ad praecedentem titulum *sub litt. g.* notauimus, in mendo cubare, et pro LIB. XVII. rescribendum esse LIB. XVIII. Sub finem moneo, noxae deditionem animalis etiam placuisse Soloni, de quo Plutarch. *in Solon. p.* 91. nec non Platoni *in Legib. lib. XI.* sed eos non tam accurate distinxisse quadrupedes et reliqua animantia, adeo vt de cane eiusmodi actionem dederint. An vero haec ex lege Hebraea *Exod. XXI.* ad Phoenices, atque ab his ad Graecos manarint, quod suspicatus est Grotius *in Flor. spars. ad hunc tit. p.* 141. non facile dixerim. Saltim lex Hebraeorum in noxae deditione bouis cornupetae non adquiescit, sed eum lapidibus obrui iubet.

(a) DE LEGE AQVILLIA.] De ordine non est, quod multum laboremus, quippe quem satis demonstrant tot fragmenta, quae ex omnium fere veterum commentariis ad hanc edicti partem supersunt. Magis videri posset dubium, an in edicto titulus de lege Aquillia fuerit, Eum, quia res ipsa docet, iureconsultos veteres hic non tam verba praetoris, quam ipsius legis Aquilliae esse interpretatos. Vnde et Ranchinus edictum, quod ad hanc legem pertineret, proponere non est ausus. Enimuero et in edicto suo hanc legem habuisse praetorem, liquido patet ex *Pariatore Legum Mosaic. et Roman. tit.* 2. §. 4. quippe qui ibi citat VLPIANVM *lib. XVIII.* (ita enim est in Codice Scaligeriano, eamque lectionem firmat *l.* 28. §. 17. *D. ad leg. Aquill.*) *ad edictum, sub titulo: si fatebitur, iniuria occisum esse in simplum.* Itaque non modo in edicto fuit titulus de lege Aquillia, vel damno iniuria dato, sed ille etiam in varia capita, seu paragraphos, quos Pariator ille *titulos* vocat, distinctus fuit. Quamque probabile sit, verba legis, quae apud CAIVM *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 2. *D. ad leg. Aquill.* et VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 27. §. 5. *D. eod. tit.* habentur, seruasse praetorem: non adeo difficile fuerit, edictum hoc suae integritati restituere.

Heineccii Opusc. postum.

BIU Cujas

EVm, QVI SERVVM SERVAMVE, ALIENVM ALIENAM QVADRVPEDEM VEL PECVDEM (b) INIVRIA (c) OCCIDERIT,

(b) PECVDEM.] Ita legendum putamus pro eo, quod Balduin. *de lege Aquill. p.* 125. aliique habent: QVADRVPEDEMVE PECVDEM, quamuis et ipse aliquando hanc lectionem probarim. Quis enim dubitare potuisset, an et sus ad hoc caput pertineat, si Aquillius de iumento tantum, quod gregatim pascitur, esset loquutus? Probabilius itaque est, non coniunctim esse accipienda verba, QVADRVPES PECVS, sed disiunctim, vt in primum caput incidat, quisquis vel *quadrupedem*, quae dorso et collo domatur, vel *pecudem*, quae gregatim pascitur, iniuria occiderit. Haec enim animalia seruis exaequauit lex Aquillia, non canes, multo minus bestias, veluti vrsos, leones, pantheras. Contra iis vocabulis et elephanti, et cameli continentur, quia, licet ferae naturae, iumentorum tamen operam praestant. CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 2. *pr. D. ad leg. Aquill.* Ceterum quid iureconsultis sit QVADRVPES, ostendit VLPIANVS *Regul. tit.* 19. *§.* 1. Quid PECVS, Varro *de Lingu. Lat. lib. IIII. p.* 25. *edit. Scalig.* Seru. *ad Virgil. Aeneid. IIII. v.* 158. Quid denique BESTIA, Isidor. *origin. XII.* 2. quibus addi possunt, quae eam in rem disseruit Corn. van Bynkersh. *de reb. mancipi et nec manc. cap.* 6. *pag.* 119. *sequ.*

(c) INIVRIA.] Merito haec adiici notat VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 3. *D. h. tit.* Quia non sufficiat, occisum, sed oporteat id iniuria esse factum. Id vero in vtroque capite perinde habetur, siue dolo, siue culpa quid contra legem factum sit. PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l.* 30. *§.* 3. *D. eod. tit.* Ex quo consequitur, vt hac lege non teneatur, qui seruum alterius, insidiantem sibi, tamquam latronem occiderit, quum et aduersus periculum naturalis ratio permittat se defendere, et lex XII. Tabularum furem nocturnum deprehensum occidi patiatur, modo id occidens cum clamore testificetur. CAI. *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 4. *D. eod. tit.* At quamuis eodem loco moneat CAIVS, interdiu furem non aeque facile posse occidi: tamen et ipse, et VLPIANVS *lib. XVIII. ad edict. l.* 5. *D. eod. tit.* addunt, nec eum videri iniuria occidisse, qui quemcumque cum ferro ineuntem occide-

BIU Cujas

CIDERIT, (d) QVANTI ID IN EO ANNO PLVRIMI FVIT,

occiderit, modo eum non potuerit adprehendere. INIVRIAM enim hic non notare contumeliam, sed omne, quod non iure factum, et quamuis plerumque concurrant actiones damni et iniuriarum, diuersas tamen esse damni et contumeliae aestimationes. Ita et, qui occidit deprehensum in adulterio seruum alienum, hac lege non magis tenetur, (PAVLL. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 30. *pr. D. eod.*) quam furiosus, infans, impubes, nisi hic iam sit capax iniuriae. VLPIAN. *lib.* XVIII. *l.* 5. §. 2. *D. eod. tit.* Quid vero si magister in disciplina seruum vel occiderit, vel vulnerauerit? Sane quamuis hic iniuriarum non teneatur, et dubitari possit, an non locati actio sufficiat, quia leuis tantum castigatio docentibus concessa est; ex lege tamen Aquillia illum conueniri posse, docet VLPIAN. *ibid. l.* 5. §. 3. *l.* 7. *princ. D. eod. tit.* quia praeceptoris nimia saeuitia culpae adsignatur. PAVLL. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 6. *D. eod. tit.* Quid si quis in colluctatione, vel in pancratio, vel dum pugiles inter se exercentur, alius alium occiderit? Tunc VLPIAN. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 7. §. 4. *D. eod. tit.* distinguit, vtrum id in publico certamine factum sit, in quo, quum gloriae ac virtutis, non iniuriae caussa, occisum sit, Aquilliam cessare ait: an extra certamen publicum, quo casu ei locum esse concedit, nisi seruus colluctatus sit, domino committente. At notat tamen iurisconsultus, prius contingere non posse, quoniam ingenui tantum certare soleant; at in filiofamilias vulnerato locum fore actioni ex lege Aquillia. Et sic non obscurum est, quo sensu scribat Tertullian. *Scorpiac. cap.* 6. *iniuriarum actiones extra stadium.*

(d) OCCIDERIT.] Occisum accipere debemus, siue gladio, siue fuste, vel alio telo, siue manibus: item si quis forte strangulauerit eum, calceue petiit, vel lapide, vel qualiter. Hinc iureconsulti eo referunt casus, si quis plus iusto oneratus deiecerit onus, et seruum occiderit, vel si lapsus seruum alienum oppresserit, vel seruum alienum leuiter percusserit, et is obierit, vel eum de ponte deiecerit, vel medicus imperite secuerit, medicamento perperam vsus sit, curationem dereliquerit, vel si

BIU Cujas

FVIT (e), TANTVM AES DOMINO (f) DARE ex lege Aquil-

mulio per imperitiam vel infirmitatem mulas retinere non potuerit, et damnum hoc modo dederit, vel obstetrix medicamentum mulieri suis manibus suppoſuerit, vel aliquis per vim suasumue medicamentum alicui infuderit, vel per lusum iaculans occiderit, nisi seruus per campum iaculatorium iter intempestiue fecerit, vel si tonsor eo loco, quo pila luditur, seruum sub dio totonderit, et pila adnolans nouaculae serui gulam praeciderit. Quos casus omnes prolixe hic explicarunt VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 7. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *l.* 9. *l.* 11. *pr. D. ad leg. Aquill.* CAI. *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 8. *D. eod. tit.* PAVLL. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 10. *D. eod. tit.* simul monentes, omnibus his casibus non directam, sed in factum actionem dari, quoties non ἀμέτρως corpore occisus sit seruus, quin plane cessare actionem, si casu caedes facta sit, veluti SI TELVM MANV FVGIT MAGIS, QVAM IECIT, cuius exceptionis vel *arietis iurisconsultorum*, ceu vocat, meminit Cicero *in Topic. cap.* 17. Quid iuris sit, si plures occiderint, disquirit VLPIAN. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 11. §. 1. 2. 3. 4. *D. eod. tit.* Similiter, quid sit pronunciandum, si tota familia occiderit, et an tunc eadem sit iuris dispositio, ac in titulo, *si familia furtum feciſſe dicatur*, itemque, an si quis seruum primum vulnerauit, ac deinde occidit, ex vtroque legis capite actio possit institui, disputauit CAIVS *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 32. *D. eod. tit.*

(e) PLVRIMI FVIT.] Ea clausula habet aestimationem damni, quod datum est, ita faciendam, vt annus retrorsus computetur, ex quo quis occisus, aut, si ex vulnere, interiecto tempore, periit, a momento, quo vulneratus est. VLPIAN. *ibid. l.* 21. *pr.* §. 1. *D. ad leg. Aquill.* Sed praecipue hic monent veteres, in aestimationem venire non solum ipsius corporis occisi pretium, sed et, quod domini interest. Quod multis exemplis illustrat VLPIAN. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 21. §. 2. *l.* 23. *princ.* §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *D. eod. tit. l.* 14. *D. de euiction.* PAVLL. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 22. *D. ad leg. Aquilliam.*

(f) DOMINO. Datur enim haec actio domino et heredi ceterisque successoribus, non in heredem

BIU Cujas

Aquillia (g) DAM-

dem vel ceteros, quia poenalis est, nisi heres ex damno locupletior factus. Hinc et ei datur, qui seruum adhibiturus erat, vel cuius seruus fugitiuus occisus, non ei, cuius interest, nec vsufructuario, vel vsuario, nec libero homini, suo nomine agenti, nec creditori, cui seruus oppignoratus, quamuis his casibus aliquando vtilis vel in factum actio competat. VLPIAN. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 11. §. 6. 7. 8. 9. 10. *l.* 13. *l.* 15. *l.* 17. *l.* 19. *D. ad leg. Aquill.* PAVLL. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 14. *l.* 30. §. 1. *D. eod. tit.*

(g) *Ex lege Aquillia.*] LEX AQVILLIA *omnibus legibus, quae ante se de damno iniuriae loquutae sunt, derogauit, siue* XII. *Tabulis, siue alia quae fuit, quas nunc referre non est necesse*: inquit VLPIAN. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 1. *D. h. t.* Ego vero vellem, quod et Franc. Balduino in votis fuit, et valde profecto vellem, VLPIANVS hic retulisset antiquas illas leges, quae ante Aquilliam de damno iniuria dato loquutae sint. Sane praeter legem XII. Tabularum nulla est, cuius memoriam seruarint veteres: ac ne ista quidem talis ad nos peruenit, vt quid ea hanc in rem cautum sit, satis intelligamus, quum praeter vocabula aliquot antiqua et legitima, SARCITO et RVPITIAS, a Festo explicata, et fragmentum *de membro rupto* et *osse fracto*, nihil omnino effugerit commune istud rerum veterum naufragium. Franc. Balduin. *de leg. Aquill. p.* 216. *sequ.* Pergit VLPIANVS: *Quae lex Aquillia plebiscitum est, quum eam Aquillius, Tribunus plebis a plebe rogauerit.* At quis quaeso ille Aquillius, Tribunus plebis? Certe non ille cautionum egregius artifex, Ciceronis aequalis, cuius vitam oratione sollemni explicatam, publici iuris fecimus, quamuis hoc sibi aliisque persuadere voluerit Ian. Vinc. Grauina *Orig. iur. ciuil. §.* 60. *pag.* 97. quum iam multo ante Brutus et Q. Mucius hanc legem vel illustrarint, vel memorauerint saltem in libris suis, *l.* 27. §. 22. *D. ad leg. Aquill. l.* 39. *D. eod. tit.* et L. Caesulenus, accusator de plebe, *multam ex lege Aquillia de iustitia* (legendum forte *iniuria*) petiisse dicatur a Cicerone *in Bruto cap.* 34. quod vel ideo dudum ante C. Aquilli

DAMNABO (h) *** (i)

§. I. CETERARVM RERVM PRAETER HOMINEM ET

Galli aetatem factum oportuit, quia Caesulenus ille, teste eodem Cicerone aequalis fuit M. Bruti, accusatoris illius vehementis, quem filium fuisse Bruti, iuris ciuilis in primis periti, alibi obseruauit, *de offic. lib. II. cap.* 14. Hinc nihil probabilius video, quam quod iam in *Antiqu. Rom. IIII.* 3. 4. suspicari me professus sum, nempe legem hanc latam anno v. c. 572. a L. Aquillio Tribuno plebis, qui postea anno 576. praeturam gessit, teste Liuio *XXXXI.* 18. Adde *Hist. iur. ciu. lib. I. §.* 87.

(h) DAMNABO.] Hac occasione de natura actionis ex legis Aquilliae capite primo egit VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 21. §. 8. *D. h. tit.* Obseruauitque, eam dari, non quidem contra heredem, quum sit poenalis, nisi forte heres ex damno factus sit locupletior, sed tamen heredibus, ceterisque successoribus, adeoque et ei, cui Stichi legati ac postea occisi portio, repudiata a collegatario adcreuit, quia retro ei adcreuisse dominium videtur. VLPIAN. *ibid. l.* 35. *D. eod. tit.* Idem notauit, hanc actionem aliquando cumulari cum persequutione ex lege Cornelia de sicariis. VLPIAN. *ibid. l.* 21. §. 9. *D. eod. tit.* nec non cum actione furti, VLPIAN. *ibid. l.* 27. *princ. D. eod. tit.* immo et noxalem eam aliquando esse, si seruus alienus seruum nostrum occiderit. VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 27. §. 1. 2. 3. *D. eod. tit.*

(i) ***] Desiderari hic videri poterat secundum legis Aquilliae caput, quod in desuetudinem abiisse obseruat VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 27. §. 4. *D. eod. tit.* quodque in vsu non esse ait Iustinianus §. 12. *Inst. de leg. Aquill.* Id vero non aliunde factum ego arbitror, quam quodin edicto non inuenerit locum, illiusque luminibus offecerint tot alia praetoris edicta, quibus illud iuris ciuilis caput vel suppleuerant, vel ob aequitatem emendauerant. Siue enim de seruo corrupto in illo actum fuerit, siue de effusis et deiectis, (de vtroque enim aliquid in lege Aquillia actum esse, ex *l.* 4. *et l.* 5. §. 2. *D. de seru. corrupt.* et *l.* 31. *D. ad leg. Aquill.* discimus,) praetoris edicta de iis quasi delictis edita efficere potuerunt, vt hoc caput in desuetudinem sensim abierit. Nulla ergo hic lacuna est, vti quis suspicari possit,

BIU Cujas

ET PECVDEM OCCISOS (k), SI QVIS ALTERI DAMNVM FAXIT, QVOD VSSERIT (l), FREGERIT, RVPERIT (m) INIVRIA, QVANTI EA RES IN TRIGINTA DIEBVS

set, neque in edicto hoc caput expresserat Iulianus, quum vix probabile sit, illud intra tam breue temporis interuallum, quod inter Hadriani et Vlpiani tempora interceſſit, adeo euanescere potuisse ex hominum memoria, vt ne eius quidem argumentum commemorandum putauerint interpretes.

(k) OCCISOS.] Hac enim actione agitur de omnibus animalibus laesis, etiam, quae pecudes non sunt. Immo et magistratus municipales, si pignori capiendo pecudem damnum iniuria dederint, hac lege conueniuntur. VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 29. §. 6. 7. *D. ad leg. Aquill.*

(l) VSSERIT.] Veluti si quis seruum, face obiecta adusserit, vel si arbustum, villam, vel insulam incenderit, vel si cuius fornicarius seruus ad fornacem obdormiuerit, et villa exusta fuerit, vel si cuius furnus damnum dederit, vel apes alterius ad se aduolantes exusserit, de quibus casibus agit VLPIAN. *ibid. l.* 27. §. 7. *sequ. D. ad leg. Aquill.* additque, etiam capitis, tamquam incendiarium damnari posse, qui dolo malo alterius insulam exusserit. VLPIAN. *ibid. l.* 10. *D. ad leg. Cornel. de sicar.*

(m) FREGERIT, RVPERIT.] RVMPERE hic est *corrumpere*, ait VLPIAN. *ibid. l.* 27. §. 13. 16. *D. ad leg. Aquill.* nec dubium est, quin vetus illud RVPITIAS, quo decemuiros vsos esse in XII. tabulis diximus, receptiore vocabulo exprimere voluerit praetor. Ceterum amplissima hic exemplorum huc pertinentium seges apud interpretes occurrit. Quaerunt enim, an huic actioni locus sit, si quis lolium aut auenam in alienam segetem, (vti est in parabola Matth. *XIII.* 24.) iniecerit, si vinum spurcauerit, effuderit, acetum fecerit, si vulneraverit, pugnis, loris, virgis ceciderit, si vestimenta sciderit, si frumentum vel milium effuderit in flumen, si eidem arenam aliudue quidquam immiscuerit, quod difficulter separetur, si quis numos de manu excusserit, si mulierem pugno, vel equam ictu percusserit, vt foetum eiiceret, si mulam alicuius plus iusto onerando ei membrum ruperit, si nauem perforarit, oliuam immaturam

BIU Cujas

turam decerpserit, vel segetem immaturam crudamue vineam de-Secuerit. Et quo simul patet, cur VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 31. *D. de verb. signif.* hic PRATVM definiuerit, quod sit, in quo ad fructum percipiendum falce dumtaxat opus sit, *pratum* dictum, quasi *paratum ad fructum capiendum.* Vid. Goedd. *Comm. de verb. signif. pag.* 415. Porro eadem occasione quaesiuere veteres, an Aquillia teneatur, qui siluam caeduam, adhuc immaturam vel salictum interceperit? De omnibus his disputat VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 27. §. 14. *ad §.* 27. *D. ad leg. Aquilliam.* Quumque, quod ad postremam speciem attinet, obseruauerit iurisconsultus, eum, qui siluam caeduam iam maturam interceperit, etiam furti et arborum furtim caesarum reum esse: PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l.* 11. *D. arbor. furt. caesar.* addit, manere etiam nihilominus actionem ex legibus XII. tabularum, idque ob eam rationem, quod quoties lex obligationem introducit, nisi si nominatim cauerit, vt sola ea actione vtamur, etiam veteres actiones maneant, adeo, vt si ex eodem facto duae competant actiones, postea iudicis potius partes sint, vt quo plus sit in reliqua actione, id actor ferat, sin tantumdem aut minus, nihil consequatur. PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l.* 41. *D. de oblig. et action.* Ita lego cum Cuiac. *Obseru. XII.* 23. quamuis plerique codices pro *nihil consequatur*, habeant *id consequatur.* Quamuis enim eam emendationem reprehendat Io. Robert. *Animadu. I.* 21. ipsa tamen res et sensus eam tam manifesto exigunt, vt eam probare non dubitarint Franc. Hotoman. *Quaest. illustr. XXVII.* Mercat. *Notat. l.* 29. et Franc. Balduin. *de lege Aquill. pag.* 236. Porro inter exempla, quae ad hanc edicti partem adcumularunt veteres, et illa sunt de puero castrato, de quo erudita exstat V. A. Euer. Ottonis *diatribe*, de calice diatreto fracto, de margaritis a marito commodatis et ab vxore perforatis, foribus aedium perfractis, aedificio vel aquaeductu diruto, item de lapide, qui ex plaustro cadens nocuit, de eo, qui imperitum mulionem locauit, (siquidem et imperitia culpae adnumeratur. CAI. *lib. VII. ad edict. l.* 132. *D. de regul. iur.*) qui laccum vino plenum pertudit, laqueos posuit, protectum alterius incidit, naui sua in alterius nauem impegerit, et quae sunt huius generis alia, de quibus fuse VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 27. §. 28. *ad finem l.* 29. *pr.* §. 1. *sequ. D. ad leg. Aquill.* Quo postremo casu etiam quaeritur,

BIU Cujas

DIEBVS PROXIMIS FVIT (n), TANTVM AES eum DARE DOMINO DAMNABO.

§. II. SI EVM FATEBITVR INIVRIA OCCISVM, vstum, fractum, ruptum esse, IN SIMPLVM; contra inficiantem in duplum actionem dabo (o).

TIT.

ritur, an et actioni ex edicto nautae, caupones, stabularii recepta vt restituant, locus sit, apud PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l. 6. D. naut. caup. stabul.* et VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l. 7. D. eod. tit.* Denique et istae quaestiones incidunt, an actioni huic locus sit, si quis alienum vinum vel frumentum consumserit, emtorem in numero iugerum circumuenerit, stuprum alterius seruo intulerit, sepulcrum intulerit? De quibus casibus PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l. 30. §. 2. D. ad leg. Aquill.* VLPIAN. *lib.* XVIII. *ad edict. l. 34. D. de contrah. emt. l. 25. D. de iniur. l. 2. D. de sepulcr. viol.*

(n) PROXIMIS FVIT.] Haec verba etsi non habeant PLVRIMI, sic tamen esse accipienda constat, perinde ac si illud adiectum esset. VLPIAN. *lib.* XVIII. *ad edict. l. 29. §. 8. D. ad leg. Aquill.*

(o) *Actionem dabo.*] Fuisse in edicto huius tituli paragraphum, *Heineccii Opusc. postum.* cuius principium ita se habuerit; iam supra *sub litt. a.* ex *Pariatore leg. Mosaic. et Roman.* demonstrauimus. Sententiam ipsam illius paragraphi habemus apud VLPIAN. *ibid. l. 2. §. 1. et l. 23. §. 10. D. ad leg. Aquill.* Nec dubium est, quin ad eiusdem explicationem pertineant fragmenta VLPIANI *lib.* XVIII. *ad edict. l. 23. §. 11. l. 25. D. h. t.* et PAVLLI *lib.* XXII. *ad edict. l. 24. l. 26. D. eod. tit.* vbi quaeritur, quatenus falsa etiam confessio confitentem oneret? Quam in rem multa diximus in Dissert. *de religione iudicantium circa reorum confessiones.* Fuerintne plura legis Aquilliae capita, nos quidem in medio relinquimus, quamuis ita visum sit Ger. Noodt *de lege Aquill. cap. 1. pag.* 137. et Corn. van Bynkershoek *Obseru. l. 13.* Saltim in edicto plura non fuisse arbitramur, quum aliorum, quam quae hactenus exposuimus, nec vola nec vestigium in iure nostro exstet.

BIU Cujas

TIT. XXXXIII.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS. (a)

SI filiusfamilias (b), vel seruus seruaue, insciente patre vel domino noxiam (c) commisisse dicetur, eum, cuius

(a) DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.] Quamuis titulum *ad legem Aquilliam* in Pandectis proxime excipiat ille *de his, qui effuderint, vel deiecerint:* tantum tamen abest, vt capita illa in edicto quoque vicina fuerint, vt VLPIAN. *lib.* XXIII. demum de effusis et deiectis egerit, ceu post Hub. Giphanium in *Oeconom. iur. p.* 127. recte obseruauit Iac. Gothofred. *in Serie edicti perpetui.* Proximus ergo fuit titulus de actionibus noxalibus, de quibus iisdem adhuc libris egerunt interpretes. Partem edicti, quam huc pertinere existimes, seruasse credideris VLPIANVM *l.* 21. §. 2. D. *h. t.* Sed quum hoc fragmentum ex *lib.* XXIII. decerptum sit, illud alio erit referendum. Attamen quum sententia huius edicti ex ipsa harum actionum natura facile intelligatur: non difficile etiam fuit, verba effingere, id quod iam verosimillima ratione fecit Ger. Noodtius *in Comm. ad Pand. p.* 231.

(b) *Filiusfamilias.*] Eius adhuc meminisse in edicto Iulianum, nullum est dubium, quum noxae deditio filiorumfamilias adhuc in vsu fuerit, non modo temporibus Iuliani, ceu patet ex *l.* 34. *D. de noxal. action.* sed et Sex. Pomponii, *l.* 33. *D. eod. tit.* immo et Papiniani, Vlpiani et Paulli, ceu discimus ex *Collat. Leg. Mosaic. et Rom.* II. 3. *l.* 3. §. 4. D. *de liber. homin. exhib.* et Paulli *Recept. Sent.* II. 31. 9. vt adeo ad postrema tantum tempora et nouam iurisprudentiam pertinere videantur, quae disserit Iustinianus. *l. pen. C. de furt. et seru. corrupt.* et §. *vlt. Inst. de noxal. action.*

(c) *Noxiam.*] Ita vocatur omne delictum priuatum ac quasi delictum. Hinc Festus *in Noxa pag.* 176. *Noxa ponitur pro peccato aut pro peccati poena. Quum lex iubet noxae dedere pro peccato.* Quo et sequentia pertinent, illaque Seruii *ad Virgil. Aeneid. l. v.* 45. *Hoc interest inter noxam et noxiam, quod noxia culpa est, id est, peccatum, noxa autem poena. Quidam: noxa, qui nocuit; noxia, id quod nocitum,*

BIU Cujas

ius in poteſtate erit (d), quantum ob eam rem aequum et bonum iudici videbitur (e), tantum aes dare, aut noxae dedere (f) filiumfamilias ſeruumue vel ancillam iubebo.

§. I.

nocitum; accipiunt. Quam poſtremam ſententiam et iuris auctores probarunt, §. 1. *Inſt. de noxal. action.* quamuis eoſdem in ipſo vſu horum vocabulorum fluctuare, iam obſeruauit Vinn. *in Comment. ad d.* §. 1. *Inſt. eod. tit.* Hinc facile patet, cur adiectitiae qualitatis eſſe dicantur hae actiones, itemque cur illae modo ciuiles ſint, modo praetoriae. §. 4 *Inſt. eod. tit.* denique, cur, vbi plures ex vno delicto actiones naſcuntur, etiam plures noxales dentur. Sic e. g. quemadmodum cum raptore non modo *vi bonorum raptorum*, ſed et *furti* recte agitur: *pr. Inſt. de vi bonor. rapt.* ita idem dicendum, quoties agitur noxaliter, ita tamen, vt qui vi bonorum raptorum egit, non amplius habeat actionem furti nec manifeſti, qui furti agit, adhuc vi bonorum raptorum recte agat, vt, quod in hac actione amplius eſt, conſequatur. PAVLL. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 1. *D. eod.*

(d) *Poteſtate erit.*] Id eſt, contra patrem, vel dominum, quamuis dominus, qui dolo poſſidere deſiit, et hic non minus pro poſſeſſore habeatur, PAVLL. *ibid. l.* 131. D. *de reg. iur.* Quam qui interrogatus in iure, ſeruum ſuum eſſe reſpondit. PAVLL. *ibid. l.* 8. D. *de interrog. in iur. fac.* Quo refero etiam fragmentum IVLIANI *lib.* VIII. (ita enim pro *lib.* VIIII. reſcribendum puto,) *l.* 39. *D. de noxal. action.*

(e) *Videbitur.*] Quia enim agebatur ciuiliter ex delictis priuatis, iudicum erat haec notio: quin et magiſtratuum municipalium, quamuis alioquin his non liceret ſupplicium a ſeruis ſumere. VLPIAN. *lib.* XVIII. *ad edict. l.* 12. D. *de iuriſdict.*

(f) *Noxae dedere.*] Filii itaque familias vel ſerui nomine agendum erat noxaliter. Manumiſſi enim ipſi directe tenebantur. VLPIAN. *ibid. l.* 6. D. *h. t.* Quid iuris ſit, ſi plures ex diuerſis delictis noxaliter agant: vel ſtatuliber noxiam commiſerit, conditioque interea exſtiterit: vel ſi in re communi damnum datum ſit, itemque ſi ſeruus domino, operas eius ab vſufructuario conducenti, vel ſerui nauem exercentis vicarius in naue damnum dederit, diſputat VLPIAN. *lib.*

BIU Cujas

§. I. (g) Si quid sciente (h) patre dominoue factum erit, sine noxae deditione iudicium dabo.

TIT. XXXXIIII.

FINIVM REGVNDORVM. (a)

(VLPIAN.

XVIII. ad edict. l. 14. *pr.* §. 1. *D. de noxal. act.* et PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l.* 17. §. 1. *l.* 19. *pr.* §. 1. 2. *D. eod. tit.* Nec minus bella est quaestio, quam tractat CAI. *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 20. *D. eod. tit.* quo euentu nimirum quis ob plures noxias diuersis temporibus agat? Eleganter enim, vt solet, respondet, si ille ex vna noxia dominium semel nactus sit, nullam eum amplius actionem habere: at si priore iudicio litis aestimationem sit consequutus, nihil impedire, quo minus deinde ob quamcumque aliam noxiam agere noxaliter possit. Ceterum antiquissimam esse eam noxae deditionem, ac gentibus plerisque vsitatam, iam ab aliis obseruatum est. In Latio saltim diu ante Romae natales recepta fuit, si vera sunt, quae de Cacò, ab Euandro Herculi noxae datò, scribit Aurel. Victor *de orig. vrb. Rom.* Nam alii auctores eum ab Hercule claua percussum occubuisse ferunt, veluti Liuius *lib. I. cap.* 7.

(g) §. I.] Duo fuisse huius edicti capita, eorumque posteriore de delictis consciis parente vel domino commissis actum esse, discimus ex VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 2. *pr. D. de noxal. action.* vbi et sententia huius paragraphi habetur.

(h) *Sciente.*] SCIENTE altero factum dicitur, quod quis non prohibuit, si vel maxime non iusserit. VLPIAN. *lib. XVIII. ad edict. l.* 1. §. 1. *D. de noxal. act.* Quid si seruus communis, scientе alterutro deliquerit? De ea quaestione agit PAVLL. *lib. XXII. ad edict. l.* 10. *l.* 17. *pr.* §. 1. *D. de noxal. act.* qui et alibi disquirit, quid iuris sit, si seruus, quem tibi commodaueram, furtum fecerit? PAVLL. *ibid. l.* 22. *D. commod.* itemque si damnum tibi datum sit a seruis meis, in aedibus, tibi a me locatis, vel si seruos ipsos, qui tibi nocuere, locauerim. IDEM *ibid. l.* 45. *D. locat. conduct.*

(a) FINIVM REGVNDORVM.] Quum hic nouos Commentariorum libros auspicati sint VLPIANVS, PAVLLVS, IVLIANVS: CAIVS vero

(VLPIAN. LIB. XIX. PAVLL. LIB. XXIII. IVLIAN. LIB. VIII.)

FINIVM REGVNDORVM (b) si agetur

vero tria illa iudicia diuisoria ac duplicia adhuc *libro VII.* exposuerit: dubitari non potest, quin iudicia illa actiones noxales in edicto quam proxime exceperint. Nec ratio fuit ab ordine in Pandectis inter iudicia illa obseruato discedendi. Ipsius edicti, quod iam Ger. Noodtius restituere conatus est, *in Comm. ad Pand. pag.* 233. rationem mox reddemus: iam obseruamus CAIVM *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 13. *D. de iudic.* et *l.* 2. §. 1. *D. commun. diuid.* in antecessum de tribus istis iudiciis notasse, in iis quaeri, quis actor intelligatur, quia par omnium videatur caussa: sed magis placuisse, eum videri actorem, qui ad iudicium prouocarit.

(b) FINIVM REGVNDORVM.] Originem debet hoc iudicium XII. tabulis, quae quinque pedum semitam, seu spatium, intra fundos relinqui iusserant, quod et μεθόριον, seu limitare iter dicebatur, ceu pluribus ostendit Iac. Gothofred. *ad Leg. XII. tabul. pag.* 132. Idem spatium quinque pedum et lex Mamilia, quae de finibus lata fuerat, probauerat. Qua de re Flaccus Sicul. *de condit. agror. pag.* 8. *edit. Goes.* Signantur (arbores finales,) *vtrimque, id est, ex vtraque possessione* INTRA PEDES QVINQVE, *vt Legis Mamiliae commemoratae locum habeant.* Itemque Aggenus Vrbic. *in Frontin. de limitib. agror. pag.* 53. *De fine enim* LEX MAMILIA QVINQVE (*aut sex*) PEDVM) *latitudinem vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri, quod vsucapi non potest.* Vbi verba: *aut sex*, parenthesi inclusa, expungenda esse recte monet Goesius *in not. pag.* 149. Frontinus porro *ipse de limitib. agror. pag.* 40. *De rigore controuersia est finitimae conditionis, quoties inter duos plureſue terminos ordinatos, siue quae alia signa, secundum* LEGEM MAMILIAM QVINQVE PEDES *agitur.* Denique Simplicius *pag.* 83. *Lex Mamilia fini latitudinem praescribebat, de qua lege iurisperiti adhuc habent quaestionem, neque antiqui sermonis sensus proprie explicare possint,* QVINI PEDES *latitudo dati sint, an in tantum quisque.* Erat ergo hoc spatium vel limitare iter inter fundos, et in ipsis finibus, *non quaquauersus circum fines*, ceu sibi persuaserat Franc. Hotoman. *in Epit. Digest. tit. fin. re-*

BIU Cujas

gund. notatus ideo a Guil. Goesio *in not. ad Sic. Flacc. pag.* 129. Et horum quidem quinque pedum nulla olim erat vsucapio, quemadmodum iam ex Aggeni Vrbici loco vidimus, et in hoc quoque vtrique legi, Decemuirali et Mamiliae inter se conuenit, eodem obseruante Goesio *pag.* 191. et ante eum Andr. Alciato *de quinque ped. praescript. tom. III. oper. pag.* 345. Si quando ergo de his quinque pedibus oriebatur controuersia, quod imminuti esse ab alterutro vicinorum dicerentur, ea vocabatur *controuersia finalis* vel *de finibus*, eaque terminanda erat iudicio finium regundorum, nulla obstante vsucapione. Sin de ipso agro lis incideret, erat haec *controuersia de loco*, et tunc res non ad agrimensores et arbitros, sed ad praetorem pertinebat. Postea, quamuis vsucapioni locus non esset in quinque illis pedibus: inualuerat tamen consuetudo, vt longissimi temporis praescriptione adquiri posse crederentur. Verum et id mutandum existimabant Valentinianus, Theodosius et Arcadius Augusti, *l.* 4. *C. Theod. fin. regund.* quam legem difficillimam, et vix cuiquam intellectam operose exposuit et a Iac. Gothofredi ψευδερμηνεία vindicauit Goesius *ad Script. de limitib. pag.* 192. Denique quum Iustinianus *l.* 3. *C. fin. reg.* vt spatio illi quinque pedum triginta annorum possessione praescribi posset, denuo indulsisset: spatium istud sensim penitus abolitum est, et fines facti sunt lineares, de quibus itaque regundis quotidianae quaestiones nascuntur. Ceterum hoc finium regundorum iudicium cum olim, tum hodie, ad praedia tantum rustica pertinet, neque interest, siue riuus priuatus, siue arbores intercedant, modo via publica non interueniat. Praedia enim vrbana *vicina* quidem, at non *confinia* adpellantur, adeoque nec in illis huic iudicio locus est. VLPIAN. *lib.* XVIIII. *ad edict. l.* 2. *pr. D. fin. regund.* PAVLL. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 4. §. 10. 11. *l.* 6. *D. eod. tit.* Id quod etiam dicendum de fundo communi, de quo itidem inter socios non potest accipi iudicium. PAVLL. *ibid. l.* 4. §. 6. 7. *D. eod. tit.* Contra iudicium finium regundorum manet, quamuis socii communi diuidundo egerint, vel alienauerint fundum. IVLIAN. *lib. VIII. Digest. l.* 9. *D. eod. tit.* Nihil denique interest, inter duos an plures fundos hoc iudicium accipiatur, itemque vectigales sint agri, an vsufructuarii, an oppignorati. PAVLL. *lib. XXIII. ad edict. l.* 4. §. 8. 9. *D. finium regund.*

BIU Cujas

tur (c) inter confines : arbitros (d) dabo, vt fines eorum arbitratu regantur. (e)

§. I. Item si quid damni datum factumue erit, siue quid eo nomine alicui aberit, aut ad eum peruenerit, id praestari iubebo. (f)

TIT.

(e) *Si agetur.*] Quam actionem *esse personalem, licet pro vindicatione rei sit*, id est, *mixtam*, obseruat PAVLL. *ibid. l.* 1. *D. fin. regund.* Eadem enim paene loquendi figura alibi quoque vsus Paullus, iudicium communi diuidundo magis ex re, quam ex persona socii nasci, ait. *l.* 29. *D. commun. diuid.*

(d) *Arbitrum.*] In iudicio finium regundorum arbitri dabantur, et ex lege quidem XII. tabularum tres : ex lege Mamilia, quam et praetor obseruasse videtur, vnus tantum. Ita enim intelligendus videtur locus Ciceronis *de Legib. lib. I. cap.* 21. *Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controuersia nata est de finibus, in qua quum vsucapionem* XII. *tabulae inter quinque pedes esse voluerunt, depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus, nec* MAMILIA LEGE SINGVLI, *sed ex iis* (XII. tabulis) TRES *arbitri fines regemus.* De cuius loci vera ac genuina lectione ac sensu multa disputant Alciatus, Cuiacius et alii, quae videri possunt apud Turnebum *in Aduers. lib. IIII. cap.* 24. Gruter. *ad Cicer. ibid.* et Goesium *in Not. ad Agrimens. pag.* 191.

(e) *Regantur.*] Dirimendi ergo fines : quod vbi fieri non potest, adiudicatione et condemnatione dirimenda controuersia, id quomodo fieri debeat, pluribus exsequuntur VLPIAN. *lib.* XVIIII. *ad edict. l.* 2. §. 1. *D. fin. regund.* CAI. *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 3. *D. eod. tit.* et PAVLL. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 4. *princ. et* §. 5. *D. eod.*

(f) *Praestari iubebo.*] Nam in hoc iudicio et eius habetur ratio, quod interest, nec non in bonae fidei possessore fructuum post litis contestationem perceptorum, quum a malae fidei possessore et ante litis contestationem percepti recte condicantur. PAVLL. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 4. §. 1. 2. *D. fin. regund.* Aliquando et contumacia rei in succidenda arbore, vel aedificio in finibus posito deponendo, aliquando et crimen exarati deiectiue termini inter-

BIU Cujas

TIT. XXXXV.

FAMILIAE ERCISCVNDAE. (a)

FAMILIAE ERCISCVNDAE (b) si agetur, inter coheredes

interuenit, eoque casu iudex, qui de criminibus, idem et de finibus cognoscit. PAVLL. *ibid. l.* 4. §. 3. 4. *D. fin. regund.*

(a) FAMIL. ERCISCVNDAE.] Ordinis rationem quum iam in antecedente titulo reddiderimus, quaestioni huic iam quidem non immoramur. Ipsum edictum iam recte restituit Ger. Noodtius *in Comment. ad Pand. pag.* 237. adeo, vt quidquam in eius formula immutare non fuerit necesse, quia omnia proba et solida esse, ex ipsa fragmentorum comparatione didicimus. Illud addo, edicti de familiae erciscundae iudicio mentionem facere Seuerum et Antoninum AA. *in l.* 3. *C. famil. erciſc.* vbi Rufo cuidam rescribunt: *Aduersus coheredes tuos diuidundae hereditatis iudicio secundum* IVRIS FORMAM *experire. Iudex datus, si quid a coherede etiam tuae portionis ex hereditate sublatum fuerit probatum, factis adiudicationibus secundum* IVRIS FORMAM *eum tibi condemnabit.* Iuris enim formam hic nihil esse aliud, quam edictum Praetoris, in Historia edicti luculenter demonstrasse videmur.

(b) FAMILIAE ERCISCVNDAE.] Verba haec sunt antiqua et legitima, quae praetorem seruasse, vix dubito, quia rubricae FINIVM REGVNDORVM, FAMILIAE ERCISCVNDAE, et COMMVNI DIVIDVNDO non minus exprimere videntur verba edicti initialia, quam illae: QVOD METVS CAVSSA, QVORVM BONORVM, VT LEGATORVM, et similes. De φράσει eiusque Latinitate non repetemus, quae fuse disputarunt Vossius *in etymol. voc. erciſcere* Salmas. *in exercit. Plinian. pag.* 891. et Petr. Burmannus *ad Petron. cap.* 141. Quid enim attinet fluctus in simpulo mouere, quum Festus *in Erctum pag.* 55. diserte scribat: ERCTVM CITVM *fit inter consortes, vt in libris legum Romanarum legitur:* ERCTVM *a coërcendo dictum, vnde et* ERCISCVNDAE *et* ERCISCI. CITVM *autem est vocatum a ciendo.* Quid clarius, quaeso, quam *erciſcere* esse vocabulum iuridicum ex verbis ERCTVM CITVM, quibus decemuiri in XII. tabulis

redes (c) arbitros dabo

bulis vſi ſunt, formatum? Quis non videt, *erctum* veteribus idem fuiſſe, ac totum, vel indiuiſum, et quaſi coërcitum ſuis finibus? *Ciere* autem ſignificare diuidere, iam pridem obſeruauit Seru. ad Virgil. *Aeneid. VIII. pag.* 642. Itaque *familiam erciſcere* erit hereditatem adhuc pro indiuiſo poſſeſſam diuidere inter coheredes, ipſumque *erctum citum* διαίρεσις τῶν ὑπαρχόντων, vti vetus gloſſa habet: vt mirum ſit Salmaſium *in Exercitationibus Plinian. pag.* 1262. *ſequ.* huius φράσεως originem referre ad Tribonianum, quae totidem verbis apud Cicer. *pro Caecin. cap.* 7. alioſque veteres occurrit. Haec de verbis. Ipſum familiae erciſcundae iudicium ex legibus XII. tabularum deſcendere ad hunc locum obſeruat CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 1. *pr. D. h. t.* ſimulque monuit §. 1. familiae erciſcundae inter ſe agere coheredes, vbi VLPIAN. *lib.* XVIIII. *ad edict. l.* 2. *pr. D. eod.* addit, nihil intereſſe, ex teſtamento quis heres ſit, an ab inteſtato, vel lege quacumque. Generatim enim eorumdem hereditatem diuidi poſſe, quorum peti poſſit. Attamen inter hoc iudicium et hereditatis petitionem permultum nihilominus intereſt, ſiquidem non poſſumus perſequi per hereditatis petitionem, quod iudicio familiae erciſcundae perſequimur. IVLIAN. *lib. VIII. Digeſt. l.* 7. *D. ſi pars hered. pet.* Vnum tamen aduerſus alterum familiae erciſcundae agere, et ab hoc rurſus hereditatis petitione pulſari poſſe, elegante ſpecie oſtendit IVLIAN. *ibid. l.* 51. §. 1. *D. fam. erciſcund.*

(c) *Inter coheredes.*] Hic prolixe diſquirunt veteres, quinam accipere hoc iudicium poſſint? quaenam res in illud veniant? an et nomina, mala venena, libri improbatae lectionis, tabulae et inſtrumenta hereditaria? Quo pertinent fragmenta VLPIANI *lib.* XVIIII. *ad edict. l.* 2. §. 2. 3. 4. 5. *l.* 4. *l.* 6. *l.* 8. *l.* 10. *D. famil. erciſc.* CAI. *lib. VII. ad edict. prou. l.* 3. *et l.* 5. *D. eod. tit.* PAVLL. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 9. *et l.* 11. *D. eod.* Sic porro quaerunt, an et fructus ad hoc iudicium pertineant? VLPIAN. *lib.* XVIIII. *ad edict. l.* 12. *l.* 14. *l.* 16. *pr.* §. 1. 2. 3. *D. eod. tit.* PAVLL. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 15. *D. eod. tit.* itemque an damna et lucra? VLPIAN. *ibid. l.* 16. §. 4. *ad*

BIU Cujas

dabo (d), vt eorum arbitratu res singulis adiudicentur. (e)

§. I. Item si quid damni datum factumue erit, siue quid eo nomine cui aberit, aut ad eum peruenerit, id praestari iubebo. (f)

TIT.

4. *ad fin. l.* 18. *l.* 20. *l.* 22. *l.* 24. *D. eod. tit.* CAI. *ibid. l.* 17. *l.* 19. *D. eod. tit.* PAVLL. *ibid. l.* 21. *l.* 23. *l.* 25. *pr. et* §. 1. *et sequ. vsque ad* §. 19. *D. eod. tit.* IVLIAN. *lib.* VIII. *Digest. l.* 57. *pr. D. eod.*

(d) *Arbitros dabo.*] *Arbitri familiae erciscundae* mentionem fieri animaduertimus apud IVLIAN. *lib.* VIII. *Digest. l.* 51. *pr. D. famil. erciſc.* Papinianum *l.* 57. *D. eod. tit.* et Vlpianum *l.* 43. *D. eod. tit.*

(e) *Adiudicentur.*] Officium iudicis circa hanc actionem eleganter describit Iustinianus §. 4. *Inst. de offic. iudic.* vbi fere simul totius edicti sententiam habes, quam pluribus illustrant PAVLL. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 25. §. 20. 21. 22. *l.* 27. *l.* 56. *D. famil. erciſc.* CAI. *lib. VII. ad edict. prouinc. l.* 26. *l.* 28. *D. eod. tit.* Ceterum hereditatem etiam augent serui, post mortem testatoris ab hoste reuersi. VLPIAN. *ibid. l.* 43. *D. ad leg. Falcid.* nisi a testatore sint manumissi, quod fieri potest, licet nec testamenti nec mortis tempore testatoris, sed hostium, fuerint. VLPIAN. *ibid. l.* 30. *D. de manumiss. testam.* An et oues a lupis ereptae, et ab alio vindicatae, ad hereditatem pertineant, eleganter disputat VLPIAN. *ibid. l.* 44. *D. de adquir. rer. domin.* De nominibus adhuc obseruat IVLIAN. *lib. VIII. Digest. l.* 3. *D. de condict. sine causs.* quod coheres, sine caussa obligatus, incerti condictione consequi possit, vt liberetur.

(f) *Iubebo.*] Quae ad huius paragraphi probationem faciunt, iam supra occupauimus *ad litt. c.* Nos adhuc corollarii loco addimus, apud multos populos inter duos, familiam erciscentes, maiori natu ius faciendi partes; minori ius ex portionibus istis alterutram optandi, concessam esse. Ita sane cautum *Iure prou. Saxon. lib. III. art.* 29. Ita et plurium non modo Germanicarum, sed et aliarum quoque ciuitatum gentiumque statutis et moribus inualuit, de quibus Carpzou. *Part. III. const.* 15. *defin.* 8. Betz. *de statut. et pact. famil. illustr. cap.* 4. §. 10. *sequ.* Aemil. Ferret. *consil.* 1. Costal. *in l.* 1. *D. fam. erciſc.* Anton. Faber *in Codic.*

BIU Cujas

TIT. XXXXVI.

COMMVNI DIVIDVNDO. (a)

COMMVNI DIVIDVNDO (b) si agetur (c), inter eos, quorum

Codic. eod. tit. decad. 2. Christin. *Vol. II. decis.* 180. Guid. Papa *quaest.* 280. et alii. Quamuis vero recte Hertius *Paroem. iur. lib. I. cap.* 24. *pag.* 433. obseruet, id nec ex diuino iure, locoque *Genes. cap.* XIII. *v.* 9. vnde hanc consuetudinem repetunt Augustin. *de ciuit. Dei, lib.* XVI. *cap.* 20. et Ambros. *de Abraamo lib. I. cap.* 3. nec non ex *Concilii* africani *Can.* 85. *Lat.* decerptoque inde *c.* 1. *X. de paroch. et alien. parochian.* vbi alii id ius sibi reperisse videntur, promanasse: certum tamen est, ob insignem aequitatem illud iam antiquis tum in hereditatis, tum in aliarum rerum diuisione placuisse, eiusque vestigia exstare non modo apud vtrumque Senecam *Declam. lib. VI. cap.* 1. et *de Benef. lib. V. cap.* 16. verum etiam in iure nostro *l.* 1. *C. de his, qui se defer. l.* 2. *C. de metat. et epidem. l.* 2. *C. quando et quib. quart.* Qua de re plura habent Cuiac. *obseru. lib. XIII. cap.* 24. Forner. *rer. quotid. lib. V. cap.* 22. Grot. *ad Genes. cap. XIII. v.* 9. Vinn. *Quaest. select. lib. I. cap.* 34. Gonz. Tellez, *Comment. ad Decretal. lib. III. tit.* 29. *cap.* 1. *pag.* 573. *tom. III.* Sed, si quid huiusmodi apud Romanos quoque inualuerat, id tantum in domestica rerum hereditariarum diuisione obseruabatur. Nam vbi semel ad diuisionem prouocatum fuerat, res iam vel iudicis arbitrio, vel sorte dirimenda erat. *l.* 4. *l.* 5. *D. fam. ercisc. l.* 2. *C. quand. et a quib. quart.* §. 4. *Inst. de offic. iudic.*

(a) DIVIDVNDO.] Ordinis rationem iam ad superiores titulos reddidimus. Sententiam ex legibus huius tituli prioribus, nec non ex §. 3. *Inst. de obligat. quae quas. ex contr.* §. 5. *Inst. de offic. iudic.* et §. 20. *Inst. de action.* denique ex Isidor. *Orig. lib. V. cap.* 25. *pag.* 931. restituit v. c. Ger. Noodtius *in Comm. ad Pand. pag.* 242.

(b) COMMVNI DIVIDVNDO.] Hoc iudicio ideo fuit opus, quia pro socio actio magis ad personales inuicem praestationes pertinet, quam ad communium rerum diuisionem. PAVLL. *lib. XXIII. ad edict. l.* 1. *D. h. t.*

(c) *Si agetur.*] Quod fieri non potest, nisi res sit communis. PAVLL. *ibid. l.* 1. *D. h. t.* Nec interest, cum societate, an

BIU Cujas

rum res communes esse dicentur, arbitros dabo, quorum arbitratu res communes diuidantur. [d]

§. 1. Item si quid in his damni datum factumue erit, siue quid eo nomine cui aberit, aut ad eum peruenerit, id ei, praestari iubebo. [e]

TIT.

sine ea res communis sit. CAI. *lib.* VII. *ad edict. prouinc. l.* 3. *pr. D. eod. tit.* Perinde etiam est, siue omnes, siue quidam ad diuisionem prouocent. An vero et locus huic iudicio sit inter heredem et legatarium, si incertum sit, an Falcidia detrahenda, disquirit PAVLL. *ibid. l.* 8. §. 1. *D. eod. tit.* Plures quoque huiusmodi quaestiones, qui et super quibus rebus possit hac actione experiri, ex instituto tractat VLPIAN. *lib.* XVIIII. (ita enim legendum pro *lib.* XXI.) *ad edict. l.* 7. *D. comm. diuid.*

(d) *Diuidantur.*] In hoc iudicio nihil peruenit vltra diuisionem rerum ipsarum, quae communes sunt, et si quid in his damni datum factumue est, siue quid eo nomine abest alicui sociorum, aut ad eum peruenit ex re communi. In arbitratu tamen suo arbiter pactis sociorum non minus, quam in duobus praecedentibus iudiciis stabit. *l.* 3. *pr.* §. 1. *D. commun. diuid.* Pertinet vero hoc iudicium ad diuisionem rerum corporalium, non hereditatis, etiam putei, si solum eius commune, immo et ad diuisionem rerum, quae, facta inter socios diuisione, in communione manserunt. VLPIAN. *lib.* XVIIII. *ad edict. l.* 4. *pr.* §. 1. 2. D. *commun. diuid.* Ceterum et hic locus est adiudicationi, etiam tali, vt vnus proprietatem, alter vsumfructum consequatur. VLP. *ibid. l.* 6. §. 10. 11. D. *eod. tit.*

(e) *Iubebo.*] Itaque et hoc edictum etiam ad praestationes personales, veluti ad impensas in rem communem factas, itemque ad fructus ab vno sociorum ex re communi perceptos pertinet, qui peti possunt, etiamsi fundus communis alienatus sit. VLPIAN. *ibid. l.* 4. §. 3. 4. *l.* 6. *pr.* §. 1. 2. 3. 4. D. *commun. diuid.* IVLIAN. *lib.* VIII. D. *l.* 24. D. *eod. tit.* Immo et ad accessiones, VLPIAN. *ibid. l.* 6. §. 4. 5. *sequ. vsque ad* §. 12.

BIU Cujas

TIT. XXXXVII.

QVEMADMODVM ACTIONES PER INFICIATIONEM DVPLENTVR. (a)

(VLPIAN.

§. 12. D. *eod. tit.* et reliqua lucra, CAI. *lib.* VII. *ad edict. prou.* *l.* 7. D. *eod. tit.* denique et ad damna, PAVLL. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 8. §. 2. 3. 4. *l.* 10. *pr.* §. 1. *D. eod. tit.* vbi et §. 2. arbitrum instruit, quid in eo iudicio circa aestimationem pretii rerum et euictionem obseruare teneatur.

(a) *Per inficiationem duplentur.*] Hactenus inoffenso pede, et non amisso filo Ariadnes progredi in hoc labyrintho licuit; iam eo loco sumus, vt quocumque nos vertamus, *inexplicabiles vias, ambagibus huc illuc remeantibus, sed continuo anfractu et saepe reuocatis porticibus ancipites*, (quod de Labyrintho Aegyptio dixit Pompon. Mela *de Sit. orb. lib. I. cap. 9.*) animaduertere nobis videamur. Iac. Gothofred. in *Serie edicti perp.* quum obseruasset, VLPIANVM *lib. XX. ad edict. l.* 7. D. *commun. diuid.* adhuc de illo iudicio diuisorio ex instituto disserere: eum duobus *libris XVIIII. et XX.* de tribus illis iudiciis, *finium regundorum, familiae erciscundae et communi diuidundo* egisse, LIBRVM autem XXI. actionibus, *si iudex litem suam fecisse dicatur*, et *fraudatoriis* eum destinasse existimat, quia ad priorem *l.* 15. D. *de iudic.* ad posteriorem *l.* 30. D. *de hered. instit. l.* 44. *D. ad leg. Falcid. l.* 42. D. *de oblig. et act. l.* 33. *D. de verb. signif.* et *l.* 134. D. *de reg. iur.* ex hoc ipso Libro XXI. decerptae, manifesto pertineant. Sed multa huic coniecturae refragari, re ipsa expertus sum. Primo enim inter fragmenta, quae ex Lib. XXI. VLPIANI supersunt, vnicum, puta *l.* 7. *D. commun. diuid.* ad iudicia diuisoria referri potest. Reliqua omnia de aliis iuribus agunt, quae nihil habent cum illis commercii. Deinde pleraeque aliae leges, quae ex PAVLLI *lib. XXIIII.* CAII *lib. VIII.* et IVLIANI *lib. VIIII.* supersunt, itidem de plane aliis iuris capitibus agunt, vt pauciſſimae duobus illis titulis, *de iudice litem suam faciente*, et *actionibus fraudatoriis* accommodari possint. Denique vix excogitari poterit ratio, cur praetor in tanto breuitatis studio actum agere, et edictum *de iis, quae in fraudem creditorum fa-*

BIU Cujas

cta, hic propositum sub finem edicti repetere voluerit. Quod sane factum esse, satis adparet ex VLP. *lib.* XVI. *ad edict. l.* 1. *l.* 3. *l.* 6. *D. quae in fraud. credit.* et PAVLLI *lib.* XXXXII. *l.* 7. *l.* 9. D. *eod. tit.* Hinc in alia omnia hic iuit Hub. Giphanius *in Oecon. iur. p.* 126. coniecitque, post iudicia diuisoria quaedam in edicto fuisse *de actionibus propter inficiationem crescentibus*, et de *beneficio diuisionis*, quod fideiussoribus ex Epistola D. Hadriani competere nouimus, cui ipsi coniecturae quoque quaedam veterum interpretum fragmenta, sed non omnia tamen suffragantur. Denique Io. Goeddeus *in Comment. ad tit.* D. *de verb. signif. p.* 421. 429. *et* 432. post iudicia diuisoria, hac edicti parte actum a praetore existimat *de praetoriis stipulationibus*, quibus interueniente satisdatione cauetur, *rem saluam fore, iudicatum solui*, etc. item *de mora*, *de litis contestatione*, immo fortassis etiam *de tutoribus*. Quam tamen viri doctissimi diuinationem vel ideo minus probabilem dixeris, quia de praetoriis stipulationibus praetorem sub finem demum edicti, et de reliquis quoque capitibus vel plane non, vel aliis certe locis, edixisse nouimus. In tantis itaque anfractibus quem extum nos, praeuia diuturna ac seuera meditatione inuenisse nobis videamur, paucis dicemus, si nobis operam dare volueris. *Primum* obseruauimus, nulla parte edicti pluribus mendis laborare legum inscriptiones, quam in hac, quae iam prae manibus est. Sane, quae ex CAII *lib. VIII. ad edict. prouinc.* esse feruntur *l.* 1. *et l.* 3. D. *de gradib. et adfin.* manifesto sunt ex eiusdem *lib.* XVII. mendumque hoc ipse lac. Gothofredus in *Comm. ad tit. Digest. de regul. iur. p.* 557. iam pridem obseruauit, qui et *l.* 31. D. *de mort. causs. donat.* quae eamdem inscriptionem praefert, simili in mendo cubare statuit. Sic et, quae ex VLPIANI *lib.* XX. *e* XXI. *ad edictum* ad nos peruenisse dicuntur, fragmenta non multo integriora videntur. Nam *l.* 3. D. *de sepulcr. viol.* et *l.* 37. D. *de regul. iur.* in aliis exemplaribus depromtae dicuntur ex VLPIAN. *lib.* XX. *ad edict.* in aliis plerisque *ex lib.* XXV. Et *l.* 7. D. *ad leg. Pomp. de parricid.* in aliis editionibus ex *lib.* XX. in aliis ex *lib.* XXVIIII. esse dicitur. Porro et *l.* 2. D. *de cession. bonor.* quae a Iac. Labitto *in indice* inter fragmenta *lib.* XXI. VLPIAN. *ad edict.* refertur, in plerisque, quas euolui, editionibus desumpta esse dicitur ex *eiusd. lib.*

BIU Cujas

(VLPIAN. LIB. XX. PAVLL. LIB. XXIIII. CAI. LIB. VIII. IVLIAN. LIB. VIIII.)

SI ex cauſſa iudicati, (b) vel ob id, quod incendii, ruinae, naufragiue quid factum dicetur, quo minus quis ſolueret, bona eius poſſideri iubebo, ſi ea ſine fraude ſua poſſeſſa non ſint. Quod ſi ea poſſeſſa ſint, ſatisdationem ab eo exigam, ſe ea reſtituturum, ſi ab eo, qui ea poſſideat, recuperare poſſit.

lib. XXI. non *ad edict.* ſed *ad Sabinum.* Poſtremo etiam, quae vulgo ex PAVLLI *lib.* XXIII. *ad edict.* citatur, *l.* 32. D. *de verbor. ſignif.* in Codice Florentino ex *lib.* XXIIII. depromta dicitur, quo etiam omnino pertinet. Deinde ſequeſtratis fragmentis, quae huc non pertinent, comparatiſque inter ſe reliquis, animaduerti, PAVLLVM *in Receptis Sententiis*, in quibus edicti ordinem ſequutus eſt, poſt iudicia illa diuiſoria *lib.* I. *tit.* XVIIII. poſuiſſe titulum: *quemadmodum actiones per inficiationem duplentur*, ac deinde *tit.* XX. de *fideiuſſore et ſponſore*, vel potius de competente fideiuſſoribus beneficio diuiſionis. Quumque fragmenta veterum non pauca eo referri poſſe viderem: dubitare non potui, quin hi ipſi tituli in edicto a tribus illis diuiſoriis iudiciis proximi fuerint, adeoque acutius Iac. Gothofredo hic viderit Hub. Giphanius. Denique quum fragmenta omnia, quae ex VLPIANI *lib. XXI. ad edict.* ſupersunt, ad doctrinas de iudice litem ſuam faciente, et actionibus fraudatoriis manifeſto pertineant: hos titulos proximos fuiſſe, non abs re exiſtimaui. Nec multum me torſit, quod mihi ſupra obuerti, argumentum. Sub finem enim edicti praetor quidem actionem Paullianam, qua in fraudem creditorum alienata reuocantur, propoſuit, at hic tantum, quae in fraudem creditorum geruntur, rata ſe non habiturum, edixiſſe videtur. Nec inſolitum fuit praetori, de vna eademque re diuerſis locis diuerſa proponere edicta. Quibus poſitis, ſeriem edicti hanc fuiſſe oportet.

TIT. XXXXVII. QVEMADMODVM ACTIONES PER INFICIATIONEM DVPLENTVR.

TIT. XXXXVIII. DE DIVISIONIS BENEFICIO INTER FIDEIVSSORES.

TIT. XXXXVIIII. DE IVDICE LITEM SVAM FACIENTE.

TIT. L. DE HIS, QVAE IN FRAVDEM CREDITORVM FIVNT.

TIT. LI. DE INTERROGATIONIBVS IN IVRE FACIENDIS.

Primi tituli ſententiam PAVLLVS *Recept. Sentent. I.* 19. ſeruaſſe videtur. Saltim ex inſtituto ibi actiones, ex quibus lis inficiando crescit, recenſet.

(b) *Ex cauſſa iudicati.*] Apud PAVL-

BIU Cujas

naufragii cauſſa depoſitum fuit, (c) vel ob legatum per damnationem

PAVLLVM *Recept. Sent. I.* 19. 1. legitur: *iudicati depenſi*, quod nihili eſt. Hinc Cuiacius ſuſpicatur, legendum eſſe: *iudicati*, *depoſiti*, eamque coniecturam adeo probauit Conr. Rittershuſio, vt hic eam emendationem in textum recipere non dubitarit. De depoſito mox videbimus. Iam de iudicati actione, quam inficiando creuiſſe, vel ex loco Ciceron. *pro Flacco cap.* 21. patet, vbi Cicero: *Frater meus*, inquit, *pro ſua aequitate prudentiaque decreuit, vt ſi iudicatum negaret, in duplum iret: ſi metu coactos diceret, haberet eoſdem recuperatores. Recuſauit.* Habemus itaque actionem iudicati, ex qua lis inficiando creſcit, ſed tum demum, ſi, qui ſuccubuit, negarit, ita eſſe iudicatum, qualis quaeſtionis, in foro incidentis, mentio fit in *l.* 1. *princ. D. quae ſent. ſine adpell. reſc.*

(c) *Depoſiti.*] Ita ſcripſiſſe PAVLLVM, primum ſuſpicatum Cuiacium, paullo ante vidimus. At depoſiti ita generatim meminiſſe non potuit iurisconſultus, quia actionem depoſiti aduerſus inficiantem in duplum, a Decemuiris inuectam, Praetor edicto ſuo iam pridem aboleuerat, et ex ſolo depoſito miſerabili, dolo malo negato, actionem in duplum dederat. Ipſe PAVLLVS *apud Pariat. Legum Moſaic. et Roman. tit. X.* §. 7. *Ex cauſſa depoſiti*, inquit, *lege XII. tabularum in duplum actio datur*, EDICTO PRAETORIS *in ſimplum.* Decemuiris ſane fides non aliter conſtare videbatur, quam ſi metu contineretur. *Depoſitum hoc eo magis vindicandum, quod fere ſecreta ſint circa probationem*, ait Quinctil. *Declam.* 245. At praetor id ad depoſitum miſerabile reſtrinxit, ex quo lis inficiando duplicatur, teſte Iuſtiniano, §. 26. *Inſt. de action.* et *l.* 1. §. 1. D. *depoſiti.* quamuis ibi generaliter loquatur Praetor, et non modo inficiationem, ſed et quidquid alias dolo malo factum, duplo coërcendum edicat. Nec tamen ideo cum Ant. Schultingio *iurispr. vet. Anteiuſt. pag.* 771. exiſtimamus, reſtrictionem ad inficiationem ex iure poſt edictum perpetuum inducto eſſe, quum dolus malus depoſitarii non poſſit fere in alio, quam inficiatione, conſiſtere.

(d) *Dam-*

BIU Cujas

tionem relictum, (d) vel damnum iniuria datum, (e) modumque agri a venditore falso pronuntiatum, (f) apud me agetur, reo

(d) *Damnationem relictum.*] Inficiantem huiusmodi legatum, ad duplum soluendum obligatum fuisse, diserte testantur PAVLLVS *Recept. Sent. I.* 19. 1. et Iustinianus *§. vlt. Inst. de obligat. quae quasi ex contr.* Et quamuis ipse Iustinianus *d. §. vlt.* fateatur, se hoc ius mutasse, et constitutione sua ad legata sacrosanctis Ecclesiis et ceteris venerabilibus locis relicta restrinxisse, priusque ex *l. 2. C. commun. de legat.* et *fideicommiss.* satis constet, contra constitutio ipsa de legato sacrosanctis ecclesiis et venerabilibus locis relicto dudum perierit: negari tamen non potest, Digestorum conditores quaedam huius iuris vestigia expressissima reliquisse in *l.* 71. §. 3. D. *de legat. I.* et *l.* 61. D. *ad leg. Falcid.* Ceterum huius iuris ratio non est, quam reddit Merill. *in notis ad §. vlt. Inst. de oblig. quae quasi ex contr.* quod heres hoc legatum facilius inficiari potuerit, quam alia, (cur enim heredi perfido sordidoque difficilius fuerit, legatum per vindicationem vel finendi modo relictum negare?) sed quod a testatore damnatus heres perinde obligari videbatur, ac si sententia iudicis fuisset damnatus. Quum itaque iudicatum inficians in duplum teneretur: aequissimum videbatur, eum quoque, qui perfricta fronte negaret, se a testatore ad praestandum legatum damnatum in duplum condemnari. Viderunt iam hoc Vinn. *in Comm. ad §. vlt. Inst. de oblig. quae quasi ex contr.* et Schulting. *in iurispr. vet. anteiust. p.* 259. *et* 650.

(e) *Damnum iniuria datum.*] Diximus ea de re supra *ad tit.* 43. §. 1. *sub litt. o.* Et res aliunde nota est. Absurde vero Anianus, vel quisquis interpretamentorum ad PAVLLI *Recept. Sent. I.* 19. 1. auctor est, existimauit, omnes omnino actiones, in quibus lis inficiando crescit, ex lege Aquillia oriri. Corn. van Bynkersoek *Obseru. lib.* I. *cap.* 13.

(f) *Falso pronunciatum.*] Debemus et haec PAVLLO, qui non modo *Recept. Sent. I.* 19. 1. sed et *II.* 17. 4. huius antiqui iuris meminit, dum scribit: *Distracto fundo, si quis de modo mentiatur, in duplo eius, quod mentitus est, officio iudicis aestimatione*

reo factum dolo malo inficiante, lis inficiando in duplum crescet. (g)

ne facta conuenitur. Retinuit haec Praetor ex XII. tabulis, ex quibus non solum ob modum agri falso pronunciatum, sed ob omne id, quod lingua nuncupatum esset, lis inficiando crescebat. Cicero *de Offic. Lib. III. cap.* 16. *Quum ex XII. Tabulis satis esset, ea praestari, quae essent lingua nuncupata, quae qui inficiatus esset, dupli poenam subiret, a iurisconsultis etiam reticentiae poena est constituta.* Sed et hic praetor, ius antiquum ad casum restrinxit, si venditor falsum agri modum pronunciasset: quamuis Paullvs *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 6. D. *si mens falsus mod. dix.* ea occasione monuerit, perinde esse, siue de itineris latitudine, siue de seruitute immittendi proiiciendique queratur, siue aream vel tignum vel lapidem metiendo mentitus fuerit. De venditore enim loqui eam legem, quam Digestorum conditores ad mensorem, qui falsum modum dixit, referunt, tam certum videtur, quam quod certissimum.

(g) *In duplum crescet.*] Addit Paullvs *Recept. Sent. I.* 19. 2. de eiusmodi actionibus pacto decidi, id est, transigi non potuisse, quemadmodum quod ex his caussis per errorem solutum est indebite, repeti non posse scribit Iustinianus, §. *vlt. Inst. de oblig. quae quasi ex contr.* Ideoque existimari posset, praetorem huic edicto subiunxisse clausulam: *deque his actionibus nec pacto decidi, nec, quod per errorem indebite solutum est, repeti permittam.* Sed eam quidem laciniam huic edicto adsuere non sum ausus. Nam sicuti, quod de transactione circa has actiones prohibita scripsit Paullvs, admodum incertum est, vti obseruauit Ant. Schulting. *in iurispr. vet. anteiustin. p.* 260. ita posterius non ex edicto, sed ex interpretatione prudentum est, atque ita intelligenda videntur verba Iustiniani *d.* §. *vlt. Inst. de obl. quae quasi ex contr. Sic namque* definierunt veteres, *ex quibus caussis inficiando lis crescit, ex his caussis non debitum solutum repeti non posse.* Ita enim describi in iure nostro solent, quae ex responsis et interpretatione prudentum orta sunt. *l.* 97. D. *de solution. l.* 17. D. *de furt. l.* 1. §. *vlt. de peric. et commod.*

BIU Cujas

TIT. XXXXVIII.

DE BENEFICIO DIVISIONIS INTER FIDEIVSSORES. (a)

INter plures fideiussores et mandatores, (b) qui tempore litis

mod. rei vend. l. 66. §. 2. D. *de furt.* Conf. Barn. Brisson. *de verb. signif. voce veteres.*

(a) DE BENEFICIO DIVISIONIS INTER FIDEIVSSORES.] Quamuis hoc beneficium in iure nostro Epistolae D. Hadriani passim adscribatur: §. 4. *Inst. de fideiuss. l.* 26. *D. eod. tit. l. vlt. C. de const. pecun.* certissimum tamen est, illud in edictum recepisse Iulianum. Diserte enim PAVLLVS *Recept. Sent. I.* 20. 1. *Inter fideiussores*, inquit, EX EDICTO PRAETORIS, *si soluendo sint, licet singuli in solidum teneantur, obligatio diuiditur.* Vbi simul edicti huius sententiam habemus. Ex quo praeterea patet, parum solidam esse coniecturam Cuiacii, qui in *not. ad tit. Inst. de SC. Tertull.* sub Hadriani nomine Antoninum Pium latere suspicatus est. Quomodo enim hic induxisse potuit ius, quod iam Iulianus edicto inseruerat? Nec *l.* 49. §. 1. *D. de fideiussor.* probat Antoninum Pium id ius primum reperisse, sed illius meminisse tantum.

(b) *Fideiussores et mandatores.*] Horum tantum nominatim in Epistola sua meminerat Hadrianus, quamuis postea ob paritatem rationis id beneficium et cum illis, qui pro aliis constituerant, communicarit Iustinianus *l. vlt. C. de constit. pecun.* Tenentur ergo fideiussores, mandatores et constituentes, qui furti, iniuriarum, vel vi bonorum raptorum actione tenentur PAVLL. *Lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 29. D. *de constit. pecun.* modo iam obligetur principalis, quod dici non potest, si hic aliquid promiserit, quod vel necessario aliquid temporis exigat, antequam praestetur, vel cuius promissi dies nondum venit, quales casus sunt apud VLPIAN. *lib.* XX. *ad edict. l.* 60. *l.* 72. D. *de verb. obligat.* PAVLL. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 73. D. *eod. tit. l.* 1. *D. rem pup. salu. fore. l.* 1. *D. iudicat. solui.* Quum vero inter alia monuisset Paullus, aduersus eos, qui fideiusserint, rem pupilli saluam fore, agi non posse, nisi quum tutelae agi possit, ipse ad-

BIU Cujas

litis conteſtatae ſoluendo ſunt (c), etiamſi ſinguli in ſolidum teneantur, obligationem tamen, ſi id poſtuletur (d), diuidi permittam.

TIT. XXXXVIIII.

SI IVDEX LITEM SVAM FECISSE DICATVR.

(VLPIAN. LIB. XXI.)

SI iudex LITEM SVAM FECISSE dicetur (a), in quantum ea

didit IBID. *l.* 26. *D. de adminiſtr. et peric. tut.* cum curatore et protutore et manente adminiſtratione agi poſſe. Quid vero ſi ſocius a ſocio poenam ſtipulatus ſit? Tantum abeſt, vt tunc, qui poenam promiſit, tamquam fideiuſſor vel conſtituens teneatur, vt ne pro ſocio quidem actione conueniri poſſit, ſi tantumdem in poenam ſit, quantum ſocii interfuerit. VLPIAN. *lib.* XX. *ad edict. l.* 41. *D. pro ſocio.*

(c) *Soluendo ſunt.*] Res nota eſt ex *l.* 51. §. 1. *D. de fideiuſſ.* et §. 4. *Inſt. eod. tit.* Addimus et hic ex inficiatione periculum imminuiſſe. Fideiuſſor enim, negans ſe fideiuſſiſſe, non quidem in duplum condemnabatur, ſed hoc beneficio tamen priuabatur. *l.* 10. §. 1. D. *de fideiuſſor.*

(d) *Si id poſtuletur.*] Fideiuſſores ipſo iure in ſolidum teneri obſeruauit etiam PAVLLVS *Recept. Sent. l.* 20. 1. Magis tamen perſpicue rem hic exprimit CAIVS *lib. VIII. ad edict. prouinc. l.* 26. *D. de fideiuſſor. Inter fideiuſſores non ipſo iure diuiditur obligatio ex epiſtola D. Hadriani, et ideo ſi quis eorum ante exactam a ſe partem ſine herede deceſſerit, vel ad inopiam peruenerit, pars eius ad ceterorum onus reſpicit.* Eodem pertinere videntur fragmenta VLPIANI *l.* 27. *D. de fideiuſſ.* et PAVLLI *l.* 28. *D. eod. tit.* Quamuis enim illa ex aliis commentariorum libris petita dicantur, perſuaſiſſimus tamen ſum, prius ex VLPIANI *lib.* XX. (non XXII.) poſterius ex PAVLLI *lib.* XXIIII. (non XXV.) eſſe.

(a) SVAM FECISSE *dicetur.*] Antiqua loquutio, et non modo in legibus noſtris, verum etiam apud veteres ſcriptores paſſim obuia. Cic. *de Orat. II.* 75. *Quid ſi, quum pro altero dicas, litem tuam facias,*

BIU Cujas

ea de re aequum religioni iudicantis videbitur, poenam sustinebit. (b)

TIT. L.

DE HIS, QVAE IN FRAVDEM CREDITORVM FIVNT. (a)

Si

facias, aut laesus efferare iracundia, caussam relinquas, nihilne noceas? Et Titius *in Oratione pro lege Fannia* apud Macrob. *Saturn. II.* 12. *Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant.* Ex quibus simul patet, non modo iudices, sed et patronos, qui causssas male orabant, litem suam fecisse visos esse, et illos quidem non modo male et imperite iudicantes, sed et ad comitium in tempore non venientes, sicuti ex Macrobii loco recte collegit Grotius *in Florum sparsa ad tit. Inst. de obligat. quae quasi ex del. nasc. pag.* 72. In primis tamen litem suam fecisse dicebatur iudex, qui perperam iudicauerat, idque videntur quibusdam exemplis illustrasse veteres. Sic e. g. litem suam faceret iudex, condemnans tutorem, qui per absentiam, valetudinem, vel aliam iustam causssam auctor fieri non potuit: PAVLL. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 10. *D. de auctor. tutor.* vel ex interdicto vnde vi tertium possessorem: PAVLL. *ibid. l.* 7. *D. de vi et vi armat.* Nec magis ferendus esset iudex, absoluens donatarium, a quo, quod mortis causssa donatum erat, donator poenitens repetit. VLPIAN. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 30. *D. de mort. causs. donat.*

(b) *Poenam sustinebit.*] Ita Iustinianus in *pr. Inst. de oblig. quae quasi ex delict.* At VLPIAN. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 15. *D. de iudic.* ad hunc locum obseruat, *primo*, ob filium etiam familias, qui litem suam fecerit, patrem teneri, sed peculiotenus tantum: *deinde*, eam poenam arbitrariam locum dumtaxat habere, si per imprudentiam male iudicatum sit, non si dolo malo, siquidem tunc iudex ipsam litis aestimationem praestare cogendus sit.

(a) *Creditorum fiunt.*] Quum de iis, quae in fraudem creditorum fiunt, actum hic esse, tot veterum interpretum fragmenta neminem dubitare patiantur, et tamen longe inferius praetor eadem de re egerit, actionemque Paullianam, ad id, quod aliena-

BIU Cujas

SI quis seruos (b) in fraudem creditorum, (c) vel QVO MINVS iis SOLVATVR (d) manumittere, vel res, iura, ACTIO-

tum fuerat; reuocandum comparatam, proposuerit: verosimile profecto est, discrimen aliquod inter hoc et illud inferius caput fuisse. Fragmenta vero dum inter se comparamus, animaduertere nobis videmur, hoc capite actum esse etiam de manumissionibus, in fraudem creditorum factis, quae ex lege Aelia Sentia ipso iure nullae sunt: *pr. Inst. qui et ex quib. causs. manum. non poss. l. 5. pr. D. qui et a quib. manum. lib. non fiunt. l. 16. §. 2. l. 27. pr. l. 29. pr. D. eod. tit.* quum reliqua alienata, de quibus infra, tantum actione Pauliana reuocentur. Deinde infra actum videtur de clam alienatis, hic de palam alienandis, nec dubium est, quin praetor rogatus iurisdictione sua subuenerit creditoribus, qui in fraudem sui quid fieri conquerebantur.

(b) *Seruos.*] Est hoc ius ex Lege Aelia Sentia, de eaque permulta notauimus *in Antiquit. Rom. I. 6.* Notum est, in fraudem creditorum eum videri manumittere, qui et consilium fraudandi habeat, et facta manumissione desierit soluendo esse: ac proinde non videri contra legem agere dominum, qui, quum soluendo non sit, seruum suum cum libertate instituat heredem, vt liber fiat, hereseque ei solus et necessarius. §. 1. *Inst. qui et ex quib. causs. manum.* Cui addit VLPIAN. *lib. XXI. ad edict. l. 30. D. de hered. instit.* et pignori obligatum seruum necessarium domino posse fieri ex rescripto Seueri imp. si paratus sit, prius creditori satisfacere: modo omnino liberet creditorem, quamuis pignori in eam causam non datus sit. Qui enim pignori plures res accepit, non cogitur prius liberare, quam accepto vniuerso debito. VLPIAN. *ibid. l. 19. D. de pignor.* Eodem pertinet *ibid. l. 44. D. ad leg. Falcid.*

(c) CREDITORVM.] Hinc ex instituto hic quaerunt veteres, quis sit creditor, vtrum et is, cui sub conditione legatum, quamuis pendeat conditio? an is demum, qui ciuilem habet actionem? VLPIAN. *lib. XXI. ad edict. l. 42. D. de oblig. et act.* itemque an et is, cuius procurator pecuniam creditam iam recepit? PAVLL. *lib. XXIIII. ad edict. l. 24. D. de negot. gest.*

(d) SOLVATVR.] Verba haec edictalia fuisse patet PAVLLI *lib. XXIIII. ad edict. l. 32. D. de verb.*

BIU Cujas

ACTIONES (e), PALAM (f), alienare volet (g), ego id fieri vetabo. (h)

TIT. LI.

DE INTERROGATIONIBVS IN IVRE FACIENDIS, ET INTERROGATORIIS ACTIONIBVS. (a)

(VLPIAN.

verb. signif. vbi illa ita explicantur : MINVS SOLVTVM *intelligitur, etiamsi nihil esset solutum.*

(e) ACTIONES.) Id quoque vocabulum πωϊκὸν, de quo PAVLL. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 34. *D. eod. tit.* ACTIONIS *verbo et persequutio continetur.* Quomodo differant actiones et persequutiones, iam ab aliis obseruatum. Vide tu Io. Goedd. *ad tit. D. de verb. signif. l.* 10. *et l.* 34.

(f) PALAM.] Hoc quoque vocabulum est πωϊκὸν, de quo VLPIAN. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 33. *D. de verb. signific.* PALAM *est coram pluribus.*

(g) *Alienare volet.*] Alienatio ergo fieri debet. Nam non fraudantur creditores, quum quid non adquiritur a debitore. VLPIAN. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 134. *D. de regul. iur.*

(h) *Fieri vetabo.*] Id est, non addicam libertatem, si quis per vindictam manumissurus est, neque actionem dabo venditori ad petendum pretium, nec emtori ad consequendam rem alienatam, si interceſſerint creditores, idque in sui fraudem factum dixerint. Neque quidquam videri potest aequius, *quia nemo ex suo delicto debet meliorem facere conditionem suam.* VLPIAN. *lib.* XXI. *ad edict. l.* 134. §. 1. *D. de regul. iur.*

(a) *Interrogatoriis actionibus.*] Proximam hanc fuisse materiam, viderunt omnes, qui de edicti perpetui serie fuere solliciti, idque et tot veterum fragmenta satis demonstrant. Egit enim de istis interrogationibus VLPIANVS *lib.* XXII. PAVLLVS *libro* XXV. (quamuis ex eo fragmentum, quod huc pertineat, nullum exstet,) CAIVS adhuc eodem *libro* VIII. CELSVS *libro* V. et IVLIANVS denique, ex quo itidem fragmentum nullum, quod ad hunc titulum referendum sit, exstat, *libro VIIII.* Nec edicti huius sententia admodum obscura est, quum et verba quaedam πωϊκὰ exstent, et reliqua ex *tit. D. de interrogat. in iur. fac.* notissima sint.

BIU Cujas

(VLPIAN. LIB. XXII. PAVLL. LIB. XXV.)

QVI IN IVRE INTERROGATVS (b) RESPONDERIT,

sint. Egregiam tamen hic nobis operam iam nauauit Ger. Noodt *in Comment. ad Pand. h. t. pag.* 251.

(b) IN IVRE INTERROGATVS.] edictum de interrogationibus ideo praetor proposuerat, quia sciebat, difficile esse ei, qui heredem bonorumue possessorem conuenit, probare, aliquem esse heredem bonorumue possessorem. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 2. *D. de interrog. in iur. fac.* Toties itaque reus in iure interrogandus est, qua ex parte heres sit, quoties dubitat actor, qua ex parte is, quocum agere velit, heres sit. Quemadmodum enim in rem acturo, ne actum agat, aliquando opus est actione praeparatoria ad exhibendum, maxime propter vindicationem inducta. *l.* 1. *D. ad exhibend.* ita interrogatio tunc necessaria, quum in personam est actio, et certum petitur, ne scilicet, dum ignorat actor, qua ex parte aduersarius defuncto heres exstiterit, *plus petendo caussa cadat.* Ita legenda vltima verba CALLISTRATI *lib. II. edict. monit. l.* 1. *princ. D. eod. tit.* quae Digestorum conditores ita interpolarunt: *ne interdum plus petendo aliquid damni sentiat*, quia nimirum iam a Zenonis imp. temporibus rigidum istud ius de pluris petitione aliquantum fuerit mitigatum. Raeuard. *Varior. III.* 14. Quum itaque ex hoc CALLISTRATI fragmento discamus, actionibus interrogatoriis tantum eo casu, quo certum petebatur, locum fuisse, facile iam reddes rationem, cur de certi incertique stipulationibus ad hunc locum ex instituto disputent VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 75. *D. de verb. obligat.* et CAI. *lib. VIII. ad edict. prouinc. l.* 74. *D. eod. tit.* Ne vero frustra interrogaretur reus, praetor eum adstringebat ex sua in iudicio responsione, vt vel confitendo vel mentiendo sese oneraret. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 4. *pr. D. de interrogat. in iur. fac.* Ceterum edictalia esse verba: QVI IN IVRE INTERROGATVS RESPONDERIT, obseruat idem VLPIAN. *ibid. l.* 4. §. 1. D. *eod. tit.* vbi illud IN IVRE ita interpretatur, apud magistratus populi Romani, vel praesides prouinciarum, *vel alios iudices*, (non pedaneos quidem, quia quod

BIU Cujas

DERIT (c), QVA EX PARTE HERES, bonorumue possessor

quod apud istos fiebat, non dicebatur in iure, sed in iudicio fieri, sed duumuiros iuri dicundo in municipiis, qui et ipsi vocantur iudices, *l. 4. C. de defens. ciuit.* Ius enim eum solum locum esse, vbi iuris dicundi vel iudicandi gratia consistant magistratus, siue domi, siue in itinere hoc agant, docet VLPIAN. *ibid. l. 4. §. 1. D. de interrog. in iur. fac.* atque inde colligit, vbicumque iudicem aequitas mouerit, aeque fieri oportere interrogationem. VLPIAN. *ibid. l. 21. D. eod. tit.* Quem locum nescio, cur de iudice pedaneo, interrogationibusque post litis contestationem probationis caussa factis explicandum putarit V. C. Ger. Noodt *in Comm. ad h. t. p. 251.* Mirari quis posset, qui fieri potuerit, vt et in prouinciis et municipiis incideret quaestio: ex qua parte quis heres bonorumue possessor sit, quum ad prouinciales et colonos, tamquam peregrinos, iura legitimae hereditatis non magis pertinuerint, quam testamentifactionis. Sed exemit hunc scrupulum VLPIANVS *lib. XXII. ad edict. l. 17. D. de stat. homin.* dum *in orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imp. Antonini* (Bassiani Caracallae) *ciues Romanos Heineccii Opusc. postum.* *effectos, tradidit.* Et haec est genuina legis celeberrimae species, de qua post viri illustris Ezech. Spanhemii commentationem aliquid addere velle, idem esset, ac Iliada post Homerum scribere. Sufficiat veram eius speciem eruisse, quam nemini adhuc peruisam esse, animaduerto.

(c) RESPONDERIT.] VLPIAN. *lib. XXII. ad edict. l. 9. D. de interrogat. in iur. fac.* permulta monet de responsione ad interrogationes in iure factas, veluti, quod et qui sine interrogatione respondet, se heredem esse, pro interrogato habeatur, quod perinde sit, siue a Praetore, siue ab aduersario interrogatus quis responderit, quod alius pro alio interrogari non possit, adeoque si defensor falso responderit, eum, quem defendit, ex tanta parte heredem esse, non hic, sed ipse defensor ex mente CELSI *lib. V. Digest.* pro tanta parte actori teneatur. Eodem loco VLPIANVS disputat, an non ex asse heredem se professus esse videatur, qui interrogatus, quota ex parte heres sit, responderit, heredem se esse? itemque an cogendus quis sit respondere ad quaestiones:

BIU Cujas

sor sit (d), aduersus eum ex sua responsione actionem dabo. (e)

§. I.

stiones : vtrum ex testamento heres sit ? et vtrum suo nomine ei quaesita sit hereditas, an per eos, quos suo iuri subiectos habet, vel per eum, cui heres exstitit ? an ei hereditas ex fideicommisso restituta, an in potestate habeat filium ? et an denique peculium apud eum, quo cum agitur, sit ? In primis obseruandum, quod idem VLPIANVS *ibid. l.* 9. §. 2. *D. eod. tit.* tradit : si seruus interrogetur, nullam esse interrogationem non magis (lege *minus*) quam si seruus interroget. Id enim et CAIVS *lib. VIII. ad edict. l.* 133. *D. de regul. iur.* inculcasse videtur, addita ratione, *meliorem conditionem nostram per seruos fieri posse, deteriorem fieri non posse.* Vid. Iacob. Gothofred. *in Comm. ad tit. Dig. de Regul. iur. p.* 557.

(d) *Possessor sit.*] Tantum loquutus fuerat Praetor de hac quaestione, quia nomina inter coheredes ipso iure diuisa erant ex lege XII. tabularum, adeoque periculum erat, ne plus peteret actor. Interreat tamen et reorum quam maxime, ne praecipitarentur, quamdiu iuste deliberant. Vnde durante adhuc eo beneficio respondere non tenebantur. Id quod et tunc ex constitutione D. Hadriani verum erat, quando quis controuersiam hereditatis ab alio patiebatur, ne scilicet, aut negando se heredem praeiudicaret sibi, aut dicendo heredem illigaretur etiam ablata sibi hereditate. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 6. *D. de interrogat. in iur. faciend.* Quamuis vero maxime ad hanc quaestionem pertineret edictum: attamen eius sententia et ad alias similes interrogationes est porrecta, veluti, an quadrupes, quae pauperiem fecit, *eius sit*, vel an seruus, qui damnum dedit, suus sit ? *l.* 7. *l.* 8. *D. eod. tit.* an aedes, vel locus, ex quo damnum timetur, et pro qua parte eius sit ? *l.* 10. *D. eod. tit.* cuius quis aetatis sit ? VLPIAN. *ibid. l.* 11. *pr.* D. *eod. tit.* Ex quibus facile patet, cur Donatus *ad Terent. Adelph. III.* 4. *v.* 53. scripserit : RESPONDERE *proprie dici, quum lis intendatur.*

(e) *Actionem dabo.*] Si quis enim, quum heres non esset, interrogatus respondisset, ex parte se heredem esse, ille sic conueniebatur, ac si pro ea parte heres esset, et si, quum ex quadrante, vel omnino non esset

§. I. Aduersus eum, QVI OMNINO NON RESPONDEBIT (f), in solidum actionem dabo. (g)

TIT.

set heres, ex asse se heredem dixisset, in assem instituta actione recte conueniebatur. Fides enim cuique contra se habebatur. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 11. *§.* 1. *et* 2. D. *eod. tit.* Si per mendacium ex quadrante se heredem profitebatur, quum ex semisse esset heres, in solidum is recte conueniebatur, quia mentiri non debuisset. VLPIAN. *ibid. l.* 11. *§.* 3. D. *eod. tit.* Tenetur ergo quisque ex sua responsione, quasi ex contractu obligatus, pro quo pulsatur, si ab aduersario interrogatus responderit. Sed et si a Praetore interrogatus sit, nihil faciet Praetoris auctoritas, sed ipsius responsum siue mendacium. VLPIAN. *ibid. l.* 11. *§.* 9. D. *eod. tit.* Actio, quae inde nascitur, vocatur INTERROGATORIA *in rubr. et l.* 22. D. *eod.* itemque CONFESSORIA, quatenus ex alterius confessione. *l.* 25. §. 1. D. *ad leg. Aquill.* Vid. Duaren. *Disput. Anniuers. l.* 43. Ger. Noodt *Comm. ad Pand. h. t. p.* 252. et alios.

(f) OMNINO NON RESPONDEBIT.] Verba haec edictalia seruauit VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 11. *§.* 5. D. *eod. tit.* vbi et obseruat primum §. 4. eum quoque, qui tacuit apud Praetorem in ea caussa esse, vt instituta actione in solidum conueniretur, eumque hanc merito poenam contumaciae ferre, quemadmodum si negasset, quia praetorem contemnere videatur: deinde *§.* 6. iurisconsultos haec verba ita accepisse, vt et is omnino non videretur respondisse, qui respondit quidem, sed non ad interrogata, id est, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Qualis est illa responsio Tranionis, serui veteratoris, ad quaestionem Theuropidis heri apud Plaut. *in Mostell. act. V. scen.* 1. *v.* 72.

TH. *Loquere, cuiusmodi reliqui, quum hinc abibam, filium?*
TR. *Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.*
TH. *Aliud te rogo.* TR. *Aliud nunc ego tibi respondeo.*

(g) *In solidum actionem dabo.*] Hoc in poenam contumaciae. Non ergo ad hoc silentium, vti visum est Grotio *in Flor. sparsi. p.* 148. sed ad omissionem exceptionum pertinent illa Demi-

BIU Cujas

TIT. LII.

DE IVREIVRANDO VOLVNTARIO. (a)

Si

phontis apud Terent. *in Phorm. Act.* II. *scen.* 1. *v.* 49.

An quisquam iudex est, qui possit noscere
Tua iusta, vbi tute verbum non RESPONDEAS.

Sane hic *sua iusta* non eloquutus fuerat Antiphon, id est, suum ius, suas exceptiones, quibus fretus explicari ex illis nuptiis potuisset. At enim, quum contumaciae haec poena sit, eaque satis grauis, non mirum est, excusatum habitum, qui non dolo malo perperam responderit, sed vel id dixerit, quod sensum commodum admittat, vel ex errore se heredem negarit, vel culpa quidem, sed non lata, vel quia ea, quae postea emerserunt, ignorauit, non recte responderit. De qualibus casibus egit CELSVS apud VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 11. §. 6. 8. *sequ. ad fin. D. eod. tit.* Nec dubito, quin huc etiam pertineat casus, si iudex ab altero litigante heres institutus interrogationibus circumuenire velit reum. Tantum enim abest, vt huic tunc noceat silentium, vt ipse iudex mutandus sit, ne in re sua iudicet. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 17. *D. de iudic.* Praeterea non nocet reo responsio, si e. g. ex dimidia se heredem dixit, quum tamen postea et alter semis ei adcreuerit, siquidem tunc actori noua actione non est opus. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 43. *D. ad SC. Trebell.* Sub finem tituli redeo ad CALLISTR. *lib.* II. *edict. monit. l.* 1. §. 1. *D. eod. tit.* qui interrogatorias actiones sua aetate non amplius in vsu fuisse, ait, quia nemo coactus fuerit ante iudicium de iure suo quidquam respondere, atque hinc illas actiones minus frequentatas sensim in desuetudinem abiisse: ad probationes tamen ea prodesse, quae ab aduersario expressa fuerint vel in hereditatibus, vel in aliis rebus, quae in causis verterentur. Quod mirum sane videri potest de temporibus Alexandri Seueri, in quae incidisse Callistratis aetatem vulgo existimant. Hinc verba haec non esse Callistrati, sed Triboniani, hoc Callistrati fragmentum ad sua tempora detorquentis, iam alii obseruarunt, et in his iam Dionys. Gothofred. *in Not. add. l.* 1. §. 1. *D. h. t.*

(a) *De iureiurando.*] Actum hic

hic esse in edicto *de iureiurando*, in *Serie edicti perpetui* iam pridem vidit Iac. Gothofredus, et ante eum Hub. Giphanius *in Oecon. iur. p.* 127. qui tamen concoquere non potuit, quod praetor infra post titulum *de rebus creditis* iterum de iureiurando edixit. Hinc duplicem proponit coniecturam, quarum neutra videtur admittenda. Ait enim: *Mirum videri possit*, VLPIANVM *lib.* XXII. *ad edictum explicasse non tantum edictum* de interrogationibus, *sed etiam edictum* de iureiurando, *vt indicat l.* 3. 5. 7. 9. 11. 13. *D. de iureiur. quae leges sunt ex lib.* XXII. *ex quo etiam sunt l.* 2. 4. 6. 9. 11. *et* 21. *D. de interrog. in iur. fac. Sed respondeti potest bifariam, vel quia olim interrogatio erat duplex, vel adhibito iureiurando, vel non: illam vocabant rogare sacramento, de quo vid. Festus in verbo sacramentum: vbi haec duo, sacramento contendere, et sacramento rogare explicantur, licet locus sit valde mendosus. Vel dicendum has leges ex lib.* XXII. *de iureiur. referendas esse ad lib.* XXVI. *vt mendum sit in numero, quemadmodum in PAVLLO lib.* XVII. *ad edict. ponuntur leges sub tit. de iureiur. quae pertinent ad lib.* XXVII. *sic in eodem PAVLLO lib.* XVIII. *ponuntur decem leges sub tit. de iureiur. quae pertinent potius ad lib.* XXVIII. Ita Hub. Giphanius, cuius ex coniecturis nulla ad rem pertinet. Nam prior, quam de interrogatione per sacramentum protulit, statim iugulatur ipsis edicti verbis, quae fere integra exstant in *l.* 3. *pr. et l.* 7. *pr. D. de iureiur.* Ex quibus sane patet, non ibi egisse praetorem de contentione per sacramentum, vel sponsione litigantium, (quaequid fuerit, ostendimus in *Antiquit. Rom. lib.* IIII. *tit.* 6. §. 25.) sed de iureiurando voluntario, nataque inde et exceptione et actione. Deinde vis maior videri posset, tot leges vno edicto loco mouere, et in alium librum relegare, maxime quum praetori non fuerit inusitatum, de eadem re pluribus locis edicere. Praeterea nec magis necessarium fuit, PAVLLI fragmenta turbare, in eorumque inscriptionibus tot menda fingere, quum ostenderimus supra, illa recte se omnino habere, et commodissime suis locis aptari posse. Quae quum ita sint: merito adsentimur Ger. Noodtio, qui *in Comment. ad Pandect. pag.* 278. recte obseruat, praetorem binis locis proposuisse edicta de iureiurando, et post titulum quidem de interrogationibus *de volun-*

BIU Cujas

SI IS, CVM QVO AGETVR (b), CONDITIONE DELATA (c), IVRA-

luntario, infra vero post titulum de rebus creditis, *de necessario* egisse. Ipsum edictum restituere vel ideo fuit facillimum, quia prioris verba fere integra exstant, posterius vero exemplo prioris exstrui res est nullius fere laboris. Et tamen hic nihil nobis palmae superfuit, quum hunc qualemcumque laborem iam occuparit, nec infeliciter profligarit laudatus Noodtius *ibid. p.* 279. *et* 283.

(b) CVM QVO AGETVR.] Id est, reus. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 3. *pr.* D. *de iureiur.* Hunc enim exceptione iurisiurandi tutum fore, promittit praetor, si delatum sibi ab actore iusiurandum praestiterit. Nec interest, sive in rem, sive in personam, sive in factum, sive poenali actione, sive qualibet alia, sive interdicto agatur, itemque sive de dando faciendoue, sive de personae conditione quaestio sit, veluti, si reus iurarit, in potestate se non esse, vel mulier, praegnantem se esse, vel non esse, quamuis eiusmodi iusiurandum matri quidem, non autem partui, vel prosit, vel noceat. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 3. §. 1. 2. 3. *D. eod.*

(c) CONDITIONE DELATA.] Nam si reus iurauit, nemine conditionem deferente, praetor id iusiurandum non tuebitur, quia sibi iurauit, et alioquin facillimus quisque ad iusiurandum, nemine deferente decurrens, oneribus actionum se liberaret. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 3. *pr.* D. *eod. tit.* Praestari autem oportet, vti delatum est iusiurandum, e. g. si *quis per Deum, vel per caput suum* iurarit, ratum non habebitur iusiurandum, quod *per salutem* iurantis exegerat actor. Omne enim omnino licitum iusiurandum, per quod quis sibi voluerat iurari, praetor tuetur, etiamsi propria superstitione iuratum sit, modo non sit improbatae publice religionis. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 4. *l.* 5. *pr.* §. 1. 3. *D. eod. tit.* Ex quo patet, in cuiusque fuisse potestate, qua alterum religione quibusque conceptis verbis obstringere voluerit, modo haec non improbatam publice religionem redolerent. Hinc Acron ad illa *Horatii Epod.* XV. 4.

Nox erat, et caelo fulgebat
Luna sereno
Inter minora sidera,

Quum

BIU Cujas

Quum tu magnorum Numen laesura Deorum
In verba iurabas mea.

In verba, inquit, *iurabas mea, sicut ostendebam ego tibi iurare, ita iurabas, et secundum verba, quae proponebam, iurabas.* et Porphyrion *ibid. In verba iurabas mea, hoc est, mea per verba conceptum iusiurandum.* Id ergo veteres dicunt *conceptis verbis iurare*: Gell. *Noct. Attic. lib. VII. cap.* 11. *dictata sacramenta*, Sil. Italic. *de bell. Punic.* item *iurandi formulam iuris*, veluti Ouid. *Heroid. Epist.* XXI. *v.* 133. Ceterum per iuramenta improbatae publice religionis vereor, ne VLPIANVS, Christianis parum, vt videtur, aequus, intellexerit eorum iuramenta. Erant, qui ab illis plane abhorrebant, contenti formula ἀληθῶς λέγω, de qua Clemens Alexandr. *Stromat.* VII. *p.* 728. alii per Deum et per Christum et per Spiritum S. iurabant, Veget. *de re milit. II.* 5. vel Deum testem inuocare iusiurandum efficacissimum sanctissimumque existimabant. Athanas. *in Apolog. ad Constant. Imp. tom. I. f.* 528. Quin nec *per maiestatem imperatorum, quae secundum Deum generi humano diligenda colendaque* sit, nec *per salutem principum* iurare dubitabant, quamuis nullo periculo, nullisque minis adduci possent, vt *per genium imp.* deierarent. Veget. *ibid.* Tertull. *in Apologet. cap.* 32. Ita et in iure nostro tamquam improbatae religionis, proposito extremo supplicio, damnatur iusiurandum *per caput et capillum Dei. Nouell.* LXXI. Fortassis et iusiurandum, quod Iudaeis per calumniam tribuebant, improbatae religionis videbatur. Vti enim his aeque ac Christianis cultum asini vel monstri asiniformis adfingere non dubitabant: ita et per asinum eosdem iurare mentiebantur. Hinc Petron. *in Satyr. p. m.* 58.

Iudaeus licet et porcinum numen adoret,
Et CILLI *summas aduocet auriculas.*

Cillum enim esse asinum, *hemicillum* ἡμίονον, vel mulum, *cillanum* vel κιλλακτῆρα agasonem, satis notum est. Et Martial. *Epigr.* XI. 95. *v.* 7. in Theodorum poëtam Iudaeum:

Ecce negas iuraque mihi per templa Tonantis.
Non credo, iura, verpe per ancharium.

Illud enim *anchialus*, quod vulgo praeferunt Martialis libri, nihili est, חוּעלם, quod Salmas. *in Hellenist. Part.* I. *quaest.* 5. *pag.* 205.

BIU Cujas

IVRAVERIT (d), remiſſumue ei iusiurandum fuerit (e): EIVS REI (f), DE QVA IVSIVRANDVM EI DELATVM FVE-

p. 205. inde exſculpſit, ne Hebraeum quidem; paullo meliora, quae Scaliger *in Prolegom. de Emend. Temp.* adinuenit, חיאלה, quodque Seldenus *de ſucceſſ. Hebraeor. Proleg. pag.* 6. praetulit יברעחי עזלם itemque quod in mentem venit Thomae Farnabio *ad Martial. pag.* 355. אם חו אלח, ſed quae non reſpondent acumini, quod in Iudaeum ϖαιδεραστὴν adfectat poëta nequiſſimus. Itaque reliquis praeferenda coniectura Iſ. Voſſii *in Obſeru. ad Pomp. Mel. I.* 8. *p.* 48. legentis *ancharium*, vel *ancarium*, id eſt, aſinum ἀχθοφόρον, quo ſenſu Lucilius:

Concurſans, veluti ancarius, clareque quiritans.

(d) IVRAVERIT.] Dato enim iureiurando, non aliud quaeritur, quam an iuratum ſit? remiſſa quaeſtione, an debeatur, quaſi ſatis probatum ſit iureiurando. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 5. §. 2. *de iureiur.* Si neque iuratum eſt, neque remiſſum iuſiurandum, pro eo debet haberi, atque ſi res in iusiurandum admiſſa non eſſet. Proinde ſi poſtea iurare paratus ſit, nihil ei hoc iusiurandum proficiet: quia ex eo, quod delatum eſt, iuratum non eſt. VLPIAN. *ibid. l.* 5. §. 4. *D. eod. tit.*

(e) *Remiſſumue ei iusiurandum fuerit.*] Tale quid in edicto fuiſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, idque vel paullo ante adductum ex VLPIANO *lib.* XXII. *ad edict. l.* 5. §. 4. D. *eod. tit.* fragmentum ſatis probat. Remittit vero iusiurandum, qui deferente ſe, quum paratus eſſet aduerſarius iurare, gratiam ei facit, contentus voluntate ſuſcepti iurisiurandi. *l.* 6. D. *eod. tit.* Quae remiſſio et abſenti fieri poteſt per epiſtolam. *l.* 41. D. *eod. tit.* Add. Zach. Huberi *Diſſert. iurid. philol. de his, qui poſſ. grat. iurisiur. fac. cap.* 2. §. 2. *tom.* II.

(f) EIVS REI.] Quod ſic erit accipiendum, ſiue de tota re, ſiue de parte ſit iuratum. Nam de eo, quod iuratum eſt, pollicetur, ſe actionem non daturum, neque in eum, qui iurauit, neque in eos, qui in locum eius, cui iusiurandum delatum eſt, ſuccedunt. VLPIAN. *lib.* XXII. *ad edict. l.* 7. D. *de iureiur.*

BIU Cujas

FVERIT, NEQVE IN IPSVM, NEQVE IN EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, ACTIONEM DABO. (g)

§. I. Si qui petit (h), conditione delata iurauerit, remissum-

(g) ACTIONEM DABO.] Nam postquam iuratum est, denegatur actio, aut si controuersia est, id est, si ambigitur, an iusiurandum datum sit, exceptioni locus est. VLPIAN. *ibid. l. 9. princ. D. eod. tit.*

(h) *Qui petit.*] Quemadmodum enim iureiurando dato vel remisso reus adquirit *exceptionem* sibi aliisque, de qua superiore §. actum: ita actor actionem eodem modo adquirit, in qua hoc solum quaeritur, an iurauerit, dari sibi oportere, vel quum iurare paratus esset, iusiurandum ei remissum est. Ita sententiam huius §. describit VLPIAN. *lib. XXII. ad edict. l. 9. §. 1. D. de iureiur.* Nec aliter Iustinianus §. 11. *Inst. de action.* ex quo itidem discimus, eam actionem ex edicto praetoris esse. Potest vero huiusmodi iusiurandum deferre minor, qui tamen caussa cognita in integrum poterit restitui. Sic et si quis in fraudem creditorum iusiurandum debitori detulerit, aduersus exceptionem iurisiurandi replicatio fraudis creditoribus debebit dari. VLPIAN. *lib. XXII. ad edict. l. 9. §. 4. 5. D. eod. tit.* Porro delatum hoc iusiurandum prodest actori, non modo si ipse iurauerit, sed et si defensor eius vel procurator conditione delata iusiurandum dederit. Ceterum si petitor, possessore deferente, rem suam esse, iurauerit, actori dabitur actio, sed aduersus eum tantum, qui iusiurandum detulit, eiusque successores, non aduersus tertium: quod et tunc locum habet, si possessor, petitore deferente iurauerit, *rem petitoris non esse*, siquidem et tunc exceptionem quidem habet aduersus petitorem, non autem actionem, neque aduersus petitorem postea possidentem, neque aduersus alium quemcumque, quia non iurauit *rem suam esse, sed eius non esse.* Eadem actio quomodo locum habeat, si quis vsumfructum alicuius rei, vel quasi vsumfructum, vel hereditatem sibi competere, vel libertum alicuius se non esse, vel fundum suum esse, vel se furtum non fecisse, vel se vendidisse rem centum, vel societatem fecisse, vel ob decem pignori dedisse fundum, iurauerit: disquirunt VLPIAN.

missumue ei iusiurandum fuerit, in ipsum, qui detulit, inue eum, ad quem ea res pertinet, actionem dabo. (i)

(VLPIAN. LIB. XXIII.)

(*) *Videtur hic aliquid deesse, quod restituere non sustinuimus.*

TIT.

PIAN. *ibid. l.* 9. §. 6. 7. *l.* 11. *pr.* §. 1. 2. 3. *l.* 13. *pr.* §. 1. 2. 3. 4. 5. *D. de iureiur.* IVLIAN. *lib. VIIII. Digest. l.* 12. *D. eod. tit. l.* 24. *D. de except. rei iudic.*

(i) *Actionem dabo.*] Ex qua si quis damnetur in famoso iudicio, famosus fit. Praeterea haec actio perpetuatur, quamuis alioquin alter mihi temporaria tantum actione obligatus erat. VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 2. 3. *D. de iureiur.* Ideo vero haec actio pure praetoria est, quod alioquin iure ciuili non maior est vis iurisiurandi, quam pacti nudi, quod erudite, vt solet, demonstrauit Cuiac. *Obseru. XXII.* 7. Ceterum, quid si quis peieraſſe conuincatur? De eius periurii poena, et an talis iure ciuili statuta sit, ex instituto disserit Bern. Henr. Reinold. *Var. cap.* 15. *p.* 109. *sequ.* Sane fere impune erat per Deum peieraſſe, quod *Deorum iniurias Diis curae esse, contemtamque iurisiurandi religionem satis Deum vltorem habere* putarent. Tacit. *Annal. lib. I. cap.* 73. *l.* 2. *C. de reb. cred. et iureiur.* At si quis per genium Principis peieraſſet, is maiestatis reus putabatur. Qua de re VLPIAN. *ibid. l.* 13. *§. vlt. D. h. t. Si quis*, inquit, *iurauerit in re pecuniaria per genium principis, dare se non oportere, et peierauerit, vel dari sibi oportere, vel intra certum tempus iurauerit se soluturum, nec soluit, Imperator noster* (Antoninus Bassianus Caracalla) *cum patre* (Seuero) *rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere, et ita ei superdici :* ἐπιορκεῖν μὴ ὄμνυε, *id est, temere ne iurato.* Ex quo iam facile patet, cur Tertullianus *Apologet. cap.* 28. scripserit : *Maiore formidine et callidiore timiditate Caesarem obseruatis, quam ipsum de Olympo Iouem : citius denique apud vos per omnes Deos, quam per vnum genium Caesaris peieratur.* Et Minuc. Felix *in Octau. pag.* 283. *Et est eis tutius per Iouis genium peierare, quam Regis.*

(*) *Videtur hic aliquid deesse.*] Hiatum aliquem hic deprehendet, quisquis fragmenta, quae ex

ex VLPIANI *lib. XXIII.* supersunt, paullo accuratius inter se contulerit. Quamuis enim extra omnem dubitationis aleam positum sit, illum hoc libro explicasse edicta *de effusis et deiectis*, *de seruo corrupto*, et *de aleatoribus* : sunt tamen quaedam loca, quae ad nullum horum edictorum referri possunt. Nam *l. 3. D. mandat.* agitur de eo, qui mandatum accepit, vt pecuniam in diem foeneraret. In *l. 33. D. de act. emt.* quaeritur, an qui plures res vno pretio emerit, de singulis emti agere possit ? In *l. 8. D. de administr. et peric. tut. et l. 31. D. de fideiuss.* sermo est de actionibus, in quibus dies exspectanda. *Lex 36. D. de verb. signif.* explicat, quid LITIS vocabulo contineatur. Denique *l. 13. D. de vacat. et excus. mun. et l. 18. pr. D. de iudic.* VLPIANVS disseruit de iudicum excusatione et mutatione. Quid vero haec omnia ad edicta illa *de effusis et deiectis*, *seruo corrupto*, *et aleatoribus*. Quum vero in *d. l. 18. de iudic.* principium de iudicis mutatione agat, sequens §. 1. autem ad titulum de effusis manifesto pertineat : consequens sane est, vt edictum, quod hic desideratur, qualecumque illud fuerit, titulum *de effusis et deiectis* ἀμέσως antecesserit. Quod miror, nec a Iac. Gothofredo *in Serie edicti perpetui*, nec ab Hub. Giphanio *in Oeconom. iur.* nec ab vllo alio esse obseruatum. Comparatis inter se fragmentis, id video, illa ad materiam de iudiciis pertinuisse, ac proinde paene adsentior Io. Goeddeo, qui *in Comm. ad l. 36. D. de verb. signif.* Praetorem hic de LITIS CONTESTATIONE edixisse suspicatur. Sane enim VLP. *l. 36. D. de verb. signif.* hic, quid LIS sit, exponit. Et quum Festus *voce conteſtari* litis contestationem in eo positam fuisse tradat, quod *duo aut plures aduersarii* ORDINATO IVDICIO *dicerent : testes estote :* fieri potest, vt VLPIANVS hic disseruerit de ordinando iudicio, eoque manifesto tum referendae essent *l. 13. D. de vac. et excusat. mun. et l. 18. pr. D. de iudic.* quin et *l. 8. D. de administr. tut.* et *l. 31. D. de fideiuss. l. 3. D. mandat.* et *l. 33. D. de act. emt.* Nescio etiam, an non huc referri possit titulus codicis *de consortibus eiusdem* LITIS, qui *libro III.* ante materiam *de noxalibus actionibus* occurrit, et titulus Pandectarum *de quibus rebus ad eumdem iudicem eatur*, quippe qui titulum de seruo corrupto ἀμέσως antecedit. Enimuero, quum hic merae tenebrae sint : rem in medio relinquo, monuisse contentus, aliquid hic deesse.

BIU Cujas

TIT. LIII.

DE HIS, QVI EFFVDERINT VEL DEIECERINT. (a)

VNDE IN EVM LOCVM, QVO VVLGO ITER FIET, (b) VEL IN QVO CONSISTITVR, DEIECTVM VEL EFFVSVM QVID ERIT (c), QVANTVM EX EA RE DAMNVM DATVM FACTVMVE ERIT, IN EVM, QVI

(a) DEIECERINT.] De ordine nulla lis est. Posteriorem enim hunc titulum fuisse edicto de iureiurando, vel id argumento est, quod VLPIANVS de hoc LIB. XXII. de illo LIB. XXIII. demum egerit. Praecessisse autem eumdem edictum de seruo corrupto, ordo in Digestis obseruatus, facile vnicuique persuadet. Verba totius edicti πυκνὰ superstant in *l.* 1. *et l.* 5. *D. de his, qui effud. vel deiec.* nec non in *l.* 25. §. 2. *D. de noxal. act.* Summa cum vtilitate id edixisse Praetorem, obseruat VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. §. 1. *D. h. t.* quia publice vtile sit, sine metu et periculo per itinera commeari. Ceterum verosimile admodum est, initio in L. Aquillia aliquid de effusis et deiectis cautum fuisse, quod ex *l.* 31. *D. ad leg. Aquill.* acute colligit Corn. van Bynkersh. *Obseru. I.* 13. At illius legis luminibus postea offecit Praetor, proposito hoc edicto *de effusis et deiectis*, et pinguiore aduersus effundentes et deiicientes actione promissa.

(b) ITER FIET.] Siue publicus ille locus sit siue priuatus, dum ita comparatus, vt per illum vulgo iter fiat: quandoquidem iter facientibus prospicitur, non publicis viis studetur. Adeoque et edictum cessat, si aliquando vulgus in illa via non commeauerit, et tunc deiectum aliquid effusumue sit, quum secretis huc vsque locis, modo coeperit commeari. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. §. 2. *D. de his, qui effud. vel deiec.*

(c) EFFVSVMVE QVID ERIT.] Quod, quum suspenderetur, decidit, magis deiectum videtur, et quod iam suspensum decidit, pro deiecto haberi maius est. Praeterea et si quid suspensum effusum sit, quamuis nemo hoc effuderit, edictum tamen locum habere dicendum est. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 3. *D. h. t.*

BIU Cujas

QVI IBI HABITAVERIT (d), IN DVPLVM IVDICIVM DABO (e).

§. I. SI EO ICTV HOMO LIBER PERISSE DICETVR, QVIN-

(d) QVI IBI HABITAVERIT.] Non in dominum aedium, sed in inquilinum, quia culpa huius, non illius est. VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 4. D. *de his, qui effud.* Si filiusfamilias coenaculum conductum habuit, de peculio aduersus patrem non agitur, quia haec actio non ex contractu est: sed aduersus ipsum filium haec actio instituitur. Si seruus habitator est, is extra ordinem officio iudicis corrigendus. Perinde autem est, siue in suo, siue in conducto, siue in gratuito quis habitet. Hospes non tenetur, *quia ibi non habitat, sed tantisper hospitatur*, inter quae tantumdem interest, quantum inter domicilium habentem et peregrinantem. Si denique plures habitant in eodem coenaculo, in singulos haec actio in solidum datur, ita tamen vt vno soluente reliqui liberentur. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. §. 7. 8. 9. 10. *l.* 3. D. *eod. tit.* Aliud si diuisis coenaculis habitent plures, vel si quis gratuitas habitationes dederit libertis et clientibus, vel si quis amicis suis modica hospitia distribuerit, vel coenaculariam exercens, modicum sibi hospitiolum retinuerit, de quibus similibusque casibus agit VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 5. *pr.* §. 1. 2. 3. D. *eod. tit.*

(e) IVDICIVM DABO.] Vocatur haec actio *in factum*, nec adiicitur culpae mentio vel inficiationis, vt in duplum promiscue detur actio, quamuis actio ex lege Aquillia vtrumque exigat. VLPIAN. *lib.* XXIII. *l.* 1. §. 4. D. *eod. tit.* Ei, qui duplum soluit, siue ex lege Aquillia, siue ex hoc edicto damnatus sit, merito datur actio vel locati, vel in factum aduersus deiectorem. Eadem actio ex hoc capite perpetua est, et heredi, non autem in heredem competit, non ex sequentibus. Nam si liber homo periit, intra annum tantum competit, et nec heredi, nec in heredes datur, quia popularis et poenalis est, quamuis pluribus ad agendum proruentibus, is praeferendus sit, cuius interest. Sin libero homini nocitum, ipse habet actionem perpetuam, alius, qui eo nomine vult experiri, annuam: heredi vero haec actio non com-

BIU Cujas

QVINQVAGINTA AVREORVM IVDICIVM DABO (f). SI VIVET, NOCITVMQVE EI ESSE DICETVR (g), QVANTVM OB EAM REM AEQVVM IVDICI VIDEBITVR, EVM, CVM QVO AGETVR, CONDEMNARI, TANTI IVDICIVM DABO.

§. II. SI SERVVS INSCIENTE DOMINO FECISSE DICETVR, IN IVDICIO ADIICIAM (h): AVT NOXAM DEDERE (i). SI IS IN CVIVS POTESTATE ESSE DICETVR, NEGAVERIT, SE IN SVA POTESTATE (k) SERVVM HABERE, VTRVM ACTOR VOLET, VEL DEIERARE IVBE-

petit, quia, quod in corpore libero datur, non est pecuniarium, adeoque nec iure hereditario in successores transire debet. VLPIAN. *ibid. l.* 5. §. 4. 5. *D. eod. tit.*

(f) IVDICIVM DABO.] Quum enim liber homo periit, vel ideo in duplum fieri non potest damni aestimatio, quia liberi corporis nulla est aestimatio. VLPIAN. *lib. XXIII. ad edict. l.* 1. §. 5. D. *eod. tit.*

(g) NOCITVMVE ESSE DICETVR.] Haec verba non pertinent ad damna, quae in rem hominis liberi facta sunt, veluti si forte vestimenta eius, vel aliud quid scissum corruptumque est: sed ea, quae in corpus eius admittuntur. VLPIAN. *lib. XXIII. ad edict. l.* 1. §. 6. D. *eod. tit.*

(h) ADIICIAM.] Sed haec adiectio parum vtilitatis habet, si seruus vel aufugit, vel mortuus est, quia tunc noxae deditio fieri nequit. *Ea* enim, *quae dari impossibilia sunt, vel, quae in rerum natura non sunt, pro non adiectis habentur.* VLPIAN. *lib. XXIII. ad edict. l.* 135. D. *de regul. iur.* vbi vid. Iac. Gothofred. *in Comment.*

(i) NOXAM DEDERE.] An et filiusfamilias ex noxa aliqua, ex qua patri actio competit, experturus, actionem hanc habeat, ex instituto disquisiuit VLPIAN. *ibid. l.* 18. §. 1. D. *de iudic.* Quoties vero dominus ex noxali causa conuenitur, si nolit suscipere iudicium, in ea causa est, vt debeat noxae dedere, modo seruum habeat in potestate, vel dolo malo fecerit, quo minus haberet. An vero et quatenus absentes quoque defendi possint, disputat VLPIAN. *lib. XXIII. ad edict. l.* 21. *pr.* §. 1. D. *de noxal. action.*

(k) IN SVA POTESTATE.] In potestate sic accipere debemus, vt facultatem et potestatem exhibendi

BIU Cujas

IVBEBO (l), IN POTESTATE SVA NON ESSE, NEQVE SE DOLO MALO NON FECISSE, QVO MINVS ESSET: VEL IVDICIVM DABO SINE NOXAE DEDITIONE (m).

§. III. (n) NE QVIS (o) IN SVGGRVENDA PROTECTOVE (p), SVPER

hibendi eius habeat: ceterum, si in fuga sit, vel peregre, non videbitur esse in potestate. VLP. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 21. §. 2. 3. D. *de noxal. act.* vbi et ipsa huius edicti verba, e loco et titulo suo diuulsa, habentur.

(l) DEIERARE IVBEBO.] Quod si reus iurare nolit, similis est ei, qui neque defendit absentem, neque exhibet: qui condemnantur, quasi contumaces. Tutores quoque vel curatores ipsi iurare debent, in potestate domini non esse. Si autem procurator sit, dominus ipse iuret, necesse est. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 21. §. 4. 5. D. *de noxal. action.*

(m) SINE NOXAE DEDITIONE.] Quid vero, si iusiurandum exegerit actor, reusque iurarit, deinde noxali velit agere actor, quia reus seruum in potestate habere coeperit, an huic exceptio iurisiurandi dabitur? Negauit Sabinus, quia de alia re sit iuratum, seruum nempe tunc in potestate non fuisse, iam vero is in potestate omnino sit. Neratius vero dicebat, actorem post exactum iusiurandum hoc casu experiri posse sine noxae deditione. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 21. §. 6. D. *de noxal. action.*

(n) §. 3.] Hoc edictum superioris portio est. Consequens enim fuit, praetorem etiam in hunc casum prospicere, vt si quid in his partibus aedium periculose positum esset, non noceret. Ita VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 5. §. 7. D. *de his, qui effud. vel deiec.* vbi §. 6. et ipsa edicti verba recitat.

(o) NE QVIS.] Haec verba *ne quis* ad omnes pertinent, siue inquilinos, siue dominos aedium, siue inhabitent, siue non: modo ibi quid expositum habeant. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 5. §. 8. D. *eod. tit.*

(p) PROTECTOVE.] Quo et Maeniana pertinent, quae ex proiectantibus tabulatis constant. De his Non. Marcell. *de Propr. Serm. l.* 333. *p.* 520. *edit. Dion. Gothofredi*: *Maeniana ab inuentore eorum, Maenio dicta sunt. Vnde et columna Maeniana.* Meminit *columnae Maeniae* Cicero *in Diuinat. cap.* 16. et *pro Sext. cap.*

BIU Cujas

SVPER EVM LOCVM, QVA VVLGO ITER FIET, INVE QVO CONSTETVR, ID POSITVM HABEAT (q), CVIVS CASVS NOCERE CVI POSSIT (r). QVI ADVERSVS EA FECERIT, IN EVM SOLIDORVM DECEM IN FACTVM IVDICIVM DABO (s).

§. IIII. SI SERVVS INSCIENTE DOMINO FECISSE DICETVR, AVT AESTIMATIONEM DARI, AVT NOXAE DEDI IVBEBO (t).

TIT. LIIII.

DE SERVO CORRVPTO (a).

QVI

cap. 58. vbi priore loco Aſcon. Paedianus: *Maenius, quum domum ſuam venderet Catoni et Flacco cenſoribus, vt ibi baſilica aedificaretur, exceperat ius ſibi vnius columnae, ſuper quam tectum proiiceret, ex prouolantibus tabulatis, vnde ipſe et poſteri eius ſpectare munus gladiatorium poſſent, quod etiam tum in foro dabatur: ex illo igitur columna Maenia vocitata eſt, cauſſis eiuſmodi ſolitis.* Similia habent Acron et Porphyrion in ſchol. ad Horat. *Serm. I. 3. v. 23.*

(q) POSITVM HABEAT.] POSITVM accipere debemus, ſiue in habitationis vel coenaculi, ſiue in horrei aliuſue aedificii parte. POSITVM etiam habere dicitur, qui ipſe quidem non poſuit, verum ab alio poſitum patitur. Quare ſi ſeruus poſuerit, dominus autem poſitum patiatur, non noxali iudicio dominus, ſed ſuo nomine tenebitur. VLPIAN. *ibid. l. 5. §. 9. 10. D. de his, qui effud. vel deiec.*

(r) NOCERE CVI POSSIT.] Non ergo edictum prohibet, aliquid poni, ſed ita poni, nocere vt poſſit. Quale quid ſi poſitum vel ſuſpenſum habeas, teneberis edicto, ſiue nocuerit, ſiue non nocuerit. VLPIAN. *ibid. l. 5. §. 11. D. eod. tit.*

(s) IVDICIVM DABO.] Quod aduerſus quem, et ad quid competat, diſputat VLPIAN. *lib. XXIII. ad edict. l. 5. §. 12. 13. D. eod. tit.*

(t) DEDI IVBEBO.] Ad hanc edicti partem nihil monent interpretes. Saltim nullum ſupereſt, quod eo pertineat, fragmentum. Verba tamen *πανικὰ* ſeruauit VLPIAN. *lib. XXIII. ad edict. l. 5. §. 6. D. de his, qui effud. vel deiec.*

(a) CORRVPTO.] Proximum fuiſſe hunc titulum, dubitare nos non patiuntur rationes ad ſuperiorem

BIU Cujas

QVI SERVVM, SERVAM, ALIENVM, ALIENAM (b) RECEPISSE (c), PERSVASISSEVE (d) QVID EI DICETVR DOLO

riorem titulum adlatae. Eum saltim hic locum habuisse, vel inde patet, quod de eo *lib.* XXIII. Commentariorum suorum egit VLPIANVS. In lege Aquillia etiam de seruo corrupto actum esse, verosimile est, quia et verba, quibus praetor vsus est, quaeque integra VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. *pr. D. de Seruo corrupt.* seruauit, verbis legis Aquilliae simillima sunt, et ex lege Aquillia etiam de seruo corrupto agi potuisse, ex *l.* 4. *et l.* 5. §. 2. *D. de seruo corrupt.* discimus, vt iam praetermittamus interpretamentum Aniani *ad Paulli recept. sent. lib. I. tit.* 13. §. 21. vbi contra eum, qui seruum alienum *animo vel corpore corruperit*, actionem ex lege Aquillia competiisse diserte docet. Vnde et caput secundum legis Aquilliae, quod iam VLPIANI temporibus in desuetudinem abierat, *l.* 27. §. 4. *D. ad leg. Aquill.* de seruo corrupto egisse, suspicatus est Claud. Chifflet. *eor. quae de iure part. I. pag.* 441. Sed et hic legis Aquilliae luminibus offecit praetoris edictum, vel ideo pinguius, quod hinc actio aduersus corrumpentem et sine inficiatione in duplum daretur.

Heineccii Opusc. postum.

(b) ALIENVM, ALIENAM.] Qui seruum bona fide emit, edicto non tenetur, nec is recte serui corrupti actionem instituit, cui bona fide homo liber seruit. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. §. 1. *D. h. t.*

(c) RECEPISSE.] Hoc ita accipimus, si susceperit seruum alienum ad se, et est proprie *recipere* refugium abscondendi caussa seruo praestare, vel in suo agro, vel in alieno loco, aedificioque. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. §. 2. *D. eod. tit.*

(d) PERSVASISSEVE.] *Persuadere*, inquit VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. §. 3. *D. eod. tit.* est plus, quam compelli, atque cogi sibi parere. Hoc obscurius videtur Ger. Noodtio in *Comment. pag.* 254. qui ideo legendum putat: *Persuadere est, plus quam suadere, persuadere enim est compellere atque cogere sibi pareri.* Sed mihi quidem non videtur quidquam mutandum. Recte enim VLPIANVS monet, persuadere plus esse, quam compelli atque cogi sibi parere, quia qui compellit et cogit, aliquando operam oleumque perdit, qui persuasit, semper finem

BIU Cujas

DOLO MALO (e), QVO EVM, EAM, DETERIOREM FECERIT (f);

IN

ſuum adſequitur. Docet itaque iureconſultus vere στοϊκῶς, perſuaderi quidem humanae menti aliquid poſſe, cogi eamdem non poſſe. Quam doctrinam ita proponit M. Antoninus, εἰς ἑαυτὸν. *lib. V. cap.* 19. Τὰ πράγματα αὐτὰ ἁπτὰ ἐστὶν οὐσίᾳ ψυχῆς ἄπειρα· καὶ οὐδὲ ἔχει εἴσοδον πρὸς ψυχήν· οὐδὲ τρέψαι, οὐδὲ κινῆσαι ψυχὴν δύναται. τρέπει δὲ καὶ κινεῖ αὐτὴ ἑαυτὴν μόνη, καὶ οἷον ἂν κρίματων κατάξιώσῃ ἑαυτὴν, τοιαῦτα ἑαυτῇ ποιεῖ τὰ προσυφεστῶτα. *Res ipſae nulla ratione animam attingunt, neque aditum vllum habent ad eam, neque mutare illam aut mouere poſſunt. Ipſa ſola ſe mutat mouetque. Qualia autem decreta fuerint, quibus ipſa in ſe locum dederit, talia facit ſibi aduentitia quaeque.* Talia permulta et apud Senecam *epiſt.* 73. *et* 76. et reliquos Stoicos. Res enim externas, veluti verbera, vngulas, fidiculas, equuleos non mouere ac ſubigere mentem, exemplo ſeruorum nequiſſimorum probant, qui torti ſaepe animum aduerſus haec omnia obfirmant. At decreta, quae quiſque in animum admittit, (quaeque omnino admittuntur, vbi perſuaſeris,) mutare ac mouere animam, experientiam docere exiſtimant.

(e) DOLO MALO.] Perſuadere ἐκ τῶν μέσων eſt. Nam et bonum conſilium et malum ſuggerendo poteſt quis alteri quid perſuadere. Et ideo praetor adiecit DOLO MALO: eoque vocabulo adiecto calliditatem notat eius, qui perſuadet. Hinc ſi quis ſeruum ſine dolo, vel luſus gratia deteriorem fecerit, non tenetur. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edictum l.* 1. §. 3. *et l.* 3. *D. de ſeruo corr.* Quin non tantum ad τὸ *perſuaſiſſe*, ſed et ad τὸ *recepiſſe* referendum eſt illud DOLO MALO; neque edicto tenetur, qui ſine dolo malo ſeruum ſeruamue alterius recepit, veluti vt domino cuſtodiret, vel humanitate, vel miſericordia ductus, vel adprobata vel iuſta ratione. Nec dolo malo corrumpentem excuſat error, dum quid dolo malo perſuaſit ſeruo, quem liberum putauit: quia adhuc magis delinquit, qui liberum putans corrumpit. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 5. *pr.* §. 1. *D. h. t.*

(f) DETERIOREM FECERIT.] Neque enim delinquit, niſi qui tale aliquid ſeruo perſuadet, ex quo eum faciat deteriorem. Quiſquis ergo ſeruum ſollicitat

ad

BIU Cujas

IN EVM (g), QVANTI EA RES ERIT, IN DVPLVM (h) IVDICIVM DABO. (i)

TIT.

ad aliquid vel faciendum, vel cogitandum improbe, hic videtur hoc edicto teneri, adeo, vt non modo, qui seruum frugi ad peccandum perpulit, sed et, qui malo viam monstrauit, vel in fugam se daturum laudauit, corrupisse censeatur, *quia non oportet laudando augeri malitiam.* Ita VLPIAN. *lib. XXIII. ad edict. l.* 1. §. 3. 4. *D. eod. tit.* qui et §. 5. eiusdem legis plura exempla eiusmodi corruptionis recenset.

(g) IN EVM.] Etiam fatentem. Nam haec actio et aduersus fatentem in duplum datur, secus ac illa ex lege Aquillia. Quod si seruus seruum alienum corrupit, iudicium cum noxae deditione redditur. VLPIAN. *ibid. l.* 5. §. 2. *et* 3. *D. eod. tit.* Quin et aduersus socium competit haec actio, qui seruum communem suum et meum corrupit, quidquid hic in contrarium attulerit IVLIANVS. Nec minus ita recte agitur inter proprietarium et vsufructuarium, si alteruter seruum fructuarium corrupit, quamuis vsufructuarius tantum vtilem actionem habeat. VLPIAN. *lib. XXIII. ad edict. l.* 9. *pr.* §. 1. *D. de seruo corrupt.* Sed et si quis seruum hereditarium, hac actione tenebitur, quamuis et petitione hereditatis teneatur. VLPIAN. *ibid. l.* 13. §. 1. D. *eod. tit.*

(h) IN DVPLVM.] Haec actio refertur ad tempus serui corrupti, vel recepti, non ad praesens, et ideo, si decesserit, vel alienatus, vel manumissus sit seruus, nihilominus locum habebit actio, quippe quae semel nata manumissione non exstinguitur. VLPIAN. *ibid. l.* 5. §. 4. D. *eod. tit.* Nam et mali serui nonnumquam libertatem consequuntur, et ipsa facta corruptio aliquando iustam tribuit manumittendi rationem. VLPIAN. *ibid. l.* 7. D. *eod. tit.* Datur ergo actio in duplum, et aestimatio fit non modo eius, quo seruus corruptus vilior factus, sed et reliquorum damnorum, non tamen futurorum, quod exemplis illustrat VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 2. *et* 3. *l.* 11. *pr.* §. 1. D. *h. t.*

(i) IVDICIVM DABO.] Quod tamen reliquas actiones, veluti furti et condictionis furtiuae non

BIU Cujas

TIT. LV.

DE ALEATORIBVS. (a)

SI QVIS EVM, APVD QVEM ALEA (b) LVSVM ESSE DICETVR

tollit. VLPIAN. *ibid. l.* 11. §. 2. D. *eod. tit.* Ceterum haec actio perpetua est, non temporaria, idque nouum praebet argumentum, eam ex lege Aquillia, quibusdam mutatis in edictum translatam esse. Datur etiam heredibus et ceteris successoribus, non tamen in heredem, quia poenalis est. VLPIAN. *ibid. l.* 13. *pr.* D. *eod. tit.*

(a) DE ALEATORIBVS.] De ordine non est, quod multum laboremus, quippe quem ea, quae supra ad tit. LIII. disseruimus, satis superque probant. Verba edicti nobis seruauit VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. *pr.* D. *de aleator.*

(b) ALEA.] Alea lusus omnis, in quo sola fortuna dominatur. Eam a Palamede inuentam aiunt, ad fallendum ocium militare, quo corrupti Graeci, in diuturna illa Troiae obsidione, ad seditionem procliues videbantur. Seruius *ad Virg. Aeneid. lib. II. v.* 85. Sed ab ea quam maxime abhorrebant Romani, ac proinde legibus seueriſſimis proscribebant aleam, veriti procul dubio, ne ciues ocio sensim diffluerent, fortuna magis, quam virtute rem facere adsueti. Sane Horat. *Carm. lib. III. od.* 24. *v.* 54.

Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer:
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Graeco iubeas trocho:
Seu malis VETITA LEGIBVS *alea.*

Ad quae verba Acron *in Scholiis*: *Lusus*, inquit, *aleae puniuntur, propter nuditatis incestum.* Sed quid, quaeso, commune alea habet cum nuditatis incestu? Procul dubio scripserat Acron: *Lusus aleae puniuntur propter ludi talis incertum.* Vtcumque se res habeat, non deerant omnino leges Romanae, aleae oppositae, quarum et Cicero *Philipp. II. cap.* 23. meminit. In primis tamen Aedilium erat, aleatores coërcere, qui liberos homines in quadruplum damnabant, teste Ascon. Paedian. *in Cicer. Diuinat. cap.* 7. seruos vero extra Saturnalia in eo lusu deprehensos in cloacas deturbabant.

BIU Cujas

TVR (c), VERBERAVERIT, DAMNVMVE EI DEDERIT, SIVE QVID EO TEMPORE DOMO EIVS SVBTRACTVM EST (d), IVDICIVM NON DABO. (e)

§. I. IN EVM, QVI ALEAE LVDENDAE CAVSSA VIM INTVLERIT, VTI QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM. (f)

§. II.

babant. Quo pertinent illa Martialis *Epigr. lib. V. epigr.* 110.

Et blando male perditus fritillo,
Arcana modo raptus e popina,
Aedilem rogat vdus aleator
Saturnalia transiere tota.

nec non *lib.* XIIII. *epigr. I.*

Nec timet Aedilem posito spectare fritillo,
Cum videat gelidos iam prope verna lacus.

Vbi bonae frugis plena sunt, quae disserit Gronou. *Obseru. lib. II. cap.* 15. *pag.* 337.

(c) LVSVM ESSE DICETVR.] Si itaque rapinas inter se fecerint collusores, vi bonorum actio non denegatur: susceptorem enim dumtaxat prohibuit vindicari, non et collusores, quamuis et hi indigni videantur. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. §. 1. *D. de aleator.*

(d) SVBTRACTVM EST.] Male in plerisque exemplaribus legitur DOLO EIVS, quum praetor scripserit DOMO EIVS, ceu ex interpretatione VLPIANI euidentissimum est. Nimirum quum tria delicta coniunxisset praetor, id est, si quis eum, apud quem alea lusum, VERBERASSET, vel eidem DAMNVM DEDISSET, vel eo tempore quid SVBTRAXISSET: iureconsultus diserte notat, *verberatum damniumue passum* non vindicare praetorem, vbicumque id factum esset: *furtum* vero omnino vindicare, nisi factum illud sit domi, eoque tempore, quo alea lusum esset, licet lusor non fuerit, qui quid eorum fecerit. Idem obseruat, DOMVM hic pro habitatione et domicilio accipiendam esse. VLP. *ibid. l.* 1. §. 2. D. *eod. tit.* vt dubitari nequeat, quin hoc edictale et πωνικὸν fuerit vocabulum.

(e) IVDICIVM NON DABO.] Denegat ergo praetor non modo poenalem actionem, sed et si ad exhibendum velit agere, vel vindicare, vel condicere. Quod contra POMPONIVM vel ideo defendit VLPIAN. *ibid. l.* 1. §. 3. D. *eod. tit.* quia praetor simpliciter ait: SI QVID SVBTRACTVM ERIT, IVDICIVM NON DABO.

(f) ANIMADVERTAM.] Haec

BIU Cujas

§. II. Sed et eius, quod in alea perditum erit, condictionem dabo. (g)

TIT. LVI.

SI MENSOR FALSVM MODVM DIXERIT. (a)

(VLPIAN.

clausula pertinet ad animaduersionem eius, qui compulit ludere, vt aut mulcta mulctetur, aut in lautumias vel vincula publica ducatur. VLPIAN. *lib.* XXIII. *ad edict. l.* 1. *§.* 4. D. *de aleat.* Non ergo per lautumias hic intelligendae lapicidinae, vti apud Plaut. *Captiu. act. III. scen.* 5. *v.* 65. sed carcer, eodem modo notatus non modo Syracusis, apud Ascon. Paedian. *in Cicer. Verrin. de praet. vrban. pag.* 72. sed et Romae, apud Liuium *lib.* XXVI. *cap.* 27. et in *l.* 9. D. *quib. ex causs. maior.* Sed hoc iam monuit v. c. Ger. Noodtius *in Comment. ad Pand. h. t. pag.* 259.

(g) *Condictionem dabo.*] Huius edicti notitiam debemus PAVLLO, qui non modo illius diserte meminit *l.* 4. *§. vlt.* D. *h. t.* verum etiam adnotat, patri vel domino competere repetitionem, si filiusfamilias vel seruus victus sit, at vice versa et aduersus dominum esse agendum de peculio, non noxaliter, si seruus vicerit, quin et aduersus parentes et patronos repetitionem vtilem ex hoc edicto esse eius, quod in alea lusum est. Denique initio huius *l.* 4. obseruat PAVLLVS quod in conuiuio vescendi caussa ponitur, in eam rem familiae ludere permitti. Eius generis fuere apophoreta, quo titulo liber singularis exstat Martialis, et de quibus erudite suo more disserit Isaac. Casaubon. ad Sueton. *Augusl. cap.* 71.

(a) MODVM DIXERIT.] Quum nouos commentariorum libros hic auspicentur VLPIANVS et PAVLLVS: consequens est, vt hoc edictum insequutum sit titulos superiores. Quumque actionem ad exhibendum libro demum sequente interpretatus sit PAVLLVS, dubium non est, quin eam anteceserit titulus noster. Itaque procul dubio hunc locum tenuit. Ipsa edicti verba, praeter pauca illa, litteris maiusculis in textu expressa, non exstant. Nec tamen ideo difficilis edicti restitutio, cuius sententiam tot fragmenta interpretum insinuant. Ceterum aduersus mensorem praetor hanc in factum

BIU Cujas

(VLPIAN. LIB. XXIIII. PAVLL. LIB. XXV.)

SI MENSOR (b). agri, alteriusue rei (c) FALSVM MODVM falsamue

ctum actionem proposuit, quia ab eo falli nos non oportet. Nam interest nostra, ne fallamur in modi renunciatione, si forte vel de finibus contentio sit, vel emtor scire velit, vel venditor, cuiusmodi ager veneat. Ideo autem hanc actionem proposuit, quia non crediderunt veteres, inter nos et talem personam, locationem conductionem esse, sed magis operam beneficii loco praeberi, et id, quod datur, ei ad remunerandum dari, et inde *honorarium* adpellari. Hinc si ex locato conducto fuerit actum, intentio non tenet. VLPIAN. *lib. XXIIII. ad edict. l. 1. pr. D. si mens. fals. mod.* Nimirum artem liberalem facere videbantur mensores, quam mirifice suo more laudat Cassiodor. *Var. lib. III. cap. 52.* eorumque tanta erat raritas, vt Plinius aliquem ex vrbe mitti petens in Bythyniam, repulsam a Traiano ferret, quam facile non ferebat etiam maiora petens. Plin. *lib. X. epist. 28. et 29.* Non ergo mercedem accipiebant, sicuti, qui manuarias praestant operas, sed *honorarium*, quod *puluerati-cum* adpellari notat Cuiac. *Obseru. lib. IIII. cap. 18.* ac proinde nec ex locato, sed hac singulari in factum actione tenebantur.

(b) MENSOR.] Si is eam operam, sibi mandatam alteri delegauerit, non minus tenetur, ac si ipse falsum modum renunciasset, quia dolo malo versatur, qui rem tali homini credit. PAVLL. *lib. XXV. ad edict. l. 2. §. 1. D. eod. tit.* Sin duobus mandatum, et ambo dolose fecerint, aduersus singulos agitur in solidum, sed vno soluente alter liberatur. VLPIAN. *lib. XXIIII. ad edict. l. 3. pr. D. eod. tit.* Serui autem nomine magis noxale, quam de peculio competere iudicium, obseruat idem *ibid. l. 3. §. 6. D. eod. tit.*

(c) *Alteriusue rei.*] Hoc enim iudicium latius porrectum, non a iureconsultis, sed ab ipso praetore. Nam et qui alterius rei falsum modum renunciasse dicitur, hac actione tenetur, veluti qui in mensura *aedificii*, vel *frumenti* vel *vini* fefellit, vel si *mensor machinarius* fefellit. Quin eodem exemplo aduersus eum, qui quum mensor non esset, in modo fefellit, itemque ex decreto Seueri Imp. aduersus *architectum*, et *redemtorem*, falsum modum.

BIU Cujas

ſamue menſuram DOLO MALO (d) dixiſſe, RENVNCIASSEVE (e) dicetur: ei, cuius interierit (f), quanti ea res erit, aduerſus

modum renunciantes; denique ex VLPIANI ſententia et aduerſus *tabularium* agi poſſe, qui in computatione fefellit, non dubitatur. VLPIAN. *lib. XXIIII. ad edict. l. 5. §. 2. l. 7. pr. §. 1. 2. 3. et 4. D. eod. tit.* En hic varios menſores, quales apud Gruter. *Inſcript. pag.* 623. L. CAELIVS MAXIMVS, MENSOR AEDIFICIORVM. apud Reinef. *Inſcript. lib. VIIII. pag.* 85. TI. CLAVDIVS VRBANVS, MENSOR AEDIFICIORVM. Ita et paſſim occurrunt MENSORES AGRARII, Gruter. *pag.* 1078. 6. MENSORES FRVMENTI, *pag.* 631. 8. MENSORES MACHINARII, QVIBVS EX SC. COIRE LICEBAT. *pag.* 99. 1. De *architectis* et *redemtoribus* omnia peruulgata ſunt. Per *tabularios* autem hic intelligimus calculationes, quales TABVLARII VECTIGALIVM apud Gruter. *pag.* 641. 9. 10.

(d) DOLO MALO.] Haec actio dolum malum tantum exigit, quia ſatis coërceri viſum eſt menſorem, ſi dolus coërceatur hominis, qui ciuiliter non eſt obligatus. Hinc non tenetur ob imperitiam, aut negligentiam, quia ſibi imputare debet, qui talem adhibuit. Lata tamen culpa et hic dolo comparatur. Perinde quoque eſt, ſiue mercedem acceperit, ſiue gratis menſuram egerit. VLPIAN. *ibid. l. 1. §. 1. D. eod. tit.*

(e) RENVNCIASSEVE.] Is enim tenetur hac actione, qui RENVNCIAVIT. Renunciaſſe autem et eum accipere debemus, qui per alium renunciauit, vel per litteras. VLPIAN. *ibid. l. 1. §. 2. D. ſi menſ. falſ. mod.* PAVLL. *lib. XXV. ad edict. l. 2. pr. D. eod. tit.*

(f) *Cuius intereſt.*] Competit enim haec actio ei, cuius interfuit, falſum modum renunciatum non eſſe, hoc eſt, vel emtori, vel venditori, cui renunciatio obfuit. Non ergo emtori dabitur haec actio, qui, quod plus dedit, a venditore condicere poteſt, nec venditori, qui ex vendito conſequi poteſt, quod pretio deeſt. At tenebitur menſor, qui in iudicio adhibitus falſum renunciauit modum, effecitque eo ipſo, vt iudicio minus conſequerer. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l. 3. §. 1. 2. 3. 4. D. eod. tit.* Si menſor falſum modum non renunciauit, ſed traxit renunciationem,

BIU Cujas

uersus eum in factum actionem dabo. (g)

TIT. LVII.

AD EXHIBENDVM. (a)

(PAVLL.

nem, et ob hoc euenit, vt venditor liberetur, qui se modum intra certum diem promiserat adsignaturum, nec directae nec vtili huic actioni locus est, sed actioni de dolo. Si emtor cum venditore agit, mensorem etiam conuenire potest, sed tum demum consequuturus aliquid, si a venditore nihil consequitur. Quod si non de toto modo, qui deerat, cum venditore actum, sed de minore, de residuo cum mensore agi potest. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 5. *pr.* §. 1. D. *eod. tit.* Denique non est dubium, quin si qui pro mensore fideiusserit, eum ex arte mensuram acturum, ex iisque deinde aliquis conuentus contendat ceteros soluendo esse, etiam exceptio ei danda sit, *si non et illi soluendo sint.* Ita huc referendus textus celeberrimus PAVLLI *lib.* XXV. *ad edict. l.* 28. D. *de fideiussor.*

(g) *Actionem dabo.*] Haec actio heredi similibusque personis datur: sed in heredes similesque personas ex Pomponii sententia denegatur. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 3. §. 5. D. *eod.* Eamdem perpetuam esse, ait PAVLL. *lib.* XXV. *ad edict. l.* 4. D. *eod.* quia initium rei non a circumscriptione, sed a suscepto negotio originem acceperit.

(a) AD EXHIBENDVM.] Proximus fuit titulus de actione ad EXHIBENDVM, seu, vt a Plinio *Epist. V.* 11. adpellatur, *formula ad exhibendum.* Quamuis enim in Pandectis ille titulus locum proximum a tribus istis iudiciis diuisoriis occupet: in edicto tamen hic demum locum habuisse, satis ex eo patet, quod de isto VLPIAN. *libro* adhuc XXIIII. agit, PAVLLVS vero eumdem *libro* XXVI. exposuit. Vt enim ex posteriore manifestum est, titulum hunc proximum fuisse ab edicto de mensoribus, quod PAVLL. *lib.* XXV. fuerat interpretatus: ita ex priore consequitur, vt prior fuerit titulo de religiosis et sumtibus funerum, quem VLPIANVS *libro* XXV. enucleauit. Obseruarunt hoc etiam tum Hub. Giphanius *in Oeconom. iur. p.* 127. tum Iac. Gothofred. *in Serie edicti perp.* nisi quod

BIU Cujas

AD EXHIBENDVM (b) si agetur ab eo, qui rem iudicio petiturus est, (c) dum sua interfit,

hic eodem titulo Praetorem et *de actione ad exhibendum* et de *ventre inspiciendo* edixisse existimat: quod nemini probabile videbitur, cui haec edicta nihil commune habere compertum est. Simul vero patet, quam parum hic rem acu tetigerit Io. Goedd. *in Comm. de verbor. signif. p.* 455. qui Praetorem hic de iureiurando in litem edictum proposuisse suspicatur. Quo enim illa pertineant PAVLLI fragmenta, quae ipse ad iusiurandum in litem refert, mox adparebit. Verba edicti τυπικὰ non exstant: sed facile tamen integritati suae restituentur ex ipsa natura illius actionis, qualis ab interpretibus in tot fragmentis describitur. Et sane iam eius rei periculum fecit Ger. Noodt *in Comm. ad Pandect. h. t. p.* 243. qui tamen postremam clausulam de iureiurando in litem praetermisit. Vtilitatem eius edicti commendat VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 1. *D. ad exhib.* idque perneceſſarium, eiusque vim in vsu quotidiano esse ait, maxime tamen eam actionem propter vindicationes introductam esse monet.

(b) EXHIBENDVM.] Exhibere quid sit, quum aliunde, tum ex *l.* 2. *D. h. t.* constat, quacum iungenda, quae disseruit Menagius *Amoenit. iur. ciu. cap.* XXXVIIII. *p.* 284. Quum enim aliquando incertum sit, an, quam vindicaturi sumus, rem aliquis possideat: haec actio prodita est, in qua omnia nosse debemus, et DISCERE argumenta rei, de qua agimus. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 3. *pr. D. eod. tit.* Ita enim acute pro DICERE rescribit Corn. van Bynkershoek *in praef. Obseru.* Non iniquum autem esse, eum, qui rem meam possidet, illam mihi exhibere, vel id argumento est, quod possessor eo modo vtilitatem meam sine incommodo suo promouere potest, et praeterea, quod quisque rei meae habet, id eum mihi restituere oportet. Quod CELSVS *lib. V. Digest. l.* 32. *D. de reb. credit.* casu alio illustrat, subiicitque: *Quia pecunia mea ad te peruenit, eam mihi a te reddi bonum et aequum est.*

(c) *Petiturus est.*) Qui ad exhibendum agit, non vtique se domi-

sit, (d) neque ea res arbitrio iudicis exhibebitur (e) aduersus

dominum dicit, nec debet ostendere dominium, quum multae sint causſae ad exhibendum agendi. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 3. §. 1. D. *ad exhib.* Est ergo in se personalis quidem haec actio, sed ei competit, qui in rem acturus est, qualicumque in rem actione, veluti qui Seruiana vult experiri, vel vsumfructum petere, vel interdicto, vti, vel seruum aliamque rem, sibi legatam, optaturus, vel noxali acturus iudicio. Si quis extra heredem tabulas testamenti vel codicillos inspicere desiderat, non ad exhibendum agit, sed interdicto de tabulis exhibendis vtitur. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 3. §. 3. 8. D. *ad exhib.*

(d) *Dum sua interſit.*] Sciendum enim, ad exhibendum non modo agere eos, quos diximus, sed et quorum interest, de quo iudex summatim cognoscit. Id quod variis exemplis ostendit VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 9 - 14. *l.* 5. *pr.* §. 1. *et sequ. vsque ad* §. 5. D. *eod. tit.* Praeclare vero idem ex Pomponio monet, eius, qui ad exhibendum agit, vtroque tempore interfuisse oportere, rem ei restitui, puta, et tempore litis contestatae, et sententiae, quod et LABEONI placuisse testatur VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 7. §. 7. D. *eod. tit.* Ita et de eo exhibendo, quem quis in libertatem vindicare vult, huic actioni locus esse potest: PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 12. *pr.* D. *eod. tit.* modo constet, cui illa libertas testamento data sit. Quoties enim ex duobus eodem nomine seruis vnus liber esse iussus, nec adparet, qui sit, nullus liber est. PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 31. D. *de manumiss. testam.* Denique et nostra interesse videtur, vbi quid ex re nostra factum, veluti si quis ex vuis meis mustum, vel ex oliuis meis oleum, vel ex lana mea vestimenta fecerit. Quod enim ex re nostra fit, nostrum esse, verius est. PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 12. §. 3. D. *eod. tit.*

(e) *Arbitrio iudicis exhibebitur.*] Ad hunc locum monent interpretes, I. exhibendi obligationem cessare, si ea nullo modo fieri possit: veluti si seruus in fuga sit, vel morari ei permiseris, vbicumque velit, vel peregre eum ablegaueris: quo casu teneris saltim cauere: *te exhibiturum, si in potestatem tuam*

BIU Cujas

sus possidentem, (f) quanti ea res erit,

peruenerit. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 5. §. 6. *D. ad exhib.* Sed et tigni iuncti exhibitionem per leges XII. Tabularum fieri non posse, inter omnes constat. *Tigni* vero adpellatione omnis materia accipienda, non tamen rota alterius vehiculo apta, nec tabula armario, vel ansa scypho, vel emblema phialae, vel purpura vestimento, vel brachium statuae coaptata. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 7. *pr.* §. 1. 2. *D. ad exhib.* Deinde obseruant veteres II. rem in eadem caussa esse exhibendam, qualis fuerit tempore litis contestatae, id est, non vsucaptam, nec deteriorem redditam. Quo pertinet fragmentum VLPIANI *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 9. §. 5. 6. 7. D. *eod. tit.* Hinc porro disquirunt III. quo tempore et loco res sit exhibenda? Nam et si tardius res exhibeatur, aestimandum est damnum. VLPIAN. *ibid. l.* 9. §. 7. *l.* 11. *pr.* PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 10. D. *eod. tit.* Et res impensis actoris in loco, quo lis contestata ordinarie exhiberi debet, nisi aequitas aliud suadeat, VLPIAN. *ibid. l.* 11. §. 1. D. *eod. tit.* Denique IIII. disputant, quid iuris sit, si initio res plures exhiberi voluerit actor, reus vero, qui litis contestatae tempore omnes possedit, quasdam sine dolo desierit possidere? Nihilominus enim damnandum esse aiunt reum, nisi exhibeat res, quas possidet. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 11. §. 2. D. *eod. tit.*

(f) *Aduersus possidentem.*] Sciendum est, aduersus possessorem esse hac actione agendum, (quia actio est in rem scripta,) non solum eum, qui ciuiliter possidet, sed et eum, qui naturaliter possessioni incumbit. Vnde et creditorem, qui rem pignori accepit, teneri exhibere, scribit VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 15. D. *eod. tit.* Pro possessore vero habetur, qui et postea, heres factus, possidere coepit. IVLIAN. *lib.* VIIII. *Digest. l.* 8. D. *eod. tit.* itemque qui dolo possidere desiit. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 9. *pr.* §. 1. *ad* 4. D. *eod. tit.* Parum quoque interest, siue paterfamilias possideat, siue filiusfamilias, modo hic habeat facultatem restituendi. PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 12. §. 1. D. *eod. tit.* Quin et saepius aduersus possessorem ad exhibendum recte agitur, modo id fiat ex noua caussa. PAVLL. *ibid. l.* 12. §. 2. D. *eod. tit.*

BIU Cujas

erit, (g) iudicium dabo, (h) eoque nomine actorem contra eum, quem exhibere OPORTEBIT, (i) in litem iurare permittam. (k)

TIT.

(g) *Quanti ea res erit.*] Quomodo hic aestimandum sit id, quod interest, ostendunt VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 9. §. 8. *l.* 11. *pr.* et PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 10. D. *eod. tit.* Quid vero si ex. g. seruus exhibendus post iudicium acceptum mortuus sit? Interdum tamen reus damnandus erit, quanti actoris interfuit, si adpareat, eo casu mortuum esse hominem, qui non incidisset, si tum fuisset exhibitus. PAVLL. *ibid. l.* 12. §. 4. D. *eod. tit.*

(h) *Iudicium dabo.*] Iudicium hoc datur heredi, sed non qua heredi, sed quatenus interest. Competit etiam contra heredem, sed non qua talem, verum qua possidet. Tenetur etiam heres ex dolo defuncti, si locupletior facta sit hereditas. PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 12. §. 6. D. *eod. tit.* Nam et si in rem actum est, quamuis heres possessoris, si non possideat, absoluatur, tamen si quid ex persona defuncti commissum sit, omnimodo in damnationem venit. PAVLL. *ibid. l.* 42. D. *de rei vindic.*

(i) OPORTEBIT.] Vocabulum τυπικὸν, de quo PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 37. D. *de verb. signific. Verbum* OPORTERE *non ad facultatem iudicis pertinet, qui potest vel pluris vel minoris condemnare, sed ad veritatem refertur.* Nimirum vt recte obseruauit Ger. Noodt *in Comment ad Pand. p.* 250. aestimatio aliquando a iudice fit, aliquando ab actore. Ab actore quidem, si possessoris dolus aut contumacia accusetur, in infinitum. VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict. l.* 3. §. 2. D. *h. t.* a iudice vero, si tantum possessoris culpa sit, ex rei veritate. *l.* 4. §. *vlt. l.* 5. *pr. et* §. 3. D. *de in lit. iur.*

(k) *In litem iurare permittam.*] Id etiam fieri potest, si ex negotio stricti iuris nostra interest, rem exhiberi: quamuis alias, si ex stipulatu, vel ex testamento agatur, non solet in litem iurari. PAVLL. *lib.* XXVI. *ad edict. l.* 6. D. *de in lit. iurand.*

BIU Cujas

TIT. LVIII.

DE RELIGIOSIS ET SVMTIBVS FVNERVM. (a)

(VLPIAN.

(a) DE RELIGIOSIS ET SVMTIBVS FVNERVM.] Proximum fuisse hunc titulum, dubitare nos non patiuntur VLPIANVS et PAVLVS, nouos quippe Commentariorum libros hic auspicati, idque etiam Hub. Giphanius in *Oecon. iur. p.* 127. recte obseruauit. At Iac. Gothofredus *in Serie edicti perp.* inter titulos *ad exhibendum* et de *religiosis* medium fuisse existimat edictum illud prolixissimum de ventre inspiciendo, quod totum exstat in *l.* 1. *D. de ventre inspic.* Quin immo illud adpendicem fuisse putat edicti de actione ad exhibendum, cum quo tamen illud nihil commune habere, paullo ante ad initium tituli superioris obseruauimus. Et sane probabilis videri poterat haec Gothofredi diuinatio, quia VLPIAN. *lib.* XXIIII. *ad edict.* ceu ex illa *l.* 1. *D. de ventr. inspic.* patet, ex instituto egit de inspiciendo ventre custodiendoque partu, et prolixum, quod ea de re praetor proposuerat, edictum non modo totum proposuit, sed et more suo est interpretatus. Enimuero quisquis in Pandectis nostris titulos *de agnoscendis et alendis liberis*, *si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur*, itemque, *si mulier ventris nomine in possessione calumniae caussa esse dicetur*: statim deprehendet, in mendo cubare inscriptionem *l.* 1. *D. de inspic. ventr.* ibique pro VLPIAN. *lib. XXIIII. ad edict.* legendum esse *lib. XXXIIII.* quippe quo iureconsultus omnia illa edicta, quae ad ventrem pertinent, explicauit, vt plane non fiat verisimile, praetorem vicina illa edicta in loca tam dissita reiicere, vel titulo *ad exhibendum* laciniam tam nihil ad rem pertinentem adsuere voluisse. Itaque a Iac. Gothofredo hic discedere nulli dubitauimus. Ceterum ad hanc rubricam primo omnium exposuisse videntur interpretes, quae fuerint loca religiosa. Et hic notant, religiosum fieri locum cuiusque, in quem dominus intulerit mortuum, etiam seruum. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 2. *pr. D. de religios.* Quin et quae religiosis adhaerent, religiosa esse, veluti lapides sepulcro inaedificatos, qui

BIU Cujas

qui ideo non vindicari, sed actione in factum peti possunt. PAVLL. *lib. XXVII. ad edict. l.* 43. *D. de rei vindic.* Sepulcris autem adhaerebant varia, veluti simulacra et *signa Deorum*, *vrnae cum suis operculis*, *lychnuchi*, vti in marmore apud Reines. *Inscr. class. I.* 240. *scholae vrnarum* vel ollarum, id est, loca in quibus vrnae iusta serie dispositae, apud eumd. *class. XVI.* 53. quae et *hypogaea* et ollaria dicebantur. Gruter. *Inscript. pag.* 935. 9. Reines. *Inscr. Class. XI.* 100. Iisdem sepulcris iuncta erant *aedificia*, *agri*, *vineae*, ad eorum tutelam, et erogationes caenarum destinatae. Gruter. *pag.* 717. 7. 802. 8. 227. 5. 753. 4. 623. 8. 636. 12. 399. 1. 827. 6. Reines. *Class. VI.* 112. Adplicata etiam sepulcris *scalaria*, Reines. *Inscr. Class. VII.* 16. itemque *vstrina*, Id. *Insc. cl. XII.* 123. *XIV.* 19. *caenacula*, Gruter. *pag.* 383. 4. *arae*, Id. *p.* 706. 13. 708. 4. 721. 8. 807. 12. *armaria* denique, quorum mentio fit apud eumd. Gruter. *pag.* 383. 4. Omittimus iam pecuniam cum cadaueribus conditam, et thesauros sepulcrales, de quibus Plaut. *Poenul. act. I. sc.* 4. Phaedr. *lib. I. fab.* 27. et ex instituto Chifflet. *in Anastasi Childerici cap. III. p.* 50. *sequ.* Hinc vt eo minus fures inuitaret sepulcralis ille adparatus, in quo aliquando vel maxime hominum vanitas et stolida ostentatio elucebat, non solum illa *maceriis* cingere solebant, Reines. *Inscr. Class. VIII.* 75. *XII.* 37. sed et iisdem praeficere *aedituos*, qualis ille aedituus sepulcri Sergiae familiae, qui aedituauit ann. XII. apud Reines. *Class. V.* 53. Praeterea, vt in viam redeamus, obseruarunt interpretes veteres, nec sepulcra hostium esse religiosa: PAVLL. *lib. XXVII. ad edict. l.* 4. *D. de sepulcr. viol.* (quamuis hoc fragmentum etiam ad sequentem titulum referri possit,) nec cenotaphia, id est, sepulcra vacua et honoraria, qualia potissimum viris magnis et de republica insigniter meritis exstrui solebant. Vignol. *de columna Antonini cap.* 4. *pag.* 66. *sequ.* Quamuis enim et haec loca religiosa esse putet Marcianus, *l.* 6. *§. vlt. D. de rer. diuis.* fretus auctoritate Virgilii, qui *Aeneid. lib.* III *v* 301. *sequ.* de tumulo inani Hectoris canit:

Sollemnes tum forte dapes, et tristia dona
Ante vrbem, in luco, falsi Simoentis ad vndam,

Liba-

BIU Cujas

(VLPIAN. LIB. XXV. PAVLL. LIB. XXVII. IVLIAN. LIB. X.)

SI cineres vrna conditi, (b) SIVE HOMO MORTVVS, OSSAVE

Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem caespite INANEM
Et geminas, cassam lacrymis, sacrauerat aras.

similiaque habet de cenotaphio Palinuri *Aened. lib. VI. v.* 379. Deiphobi, *Aeneid. lib. VI. v.* 510. ac Nysi denique *Aeineid. lib. VIIII. v.* 213. Diuos tamen fratres, id est, Marcum et Lucium contra rescripsisse, auctor est VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 7. *D. de rer. diuis. et l.* 6. §. 1. *D. h. t.* Vnde mira eruditorum cura loca illa Mareiani et Vlpiani in concordiam reuocare adnitentium, quos iam non morabor, eos, quibus plura hac de re legere volupe est, remisisse contentus ad Iac. Gothofred. *diatriben de Cenotaphio* recusam *in Thesauro iur. ciuil. Tom. III. p.* 325. *sequ.* et Corn. van Bynkershoek. *Obseru. I.* 5. *p.* 28. Ceterum, vbi semel locum occupauerat religio, eum aliis vsibus adhiberi non potuisse, peruulgatum est, eamque in rem et SC. prodiisse, notat VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 12. §. 1. *D. de religios.* ne vsus sepulcrorum permutationibus pollueretur, id est, ne sepulcrum alienae conuersationis vsum acciperet.

(b) *Vrna conditi.*] Tale quid postulat vocabulum SIVE, a quo edictum auspicatur VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 2. §. 2. *D. de religios.* Nec dubitari potest, quin temporibus Hadriani conditique edicti perpetui adhuc cremari consueuerint cadauera. Vulgo enim eum ritum vsque ad Antoninorum tempora viguisse contendunt. Immo et post Antoninorum tempora in vsu istum fuisse ex instituto ostendit Ficorini *Osseruazioni sopra l'antichità di Roma p.* 61. cuius argumenta excerpserunt *Collectores Actor. Erud. Lipsi. anno* 1710. *p.* 116. Hinc quemadmodum sepulcra alia ius plurium, alia pauciorum ollarum habebant, et in quibusdam OLLAE SINGVLARES PERPETVAE V. alibi XV. alibi XXIIII. et plures numerabantur, Reines. *Inscript. Class. VI.* 60. 53. *XIV.* 145. *l.* 240. ita in aliis erant arcae vel lapideae, vel marmoreae ex lapide Tiburtino, Gruter. *Inscr. p.* 1108. 6. vel fictiles, *p.* 903. 12. vel ex Assio lapide, cuius ea vis erat, vt

BIU Cujas

SAVE HOMINIS MORTVI (c) IN LOCVM PVRVM (d) ALTERIVS

vt cadauera breui consumeret, vnde et *sarcophagus* dictus ille lapis Assius, eaque adpellatio deinde ad ipsas arcas translata est. Plin. *Hist. Natur. II.* 96. *et* XXXVI. 17. Cuiac. *Obseru.* XXI. 13. Isaac. Voss. *ad Pompon. Mel. l.* 18. Hinc alibi sita esse legimus OSSA, Gruter. *p.* 537. 7. *pag.* 862. 3. alibi CINERES, *pag.* 696. 5. alibi CORPVS INTEGRVM, CONDITVM SARCOPHAGO. *pag.* 688. 10. *et pag.* 689. 8.

(c) HOMINIS MORTVI.] Hinc nata quaestio, an et tunc locum occupare videatur religio, si monstrum ostentumue, vel eius ossa alicubi condita sint? VLPIANVS sane *lib.* XXV. *ad edict. l.* 38. D. *de verb. signif.* OSTENTVM cum Labeone definit, quod sit *omne contra naturam cuiusque rei genitum factumque*, simulque monet, duo esse eorum genera, *vnum*, quoties quis contra naturam nascatur, veluti tribus manibus, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quae naturae contraria sit: *alterum*, quum quid prodigiosum videatur, quae Graeci φαντάσματα, (alii perperam legunt φάσματα,) vocent. Vbi posteriore loco intelligit monstra seu prodigia vel portenta, veluti si hominis corpori caput vitulinum vel caninum innatum sit. Haec inter prodigia et signa imminentium malorum habuerunt veteres. Ita Iulius Obsequens *Prodig. cap.* 125. *turpes matronarum partus bonorum interitum mutationemque legum significasse*, ait, alibique inter prodigia refert puerum bicipitem, *cap.* 66. 88. manibus pedibusque destitutum, *cap.* 51. et quae sunt huius generis alia. Ceterum ita decidenda videtur quaestio proposita, vt religiosus sit locus, in quem ossa ostenti primi generis illata, non in quo monstrum vel portentum requiescit, quod pluribus *ad d. l.* 38. D. *de verb. signif.* ostendit Io. Goedd. *in Comment. num.* 15. *p.* 464. *sequ.* Neque tamen edicto id expresserat Praetor, quia ex his, quae forte vno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur. CELS. *lib. V. Digest. l.* 4. D. *de legib.*

(d) IN LOCVM PVRVM.] Puri loci adpellatio in hac actione et ad aedificium producenda est. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 8. §. 3. D. *eod. tit.* talisque est locus,

BIU Cujas

RIVS (e) AVT IN SEPVLCRVM, IN QVO IVS NON IVE-

RIT.

cus, qui neque ſacer eſt, neque ſanctus, neque religioſus, ſed ab omnibus huiuſmodi nominibus vacare videtur. Vbi vero iam corpus oſſaue hominis condita ſunt, ibi *ſepulcrum* eſſe dicitur. Id vero quod memoriae ſeruandae gratia alicubi exſiſtit, monimentum vocatur. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 2. §. 4. 5. 6. *D. eod.* Ibidem ex Celſo obſeruat iureconſultus, non totum locum ſepulturae deſtinatum religioſum eſſe, ſed quatenus corpus humatum ſit. Saepe enim ambitum aliquem circa ſepulcrum vacuum relinquebant, eoque pertinent illa in monimentis Romanis frequentiſſima : IN FR. P. X. IN AGR. P. XX. id eſt, *in frontem pedes X. in agrum pedes XX.* Vid. Horat. *Serm. I. ſat.* 8. *v.* 12. Quamuis ergo et id ſpatium eſſet locus religioſus : non tamen erat ſepulcrum, ex obſeruatione Iuuentii Celſi. Quid vero de itinere ad ſepulcrum, quod ſibi aliquando et per alienum agrum ſtipulabantur ad itum, ambitum, aditum, ad coronandum, ſacrificandum, veſcendum, quale ius conceſſum legimus apud Gruter. *Inſcr. pag.* 560. 5. *pag.* 864. 2. *p.* 662. 5. et *pag.* 1081. 1. Sane iter eiuſmodi et locus purus, nec religioſus fuiſſe videtur : at multis tamen priuilegiis gaudebat, veluti, quod contra eum, qui vendito loco ſepulcri, via illaturum prohibet, actio competat, eaque ſimul conceſſa praeſumatur. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 10. D. *de religioſ.* quod illud peti et concedi ſoleret precario, et ſi denegaretur, praeſes poſſeſſorem agri extra ordinem compellere poſſet. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 12. *pr.* D. *eod. tit.* quod denique non vſu numquam amitteretur. PAVLL. *lib. XXVII. ad edict. l.* 4. D. *quem adm. ſeruit. amitt.*

(e) ALTERIVS.] Qui mortuum in locum *alienum* intulit, vel inferri curauit, tenetur in factum actione, ſiue in agrum, ſiue in aedificium alienum intulerit. Itaque in factum agit dominus, non bonae fidei poſſeſſor. Praetor enim, dum dicit : IN LOCVM ALTERIVS, de domino loquitur, id eſt, de eo, cuius locus eſt. An vero et ſocius tenetur, qui ignorante ſocio intulit ? Tenetur omnino, ſed actione familiae erciſcundae vel

RIT (f), ILLATA ESSE (g) DICENTVR, QVI ID FECERIT, IN FACTVM

vel communi diuidundo; non hac in factum actione. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 2. §. 1. D. *de religios.*

(f) IVS NON FVERIT.] Hic campus fuit latissimus, in quem excurrerent interpretes. Disputandi enim fuit occasio, cui ius sit inferendi mortuum? Non sane vsufructuarius inuito proprietario, nec proprietarius inuito vsufructuario, nisi intulerit eum, qui vsumfructum legauit, et non sit locus sepulcri commodior. Nec magis locus, qui seruit, religiosus fieri potest, nisi is, cui debetur seruitus, aeque commode vti seruitute possit. Is, qui pignori dedit fundum, suum mortuum in eum inferre, immo et ipse mortuus eo inferri, nec tamen id ius aliis concedere potest. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 2. §. 7. 8. 9. D. *eod. tit.* nisi creditor consentiat. PAVLL. *lib.* XXVII. *ad edict. l.* 3. D. *eod. tit.* Heres et prius, quam adeat hereditatem, testatorem inferens, locum facit religiosum, maxime si inferat in locum, quem ipse sepulcro suo destinauit, et alius in promtu non sit commodior. VLP. *ibid. l.* 4. D. *eod. tit.* Si sepulcrum fuerit hereditarium, non modo heredes et ceteri successores in illud recte inferuntur, verum etiam liberi emancipati, quamuis non sint heredes, immo et exheredati, nisi specialiter testator, iusto odio commotus, inferri vetuerit. Quod ad libertos attinet, ii nec sepeliri, nec alios inferre possunt, nisi heredes patrono exstiterint, etsi vel maxime monimento inscripserit patronus, se SIBI LIBERTISQVE SVIS FECISSE, qualia monimenta passim occurrunt apud Gruterum, Reinesium, aliosque, veluti illud apud Reines. *Inscr. Class. XVI.* 46.

L. VOLVMNIO. FORTVNATO.
ET. IVLIAE. TYRANNIDI.
A. FABRICIVS. ONESIMVS.
VIA. APPIA. INTER. II. ET. III.
MILIAR. ADITVM. AMBITVM. INTROITVM. OSSA. REPONERE. LICEAT. SIBI. ET. POSTERIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. EORVM.

Ita et Papinianus rescripsit, et saepissime responsum est. VLPIAN. *ad edict. l.* 6. *pr.* D. *eod. tit.*

(g) ILLATA ESSE.] De ea autem illatione Praetor sensit, quae sepulturae caussa fit. VLPIAN. *ibid. l.* 2. *§.* 3. D. *eod. tit.* Quemadmodum autem re-

FACULTÉ DE DROIT PARIS BIBLIOTHÈQUE

BIU Cujas

FACTVM ACTIONE (h) TENEATVR, ET POENAE PECVNIARIAE SVBIICIATVR.

§. I. Si locus religiosus pro puro venisse dicetur, ei, ad quem ea res pertinebit, aduersus venditorem in factum actionem dabo. (i) §. II.

ligiosum non fit caenaculum vel cubiculum, in quo mortuus ante sepulturam reponitur: ita nec locus purus, in quem illatum est cadauer, antequam ei iusta fiant, non vt ibi requiescat, sed vt ad exsequias vsque ibi custodiatur.

(h) IN FACTVM ACTIONEM.] Ad tollendum cadauer, locique pretium restituendum. Ossa tamen, quae ab alio illata sunt, vel corpus non licet domino loci effodere, vel eruere sine decreto pontificum, seu iussu principis, ceu Labeonis testimonio probat VLP. *ibid. l.* 8. *pr.* D. *h. t.* Exempla sunt apud Plin. *Epist. X.* 73. et Gruter. *Inscript. pag.* 578. vbi RELLIQVIAE TRAIECTAE III. NON. FEBR. EX PERMISS. COLLEGII PONTIFICVM PIACVLO FACTO. Sed quum Plinius, Bithyniae praeses, eo nomine Traiani iussum exspectaret, ille rescripsit *epist.* 74. *Durum est, iniungere necessitatem prouincialibus pontificum adeundorum, si reliquias suorum propter aliquas iustas causas transferre ex loco in alium locum velint. Sequenda ergo potius tibi exempla eorum, qui isti prouinciae praefuerunt, et ex causa cuique ita aut permittendum aut negandum.* Quam potestatem et Antoninum Rectoribus prouinciarum dedisse, animaduertimus ex *l.* 1. *C. de religios.* Ceterum non domino tantum haec in factum actio competit, verum et ei, qui vsumfructum eiusdem loci habet, vel aliquam seruitutem, quia hi et ius prohibendi habent. VLPIAN. *Lib. XXV. ad edict. l.* 8. §. 4. D. *eod. tit.* Non solum autem ei, cuius in locum purum illatus est mortuus, actio in factum datur, verum etiam ei, qui prohibetur inferre in eum locum, in quo ei ius inferendi est, quamuis optio sit ei, hac actione, an interdicto de mortuo inferendo experiri malit. VLPIAN. *ibid. l.* 8. §. 5. *D. eod. tit.* nisi locus monimenti ea lege venierit, ne in eum ossa inferrentur, quo ius est inferri. Quamuis stipulatione hic sit opus, neque nuda ad hoc pactio sufficiat. PAVLL. *Lib. XXVII. ad edict. l.* 11. *D. eod. tit.*

(i) *Actionem dabo.*] Seruauit nobis huius edicti sententiam VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 8. §. 1. *D. de religios.* dum scribit: *Si locus religiosus pro puro venisse dicetur*, PRAETOR *in factum actionem*

BIU Cujas

§. II. Qui hominem mortuum, ossaue hominis mortui dolo malo in locum publicum inferet, in eum, quanti ea res erit, in factum iudicium dabo, vel extra ordinem animaduertam. (k)

§. III. QVOD FVNERIS CAVSSA (l) SVMTVS FACTVM ERIT, EIVS RECIPERANDI NOMINE IN EVM, AD QVEM EA RES PERTINET (m), IV-

nem in eum dat ei, ad quem ea res pertinet, quae actio et in heredem competit, quum quasi ex emto actionem contineat.

(k) *Animaduertam.*] Huius quoque edicti sententiam debemus VLPIANO *lib. XXV. ad edict. l.* 8. §. 2. D. *eod. tit. Si*, inquit ille, *in locum publicis vsibus destinatum intulerit quis mortuum:* PRAETOR *in eum iudicium dat, si dolo fecerit: et erit extra ordinem plectendus, modica tamen coërcitione, sed si sine dolo, absoluendus est.* Vnde miror, Ger. Noodt, qui hunc locum obseruauerat, in restituendo hoc edicto nullam doli mali facere mentionem. Ceterum locum hunc egregie illustrat Cicero *de Legib. lib. II. cap.* 23. vbi *decretum esse* ait *a pontificum collegio, non esse ius in loco publico fieri sepulcrum*, et hinc eos *iussisse sepulcra ad aedem honoris extra portam Collinam exarari*, statuisseque, *locum publicum non potuisse priuata religione obligari.*

(l) FVNERIS CAVSSA.] Videri poterat heres, nondum adita hereditate, nullo modo obligatus esse ad sumtus funeris restituendos. Sed fundamentum actionis funerariae omnium optime ostendit PAVLL. *lib.* XXVII. *ad edict. l.* 138. *pr. D. de regul. iur.* dum proponit regulam; *Omnis hereditas, quamuis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.* Itaque ex iusta caussa propositum est hoc edictum, vt, qui funerauit, persequatur id, quod impendit. Sic enim fieri, ne insepulta corpora iaceant, neue quis de alieno funeretur, ait VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 12. §. 3. *D. de religios.*

(m) EA RES PERTINET.] Funus eum facere decet, quem decedens elegit, qui tamen poenam ob hoc officium omissum non patitur, nisi illi eo nomine aliquid relictum sit, quod tunc amittit. Si ea de re non cauit defunctus, scriptos heredes ea res contingit: nemine vero scripto legitimos, vel cognatos, quosque suo ordine, quo succedunt. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 12. §. 4. *D. eod. tit.* Tenentur etiam ad funerandum bonorum possessores, et ceteri successores. VLPIAN. *ibid. l.* 14. §. 17. *D. eod. tit.* quia hereditatis adpellatione bonorum quoque

BIU Cujas

possessio continetur. PAVLL. *lib. XXVII. ad edict. l.* 138. *D. de verb. signif.* Si cui funeris curam mandarit testator, et is funus, accepta pecunia non duxerit, de dolo in eum dandam esse actionem, MELA scripsit. Extra ordinem tamen eum a praetore compellendum, vt funus ducat, credit VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 14. *§.* 2. *D. eod. tit.* Vxorem sepeliunt, qui dotem recipiunt. Aequissimum enim visum est veteribus, mulieres, quasi de patrimoniis suis, ita de dote funerari. Siue ergo pater, siue maritus dotem lucretur, is funeris impensas ferre tenetur. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 16. *D. eod.* quia impensa funeris aes alienum dotis est. IVLIAN. *lib. X. digest. l.* 18. *D. eod. tit.* De qua quaestione, quatenus maritus et pater ex dote ad funerandum teneantur, et an inde prius legata, pretia manumissorum, aes alienum deduci oporteat? item an non maritus ex dote funeris impensas submministrans gaudeat beneficio competentiae? disputant pluribus VLPIAN. *lib.* XXV. *ad edict. l.* 20. *l.* 22. *l.* 24. *l.* 27. *D. de religios.* PAVLL. *lib.* XXVII. *ad edict. l.* 21. *l.* 23. *l.* 25. *D. eod. tit.* qui et *ibidem l.* 32. *§.* 1. *D. eod. tit.* eleganter ex LABEONE obseruat, viro et vxore eodem tempore commorientibus, in heredem viri pro portione dotis dandam esse hanc actionem, quoniam id ipsum dotis nomine ad eum peruenerit. Filiusfamilias a patre funerandus, nisi miles sit, et habeat peculium castrense. Tunc enim successores eius ante tenentur, et sic deinde ad patrem venitur. Seruum quoque a domino funerandum, ac proinde aduersus hunc etiam competere actionem funerariam, obseruat VLPIAN. *ibid. l.* 31. *pr. §.* 1. *D. de religios.*

(n) IVDICIVM DABO.] Agit ergo hic, quisquis impensas funeris fecit, non tantum coheres, qui familiae erciscundae actione sumtus recuperat, nec qui mandatu heredis, quia mandati actionem habet, quamuis qui prohibente herede funerauit, aut quasi negotium heredis gessit, omnino hanc actionem ex iusta causa habeat. VLPIAN. *ibid. l.* 14. *§.* 12. 13. 14. 15. 16. *D. eod. tit.* Etiam possessor hereditatis, qui se heredem putauit, hanc actionem habet, ceu contra PREBATIVM et TROCVLVM defendunt VLPIAN. *lib.* XXV. *ad edict. l.* 14. *§.* 11. *D. eod. tit.* et PAVLL. *lib.* XXVII. *ad edict. l.* 32. *pr.* D. *eod. tit.* Nec hanc actionem habet, qui pietatis causa

BIU Cujas

sa funerauit, nisi testato professus sit, se id eo animo non facere. VLP. *lib.* XXV. *ad edict. l.* 14. §. 7. 8. 9. D. *eod. tit.* Datur deinde haec actio contra eos, ad quos funus pertinet, vt puta aduersus heredem bonorumue possessorem, ceterosque successores, veluti patronos, et ad quos dotis nomine quid peruenit. VLPIAN. *ibid. l.* 14. §. 17. D. *de religios.* Denique datur ad recuperandas funeris impensas: vbi veteres notant, sumtus funeris caussa videri factos, quibus funus ductum, et sine quibus funus duci non potuerit, veluti si quid impensum in delationem mortui, in locum sepulcri, in translationem hominis peregre mortui, in custodiendum commundandumue (ita cum Charonda lego pro *commendandum*) corpus, item in marmor, vel vestem. VLPIAN. *ibid. l.* 14. §. 3. 4. *D. eod. tit.* Iidem obseruant, sumtus funeris arbitrandos esse pro facultatibus et dignitate defuncti, adeoque id, quod immodice impensum non recuperari: VLPIAN. *ibid. l.* 12. §. 5. *l.* 14. §. 6. D. *de religios.* quia et qui negotia aliena gerit, si plus, quam oportet, impendit, recuperat tantum id, quod praestare debebat. PAVLL. *lib.* XXVII. *ad edict. l.* 27. D. *de negot. gest.* nec oportere ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt. VLPIAN. *ibid. l.* 14. §. 5. D. *de religios.* Monent tamen praeterea, ne modicum quidem sumtum semper admissum iri, si forte in contumeliam defuncti hominis locupletis modicus factus sit. VLPIAN. *ibid. l.* 14. §. 10. *D. eod. tit.* Denique docent iuris auctores, praetorem vel magistratus municipales ad funus sumtus decernere debere, et ex pecunia quidem, si talis in hereditate sit; si non sit, distrahi debere ea, quae tempore peritura sint; si ne id quidem, quod auri argentique fuerit distrahendo oppignorandoque, pecuniam expedire. Si quis impediat ementem, quo minus res tradantur, praetorem interuenire, et factum huiusmodi tueri debere. Ad funerandum colonum vel inquilinum inuecta illataque distrahuntur, et, quod demum superfluum est, pro pensione tenetur. Quin et ad legata manus mittitur, si sumtus desint. Res vero hoc modo distractae, adita postea hereditate, emtori non sunt auferendae, quippe iam bonae fidei possessori et domino, qui auctore Praetore comparauit. VLPIAN. *lib.* XXV. *ad edict. l.* 12. §. 6. *l.* 14. *pr.* §. 1. D. *de religios. l.* 137. D. *de regul.*

TIT. LVIIII.

DE SEPVLCRO VIOLATO (a).

CVIVS DOLO MALO (b) SEPVLCRVM (c) ESSE VIOLATVM DICETVR (d), IN EVM IN FACTVM IVDICIVM DABO, VT EI,

regul. iur. l. 50. D. *de euiction.* Ceterum haec actio non est annua, sed perpetua, et heredi ceterisque successoribus, et in successores datur, teste VLPIAN. *lib.* XXV. *ad edict. l.* 31. §. 2. D. *de religios. et sumt. fun.*

(a) DE SEPVLCRO VIOLATO.] Proximum superiori fuisse edictum de *sepulcro violato*, nec Hub. Giphanius, nec Iac. Gothofredus obseruauit. Et tamen id manifestum est ex *l.* 3. D. *de sepulcr. viol.* vbi ipsum edictum integrum, eiusque interpretationem habemus. Desumtum enim est illud fragmentum ex eodem VLPIANI *lib.* XXV. *ad edict.* quo et titulum de religiosis et sumtibus funerum interpretatus fuerat. Praeterea et PAVLLVM *lib.* XXVII. *ad edict.* et IVLIANVM *lib.* X. *Digestorum* de religiosis et de sepulcro violato egisse, ex *l.* 4. *et l.* 6. D. *de sepulcr. viol.* discimus. Ipsa edicti verba, vti diximus, exstant in *l.* 3. *pr. D. h. t.* ad quae interpretum fragmenta, quae supersunt, singulis locis, more nostro, aptabimus.

(b) DOLO MALO.] Prima haec verba ostendunt, eum demum ex hoc edicto plecti, qui dolo malo violauit. Si igitur dolus absit, cessabit in eius persona poena. Igitur doli non capaces, vt admodum impuberes, item omnes, qui non animo violandi accedunt, excusati sunt. VLPIAN. *lib.* XXV. *ad edict. l.* 3. §. 1. D. *de sepulcr. viol.* et hinc facile intelligitur, quid sibi velit formula apud Reines. *Inscript. Class.* XV. 25. HVIC MONIMENTO DOLVS MALVS ABESTO.

(c) SEPVLCRVM.] Sepulcri appellatione omnem sepulturae locum contineri existimandum est. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 2. D. *de sepulcr. viol.* non tamen hostium, ex quibus lapides in quemlibet vsum convertere possumus, nec sepulcri violati actio competit. PAVLL. *lib.* XXVII. *ad edict. l.* 4. D. *eod. tit.* Quamuis etiam religiosis, quae adhaerent, religiosa esse viderentur, non tamen sepulcri violati, sed iniuriarum, filio agendum est ex sententia LABEONIS, si statua patris, in monimento posita, saxis caesa sit. PAVLL. *ibid. l.* 27. D. *de iniur.*

(d) VIOLATVM ESSE DICETVR.] Quum veteres sibi persuaderent

rent, manes defunctorum sepulcris inerrare, et eorum vel maxime interesse, nihil ibi irreligiosius a quoquam fieri: non mirum est, eos nullo modo violari voluisse mortuorum conditoria, et non modo priuatis obtestationibus, imprecationibus atque exsecrationibus, sed et legibus publicis sepulcrorum securitati consulere studuisse. Ita in monimentis legimus, poenam, soluendam in arcam Pontificum, indici illis, qui sepulcrum vendiderint, donarint, vel quocumque titulo acceperint. Reines. *Inscr. Classe VIIII. ex.* 1. *XII. ex.* 12. 37. Gruter. *pag.* 1139. 12. *pag.* 946. 6. *et pag.* 652. 8. vel qui monimento manus intulerint. Reines. *lib. XVII.* 172. Alibi occurrunt obtestationes: NEMO NOS INQVIETET. Reines. *Inscr. class. XII. ex.* 60. item: TE, QVICVMQVE TITVLVM NOSTRVM RELEGES, ROGO PER SVPEROS, SIC VT AD INFERNAS PARTES RECIPIARIS, NE VELIS TRIBVS SEPVLCRIS MOLESTARI. Reines. *Inscr. cl. XIIII. ex.* 33. Dira est imprecatio illa C. Iulii C. L. Barnei apud Reines. *cl. XVII. ex.* 168. OLLAM EIVS SI QVI INVIOLAVERIT, AD INFEROS NON RECIPIATVR. Aliquando et aliorum imploratur defensio, veluti apud *Heineccii Opusc. postum.* Reines. *class. XVII.* 170. ROGO PER SVPEROS, QVI ESTIS; OSSA MEA TVEATIS. Mirae aliquando sunt exsecrationes in monimentis. Apud Gruter. *pag.* 667. 10. legimus:

LAESERIS HVNC TVMVLVM SI QVISQVAM, IN TARTARA PERGAS,
ATQVE EXPERS TVMVLI, LAESERIS HVNC TVMVLVM.

Quid? quod ne Christiani quidem, quod mireris, ab his imprecationibus abstinuerunt. Apud Bosium enim in *Roma subterr. p.* 436. et Aringh. *lib. IIII. cap.* 27. *fol.* 78. non sine horrore legeris:

MALE PEREAT. INSEPVLTVS IACEAT. NON RESVRGAT. CVM IVDA PARTEM HABEAT. SI QVIS SEPVLCRVM HVNC VIOLAVERIT.

et apud Reines. *Inscr. XX.* 441.

QVISQVIS.
HOC SVSTVLERIT.
AVT LAESERIT.
VLTIMVS. SVORVM. MORIATVR.

Hoc enim miserrimum videbatur, indefletum ab omnibus, et vltimum suorum mori. Senec. *Controu. V.* 1. Quinctil. *Declam. XII.* Ita priuatim sepulcrorum

BIU Cujas

EI, AD QVEM PERTINEAT (e), QVANTI OB EAM REM AEQVVM VIDEBITVR, CONDEMNETVR (f). SI NEMO ERIT, AD QVEM PERTINEAT, SIVE AGERE NOLET, QVICVMQVE AGERE VOLET, EI CENTVM AVREO-

suorum securitati consulebant. Huic vero moribundorum voto et leges suffragabantur publicae. Hinc et heres poterat sepulcri violati teneri, si mortuum contra voluntatem testatoris, in sepulcrum hereditarium licet, intulisset. Multoque magis tenebatur, qui ossa tetigerat, traieceratque sine permissu pontificum. non perpetuae tamen sepulturae tradita corpora transferri poterant ex edicto Diui Seueri, quo et id continetur, ne corpora detinerentur aut vexarentur, aut prohiberentur per territoria oppidorum transferri. Non tamen violati sepulcri actio locum habuisse videtur, si quis intra vrbem sepeliuerit. D. enim Hadrianus rescripto poenam XXXX. aureorum statuerat in eos, qui in ciuitate sepeliuerint, ac tantumdem in magistratus, qui id fieri passi sint, praetereaque locum publicari et corpus transferri iusserat. Quam sanctionem et in municipiis obtinere existimat VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l. 2. §. 3. 4. 5. D. de sepulcr. viol.* si vel maxime lex municipalis permittat, mortuos intra ciuitatem sepeliri.

(e) AD QVEM PERTINEAT.] Sepulcri enim actio in primis datur ei, ad quem res pertinet. Quo cessante, si alius egerit, quamuis reipublicae caussa abfuerit dominus, non debebit aduersus eum, qui litis aestimationem sustulerit, ex integro dari. Nec potest videri deterior fieri conditio eius, qui reipublicae caussa abfuit, quum haec actio non ad rem familiarem eiusdem, sed magis ad vltionem pertineat. IVLIAN. *lib. X. digest. l. 6. D. de sepulcr. viol.* Ex quo et facile colligas, qua occasione de tutore reipublicae caussa absente tam prolixe actum sit ab VLPIANO *lib. XXV. ad edict. l. 9. D. de tutel. et ration. distrah.*

(f) CONDEMNETVR.] Qui enim de sepulcri violati actione iudicant, aestimabunt, quatenus interest, scilicet ex iniuria, quae facta est, item ex lucro eius, qui violauit, vel ex damno, quod contigit, vel ex temeritate eius, qui

BIU Cujas

AVREORVM ACTIONEM DABO (g). SI PLVRES AGERE VOLENT, CVIVS IVSTISSIMA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, EI AGENDI POTESTATEM FACIAM. (h)

§. I. SI QVIS IN SEPVLCRO DOLO MALO HABITAVERIT (i), AEDIFICIVMVE ALIVD, QVAM QVOD SEPVLCRI CAVSSA FACTVM SIT, HABVERIT, IN EVM,

qui fecit: numquam tamen minus debent condemnare, quam ſolent extraneo agente. Et hinc, ſi ad plures ius ſepulcri pertinet, non modo ei, qui occupauit, haec actio datur, ſed et omnibus, quia in id, quod vniuſcuiuſque intereſt, agitur. Quin et, ſi is, cuius intereſt, ſepulcri violati agere nolit, poteſt tamen, ſi poeniteat, neque lis ab alio conteſtata ſit, actionem inſtituere. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 3. §. 8. 9. 10. *D. de ſepulcr. viol.* Nonnumquam et ſeuerius in eum, qui ſepulcrum violauit, animaduertitur, veluti ſi quis cadauera ſpoliarit, maxime, ſi manu armata id facere ſuſtinuerit, eo caſu vero, quando ſine armis ſpoliarunt, in metalla dantur. VLPIAN. *ibid. l.* 3. §. 7. *D. eod. tit.*

(g) CENTVM AVREORVM ACTIONEM DABO.] Quid vero, ſi noua temeritate ſepulcrum aliud quis violarit? Reſpondet PAVLVS *lib. XXVII. ad edict. l.* 138. §. 1. *D. de regul. iur. numquam creſcere ex poſtfacto praeteriti delicti aeſtimationem.* Quam regulam accurate explicat Iac. Gothofred. *in Comment. ad d. l.* 138. §. 1. *D. de regul. iur.*

(h) POTESTATEM FACIAM.] Pluribus agere volentibus is praefertur, cuius maxime intereſt, etiam mulier et pupillus, modo interſit. Nam mulieri et pupillo actiones populares non dantur, niſi quum ad eos res pertinet. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l.* 6. *D. de popul. action.*

(i) DOLO MALO HABITAVERIT.] Habitabant aliquando in ſepulcro liberti et ſerui, qui non tenebantur ſepulcri violati actione, ſi nimirum aedituorum vice fungerentur, vel alias eiuſmodi operas praeſtarent, vt patet exemplo, quod paullo ante attulimus, aeditui Sergiae familiae, qui aedituauerat annos XII. At ſi quis dolo malo in ſepulcro habitaſſet, ei, qui volebat, agendi poteſtas

BIU Cujas

EVM, SI QVIS EO NOMINE AGERE VOLET, DVCENTORVM AVREORVM IVDICIVM DABO. (k)

erat. VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l. 3. §. 6. D. de sepulcr. viol.* Si seruus in sepulcro habitabat, vel aedificauerat, noxalis actio cessabat, et in ipsum animaduertebat praetor. Sin non ibi habitaret, sed domunculam ibi haberet, noxale iudicium non denegabatur. VLPIAN. *ibid. l. 3. §. 11. D. eod. tit.*

(k) IVDICIVM DABO.] Quam actionem popularem esse, obseruat VLPIAN. *lib. XXV. ad edict. l. 3. §. 12. D. de sepulcr. viol.*

PARTIS II. EDICTI FINIS.

BIU Cujas

IO. GOTTL. HEINECCII, IC.

OPVSCVLORVM
POSTVMORVM
TOMVS III.

LIBROS ALIQVOT
VETERVM IVRECONSVLTORVM
ORDINI SVO RESTITVTOS
TRADENS.

BIU Cujas

BIU Cujas

SERIES
LIBRORVM LXXXX. DIGESTORVM
SALVII IVLIANI.

PARS I.

AD EDICTVM.

LIB. I. DE IVRISDICTIONE.

Praefatio *aduersus eos, qui quid aduersus edictum admiserint.*

Tit. I. De actione danda vel deneganda a praetore.

§ Non potest praetor cogere legatos municipales, vt apud se iudicium suscipiant, ne impediatur legatio. Etiamsi hereditatem adierint Romae, tamen non competit in eos actio. Nisi tamen satisdent, legatarii mittuntur in possessionem rerum hereditariarum. Rationem huius iuris reddit Iulianus l. 27. de iudic.

§ Cogitur tamen et legatus accipere iudicium, si aliquid tempore legationis emerit, vel ex alia caussa possidere coeperit, ne ei potestas detur, res alienas domum auferendi. l. 25. eod.

§ Ita et recte praetor actionem dat aduersus legatum, et quemcumque suae iurisdictioni non suppositum, si consentiat. Vbi tamen consensisse non censetur, qui errauit. * *l. 2. pr. D. de iudic.* ** *l. 15. D. de iurisd.*

§ Actio contra non danda et aduersus eos, qui iurisdictioni praetoris subiecti sunt, si appareat, nullum esse agendi fundamentum. Veluti, si aduersus eum, qui rem custodiendam accepit, agatur ad damnum iniuria tertii datum praestandum. l. 19. commod.

Tit. II. *De magistratibus municipalibus, eorumque potestate et officio.*

Tit. III. *De modo iurisdictionis eorum.*

Tit. IIII. *De vadimonio.*

Tit.

BIU Cujas

Tit. V. *De vindiciis secundum possessorem dandis.*
Tit. VI. De iurisdictione mandata, et iudice dando.
§ Iurisdictionem mandat, qui eam suo iure, non qui alieno beneficio habet. l. 5. de iurisd.
§ Magistratus dat iudicem, qui de facto cognoscat. Quid vero si Caesar rescripserit: Eum, qui prouinciae praeest, adire poteris? Nihilominus aestimabit, ipse cognoscere, an iudicem dare debeat. l. 8. de offic. praes.

LIB. II. DE FORMVLA IVRISD. EDENDO ET PACTIS.
Tit. I. *De formula iurisdictionis, deque albo praetoris.*
Tit. II. *De edendo.*
Tit. III. *De pactis.*
Tit. IIII. De in ius vocando.
§ Si ex noxali causa agatur, satisdandum: *seruum noxis solutum praestari.* Ea tamen stipulatio non pertinet ad noxas, quae publicam et capitalem habent coercitionem. l. 200. de V. S.
§ De eo, per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat, ex instituto agitur l. 3. de eo, per quem fact. er. quo min.
Tit. V. *Qui neque sequantur, neque ducantur.*
Tit. VI. *De postulando.*
Tit. VII. *De his, qui not. infamia.*
Tit. VIII. *De forma agendi.*
Tit. VIIII. *De plus petendo.*
Tit. X. De cautione iudicio sisti, et vadimonio deserto.
§ Ad hunc quoque titulum pertinere potuerunt, quae ad tit. 4. retulimus.
Tit. XI. *De dote, de muliere, abesse, amisisse.*

LIB. III. DE IIS, PER QVOS AGERE POSSVMVS.
Tit. I. *De cognitoribus.*
Tit. II. De Procuratoribus.
§ Cogenduſne sit procurator defendere, an sufficiat, propter rem non defensam stipulationem committi. Prius adfirmat Iulianus * *l. 35. D. de procur.*
§ Si procurator emtoris postulauerit a venditore, vt ab eo defendatur, venditor potest desiderare sibi caueri de rato, quia si fundum agenti restituerit, dominus ab eo rem pete-
re

BIU Cujas

re posset, et venditor eum rursus defendere cogeretur. l. 75. de procur. Exceptio enim rei iudicatae locum tantum habet, quoties eadem quaestio inter easdem personas reuocatur. * *l. 3. D. de exc. rei iud.*

Tit. III. *Quod vniuersitatis cuiusque nomine vel contra eam agitur.*

Tit. IIII. De negotiis gestis.

§ Quando ex negotiorum gestione vtrinque nascatur actio. l. 6. de neg. gest.

§ Actionem negotiorum gestorum habet curator contra subcuratorem sibi constitutum, si damnum ex eius dolo sentiat, modo fraudis non sit conscius. l. 30. D. de neg. gest. Doli enim conscii adeo non fauent leges, vt et is, cui metus caussa res tradita est, eam non modo reddere, sed et de dolo repromittere teneatur. * *l. 9. §. 5. quod met. causs.*

§ Si ex duobus sociis alter me administrare prohibeat, alter non: aduersus non prohibentem datur actio negotiorum gestorum, sed ita, vt, qui prohibuit, nullo modo inde damnum sentiat. ** *l. 8. §. 3. D. de negot. gest.*

Tit. V. *De calumniatoribus.*

LIB. IIII. DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS ET RECEPTIS.

Tit. I. De dolo malo.

§ Datur actio de dolo etiam aduersus seruum, si minorem fraude circumuentum adduxit ad vendendum, et postea manumissus est. ** *l. 7. de dol. mal.*

Tit. II. De metu.

§ Qui vi coactus fideiussit, an teneatur? * Paull. ad Iulian. Lib. IIII. Digest. * *l. 11. quod met. causs.*

§ Si debita pecunia per vim accepta facta est, nisi vel soluatur, vel restituta actione iudicium accipiatur, is, qui acceptum ferre coëgit, in quadruplum condemnandus erit. * *l. 9. §. 7. eod.*

Tit. III. De minoribus 25. annis.

§ Minor potest restitui, etiamsi cum filiofamilias maiore contraxerit. * *l. 11. §. 7. de minor.*

Tit. IIII. *De capite minutis.*

Tit. V. *De eo, quod falso tutore gestum.*

Tit. VI. Ex quibus caussis maiores 25. ann. in integr. restit.

§ Militi vt succurratur, fuse docetur ** *l. 17. quib. ex causs. mai.*

BIU Cujas

§ Quantum restituatur, si ob ferias extraordinarias completa vsucapio. * *l.* 26. §. 7. *eod.*

§ An et hereditatis petitori datur restitutio, si possessor hereditatis siue b. f. siue praedo a debitoribus exegit debita, eaque petitori hereditatis soluit? Neg. * *l.* 25. §. 17. *de hered. petit.*

§ Restitui etiam potest creditor agens cum filio praeterito, si submotus sit exceptione, quod ex tabulis bon. possessionem accipere nequeat. l. 15. de Olling. et Act. * *l.* 2. *de except. rei iud.*

Tit. VII. *De alienatione iudicii mutandi caussa facta.*

Tit. VIII. *De temporibus in integrum restitutionum.*

Tit. VIIII. De receptis, qui arbitrium receperunt.

§ Si ab vno tantum heredum nomine compromissum, non ab vtroque: vno mortuo aeque soluitur compromissum, ac si neuter nomine heredum compromiserit. l. 49. §. 2. de recept.

§ Si compromissum vt praesente vtroque sententia dicatur; vno decedente, et relicto pupillo herede, non videbitur dicta sententia, nisi tutoris auctoritas interueniat. l. 47. eod.

§ Idem dicendum, si alteruter compromittentium furere coeperit. l. 47. eod. l. 49. pr. eod. * *l.* 27. §. 5. *eod.*

§ Arbiter potest partes vel per nuncium vel per epistolam vocare. l. 49. §. 2. eod.

§ Non tamen in prouinciam si Romae compromissum. * *l.* 21. §. 10. *eod.*

§ Non potest cogi arbiter ad dicendam sententiam, si vnus bonis cessit. * *l.* 17. *pr. D. eod.*

§ Nec si ita compromissum, vt certam sententiam dicat. * *l.* 19. *pr. eod.*

Tit. X. *Nautae, caupones, stabularii, vt recepta restituant.*

Tit. XI. *De satisdando.*

LIB. V. DE IVDICIIS.

Tit. VII. De iudiciis.

§ Iudex non est magistratus, quum iudicet iussu magistratus. Id exemplo iurisdictionis mandatae illustrasse videtur Iulianus l. 3. de off. eius, cui mand. iurisd.

§ Semel datus pronunciare debet, et quidem de summa, ad quam

quam vsque iudicare iussus est. Immo potest etiam de re maiori, si litigatores consentiant: l. 74. D. de iudic. modo non in quantitate sine ratione erret, quale exemplum est in l. 79. de legat. 1.

§ Quaeritur, an ob febrem discedente litigatore pronunciare nihilominus possit. l. 60. de re iud.

LIB. VI. DE PETITIONE HEREDITATIS.

Tit. I. *De querela inofficiosi.*

Tit. II. De hereditatis petitione.

§ Hereditas quid? l. 62. de R. I.

§ Eam petit, et qui hereditatem a fisco mercatus est. l. 6. pr. de her. pet.

§ Petitur hereditas et ab eo, qui petiit hereditatem, et litis aestimationem consequutus est. Item ab eo, qui negotia hereditaria gessit. Item a possessore, vi deiecto. Item a possessore, vel non possessore qui rem vendidit. * *l. 16. §. 2. 3. 4. 5. D. eod.* Quia dolo possidere desinens pro possessore habetur. * *l. 17. pr. de rei vind.* Item ab eo, qui ex caussa fideic. hereditatem restituit: * *l. 16. §. 7. eod.* non tamen potest patronus petere ab eo; cui libertus in fraudem eius alienauit, quia actionem Caluisianam habet. * *l. 16. §. eod.*

§ Hereditatis petitione petitor consequitur rem cum omni caussa, et rei aestimationem, si culpa possessoris perierit, aeque vt in rei vindicatione. * *l. 17. §. 1. de rei vind.* l. 6. §. 2. de her. petit. Consequitur etiam res a defuncto pignori datas. * *l. 6. §. 1. de hercd. pet.* Non tamen consequitur indebitum a possessore exactum, quemadmodum nec indebite solutum a possessore ei imputatur. * *l. 20. §. 18. de her. pet.* * *l. 2. §. 7. de act. vel her. vend.* Quod eo minus mirandum, quia ne quidem debite solutum a possessore petitorem liberat, nisi ille caueat, se petitorem defensurum. * *l. 31. pr. eod.*

LIB. VII. DE ACTIONIBVS EX DOMINIO ET SERVITVTIBVS.

Tit. I. De rei vindicatione.

§ Ea consequimur etiam rei nostrae accessiones, veluti quae per alluuionem accesserunt fundo. l. 34. de rei vind. Sed et fructus, etiam ex fundo communi pro parte dominii. l. 25. de vsur.

§ Immo si seruum vindicamus, etiam actio L. Aquilliae per seruum adquisita restituenda est. ** *l. 17. §. 1. eod.*

BIU Cujas

Tit. II. De Publiciana in rem actione.

§ Ea non datur ei, qui in mala fide est. * *l. 7. de Publ. in rem act.*

§ Si duo b. f. emerunt, quis praefertur. * *l. 9. §. 4. eod.*

§ Res restituenda cum omni caussa. Ast si in qualitate fundi erratum, agendum cum emtore non cum possessore, l. 22. de act. emt. Immo cum neutro, si fundi pars, priusquam mensura fiat, inundatione vel chasmate perierit. Ita notat Scaeuola ad Iul. Lib. VII. * *l. 10. D. de peric. et comm. rei vend.*

§ [Quo pertineat lex 12. D. de statu lib. vix patet, nisi in numero aberratum sit.]

Tit. III. *Si ager vectigalis petatur.*

Tit. V. De seruitutibus.

§ Res propria domino non seruit. Hinc si vna domus cessit duobus, non habent inuicem actionem ius non esse tigni immittendi, quia tignum est vtriusque. l. 37. de seru. praed. vrb.

§ Si a te emi, vt liceat mihi stillicidium immittere, et postea te volente ex caussa emti immisi, et actionem, et exceptionem habeo. l. 16. si seru. vind.

§ Seruitus exstinguitur vsucapione libertatis, de qua l. 32. de seru. praed. vrb.

§ Exstinguitur etiam consolidatione. Talis est, si Semproniānus fundus communi meo et tuo seruiat, et eum in commune redimamus : non si communis fundus proprio meo, proprioque tuo seruiat, siquidem seruitus manet. l. 27. D. de seru. rust. praed.

Tit. VI. De vsufructu, vsu, habitatione.

§ Vsusfructus peti non potest, tempore elapso, quo et vsucapione dominium adquiritur. l. 3. si vsusfr. pet.

§ Actio haec confessoria datur aduersus quemcumque possessorem. * *l. 5. §. 1. D. eod.*

LIB. VIII. DE IVDICIIS DVPLICIBVS.

Tit. I. Finium regundorum.

§ Hoc iudicium manet, quando socii egerunt communi diuidundo, vel si rem alienarunt. l. 9. fin. reg.

Tit. II. Familiae erciscundae.

§ De natura huius actionis. l. 51. fam. erciscund.

§ Non possumus consequi per hereditatis petitionem, quod iudicio

BIU Cujas

iudicio fam. erc. consequimur. l. 7. si pars her. pet.

Tit. III. Communi diuidundo.

§ Communis seruus, quod ex re alterius domini adquirit, commune facit. Sed is, ex cuius bonis adquisitum fuerit, communi diuidundo iudicio eam summam consequi potest. l. 24. pr. comm. diuid. immo et condictione sine caussa. l. 3. de condict. sin. causs.

§ Si is, quocum agere volebam, communi diuidundo partem suam Titio iudicii mutandi caussa tradidit, tenetur mihi actione praetoria. l. 24. §. 1. comm. diuid.

§ [Notat hic quaedam Paullus ad Iulian. Lib. VIII. * *l. 4. de resc. vend.* de venditione rerum duarum cum pacto ne alterutrius emtio maneat. Quae quo pertineant, vix patet.]

§ [Ad hoc iudicium communi diuidundo etiam pertinuisse videtur casus de aedificatione in area aliena, cuius bonae fidei emtor sim, quamuis postea, dum aedifico, sciam, rem alienam esse. * *l. 37. de rei vind.*]

LIB. VIIII. DE DAMNO DATO, IVREIVRANDO, ACTIONIBVS DE SERVO CORRVPTO, ALEATORIBVS, ADVERSVS MENSOREM, AD EXHIBENDVM.

Tit. I. *De damno dato, et si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*

Tit. II. De noxalibus actionibus.

§ Si communis seruus furtum fecit, et omnes dolo fecerint, ne eum possiderent, quo remedio vtendum? l. 39. de noxal. act.

Tit. III. *De iudice litem suam faciente.*

Tit. IIII. *De fraudatoriis actionibus.*

Tit. V. *De interrogationibus in iure faciendis.*

Tit. VI. De iureiurando.

§ Nihil mihi iusiurandum prodest, si a quolibet alio hereditatem petam. l. 12. de iureiur. Id illustratum videtur exemplo rei iudicatae, cui iusiurandum aequiparari solet. l. 24. de except. rei iud.

Tit. VII. *De his, qui effuderunt vel deiecerunt.*

Tit. VIII. De seruo corrupto.

§ Si quis seruum communem, meum et suum, corruperit, an tenetur? * *l. 9. pr. de seru. corrupt.*

BIU Cujas

Tit. VIIII. *De aleatoribus.*

Tit. X. *Si mensor falsum modum dixerit.*

Tit. XI. Ad exhibendum et de ventre inspiciendo.

§ Si heres eius, quocum ad exhibendum egi, quum nec possideret, nec dolo malo feciſſet, ne possideret, rem defuncto illo possidere coeperit, eam exhibere tenebitur. l. 8. ad exhib.

LIB. X. DE REBVS CREDITIS ET CONDICTIONIBVS QVIBVSDAM.

Tit. I. De religiosis, et sumtibus funerum.

§ Sepulcrum non est in commercio: actio tamen de sepulcro violato praecipue d aur ei, ad quem res pertinet. l. 6. de sepulcro viol.

§ Impensae funeris aes alienum dotis sunt. l. 18. de religios.

Tit. II. De rebus creditis et certi condictione.

§ Quae numeratio accipientem obliget. l. 19. de reb. credit.

§ Si numos meos te absente tuo nomine veluti tuos dedi, condictio tibi adquiritur. ** *l. 9. §. 8. de reb. cred.*

Tit. III. De iureiurando.

§ Procurator iusiurandum deferre nequit, nisi vel omnia bona administret, vel id nominatim ei mandatum sit. * *l. 18. de iureiurando.*

§ Procurator et defensor non coguntur iurare. * *l. 34. § 3. eod.*

§ Exceptio ex iureiurando nascitur. l. 39. eod.

Tit. IIII. De condictione indebiti et similibus.

§ Iussus monimentum facere arbitratu liberti, ei certam summam solui: si non facit monimentum, pecuniam repetere possum condictione caussa data. l. 11. cond. causs. dat. causs. non sequ.

§ Si reus et fideiussor pariter soluerint, vterque dimidiam condicit, tanquam si rei promittendi essent. l. 20. de cond. indeb.

§ Datur etiam condictio indebiti venditori, si heredi testamento mandatum, vt venditorem obligatione venditi liberet, et hic ignorans rem tradiderit. * *l. 26. §. 7. eod.* item fideiussori qui soluit, quum pactus esset, ne ab eo peteretur. l. 32. §. 1. eod. Aſt non potest condicere, qui Stichum vel Pamphilum debens vtrumque tradiderit, si vel

vterque

BIU Cujas

vterque vel alteruter perierit. l. 32. pr. eod. Nec mulier, si credens se pro dote obligatam, soluit. l. 32. §. 2. eod. Quid si quis hominem generaliter debens Stichum soluerit ? l. 32. §. 3. eod.

Tit. V. *De condictione furtiua.*

Tit. VI. *De condictione triticiaria.*

Tit. VII. *De eo, quod certo loco.*

Lib. XI. De constitvto, commodato, pignore, praescr. verbis, exercitoria et institoria.

Tit. I. De constituta pecunia.

§ Potest et pro alio constitui. * *l.* 5. §. 3. D. *const. pec.*

§ Qui pro filio constituit, in solidum tenetur, quamuis minus sit in peculio. l. 2. de const. pec.

§ Promissor hominis, homine sine culpa sua mortuo, si tamen in mora fuerit, de constituta pecunia tenetur. l. 23. eod.

Tit. II. Commodati.

§ Qui aliter re commodata vtitur, quam conuentum, et commodati, et furti tenetur. * *l.* 5. §. 8. *commod.*

Tit. III. De pignoratitia actione.

§ De dolo in pignore seruo dato a domino praestando. ** *l.* 3. *commodat.*

§ Actio pignoratitia datur et aduersus dominum, si seruus peculiari nomine pignus accepit. l. 28. §. 1. de pign. act. Quid si debitor pignus petat a tertio, qui creditori actione Seruiana experto aestimationem praestitit ? Is, nisi offerat, quod pro eo solutum est, exceptione summouetur. d. l. 28. pr. eod.

§ Si pignus a creditore distractum sub conditione reluendi, debitor non habet actionem nisi a creditore cessam. * *l.* 7. *de distr. pign.*

Tit. IIII. De praescriptis verbis et in factum actionibus.

§ Tales nascuntur praecipue ex contractibus innominatis, Hinc quid sit contractus do vt facias, et quomodo a mandato et societate differat, explicatur in l. 13. praescr. verb.

§ Si liber homo b. f. seruiens pecuniam pro manumissione dederit,

BIU Cujas

derit, condicere eam poterit etiam ob cauſſam non ſequutam. * *l.* 3. §. 5. *condict. cauſſ. dat.*

Tit. V. *De exercitoria actione.*

Tit. VI. De inſtitoria actione.

§ Cur hae et ſequentes actiones perpetuae ſint. l. 8. de trib. act.

§ Locum habet haec actio etiam ſi quis ſerui alieni vicarium conduxerit, eumque merci ſuae praefecerit. * *l.* 12. *de inſt. act.*

§ Quid ſi ſocii ſeruus praefectus? *l.* 28. *de pecul.* Aliquando tunc etiam agetur de in rem verſo. * *l.* 14. *de in rem verſ.* vbi Marcellus et Paullus ad Iulianum notar'.

LIB. XII. DE ALIIS ACTIONIBVS ADVERSVS EVM, QVI IN ALIENA POTESTATE EST, INSTITVENDIS.

Tit. I. De tributoria actione.

§ Si communis ſeruus conſentiente vel vtroque vel alterutro domino negotiatus ſit, quomodo detur actio tributoria. *l.* 3. *pr. de trib. act.*

§ Alio de peculio, alio tributoria ſerui nomine agente, poteſtne dominus deducere, quod tributoria agenti praeſtiturus ſit? l. 12. eod.

Tit. II. *Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur.*

Tit. III. De SC. Macedoniano.

§ Locum etiam habet SC. ſi nepoti creditum conſentiente patre. l. 14. de pecul.

§ Ceſſat autem ſi pecunia credita in rem patris verſa, etſi initio eo animo non acceperit filius. * *l.* 7. §. 12. *eod.*

§ Ceſſat etiam in eo, qui vectigalia conduxit. ** *l.* 3. §. 1. *eod.*

§ Qui contra SC. filio credidit, is mortuo eo fideiuſſorem a patre accipere non poteſt. l. 11. de fideiuſſor.

Tit. IIII. *Quod iuſſu.*

Tit. V. *De in rem verſo.*

Tit. VI. De peculio.

§ Aliquando peculium ſerui communis ad alterum ex dominis ſolum pertinet. l. 16. de pecul.

§ Pro Stichi communis ſerui mei et tui decem aureos volente de peculio conuentus decem praeſtiti, quam actionem aduerſus

BIU Cujas

sus socium habeo? l. 25. comm. diuid. * *l.* 11. §. 5. *de pecul.*

§ Si seruus mandauit, vt creditori meo solueretur, idque tanquam intercessor, nulla obligatio nascitur, sin tanquam pro creditore suo, dominus tenetur peculiotenus. * *l.* 3. §. 6. *de pecul.*

§ Si seruus pure legatus, ex peculio heres deducit, quod sibi debetur, licet nullo momento dominus fuerit. Idque multo magis, si seruus sub conditione libertatem acceperit. * *l.* 9. §. 5. *eod.*

§ Seruus a debitore domini exegit, fit domini debitor, si is ratum habuerit. * *l.* 11. §. 2. *eod.* An quod dominus semel deduxit, rursus deducet, si de peculio conueniatur? * *l.* 11. §. 3. *eod.* Seruus habet vicarium quinque valentem: dominus, cui quinque debentur, vicarium deducit, eo mortuo quaeritur, an liberatus sit seruus, si alium sibi comparauerit vicarium? * *l.* 11. §. 4. *eod.* Qui seruum cum peculio vendidit, an potest deducere, quod sibi debetur? * *l.* 11. §. 7. *eod.* An, qui seruum debitorem cum peculio comparauit? * *l.* 11. §. 8. 9. *eod.*

§ Deducine potest, quod socio debetur. l. 12. eod. ** *l.* 13. *eod.*

§ Seruo testamento manumisso, cum omnibus heredibus agitur, nec eorum quisquam amplius deducet, quam quod sibi debetur. l. 12. pr. eod. Quid si seruus viuo domino mortuus, et dominus intra annum plures heredes reliquerit? l. 14. §. 1. eod.

§ Si creditor filii tui heredem te instituerit, tibi peculii quantitas in quadrantem Falc. imputabitur. l. 83. ad L. Falc. Hinc si hereditatem eius vendideris, teneberis de peculio. l. 37. pr. de pecul. Similes casus de seruis tractantur §. 1. 2. 3. eod.

Tit. VII. Ad S C. Velleianum.

§ Intercessio omnis a muliere facta S C. infirmatur. Hinc si mulier intercedens fundum pignori dederit, quamuis is a creditore distractus sit, potest tamen mulier eum actione in rem petere. * *l.* 39. §. 1. *de rei vindic.*

BIU Cujas

§ Si mulier apud primum pro secundo, mox pro primo apud creditorem eius interuenit, an duae sunt intercessiones, an vna? * *l.* 8. §. 2. *ad SC. Vellei.*

§ Si mulier intercesserit, aequum est, non solum in veterem debitorem, sed et in fideiussores eius actionem restitui. l. 14. eod. Quid si mulieri heres exstiterit creditor, an et is restitutoria vtetur? * *l.* 8. §. 12. *D. eod.*

§ [Eodem libro Iulianus * *l.* 5. *pr. de nou. op. nunc.* docuit, quando possit vel non possit pupillus nouum opus nunciare. Id quo pertineat, non liquet.]

LIB. XIII. DE ACTIONIBVS EX NEGOTIIS PER ALIOS EXPLICATIS, COMPENSATIONE, PIGNORE, DEPOSITO.

Tit. I. De actionibus ex negotiis per alios explicatis.

§ Si dominus iusserit procuratorem suum certam pecuniam sumere, et foenerare periculo suo, ita vt certas pecunias domino penderet, in creditum videtur accepisse. * *l.* 6. §. 6. *mand.*

§ Si hominem dedi, vt manumitteres, et procurator meus prohibuerit, ne manumitteres, an mandati agere possum? l. 30. mandat.

§ Heres aliquando agere potest, quum defunctus non possit. Exemplum est in l. 84. ad L. Falc.

§ Eodem pertinent l. 7. de euict. ** *l.* 14. *mand.*

Tit. II. *De compensatione.*

Tit. III. De pignoribus.

§ Qui pignoris caussa fundum tradidit creditori, intelligitur possidere. l. 36. de adqu. poss. Quum et fundum possideat, qui eundem a creditore precario rogauerit. d. l. 36. de adqu. poss. Nam vnusquisque potest rem suam, quamuis non possideat, precario dare ei, qui possideat, l. 18. de precar. quod exemplo illustratur l. 16. de O. et A.

§ Pignus debet tradi? Eaque traditio non est inefficax, quum in corpus quidem, quod traditur, contrahentes consentiunt, in caussis vero dissentiant. l. 36. de adqu. rer. dom.

§ Soluitur ius pignoris liberato debitore. Liberatur autem iureiurando ab eo exacto l. 10. de iureiur. solutione. Quo perti-

BIU Cujas

pertinet l. 32. de solut. nouatione, ad quam pertinet l. 15. de nouat.

§ Si a creditore in diem pignus addictum, non potest bona fide negotium agi, nisi adiectio accipiatur. l. 18. de in diem addict.

Tit. IIII. Depositi.

§ Is, qui deposuit, statim potest depositi agere. * *l.* 1. §. 22. *depos.*

§ Qui rem suam deponi apud se patitur, vel vtendam accipit, nec commodati, nec depositi tenetur. l. 15. eod.

[* *l.* 23. *de act. emti ad librum sequentem manifesto referenda.*]

Lib. XIIII. De mandato et societate.

Tit. I. De mandati actione.

§ Si negotia mea mandauero gerenda ei, qui mihi actione in quadruplum tenebatur, post annum in simplum: etsi post annum cum eo mandati agam, tamen praestare quadruplum debebit. l. 31. mand.

§ Si mandato meo Titio X. credideris, et mecum mandati egeris, non liberabitur Titius, et hinc cedere debebis actiones. l. 13. de fideiuss.

Tit. II. Pro socio.

§ Societas durat, si filiusfam. societatem coierit, et deinde emancipatus fuerit. * *l.* 58. §. 2. *pro soc.*

§ Actio famosa, (*qualis est pro socio*,) non datur aduersus patronum, etsi per procuratorem accipiat iudicium. l. 2. de obs. par. et patr. Ergo potius instituet libertus actionem praescriptis verbis, ad quam et necesse est confugere, quoties contractus existunt, quorum adpellationes nullae iure ciuili proditae sunt, (*veluti si quis locet praedium et sibi partem fructuum et damni stipuletur*,) l. 3. praescr. verb.

§ Socius habet beneficium competentiae. An et fideiussor et defensor socii? * *l.* 63. §. 1. *pro soc.*

Lib. XV. De emtione venditione, locatione condvctione, ad l. Rhodiam, aestimatoria.

Tit. I. De emtione venditione.

§ Debitor rem pignoratam a creditore redimens, tanquam suae rei emtor, actione venditi non tenetur. l. 39. pr. de

BIU Cujas

contr. emt. Quid si quis fructus oliuae pendentes vendiderit, promiseritque 10. pondo, quod natum esset, et quinque nascantur? d. l. 39. §. 1. eod. Illustrasse hoc videtur Iulianus exemplo legatorum. l. 5. de trit. ol. vin.

§ Non videtur res tradita, si superior in possessione emtor futurus non sit. * *l.* 11. §. 13. *D. act. emt.*

§ Seruo, in quo mihi vsusfructus, fundum emente, et antequam pecuniam numerauerit, capite deminuto, si postea soluo, actionem ex emto non habeo, sed indebiti actionem. l. 24. de act. emti. Quid si seruum tuum imprudens a fure emi, et is ex peculio, quod ad te pertinebat, hominem comparauit? d. l. 24. §. 1. eod. Quid si seruus hominem vendidit, et pro eo quis fideiussit? Quantum tunc fideiussor debet? d. l. 24. §. 2. eod.

§ Ex emto aliter tenetur, qui sciens, aliter, qui ignorans rem vitiosam vendidit. ** *l.* 13. *D. de act. emt.*

§ De hereditate vel actione vendita. Venditio haec fieri potest, modo venditor sit heres. Eo pertinet ** *l.* 14. §. 3. *ad SC. Trebell.* Quid si ex pluribus coheredibus vnus, antequam hereditatem ceteri adissent, pecuniam sub poena debitam omnem soluerit, et postea hereditatem vendiderit? l. 18. de her. vel act. vend.

§ Venditioni solent pacta adiici, quibus et, quae legibus non diserte cauentur, sibi stipulantur contrahentes. Non enim possunt omnes articuli singulatim in legibus comprehendi. l. 12. de LL. Tale pactum est in diem addictio, de quo prolixe l. 17. de in diem add. * *l.* 11. *eod.* ** *l.* 4. §. 1. 2. *eod.*

§ Rescinditur venditio, et expirat contractus, si alter alteri acceptum tulerit, item nuda conuentione. Ast homo venditus, si moriatur, pro tradito habetur. l. 5. de resc. vend.

§ Venditor euictionem praestare debet. Quam vero praestat venditor hominis? l. 8. de euict. An et bis ob idem vitium praestanda? * *l.* 32. §. 1. *de euict.*

Tit. II. De locatione conductione.

§ Actione locati aliquando agitur, vt quis locatione liberetur.

BIU Cujas

tur. * *l.* 15. §. 9. *locat.* Casus eo pertinentes habes l. 16. et l. 18. eod.

§ Si quis in hoc contractu casum suscepit, pacto standum erit. * *l.* 9. §. 2. *locat.*

Tit. III. *Ad L. Rhodiam de iactu.*

Tit. IIII. *De aestimatoria actione.*

LIB. XVI. DE SPONSALIBVS, NVPTIIS, DOTE.

Tit. I. De sponsalibus.

§ Sponsalia aeque ac nuptiae consensu contrahentium fiunt. l. 11. de sponsal.

Tit. II. De nuptiis.

§ Nuptiae inter easdem personas, nisi volentibus parentibus renouatae, iustae non habentur. l. 18. de R. N.

Tit. III. De iure dotium et pactis dotalibus.

§ Patre dotem promittente et postea filiam emancipante, non resoluitur promissio. Quid si mulier filium habens debitorem patri id, quod filius debet, in dotem promittit? an obligatur? l. 44. de iure dot.

§ Et serui stipulatione obligatio dotis adquiritur, itemque traditione seruo vel filiofam. facta. Quid si alternatiue quod debetur vel fundus in dotem promissa: cuius erit electio? Si pater putans se filiae debere, promisit, an liberatur propter errorem? l. 46. eod.

§ Quem penes sit periculum, si vel pater vel sponsa dotem promiserit? * *l.* 33. *de iure dot.*

§ Si vsusfructus in dotem promissus, aeque omnia fructuario adquiruntur, ac si legati iure vsusfructus esset constitutus. ** *l.* 25. §. 7. *de vsufr.*

§ Quid si seruae libertas legata, cum tres pepererit, et heres, (*qualis esse potest vxor, quae hanc ancillam marito in dotem dedit,*) medicamentis fecerit, ne concipere possit? * *l.* 3. §. 16. *de statu lib.*

§ Stipulationes de dote quomodo concipiendae? l. 53. de V. O.

§ Nupta non impeditur, quo minus cum priore marito de dote agere possit. l. 30. sol. matr.

§ Si quis pecuniam se debere putans mulieri, iussu eius dotis nomine sponso promisit et soluit, vtrum nuptiis non con-

BIU Cujas

sequutis ipse agit condictione caussa data caussa non sequuta, an mulier. l. 7. condict. causs. dat.

Tit. IIII. De fundo dotali.

§ Maritus nec debitas fundo dotali seruitutes amittere, nec nouas imponere potest. * *l. 5. de fundo dot.*

§ Si maritus fundum Titii seruientem dotali praedio acquisierit, seruitus confunditur. At si vxor fundum, cui praedia mariti seruiunt, in dotem dedit, ius fundi non sit deterius. l. 7. eod.

LIB. XVII. DE VARIIS DOTIS SPECIEBVS ET DONATIONE INTER VIR. ET VXOR.

Tit. I. De variis dotium speciebus.

§ Fundus aestimato datus: eius aestimatio soluto matrimonio praestanda, etsi non veniit. l. 13. de pact. dot.

§ Dos aduentitia et profectitia. Talis non est, si quis patri certam quantitatem donauit, vt pro filia daret. * *l. 5. §. 2. de iure dot.*

§ Mulier certam pecuniae summam promisit, et pro ea mancipia dedit, vt eius periculo essent. An pacto standum? l. 21. de pact. dot.

§ Dos profectitia repetitur: maritus b. f. ad iudicium prouocat; an ob moram vsuras debet? Negatur. Ratio est in l. 63. de R. I.

Tit. II. De donatione inter virum et vxorem.

§ Donatio in genere quotuplex? Ea inter sponsum et sponsam valet, (*non inter coniuges.*) l. 1. de donat. Est vel inter viuos vel mortis caussa. Huius variae iterum species. * *l. 2. de donat. mort. causs.*

§ Donari nec directe nec indirecte potest coniugi, e. g. si donaturum mihi iubeam vxori dare. * *l. 3. §. 13. de don. inter vir. et vx.* si mortis caussa traditurum iubeam sponsae meae dare, et traditio fiat sequutis nuptiis. l. 4. eod. si quum duo rei essent, Titius et mulier, huic donationis caussa accepto tulerim. * *l. 5. §. 1. eod.* Aliud, si heres institutus hereditatem donationis caussa repudiem. * *l. 5. §. 13. eod.*

§ Valet donatio mortis caussa facta. Quo pertinet l. 13. de mort. causs. don. vbi et rem alienam a donatario vsucapi posse

BIU Cujas

posse docetur. Quid vero, si res mortis caussa traditae vxori filiaefamilias? Valet donatio, si viuo marito sui iuris fiat. * *l.* 11. §. 3. *de donat. inter vir. et vx.*

§ Reliquae donationes, quas leges valere non patiuntur, non transferunt dominium. Vnde res extans vindicatur. Quid si mulier dolo fecerit, ne res exstaret? Ad exhibendum vel damni iniuria dati agitur. l. 37. eod.

§ Coniux tenetur in tantum, quantum locupletior factus. An et pro cultura aliquid repetit? Eo pertinere videtur fragmentum l. 14. de donat.

LIB. XVIII. DE DIVORTIIS ET DOTIS REPETITIONE.

Tit. I. De diuortiis et repudiis.

§ An et furiosa repudium mittere vel repudiari potest? * *l.* 4. *de diuort.*

Tit. II. Soluto matrimonio dos quemadmodum repetatur.

§ Dos in re fungibili consistens reddenda annua, bima trima die. An constante matrimonio conuenire possunt de longiore die? an post diuortium? l. 18. de pact. dot.

§ Si seruo in dotem dato ante nuptias aliquid donatum vel legatum, dos ampliatur. l. 47. de iure dot.

§ Si socero dos data, et solus heres filius exsistit, dotem in computatione hereditatis et Falcidiae ratione, tanquam aes alienum deducit. l. 85. ad L. Falc.

§ Si marito iudicio publico damnato fiscus partem bonorum occupat: idem et vxori satisfacere debet. l. 31. solut. matr.

§ Quid si marito fundum dotalem m. c. vxor donauerit, eumque repetat, an impensae restituendae viro? l. 14. de mort. causs. don.

[* *Sumta ex hoc libro notatur l.* 20. *de reb. cred. quae, quo pertinuerit, non liquet.*]

Tit. III. *De mora et retentionibus.*

LIB. XVIIII. DE RERVM AMOTARVM ACTIONE, VENTRE IN POSSESSIONEM MISSO ET AGNOSC. VEL AL. LIB.

Tit. I. De Actione rerum amotarum.

§ De ea ex instituto agitur l. 22. de act. rer. amot.

Tit. II. Si ventris nomine etc.

§ Eo

BIU Cujas

§ Eo pertinet * *l.* 1. *§.* 9. *ſi mul. ventr. nom.*

Tit. III. De agnoſcendis et alend. lib.

§ In omnibus cauſſis venter agnoſci debet. l. 2. de agn. lib.

§ Ad SC. Plancianum interpretandum faciunt * *l.* 1. *§.* 10. §. 12. *eod.*

§ Quid ſi viuo patre redditum praeiudicium, et ante ſententiam pater deceſſit? Tranſeundum erit ad edictum Carbonianum. * *l.* 3. §. 5. *eod.*

§ Et pater adoptiuus liberorum liberos alere tenetur, quemadmodum et dotem dat filiae, et repetit. * *l.* 5. *§.* 13. *de iure dot.*

LIB. XX. DE TVTELIS.

Tit. I. De teſtamentaria tutela.

§ In tutoris datione ſub conditione, non leuiſſima eligenda conditio, ſed ad vltimam ſcripturam reſpiciendum. * *l.* 8. §. 3. *de teſt. tut.*

Tit. II. De legitima tutela.

§ Quamdiu haec ſperatur, datiuae locus non eſt. Si tamen pupillum patruus contendit exheredatum, et ſe heredem ſcriptum, aequum eſt, tutorem pupillo dari. l. 20. de excuſ. tut.

Tit. III. *De tutela datiua.*

LIB. XXI. DE OFFICIO TVT. ET ACTIONIBVS EX TVTELA NATIS.

Tit. I. De confirmatione tutoris.

§ Ea quando opus ſit? l. 3. de conf. tut.

Tit. II. *De ſatiſdatione tutorum.*

Tit. III. *De excuſationibus.*

Tit. IIII. De adminiſtratione tutorum.

§ Tutor datus cum formula, vt ἀνεκλόγιστος eſſet, bonam fidem praeſtare debet, alias poterit damnari. * *l.* 5. §. 7. *de adm. tut.*

§ Sufficit, ſi tutor negotia pupilli geſſerit, quamuis auctoritatem nunquam interpoſuerit. *l.* 18. *eod.*

Tit. V. De auctoritate tutoris.

§ Ea et tacenti accommodari poteſt. * *l.* 6. *pr. de tutel.*

§ Non poteſt tutor auctor fieri in rem ſuam. Hinc ſi ſeruus communis tuus et Titii a pupilla tua, te auctore rem traditam

BIU Cujas

tam accepit, res tota ad Titium pertinebit. l. 12. de auct. tut.

§ Non multum interest, abfuerit tutor, an rem praesens geri ignorauerit. l. 13. eod.

Tit. VI. De rebus eorum, qui sub tutela sunt, non alienandis.

Tit. VII. De suspectis tutoribus.

§ * *Posset huc etiam referri* * *l.* 5. §. 7. *de adm. et per. tut. de qua ad titulum V.*

Tit. VIII. De tutelae actionibus.

§ Directa locum habet etiam, si tutor pupillo ad mortis causa donandum auctoritatem accommodauit. * *l.* 1. §. 1. *de tutel. et rat. distr.* Non autem eo casu, quo pater filium heredem instituit, eique Sempronium tutorem dedit, filiae autem 200. in dotem, praetereaque nihil legauit, et tutor filiae alimenta constituit. l. 4. vbi pupill. mor. deb.

§ Contraria actio datur tutori etiam de rationibus distrahendis conuento. l. 2. de contrar. tut. action. etiam tutor remotus. l. 4. eod.

§ Actio de eo, quod falso tutore auct. gest. an et aduersus patrem datur, qui filiam duodecenni minorem nuptum dedit? * *l.* 11. §. 3. 4. *quod fals. tut.*

Tit. VIIII. De magistratibus conueniendis.

§ Datur haec actio in subsidium, si contutor culpa vacat. l. 3. de magistr. conu. non, si contutor conueniri queat. l. 5. eod.

Tit. X. De curatore furiosi.

§ De officio curatoris furioso dati. l. 7. de curat. fur.

LIB. XXII. DE FVRTIS ET OPERIS LIBERTORVM.

Tit. I. De noxali furti actione, et furto generatim.

§ Et impubes furtum facere potest, si est doli capax. * *l.* 23. *de furt.*

§ Eius rei furti agere nemo potest, cuius ipse fur est. * *l.* 14. §. 4. *de furt.*

§ Furti etiam reus est, qui pecuniam a me accepit, vt creditori meo solueret, et pro se soluit. * *l.* 52. §. 16. *de furt.*

§ Datur ex furto condictio furtiua, et quidem domino. An et bonae fidei possessori? Affirmatur. Eo pertinere videtur * *l.* 7. §. 1. *de Publ. in rem act.* Datur et aduersus eum, qui

BIU Cujas

vi bonorum raptorum tenetur. * *l.* 10. *§.* 1. *de condict. furt.* Datur ad rem furtiuam cum omni cauſſa et acceſſione reſtituendam. Exempla habes in *l.* 14. *de condict. furt.*

§ Competit praeterea actio furti. Et quibuſdam quidem caſibus ſaepius. *l.* 56. *de furt.* Quid ſi ſeruus legatus ante aditam hereditatem furtum fecerit? Si rem futuri heredis ſubtraxit, datur actio furti noxalis aduerſus legatarium, qui legatum agnouit. Si quid ex hereditate iacente, ad exhibendum. *l.* 40. *eod.* Quid ſi emtor rem, cuius cuſtodiam venditorem praeſtare oportet, ſurripuerit ſoluto pretio? An furti agi poteſt? * *l.* 14. *§.* 1. *de furt. quae ex lib. XXIII. ſumta eſſe perperam dicitur.*

§ Ceſſat noxalis furti actio, ſi ſeruum pro derelicto habeam. * *l.* 38. *§.* 1. *de nox. act.* item ſi pactus ſit reus, ne Stichus a ſe petatur. * *Scaeuola ad Iulian. l.* 54. *de pact.* Quid ſi heres fecerit dolo malo, ne ſtatu liberum in poteſtate haberet, et is impleta conditione condemnetur? *l.* 16. *eod.*

Tit. II. *De furto a ſeruo, qui teſtamento liber eſſe iuſſus eſt; facto.*

Tit. III. De Publicanis et furto a familia eorum facto.

§ Actio competit et heredibus, ſed et hi omnes non amplius conſequuntur, quam conſequerentur, ſi liber furtum feciſſet. *l.* 4. *ſi fam. furt. fec. dic.* [* *Pertinere huc etiam videtur l.* 2. *ſi fam. furt. fec. dic. quamuis ex lib.* XXIII. *ſumta notetur.*]

Tit. IIII. De operis libertorum.

§ Promittuntur ſtipulatione. Ea multiplex. Operarum tamen promiſſio promiſſioni generis ſimilis eſt. l. 54. *de V. O.* An et alienae operae promitti poſſunt? *l.* 5. *de duob. reis.* Quid ſi promiſerit patrono aut L. Titio? Praeſtando L. Titio non liberatur, ſiue L. Titius extraneus ſit, ſiue filius patroni. *l.* 11. *de op. libert.*

§ Quaenam operae fabriles? Quid, ſi patroni in diuerſas regiones diſcedentes operas indixerint? *l.* 23. *eod.*

Lib. XXIII. De bonorvm possessionibvs contra tabvlas.

Tit. I. De bonorum poſſeſſionibus.

§ Ea varia. Ab inteſtato et teſtatorum. Haec vel contra vel

vel ſecundum tabulas. Ad hanc ſeptem ſigna ſufficiunt, licet plura adſuerint, et quaedam detrita ſint. *l.* 7. *de bon. poſſ. ſec. tab.*

Tit. II. De bonorum poſſeſſione contra tabulas.

§ De ea ex inſtituto agitur *l.* 13. *de bon. poſſ. contr. tab.*

§ An eam accipere poſſit, qui ſub conditione heres ſcriptus? * *l.* 3. §. 12. *eod.*

Tit. III. De legatis praeſtandis.

§ An filius praegnanti vxore emancipatus, ſi bonorum poſſeſſionem contra tabulas accepit, legata nepoti praeſtet? *l.* 2. *de leg. praeſt.* Alium caſum habet *l.* 6. *eod.*

§ Heredes ſcripti, quia ſciunt, emancipatum bonorum poſſeſſ. petere, ideo ab hereditate plerumque abſtinent. 4. *eod.* [* *Poſſet etiam ad antecedentem titulum referri.*]

Tit. IIII. De collatione bonorum, et dotis.

§ De ea ex inſtituto agit *l.* 3. *de coll. bon.*

[* *Ex eodem libro ſumti notantur l.* 2. *ſi fam. furt. fec. dic. et* * *l.* 14. *de furt. Sed eae ad librum antecedentem manifeſto pertinent.*]

LIB. XXIIII. DE BONORVM POSSESSIONE VENTRI, ET EX EDICTO CARBONIANO DATA.

Tit. I. *De coniungendis cum emancipato liberis.*

Tit. II. De ventre in poſſeſſionem mitt.

§ Edicti de cuſtodiendo partu indoles et natura. *l.* 2. *de ventr. inſp.*

Tit. III. De Carboniano edicto.

§ Carbonianus poſſeſſor, ſi hereditatem petere coeperit, exceptione ſummouetur. * *l.* 3. §. 13. *h. t.*

§ Si ex prima edicti parte poſſeſſio bonorum non petitur, alias ex ſecunda parte accipi poteſt exemplo Carboniani edicti. *l.* 4. *eod.*

§ Simile Carboniano decretum interponitur, ſi impubes negetur iure adoptatus, et caſibus ſimilibus. *l.* 7. *eod.*

§ Si impubes in poſſeſſionem miſſus non defenditur, curator conſtituendus, qui actiones hereditarias exerceat. * *l.* 5. §. 1. *eod.*

[* *Notantur ex hoc libro ſumtae l.* 25. *de vulg. et pup. ſubſt. et*

l. 8. *de bon. poſſ. ſec. tab. quae ad librum ſequentem pertinent.*]

LIB. XXV. DE BONORVM POSS. SECVNDVM TAB.

Tit. I. De bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas.

§ Eo pertinent l. 8. de bon. poſſ. ſec. tab. (*quae perperam ex libro XXIIII. ſumta dicitur*,) l. 25. de vulg. et pupill. ſubſt. (*quae itidem ex lib. XXIIII. falſo decerpta dicitur*,) l. 106. de cond. et dem. l. 19. de her. vel act. vend. l. 20. de bon. libert.

LIB. XXVI. DE IVRE ABSTINENDI ET BON. POSSESS. PATRONO DANDA.

Tit. I. De iure abſtinendi.

§ De eo fuſe agitur * *l.* 40. *de adqu. vel omitt. her. l.* 41. *et l.* 42. *eod.*

Tit. II. De bonis libertorum.

§ Varii caſus, quibus patroni liberi exheredati bon. poſſeſſionem libertorum auitorum vel paternorum petere poſſint vel non poſſint. l. 11. de bon. libert. l. 13. eod.

§ Ex tribus patronis, ſi vnus ceſſet bonorum poſſeſſionem petere, reliqui duo aequas partes habebunt. l. 21. eod.

Tit. III. Si quid in fraudem patroni.

§ An actio Fauiana locum habeat, ſi libertus in fraudem patroni non adquiſiuerit? * *l.* 1. *§.* 6. *ſi quid in fraud. patr.* Locum habet, ſi libertus patronum fraudaturus filiofam. contra SC. pecuniam mutuam dederit l. 6. eod. niſi filius fam. minor ſit XXV annis. l. 8. eod.

LIB. XXVII. DE TESTAMENTIS ET LEGITIMIS SVCCESSIONIBVS.

Tit. I. De teſtamento militis.

§ An tribunus militum teſtari poſſit militariter, poſtquam ſucceſſor in caſtra venit. l. 20. de teſt. mil.

§ Teſtamenta militaria repugnare videntur pleriſque regulis iuris. Sed in his, quae contra ius conſtituta ſunt, non poſſumus ſequi regulam iuris. l. 15. de LL.

§ Filiusfam. miles et mortis cauſſa donare poteſt. * *l.* 15. *de mort. cauſſ. don.*

Tit. II. De teſtamentis.

§ In eo turpes conditiones remittuntur, qualis plerumque et conditio iuriſiurandi. * *l.* 20. *de cond. et dem.*

§. Si

BIU Cujas

§ Si filius meus a matre heres scriptus, et ego omissa caussa testamenti bonorum possessionem nomine filii petam, legata praestare debeo. l. 21. si quis omiss. causs. test.

Tit. III. De legitimis successionibus.

§ Huc pertinent, quae de patronorum successione dicuntur. l. 23. de bon. lib. * *l.* 22. *eod.*

Tit. IIII. Si tabulae testamenti nullae exstabunt vnde liberi.

§ Eo pertinent *l.* 2. *si tab. test. null. exst.* * *l.* 1. §. 11. *de ventr. in poss. mitt.*

Tit. V. Vnde legitimi.

§ Edicti verba exposita l. 1. vnde legit.

§ Ex duobus fratribus si vnus testatus obit, alter, dum deliberat, decedit, heres scriptus hereditatem omittit, patruus legitimam hereditatem habebit. l. 4. eod.

Tit. VI. Vnde cognati.

§ Capitis deminutione perimuntur cognationes per adoptionem quaesitae. l. 3. vnde cogn.

Tit. VII. *Vnde vir et vxor.*

Lib. XXVIII. De vacantibvs, ereptitiis, cadvcis, etc.

Tit. I. *De caducis.*

Tit. II. *De ereptitiis.*

Tit. III. *De vacantibus.*

Tit. IIII. Si quis aliquem testari prohibuerit.

§ Dominus, cuius seruus institutus, dolo malo fecit, vt ne tabulae testamenti mutarentur. An seruus postea manumissus hereditatem petere poterit? l. 1. quib. non comp. bon. poss.

Tit. V. *Vt ex legibus et SCtis bonorum possessio detur.*

Tit. VI. De tempore bon. possess.

§ Eo pertinet l. 4. quis ordo in bon. poss. obs.

Tit. VII. *Quis ordo in bon. possess. obseruetur.*

Tit. VIII. *De successorio edicto.*

Lib. XXVIIII. De heredvm qvalitate et diff.

Tit. I. De liberis et postumis heredibus instituendis vel exheredandis.

§ Filii an sub conditione institui possint. * *l.* 5. *de her. inst.* l. 11. D. de condit. inst.

BIU Cujas

§ De postumi institutione. *l.* 13. *pr. de lib. et postum. her. inst. l.* 37. *de her. inst. l.* 26. *de vulg. et pup. subst.*

§ An data liberis hereditas adimi potest? an necessario heredi? *l.* 13. §. 1. *eod.* an mortis caussa donatio, dum pendet, an conualescere testator possit? l. 16. de mort. causs. don.

Tit. II. De iniusto, rupto, irrito testamento.

§ Pater postumum instituit: post mortem plures nascuntur: an ideo iniustum erit patris testamentum, quod reliquos praeteriit? Neg. Ratio est in *l.* 64. *de R. I.*

LIB. XXX. DE HERED. INSTIT. ET SVBSTITVTIONIBVS.

Tit. I. De heredibus instituendis.

§ Seruus communis heres sub conditione institutus, viuoque testatore libertatem consequutus, etiam pendente conditione libertatis hereditatem adire potest. *l.* 7. *de her. inst.*

§ Si quis ita scripsit: Titius ex parte dimidia heres esto, Seius ex parte dimidia; ex qua parte Seium instituí, ex eadem parte Sempronius heres esto, Sempronius et Seius in vnum semissem coniunguntur. ** *l.* 15. *pr. eod. l.* 16. *eod.*

§ Si seruo libertas pure, hereditas sub conditione data, quid a conditione pendeat? *l.* 22. *eod.*

§ Varii casus et formulae ad institutionem seruorum pertinentes. *l.* 38. *eod.*

§ Quid si seruus ante traditionem ab emtore heres institutus, iussu venditoris adierit hereditatem. * *l.* 39. *eod.*

§ Heres per seruum hereditarium quid adquirat? *l.* 43. *de adquir. vel omitt. her.*

§ Obiter hic quaedam scripsisse videtur Iulianus de iure adcrescendi, de vsufructu adcrescendo cet. Quo pertinent * *l.* 8. *D. de vsufr. adcresc.* * *l.* 23. *de vsufr.*

Tit. II. De substitutionibus.

§ Substitui sibi ipsi nemo potest. * *l.* 10. §. 7. *de vulg. et pup. subst.*

§ Quid si seruus communis impuberi substitutus? * *l.* 18. *pr. eod. l.* 19. *eod.*

§ Substitutus coheredi substituto, vtrique substitutus censetur. *l.* 27. *eod.*

§ No-

BIU Cujas

§ Notiſſimus caſus de ſeruo, qui ingenuus credebatur herede inſtituto, ſubſtitutoque ei ingenuo : itemque de ingenuo, qui poſtea ſeruus factus, inſtituto, ſubſtitutoque ingenuo. *l.* 40. *eod.*

Tit. III. De conditionibus inſtitutionum.

§ Eo pertinet *l.* 13. *de condit. inſt.*

LIBER XXXI. DE ADQV. VEL OMITT. HERED.

Tit. I. *Teſtamenta quemadm. aperiantur.*

Tit. II. De adquirenda vel omitt. hereditate.

§ Pupillus adit auctore tutore. Quid ſi praeſens tutor ignoret quid agatur. *l.* 14. *de auct. tut.*

§ Si qui ſe filiumf. putabat, patris iuſſu adiit, nec ſibi nec alii adquirit hereditatem. Quid ſi filiumfam. pater adire iuſſit, iſque mortuo iam patre adierit? * *l.* 6. §. 9. *eod.*

Tit. III. Si quis omiſſa cauſſa teſtamenti cet.

§ De eo ex inſtituto *l.* 22. *h. t.* * *l.* 6. *pr. eod.*

§ Eo etiam pertinent l. 18. de legat. 1. *l.* 21. *de cond. et dem.* * *l.* 12. §. 2. *de manum. teſt.*

Tit. IIII. *De SC. Sillaniano.*

LIBER XXXII. DE LEGATIS.

AELII

AELII MARCIANI INSTITVTIONVM LIBRI SEDECIM, ORDINI SVO RESTITVTI.

LIB. I. DE PRIMA PERSONARVM DIVISIONE.
Tit. I. De I. N. G. et C.
§ Iuris vocabulum diuersimode accipitur. l. 12. de iust. et iur.
§ Quid lex ? l. 2. de legib.
§ Ius quoque honorarium viua vox iuris ciuilis. l. 8. D. de iust. et iur.
Tit. II. De statu hominum, vel iure personarum.
§ Modi seruos constituendi. l. 5. pr. de stat. hom. In his quoque seruitus poenae. l. 17. de poen.
§ Serui vendi non possunt ad depugnandas bestias. l. 42. de contr. emt.
Tit. III. De ingenuis,
§ Quinam ingenui ? l. 5. §. 1. de stat. hom.
§ Quatenus ingenui, qui ius aureorum annulorum impetrarunt ? l. 3. de iur. aur. ann. item natalibus restituti ? l. 2. de nat. rest.
Tit. IIII. De libertinis.
§ Testamento manumissus fit liber, si testamentum valet. l. 23. de manum. testam.
§ Manumitti possunt serui per vindictam apud Procos. simul ac vrbe egressus est, non apud legatum. l. 2. de off. procos.
§ Liber non fit seruus, qui dominum coëgit, vt manumitteret : nec ideo liber fit seruus, quia in iudicio capitali a domino non defensus, et tamen absolutus est. l. 9. qui et a quib. man. lib. non fiunt.
§ Filiusfam. miles manumittens patri in bonis liberti praefertur. l. 22. de bon. libert.
Tit. V. *Quibus ex caussis manumittere non licet.*
LIB. II. DE SECVNDA PERSONARVM DIVISIONE.
Tit.

BIU Cujas

Tit. I. De his, qui sui vel alieni iuris sunt.
§ Dominica potestas et hoc operatur, vt serui non possint cum dominis consistere, nisi certis casibus. *l.* 5. *de manumiss. l.* 7. *ad L. Corn. de falsi. l.* 1. *de lege Iul. de annon.*
Tit. II. De patria potestate.
§ Qui in prouincia officium gerit, consentire non potest in nuptias filii. *l.* 57. *de R. N.*
Tit. III. *De adoptionibus et emancipationibus.*
Tit. IIII. *De tutelis.*
Tit. V. De tutela testamentaria.
§ Tutor testamento personae, non certae caussae datur. *l.* 14. *de test. tut.*
Tit. VI. De legitima agnatorum, patronorum, parentum tutela.
Tit. VII. De capitis deminutione.
§ Relegati in insulam in potestate sua liberos retinent. *l.* 4. *de interd. et releg.*
§ Deportatio iura ciuitatis perimit, qualis poena infligitur ob incestum. *l.* 5. *de quaest.* * Potest et ea lex ad titulum de nuptiis pertinuisse, inserendum inter tit. II. et III.
Tit. VIII. *De Atiliano tutore, et eo, qui ex Lege Iulia et Titia datur.*
Tit. VIIII. *De auctoritate tutorum.*
Tit. X. *Quibus modis tutela finitur.*
Tit. XI. *De curatoribus.*
Tit. XII. *De satisdatione tutorum vel curatorum.*
Tit. XIII. De excusationibus tutorum et curatorum.
§ Qui litem cum pupillo habet, potest excusari. Excusationibus pluribus vna post alteram vti potest tutor datus. Iusta quoque excusandi caussa est, si quis vltra centesimum lapidem detur. *l.* 21. *de excus.*
§ In exsilium quoque pulsus excusari potest, isque veniam meretur, si contutores suspecti reos non fecit. *l.* 29. *eod.*
§ Tutor testamento datus, si excusatur, quatenus legatum amittat. *l.* 3. *de legat.* 1. *l.* 3. *de iur. patr.*
Tit. XIIII. *De suspectis tutoribus.*

LIB. III. DE RERVM DIVISIONE ET ADQVIR. DOM.

Tit. I. De rerum diuisione et adquirendo earum dominio.

BIU Cujas

§ Res communes *l.* 2. *de rer. diuiſ. l.* 4. *l.* 6. *eod.*

§ Res vniuerſitatis, ſacrae, religioſae. *l.* 6. *eod.* Vniuerſitates et collegia licita. *l.* 1. *de coll. licit. l.* 11. *de off. Praef.* Corpus iuſtae ſepulturae non traditum, non inquietandum. *l.* 39. *de religioſ.* nec ſepulcri conditio deterior facienda. Refici tamen poteſt, modo corpora non tangantur. *l.* 7. *de ſepulcro viol.*

§ Res nullius, veluti hereditas iacens. Attamen datur coërcitio extraordinaria, ſi quis eam expilauerit. *l.* 1. *expilat. hered.*

§ Res quaedam extra commercium, qualis eſt tutela, quae numis occupari nequit. *l.* 9. *de tutel.* Nec milites poſſunt praedia comparare. *l.* 9. *de re milit.*

§ Dominium aliquando pluribus commune. Quid in communi liberto obtineat, ſi in ius vocare velit alterum ex dominis? *l.* 23. *de in ius voc.*

§ Arbores et lapides in confinio vtriuſque ſunt. *l.* 8. *de adqu. rer. dom.*

Tit. II. *De rebus corporalibus et incorporalibus.*

Tit. III. *De ſeruitutibus praediorum.*

Tit. IIII. De vſufructu, vſu, habit.

§ Vſusfructus non vſu quomodo amittatur. *l.* 38. *de vſufr. l.* 40. *eod. l.* 4. *quib. mod. vſusfr. vel vſ. amitt.*

Tit. V. De vſucapionibus.

§ Si ſolum vſucapi non poteſt, nec ſuperficies vſucapitur. *l.* 39. *de vſuc.*

§ Qui in diuerticulo fluminis pluribus annis piſcatus eſt ſolus, alios excludere poteſt. *l.* 7. *de diuerſ. et temp. praeſcr.*

Tit. VI. De donationibus.

§ Poſt contractum capitale crimen donationes non valent. *l.* 15. *de donat.*

§ Qui reip. propter calamitatem publicam promiſit, tenetur. *l.* 4. *de pollicit.*

Tit. VII. Quibus alienare licet vel non.

§ Pupillus, quantum ad adquirendum, non indiget tutoris auctoritate, ſed alienare nequit. *l.* 11. *de A. R. D.*

§ Pro-

BIU Cujas

§ Procurator Caesaris bonorum actores ad fiscum deuolutos alienare non potest. *l.* 30. *de iure fisci.*

Tit. VIII. Per quas personas cuique adquiritur.

§ Si quis pro me soluerit creditori meo, etiam ignoranti mihi adquiritur actio pignoratitia. *l.* 40. *de solut.*

LIB. IIII. DE TESTAMENTIS.

Tit. I. *De testamentis ordinandis.*

Tit. II. De militari testamento.

§ Militis, qui filiusfam. testatus est, testamentum post capitis deminutionem valet quasi ex noua voluntate. *l.* 22. *de test. mil.*

Tit. III. Quibus non est permissum facere testamentum.

§ Obsides testari nequeunt, quia eorum bona, tanquam captiuorum in fiscum redigenda *l.* 31. *de iure fisci*: nisi ius togae impetrarint. *l.* 32. *eod. Ita enim legenda inscriptio, vti Codices plerique, non libro XIIII. vti in Florentina est.*

§ A latronibus capti testari possunt, item legatione apud exteros functi, item capitis damnati, pendente adpellatione defuncti. *l.* 13. *qui test. fac. poss.*

Tit. IIII. *De exheredatione liberorum.*

Tit. V. De heredum institutione.

§ Variae formulae heredis institutionis. *l.* 48. *de her. inst.*

§ Conditiones, quae contra leges, SC. vel bonos mores sunt, pro non adscriptis habentur. *l.* 14. *de cond. inst.*

§ Conditiones perplexae infirmant institutionem. *l.* 16. *eod.*

Tit. VI. De vulgari et pupillari substitutione.

§ Et plures vni, et vnum pluribus substituere licet. *l.* 36. *de vulg. et pupill. sub.*

Tit. VII. Quibus modis testamenta infirmantur.

§ Si quis priore facto testamento posterius facit; quamuis in posteriore ex certis rebus heredes fecerit, posterior tamen voluntas rata est. *l.* 29. *ad SC. Trebell.*

Tit. VIII. De querela inofficiosi testamenti.

§ Ea hoc colore instituitur, quasi testator sanae mentis non fuerit. *l.* 2. *de inoff. test.*

§ Eam instituit et pater naturalis aduersus testamentum filii in adoptionem dati. *l.* 30. *eod.*

Tit. VIIII. De heredum qualitate et differentia.

BIU Cujas

§ Filiusfam. hereditatem extranei adit iussu patris. Quid si pater furiosus sit ? *l.* 52. *de adqu. vel omitt. her.*

§ Qui ex parte pure, et ex parte sub conditione solus heres institutus, etiam pendente conditione ex asse heres erit, si in conditionali parte substitutum non habeat. *d. l.* 52. *eod.*

LIB. V. DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO ET ALIIS MODIS ADQVIRENDI VNIVERSALIBVS.

Tit. I. *De hereditatibus, quae ab intestato deferuntur.*
Tit. II. De legitima agnatorum successione.
§ Ex plurimis legitimis heredibus vno omittente, reliqui admittuntur. *l.* 9. *de suis et legit.*
Tit. III. *De SCis Tertulliano et Orphitiano.*
Tit. IIII. *De gradibus cognationis.*
Tit. V. *De seruili cognatione.*
Tit. VI. De successione libertorum.
§ Patre perduellionis damnato, filiis iura in bonis libertorum salua sunt. *l.* 4. *de iur. patr.*
Tit. VII. *De bonorum possessionibus.*
Tit. VIII. *De adsignatione libertorum.*
Tit. VIIII. *De adquisitione per arrogationem.*
Tit. X. *De eo, cui libertatis caussa bona addicuntur.*
Tit. XI. *De successione per bonorum venditionem et ex SC. Claudiano.*

LIBER VI. DE LEGATIS GENERATIM.

Tit. I. De legatis.
§ Legari etiam potest res aliena vel oppignorata, modo sciat testator, rem alienam vel oppignoratam esse. Quis tunc probat rem alienam vel oppignoratam scisse ? *l.* 21. *de probat.*
§ Quaedam res separatim legari non possunt, veluti inquilini sine praedio. *l.* 112. *de legat.* 1. Vtile contra est legatum serui, postea a testatore manumitti iussi, quia aestimatio praestanda. *d. l.* 112.
§ Si Titio cum Seio legatur, vtrique legatum intelligitur. *d. l.* 112.
§ Seruo manumisso peculium legari potest. Id vero non praestat

BIU Cujas

praestat heres, nisi praestita cautione, defensum iri aduersus creditores peculiares. *l.* 18. *de pecul. leg.*

§ Vtile legatum: Illis, qui testamentum meum signauerint, decem lego. *l.* 15. *de reb. dub.*

§ Legari potest pure, sub conditione, in diem. Conditio contra bonos mores adiecta vel iusiurandum adscriptum pro non adiectis habentur. *l.* 112. *de legat.* 1. Si filio pro parte heredi instituto legatum relictum, addita conditione, vt nisi heres sit, nec legatum habeat, hoc petere nequit, si hereditatem repudiet. *l.* 88. *de legat.* 1. Diuisionem decurionibus natali meo dari volo, est legatum annuum. *l.* 23. *de ann. legat.*

§ Falsa demonstratio non nocet, nec si ex liberto fiat ingenuus, nec si Sticho et Pamphilo legatis, alteruter manumissus sit, tunc enim alter debetur. *l.* 33. *de cond. et dem.*

§ Poenae nomine, an sub conditione legatum sit, ex voluntate testatoris est iudicandum. *l.* 2. *de his, quae poen. causs.*

Tit. II. Quando dies legat. cedat.

§ Quid si Titio legata dena, vsque ad annos X. *l.* 20. *quando dies leg. ced.*

Tit. III. De adimendis vel transferendis legatis.

§ Ademtum liberto videtur legatum, si adiectum: pessimo liberto meo. *l.* 13. *de adim. vel transf. leg.*

* § Quaedam pro non scriptis habentur. *Eo pertinere videtur l.* 3. *de his, quae pro non script. quae ex lib. XI. sumta perperam dicitur.*

§ Quibusdam legata tanquam indignis eripiuntur, veluti liberto, qui patronum post mortem tanquam illicitae mercis negotiatorem detulit. *l.* 1. *de his, quae vt indign.* * *Quo etiam pertinet l.* 1. *de his, quae vt ind. quae ex lib. XI. sumta notatur.*

LIB. VII. DE LEGATIS SPECIATIM.

Tit. I. De annuis legatis.

§ Eo pertinere videtur *l.* 113. *de legat.* 1.

Tit. II. De vsufructu legato.

§ Statuarum quoque et imaginum vsusfructus legari potest:

BIU Cujas

immo et eorum praediorum, in quae magis impendimus, quam de illis adquirimus. *l.* 41. *de vsufr.*

§ Quid si pecunia legata, vt post mortem legatarii ad heredem redeat? *l.* 12. *de vsufr. ear. rer. quae vsu.*

Tit. III. *De seruitute legata.*

Tit. IIII. *De dote praelegata.*

Tit. V. *De optione vel electione legata.*

Tit. VI. *De tritico, vino, oleo legatis.*

Tit. VII. De instructo vel instrum. legat.

§ Quid instrumentum pictoris, piscatoris, balneatoris. *l.* 17. *de instr. vel instr. leg.*

§ Quid legatum saltus aestiui? *l.* 67. *de leg.* 3.

§ Legata seruorum certi artificii, pecoris, iumenti, equorum, ouium quid contineant? *l.* 65. *de legat.* 3. Legatum seruorum vrbanorum. *l.* 210. *de V. S.*

§ Legato seruo et per fideicommissum deinde manumisso posterior scriptura valet. *l.* 50. *de fideic. libert. l.* 6. *de assign. libert.*

Tit. VIII. De peculio legato.

§ Filiusfamilias, cui pater peculium legauit, seruum viuo patre manumisit: tunc seruus communis omnium heredum exemtus est peculio propter destinationem filiifam. nihilque interest, ante legatus sit, et deinde manumissus, an contra. *l.* 20. *de pecul. leg.*

Tit. VIIII. *De penu legata.*

Tit. X. *De supellectile legata.*

Tit. XI. De alimentis vel cibariis legatis.

§ Pecunia relicta ad alimenta puerorum, Falcidiae subiecta. *l.* 89. *ad L. Falc.*

Tit. XII. *De auro arg. mundo legat.*

Tit. XIII. *De liberatione legata.*

Tit. XIIII. Vt legatorum seu fideic. caussa.

§ Eo pertinet *l.* 12. *vt leg. vel fideicomm. caussa.*

Tit. XV. Ad L. Falcid.

§ Qui frustrationis caussa beneficium legis Falcidiae implorauit, vsuras praestat *l.* 89. §. 1. *ad L. Falc.*

§ * *Eo etiam pertinere videtur l.* 91. *ad L. Falc. quae ex lib. XIII. sumta notatur.*

Tit.

BIU Cujas

Tit. XVI. De codicillis.

§ Quot et quomodo fieri possint. *l.* 6. §. 1. *de iur. codic.*

§ Quatenus valeant vel non valeant. *l.* 6. *pr. eod. l.* 18. *de cond. inst.*

LIB. VIII. DE FIDEICOMMISSIS GENERATIM.

Tit. I. De fideicommissariis hereditatibus.

§ De formula: Titius heres esto, si Titius heres erit, Maeuius heres esto. *l.* 19. *de const. inst.*

§ Heres ibi quoque de fideicommisso potest conueniri, vbi domicilium habet. *l.* 51. *de iudic.*

§ Et legatus legationis tempore iudicium accipere debet, si suspectam hereditatem dicat. *l.* 30. *de SC. Trebell.*

§ Quid si qui 400. in bonis habuit, petiit, vt mortuo sine liberis herede tanta pecunia, quanta ad eum peruenerit, restituatur Maeuio, et heres medio tempore ex fructibus 400. perceperit, quantum tenetur restituere? *l.* 33. *eod.*

§ Inter heredem et fideicommissarium intercedebant stipulationes. Quid si eas omiserit heres? *l.* 39. *de condict. indeb.*

Tit. II. De rebus singulis per fideicommissum relictis.

§ De illis ex instituto agitur. *l.* 114. *de legat.* 1.

§ Possunt etiam relinqui reip. et quidem in perpetuum. Exemplum est in *l.* 24. *de ann. leg.* * *Eo etiam pertinet l.* 117. *de legat.* 1. quae ex lib. XIII. sumta notatur.

§ Si quis libertis alimenta reliquerit, et seruos deinde legauerit, vt manumittantur, an et hi manumissi alimenta percipiunt? *l.* 2. *de alim. leg.*

LIB. VIIII. DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTATIBVS IN SPECIE ET MORTIS CAVSSA DONATION.

Tit. I. De fideicommissariis libertatibus.

§ De iis ex instituto agitur. *l.* 51. *de fideic. libert. et l.* 31. *ad SC. Trebell.*

§ Qui ex fideicommisso manumittitur, est libertus manumissoris, nec tamen operas praestat, nisi filius patris iussu manumisit. *l.* 29. *de bon. libert.*

§ Quid vero si filius sit impubes, et tutor v. g. absens sit? Tunc ad hanc caussam datur tutor. Eo pertinuit lex 9. de *tut. et curat. dat.* a Triboniano, vt videtur, immutata.

Tit.

BIU Cujas

Tit. II. De donationibus mortis cauſſa.

§ Quid mortis cauſſa donatio? *l.* 1. *de mort. cauſſ. donat.*

§ Mortis cauſſa donare poteſt, et qui teſtamentum condit, et qui non condit, immo et filiusfam. *l.* 25. *eod.*

LIB. X. DE NVPTIIS.

Tit. I. *De ſponſalibus.*

Tit. II. De ritu nuptiarum.

§ Ducere non poteſt patronus libertam inuitam. *l.* 28. *de R. N.* Semel ei nupta ab eo inuito diſcedere nequit. Si volente eo diſcedit, dotis actionem habet. *l.* 35. *ſol. matr.*

§ Nec ducere poteſt tutor pupillam. Si duxit, nec matrimonium eſt, et poteſt adulterii accuſari, qui tutor vel curator fuit, et infra 26. annum vxorem duxit, nec a patre deſponſam, nec eo teſtamento denominatam. *l.* 7. *ad L. Iul. de adult.*

Tit. III. *De iure dotium.*

Tit. IIII. *De pactis dotalibus.*

Tit. V. *De fundo dotali.*

LIB. XI. *Ex eo citantur l.* 3. *de his, quae pro non ſcript. et l.* 2. *de his, quae vt indign. in quarum vtraque ii iuris articuli ex inſtituto tractantur. Sed quum de legatis, ad quae haec materia pertinet, iam ſupra actum, nec veroſimile ſit, Marcianum inter materiam de nuptiis, de qua lib. X. et de concubinatu, de quo lib. XII. doctrinam plane diuerſam voluiſſe tractare: facile patet, vtriuſque legis inſcriptionem in mendo cubare, et pro Lib. XI. reſcribendum eſſe Lib. VI. facili in notis errore. Probabilius eſt, hoc libro continuatos titulos ad* IVRA CONNVBII *pertinentes, adeoque actum eſſe.*

Tit. I. *De donationibus inter vir. et vxor.*

Tit. II. *De diuortiis et repudiis.*

Tit. III. *Soluto matr. dos quemadm. petatur.*

LIB. XII. itidem DE IVRIBVS CONNVBII, et CONCVBINATV.

Tit. I. *De impenſis in res dotales factis.*

Tit. II. *De actione rerum amotarum.*

Tit. III. *De agnoſcendis et alendis liberis.*

Tit. IIII. *De inſpiciendo ventre cuſtodiendoque partu.*

Tit. V. *De concubinis.*

§ Quae

BIU Cujas

§ Quae in concubinatu esse possit vel non possit? *l. 3. de concubin.*

* § *Citatur ex hoc libro etiam l. 4. de legation. vbi fuse disputatur, quinam legationibus fungi possint vel non possint. Sed eam legem ad alium librum, et forte XVI. pertinere, res ipsa docet.*

LIB. XIII. DE MANVMISSIONIBVS, IVRIBVS PATRONATVS, CONTRACTIBVS.

Tit. I. De manumissionibus.

§ Deportatus manumittere non potest. l. 2. de interdict. Nec enim potest (*ea de caussa*) in locum interdictum se conferre. *l. 4. de poen.*

§ Nec seruus poenae nec reus criminis capitalis manumittere potest. Ratio est in *l. 8. de manum.*

§ Iustae manumissionis caussae. *l. 9. de man. vind.*

§ In fraudem ciuitatis vel fisci manumissi ad libertatem non perueniunt. *l. 11. qui et a quill. manum. liberi non fiunt.*

Tit. II. De iure patronatus.

§ Libertus, qui patrono delatores submiserat, merito in seruitutem reuocatur. Contra et iustissimum est, patronum, qui libertum non alit, iura patronatus amittere. *l. 5. de iur. patr.*

* § *Citantur ex libro hoc XIII. etiam l. 117. de legat. 1. vbi de iis, quae ciuitati relinquuntur, agitur, itemque l. 91. ad L. Falc. Sed prior lex manifesto ad librum VIII. posterior ad librum VII. pertinet.*

Tit. III. *De obligationibus.*

Tit. IIII. *De contractibus, qui re ineuntur.*

Tit. V. De verborum obligationibus et fideiussionibus.

§ Omnes exceptiones, quae reo competunt, fideiussori quoque, inuito etiam reo competunt. *l. 19. de except.*

Tit. VI. De emtione venditione.

Tit. VII. De locatione conductione.

Tit. VIII. De societate.

Tit. VIIII. De mandato.

Tit. X. De contractibus innominatis.

BIU Cujas

LIB. XIIII. DE QVASI CONTRACTIBVS, CONTRACTVVM QVORVNDAM AFFECTIONIBVS, DELICTIS, CRIMINIBVS.

Tit. I. De quasi contractibus.

§ Talis etiam rei communio. Quid si quis euitandae actionis communi diuidundo caussa rem alienarit? *l.* 12. *de alienat. iud. mut. causs.*

Tit. II. De vsuris, fructibus, eoque, quod interest.

§ Quod supra statutum modum quis stipulatur, nec non vsurae vsurarum pro non adscriptis habentur, licitas tamen peti posse placuit. *l.* 29. *de vsur.*

Tit. III. *Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.*

§ Filiofam. qui credidit, siue priuatus, siue ciuitas, ei obstat exceptio SC. Macedoniani. *l.* 15. *ad SC. Maced.*

Tit. IIII. *Quibus modis tollitur obligatio.*

Tit. V. *De obligationibus ex delicto, maxime furto.*

Tit. VI. Vi bonorum raptorum.

§ Si fortuito incendium factum, venia indiget, nisi tam lata culpa sit, vt dolo sit proxima. *l.* 11. *de incend. ruin. naufr.*

Tit. VII. *De Lege Aquillia, noxa, pauperie.*

Tit. VIII. De iniuriis.

§ *Constitutionibus cauetur, vt quae infamandi* alterius caussa in monimentis publicis posita sunt, tollantur. *l.* 37. *de iniur.* Qualis actio aestimatoria ex L. Cornelia de iniuriis. *l.* 37. *de iniur.*

Tit. VIIII. *De quasi delictis.*

Tit. X. De extraordinariis criminibus.

§ Si mulier in possessionem missa partum subiecisse dicatur, et decesserit, an cognitio ex edicto Carboniano differtur ad annos pubertatis. *l.* 2. *de Carb. edict.*

Tit. XI. De publicis iudiciis.

§ Defuncto eo, qui reus fuit criminis, et poena exstincta, in quacumque caussa criminis exstincti debet is cognoscere, cuius de pecuniaria re cognitio est. *l.* 6. *de publ. iudic.*

Tit. XII. *De accusationibus.*

Tit. XIII. Ad L. Iuliam maiestatis.

§ Quis ex legibus XII. tabularum, quis ex lege Iulia criminis maiestatis reus sit? *l.* 3. *ad L. Iul. maiest.*

Tit.

BIU Cujas

Tit. XIIII. *Ad L. Iuliam de adulteriis.*
Tit. XV. Ad L. Iuliam de vi publica.
§ Quis huius delicti reus sit? *l.* 1. *l.* 3. *l.* 5. *h. t.*
Tit. XVI. Ad L. Iuliam de vi priuata.
§ Quinam vim priuatam commisisse dicantur, quaque poena coerceantur. *l.* 1. *h. t.*
Tit. XVII. Ad L. Corneliam de sicariis et veneficis.
§ Quinam sicarii? *l.* 1. *h. t.*
§ Quinam venefici? *l.* 3. *eod.*
Tit. XVIII. Ad L. Pompeiam de parricidiis.
§ Parricidium in quibus personis committatur. *l.* 1. *l.* 3. *l.* 5. *h. t.*
Tit. XVIIII. Ad L. Corneliam de falsis.
§ Poena huius legis quis teneatur. *l.* 1. *h. t.*
Tit. XX. De lege Iulia repetundarum.
§ Qui repetundarum rei? *l.* 1. *h. t.*
Tit. XXI. *De lege Iulia de annona.*
Tit. XXII. De lege Iulia peculatus.
§ Quinam ea lege teneantur. *l.* 4. *h. t.*
Tit. XXIII. *De lege Iulia de ambitu.*
Tit. XXIIII. *De lege Fabia de plagiariis.*
Tit. XXV. De quaestionibus, poenis, interdictis et restitutis.
§ Restituti an omnia iura recuperent? Tractasse hanc speciem, eamque exemplo captiui apud hostes detenti illustrasse videtur Marcianus *l.* 25. *de capt. et postl.*

Lib. XV. De actionibvs, interdictis et ivdiciis egisse videtur. Ex eo sola supereſt *l.* 9. *de cess. bon.*

Lib. XVI. De ivrisdictione et officio magistratvvm videtur tractasse. Ex eo non nisi vnica supereſt *l.* 19. *de R. N.* vbi de potestate praetoris et praesidis in cogendis parentibus, vt liberos elocent, et dotent.

* § Forte huc etiam pertinet *l.* 4. *de legation.* quae ex libro vndecimo sumta notatur.

BIU Cujas

HERMOGENIANI LIBRI SEX EPITOMARVM IVRIS ORDINI SVO RESTITVTI.

LIBER I.

Prooemium de iur. nat. gentium et ciuili.

§ Quid ius gentium? Exemplis id illustratur. *l.* 5. *D. de iust. et iure.*

§ Ius ciuile etiam non scriptum obseruatur pro lege. *l.* 35. *D. de LL.*

§ Sub finem prooemii indicasse videtur ordinem, quem sit obseruaturus, nempe, quod praemissa doctrina de statu personarum, ordinem edicti perpetui sequuturus sit. *l.* 2. *D. de statu hom.*

PARS I.

DE STATV HOM.

Tit. I. De iure personarum.

§ Serui vel nascuntur vel fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris. Quinam serui in patrimonio nostro numerentur. *l.* 38. D. *ad L. Falc.*

§ Fiunt vel iure gentium, vel iure ciuili. Eo etiam pertinent serui poenae, quales in metallum damnati. *l.* 36. D. *de poen.* An non omnes condemnati capitali iudicio? Negatur. Ratio est in *l.* 42. D. *eod.*

Tit. II. *De ingenuis.*

Tit. III. De libertinis.

§ Manumissio fit sollemniter. In dubio tamen pro libertate pronunciandum. *l.* 24. *de manumiss.*

§ Manumissio per vindictam Hermogeniani tempore per lictorem, tacente domino, explicabatur. *l.* 2. D. *de manum vind.*

Non

BIU Cujas

§ Non fit liber seruus in caussa capitali fortunae iudicio a domino commissus et postea absolutus. *l.* 13. D. *de statu hom.*

§ De libertate sub conditione data. *l.* 94. D. *de condit. et dem.*

Tit. IIII. Qui et ex quibus caussis manum. non possunt.

§ Manumissio in fraudem creditorum facta lege Aelia Sentia prohibetur. *l.* 27. D. *qui et a quib. manum.*

Tit. V. De his, qui sui vel alieni iuris sunt.

§ Serui an et quibus casibus aduersus dominos consistere possint. *l.* 53. D. *de iudic.* Sed magis est, vt hanc legem ad tit. 8. referamus.

Tit. VI. *De patria potestate, adoptionibus et emancipationibus.*

Tit. VII. De tutelis et curationibus.

§ Quaenam differentia inter curatorem bonorum et reliquos curatores furiosorum, prodigorum, minorum. *l.* 48. *de administr. et peric. tut.*

PARS II.

AD EDICTI ORDINEM.

Tit. VIII. De actione danda vel deneganda a praetore.

§ Potest huc etiam referri *l.* 53. *de iudic.* quam supra ad tit. de his, qui sui vel al. iur. retulimus. Et sane id magis placet.

Tit. VIIII. De magistratibus municipalibus, eorumque officio et iurisdictione.

§ Munera quotuplicia? *l.* 1. *de muner.*

§ A patrimonialibus nulla caussa excusat. *l.* 11. *de vac. et excus. mun.*

§ A personalibus quidam vel excusantur vel immunes sunt: ii tamen possunt suscipere munera, si velint. *l.* 17. *de mun.*

§ Decurionum hoc priuilegium est, vt iis alimenta decerni debeant, si ex liberalitate in patriam ad paupertatem vergant. *l.* 8. *de decurion.*

§ Magistratus municipales iurisdictione gaudent in municipes. Ast tales non sunt alterius originis adoptiui, si postea emancipentur. *l.* 16. D. *ad municip.* nec senatores, quod ad munera attinet, nec milites, si in patria possessiones non habeant. *l.* 23. *eod.*

Tit. X. *De formula iurisdictionis et albo corrupto.*

BIU Cujas

Tit. XI. *De edendo.*
Tit. XII. De pactis et transactionibus.
§ Qui fidem transactionis rumpit, et exceptione submouetur, et poenam conuentionalem debet. *l.* 16. *de transact.*
Tit. XIII. *De in ius vocando.*
Tit. XIIII. *De postulando.*
Tit. XV. *De his, qui not. infamia.*
Tit. XVI. De cautionibus.
§ Cautio rem ratam haberi, cuius efficaciae sit. *l.* 6. *rem rat. hab.*
§ Poena contumaciae quae? *l.* 53. *de re iud.*
Tit. XVII. *De cognitoribus, procuratoribus, negotiorum gestoribus.*
Tit. XVIII. *De calumniatoribus.*
Tit. XVIIII. De in integrum restitutionibus.
§ In integrum etiam restituit Praefectus Praetorio, quum tamen ab eius sententiis adpellatio non permittatur. Cur tam varie? *l.* 17. *de min.*
§ Minor in integrum restituendus etiam si tanquam contumax condemnatus. *l.* 8. *eod.* etiam aduersus in diem addictionem, alio plus offerente. *l.* 35. *D. eod.*
Tit. XX. *De receptis et arbitris.*
Tit. XXI. *De nautis, cauponibus, stabulariis.*
Tit. XXII. De *iudiciis.*
Tit. XXIII. De *hereditatis petitione.*
Tit. XXIIII. De *rei vindicatione, et Publiciana.*
Tit. XXV. De *vsufructu et seruitutibus praedialibus.*
Tit. XXVI. De *damno dato.*
Tit. XXVII. De *iudiciis duplicibus, finium reg. famil. ercisc. et comm. diu.*
Tit. XXVIII. De *iudice, qui litem suam fecit.*
Tit. XXVIIII. De *interrogationibus in iure faciendis.*
Tit. XXX. De *iureiurando.*
Tit. XXXI. De *his, qui effuderunt, vel deiecerunt.*
Tit. XXXII. De *seruo corrupto.*
Tit. XXXIII. De *aleatoribus.*
Tit. XXXIIII. *Si mensor falsum modum dixerit.*
Tit. XXXV. *Ad exhibendum et de ventre inspiciendo.*
Tit. XXXVI. De *religiosis.*

BIU Cujas

LIBER II.

Tit. I. *De rebus creditis et certi condictione.*
Tit. II. *De iureiurando.*
Tit. III. De condictionibus indebiti et aliis.
§ Condici etiam ab hereditatis possessore possunt inhonesti quaestus, quos fecit. *l.* 52. *de her. pet.*
§ Item quod datum ne testamentum tanquam falsum impugnetur, si penes dantem culpa non sit, et testamentum nihilominus impugnatum. *l.* 2. *cond. causs. dat.*
Tit. IIII. *De eo, quod certo loco.*
Tit. V. *De pecunia constituta.*
Tit. VI. *Commodati.*
Tit. VII. *De pignoratitia actione.*
Tit. VIII. De praescriptis verbis et in factum actione.
§ Nascitur ex contractibus innominatis, non ex diuisione, quae pactum nudum est, nisi vel traditio vel stipulatio accesserit. l. 4. 5. de pact.
Tit. VIIII. *De exercitoria.*
Tit. X. *De institoria.*
Tit. XI. *De tributoria.*
Tit. XII. *Quod cum eo, qui in aliena potestate est.*
Tit. XIII. *De SC. Macedoniano.*
Tit. XIIII. *Quod iussu.*
Tit. XV. *De in rem verso.*
Tit. XVI. *De peculio.*
Tit. XVII. *Ad SC. Velleianum.*
Tit. XVIII. *De compensationibus.*
Tit. XVIIII. *De deposito.*
Tit. XX. Mandati et contra.
§ Mandatarius ob valetudinem vel inimicitiam capitalem vel aliam iustam caussam liberatur. *l.* 23. *l.* 25. *D. mand.*
§ Fideiussor, qui minori pecuniam obtulit, et in publico loco consignatam deposuit metu restitutionis, confestim mandati potest experiri. *l.* 64. *de fideiuss.*
Tit. XXI. *Pro socio.*
Tit. XXII. De emtione, venditione et actionibus emti venditi.
§ Venditor potest pactum quodcumque addere. *l.* 75. *de contr. emt.*

§ Etiam

BIU Cujas

§ Etiam legem commissoriam, quo casu venditor pretium; die elapso petens renunciasse suo iuri censetur. *l.* 7. *de leg. commiss.*

§ Vendi possunt res omnes, quae in commercio, etiam hereditas. Quo facto omne ius suum cedere tenetur venditor. *l.* 23. *de her. vel act. vend.*

§ Quid si quis vendiderit vinum antiquum? Comparationem inter contractum hunc et legatum vini instituisse videtur Hermogenianus. *l.* 10. *de trit. vin. ol. leg.*

§ Venditor actione emti conuentus omnem dolum praestat. Exemplum in *l.* 49. *de act. emt.*

§ Emtor actione venditi pulsatus ob moram soluendi, vsuras soluit, non id, quod interest. *l.* 19. *de per. et comm. rei vend.*

§ De euictione et dupli stipulatione. *l.* 74. *de euict.*

§ Venditione donandi caussa facta res pro donato vsucapitur. *l.* 6. *pro donato.*

Tit. XXIII. De locatione conductione.

§ Locatio praetextu minoris pretii rescindi non potest. *l.* 23. *loc.*

§ Qui foenum contra legem contractus in aedes intulit, de incendio tenetur, etiamsi extraneus ignem iniecerit. *l.* 12. *locat.*

Tit. XXIIII, Ad L. Rhodiam de iactu.

§ An qui res suas naufragio liberarunt, conferre teneantur? An et ob arborem caesam collatio fiat? *l.* 5. *de L. Rhod.*

Tit. XXV. *De aestimatoria.*

Tit. XXVI. *De pignoribus.*

Tit. XXVII. *De nuptiis.*

Tit. XXVIII. *De iure dotium.*

Tit. XXVIIII. *De pactis dotalibus.*

Tit. XXX. *De fundo dotali.*

Tit. XXXI. De diuortiis et soluto matrimonio dos quemadm. petatur.

§ Lege Iul. et Papia cautum: QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM DATO. Quid pecunia? *l.* 222. *de V. S.*

§ Res aestimata et vsu mulieris periculo mariti fit deterior. *l.* 51. *sol. matr.*

Tit.

BIU Cujas

Tit. XXXII. De donatione inter virum et vxorem.

§ Vitricus et priuignus inuicem sibi donare possunt matrimonii caussa. *l.* 60. *de don. int. vir. et vx.* Valet etiam donatio diuortii caussa facta. *l.* 60. §. 1. *l.* 62. *eod.*

Tit. XXXIII. De actione rerum amotarum.

§ Aduersus vxorem locum habet actio rerum amotarum, non furti, nec expilatae hereditatis. *l.* 5. *de expil. her.*

§ Vxor ad fiscum deuolutis bonis rerum amotarum in simplum conuenitur. *l.* 16. *de act. rer. amot.*

Tit. XXXIIII. Si ventris nomine.

Tit. XXXV. De agnoscendis et alendis liberis.

§ Si alimenta adiudicata sint, et reus ad principem adpellauerit, praeses procedere potest. Alias non nisi consentientibus partibus. *l.* 26. *de adpellat.*

Tit. XXXVI. De tutelis et curatione.

§ Cum inquisitione confirmatur tutor filio praeterito datus. *l.* 7. *de conf. tut.*

§ A legitima tutela agnatus non excluditur a femina remotiore. *l.* 10. *de legit. tut.* non tamen admittitur surdus et mutus. *l.* 10. §. 1.

§ In prouinciis tutorem dat Praeses, quippe qui eadem potestate gaudet in prouinciis, qua magistratus vrbani Romae. *l.* 10. *de off. Praef.*

§ Si bona Romae et in prouinciis sita, tunc prouincialibus Praeses tutorem dat, Romanorum praetor. *l.* 27. *de tut. dat.*

§ Tutor nec culpam leuissimam nec casum praestat. *l.* 50. *de adm. et peric. tut.*

§ A tutela excusantur administratores rerum principis, praefectus annonae, comites absentium reip. caussa, quod ad tutelas suscipiendas, item quidam corporum vel collegiorum nomine, *l.* 41. *de excus. tut.* non autem libertus senatoris, qui filiorum senatoris curam gerit. *l.* 43. *eod.*

Tit. XXXVII. De noxali furti actione.

§ Si ex vno delicto plures actiones nascuntur, ex omnibus agi potest. *l.* 32. D. *de obl. et action.*

Tit. XXXVIII. *De furto a seruo, qui testamento liber esse iussus est, facto.*

BIU Cujas

Tit. XXXVIIII. *De publicanis, et furto a familia eorum facto.*

Tit. XXXX. De operis libertorum.

§ Patronus in nuptias libertae consentiens operas amittit, modo nuptiae sequantur; non autem patrona. *l.* 48. *de op. libert.*

§. l. 46. de re iudic. Hermogenianus iudici permittit, vt actorum verba emendare possit, modo sententia perseueret. Quod quo pertineat, mihi non liquet.

LIB. III.

Tit. I. *De bonorum possessionibus.*

Tit. II. De bonorum possessione contra tabulas.

§ Patre seruo poenae facto et postea restituto, eius filius nihilominus ad bonorum possessionem contra tabulas admittitur. *l.* 2. *de bon. poss. contra tab.*

§ Filius sub conditione exheredatus nihilominus petit bonorum possessionem. Ast legatum vel fideic. sibi relictum amittit. *l.* 18. *eod.*

Tit. III. De legatis praestandis.

§ Eo pertinet *l.* 23. *de leg. praest.*

Tit. IIII. *De collatione bonorum.*

Tit. V. *De collatione dotis.*

Tit. VI. *De coniungendis cum emancipato liberis.*

Tit. VII. De ventre in possessionem mittendo.

§ Si nihil natum, an et sumtus b. f. facti repetuntur. *l.* 3. *de ventre in poss. mitt.*

Tit. VIII. De Carboniano edicto.

§ Haec bonorum possessio ad quid prosit? *l.* 15. *de Carb. edict.*

Tit. VIIII. De bon. possess. secundum tabulas.

Tit. X. De bonis libertorum.

§ Varii casus, quando possit vel non possit patronus bonorum possessionem petere.

Tit. XI. *Si tabulae testamenti nullae exstabunt.*

Tit. XII. *Si quid in fraudem patroni.*

Tit. XIII. *De testamentis.*

Tit.

BIU Cujas

Tit. XIIII. *De legitimis successionibus.*
Tit. XV. *Vnde liberi.*
Tit. XVI. Vnde legitimi.
§ Nati post mortem patris, vel post captiuitatem vel deportationem, sed et hi, qui eo tempore in potestate fuerunt; inter se consanguinei habentur. *l. 6. vnde legit.*
§. Ea sola deportatis aufert sententia, quae ad fiscum perueniunt. *l. 97. de R. I.*
Tit. XVII. *Vnde cognati.*
Tit. XVIII. Vnde vir et vxor.
§ Qui mortem vxoris non defendit, ei, quod accepturus erat, tanquam indigno aufertur. *l. 20. de his, quae vt indign.* Rectius tamen ad sequentem titulum refertur.
Tit. XVIIII. De vacantibus, ereptitiis, caducis.
§. Rectius huc refertur *l. 20. de his, quae vt indign.* de qua ad antecedentem titulum.
Tit. XX. *Si quis aliquem testari prohibuerit.*
Tit. XXI. *Vt ex legibus et SCis bonorum poss. detur.*
Tit. XXII. *Quis ordo in bon. poss. seruetur.*
Tit. XXIII. *De successorio edicto.*
Tit. XXIIII. De heredibus instituendis.
§ Si ex pluribus vnciis, quam duodecim, heredes instituti, ex asse fit dupondius. *l. 87. de her. inst.*
Tit. XXV. *De substitutionibus.*
Tit. XXVI. De conditionibus institutionum.
§ An conditionem faciat institutio: P. Maeuius heres esto, si volet. *l. 12. de condit. inst.*
§ Conditio vt aliquid in loco sancto fiat, non semper valet. Ratio est in *l. 2. ne quid in loco sacro.*
Tit. XXVII. *Testamenta quemadmodum aperiantur.*
Tit. XXVIII. De adquirenda vel omittenda hereditate.
§ Superstitis bona repudians, defuncti adire non prohibetur. *l. 94. de adqu. vel omitt. her.*
§ Quid si pupillum se credens, pubes quum esset, pro herede gessit? *l. 96. eod.*
Tit. XXVIIII. Si quis omissa caussa testamenti ab int.
§ Si quis omissa caussa testamenti quocumque alio titulo possidet, a legatariis et fideicommissariis non conuenitur.

BIU Cujas

l. 30. *si quis omiss.*

Tit. XXX. *De SC. Silaniano.*

LIB. IIII.

Tit. I. De legatis et fideicommissis.

§ Si initio testamenti scripserim : Cui bis legauero, semel praestari volo, et postea in testamento vel codicillis saepe legem : legatum valet. *l.* 22. *de legat.* 3.

§ Miles quoque ex militari delicto damnatus permittente eo, qui damnauit, legatum vel fideic. relinquere potest. *d. l.* 22. *eod.*

§ Seruo vel proprio vel alieno legato mortis damnum ante moram ad legatarium pertinet. *d. l.* 22. *eod.*

§ Si ego legauerim prius et postea heres meus leget : mei legatarii praeferuntur. *l.* 98. *de R. I.*

† Tit. II. De conditionibus et demonstrationibus.

§ Si legata sub conditione relicta ad alium transferantur, sub eadem conditione relicta censentur. *l* 45. *de cond. et dem.*

† Tit. III. Ad Legem Falcidiam.

§ Ad veterani testamentum lex Falcidia pertinet, licet intra annum missionis decesserit.

† Tit. IIII. Ad SC. Trebellianum.

§ Quis cogi possit ad adeundam hereditatem. *l.* 14. D. *ad SC. Trebell.*

Tit. V. Vt in possessionem legat. caussa.

§ Si in possessionem legatorum seruandorum caussa missus rem mihi per fideicommissum relictam tenet, aequius est me illam habere, quam illum. *l.* 11. D. *vt in possess. leg. seru. caussa.*

Tit. VI. *De operis noui nunciatione.*

Tit. VII. *De damno infecto.*

Tit. VIII. *Aquae pluuiae arcendae.*

LIB. V.

Tit. I. *De caussis status.*

Tit. II. De liberali caussa.

§ Maior viginti annis, qui se pretii participandi caussa venundari

nundari passus est, ne post manumissionem quidem potest ad libertatem proclamare. *l.* 40. *de liber. causſa.*

Tit. III. *De statu liberis.*

† Tit. IIII. De collusione detegenda.

§ Sententiam pro ingenuitate latam semel retractare collusione probata licet. *l. vlt.* D. *de collus. det.*

Tit. V. De publicanis.

§ Vectigalia non potest praeses vel Proc. Caesaris sine Principis consensu vel constituere vel mutare. Potest tamen non solutis pensionibus conductorem pellere, vel ob moram vsuras exigere. *l.* 10. *de public. et vectig.*

Tit. VI. De adquirenda possessione et de vsucapionibus.

§ Per filium putatiuum non possumus adquirere possessionem. Possumus vero per seruum, qui in fuga agit. *l.* 50. *de adqu. vel amitt. poss.*

§ Pro soluto vsucapit, qui rem debiti causſa recipit. *l.* 46. *de vsucap.*

§ Quis pro legato vsucapiat. *l.* 9. *pro legat.*

Tit. VII. *Vi bonorum raptorum.*

Tit. VIII. *De incendio, furto etc.*

Tit. VIIII. De iniuriis.

§ De iniuria tempore Hermogeniani extra ordinem statui solebat pro personarum qualitate. *l.* 45. *de iniur.*

Tit. X. *De re iudicata et exsequutionibus.*

Tit. XI. *De confessis.*

Tit. XII. *De cessione bonorum.*

Tit. XIII. *Quibus ex causſis in possessionem eatur.*

Tit. XIIII. *De rebus auctoritate iudicis possidendis.*

Tit. XV. De priuilegiis creditorum.

§ Sponsa vel minor XII annis nuptura dotem dedit: condictionem habebit exemplo dotis cum priuilegio. *l.* 74. *de iur. dot.*

§ Tutelae priuilegium non solum in bonis tutoris, sed et

BIU Cujas

eius, qui pro tutela negotium gessit, datur *l.* 25. *de tut. et rat. distrah.* Eodem etiam pertinere videntur *l.* 27. *de adpellat. et l.* 2. *si tut. vel curat. magistr. creat. adpell.*

Tit. XVI. *De bonorum venditione.*

Tit. XVII. *De separationibus.*

Tit. XVIII. *De curatore bonis dando.*

† Tit. XVIIII. De iure fisci in bonis damnatorum.

§ Bona libertorum damnatorum liberis relinquuntur ex rescripto Seueri Imp. *l.* 9. *ad L. Iul. mai.*

LIB. VI.

Tit. I. De his, qui in quantum facere possunt, condemnantur.

§ Donator conuenitur, in quantum facere potest, si constituerit. Qua occasione varia de donationibus tractantur *l.* 33. *de donat.*

Tit. II. *De his, quae in fraudem creditorum.*

Tit. IH. *De interdictis.*

Tit. IIII. *Quorum bonorum.*

Tit. V. *Quod legatorum.*

Tit. VI. *De interdictis de rebus diuinis, publicis; vi publica, de mortuo inferendo, tabulis exhibendis.*

Tit. VII. *De interdictis super re priuata, retinendae vel recuperandae possessionis.*

Tit. VIII. *De superficiebus.*

Tit. VIIII. *De itinere actuque priuato.*

Tit. X. *De aqua quotidiana.*

Tit. XI. *De riuis.*

Tit. XII. *De fonte.*

Tit. XIII. *De operis noui nunciatione.*

Tit. XIIII. *De cloacis.*

Tit. XV. *Quod vi aut clam.*

Tit. XVI. *De remissionibus.*

Tit. XVII. *De precario.*

Tit.

BIU Cujas

Tit. XVIII. *De arboribus.*
Tit. XVIIII. *De glande legenda.*
Tit. XX. *De homine libero exhibendo.*
Tit. XXI. De liberis exhibendis.
§ Pater, qui filiam in poteſtate habet, recte a marito conuenitur de vxore exhibenda. *l.* 2. *de lib. exhib.*

Tit. XXII. *Vtrubi.*

Tit. XXIII. *Ne vis fiat ei, cet.*

Tit. XXIIII. *De interdicto Saluiano.*

Tit. XXV. *De migrando.*

Tit. XXVI. *De exceptionibus.*

Tit. XXVII. *De exceptione vadimonii deſerti.*

Tit. XXVIII. *De exceptione rei iudicatae.*

Tit. XXVIIII. De doli mali exceptione.
§ Si debitor a furioſo delegatus creditori eius ſoluat, quem compotem mentis credebat, et aduerſus eum agatur: exceptione doli mali in id, quod in rem furioſi proceſſit, defenditur. *l.* 16. *de dol. mal. et met. exc.*

Tit. XXX. De exceptione rei venditae non traditae.
§ Haec exceptio et emtoris ſucceſſoribus prodeſt, et venditoris ſucceſſoribus nocet. *l.* 3. *de exc. rei vend. non trad.*

Tit. XXXI. *De litigioſis.*

† Tit. XXXII. De praeſcriptione.
§ In fiſci quaeſtionibus, ſi aliud non conſtitutum, viginti annorum praeſcriptio cuſtoditur. *l.* 13. *de diuerſ. et temp. praeſcr.*

Tit. XXXIII. Quarum rerum actio non detur.
§ Pertinere eo videtur *l.* 3. *ne de ſtatu defunct.*

Tit. XXXIIII. De exceptione iuriſiurandi.
§ Si filiusfam. iurauit, patrem non debere, huic exceptio iuriſiurandi adquiritur. *l.* 24. *de except.*

Tit. XXXV. *De his, quae onerandae libertatis.*

Tit. XXXVI. De ſtipulationibus.

§ He-

BIU Cujas

§ Hereditati per seruum hereditarium adquiritur. *l.* 61. *de adquirer. dom.*.

§ Fideiussores obligantur, si se daturos facturosue, non si reum daturum facturumue promittant. *l.* 65. *de fideiuss.*

Tit. XXXVII. *De stipulationibus praetoriis.*
Tit. XXXVIII. *Iudicio sisti.*
Tit. XXXVIIII. *Iudicatum solui.*
Tit. XXXX. *De re defendenda.*
Tit. XXXXI. *De dolo malo.*
Tit. XXXXII. *Tutelae et testamenti.*
Tit. XXXXIII. *Legatorum nomine.*
Tit. XXXXIIII. *Si cui plus quam per L. Falc.*
Tit. XXXXV. *Rem pupilli saluam fore.*
Tit. XXXXVI. Ratam rem haberi.

§ Ex conuentione stipulatio haec interponi solet, si procurator paciscatur, vel aliud quodcumque negotium absente domino agat. *l.* 11. *rem rar. hab.*

Tit. XXXXVII. *Stipulatio de operis noui nunciatione.*
Tit. XXXXVIII. *De duplae stipulatione.*
Tit. XXXXVIIII. *De stipulatione ob nouum opus et damni infecti.*

* *Hactenus Edictum Praetoris. Pollicetur vero Hermogenianus l.* 2. *de stat. hom. se proximos et coniunctos titulos, quoad res patiatur, adplicaturum. Tales aliquot iam adfuere, quos signo † distinximus a reliquis. Et ex eadem ratione adiecit appendicem de criminibus publicis.*

PARS III.

DE PVBLICIS IVDICIIS.

Tit. L. *De publicis iudiciis.*
Tit. LI. De accusationibus.

§ Qui minus, quam L. aureos possidet, ei ob paupertatem accusare non permittitur. *l.* 10. *de accusat.*

Tit. LII. *De custodia et exhibitione reorum.*

Tit.

BIU Cujas

Tit. LIII. Ad Legem Iuliam maiestatis.
§ Huius criminis reus est, et cuius ope consilio dolo factum, vt prouincia hosti proderetur. *l.* 10. *ad L. Iul. iam.*
Tit. LIIII. *Ad Legem Iul. de adulteriis coërcendis.*
Tit. LV. *Ad Legem Iul. de vi publ. et priuata.*
Tit. LVI. *Ad Legem Corneliam de sicariis et veneficis.*
Tit. LVII. *De lege Pompeia de parricidiis.*
Tit. LVIII. De lege Cornelia de falsis.
§ Falsi poena coërcentur, et qui ad litem instruendam aduocatione, vel testibus pecuniam acceperunt, vel vt horum quid fieret, curarunt. *l.* 20. *ad L. Corn. de falsi.*
Tit. LVIIII. *De lege Iulia Repetundarum.*
Tit. LX. *De lege Iulia de annona.*
Tit. LXI. *De lege Iulia peculatus.*
Tit. LXII. *De lege Iulia ambitus.*
Tit. LXIII. De lege Fabia de plagiariis.
§ Plagiarii tempore Hermogeniani non mulcta pecuniaria, sed extraordinaria poena, et plerumque damnatione in metallum adficiebantur. *l.* 7. *ad L. Fab. de plag.*
Tit. LXIIII. *Ad SC. Turpillianum.*
Tit. LXV. *De requirendis vel absentibus damnandis.*
Tit. LXVI. *De quaestionibus.*
Tit. LXVII. *De poenis.*
Tit. LXVIII. De bonis damnatorum.
§ Multa de iuribus fisci in bonis damnatorum accumulantur in *l.* 46. *de iur. fisci.*
Tit. LXVIIII. *De bonis eorum, qui ante sententiam etc.*
Tit. LXX. *De interdictis et relegatis.*
Tit. LXXI. *De cadaueribus punitorum.*

BIU Cujas

P. IVVENTII CELSI
DIGESTA
ORDINI SVO RESTITVTA.
PARS I.
AD EDICTVM.

LIB. I. DE IVRISDICTIONE.

Prooemium.

§ Ad id pertinere videtur † *l. 1. pr. D. de I. et Iure*, vbi explicatur, quid sit ius?

Tit. I. *De actione danda denegandaue.*

Tit. II. De magistratibus municipalibus eorumque iurisdictione, potestate, officio.

§ Municipem facit natiuitas, et tunc patris habetur ratio. An et matris? † *l. 1. §. 2. ad municipal.*

§ Municipem et manumissio facit. Sequitur enim libertus originem patroni. Si domicilium mutauit, vtroque loco muneribus fungitur. Vbi autem quis domicilium habere intelligitur? * *l. 27. §. 2. D. ad municip.*

Tit. III. *De vadimonio.*

Tit. IIII. *De vindiciis secundum possessorem dandis.*

Tit. V. *De formula iurisdictionis.*

Tit. VI. *De edendo.*

Tit. VII. De pactis.

§ Pacta quaedam in rem, quaedam in personam. Vnde quaeritur, an qui filio pactus est, et coheredi pactus censeatur? † *l. 10. D. de pact. dot. 2.* quis probet, heredi eo pacto consultum esse. *l. 9. D. de probat.*

§ Paciſci possunt, qui et consentire. An et ii, qui in potestate sunt? *l. 25. de nouat.* † *l. 29. de pact.*

Tit. VIII. De in ius vocando.

§. Pa-

BIU Cujas

§ Patronum in ius vocare non potest libertus sine venia praetoris. Potest tamen, si patronum eum iurare coëgerat, ne vxorem duceret. An hoc factum patris et filio obest? † *l. 8. §. 2. de in ius voc.*

Tit. VIIII. *De postulando.*

Tit. X. De his, qui notantur infamia.

§ Notat praetor eos, qui artem ludicram faciunt. An et designatores? † *l. 4. §. 1. D. de his, qui not. infam.*

Tit. XI. de cautione in iudicio sisti.

§ Si quis in iudicio sisti promisit, non addita poena conuentionali: cum eo incerti agendum erit. † *l. 3. D. si quis in ius voc. non ier.*

Tit. XII. De procuratoribus, cognitoribus, negotiorum gestoribus.

§ Maritus quando negotia vxoris gessisse censeatur? *l. 47. D. de donat. int. vir. et vx.*

§ An qui rem minus necessariam contra domini voluntatem fecit, vtiliter gessisse dicatur? † *l. 10. §. 1. D. de neg. gest.*

Tit. XIII. *De calumniatoribus.*

LIB. II. DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS.

Tit. I. *De dolo malo.*

Tit. II. *Quod metus caussa.*

Tit. III. De minoribus 25. annis.

§ An minor agens tutelae post maiorennitatem absoluto tutore restitui debeat in integrum? * *l. 3. §. 1. D. de minor.*

§ Restituto minore aduersus eum, quocum tutelae egit, non ideo tutori restituenda actio tutelae contraria. *l. 28. eod.*

Tit. IIII. De capite minutis.

§ De transfugis rebusque hostilibus apud nos deprehensis ea occasione egisse videtur Celsus *l. 51. de adqu. rer. dom.*

Tit. V. *De eo, quod falso tutore auctore gestum.*

Tit. VI. *Ex quibus caussis maiores 25. annis in integrum restituuntur.*

Tit. VII. *De alienatione iudicii mutandi caussa facta.*

Tit. VIII. De temporibus in integrum restitutionis.

BIU Cujas

§ An in computando hoc tempore ratio etiam habenda sit feriarum sollemnium? * *l.* 26. §. 7. *D. quib. ex causs. mai.*

Tit. VIIII. De receptis et qui arbitrium receperunt.

§ Arbitri non possunt adesse iubere litigantes in loco inhonesto. * *l.* 21. §. 11. *de recept. et qui arb.*

§ Si in tres compromissum, uno absente reliqui sententiam dicere non possunt, eo praesente possunt. * *l.* 17. §. 17. *D. eod.*

§ Quando committatur stipulatio tempore non adiecto? * *l.* 21. §. 12. *eod.* Quando si tempus adiectum? † *l.* 23. *pr.* §. 1. 3. *eod.* Quid si arbiter alterum ab altero petere vetuerit, et alteruter tamen petat? *l.* 27. *eod.*

§ Quid sit stare sententiae? † *l.* 23. §. 2. *D. eod.*

Tit. X. *Nautae, caupones, stabularii recepta vt restituant.*

Tit. XI. *De satisdationibus.*

Lib. III. De iudiciis et rervm vindicatione.

Tit. I. De iudiciis, et vbi quis conueniri debeat, deque officio iudicum.

§ Iudex a magistratu datur. Quid si Praeses, cui iam successum est, dederit iudicem: eritne, quod egit, ratum? *l.* 17. *D. de offic. praes.*

§ Quibusdam Romae conuentis ius est, domum reuocandi. † *l.* 2. §. 3. *D. de iudic.* Potest tamen etiam hoc fragmentum referri ad *lib. I. tit.* 1. *de actione danda vel deneganda*, quia et Iulianus ad hunc titulum ea de re egit.

§ Quid venire dicatur in iudicium? † *l.* 61. *pr. D. de iudic.* Id iudicandum ex instituta actione. Quid actio? *l.* 51. *D. de obl. et action.* aliquando ex ipso negotio. *l.* 16. *condict. causs. dat. l.* 26. *D. de nouat.*

§ Iudicia absolutoria sunt, si partes transegerunt. *l.* 12. *D. de transact.*

§ An vno ex iudicibus absente, reliqui possint sententiam ferre? *l.* 39. *D. de re iud.*

Tit. II. De rei vindicatione.

§ Re euicta quaenam impensae reddendae? *l.* 38. *D. de rei vind.*

Tit. III. *De Publiciana in rem actione.*

Tit. IIII. *Si ager vectigalis vel emphyteuticus petatur.*

Lib.

BIU Cujas

LIB. IIII. DE HEREDITATIS PETITIONE.

Tit. I. *De inofficioso testamento.*

Tit. II. De hereditatis petitione.

§ An detur et aduersus eos, qui nihil possidebant, quum peteretur, at postea possidere coeperunt. * *l.* 15. *§.* 1. *D. de hered. petit.*

§ An contra eum, qui negotia hereditatis gerit? † *l.* 16. §. 3. *D. eod.*

§ An aduersus eum, qui se liti offert? *l.* 45. *eod.* quod fragmentum etiam ab Vlpiano citatur. * *l.* 13. *§.* 13. *D. eod.*

§ Heres tenetur ad restituendum, quod hereditatis nomine solutum. Quid si defunctus, quum adhuc esset filiusfam. fideiusserit, possessor autem hereditatis soluerit: an debuisset opponere SC. Macedonianum? Eo pertinere videtur ** *l.* 7. *pr. D. de SC. Maced.*

Tit. III. *Si pars hereditatis petatur.*

Tit. IIII. *De possessoria hereditatis petitione.*

Tit. V. *De fideicommissaria hereditatis petitione.*

LIB. V. DE SERVITVTIBVS, DAMNO, IVDICIIS DIVISORIIS.

Tit. I. De seruitutibus.

§ Quid seruitus? Videtur hunc locum tractasse Celsus *l.* 86. *D. de V. S.*

§ Constituuntur seruitutes etiam stipulationibus. Si quis ex Kal. stipulatus sit, quandocumque post accepto iudicio lis aestimanda erit, quantum interest, Kalendis praestitam seruitutem. *l.* 11. *D. de re iud.*

§ Constituta seruitute vtendum est ciuiliter. Id exemplo viae docet Celsus, *l.* 9. *de seruit.*

§ Amittitur seruitus modis variis. An et communis amittitur, si socius, qui petit, succumbit, aut litem cedit aduersario? † *l.* 19. *si seru. vind.* An et diuisione praedii seruientis? *l.* 6. *D. quemadm. seru. amitt.*

Tit. II. *Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur.*

Tit. III. Ad legem Aquilliam.

§ Ad caput primum. Quid si quis seruum communem occiderit? † *l.* 19. *D. ad L. Aquil.* Quid si seruus hereditarius occisus? † *l.* 13. *§.* 2. *D. eod.* Quid si alius occiderit, alius vulnerarit? † *l.* 11. *§.* 3. *eod.* Quid si seruus seruum

BIU Cujas

surripuerit vel occiderit? † *l.* 21. §. 1. *eod.*

§ Damnum hoc iniuria datum sit oportet. Quid damnum iniuria datum? † *l.* 49. §. 1. *eod.*

§ Actio instituitur vel directa vel vtilis vel in factum. Quid haec? † *l.* 7. §. 6. 7. *eod.*

§ Agitur ad id, quanti ea res intra eum annum plurimi fuit. Quomodo annus numeretur? † *l.* 21. §. 1. *eod.* Quis aestimationem capiat, seruo communi occiso? Et quis seruus occidens noxae detur? † *l.* 27. §. 2. *D. eod.*

§ Ad tertium caput. Quid ruptum. † *l.* 27. §. 16. *D. eod.*

§ Ex hoc capite agi etiam potest ob lolium in segetem alienam iectum. † *l.* 27. §. 14. *eod.* ob vinum spurcatum, effusum, in acetum versum. † *l.* 27. §. 15. *eod.* ob apes alienas in alueario exustas. † *l.* 27. §. 12. *D. eod.*

Tit. IIII. De noxalibus actionibus.

§ His etiam tenetur dominus, qui non prohibuit, etiamsi dominus esse desierit. † *l.* 2. §. 1. *D. de nox. act.*

Tit. V. *Finium regundorum.*

Tit. VI. Familiae erciscundae.

§ Coheres etiamsi non soluerit, tamen hoc iudicio agit aduersus coheredem, vt soluat, quia alias creditor non liberaret rem, nisi in solidum ei satisfieret. † *l.* 18. §. 4. *D. fam. erciſc.*

Tit. VII. *Communi diuidundo.*

Tit. VIII. *De iudice litem suam faciente.*

Tit. VIIII. De interrogationibus in iudicio faciendis.

§ An noceat reo defensor, si in iudicio falsum responderit. * *l.* 9. §. 4. *D. de interrog. in iud. fac.*

§ An succurratur ei, qui per errorem falso respondit? † *l.* 11. §. 8. *D. eod.*

§ Liceatne respondenti poenitere? † *d. l.* 11. §. 12. *eod.*

Tit. X. De his, qui effuderint, vel deiecerint.

§ Praesumitur hic culpa inquilini. Atqui ea praesumtio fallere potest, adeoque admittenda videtur probatio contrarii. Diluisse hanc obiectionem videtur Celsus, *l.* 4. *D. de LL.*

Tit. XI. *De seruo corrupto.*

Tit. XII. *De aleatoribus.*

Tit. XIII. *Si mensor falsum modum dixerit.*

Tit. XIIII. Ad exhibendum.

§ Agitur

BIU Cujas

§ Agitur aduerſus omnem, qui poſſidet, vel exhibere poteſt. † *l.* 5. *pr. et §.* 3. *D. ad exhib.*

§ Idem dicendum, ſi pecunia mea ad aliquem ſine contractu inter me et illum inito peruenerit. *l.* 32. *D. de reb. credit.*

Tit. XV. *De fugitiuis.*

Tit. XVI. De religioſis et ſumtibus funerum.

§ Materfamilias ex dote funeranda, ſi hereditas non ſit ſoluendo. † *l.* 20. *§.* 2. *et l.* 22. *D. de religioſ.*

LIB. VI. DE CONDICTIONIBVS, CONSTITVTA PECVNIA, COMMODATO, PIGNORE ET GESTIS CVM EO, QVI IN ALIENA POTESTATE EST.

Tit. I. De rebus creditis, et ſi certum petatur.

§ Condictio certi eſt actio generalis ex omni contractu, quo certum quid promittitur. *l.* 62. *D. de reb. cred.* citata etiam ab Vlpiano * *l.* 67. *D. de V. O.* Add. *l.* 13. *D. de re iud. l.* 15. *D. de legat.* 2.

Tit. II. De iureiurando et de probationibus.

§ Adfirmanti incumbit probatio. *l.* 17. D. *de probat.*

Tit. III. De condictione cauſſa data cauſſa non ſequuta.

§ Decem, quos quis vt ſtatu liber iniuſſus dedit, an condici poſſint? † *l.* 3. *§.* 6. *de condict. cauſſ. dat.*

Tit. IIII. De condictione ob turpem cauſſam.

§ Ea locum non habet, ſi turpitudo ſit penes ſolum accipientem. † *l.* 4. *§.* 2. D. *de condict. ob turp. cauſſ.*

§ An detur ſi quid apud alterum ſit ex iniuſta cauſſa? † *l.* 6. D. *eod.*

Tit. V. De condictione indebiti.

§ Indebitum eſt, ſi nulla, vel naturalis ſaltim nos teneat obligatio, e. g. ſi ſoluimus nondum exſiſtente conditione. *l.* 48. D. *de cond. indeb.* ſi decem aut Stichum promiſimus, et quinque ſoluerimus. * *l.* 26. *§.* 13. *eod.* item ſi decem promiſimus et viginti ſoluimus. † *l.* 19. *§. vlt. D. eod.*

§ Non ergo repetitur, quod procuratori ſolutum, quamuis ratum non habeat dominus. † *l.* 6. *§.* 2. *eod.* nec quod ſolutum ſtatim ab eo, qui quum moriturus ſit, promiſit. † *l.* 17. D. *eod.*

§ Datur aduerſus accipientem. An et contra eum, pro quo fideiuſſor indebite ſoluit? *l.* 17. D. *eod.* Quid ſi procuratori ſolutum, nec ratam rem habuerit dominus, vtrum contra procu-

BIU Cujas

procuratorem, an contra dominum datur? † *l.* 6. §. 2. *D. eod.*

Tit. VI. *De condictione ſine cauſſa.*

Tit. VII. *De condictione furtiua.*

Tit. VIII. De condictione triticaria.

§ Fundo deiectus dominus fundum, non poſſeſſionem condicit. † *l.* 2. D. *de cond. tritic.*

§ Quomodo tempus in hac actione aeſtimandum. † *l.* 3. *D. eod.*

Tit. VIIII. *De eo, quod certo loco.*

Tit. X. De pecunia conſtituta.

§ Hic ſufficit aliquem debuiſſe tempore conſtituti, quamuis poſtea debere deſierit. † *l.* 18. §. 1. D. *de conſt. pec.*

Tit. XI. Commodati vel contra.

§ Quibus vehiculum commodatum, ii de dolo et culpa in ſolidum tenentur. * *l.* 5. §. 15. D. *commod.*

§ Alterutro furti agente, an is ſolus, qui egit, commodati conueniatur? † *l.* 7. D. *eod.*

Tit. XII. De pignoratitia actione.

§ Pignus an peti poſſit, antequam penſionis dies venerit? † *l.* 14. D. *de pignor.*

Tit XIII. *Praeſcriptis verbis.*

Tit. XIIII. *De actione exercitoria.*

Tit. XV. *De actione inſtitoria.*

Tit. XVI. *De actione tributoria.*

Tit. XVII. Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicitur.

§ Qui de peculio egit, poſſitne poſtea quod iuſſu agere? † *l.* 4. §. 5. D. *quod cum eo, qui in al. pot.*

Tit. XVIII. *De SC. Macedoniano.*

Tit. XVIIII. *Quod iuſſu.*

Tit. XX. *De in rem verſo.*

Tit. XXI. De peculio.

§ Quid peculium? *l.* 6. D. *de pecul.* * *l.* 5. §. 4. *eod.* † *l.* 7. *pr.* D. *eod.*

§ An et pupillus vel furioſus peculium conſtituere poſſit? † *l.* 7. §. 1. *eod.*

§ Si filius vel ſeruus fideiuſſit, an agatur de peculio? ** *l.* 3. §. 5. D. *eod.*

Tit.

BIU Cujas

Tit. XXII. *Ad SC. Velleianum.*

LIB. VII. DE DEPOSITO, MANDATO, SOCIETATE, PRECARIO.

Tit. I. Depositi vel contra.

§. An depositi teneatur, qui rem a seruo depositam ei, quem dominum putabat, restituit? † *l.* 1. §. 32. *depos.*

Tit. II. Mandati vel contra.

§ Aliud mandatum, aliud iussum. Quid si quis liberum hominem b. f. seruientem facere aliquid iusserit, dabiturne ei actio mandati, an praescriptis verbis? † *l.* 13. §. 2. *D. commod.*

§ Quid si quis alteri mandarit, vt in suo quid faceret? * *l.* 16. *D. mand.*

§ Quid si quis mandet, quod sua non interfit? * *l.* 6. *D. eod.*

§ Mandatum mandantis vel mandatarii gratia. *l.* 48. *D. eod.*

§ An mandatarium excuset vanus timor? *l.* 184. *D. de R. I.*

Tit. III. Pro socio.

§ Dolusne tantum an et culpa praestanda a socio. * *l.* 52. §. 2. *D. pro soc.*

§ An re exstincta pro socio agi possit? * *l.* 58. *pr.* §. 1. *eod.*

§ Socius, qui damnum in re communi dedit, ex L. Aquillia tenetur. † *l.* 47. *D. eod.*

Tit. IIII. De precario.

§ Debitor si rem pignoratam roget precario? *l.* 11. *D. de precar.*

LIB. VIII. DE EMTIONE, LOCATIONE, ET CONTRACTV AESTIMAT.

Tit. I. De emtione venditione.

§ Si venditor non adiecit, fundum esse optimum maximum, quid praestet? *l.* 59. *D. de contrah. emt.*

§ Seruo vendito cum peculio quid praestet? *l.* 38. *pr. D. de act. emt.*

§ Quid si emtor rem commercio exemtam sciens emerit? † *l.* 6. *D. de contrah. emt.* Ratio cur venditor tunc nihil praestet, est in *l.* 185. *D. de R. I.*

§ Emtorem aedium etiam sequuntur fixa vincta. Eo pertinet *l.* 38. §. 2. *D. de act. emt.*

§ Res vendita tradenda. Quid si quis moram in tradendo seruo commiserit? *l.* 38. §. 2. *D. eod.*

§ De pacto addictionis in diem. * *l.* 13. *D. de in diem add.*

BIU Cujas

§ De dolo non praestando conueniri nequit. † *l.* 23. *D. de R. I.* Contrahentes sibi inuicem praestant dolum et culpam. ** *l.* 13. *§.* 16. *D. de act. emt.*

Tit. II. De locatione conductione.

§ Qui operas locat, eius imperitia pro culpa habenda. * *l.* 9. §. 5. *D. locat.*

Tit. III. De aestimatoria actione.

§ Ex contractu aestimatorio nascitur actio praescriptis verbis, quae admodum generalis. *l.* 2. *D. praescr. verb.*

LIB. VIIII. DE SPONSALIBVS, NVPTIIS, DOTE, ET DONATIONIBVS INTER VIR. ET VXOR.

Tit. I. *De sponsalibus.*

Tit. II. De nuptiis.

§ Videtur Celsus hic excusasse breuitatem, et promisisse vberiorem interpretationem Legis Iuliae et Papiae Poppaeae de maritandis ordinibus, sine qua haec doctrina tunc intelligi haud poterat. Et huc forsan pertinet *l.* 24. *D. de LL.*

Tit. III. De iure dotium.

§ Socer, qui genero nomen loco dotis cessit, non nisi verum illud praestat. * *l.* 4. *D. de hered. vel act. vend.*

Tit. IIII. De pactis dotalibus.

Tit. V. De fundo dotali.

Tit. VI. De donatione inter virum et vxorem.

§ Donata mulieri iam nuptae vir vindicare potest, etiamsi ei ab illa legata ampla relicta sint. *l.* 48. *D. de don. inter vir. et vxor.*

§ An vsurae dotis, quas sibi vxor stipulata est, peti possint? † *l.* 28. *D. eod.*

LIB. X. DE DIVORTIIS ET ACTIONIBVS SOLVTO MATRIMONIO COMPETENTIBVS.

Tit. I. *De diuortiis et repudiis.*

Tit. II. Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.

§ Actioni de dote inest exceptio doli mali. † *l.* 21. *D. sol. matr.*

§ An filius exheredatus succedat in ius patris, qui nepti dotem constituit. *l.* 6. *D. de collat.*

§ Dato

BIU Cujas

§ Dato in dotem vsufructu an soluto matrimonio fructus restituendi? * *l.* 7. *D. de iure dot.*

§ Maritus vxori restituens fideicommissum an donasse censeatur, atque dotem minuere possit? * *l.* 5. §. 15. *D. de donat. int. vir. et vxor.*

Tit. III. *De actione rerum amotarum.*

Tit. IIII. *Si ventris nomine.*

Tit. V. *De agnoscendis et alendis liberis.*

LIB. XI. DE TVTELIS.

Tit. I. *De tutoribus testamentariis, legitimis, datiuis.*

Tit. II. *De satisdatione tutorum vel curatorum.*

Tit. III. *De excusationibus.*

Tit. IIII. De administratione tutorum.

§ Quantum dotis modum constituere possit tutor? (pro quo curatorem substituisse videtur Tribonianus.) *l.* 60. *D. de iure dot.*

Tit. V. *De rebus eorum, qui sub tutela sunt, non alienandis.*

Tit. VI. De suspectis tutoribus vel curatoribus.

§ An et lata culpa dolo aequiparanda? *l.* 32. D. *depos.*

Tit. VII. *De tutelae et rationibus distrahendis.*

Tit. VIII. De magistratibus conueniendis.

§ Quis hic probet, idoneos fideiussores pro tutore non esse acceptos? *l.* 11. D. *de probat.*

§ In quantum magistratus conueniantur? *l.* 7. *D. de magistr. conuen.*

Tit. VIIII. De curatoribus.

§ An curator pupillo dandus absente tutore? *l.* 11. *D. de tut. vel curat. dat.*

§ Si pupillo curator in litem caussa cognita datur, an in omnes caussas datus censeatur? † *l.* 3. §. 4. *D. de tutel.*

§ An patri furioso curator dari possit filius? † *l.* 12. §. 1. *D. de tut. et curat. dat.*

LIB. XII. DE NOXALI FVRTI ACTIONE, OPERIS LIBERTORVM ET NOVI OPERIS NVNCIATIONE.

Tit. I. De furto et noxali furti actione.

§ De variis furti generibus. *l.* 67. *D. de furt.*

§ De furto manifesto. † *l.* 7. §. 2. *eod.*

BIU Cujas

§ Cuius ope et consilio furtum factum esse dicatur? † *l.* 50. §. 1. *D. eod.*

§ Sitne fur, qui rem abiectam adprehendit? * *l.* 43. §. 10. *D. eod.*

§ An actio furti competat patri, cuius filio commodatum? * *l.* 14. §. 10. *D. eod.*

§ An ei, cui surripuit seruus postea manumissus? *l.* 15. *D. de condict. furt.*

§ An emtori, re nondum tradita? † *l.* 14. *pr. D. de furt.*

§ An condici possit ei, qui alterum de fundo deiecit? † *l.* 25. § 1. *D. eod.*

Tit. II. *De furto a seruo, qui testamento manumissus, commisso.*

Tit. III. *De publicanis furtoque ab eorum familia facto.*

Tit. IIII. De operis libertorum.

§ Debet libertus operas iurato promissas. Quid si quis operarum modum contulit in arbitrium patroni? *l.* 30. *pr. D. de oper. libert.* Quid si liberta voluntate patroni nupserit? *l.* 30. *pr. eod.* Quid si communis libertus patronis mille operas promiserit? ** *l.* 15. §. 1. *D. eod.* Quid si ea conditione liberto quis legauit, si decem operarum nomine filio suo promiserit. † *l.* 7. §. 1. *D. eod.*

§ Operae quando peti possint? *l.* 186. *D. de R. I.*

§ Cessant operae, si manumissio sit nulla. * *l.* 1. *D. qui et a quib. manum.*

Tit. V. De noui operis nunciatione.

§ An illi opponi possit exceptio conuentionis? * *l.* 1. §. 10. *D. de nou. op. nunc.*

Lib. XIII. De bonorvm possessionibvs.

Tit. I. De bonorum possessionibus.

§ An et pupillus agnoscere vel repudiare possit bonorum possessionem? *l.* 189. *D. de R. I.*

Tit. II. *De bonorum possessione contra tabulas.*

Tit. III. *De legatis praestandis.*

Tit. IIII. De collatione bonorum.

§ Quomodo conferant nepotes? *l.* 7. *D. de collat.*

Tit. V. *De dotis collatione.*

Tit.

Tit. VI. *De coniungendis cum emancipato liberis.*
Tit. VII. *De ventre in possessionem mittendo.*
Tit. VIII. *De Carboniano edicto.*
Tit VIIII. *De bonorum possessione secundum tabulas.*
Tit. X. *De bonis libertorum.*
Tit. XI. *Si tabulae nullae exstabunt.*
Tit. XII. *Si quid in fraudem patroni.*

LIB. XIIII. DE TESTAMENTIS LIB. I.

TIT. I. De testamento militum.

§ In iis ratio non habetur quartae Falcidiae, de qua ea occasione fuse disserit Celsus. *l.* 50. *D. ad L. Falc.*

LIB. XV. DE TESTAMENTIS LIB. II. ET SVCCESS. AB INTEST.

Tit. I. De testamentis.

§ Quis testari possit? An et surdus et mutus? Videtur eo referendum, quod citat Iustinianus † *l.* 10. *C. qui test. fac. poss.*

§ An seruus instituendus cum libertate? ** *l.* 2. §. *vlt. D. de statu lib.* * *l.* 51. *D. de hered. inst.* iuncta † *l.* 2. §. 1. *D. de condit. inst. l.* 43. *D. de legat.* 3.

§ An et is, qui tabulas scripsit, possit inter testes adhiberi? Quaestio illa Domitiana. *l.* 27. *D. qui test. fac. poss.* An et is, qui Latinae vel Italicae conditionis? *l.* 6. *D. de cens.*

Tit. II. De adquirenda vel omittenda hereditate.

§ Heres an fiat, qui metu coactus adiit? * *l.* 6. §. 7. *D. de adqu. vel om. her.*

§ Si societati obtigit hereditas, ex quota quisque parte heres erit? Videtur eo referenda *l.* 75. *D. pro soc.*

Tir. III. De successionibus ab intestato.

§ Ad successionem liberorum pertinere videtur *l.* 22. *D. de rit. nupt.*

Tit. IIII. Quis ordo in bon. possess. seruetur et de successorio edicto.

§ Ad successionem coniugum pertinere videtur * *l.* 3. §. 12. D. *de donat. int. vir. et vxor.*

LIB. XVI. DE TESTAMENTIS LIB. III.

Tit. I. De heredibus instituendis.

§ Heredes instituti quales? *l.* 19. D. *de her. inst.*

BIU Cujas

§ An valeat institutio : EX PARTIBVS, QVAS TESTATOR ADSCRIPSERIT ? * *l.* 2. *pr.* D. *eod.*

§ Quid si testator in partibus errarit? CELS. LIB. XI. (lege *Lib. XVI.*)* *l.* 9. D. *eod.*

§ Quibusdam sine partibus scriptis an portio vnius repudiantis adcrescat ? * *l.* 17. §. 1. D. *eod.*

§ Instituuntur quidam hac formula: TITIVS ET SEIVS VTERQVE EORVM VIVET HERES ESTO, quid tunc iuris? *l.* 24. *l.* 26. D. *eod.*

Tit. II. De iniusto, rupto, irrito testamento.

§ Postumus rumpit testamentum. *l.* 187. D. *de R. I.*

Tit. III. *De vulgari et pupillari substitutione.*

Tit. IIII. De conditionibus institutionum.

§ Huc pertinent procul dubio † *l.* 27. *pr.* D. *de her. inst. l.* 21. D. *de cond. inst.* immo et *l.* 15. D. *de legat.* 2.

Tit. V. *Testamenta quemadmodum aperiantur.*

Tit. VI. Si quis omissa caussa testamenti ab intestato succedere velit.

§ De patrono omittente portionem sibi debitam. * *l.* 6. §. 8. D. *si quis omiss. causs. test.*

§ De domino, cui seruus substitutus. *l.* 25. *eod.*

Tit. VII. De *SC. Silaniano.*

LIB. XVII. DE LEGATIS LIB. I.

Tit. I. De legatis.

§ Legatum ancillae, et eius, quod ex ea natum. *l.* 63. *de legat.* 1.

§ Legatum Stichi, si tempore mortis Maeuii non erit, an vtile? *l.* 18. *de legat.* 2. Decisionis suae rationem reddidisse videtur Celsus *l.* 5. D. *de LL.*

§ Legatum ornatricum. † *l.* 65. §. 3. D. *de legat.* 3.

§ Legata conditionalia, pendente legis Falcidiae ratione, die praesenti data. *l.* 53. D. *ad L. Falcid.*

Tit. II. De legatis dubiis, pugnantibus prohibitis.

§ An ea rata sint? *l.* 188. D. *de R. I.*

§ Cui dubia testatoris voluntate incumbat probatio? *l.* 12. D. *de probat.*

LIB.

BIU Cujas

LIB. XVIII. DE LEGATIS LIB. II.

Tit. I. De *annuis legatis.*

Tit. II. De vsufructu legato.

§ Vsusfructus constituitur in re aliena. Quid solum? quid nostrum? *l.* 49. D. *de R. V.* quantum pecuniae quis reliquisse censeatur? *l.* 88. D. *de V. S.*

§ Quid vsusfructus? *l.* 2. D. *de vsufr.*

§ Vsusfructus duobus relictus separatim. *l.* 14. D. *de vsufr. leg.*

§ De vsufructu adcrescendo. * *l.* 1. §. 3. ** *l.* 3. *pr.* §. 1. D. *de vsufr. adcrescendo.*

§ De quasi vsufructu relicto. * *l.* 5. §. 1. D. *de vsufr. ear. rer.*

§ Vsufructuarius quatenus ad refectionem teneatur? * *l.* 7. §. 2. D. *de vsufr.* * *l.* 9. *pr.* D. *eod.*

Tit. III. De vsu vel habitatione legatis.

§ Vsus aedium in quo consistat? * *l.* 2. §. 1. D. *de vsu et hab.*

§ Habitatio sitne vnius anni an perpetua? * *l.* 10. §. 3. *eod.*

Tit. IIII. De operis seruorum, ipsisque seruis legatis.

§ Alternatiuum legatum Stichi vel Pamphili. *l.* 19. D. *de leg.* 2.

Tit. V. De seruitute legata.

§ Iter legatum. *l.* 10. D. *de seruit.*

LIB. XVIIII. DE LEGATIS LIB. III.

Tit. I. De dote praelegata.

§ Quid in dote, quidue mulieris periculo sit? *l.* 58. D. *de iur. dot.*

Tit. II. De *optione legata.*

Tit. III. De tritico, vino, oleo legatis.

§ An vino legato vasa quoque debentur. † *l.* 3. §. 1. *de trit. vin.*

Tit. IIII. De instructo vel instrumento legato.

§ Instructo fundo et serui suppellecticarii continentur. * *l.* 12. §. 31. D. *de instr. et instr. leg.* non autem vela, quae in hypothecis extenduntur. * *l.* 12. §. 25. *eod.* nec fructus in fundo repositi, vt venirent. * *l.* 12. §. 30. *eod.* nec vicarii seruorum, nisi de his quoque testatorem sensisse probari possit. † *l.* 12. §. 44. *eod.* Quid si chorus aut familia legata? *l.* 79. *pr.* D. *de legat.* 3. (vbi legend. LIB. XVIIII. pro LIB. VIIII.) Quid si legata mobilia, quae ibi erunt? *l.* 129. §. 1. D. *de legat.* 3.

iuncta.

BIU Cujas

iuncta *l.* 93. *D. de V. S.* Quid si seruus manumissus iterum seruus factus? *l.* 79. §. 2. 3. *D. de legat.* 3.

Tit. V. De peculio legato.

§ Peculium in corporibus consistens. † *l.* 6. *pr. D. de pecul. leg.*

§ Eo an et vicariorum vicarii contineantur? *l.* 25. *eod.*

§ Si seruus tempore mortis testatoris vixit, peculium legato cedit, secus ac si seruus vestitus legatus. *l.* 13. *D. eod.*

§ Si communi seruo legatum relictum, an vno domino deficiente portio adcrescat alteri. *l.* 20. *D. de legat.* 2.

Tit. VI. De supellectile legata.

§ Quid supellex? *l.* 7. D. *de supell. leg.*

Tit. VII. *De alimentis vel cibariis legatis.*

Tit. VIII. De auro, argento, mundo legatis.

§ An ornamenta mulieri legata et repudiatae debeantur? *l.* 3. D. *de aur. arg. mund.*

§ Quid hoc legato contineatur? † *l.* 19. §. 2. *et* * §. 6. D. *eod.*

Tit. VIIII. De liberatione legata.

§ Herede petere vetito, nec heres heredis petere poterit. † *l.* 2. §. 1. D. *de liberat. leg.*

LIB. XX. DE LEGATIS LIB. IIII. ET FIDEICOMMISSIS LIB. I.

Tit. I. De codicillis.

§ An codicilli prius facti ad testamentum postea conditum pertineant? *l.* 18. D. *de iure codicill.*

Tit. II. De fideicommissis.

§ Mulier, cui dos relegata, quantum praestet, si fideicommisso grauata? * *l.* 2. *pr.* D. *de dot. prael.*

§ Qui restituere iussus, quantumcunque pecuniae ad eum peruenerit, an et fructus restituat. *l.* 32. D. *ad SC. Trebell.* * *l.* 33. D. *eod.*

Tit. III. De falsa caussa legatis vel fideicommissis adiecta.

§ Falsa caussa non nocet. *l.* 21. D. *de legat.* 2. *l.* 94. *de V. S.*

Tit. IIII. De petitione legatorum et fideicommissorum.

§ Socer nurui dotem relegauit constante matrimonio. * *l.* 1. *§.* 9. D. *de dot. praeleg.*

§ Pactum de legato non petendo. ** *l.* 51. *pr.* D. *de pact.*

§ Le-

BIU Cujas

§ Legatum a procuratore heredis ſolutum an repeti poſſit? *l.* 87. D. *de ſolut.*

§ Eodem refero * *l.* 13. *ſ.* 3. D. *de vſufr. leg.* de litigantibus inter ſe vſufructuariis.

LIB. XXI. DE LEGATIS LIB. V. ET DE FIDEICOMM. LIB. II.

Tit. I. Ad Legem Falcidiam.

§ Conditionis implendae cauſſa datum in Falcidiam non imputatur; quod tanquam pretium datum, imputatur. † *l.* 30. *ſ.* 7. D. *ad L. Falc.*

Tit. II. Ad SC. Trebellianum et Pegaſianum.

§ In quartam Pegaſianam non imputantur fideicommiſſa a teſtatore praeſtita. *l.* 22. D. *de legat.* 2.

§ Quomodo illa quarta detrahenda? *l.* 2. *de SC. Treb.*

LIB. XXII. DE LEGATIS LIB. VI. ET DE FIDEICOMM. LIB. III.

Tit. I. De adimendis vel transferendis legatis et fideic.

§ Ademtio ſiue precedat in eodem teſtamento, ſiue ſequatur, legatum perimit. † *l.* 14. *pr. de legat.* 1. *l.* 17. D. *de adim. vel transf. leg.*

§ An ex alienatione ademtio praeſumatur? *ſ.* 12. *Inſt. de legat.*

Tit. II. De rebus dubiis.

§ Si teſtator dixit: QVEM HEREDI MEO DIXERO, VELLE ME LIBERVM ESSE, LIBER ESTO, an implenda teſtatoris voluntas? *l.* 25. *de reb. dub.*

Tit. III. *De his, quae pro non ſcriptis habentur.*

Tit. IIII. *De his, quae vt indignis auferuntur.*

Tit. V. De conditionibus et demonſtrationibus.

§ Conditio libertati adiecta facit ſtatu liberum. *l.* 23. *de ſtatulib.*

Tit. VI. Quando dies legatorum vel fideicomm. cedat.

§ Si in annos decem heres damnatus eſt dare, quando debeatur legatum? *l.* 49. *de condit. et dem.* † *l.* 12. *ſ.* 1. *et* 3. D. *quando dies leg. ced.*

LIB. XXIII. DE DAMNO INFECTO, CAVSSIS STATVS, POSSESSIONE, VSVCAPIONE, VI BON. RAPT. INIVRIIS.

Tit. I. De damno infecto.

§ Si vſusfructus alienus ſit † *l.* 9. *ſ.* 5. D. *de damn. inf.* † *l.* 15. *ſ.* 25. *eod.*

BIU Cujas

Tit. II. De aqua et aqua pluuia arcenda.
§ Intereſt hic, quis opus fecerit. † *l.* 6. §. 7. D. *de aqu. et aqu. pluu. arc.*
Tit. III. *De cauſſis ſtatus.*
Tit. IIII. *De liberalibus cauſſis.*
Tit. V. De ſtatuliberis.
§ An ſtatu liber ſit ſeruus legatus, cui adſcriptum *ne alienes vel vendas?* * *l.* 24. §. 8. D. *de fideic. her.*
Tit. VI. De adquirenda poſſeſſione et de vſucapionibus.
§ Eo pertinere videntur *l.* 18. *et* † *l.* 34. *pr.* D. *de adquir. vel amit. poſſ. et l.* 12. *quemadm. ſeru. am.*
Tit. VII. *Vi bonorum raptorum.*
Tit. VIII. De incendio, ruina, naufragio.
§ Quid ſi in his factis abſit dolus? † *l.* 3. §. 7. D. *de incend.*
Tit. VIIII. De iniuriis.
§ Ab his conſuetudo praua haud excuſat. Eo pertinere videtur *l.* 39. D. *de LL.*

LIB. XXIIII. DE RE IVDICATA, POSSESSIONE BONORVM ET CREDITORVM PRIVILEGIIS.

Tit. I. De re iudicata.
§ De ſeruo vſufructuario vel oppignorato noxae dato. *l.* 19. D. *de ſolut.* citata ab Vlpiano † *l.* 4. §. *vlt.* D. *de re iudic.*
Tit. II. *De confeſſis.*
Tit. III. De ceſſione bonorum.
§ Quod euincitur, in bonis non eſt. *l.* 190. D. *de reg. iur.*
Tit. IIII. *De rebus auctoritate iudicis poſſidendis.*
Tit. V. De creditoribus in poſſeſſionem mittendis.
§ De debitore vel poſſeſſore hereditatis latitante. † *l.* 17. §. 17. 18. D. *quib. ex cauſſ. in poſſeſſ. eatur.*
Tit. VI. *De priuilegiis creditorum.*
Tit. VII. *De bonorum venditione.*
Tit. VIII. *De ſeparationibus.*
Tit. VIIII. De curatore bonis dando.
§ Quid ſi plures facti bonorum curatores? *l.* 3. D. *de curat. bon.* citata ab Vlpiano † *l.* 2. §. 2. D. *eod.*
Tit. X. *Quae in fraudem creditorum.*

LIB.

BIU Cujas

LIB. XXV. DE INTERDICTIS.

Tit. I. De interdictis.
§ Hic de possessione quaedam praemisisse videtur Celsus, quorum reliquiae in † *l.* 2. §. 11. 13. 14. *D. pro emt.*
§ Differentia interdictorum et aliorum iudiciorum. *l.* 14. *D. de re iud.*
§ An interdictum competat pupillo, si protutor res pupillares alienarit? *l.* 2. *D. de eo, qui pro tut.*
Tit. II. *Quorum bonorum.*
Tit. III. *Quod legatorum.*
Tit. IIII. *De tabulis exhibendis.*
Tit. V. De rebus sacris, religiosis, publicis.
§ Quid littus? Quae praedia nostra? *l.* 96. *de V. S.*
§ Quae flumina publica? † l. 1. §. 3. D. de flumin.
Tit. VI. *De vi et vi armata.*
Tit. VII. *Vti possidetis.*
Tit. VIII. *De superficiebus.*
Tit. VIIII. De itinere actuque priuato.
§ Qui via vsus nec vi, nec clam, nec precario, non tamen vsurus, si prohiberetur, interdictum hoc non habet. *l.* 7. *D. de itin. et actu priu.*
Tit. X. *De aqua quotidiana.*
Tit. XI. *De riuis.*
Tit. XII. *De fonte.*
Tit. XIII. *De cloacis.*
Tit. XIIII. Quod vi aut clam.
§ Si incendii caussa vicini aedes interciſae. † *l.* 7. §. 4. *D. quod vi aut clam.*
§ Qui siluam caeduam immaturam cecidit, an interdicto hoc teneatur? *l.* 18. *D. eod.*
Tit. XV. De precario.
§ An huic interdicto obstet exceptio pacti, ne ante certum tempus petatur? Item an ad heredes transeat precarii rogatio? *l.* 12. *de prec.* † *l.* 8. §. 1. *eod.*
Tit. XVI. De arboribus caedendis.
§ Nescio an eo referenda † *l.* 30. §. 1. *D. de adqu. rer. dom.*
Tit. XVII. De glande legenda.

BIU Cujas

§ Singularis numerus hic pro pluratiuo. *l.* 158. *de V. S.*

Tit. XVIII. *De homine libero et liberis exhibendis.*

Tit. XVIIII. *Vtrubi.*

Tit. XX. *De migrando.*

Tit. XXI. *De Saluiano interdicto.*

LIB. XXVI. DE EXCEPTIONIBVS ET STIPVLATIONIBVS.

Tit. I. De exceptionibus.

§ Eo pertinere videtur *l.* 17. D. *de Legib.*

Tit. II. *De exceptione vadimonii deserti.*

Tit. III. De exceptione rei iudicatae.

§ An ex alia causſa petenti obſtęt haec exceptio? † *l.* 11. §. 1. D. *de except. rei iud.*

Tit. IIII. De doli mali et metus except.

§ De eo, qui dolo non mandat. † *l.* 4. *pr.* D. *de dol. et met. exc.*

Tit. V. De exceptione rei venditae non traditae.

§ Quid ſi quis rem noſtram minori pretio vendiderit quam mandauimus? † *l.* 1. §. 3. D. *de exc. rei vend.*

Tit. VI. *De litigioſis.*

Tit. VII. *Quarum rerum actio non datur.*

Tit. VIII. *De exceptione iuriſiurandi.*

Tit. VIIII. *De his, quae onerandae libertatis cauſſa imponuntur.*

Tit. X. De ſtipulationibus, reis, fideiuſſoribus.

§ Stipulationis ambiguae contra ſtipulatorem ſit interpretatio. *l.* 26. D. *de reb. dub.*

§ Stipulatio rei impoſſibilis. Stipulatio ſolutionis pro alio ſub conditione nuptiarum. *l.* 97. D. *de V. O.*

§ De promiſſione in diem certum. *l.* 70. D. *de ſolut. et liberat.*

§ De ſtipulatione facti. † *l.* 14. D. *de V. O.*

§ Si ſeruus a liberto ſibi operas ſtipuletur. † *l.* 38. D. *de ſtipul. ſeru.*

LIB. XXVII. DE NOVATIONIBVS, SOLVTIONIBVS, CAVTIONIBVS.

Tit. I. De nouationibus.

§ Quid ſi obligatio nouans praecedat nouatam. † *l.* 8. §. 2. D. *de nouat.*

§ An

BIU Cujas

§ An actio iudicati nouetur stipulatione iudicatum solui? † *l.* 8. §. 3. D. *eod.*

Tit. II. De solutionibus et liberationibus.

§ Solutio alterutri personae in stipulatione expressae facta. *l.* 71. D. *de solut. et lib.*

§ Stipulatio rei incertae. *l.* 12. D. *de act. emt.*

§ An rei interitu perimatur obligatio? † *l.* 98. §. 8. D. *de solut.*

§ Quatenus mora noceat? † *l.* 91. §. 3. D. *de V. O.*

Tit. III. *De acceptilatione.*

Tit. IIII. *De stipulationibus praetoriis.*

Tit. V. *Rem pupillo saluam fore.*

Tit. VI. Iudicio sisti.

§ De stipulatione hac intelligenda videtur † *l.* 81. *pr.* D. *de V. O.*

Tit. VII. Iudicatum solui.

§ Quid in iudicium censeatur deductum? *l.* 31. D. *de re iud.*

Tit. VIII. *De re defendenda.*

Tit. VIIII. *De dolo malo.*

Tit. X. *Tutelae vel testamenti nomine.*

Tit. XI. *Ratam rem haberi.*

Tit. XII. *Noui operis nunciati caussa.*

Tit. XIII. De duplae stipulatione.

§ Eo pertinent, quae de euictionibus tractat Celsus *l.* 10. D. *de euict.* iungenda *l.* 11. D. *de seruit. praed. rust.* † *l.* 29. *de euict. et l.* 62. *eod.*

Tit. XIIII. Damni infecti nomine.

PARS II.

AD LEGES QVASDAM SPECIALES.

Lib. XXVIII. Ad legem Cinciam et Ivniam Velleiam.

Tit. I. Ad legem Cinciam de donis et muneribus.

§. Si quis vltra legis modum donauit. *l.* 21. *de donat.*

Tit. II. Ad legem Iuniam et Velleiam.

§ Postumi iam concepti. *l.* 7. D. *de suis et legit.*

§ In adoptionem dati desinunt esse in potestate patris naturalis,

BIU Cujas

turalis, licet in adoptionem non consenserint. *l.* 5. D. *de adopt.*

LIB. XXVIIII. AD LEGES FVSIAM CANINIAM, AELIAM SENTIAM ET IVNIAM NORBANAM.

Tit. I. Ad L. Fusiam Caniniam.

§ Si plures scripti, quam lex patitur, priores liberantur. Rationem huius iuris reddidisse videtur Celsus *l.* 18. *de leg.*

Tit. II. Ad L. Aeliam Sentiam.

§ Ad caput primum pertinere videtur *l.* 9. D. *de her. inst.*

§ Ad caput 2. quaestio incidit, an si minor praegnantem manumisit, matrimonii caussa, partus sit ingenuus. *l.* 19. D. *de manumiss. vind.* Ratio redditur *l.* 19. *de statu hom.*

Tit. III. *Ad Legem Iuniam Norbanam.*

LIB. XXX. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. I.

Tit. I. *Ad caput* 1. *de senatorum nuptiis.*

Tit. II. ad caput 2. de ingenuorum reliquorum nuptiis.

§ De eo ex instituto agit Celsus *l.* 23. D. *de R. N.*

Tit. III. ad caput 3. De sexagenariorum, quinquagenariarum, spadonum nuptiis.

§ Aetas quomodo probanda? *l.* 13. D. *de probat.*

Tit. IIII. *De concubinis.*

Tit. V. *De sponsalibus.*

Tit. VI. *Ad caput* 6. *de poenis iniustarum nuptiarum.*

LIB. XXXI. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. II.

Tit. I. *Ad cap.* 7. *de priuilegiis maritorum et parentum in gerendis honoribus.*

Tit. II. *Ad caput* 8. *de eorumdem priuilegiis in petendis honoribus.*

Tit. III. *De immunitate ob liberorum numerum.*

Tit. IIII. *Ad cap.* 10. *de iure Quiritium ob liberos consequendo.*

Tit. V. *Ad cap.* 11. *de liberti liberatione ab operis ob numerum liberorum.*

Tit. VI. *Ad cap.* 12. *De liberatione mulierum a tutela ob numerum liberorum.*

Tit. VII. *Ad caput* 13. *De diuortio libertate prohibito.*

Tit. VIII. *Ad caput* 14. *De tutore dotis caussae dando.*

LIB.

BIU Cujas

LIB. XXXII. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. III.

Tit. I. Ad capita 15--19. seu leges decimarias.
§ Vxori legari poterat vsusfructus tertiae partis bonorum, quum alias vsusfructus vniuersorum bonorum legari possit. *l.* 29. D. *de vsufr.*
Tit. II. *Ad capita* 20--28. *de solidi capacitate.*
Tit. III. *Ad cap.* 29. *De legato sub conditione caelibatus.*
Tit. IIII. *Ad cap.* 30. *De iureiurando libertis remittendo.*
Tit. V. *Ad cap.* 31. *De iure adfinitatis.*
Tit. VI. *Ad cap.* 32. *De priuilegiis absentium reip. caussa.*
Tit. VII. *Ad cap.* 33. *de indulgentia senatus.*
Tit. VIII. Ad cap. 34. De diuortii modo et poena.
§ Ad legitima huius capitis verba pertinet *l.* 97. D. *de verb. sign.*
Tit. VIIII. *De cogendis parentibus, vt liberos elocent.*
Tit. X. *Ad cap.* 36. *De poenis caelibatus.*
Tit. XI. *Ad cap.* 37. *De poenis orbitatis.*
Tit. XII. *Ad cap.* 38. *De liberta ob nuptias ab operis liberanda.*
Tit. XIII. *Ad capita* 39--44. *de iuribus patronatus.*

LIB. XXXIII. AD LEG. IVL. ET PAP. POPP. LIB. IIII.

Tit. I. *Ad caput* 1. *Legis caducariae de aditione hereditatis.*
Tit. II. Ad cap. 2. De iis, quibus caduca iure antiquo deferuntur.
§ Qui liberos habet, ei caduca deferuntur. Liberos habet et qui vnum habet. Rationem reddit Celsus *l.* 19. *de LL.*
§ Idem cui princeps ius liberorum dedit. Ad id pertinet *l.* 191. D. de R. I.
Tit. III. *Ad cap.* 3. *De iis, quae pro non scriptis habentur.*

LIB. XXXIIII. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. V.

Tit. I. Ad cap. 4. De caussa caduci.
§ In caussa caduci est legatum, cuius conditio deficit. Quid si plures conditiones adscriptae? *l.* 27. D. *de legat.* 2.
Tit. II. *Ad caput* 5. *De caducis ob heredem vel legatarium ante apertas tabulas mortuum.*

LIB.

BIU Cujas

LIB. XXXV. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. VI.

Tit. I. Ad caput 6. De caducis ob heredis vel legatarii incapacitatem.

§ Incapaci relictum caducum fit, nisi intra 100. dies legi pareat. Nam ad leges has nouas regula Catoniana haud pertinet. *l.* 1. D. *de reg. Caton.*

Tit. II. *Ad cap.* 7. *De caducis ob legatarium vel heredem ante exsistentem conditionem mortuum.*

Tit. III. *De bonis ereptitiis.*

Tit. IIII. *Ad caput* 9. *De bonis vacantibus.*

Tit. V. *Ad cap.* 10. *de fraudibus aduersus hanc legem commissis.*

Tit. VI. Ad cap. 11. de iure adcrescendi.

§ Huc pertinet *l.* 80. D. *de legat.* 3.

Tit. VII. *Ad cap.* 12. *de transmissione legatorum.*

LIB. XXXVI. AD LEG. IVL. ET PAPIAM POPPAEAM LIB. VII.

Tit. I. Ad caput Leg. cap. 13. De tacitis fideicommissis.

§ Inter incapaces an et concubina. *l.* 29. *de legat.* 2.

Tit. II. *Ad cap.* 14. *de praemiis delatorum.*

Tit. III. *Ad cap.* 15. *de oneribus fisci.*

LIB. XXXVII. AD LEGES DE IVDICIIS PVBLICIS.

Tit. I. De extraordinariis criminibus.

§ De sepulcro violato. *l.* 2. D. *de sepulcr. viol.*

Tit. II. *De publicis iudiciis.*

Tit. III. *De accusationibus et inscriptionibus.*

Tit. IIII. De custodia et exhibitione reorum.

§ Eo pertinet *l.* 11. *de cust. et exh. reor.*

Tit. V. *Ad L. Iuliam maiestatis.*

Tit. VI. *Ad L. Iuliam de adulteriis.*

Tit. VII. *Ad L. Iuliam de vi publica et priuata.*

Tit. VIII. *Ad L. Corneliam de sicariis.*

Tit. VIIII. *Ad L. Pompeiam de parricidiis.*

Tit. X. *Ad L. Corneliam de falsis.*

Tit. XI. *Ad L. Iuliam repetundarum.*

Tit. XII. *Ad L. Iuliam de annona.*

Tit. XIII. Ad L. Iuliam peculatus.

§ Eo pertinet *l.* 30. D. *de legat.* 2.

Tit.

BIU Cujas

Tit. XIIII. *Ad L. Iuliam ambitus.*
Tit. XV. *Ad L. Fabiam de plagiariis.*
Tit. XVI. *De quaestionibus.*
Tit. XVII. *De poenis.*
§ Quid vltimum supplicium? *l.* 21. D. *de poen.*
Tit. XVIII. *De bonis damnatorum eorumque, qui ante sententiam sibi manus intulerunt.*
Tit. XVIIII. *De interdictis et relegatis.*
Tit. XX. *De sententiam passis et restitutis.*
Tit. XXI. *De cadaueribus punitorum.*

PARS III.

IN QUA

TRACTATVS DE STIPVLATIONIBVS.

LIB. XXXVIII. DE STIPVLATIONIBVS.

§ Ad stipulationes pertinent leges omnes ex hoc libro superstites. *l.* 50. *de mand. l.* 99. *et* * *l.* 72. D. *de V. O. l.* 193. D. *de R. I.* Conf. Iac. Gothofred. *Comm. ad tit. de reg. iur. p.* 193.

PARS IIII.

IN QVA

TRACTATVS DE FISCO ET RE MILITARI.

LIB. XXXVIIII. DE FISCO ET RE MILITARI.
Tit. I. De iure fisci.
§ Eo pertinet *l.* 3. D. *ne quid in loco publ.*
Tit. II. De captiuis et postliminio.
§ Eo pertinet *l.* 98. D. *de V. S.* iuncta † *l.* 3. §. 3. D. *de minor.*
Tit. III. De re militari.
Tit. IIII. De castrensi peculio.
§ Videtur huc referenda *l.* 7. *de adopt.*
Tit. V. *De veteranis.*

BIU Cujas

VLPIANI LIBRI QVATVOR AD L. AELIAM SENT. ORDINI SVO RESTITVTI.

LIB. I. DE MANVMITTENDORVM QVALITATIBVS.

Cap. I. De iis, qui manumissi dedititii fiunt.
§ Tales fiunt et vincti. Quinam vincti accipiantur in L. Aelia Sentia *l.* 216. D. *de V. S.*
Cap. II. De *aetate manumittendorum per vindictam.*
Cap. III. De *aetate et conditione manumittendorum testamento.*
Cap. IIII. De *conditione liberorum, ex huiusmodi parentibus natorum.*

LIB. II. DE MANVMISSORIBVS.

Cap. V. De minore 20. annis manumittente.
§ Manumittere potest ex iusta caussa, veluti si sanguine coniunctus. *l.* 12. *de manumiss. vind.* Caussae quales esse debeant. *l.* 16. D. *eod.*
Cap. VI. De *femina manumittente.*
Cap. VII. De *manumittentibus in fraudem creditorum.*
Cap. VIII. De *seruo herede necessario instituto.*
Cap. VIIII. *Si obaeratus in fraudem legis plures testamento manumiserit.*
Cap. X. De *seruo in fraudem foeneratorum manumisso.*

LIB. III. DE MODIS ET CONDITIONIBVS MANVMITTENDI.

Cap. XI. De *mercede manumissionis.*
Cap. XII. De *iureiurando libertorum, ne liberos tollant.*

LIB. IIII. DE OFFICIIS LIBERTI ET PATRONI MVTVIS.

Cap. XIII. De *eo, quod in fraudem patroni factum.*
Cap. XIIII. De libertis ingratis.
§ Quinam possint libertos ingratos accusare. *l.* 30. *qui et a quib. manum.*
Cap. XV. De *patroni officio erga libertum inopem.*

FRAG-

BIU Cujas

FRAGMENTA
EX PAVLLI LIBRIS III.
AD L. AEL. SENT.
ORDINI SVO RESTITVTA.

LIB. I. DE QVALITATE MANVMITTENDORVM ET MANVMITTENTIVM.

Cap. I. De *iis*, *qui manumissi dedititii fiunt.*
Cap. II. De *aetate manumittendorum per vindictam.*
Cap. III. De *aetate et conditione testamento manumittendorum.*
Cap. IIII. De *conditione liberorum ex huiusmodi parentibus natorum.*
Cap. V. De minore 20. annis manumittente.
§ Minor 20. annis et conditionis implendae caussa potest manumittere. *l.* 15. D. *de man. vind.*
§ Qui potest manumittere apud consilium, potest et necessarium sibi heredem instituere. *l.* 27. *D. eod.*
Cap. VI. De femina manumittente.
§ Manumittere debet auctore tutore. Quid si tutor coecus? *l.* 16. *de auct. tut.*
Cap. VII. De *manumissione in fraudem creditorum.*
Cap. VIII. De *seruo necessario herede instituto.*
Cap. VIIII. Si obaeratus in fraudem legis plures manumiserit.
§ Quid si Stichum instituerit, et eum, cui libertatem ex fideic. debet, substituerit? *l.* 55. *de her. inst.*
§ Quid si duos Apollonios? *l.* 43. *eod.*
Cap. X. De *seruo in fraudem foeneratorum manumisso.*

LIB. II. DE CONDITIONIBVS ET MODO MANVMITTENDI.

Cap. XI. *De mercede manumissionis.*
Cap. XII. De iureiurando libertorum, ne liberos tollant.

BIU Cujas

§ Quis in L. Aeliam Sentiam incidat adigendo libertum, quis non incidat? *l. 6. de iur. patr.*

LIB. III. DE OFFICIIS LIBERTORVM ET PATRONORVM MVTVIS.

Cap. XIII. De eo, quod in fraudem patroni factum.
§ Eo pertinent *l.* 16. *qui et a quib. man. et l. 66. de V. O.*
§ Quando patronis dicatur fraudari. *l.* 11. D. *si quid in fraud. patr.*
Cap. XIIII. *De libertis ingratis.*
Cap. XV. *De patroni officio erga libertum inopem.*

BIU Cujas

IO. GOTTL. HEINECCII, IC.

OPVSCVLORVM
POSTVMORVM
TOMVS IIII.

TOPOGRAPHIAM IVRIS ROMANI
DEMONSTRANS.

BIU Cujas

BIU Cujas

TOPOGRAPHIA DIGESTORVM ORDINE ALPHABETICO DISPOSITA.

A.

ACHAIA. Ita aliquando vniuersa Graecia dicta est, quemadmodum omnes Graeci dicti *Achiui*, veluti apud Homer. Iliad. η. v. 472.

Ἔνθεν ἀρ' ὀινίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί. qui versus citatur *l.* 1. D. *de contrah. emt.* Strictiore sensu Achaea vocata Thessalia, cuius incolas Homerus modo *Myrmidonas*, modo *Hellenas*, modo *Achaeos* adpellitat: nec non tractus Peloponneso proximus. Vnde Corinthus Achaiae caput dicitur. Ast Romani, perdomita Macedonia, quidquid terrarum ab Aegeo mari et Scardicis iugis in occasum et meridiem porrigitur, in duas prouincias diuiserunt, *Macedoniam*, sub qua et Epirus cum Thessalia: et Achaiam, sub qua Graecia, Peloponnesus et insulae circumiacentes. Erat itaque prouincia populi Romani, cui Proconsul praerat, quales sub Hadriano *Calpurnius Rufus*, *l.* 10. §. 1. *de off. procos.* sub Antonino Caracalla *Aurelius Proculus*, *l.* 81. *D. ad SC. Trebell.*

AEGYPTVS, regnum olim florentissimum, ab Augusto victa Cleopatra in prouinciae formam redactum, quod a septentrione mari, ab ortu Arabia petraea et sinu Arabico, ab occasu Libya Cyrenaica, a meridie Aethiopia terminabatur. Vti ipsa terra frugum feracissima: ita et feminarum foecunditatem celebrari videas *l.* 3. *D. si pars hered. pet. l.* 36. *D. de solut. et liberat.* Terram fertilem praecipue reddit Nilus, qui bis in anno vniuersam Aegyptum incremento suo operit, *l.* 1. §. 5. *D. de flumin.* multis ideo χώμασι vel aggeribus coërcendus, quos qui rumpit extra ordinem punitur. *l.* 10. *D. de extr. crim.* Idem Nilus arundine supplet lignorum penuriam,

BIU Cujas

riam, siquidem arundinibus pro ligno vtuntur Aegyptii. *l.* 35. §. 5. *D. de legat.* 3.

Ea prouincia singulari ratione recta per *Praefectos Augustales*, qui et *Praefecti Aegypti* dicuntur. *l.* 1. D. *de off. praef. Aug. l.* 35. D. *quib. ex causs. mai. vig. quinque ann. in int. rest. l.* 1. D. *de tut. dat. l.* 21. *de manumiss. vind.* Hi fere ex equestri ordine delecti parem reliquis magistratibus vim ac potestatem fuerant consequuti, de qua fusius Arrian. de Expedit. Alex. M. lib. III. cap. 5. Tacit. Annal. lib. XII. cap. 60. et Hist. lib. I. cap. 2. Dio lib. LIII. p. 504. Obtinebat ibi etiam singulare relegationis genus in Ouasin, de quo infra sub O. Vid. *l.* 7. §. 5. *de interd. et releg.*

AELIA CAPITOLINA, vrbs noua ab Aelio Hadriano conditore adpellata, et in proximo Hierosolymis solo, ipsisque fere eiusdem ruderibus, excitata. Xiphilin. in Hadrian. Idem Princeps eo deduxerat coloniam. Xiphil. ib. Vnde post Caesaream altera Palaestinae colonia dicitur in *l.* 1. §. 6. *D. de censib.* Et in ipsis numis frequenter dicitur Col. Ael. Kapi. Col. Ael. Cap. Commodiana. Vnde errat V. C. Harduinus p. 562. et p. 13. dum priore loco numum, in quo legitur: ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡ. ΑC. ΑΥ, id est, *ἱερᾶς ἀσύλου αὐτονόμου*, posteriore autem alium cum epigraphe: Ael. Mvn. Comm. ad Aeliam nostram Capitolinam refert, quum tamen ea nec *αὐτονόμος*, nec municipium fuerit, sed colonia, quae ne ius quidem Italicum habebat. *l.* 1. §. 6. *de cens.* Conf. Norisi. Epoch. Syro-Maced. Diss. III. cap. 9. p. 324. sequ.

AETHALIA. vide ITALIA.

AFRICA, alioquin tertia orbis olim cogniti pars, maxime meridionalis, quae ab Europa mari mediterraneo et freto Herculeo; ab Asia exiguo Isthmo et sinu Arabico seiungitur. Ast speciatim ita dicitur prouincia Carthaginiensibus extorta, quae a septentrione Africo mari, ab ortu sinu magnae Syrtis, a meridie perpetuis montibus, ab occasu Tusca amne terminabatur. Est prouincia sicca quidem, adeo, vt et aqua quibusdam in regionibus venalis sit: *l.* 14. §. 3. *de alim. vel cibar. leg.* sed frugum tamen feracissima. Vnde et messium incensores ibi grauius puniti, *l.* 16. §. 9. *D. de poen.* et maxime laudatur *frumentum Africum. l.* 50. §. 1. *mandat.* triticum Africum optimum. *l.* 74. D. *de V. O. l.* 75. *eod.* Paullo rarius fuisse videtur vinum. Vnde susceptores vini ibi patrimoniale munus gerebant. *l.* 18. §. 2. *de munerib.* Vrbes ibi complures et celeberrimae, inter

BIU Cujas

inter quas Carthago, Vtica et Leptis, iuris Italicae coloniae eminebant. *l.* 8. §. 11. D. *de cens.*

Ceterum et haec erat prouincia populo ab Augusto attributa, in quam procoss. mittebantur, quales Bradua Mauricus, *l.* 4. D. *de off. eius, cui mand. iurisd. l.* 1. §. 4. D. *de suspect. tutor.* et Ennius Proculus *l.* 5. §. 1. D. *de iur. immun.*

AGRIPPINENSIS colonia, in inferiore Germania, ad Rhenum, vbi hodienum vrbs antiquum Coloniae nomen retinet. Olim erat Vbiorum caput, post colonia iuris Italici, *l.* 8. §. 2. D. *de cens.* quae ab Agrippina, Claudii Imp. vxore, cognomentum traxit. Tacit. Annal. lib. XII. cap. 27.

ALEXANDRIA, splendidissima ciuitas, et Aegypti caput, ab Alexandro M. condita, et ob portus commoditatem in tantum aucta, vt vni tantum Romae cederet. Quum nullum ibi publicum consilium ferrent Romani: ius Alexandrinis dicebat Iuridicus Alexandrinae ciuitatis, de quo *tit. D. de offic. iuridici.* Ibidem et Praefectus Augustalis Aegypti solebat degere. Saltim non prius decessoris potestas exspirabat, quam successor Alexandriam perueniisset, quamuis iam esset in prouincia. *l.* 1. *D. de offic. praef. Aug.* Feminas Alexandrinas foecundas celebrat *l.* 3. *D. si pars her. pet. l.* 7. *pr. D. de reb. dub. l.* 36. *D. de solut. et liberat.* Elemporiam et Ospraturam apud Alexandrinos patrimoniale munus fuisse docet Arcadius Charisius *l.* 18. §. 19. *D. de mun. et hon.*

ALGIDVS mons, vnde legiones, tunc belli gerendi causa commoratae signa in Auentinum transtulerunt, et Decemuiris ob Appii libidinem exosis abrogarunt imperium *l.* 2. §. 24. *de O. I.* Non procul abest a Tusculo, sibique impositum olim habuit oppidum cognomine, ab Aequis habitatum, et siluam, dictam Algidam, cuius in ingressu erat Regillus lacus Romanorum periculo victoriaque celeberrimus. Liu. lib. III. cap. 29.

AMMINEA, Regio Campaniae, vbi Falernus, vini generosissimi ferax. Vnde vinum Ammineum. *l.* 16. §. 2. *D. de trit. vin. ol.* Virg. in Georg.

Sunt et Ammineae vites firmissima vina.

Et Auson.

Solus qui Chium miscet et Ammineum.

ANTIOCHIA vrbium orientis maxima, Seleucidarum regum sedes, et totius Syriae sub Romanis metropolis, a Seleuco

BIU Cujas

Nicatore anno Olympiadis CXX. primo, id est, ab v. c. 454 condita, et a patre eius Antiocho cognominata Antiochia. Iustin. lib. XV. cap. 4. Syria anno v. c. 690. a Pompeio occupata, Antiochia Seleucia aliaeque vrbes opulentiores ius ἀυτονομίας impetrarunt. Vnde in numis legimus ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑΣΥΛΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜ. Norisi. Epoch. Syro-Maced. Diss. III. cap. 3. pag. 158. sequ. quam ἀυτονομίαν quum ipsis anno 704. confirmasset Iul. Caesar, ab eo anno epocham suam ducere coeperunt. Norisi. ibid. Non ergo fuit colonia, sed ciuitas ἀυτόνομος, quo vocabulo etiam appellatur in *l.* 37. *D. de reb. auct. iud. poss.* vbi Papinianus: *Antiochensium Coelesyriae ciuitati, quod* LEGE SVA *priuilegium in bonis defuncti debitoris accepit, ius persequendi pignoris durare, constitit.* Turbare quem posset, quod Antiochia dicitur Coelesyriae ciuitas, quum eam ad Orontem in Syria superiore sitam fuisse, nemo ignoret. Sed non est nouum, Coelesyriam sensu paullo latiore accipi, eo puta, quo accepit Dionysius Periegetes et Strabo lib. XVI. p. 520. qui omnem regionem vltra Seleucidem, in Aegyptum et Arabiam recedentem Coelesyriam adpellari docent, quum proprie tractus inter Libanum et Antilibanum istud nomen ferat.

ANTIOCHIA alia in Syria memoratur in *l.* 8. §. 5. *D. de censib.* sed colonia ab Augusto saluis tributis ducta. Ea non alia esse potest, quam Antiochia ad Hippum, cuius numus exstat apud Patin. in M. Aurel. p. 246. cum hoc lemmate: ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ΙΠ. ΙΕΡ. ΑΣΥΛΟΣ et alius apud Holsten. ad Steph. p. 37. in quo legitur: ΚΟΛ. ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ΙΠ. Distabat Hippus triginta stadiis a Tiberiade, vt Ioseph. lib. de vita sua testatur, adeoque inter Tiberiadem et Hippum non nisi lacus Tiberiadis videtur interfessisse. Conf. Norisi. Epoch. Syro-Maced. Diss. III. cap. 9. §. 5. pag. 331. sequ.

ANTIOCHIA in Pisidia, de qua Paullus in *l.* 8. §. 10. *D. de cens. In Pisidia eiusdem iuris est colonia Antiochensium.* Fuit ergo colonia iuris Italici, inter Seleuciam et Apameam sita.

APAMEA non vna celebratur. Vna ad Orontem in Coelesyria, antea Pella, postea a Seleuci vxore Apama Apamea dicta, satis ab ipsa natura munita, et fusius descripta a Strabone lib. VI. p. 196. Altera trans Euphratem ex aduerso Zeugmatis, Comagenes oppidi ad Euphratem, quam cum Syriaca perperam confu-

disse

BIU Cujas

disse Pinedo in Not. ad Stephanum, docuit saepe laudatus Noris. *Diss.* II. *cap.* 2. §. 1. *pag.* 79. Tertia in Pisidia cis Taurum ex aduerso Homones. Quarta in Bithynia ad Propontidem inter Cyzicum et Cium sita, quae ab Apama Prusiae regis vxore nomen traxit. Strabo *lib. XII. pag.* 388. Et haec inter colonias refertur ab Vlpiano *l.* 1. §. 10. *D. de censib.* nec non a Plinio *lib. V. Hist. nat. extr.*

APPIA via, ab Appio Claudio strata, *l.* 2. §. 36. *D. de O. I.* circa ann. 441. Liu. *lib. VIIII. cap.* 29. et Roma per Latium, Campaniam, Capuam vsque perducta, inde a Caesare Dictatore per Apuliam Brundusium vsque munita. Postea a Traiano Imp. refecta Traianae nomen tulit. Vid. Gruter. *pag.* 99. 1. Reines. *Inscript. class.* II. 80. Fundum ab ea via cognominatum reperies *l.* 41. §. 5. *D. de legat.* 3.

APVLENSIS colonia iuris Italici, cuius mentio fit in *l.* 1. §. 9. *D. de censibus.* Fuit olim Apulum regia Dacorum ad fluuium Marisium, hodie Alba Iulia, cuius nomen non semel reperias in marmoribus apud Gruter. *pag.* 346. 2. 5. *pag.* 347. 1. *pag.* 345. 9. vbi semper vocatur COL. APVLENSIS, APVLESIVM. cet. Est tamen vbi M, id est, municipium audit. Grut. *pag.* 49. 4. *pag.* 88. 13. *pag.* 89. 11.

AQVILEIA, celeberrima olim Histriae ciuitas, et commerciis celebris, quibus non incommodum erat proximum mare Hadriaticum. Vnde nauigationis e prouincia Cyrenaica Aquileiam institutae mentio fit in *l.* 37. *D. loc.*

AQVITANIA, vna ex quatuor prouinciis, in quas Galliam descripserat Augustus. Istae quatuor dioeceses erant Narbonensis, Aquitanica, Celtica, et Belgica. Et Belgas quidem a Celtis Matrona et Sequana; Celtas ab Aquitanis Garumna diuidebat, temporibus Caesaris. Caes. de B. G. *lib. I. cap.* 1. Aquitania itaque tunc terminis angustissimis circumscripta, intra Garumnam Pyrenem et Oceanum continebatur. Ast Augustus eius fines ad Ligerim vsque protulit, totamque prouinciam in tres maximas dioeceses diuisit, Aquitaniam puta primam, cuius metropolis Auaricum Biturigum Cuborum, Aquitaniam secundam, cuius caput Burdigala Biturigum Vibiscorum, et Nouempopulanam, cuius caput Augusta Auscorum. Strabo *lib. IIII. pag.* 176. *seq.* Praeerat huic prouinciae Legatus Caesaris pro praetore, qualis sub Hadriano,

BIU Cujas

Saluius *l.* 12. *de cuſtod. et exhib. reor.* L. Iulius L. F. Pal. Iulianus LEGAT. AVG. PRO. PR. PROVINCIAE. AQVITANIAE eſt apud Gruter. *pag.* 422. 7.

ARABIAE partem Caeſar, totam Traianus prouinciam fecit. Sex. Ruf. Breuiar. *cap.* 14. Vnde P. Plotius Romanus LEG. AVG. PRO PR. PROV. ARAB. eſt apud Reineſium *Inſcript. claſſ.* II. 26. Incolas ſemper aluit prauos, et latrociniis caedibuſque famoſos. Vnde nec mirum, frequentiſſimum ibi fuiſſe crimen ſcopeliſmi, de quo *l.* 9. *D. de extr. crim.* Ferax contra gemmarum et aromatum. Vnde Sargogalla Onyx Arabicus *l.* 17. §. 7. *de donat.*

ARELATA, vrbs Galliae Narbonenſis ad Rhodanum, cuius reſpublica memoratur in *l.* 34. *pr. D. de vſu et vſufr. leg.* Mentio eiuſdem oppidi fit in *l.* 13. *pr. D. de inſtit. act.*

ARICIA *l.* 64. *D. de cond. et dem.* notiſſimum Latii municipium, hodie l'Aricia.

ASIA modo alteram orbis partem ad orientem, notat, modo prouinciam populi Rom. ab Attalo Romanis teſtamento relictam, quae hinc κατ' ἐξοχήν hoc nomen tulit, quod hanc ſolam Romani in Aſia poſſidebant. Noriſ. Cenotaph. Piſan. *Diſſ.* II. *cap.* 11. *p.* 205. Complectebatur illa omnem tractum cis Taurum ac Halym, exceptis Galatis et reliquis gentibus, quae Amyntae paruerant, Bithynia item et Propontide. Vnde ſub iuriſdictione Aſiana erant Ionia, Phrygia maior et minor, Lydia, Myſia, Caria, ac Pergamus. Strabo *lib. XVII.* Geogr. Libera rep. praetoria erat prouincia, ceu erudite probat Noriſ. *ibid. pag.* 206. Si tamen bellum immineret, aliquando eo mittebatur Proconſul, qualis Rutilius ICtus, *l.* 2. §. 40. *de O. I.* Aſt Auguſtus eam prouinciam populo conceſſerat, cuius nomine eo mittebantur Senatores conſulares, ſub titulo Proconſulum. Dio *lib. LIII.* iique id habebant, vt non poſſent, niſi per mare, venire in prouinciam, et inter metropoles Epheſum primum adire tenerentur. *l.* 4. §. 5. *D. de off. procoſ.* Ceterum praecipuae Aſiae vrbes, veluti Epheſus, Smyrna, Sardes, Pergamus, Miletum, Tralles, in corpus aliquod et σύστημα coaluerant, communi ſaluti libertatique tuendae, quod communibus ſacris ludiſque firmabant. Vnde tam frequens in numis et marmoribus ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ, immo et in Pandectis noſtris *l.* 6. §. 2. *D. de excuſ.* vbi Antoninus Pius τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας, *communitati Aſiae* reſcripſiſſe,

BIU Cujas

scripsisse, dicitur. Hinc et communem habebant Pontificem, ASIARCHAM, qui communia sacra communesque ludos curabat. Quod munus, quamuis splendidissimum, quum non sine multis impensis posset explicari, amoliri poterant ob numerum quinque liberorum. *l.* 6. §. 14. *D. de excus.* De variis huius prouinciae vrbibus et coloniis suis locis agemus. Id addimus, memorari ibi marmorum fodinas, in quibus lapides renascantur. *l.* 7. §. 13. *D. solut. matr. dos quem.*

ATELLATA et Niphana regiones memorantur in *l.* 35. §. 2. *D. de legat.* 3. vtraque ignota, nisi quod Ant. August. de Nom. propr. τῶν ϖανδεκτῶν Florentini cap. 7. p. 477. ibi pro *Atellata* legendum suspicatur *Atellana*, vt sit tractus circa Atellam, oppidum Campaniae felicis, vnde fabulae Atellanae nomen repererunt.

ATHENAE, celeberrima olim Attidis ciuitas, non modo sapientia ciuium, et rerum gestarum magnitudine celebris, sed et legibus Solonis, quarum fragmenta occurrunt *l.* 13. *D. fam. ercisc. l.* 4. *D. de colleg. et corp.* Ante Solonem Draco tulerat leges, non atramento, sed sanguine scriptas, quas non hominis, sed draconis leges veteres quidam ob insignem truculentiam dixere. Eius legum quoque mentio fit in l. 23. *pr. ad L. Iul. de adult.*

AVENTINVS mons, in quem legiones Appii Claudii libidine consternatae secessserunt. *l.* 2. §. 24. D. *de O. I.* Est vnus ex septem montibus, quibus Roma inaedificata, ara Iouis Elicii, spelunca Caci, horreis P. R. Vespasiani amphitheatro et palatio, thermis Titi et Philippi, domo aurea Neronis aliisque splendidissimis aedificiis clarus, quae fusius describit Io. Barth. Marlian. Topogr. Rom. lib. V. cap. 2. sequ. Montem hunc Romae adiunxit, et deuictarum gentium coloniae dedit Ancus Marcius, ceu praeter Dionys. Halic. et alios testatur Liu. *lib. I. cap.* 33.

AVRELIA via, cuius mentio *l.* 30. D. *de legat.* 2. ad portam Aureliam vrbis Romae pertigit, et in marmoribus, quae non semel curatorum huius viae meminerunt, in veterem et nouam diuiditur. Grut. *pag.* 457. 6. 465. 5. 491. 12. Sed quemadmodum portae Aureliae situs Marliano *lib. I. cap.* 8. incertus videtur: ita nec via Aurelia satis cognita. Sed quum ex *d. l.* 30. appareat, e Grauiscana colonia viam ad Aureliam pertigisse: satis patet, eam per Hetruriam decucurrisse.

BIU Cujas

B.

BABYLON, vrbs trans Euphratem celeberrima, quae fere semper Parthis paruit. Laudantur in iure noſtro pelles Babylonicae. *l.* 16. §. 7. *de donat.*

BAETICA, vna ex tribus prouinciis, in quas Romani deſcripſerant Hiſpaniam. Reliquae enim duae erant Luſitanica et Tarraconenſis. Et Baeticam quidem a Luſitanica Anas fluuius, a Tarraconenſi prouincia Oroſpeda mons diſiungit. Mediam interfluit Baetis, vnde toti prouinciae nomen haeſit. Fuit prouincia praetoria populi. Non enim eo Senatores mittebantur Conſulatu perfuncti, ſed viri praetorii. Sed quia Auguſtus et hos Procoſ. appellari voluerat, teſtibus Dione *lib. LIII.* et Suetonio *vit. Aug. cap.* 7. inde eſt, quod et eo miſſi praeſides dicti PROCOSS. PROV. BAETICAE apud Grut. p. 345. 5. et 471. 1. nec non in *l.* 2. *D. de his, qui ſui vel al. iur. l.* 4. §. 1. *D. ad L. Corn. de ſicar.* Ad conſilium Baeticae reſcripſiſſe dicitur Hadrianus in *l.* 1. *pr. D. de abigeis.*

BARCINONENSIS colonia, in Hiſpania Tarraconenſi, vbi Rubricatus fluuius ſe in mare infundit, quam immunem eſſe tradit *l.* 8. *pr. D. de cenſib.* Vrbs etiamnum eodem nomine celebratur, et Cataloniae caput habetur.

BENEVENTANA colonia, cui per fideicommiſſum aliquid relictum legas *l.* 57. *pr.* D. *ad SC. Trebell.* oppidum olim Hirpinorum ad *Sabatum* fluuium, antea *Maleuentum* dictum, Liu. *lib. VIIII. cap.* 27. et ſide aduerſus Romanos in bellis Punicis celeberrimum, quo tempore iam colonia fuit. Liu. *lib. XXVII. cap.* 10.

BERYTVS, ciuitas in Syria, *l.* 122. §. 1. *D. de V. O.* vel proprie in Phonice, *l.* 8. §. 3. *D. de cenſ.* ad mare inter Lycum et Leonton fluuios ſita, iuris Italici colonia *l.* 7. *l.* 8. §. 3. D. *de cenſ.* ab Auguſto multis ornata beneficiis, et hinc *Auguſtana* colonia dicta Hadriano. *l.* 1. §. 1. D. *eod.* Nimirum coloniam eo deduxit Auguſtus anno v. c. IↃCCXL. Euſeb. in Chron. per Agrippam, duabus ibi legionibus collocatis. Strabo *lib. XVI. p.* 520. Hinc Plinio *lib. V. cap.* 20. vocatur FELIX IVLIA: in numo Mediceo apud Noriſ. Cenotaph. Piſan. *p.* 23. COL. IVL. AVG. FEL. BER. Metropoleos honorem obtinuit a Theodoſio iuniore, ſed ea lege, ne quid Tyro de ſuo iure derogaretur. *l. vn. C. de metrop.* Beryt, lib.

lib. XI. tit. 22. non tamen fuit metropolis Phoeniciae secundae, ceu contra Ez. Spanhem. *Diss. VIIII. p.* 878. euincit Noris. de Epoch. Syro-Maced. *p.* 400. sed metropolis verbotenus, sine re, quamuis eo iure abusus Eustathius Beryti Episcopus ius metropoliticum sibi vindicaret, a synodo Chalcedonensi repressus *act.* 4. et intra solum vocabuli honorem redactus, quo sensu et *act.* 6. eiusdem Synodi dicitur τῆς Βηλιτῶν μητροπόλεως ἐπίσκοπος. Floruisse ibi scholam iuridicam celeberrimam, in vulgus notum. De ea fusius alibi. Iam addimus splendidissimam illam ciuitatem demum terrae motu concidisse.

BITHYNIA pop. Romani prouincia praetoria, ad quam praeter Bithyniam κυρίως dictam et Paphlagonia, Propontis, et Pontus referebantur, postquam Deiotarus, rex vltimus Paphlagoniae et Pythodoris, Ponti regina decesserant. Noris. Cenotaph. Pisan. *Diss.* IIII. *cap.* 11. *p.* 207. Mittebantur ergo eo praetorii viri, qui tamen ob eam rationem, quam supra in voce BAETICA dedimus, Proconsules adpellabantur, Plin. *lib. X. ep.* 109. Postquam Imperatores et has prouincias sibi fere pro lubitu vsurpabant, legati quidem pro praetore eo missi sunt, sed consulari potestate. Ita ipse Plinius LEGAT. PRO PRAET. PROVINC. CONSVLARI POTESTATE IN EAM PROVINCIAM AB IMP. CAESARE NERVA TRAIANO AVG. GERMANICO MISSVS dicitur apud Gruter. *p.* 454. In hac quoque prouincia Graeci commune concilium habebant, quod τὸ κοινὸν τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων, *commune* eorum, qui in Bithynia sunt, Graecorum adpellatur in *l.* 25. D. *de adpellat.* Vnde et communis pontifex sacris ibi praefuit, quem BITHYNIARCHAM adpellari obseruamus in *l.* 6. §. 14. D. *de excusat.* De coloniis Apamea in Bithynia et Sinopensi in Ponto, de quibus in *l.* 1. §. 10. D. *de cens.* suo loco dicemus.

BOTROIANI fundi meminit *l.* 13. *pr.* D. *comm. praed. rust. et vrb. praed.* isque vicinus fuisse videtur fundo Geroniano. Vici fortean, quos hodie ignoramus.

BRITANNIA, insularum Europae maxima Galliae Belgioque ad septentrionem obuersa, primum a Iulio Caesare tentata, deinde sub Claudio victa magis, quam perdomita, proconsules initio habuit A. Plautium, Ostorium Scapulam, Didium Gallum, Veranium, Suetonium Paullinum, Petronium Turpillianum, Trebellium Maximum, Vectium Bolanum, Petilium Cerealem, Iulium Fron-

BIU Cujas

Frontinum et Iulium Agricolam, a quibus sensim perdomita, et in prouinciae formam redacta est. Tacit. Agric. *cap.* 14. *sequ.* Quamuis vero Praesides eo missi Tacito Procoss. dicantur: vere tamen erant LEGATI AVG. PRO PRAETORE, vt patet ex Grut. *pag.* 493. 1. qualis etiam sub Antonino Caracalla, vt videtur, fuit Virius Luppus, Britanniae Praeses, de quo *l.* 2. §. 4. D. *de vulg. et pupill. substit.* Ad eam tuendam et classis comparata erat, cuius Archigubernus Sirius Saturninus memoratur in *l.* 46. *ad SC. Treb.*

BRVNDVSIVM, vrbs Calabriae maritima, portu et traiectu in Graeciam clarissima. Vnde saepe eius traiectus in Graeciam aeque ac Syriam mentio fit in *l.* 1. §. 12. D. *de exercit. act. l.* 3. §. 4. D. *de act. emt. l.* 122. §. 1. D. *de V. O.*

BVCINVM. *Tabernae ad Bucinum* mentio fit in *l.* 5. §. 14. D. *de tribut. act.* sed lectio ibi dubia. Nam in eodem codice est *Hucinum.* Vnde Ant. Augustinus coniicit, legendum esse *Fucinum*, vt intelligatur lacus Fucinus, maximus, prope Albam, de quo exsiccando cogitasse scimus Iulium Caesarem, Claudium, Hadrianum. Suet. Iul. *cap.* 44. Claud. *cap.* 20. Ael. Spart. vit. Hadr. cap. 22.

C.

CAESAREA, Palaestinae metropolis, vrbs splendidissima, et colonia Romana, sed non iuris Italici, *l.* 1. §. 6. D. *de censib.* antea Turris Stratonis dicta, sed ab Herode exaedificata et nouo nomine in Caesaris Augusti honorem donata. Postea Vespasianus Caesarienses colonos fecit, non adiecto, vt et iuris Italici essent, sed tributum tamen capitis remisit. Vnde Titus Imp. eos immunes factos interpretatus est. *l.* 8. §. 7. D. *de censib.* Sita est ad mare Phoenicium inter Ioppen vrbem et Sycamium, in ea Palaestinae parte, quam Galilaeam dictam nouimus.

CALETANVS homo memoratur *l.* 78. §. 14. D. *ad SC. Trebell.* Caletes Belgicae populus, cuius meminit Caesar *lib. II.* de Bell. Gall. *cap.* 4. et Strabo, qui eos ad Sequanam vsque pertigisse tradit. Vnde non possunt coluisse tractum Normandiae, qui hodie vocatur *le baillage de Caus*, vti visum Scaligero, sed ipsam regio-

BIU Cujas

regionem, cui hodienum *Calais* caput eſt, portus Picardiae celeberrimus.

CAMPANIA, quae ſaepe in Pandectis nominatur, veluti *l.* 30. *§.* 2. *D. de adim. vel transf. leg. l.* 9. *§.* 2. *D. quod met. cauſſ. l.* 50. *D. de contrab. emt. l.* 1. *ad municipal.* eſt regio Italiae fertiliſſima, in qua ſummum Liberi patris et Cereris certamen. Fines eius Liris fluuius, mons Apenninus, Sabatus et Silarus fluuius et mare Tyrrhenum. Montes ibi vitiferi Gaurus, Falernus, Maſſicus, Veſuuius. Vnde et mercatura vini ibi frequentiſſima, ad quam reſpicit *l.* 11. *§.* 3. *D. locat.* et *vinum Campanum bonum*, *l.* 75. *D. de V. O.* vinum Falernum *l.* 17. *de ann. leg.*

CAPENA, municipium Latii non procul a Roma, quae ideo portam, ex qua eo ibatur, Capenam adpellabat, dicta, vt videtur, a Capenate fluuio, de quo Silius Ital.

Quo ſacer humectat fluuialia rura Capenas.

Inde eſt, quod *Piſcatoribus Capenatis reſcripſiſſe* dicitur Antoninus Pius Imp. *l.* 4. *D. de rer. diuiſ.* vbi quidem Ant. Auguſtin. de Nom. propr. Rom. cap. 7. p. 489. legendum putat *Capenatibus*: ſed nihil videtur mutandum, quia et *Capenatos* dictos eſſe Capenates patet ex marmore apud Gruter. p. 523. 2. vbi monimentum poſitum C. ARTORIO C. F. SCAP. CAPENATO EQ. LEG. II. ITAL.

CAPITVLENSIS colonia Caeſarienſi ſimilis eſſe dicitur. *l.* 8. §. 7. *D. de cenſ.* Iam quidem Prolemaeus Lib. V. Geogr. cap. 15. inter oppida Syriae Coelaes recenſet Καπιτωλίας, cuius ſitum inter Damaſcum et Gadaram quaerendum eſſe ex Antonini Itinerario docuit Henr. Noriſ. Epoch. Syro-Maced. p. 323. addens numum ſub Seuero cuſum, cui inſcriptum ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡΑΣ. ΑΥτονόμε, quem et Luc. Holſten. ad Steph. p. 159. de eadem Capitulenſi colonia, quae in *d. l.* 8. occurrit, interpretandam exiſtimat. Enimuero recte obſeruauit laudatus Noriſius, Holſtenium rem acu haud tetigiſſe. Nam Capitolias fuit ἀυτόνομος: Capitulenſe vero oppidum colonia, ſimilis Caeſareenſi, quae ne ius quidem Italicum impetrauerat. Ergo recte quidem illi, qui apud Paullum legendum monent Capitolienſes: ſed tunc nulla alia intelligenda colonia, quam Aelia Capitolina, quia colonia in Palaeſtina, prae-

BIU Cujas

ter Caesareensem et Capitolinam nulla fuit tempore Vlpiani Paullo συγχρόνη, vti iam supra ex *l.* 1. *D. de cens.* docuimus.

CAPPADOCIA, quae ab ortu Armeniam minorem, a meridie Ciliciam, ab occasu Pamphyliam et Galatiam, a septentrione Pontum Euxinum habet, tempore Augusti parebat Archelao, regi socio et amico populi Romani, per Orientem potentissimo, quem demum Tiberius ex inuidia oppressit. Dio *lib. LVII.* Tacit. *lib. II. cap.* 42. Eo mortuo anno v. c. IↃCCLXX. Cappadocia prouincia facta est. Vellei. Paterc. *lib. II. cap.* 39. eamque Imperatores regere soliti sunt per Legatum, qui LEGATVS AVG. PR. PR. PROV. CAPPADOCIAE adpellatur apud Gruter. *p.* 493. 1. In hac quoque prouincia communia gentis sacra curabat ἀρχιερεύς, quem CAPPADOCIARCHAM vocari videmus *l.* 6. §. 14. *D. de excus.*

CAPVA, caput vrbium Campaniae, ad Vulturnum fluuium situm, vrbs splendida, potens, et olim inter tres maximas ciuitates, Romam Carthaginemque numerata. Flor. *lib. I. cap.* 16. Ea cum pessime merita de Romanis Hannibalis partes sequeretur, in formam praefecturae redacta est, nullo in vrbe relicto corpore ciuitatis, nullo senatu, nullo plebis concilio, nec magistratu, nisi praefecto Roma eo misso. Liu. *lib. XXVI. cap.* 16. Ast post annos circiter 152. quam in eo statu fuisset, coloniam eo deduxit Caesar. Vellei. *lib. II. cap.* 44. Id factum anno circiter 695. Postea eodem colonos iterum misere triumuiri, et quidem milites. Appian. *lib. IIII. de B. C. p.* 591. Tertium Augustus coloniam Capuam deduxit. Plin. *lib. XVIII. H. N. cap.* 11. Hinc colonia dicitur Tacito Annal. *lib. XIII. cap.* 31. municipium vero eidem *lib. III. Hist. cap.* 57. quo iure fortassis Vitellius in fidei praemium eam donauerat, quamuis addubitem, an res rata fuerit Vespasiano rerum potito. Ceterum in ea vrbe quam maxime floruisse videntur commercia. Vnde tot stipulationes, vt Capuae solueretur, quales reperies *l.* 2. §. 2. 3. 4. *l.* 8. *l.* 10. *de eo, quod certo loco. l.* 20. *§.* 5. *de statu lib. l.* 60. *de verb. obl. l.* 9. §. 2. *de duob. reis l.* 16. *§.* 2. *de fideiuss. l.* 49. *§.* 2. *eod.*

CARTHAGO opulentissima Africae respublica, quae cum Romanis diutissime de orbis imperio certauit. Ea binis bellis, quae Punica vocantur, victa, tertio demum funditus deleta est a P. Scipione Aemiliano, inducto aratro, vt obseruat Modestinus *l.* 21. *D. quib.*

BIU Cujas

D. quib. mod. vſusfr. vel vſus amitt. Poſtea eo colonia deducta circa annum 631. Vellei. Pat. *lib. I. cap.* 15. eique ius Italicum datum a Seuero et Antonino Pio *l.* 8. §. 11. D. *de cenſ.* Commerciis et hanc floruiſſe ciuitatem, ob portum commodiſſimum, vel ex frequente ſtipulatione, vt Carthagine ſolueretur, adparet. *l.* 2. §. 6. *de eo, quod certo loco. l.* 21. D. *de reb. dub. l.* 73. *pr. et l.* 141. §. 4. D. *de verb. obl.*

CARTHAGINES duas eſſe, obſeruatur in *l.* 21. D. *de reb. dub.* Vnam iam vidimus. Altera in Hiſpania eſt. Illa Vetus, haec Noua adpellata. Condidere nouam Carthaginienſes, ad ſinum Africo vento oppoſitum, et portu munimentiſque inſtruxere adeo, vt omnium Hiſpaniae ciuitatum facile opulentiſſima haberetur. Liu. *lib. XXVI. cap.* 42. Dicitur et Hiſpana Carthago a Floro *Lib. II. cap.* 6. quamuis ibidem et Vetus Carthago ſit, mediterranea ad Sicorim ciuitas, non procul ab Ilerda oppido remota.

CASSASDRENSIS, iuris Italici colonia in Macedonia, memoratur in *l.* 8. §. 8. *D. de cenſ.* Sed res ipſa docet, intelligi *Caſſandram*, a Caſſandro rege in ipſis faucibus, quae Pallenenſem agrum ceterae Macedoniae iungunt, conditam, hinc Toronaico, hinc Macedonico ſeptam mari. Liu. *Lib. XXXXIIII. cap.* 11.

CASSIOPE, Epiri oppidum, Corcyrae inſulae oppoſitum, vnde frequens traiectus Brunduſium vel Hydruntum in Italiam. *l.* 1. §. 12. D. *de exerc. act.*

CERCINA, inſula Africa Byzancenae obiecta verſus orientem, nec procul a littore remota, vbi Gallus Aquilius, ICtus, Seruii Sulpicii doctor, plerumque haeſiſſe, et maximam librorum partem ſcripſiſſe dicitur. *l.* 2. §. 43. D. *de orig. iur.*

CHIOS, inſula Aſiae littori propior, Smyrnae et Clazomenae obuerſa, hodie *Scio.* In ea praedia libertis libertabuſque in alimenta et veſtiarium legata reperies apud Modeſtinum in *l.* 4. *pr.* D. *de alim. et cibar. leg.*

CILICIA, ampliſſima prouincia Aſiae, quae longo tractu inter Taurum et Cilicium mare porrecta, montibus et mari veluti muris et vallis a natura munitur, et olim in Aſperam et Campeſtrem diuidebatur. Trachea vel Aſpera Pamphyliae et Iſauriae finitima ad Calycadnum fluuium; Campeſtris ab hoc ad Amanum

BIU Cujas

montem Taurumque pertingit. Quando primum prouincia facta sit, erudite disputat Henr. Noris. *Cenot. Pisan. pag.* 213. simulque docet, reip. ei libera adhuc rep. praeter vtramque Ciliciae dioecesin adiunctas fuisse Pamphyliam, Pisidiam, Isauriam, Lycaoniam, Cyprum, cum parte Phrygiae maioris vsque Laodiceam. Exorto bello ciuili, tres dioeceses a Cilicia seiunctae sunt, Phrygia Pacatiana, Lycaonia et Pamphylia, quae, vt ex Cic. ad Famil. *lib. XIII. epist.* 16. *et* 73. colligi potest, Asianae iurisdictioni, viuo adhuc Cicerone, accesserunt. Constituto deinde triumuiratu Antonius Ciliciam Tracheam et Cyprum Cleopatrae dedit, Pisidiam, Lycaoniam et Isauriam Amyntae donauit, Ciliciam campestrem Syriae praesidi subiecit. Dio. *lib. XXXXVIIII.* Mortuo anno v. c. 729. Amynta rege, Augustus Pisidiam, Lycaoniam et Isauriam Galatiae adiunxit, Ciliciam Asperam, Antonio et Cleopatra oppressis, Archelao regi concessit, Cyprum singularem esse iussit prouinciam. Sola itaque remansit Cilicia campestris, cui Aspera, mortuo demum Archelao, veluti postliminii iure accessit. Neque tamen ideo Cilicia praesides suos habere desiit, aut Syriae in perpetuum adiuncta est. Tales enim passim nominantur Cossutius Capito apud Tacit. Annal. *lib. XIII. cap.* 33. Vibius Varus legatus prouinciae Ciliciae *l.* 3. *§.* 3. D. *de testib.* Benidius Rufus, *l.* 2. *§.* 1. D. *de iure immun.* et alii, de quibus suo loco. Vnde iure ab Henr. Norisio notatur Baronius, qui in Appar. Annal. Eul. n. 86. Ciliciam ita mutilatam Syriae accessionem in perpetuum factam esse existimat. De colonis huius prouinciae Selinunte et Traianopoli, de quibus *l.* 1. D. *de cens.* suo loco agemus.

CIRTENSIS respublica, et legatum ei ad opus aquaeductus relictum memoratur *l.* 9. *§.* 5. D. *de iur. et fact. ign.* Vrbs fuit Numidiae mediterranea, quondam Iubae et Syphacis domus et opulentissima sedes. Postquam in Romanorum peruenit potestatem, dici coepit Sittianorum colonia.

CITIENSES. Ita vocantur incolae Citii, meridionalis Cypri oppidi, coloniae Phoenicum, portu egregio instructae. Rescriptum Seueri et Antonini Imperatorum ad eum, qui statuas Citiensibus fuerat pollicitus, exstat in *l.* 1. §. 5. D. *de pollicitat.* Plura de hac vrbe videri possunt apud Meurs. in Cypro *lib. I. cap.* 10. *p.* 30. *et sequ.*

CLAV-

CLAROMENAE, vrbs Ioniae post Smyrnam et Ephesum celeberrima, ad cuius ciues rescripsisse dicitur Hadrianus *l.* 4. §. 5. *D. de legation.*

CLAVDIA aqua ab Appio Claudio ex fontibus caeruleis et Curtio a Milliario 45. in vrbem ducta. *l.* 2. §. 36. *de orig. iur.* Restitutus postea is aquaeductus a Claudio Imp. nisi hunc nouum dicere malis. Aliquando enim distingui videas Aquas Claudiam et Appiam. Vid. Frontin. de Aquaed. Rom.

COELESYRIA vel SYRIA COELE, Syriae dioeceseos quinta. Reliquae enim quatuor erant Palaestina, Phoenice, Antiochene, et Comagene. Coele, id est, caua a tergo Antiochenae, Comagaenes et Iudaeae Peraeae ad Euphratem vsque protendebatur, et tractus insigniores habebat Decapolin, Tetrarchias 17. et Palmyrenen. Itaque praecipuae Syriae Coeles vrbes sunt Damascus, Philadelphia, Scythopolis, Gadara, Hippos, Dios, Pella, Caesarea Paneae seu Philippi, Palmyra. Sed iam supra diximus, (vid. ANTIOCHIA,) Coelesyriam aliquando latius accipi pro omni Syriae tractu, a Seleucide ad Euphratem, Arabiam et Aegyptum porrecto. Vnde et Antiochia Coelesyriae ciuitas dicitur in *l.* 37. D. *de reb. auct. iud. poss.* et Laodicea *in l.* 1. §. 3. D. *de cens.* quum vtraque vrbs in Antiochene sita fuerit, et cum Apamia et Seleucia Pieria Tetrapolin constituerit.

COLONE ob σύγκτησιν praediorum ibi sitam saepe memoratur in *l.* 30. §. 1. D. *de adim. vel transf. legat.* Duo huius nominis loci fuere in Troade, alter prope Ilium ad extrema Hellesponti, alter prope Lampsacum. Vtriusque meminit Strabo *lib. XIII.* Prior Colonae πληθυντικῶς, posterior Colone vocari solet.

COMANA, Cappadociae ad Antitaurum ciuitas, Bellonae cultu celebris: cuius exemplo et Comana in Ponto constituta, et Bellonae consecrata. Strabo *lib. XII.* Sophistae Comanensis Neocaesareae docentis exemplo vtitur Modestinus *l.* 6. §. 9. D. *de excusat.*

COMIANE. Apud Modestinum *l.* 34. §. 1. D. *de legat.* 2. Lucius Titius filio legat σύγκτησιν ἀγωνοφόρου Κομιάνην; idque interpres reddidit *syntheſin ſterilium villarum.* Sed procul dubio Κομιάνη est regio. Cominos inter populos Aequicolas refert Plin. *lib. III. cap.* 12. Potest ab iis terrae tractus retinuisse nomen Comia-

BIU Cujas

nae, quamuis villa Gaza, quae ibidem memoratur, in Syria potius quaerendam esse Comianam, suadere videatur. Viderint ea de re alii.

CORINTHVS, Graeciae oculus, Achaiae caput, in ipso Isthmo Peloponnesi situm, et clade sua notissimum. Iustin. *lib. XXXIIII. cap.* 12. Vellei. *lib. I. cap.* 13. Strabo *lib. VIII.* Reaedificata vrbs splendida fuit Romanorum colonia, cuius complures numi exstant apud Io. Foy Vaillantium in Numism. Colon. aen. Romanis dedit gentem Tarquiniorum. *l.* 2. §. 2. D. *de O. I.*

CRETA, insula maris mediterranei amplissima, in quam sub Augusto Proconsules annui mittebantur, tanquam in prouinciam populo ab Augusto relictam, qualis Caesius Cordus apud Tacit. *lib. III. Ann. cap.* 38. *et* 70. Is procos. simul Libyae Cyrenaicae praeerat, a Ptolemaeo Appione Romanis testamento relictae. Strab. *lib. XVII. pag.* 577. Vnde in vetustis marmoribus Q. Garcinus et Q. Caecilius Rufinus PROCOSS. CRETAE ET CYRENARVM. Grut. *Inscr. pag.* 415. 5. et *pag.* 1091. 6. qualis procul dubio etiam fuit Saluius Carus Procos. Cretae. *l.* 14. D. *ad SC. Turpill.* Aliquando tamen eo missos PROPRAETORES, exemplum Q. Luxillii Egnatii euincit apud Grut. *pag.* 433. 1. et 5. Insula erat cotium feracissima, quae diu maximam laudem habuere. Plin. *lib. XXXVI. cap.* 22. Vnde ibi a Caesare locatas cotorias docet Alfenus Varus *l.* 15. D. *de publican. et vectigal.*

CYCLADES (κυκλάδες) insulae, ex quibus se naufragum spoliatum esse conqueritur Eudaemon in celeberrima *l.* ἀξίωσις 9. D. *ad L. Rhod. de iactu*, dicuntur insulae, quae in mari Aegeo medio veluti in orbem iacent, quarum celebriores Andrus, Delus, Paros. Quae illas cingunt, insulae, quia dispersae, Σποράδες dicuntur, quales Icaria, Pathmus, Samus, Cos, Carpathus, et plures ignobiliores.

CYRENENSIS prouincia, alias Libya Cyrenaica, a metropoli Cyrene dicta, item Pentapolis, a quinque insignium vrbium numero, puta Berenice, Arsinoe, Ptolemaide, Apollonia, ipsaque Cyrene, appellata inter sinum Syrticum et Aegyptum interiacet. Eius fit mentio in *l.* 61. §. 1. D. *loc. cond.* Ad Romanos quomodo peruenerit, et quomodo recta sit, diximus paullo ante, vbi de CRETA egimus.

D. DA-

BIU Cujas

D.

DACIA a septentrione Carpathiae iugis et Hieraso amne; ab oriente eodem Hieraso et Istro; a meridie itidem Istro; et ab occidente Patisso terminata, a Traiano, victo Decebalo in prouinciae formam redacta, et coloniis exculta est. Diuidebatur in Ripuensem, Alpestrem et Mediterraneam seu Gepidiam, quarum ista praeter Hungariae partem tractum aliquem Wallachiae, illa reliquam Wallachiae partem cum Moldauia; haec Transsyluaniam complectebatur. Vnde praesides Daciarum πληθυντικῶς dicebantur, huic prouinciae praefecti, quibus id priuilegium attributum fuerat, vt possent pluribus interdicere prouinciis. *l.* 7. §. 14. D. *de interd. et relegat.*

DALMATIA, maritima ad sinum Hadriaticum regio, a Titio amne, qui Liburniam a Dalmatia diuidit, ad Lissum oppidum protenditur. In eam sub Imperatoribus mittebantur Legati Aug. pro Praetore, qualis L. Domitius Gallicanus Papinianus apud Gruter. *p.* 402. 6. In hac prouincia Herennium Modestinum ICtum vixisse, colligunt ex *l.* 52. §. 20. D. *de furt.* quamuis ibi dubia lectio sit, aliis *de Dalmatia*, aliis *de Delmatio* legentibus. Priorem tamen lectionem Florentina probat.

DELPHI oppidum Phocidis in Graecia, in montis Parnassi radicibus situm, et oraculo Apollinis olim celeberrimum, cui id priuilegium datum seruatumque fuerat, vt qui Delphia matre natus esset, Delphius haberetur. *l.* 1. §. 2. D. *ad municipal.*

DIENSIS in Macedonia colonia iure Italico donata. *l.* 8. §. 8. *D. de censib.* Dion est oppidum Pieriae, non procul ab Olympo monte dissitum.

DYRRACHIVM, insigne Macedoniae ad mare Hadriaticum oppidum, traiectu Brundusino celeberrimum. *l.* 1. §. 12. D. *de exerc. act.* Id quum antea Epidamnus vel Epidamnum diceretur, melioris ominis caussa Dyrrachium dici coepit, postea colonia Italici iuris factum. *l.* 7. *l.* 8. §. 8. *D. de censib.*

E.

EMERITA, vel AVGVSTA EMERITA, Lusitaniae vrbs celeberrima ad Anatem fluuium, hodie *Merida*. Fuit colonia iuris Italici *l.* 8. *pr.* D. *de cens.* Vnde COLONIA EMERITENSIS in marmore

BIU Cujas

more apud Grut. *p.* 13. 16. et in numis compluribus COL. AVG. EMERITA. Vid. Vailiant. Numism. Col.

EMESA vel EMISA, Syriae Phoenices vrbs ad Orontem fluuium, aliquamdiu Seleucidis paruit. Aſt Antiochi Grypi filiis ſecum inuicem diſſidentibus Sampſiceramus quidam nouum apud Emeſam regnum condidit, tributarius Romanis a Pompeio factus. Ei Iamblichus filius ſucceſſit, *Phylarchus Arabs* dictus Ciceroni *lib. XV. ad famil. epiſt* 1. Eo ab Antonio interfecto, Iamblicho filio patrium regnum reſtituit Auguſtus, cuius poſteri ibi diu regnarunt, ſaltim ad Veſpaſianorum tempora, quibus Sohemus Emeſae rex memoratur Ioſepho de Bello Iud. *lib. VII. cap.* 22. Aſt non multo poſt Emeſa Romano imperio acceſſit, et Romano orbi plures Auguſtos Auguſtaſque dedit, veluti Iuliam Domnam, Iuliam Maeſam, Soemiadem, Iuliam Mammaeam, Elugabalum, Alexandrum Seuerum. Quum itaque Antoninus Caracalla matre Emeſena eſſet natus: eam coloniam fecit iuris Italici. *l.* 8. *§.* 6. D. *de cenſ. l.* 1. *§.* 4. *eod.* Vnde in numis a Noriſio *Epoch. Syro-Maced. pag.* 95. exhibitis dicitur ΕΜΙΣΩΝ ΚΟΛΩΝ. in quorum vno etiam effigies ſolis ab Emiſenis ſub forma lapidis rotundi et ſuperne ſenſim faſtigiati ſiſtitur, vti id ſimulacrum deſcribit Herodian. *lib. V.*

EPHESVS, Aſiae metropolis, ad quam primum adplicare oportebat proconſulem Aſiae *l.* 4. *§.* 5. *D. de off. procoſ.* Erat haec vrbs ab Amazonibus condita, et templo Dianae ſplendidiſſimo ornata, quod Heroſtratum demum famae cupiditate incendiſſe, notum eſt. Romani Epheſo debebant Hermodorum exſulem, cuius conſilio in componendis XII. tabulis vſos eſſe Decemuiros, ſcribit Pomponius *l.* 2. *§.* 4. *D. de orig. iur.* et Plin. *lib. XXXIII. cap.* 5. Emporium id fuiſſe per orientem celeberrimum, vel ex ſitu et portus commoditate colligas. Accedunt tamen tot iuris noſtri fragmenta, in quibus veteres ſibi ſolutionem Epheſi ſtipulatos eſſe legimus, veluti *l.* 2. §. 2. 3. 4. 6. 7. 8. *l.* 4. *D. de eo, quod certo loco. l.* 5. *pr. D. de conſt. pecun. l.* 19. §. 1. *de condit. et demonſtr. l.* 24. *de oper. libert. l.* 137. *§.* 2. *de verb. obl. l.* 16. §. 2. *de fideiuſſ. l.* 98. *§.* 6. *D. de ſolut.*

F. FAR-

BIU Cujas

F.

FARRARIORVM ager memoratur *l.* 58. §. 1. D. *de vsufr.* Situs ignotus est, nisi forte legere malis *Farratiorum* vel *Farraticorum*, cuius pagi, Brixiae, vt videtur proximi meminit marmor apud Gruter. p. 1007. 7.

FORMIAE, oppidum maritimum Campaniae, antea Hormia, Strabo Lib. V. Plin. Lib. III. cap. 5. quadraginta a Caieta stadiis remotum, et ob amoenissima praedia Romanis iucundissimum. Piscatoribus Formianis rescripsisse videmus Antoninum Pium *l.* 4. D. *de rer. diuis.*

G.

GAAS, praedium in finibus Galatiae, aliudque in Cappadociae finibus memoratur in *l.* 35. §. 1. D. *de legat.* 3.

GADES, insula duplex Hispaniae in sinu Gaditano notissima, ostio Baetis oblimato obuersa, et celebri eiusdem nominis emporio clara, quod secundo consulatu ciuitate donauit C. Iulius Caesar. Dio Lib. XXXXI. p. 161. Fit eius mentio in *l.* 12. §. 1. D. *de legat.* 1. *l.* 41. §. 6. D. *de leg.* 3.

GALATIA, quam a septentrione mare Ponticum, ab ortu Cappadocia, a meridie Pamphylia, ab occasu minor Asia, Pontus, Bithyniaque circumdant, temporibus Augusti vna cum Pisidia, Isauria et Lycaonia Amyntae regi parebat. Eo anno ab v. c. 1326. ab Homonadensibus interfecto, Augustus illius regnum in prouinciae formam redegit, eique legatum pro praetore praefecit M. Lollium. Dio Lib. LIII. Strabo Lib. XII. p. 193. Lycaoniam tamen postea Asiaticae iurisdictioni accessisse, ex Plin. Lib. V. cap. 27. discimus. Praedium *Gaas* in Galatiae finibus situm occurrit *in l.* 35. §. 1. D. *de legat.* 3.

GALLIA dicebatur non solum terra inter Rhenum, Alpes, montes Pyrenaeos et vtrumque mare interiecta, sed et in Italia, quidquid cis et trans Padum ad Rubiconem vsque fluuium porrigitur. Sed Gallia haec Cisalpina mature ciuitate donata, Italiae accenseri coepit. *l.* 99. D. *de V. S.* Transalpinam in Narbonensem, Aquitanicam, Celticam vel Lugdunensem et Belgicam descriptam

BIU Cujas

fuisse, iam supra in voce *Aquitania* diximus: plura dicturi infra sub voce *Narbonensis*. Iam addimus, fuisse ibi lapicidinas, in quibus marmora renascebantur. *l.* 7. §. 13. D. *solut. matr. dos.* item Gallis παραφερνα dicta esse peculium *l.* 9. §. 3. D. *de iur. dot.*

GARGILIANVS fundus *l.* 43. §. 3. D. *eod.* Sed probabilius est, eum a familia nomen accepisse, quemadmodum fundi Aebutiani *l.* 38. *pr. de vsu et vsufr. leg.* Cassiani *l.* 27. §. 5. D. *de instr. et instr. leg.* Corneliani, *l.* 20. D. *de vsufr.* et locis praeterea nouendecim, Gabiniani, *l.* 91. §. 3. D. *de leg.* 3. Iuliani *l.* 38. §. 8. D. *de legat.* 3. Liuiani, *l.* 35. *pr.* D. *de her. inst.* Lutatiani, *l.* 12. D. *de ann. leg.* Noniani, *l.* 27. §. 4. *de instr. et instr. leg.* Potitiani, *l.* 12. *D. de ann. leg.* Rutiliani, *l.* 38. *pr.* D. *de minor.* Seiani, *l.* 20. §. 2. D. *de seru. praed. rust.* et locis praeterea tredecim. Semproniani, *l.* 27. *D. eod.* et locis praeterea vndecim. Trebatiani *l.* 35. §. 2. D. *de leg.* 3. Fuit sane gens Gargilia Romae. Nam Q. Gargilius Gargilianus et Q. Gargilius Moschion occurrunt in marmore apud Reines. Inscr. Class. XIIII. n. 115. Gargilius Rufus apud Gruter. p. 525. 3. Videntur iidem cum Garciliis, quemadmodum *Iccii* etiam dicuntur *Iggii*, et Occii *Oggii*. Sane et Q. GARCILIVS MACER AVIDINVS est apud eumdem Grut. p. 415. 5. Esto ergo fundus Gargilianus, qui ad familiam Gargiliam pertinuit.

GAZA, celebris vrbs Syriae Palaestinae, vna ex quinque Philistaeorum satrapiis, Gen. X. 19. Ios. XIII. 3. viginti a mari stadiis dissita, et accessu propter arenae altitudinem difficillimo. Ab Alexandro tamen M. expugnata, ciuibus omnibus internecione deletis, nouis colonis tradita est. Arrian. de Expedit. Alex. M. Lib. II. Inde in Aegyptiorum regum potestate fuit, postea anno v. c. 556. ab Antiocho M. occupata, vti erudite demonstrat Noris. Epoch. Syro-Maced. Diss. V. cap. 2. p. 478. Denique anno v. c. 691. captis Hierosolymis, maritimas vrbes, Gazam, Ioppen, Doram, Stratonis turrim liberas et αὐτονόμους esse iussit. Ioseph. Lib. XIIII. Ant. Iud. cap. 8. Eiusdem nominis praedium vidimus iam supra ex *l.* 34. §. 1. D. *de legat.* 2.

GERMANIA in magnam seu transrhenanam et cisrhenanam diuidebatur. Cisrhenana, (nam magna, victa magis quam perdomita,

BIU Cujas

mita, nunquam Romanis constanter paruit, et hinc fere pro hostico, eodemque loco cum Parthis habita est. *l.* 24. *et l.* 27. D. *de capt. et postlim.*) in duas diuidebatur prouincias, et a totidem regebatur praesidibus. *l.* 3. D. *de offic. adsessor.* Altera dicebatur prima vel superior, ad eamque referebantur Tribocci, Nemetes, Vangiones Moguntia: altera secunda vel inferior, in qua Vbii et Tungri eminebant, inter Vbios colonia Agrippinensis, quae iure Italico fruebatur. *l.* 8. §. 2. D. *de censib.* Ex vtraque prouincia adpellatum fuisse Romam, docet *l.* 48. D. *de condit. et demonstr.*

GRAECIA, terrarum omnium dictis factisque celeberrima, ab ortu habet Aegeum mare, a meridie Creticum, ab occasu Ionium, a septentrione iuga Scardica et Strymonem amnem. A Romanis diuidebatur in Macedoniam, de qua suo loco, et Achaiam, de qua supra actum. Graecorum saepe meminit ius nostrum. Modo enim res quaedam vocabulis Graecis explicantur, vt *l.* 4. §. 5. D. *de off. procos. l.* 6. D. *de iust. et iure. l.* 7. D. *de edendo. l.* 25. §. 6. D. *loc. cond. l.* 5. D. *de euict. l.* 10. §. 4. *eod. l.* 28. D. *de test. l.* 9. §. 3. D. *de iure dot. l.* 46. §. 1. D. *de adm. et peric. tut. l.* 4. §. 5. D. *de grad. et adfin. l.* 1. *pr. de adqu. vel amitt. poss. l.* 2. §. 22. D. *ne quid in loc. publ. l.* 1. *l.* 3. D. *de furt. l.* 3. §. 6. D. *de incend. ruin. naufr. l.* 6. §. 1. *ad L. Iul. de adult. l.* 1. *pr. de extr. cogn. l.* 3. *D. de proxen. l.* 5. §. 1. *l.* 19. *l.* 30. §. 2. *l.* 38. *l.* 144. *l.* 177. *l.* 205. *l.* 233. §. 2. *l.* 236. §. 1. *l.* 239. §. 2. 4. *D. de V. S. l.* 65. *D. de reg. iur.* modo ritus quidam et consuetudines Graecorum cum Romanorum institutis conferuntur, veluti *l.* 8. *D. de rer. diuis. l.* 16. §. 8. D. *de poen.* modo iura ipsa ex Graecis scriptoribus illustrantur, quos suo loco videbimus. Vinum Graecum laudatur *l.* 16. §. 1. *de tritic. vin. ol. leg.*

GRAECIANVS fundus est in *l.* 20. §. 7. *D. de instr. et instr leg.* Situs ignotus, nisi idem esse dicas ac *Graecanicus.* Nam et Graecense symposium est apud Gell. *lib. XVI. cap.* 10. Graecense melinum apud Plin. *lib. XXXV. cap.* 6.

GRAVISCA, Hetruriae municipium maritimum inter portum Herculis et Ossam fluuium situm, quo Romani coloniam deduxerant anno v. c. 571. P. Cornelio et M. Baebio Coss. Liu. *lib. XXXX. cap.* 29. Ei reip. legatum relictum in tutelam viae

BIU Cujas

reficiendae, quae est in colonia eorum, vsque ad viam Aureliam. *l.* 30. D. *de legat.* 2.

H.

HELIOPOLIS a Seuero Imp. per belli ciuilis occasionem Italicae coloniae remp. accepit. *l.* 1. §. 2. D. *de cens.* puta, quum Seuerus occasione expeditionis orientalis aduersus Nigri asseclas anno Chr. 202. in Aegyptum iter faceret. Quemadmodum enim tunc Alexandrinis aliisque Aegypti ciuitatibus benefecit: ita et Heliopolitanis ius Italicum videtur dedisse. Fuit vrbs Arabiae contermina, et ob Solis cultum celeberrima, de qua plura Herodot. *lib. II.*

HIERAPOLIS, Asiae ciuitas, inter Tripolin ad Maeandrum, et Celaenas ad Marsyam fluuium medio fere itinere interiecta, aquarum calidarum fontibus aliisque naturae prodigiis celebris, de quibus Strabo *lib. XIII.* Ex Pandectis nostris constat, ibi aquis calidis agros solitos irrigari. *l.* 1. §. 13. *D. de aqu. quotid. et aestiu.* Ad Hierapolitanos Antoninus Pius rescripsisse dicitur in *l.* 26. *D. de poen.*

HIPPO, Africae ciuitas, non procul a mari Africano inter Vticam et Tabraeam, S. Augustini Episcopatu clara. Eius mentio fit in *l.* 6. *D. de L. Rhod. de iact.* Alia eiusdem nominis vrbs in Numidia, *Hippo Regius*, quemadmodum nostra *Hippo Diarrhytus*, sed illa mediterranea, adeoque intelligi nequit in *d. l.* 6.

HISPANIA, prouincia Europae maxime occidentalis, mari vndequaque alluitur, praeterquam vbi montibus Pyrenaeis a Gallia seiungitur. In ea Poeni primum dominabantur, quibus perdomitis Romani eam sensim sub suam redegerunt potestatem, eoque miserunt praetores, in citeriorem vnum, in vlteriorem alterum. Vnde et ex eo tempore, quo Hispania prouincia facta, primum sex praetores creati. Liu. *lib. XXXII. cap.* 27. 28. *l.* 2. §. 32. *D. de orig. iur.* Augustum postea in tres prouincias descripsisse Hispaniam, iam supra, vbi de Baetica actum, diximus. Nec puto, vniuersam Hispaniam ex eo tempore vni creditam. Quare quamuis Maecius Probus Hispaniae Praeses fuisse dicatur sub Seuero et Antonino imperatoribus: *l.* 7. §. 10. *D. de interd. et releg.*

id

BIU Cujas

id tamen de vna procul dubio trium istarum prouinciarum intelligendum est, siquidem ex Grut. p. 381. 1. discimus, prouincias istas adhuc sub Alexandro Seuero fuisse diuisas. Quemadmodum vero Hispania fuit prouincia auri, vini, olei, aliarumque rerum feracissima: ita non mirum, frequens inter ciuitates Hispanicas ipsamque Romam fuisse commercium, de quo etiam testantur *l.* 63. §. 2. *D. ad L. Falc. l.* 34. §. 1. *D. de statu lib.*

HVCINVM. Tabernae ad Bucinum sunt in *l.* 5. §. 14. *D. de tribut. act.* Sed alii codices habent IHucinum. Diximus de eo loco sententiam supra in voce BVCINVM.

I.

ILIVM, vrbs Phrygiae in Troiae ruinis condita primum ab Alexandro M. ἐλευθέρα καὶ ἄφορος esse iussa, multo magis deinde ornata est a Romanis, qui se a Troianis descendere credebant. Nam primo in foedere cum Antiocho immunitas iis data et Rhoeteum et Gergithum oppida concessa. *Liu. lib. XXXVIII. cap.* 39. Deinde et scripta ad Seleucum epistola ea demum lege amicitiam et societatem ei obtulit senatus populusque Romanus, si Ilienses consanguineos suos ab omni onere immunes praestitisset. Suet. Claud. cap. 25. Firmauit hanc ἐλευθερίαν Sulla, quum aduersus Mithridatem bellum gereret, itemque Caesar, qui et libertatem et agrum Ilienſibus reddidit. Plenam immunitatem dedit Claudius Q. Haterio et D. Iunio Silano Coss. causſam eorum agente Nerone. Sueton. Claud. *cap.* 25. *Tacit. Annal. lib. XII. cap.* 58. Hinc priuilegia illa, vt qui matre Ilienſi erat, esset eorum municeps, *l.* 1. *D. ad municipal.* item, vt immunes plane essent, et ipsius etiam tutelae pupillorum eorum, qui Ilienses non erant, excusationem haberent. *l.* 17. §. 1. *D. de excusat.* Ex qua lege adparet, et Antoninum Pium iis hanc immunitatem confirmasse.

ILICITA. vide infra LICITANI.

INDIA, terra spatiosissima a septentrione Emodis montibus, ab ortu montibus Damasiis et Meandro, a meridie mari Indico, ab occasu Indo flumine clausa, variarum frugum, aromatum, gemmarum, vnionum feracissima fuit. Vnde malabathrum, aroma Indicum, ebur et ferrum Indicum, chelyniae Indicae, Indici leones, fucus et capilli Indici in *l.* 16. §. 7. *de donat.*

BIU Cujas

INDICIA, Zernenſium colonia memoratur in *l.* 1. §. 8. *D. de cenſ.* eaque lectio et in Pandectis Florentinis occurrit. Sed manifeſto legendum: *In Dacia quoque Zernenſium colonia.* Dicemus de ea infra ſub littera Z ad vocem *Zernenſis.*

ISTHMVS, tamquam terrae tractus, in quo domus et fontes, memoratur in *l.* 37. *D. de ſeru. praed. ruſt.* Iſthmi complures paſſim occurrunt. Quum vero reſponſum, quod Paullus *d. l.* 37. habet, Graecum ſit, veroſimile eſt, intelligi Iſthmum, in quo bimaris Corinthus. Iſte enim κατ' ἐξοχὴν id nomen tulit.

ITALIA, ſiue terra Italia *l.* 3. §. 3. *D. de abig.* princeps illa terrarum regio inter Alpes et mare ſuperum inferumque interiecta. Olim equidem Italia proprie dicebatur terra a Rubicone fluuio in Bruttios et Lucanos vſque extenſa. Quae enim inter Alpes et Rubiconem interiecta eſt, eam Galli Ciſalpini, Ligures, Veneti, Liburni colebant. Sed poſtea et Gallia et Sicilia, et reliquae inſulae Italiae hoc nomine venire coeperunt. *l.* 99. §. 1. *D. de V. S. et l.* 9. *D. de iudic.* Quamuis autem initio inter Romanos ciues et Italos magnum eſſet diſcrimen, de quo fuſius Car. Sigon. de iure ciu. Rom. Ital. et prouinc. multo maius tamen erat inter Italos et prouinciales, qui et communicata cum orbe Romano ciuitate deterioris erant conditionis, quam Itali. Vnde et Itali a prouincialibus diſtinguuntur *l.* 203. *de V. S.* Libera rep. eam ipſe Senatus regebat, Polyb. Hiſt. *lib. VI. cap.* 12. ſingula autem municipia ſuis magiſtratibus parebant: niſi quod extra ordinem, ſi ſeditionis vel belli periculum immineret, Italiam ſortirentur conſulares vel ἄρχοντες ἀνθύπατοι κατὰ μέρη. Appian. de *Bell. ciu. lib. I. p.* 374. Auguſtus proximam Romae Italiae partem ad centeſimum ab vrbe lapidem ad Praefecti vrbi iuriſdictionem retuliſſe videtur. Inde Hadrianus quatuor conſulares per omnem Italiam iudices conſtituit. Spart. Hadrian. *cap. XXII.* Dodwell. Prael. Cambden. *VIIII. cap.* 8. 9. pag. 350. Aſt et hunc morem ſuſtulit Marcus Aurelius Antoninus imp. datis Italiae iuridicis ad id exemplum, quo Hadrianus conſulares iura reddere praeceperat. Iul. Capitolin. Marc. *cap.* 11. quanquam Dodwellus iam ab Antonino Pio ſublatam eſſe illam Conſularium iuriſdictionem exiſtimet. Hi iuridici iuriſdictionem quidem habebant, ſed ſine faſcibus ac lictoribus, quibus Conſulares vſos patet ex marmore apud Grut., p. 494. 1. idque magis Marco imp. conuenire

BIU Cujas

uenire visum Italiae, quod eiusmodi iurisdictio nullam imminutae libertatis speciem prae se ferret. Dodwell. ib. p. 355. sequ. Denique et iuridicos Italiae sustulit Macrinus, Dio *lib. LXXVIII.* et ex eo tempore Dodwellus successisse existimat Correctores Italiae, quorum meminerunt Trebell. Poll. de trig. tyrann. n. 24. et alii, item que marmora apud Grut. p. 459. 7. et Reinesium Inscr. class. *III.* 56. A Constantino M. restituti consulares, quorum passim meminerunt marmora ap. Grut. p. 351. 5. p. 357. in quibus et aliquando ἀνθύπατοι vel PROCOS. dicuntur. Grut. p. 1090. Reines. Class. *VI.* 4. Symmacho *consulari iure* Campaniae praesidentes *lib. VIIII. ep.* 53. Denique Consularibus iterum substituti Correctores, qui et Moderatores, Rectores, Praesules et Praesides vocantur ab Ammiano, Symmacho et Cassiodoro.

ITALIA, in qua naufragium se fecisse queritur Eudaemon in *l.* ἀξίωσις 9. D. *de L. Rhod. de iact.* satis obscura videtur interpretibus. Quae enim Italia illa, in qua naufragus diripi potuit ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων; Rem non expedit bonus Accursius, qui et Cycladas insulas iuxta Italiam quaerit. Est itaque, qui pro Ἰταλίᾳ legat Τηλίᾳ, et subaudiendum moneat θαλάσσῃ. Alii cum Grotio Flor. Spars. p. 142. et Iac. Gothofredo ad l. ἀξίωσις *cap.* 3. p. 18. praeferunt ἐν τῇ Ἰκαρίᾳ, scilicet θαλάσσῃ. Alii ἐν Ἀττωλίᾳ, ad Attaliam Pamphyliae vrbem non multum a Cycladibus remotam hoc naufragium contigisse existimant, sed nihil probabilius sententia τῷ ὠάνυ Bynkershoekii ad l. 9. de L. Rhodia, legendum esse monentis ἐν Αἰθαλίᾳ, pro quo et apud Ouid. de Ponto *lib. II. Eleg. III.* legebatur Italia, antequam Nic. Heinsius reponeret Aethalia. Est autem Aethalia insula.

ITALICENSES non dicebantur Itali, sed coloni vrbis Hispaniae Baeticae, conuentus Hispalensis, ad Baetim fluuium, quam describit Plin. *lib. III. cap.* 1. Eam iam Traianus ciuitatis iure donauerat. Spanh. Orb. Rom. Exercit. *I. cap.* 2. §. 21. Sub Hadriano tamen multis aucti priuilegiis coloniae ius petebant, vt est apud Gell. *lib. XVI. cap.* 13. Et hinc COLONIA ITALICENSIS IN PROV. BAETICA adpellatur apud Gruter. p. 385. 1. Vetinae Italicensi rescripsisse dicuntur Marcus et Lucius Verus fratres *l.* 27. *pr. D. de poen.*

IVDAEI notissima gens sub Imperatoribus per vniuersum orbem

BIU Cujas

bem Romanum dispersa, nec raro vexata tum odio religionis tum ob insignem ad seditiones excitandas procliuitatem. Saepe tamen et Iudaeos cum Christianis confusos, iam ab aliis obseruatum. In Digestis mentio fit constitutionum, quae eos sine molestia esse iubent in iis, per quae cultus inquinari videtur. *l.* 15. §. 6. *de excus.* Nec tamen erant immunes a publicis muneribus, nec a tutela etiam non Iudaeorum. *d. l.* 15. §. 6. Sic et circumcidere poterant filios suos, idque ipsis permissum fuerat Rescripto Antonini Pii. Sed si non eiusdem religionis homines circumcidissent, poena castrantium iis irrogabatur. *l.* 11. *pr. D. ad L. Corn. de sicar.* Seuerus quidem Iudaeos fieri sub graui poena vetuit, teste Spart. Seuer. *cap.* 17. sed id quoque de proselytis non recipiendis videtur intelligendum. Nam idem princeps cum Antonino Caracalla filio iis, qui Iudaicam superstitionem sequuntur, honores adipisci permiserunt. *l.* 3. §. 3. *D. de decurion.* Alexander quoque Seuerus Iudaeis priuilegia reseruauit. Lamprid. Alex. *cap.* 22. Mansit tamen et tunc sanctio, vt qui alienae nationis comparatos seruos circumciderint, aut deportarentur, aut capite punirentur, ciuesque Romani, qui se seruosue suos Iudaico ritu circumcidi paterentur, bonis ademtis in insulam perpetuo relegarentur, medici circumcidentes capitis damnarentur. Paull. Recept. Sent. *lib. V. tit.* 22. §. 3. 4.

L.

LACEDAEMON siue Sparta, Lycurgi legibus et ciuium fortitudine florentissima, et aliquando Graeciae domina et Asiae terror post Leuctricam pugnam et sub Macedonum dominatione sensim decreuit. Sita erat in fine Peloponnesi ad Austrum in tractu, qui ab vrbe primaria Laconia dicebatur. Viri praetorii Brasidae, cuius caussa in auditorio Marci Imp. acta meminit *l.* 22. *princ. D. ad SC. Trebell.*

LAODICEA. Inter multas huius nominis ciuitates in Pandectis celebratur Laodicea Coelae Syriae colonia, cui Seuerus ob belli ciuilis merita ius Italicum concesserat. *l.* 1. §. 3. *l.* 8. §. 3. *D. de censib.* Quum autem duplex in Syria Laodicea esset, vna ἡ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ vel πρὸς Θάλασσαν, altera ἡ πρὸς Λιβάνῳ: Strabo *lib. XVI.* p. 517. hic intelligitur illa ad mare sita in peninsula, isthmo duorum stadiorum cum continenti iuncta, inter Eleutheri et Orontis fluuii ostia.

BIU Cujas

ostia. Dicebatur etiam Λαοδικεία Σύριος, quum altera Λαοδικεία τῆς Φοινίκης adpellaretur, vt erudite docuit Noris. Epoch. Syro-Maced. *diss. III. cap.* 8. §. 2. *pag.* 270. *sequ.* anno v. C. 707. a Iulio Caesare ἀυτονομία donati vrbem suam *Iuliam Laodiceam* nuncupabant. Hinc a Cassio Caesaris percussore oppressi ἀυτονομίαν et libertatem receperunt a M. Antonio Triumuiro. Denique quum Seuero aduersus Pescennium Nigrum ad patriae vsque excidium fauerent Laodiceni, a Seuero id praemium retulit, vt et colonia iuris Italici et Syriae metropolis esset. Vnde in numis apud Holsten. ad Steph. *pag.* 188. et Noris. *pag.* 274. vocatur ΙΟΥΛΙΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΣΕΟΥΗΡΙΑΝΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ et in aliis Latinis: COL. LAOD. METROPOLEOS, item SEPTIMIA COLONIA LAVDICEAE METROPOLIS. Quos numos ab Harduino *pag.* 285. *sequ.* perperam ad Laodiceam ad Libanum referri docuit laudatus Norisius.

LEPTIS. Leptis magna, *l.* 8. §. 11. *de cens.* Leptitanorum colonia, *l.* 30. *D. de vulg. et pupill. substit.* vrbs in medio sinu Syrtium in Tripolitana regione sita, a qua differt Leptis parua, ipsa quoque maritima ad eundem sinum ciuitas inter Ruspinam et Thapsum. Maior cum Carthagine et Vtica ius Italicum impetrauit a Seuero et Antonino Augustis. *l.* 8. §. 11. *de cens.*

LICITANI. De illis in *l.* 8. *pr.* D. *de cens.* dicitur: *Idem ius* (Italicum) *Valentini et Licitani habent.* Sed quum inter Hispaniae oppida nulla sit Licita, sed Illici: vel Illicita procul dubio ibi legendum rescribendumque erit Illicitani. Est autem ILLICI oppidum prouinciae Tarraconensis ad maris mediterranei sinum, qui ab illo Sinus Illicitanus adpellatur, et sinui, ad quem Carthago noua aedificata, proximus est. Coloniae ius quando acceperint, nondum liquet, attamen et Plinius, dum eos *immunes* vocat, *lib. III. Hist. n. cap.* 3. iam suo tempore eos iuris Italici fuisse indicat.

LVGDVNENSIS Gallia, quae et Celtica, vna ex quatuor Galliae prouinciis, omnem tractum inter Ligerim, mare Aquitanicum et Britannicum, Sequanam, Matronam, Rhodanum et Gebennam montem complectebatur, et in Lugdunensem primam, secundam, tertiam, quartam et quintam diuidebatur. In prima erant Lugdunum, Augustodunum, Lingonum ciuitas, Matisco, et Cabilonum. In secunda Rothomagum, et ciuitates Baiocassium; Abrincanorum, Saiorum, Lexouiorum, et Constantiensium. In

BIU Cujas

tertia ciuitas Turonum, Cenomanorum, Redonum, Andegauorum, Nannetum, Curiosolitorum, Venetorum, Osismiorum. In quarta metropolis Senonum, et ciuitates Carnutum, Autisiodorum, Trecassium, Aurelianorum, Parisiorum, Meldorum. In quinta denique metropolis Vesontium, et ciuitates Neuidunum, Auenticum, Basilea, Viridunum, Ebrodunum, Argentaria, Rauriacum, et portus Abucina. Vniuersa haec Gallia iuris Italici erat. *l.* 8. §. 1. *de cens.* et regebatur a Legato Aug. pro Praetore, qualis Vitrasius Pollio. *l.* 15. *§.* 17. *D. de excusat.*

LVSITANIA, vel, vt in Florentinis est, Lysitania, vltima et maxime occidentalis Hispaniae prouincia, quae a septentrione Durio fluuio, ab occasu Oceano, a meridie Ana fluuio et ab ortu linea recta per Samoram ad ciuitatem regiam (Villa Real) ducta terminabatur. Casus elegans de tribus a Lusitanis captis tractatur a Seruio *l.* 21. *pr.* D. *de negot. gest.* De coloniis eius prouinciae iure Italico donatis, puta Pacensi et Augusta Emerita suis locis agendum.

LYCIA, cuius mentio fit *l.* 77. *§.* 20. *de legat.* 2. Asiae prouincia, quae ab ortu Pamphyliam, a meridie mare suum, ab occasu et septentrione Asiam minorem habet. Temporibus Augusti erat libera et immunis beneficio Antonii Triumuiri. Appian. *lib. V. de Bell. Ciuil. pag.* 675. Et hinc eorum rempublicam fuse describit Strabo *lib. XIIII. pag.* 456. Ast Claudius Lycios ea immunitate teste Suet. Claud. *cap.* 25. priuauit, et eos iurisdictioni Pamphyliae subiecit. Dio *lib. LX.* Et hinc PROCOS. LYCIAE PAMPHYLIAEque reperias apud Grut. *pag.* 458. 6. et *pag.* 491. 12. Conf. Norisi. Cenotaph. Pisan. *diss. II. pag.* 221.

M.

MACEDONIA, prouincia amplissima, quae praeter Macedoniam proprie dictam, Epirum et Thessaliam omnem complectebatur. Eam Augustus populo concesserat. Vnde in eam mittebatur proconsulis nomine vir praetorius, qualis est Iunius Rufinus in *l.* 3. §. 3. *de testib.* De coloniis Macedoniae, Dyrrachio, Cassandrensi, Philippensi, Diensi, Stobensi, de quibus *l.* 8. §. 8. D. *de cens.* suis locis agitur.

MILE-

BIU Cujas

MILETVS, Cariae celeberrima ciuitas, quam et Thaletis, viri sapientissimi, incunabula nobilitabant. Historia de Milesia muliere ex Ciceronis Orat. pro Cluentio refertur in *l.* 39. *D. de poen.*

MINTVRNAE, Campaniae oppidum ad Lirim fluuium, non procul a mari, inter Formias et Sinuessam situm, cui proximae paludes, inter quas C. Marius latuit. Videtur ibi ob Lirim fluuium res nautica, ob pinguedinem pascuorum res pecuaria floruisse, quorum alterum ex *l.* 13. §. 1. D. *loc. conduct.* alterum ex *l.* 8. §. 7. *si seru. vindic.* colligas.

MINTVRNENSE flumen in *l.* 13. §. 1. *loc. cond.* non aliud est, quam Liris, ad quem Minturnae sitae sunt.

MYSIA, prouincia amplissima inter Phrygiam, Hellespontum et Propontidem, Aeoliam et Bithyniam interiecta. Erat in duas diuisa prouincias, quarum vna maior vel superior, altera minor siue inferior appellabatur. *l.* 3. D. *de offic. assessor.* In vtramque mittebantur Legati pro praetore, quorum vnus Ouinius Tertullus, Praeses prouinciae Mysiae inferioris nominatur in *l.* 9. *de capt. et postlim.* Vini ista terra erat feraciissima. Vnde et vitium incensores in ea prouincia grauius punitos legimus. *l.* 16. §. 9. D. *de poen.*

N.

NACLENORVM castellum, κώμη Ναυλήνων, memoratur in *l.* 34. §. 7. *de legat.* 2. sed cuius situs incertus est.

NAPOCENSIS, iuris Italici colonia. *l.* 1. §. 9. *de cens.* in Dacia, quae et in hoc marmore apud Reines. *pag.* 185. occurrit:

NVMINI AVG.
M. VLP. CAECIL.
BASSIANVS.
M. AGG.
AVGVSTALIS
COL. NAP.
D. D.

Est ipsa hodierna Claudiopolis Transsyluaniae, vbi plurima Romanae antiquitatis monimenta.

BIU Cujas

NARBONENSIS, prima Galliae transalpinae prouincia, quae in potestatem Romanorum peruenit. Vnde et κατ' ἐξοχήν prouincia adpellatur. Caes. de Bell. Gall. *lib. I. cap.* 1. De cultu eius et elegantia morum opibusque videndus Plin. *Hist. nat. lib. III. cap.* 4. qui eam *nulli prouinciarum postferendam*, *Italiamque verius quam prouinciam esse*, censet. Eam ab Aquitania Garumna, Vorgonius et Ligeris, a Lugdunensi Gebenna, ab Italia Alpes Penninae, Graiae, Cottiae, et Maritimae distinguunt. Ad meridiem mediterraneum mare est, portu non vno celebre. Diuiditur in quinque dioeceses, quarum prima Viennensis, Viennam; secunda Narbonam, vnde vniuersae prouinciae nomen; tertia Aquas; quarta Ebrodunum; quinta denique ciuitatem Centronum in Alpibus metropolin habuit. Mature a Romanis perdomita per praetorem regi coepit. *l.* 2. §. 32. *de O. I.* Postea eo missi Legati Aug. pro Praetore. Viennenses in hac prouincia iuris Italici fuisse, notatur in *l.* 8. §. 1. *de cens.*

NEOCAESAREA, vrbs Cappadociae, quam Lycus fluuius praeterfluit. Plin. *Hist. nat. lib. VI. cap.* 3. Floruisse ibi sapientiae studium, ex *l.* 6. *de excusat.* colligas, vbi Κομανεὺς ἐν Νεοκαισαρείᾳ σοφιστέυων in exemplum adducitur.

NICOMEDIA, Bithyniae metropolis ad mare, quamuis ei περὶ πρωτείου controuersiam moueret Nicoea. Eam ob amplitudinem et commerciorum frequentiam fuse laudat Dio Chrysost. *Orat. ad Nicomedienses* 37. *pag.* 477. Nicomedia vectus iuxta Athaliam naufragium passus fuerat Eudaemon *l.* 9. *ad L. Rhod. de iactu.* Nicomediae vel minores vel senes honores gerere potuisse, colligi potest ex *l.* 11. *de decurion. et fil. eor.* Aliud Hadriani ad Nicomedienses rescriptum reperies in *l.* 5. *D. de decret. ab ord. fac.* Saeculo Christi III. ibi saepe haesere Imperatores, maxime Diocletianus et collegae, vnde frequens huius vrbis mentio apud Lactant. *de mort. persequut.* et alios, qui Diocletiani truculentiam in Christianos describunt.

NICOPOLIS, Armeniae minoris ciuitas inter Euphratem, Ther-

BIU Cujas

Thermadontem et Lycum fluuios ex aduerso Zelae vrbis sita. Alia huius nominis sita in faucibus Ciliciae, in Syriae finibus, quae ab Alexandro M. hoc nomen tulit, quemadmodum prior a Pompeio ob victum Mithridatem ita dicta fertur. Fuit et Nicopolis Epiri in memoriam Actiacae victoriae condita ab Augusto. De legato Nicopoleos nescio, cuius Romam missi quaestio incidit in *l.* 12. *D. de legation.*

NILVS, fluuius Asiae celeberrimus, qui in Africae desertis ortus ingentem lacum Nilidem permeans per Aegyptum ruit, et ad Δέλτα oppidum per varios ramos dispersus tandem septem ostiis in mare se effundit. De eius incrementis et effusione per Aegyptum quaedam reperimus in *l.* 1. *§.* 5. *D. de flumin.* et *l.* 10. *D. de extr. crimin.* Diximus iam supra sub voce AEGYPTVS.

NIPHANA regio, ignota. Meminit eius Scaeuola *l.* 35. *§.* 2. *D. de legat.* 3. Vid. supra ATELLATA.

NVMANTIA, ad Durii fontes in Hispania Tarraconensi sita, sine muro, sine turribus, modico tumulo inaedificata iustum Romanorum exercitum per annos quatuordecim sustinuit, et primum Pompeio foedus extorsit. Deinde Hostilium Mancinum ad pudendas pactiones adegit, quam sponsionem ratam habere nolens P. R. Mancinum per faeciales dedidit, non tamen receptum. Vellei. *lib. II. cap.* 90. Vnde quaesitum, an ius postliminii haberet deditus nec receptus? *l.* 17. *D. de capt. et postlim.* Denique a Scipione ad extrema perducta a ciuibus incensa est: qua flamma et homines et praeda ita perierunt, vt nec Numantinus in catenis duceretur, et triumphus tantum de nomine esset. Flor. *lib. II. cap.* 18. Strabon. *lib. III. pag.* 112. Vellei. *lib. II. cap.* 4. Excerpt. Vales. *pag.* 381.

NVMIDIA, Masinissae olim regnum, a Tusca amne ad Ampsagum fluuium littori Africo praetensum. Victo Iugurtha reges suos habuit Hiempsalem et Iubam eius filium, Pompeii amicum, Dio *lib. XXXXI. pag.* 172. quo a Caesare victo Numidia in prouin-

BIU Cujas

ciae formam redacta. Appian. *de Bell. ciu. lib. IIII.* Paruit ergo ab Augusti temporibus Legatis Augg. pro Praetore, qualis Tutius Fuscianus temporibus Antonini Pii. *l.* 7. *de legat. praestand. contr. tab. bon. poss. pet.*

O.

OPVS, Locrorum Epicnemidiorum ad Asopum fluuium ciuitas, vnde accolae Opuntii, et sinus proximus sinus Opuntius dictus, ex quo oppido ob caedem inuoluntariam exulauit Patroclus. De eo exilio versus Homeri ex Iliad. ψ. *v.* 85. *sequ.* habes in *l.* 16. §. 8. *de poen.*

OSTIA ad Tiberis ostia sita, portus Romanorum celeberrimus ab Anco Marcio rege perfectus. Flor. *lib. I. cap.* 4. Frequens ibi nauigatio etiam sub Imperatoribus, qui eandem vrbem saepe nouis ornarunt beneficiis. Nauigationis testis est *l.* 6. D. *ad L. Rhod. de iactu.*

OVASIS. Ita Florentiae legitur, pro quo Haloander maluit *nouas* (*insulas*). Sed sane intelligenda *Oasis*, quam Stephanus et Auasim et Hyasin dictam obseruat. Duae huius nominis vrbes in Libya deserta, vna Oasis parua inter Lycopolin, Aegypti et Ammonis oraculum, altera Oasis magna, magis ad Austrum sita e regione Thebarum. Vterque locus desertus, aridus, ipsoque gramine destitutus, adeo vt teste Stephano beatorum insula per iocum diceretur, in qua sine cibo et potu homines viuant. Erat praeterea ibi muscarum patria et culicum. Vnde non mirum in Aegypto loco relegationis in insulam fuisse relegationem in Oasin vel Ouasin, de qua in *l.* 7. §. 3. *de interd. et releg.*

P.

PACENSIS iuris Italici in Lusitania colonia, cuius territorium agro Eborensi proximum fuisse ex luculento patet marmore apud Gruterum, *pag.* 199. 4. ex quo vtramque coloniam fines rexisse;

BIU Cujas

rexiſſe, et in diuortio vtriuſque agri lapidem hunc conſtituiſſe, adparet. Inter colonas iuris Italici eius mentio fit in *l.* 8. *pr. de cenſib.*

PALAESTINA, Syriae regio, quae a ſeptentrione Phoenice, ab ortu Coele Syria, a meridie Arabia Petraea, ab occaſu mari Syriaco clauditur. Nomen habet a Philiſtaeis, notiſſima et inimica Ebraeis gente. Diuidebatur in Iudaeam, Galilaeam, Samariam et Idumaeam. Parebat ſub Auguſto et ſucceſſoribus Regibus, Herodibus et Agrippis. Inde Procuratoribus Caeſaris, qui Praeſidi Syriae ſuberant. Veſpaſianus eo miſit Lucilium Baſſum Legatum Auguſti, vt bellum Iudaicum profligaret. Ioſeph. *de Bell. Iud. lib. VII. cap.* 21. *et* 25. Et hinc fere ſemper ſuo legato paruiſſe Palaeſtinam, obſeruarunt Henr. Valeſ. ad Euſeb. *Hiſt. Eccl. lib. III. cap.* 32. et Noriſ. *Epoch. Syro-Maced. diſſ. V. pag.* 472. Et ſane ΠΡΕΣ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣ ΤΙΝΗΣ, *Legatus pro praetore Syriae Palaeſtinae* memoratur apud Gruter. *pag.* 495. Saeculo Chriſti quarto per conſulares recta eſt, quorum meminit Hieronym. Vit. Hilarion. *cap.* 8. et *l.* 55. *C. Theod. de decurion* apparet. Immo et Proconſules hos aliquando dictos, ex *l.* 28. *C. Th. quor. adpell. l.* 42. *C. Th. de appellat. l.* 4. *C. Theod. de fiſci debit.* Alia teſtimonia reperies apud Noriſ. l. c. et Iac. Gothofr. in Notit. Dignit. Codici Theodoſiano ſubiuncta. Ibi duae coloniae Caeſareenſis et Aelia Capitolina, ſed neutra iuris Italici. *l.* 1. *§.* 6. *D. de cenſ.* Ptolemais enim, quae inter Phoenicem et Palaeſtinam ſita erat, nihil praeter nomen coloniae habebat. *d. l.* 1. §. 3.

PALMYRA, quam a Salomone conditam ex 1. Reg. *cap.* 9. *v.* 18. colligunt, inter Syriam et Euphraten ſita erat: *Vrbs nobilis ſitu, diuitiis ſoli et aquis amoenis, vaſta vndique arena includit agros et veluti terris exemta a rerum natura, priuata ſorte inter imperia ſumma Romanorum Parthorumque, et prima in diſcordia ſemper vtrinque cura.* Ita Plin. *lib. V. cap.* 25. Ab Hadriano reſtaurata Hadrianopoleos nomen tulit, teſte Stephano. Et hinc inter colonias Italici iuris recenſetur ab Vlpiano, tanquam *ciuitas in prouincia Phoenice prope barbaras gentes et nationes collocata. l.* 1. §. 5. *de*

BIU Cujas

de cens. Postquam ibi tyrannidem adfectarunt Odenatus et Zenobia: Aurelianus Palmyram expugnauit, et funditus deleuit. Vopisc. in Aurelian. *cap.* 31. Egerunt de ea Noris. Epoch. Syro-Maced. *diss. II. cap.* 3. *pag.* 122. *sequ.* V. C. Christoph. Cellar. Dissert. sing. et qui maximo apparatu id egit Abr. Sellerus in Antiquitatibus Palmyrenis, quarum amplissimus recensus in *Act. Erud. Lips. suppl. tomo III. pag.* 89. *sequ.* qui Sellerus *cap.* 10. *pag.* 38. et id obseruat, quod Palmyrae ius coloniae ab Antonino Caracalla in honorem matris, Iuliae Domnae fuerit datum, et *cap.* 32. *et sequ.* Palmyram sub Diocletiano et sequentibus imperatoribus ad aliquam ciuitatis speciem reflоruisse, donec a Mahommedanis anno 638. intercepta in eum statum deduceretur, vt solis ruinis pristinam magnitudinem proderet, quarum ichnographiam accuratam dedit laudatus Sellerus, in actis eruditorum loco citato *pag.* 102. repetitam.

PAMPHYLIA, cuius mentio fit *l.* 77. *§.* 20. *D. de legat.* 2. Asiae prouinciae, quae a septentrione Galatia, ab oriente Cilicia et Cappadocia, a meridie mari Pamphylio, ab occidente denique Lycia ac Phrygia maiore clauditur. Antiocho victo liberam esse a Romanis iussam, ex Liuio probat Noris. Cenotaph. Pisan. *diss. II. pag.* 211. Postea M. Aquillius partem Pamphyliae, Cariae ac Phrygiae finitimam, in prouinciae formam redegit. Inde in Mithridatis potestatem peruenit, quo deuicto denuo fuit Romana prouincia, quam anno v. c. 674. pro Consule rexit Cn. Dolabella, vti ex Verrinis Ciceronis idem demonstrat laudatus Norisius. *pag.* 212. Porro piratae in Cilicia inualescentes etiam Pamphyliam finitimam tenuerunt, quibus a Pompeio victis Pamphylia iurisdictioni Ciliciae adiecta est. Ast Augustus rerum potitus Pamphyliae propraetorem imposuit. Dio *lib. LIII.* Ex quo saepe suis praesidibus recta, aliquando etiam vel cum Galatia vel cum Cilicia ab eodem praeside curata est. Conf. Noris. *pag.* 213.

PANNONIA, quae in *l.* 78. *pr. D. de hered. inst.* nominatur, ab occasu Cetium montem, a septentrione Danubium montem, ab ortu eundem Danubium et montem aureum, hodie *Machek*, a meridie lineam ab aureo monte per confluentes Timaci et Drini

BIU Cujas

Drini ad fontes Vnae fluminis, indeque Carauancas montem et Pannonicas Carnicasque Alpes ad Saui vsque fontes limites habuit. Diuidebatur in superiorem et inferiorem, vel in primam et secundam consularem, quarum illa hodiernam Carniolam, Croatiam, Vinidorum Marchiam, Carinthiam, Stiriam et maiorem Austriae partem; haec Bosniam, Sclauoniam, et partem Hungariae, inter Danubium, Drauum, Arrabonem amnes, complectitur. Regere Pannoniam vtramque solebant Legati pro praetore. Hinc LEGATVS PROPR. PROV. PANNONIAE superioris est apud Grut. *pag.* 457. 2. INFERIORIS *pag.* 441. 10. *pag.* 442. 3.

PARIVM in prouincia Asiana colonia iuris Italici. *l.* 8. §. 9. *de censib.* Sita erat vrbs in Troade ad Propontidem inter Lampsacum et Priapum, et inde maxime celebratur, quod ibi ophigenes, qui a serpentibus ictis sputo mederentur. Prolixe de ea vrbe Strabo *lib. XIII.* Plin. *Hist. Nat. lib. VII. cap.* 2.

PARTHI, gens Scythica, quae primum Comisenen, Parthienen, Paratauticenen et Tabienen regiones incoluit, quarum metropolis Hecatompolis a centum portis celebratur. Postea fere vniuerso Persarum regno potitis Romanis diu terrori fuit, qui nunquam ex eo tempore trans Euphraten fines imperii proferre poterant. Hinc fere pro hostibus habiti Parthi ac Germani. *l.* 24. *de capt. est postlim.* nec aliam originem esse dixeris frequentis sponsionis et conditionis: *si Rex Parthorum viuit*, quam a metu istius gentis. Ea occurrit apud Papinianum *l.* 37. *D. de reb. cred.* et Vlpianum *l.* 10. §. 1. *de cond. inst.* Pelles Parthicae laudantur in *l.* 16. §. 7. *de donat.*

PATAVISSENSIS vicus coloniae Italicae ius a Seuero obtinuisse dicitur in *l.* 1. §. 9. *de cens.* Iungitur ibi coloniis Dacicis Zarmizegethusae, Napocensi et Apulensi: adeoque et Patauissensem vel Patauicensem ibidem quaerendam verosimile est. Sed ipsa scriptura dubia. Taurellus habet Patauissensium, Basilica, παταβησιων, Haloander Paranisensium, alii Patruissensium. Sed quum in tabula Peutingeriana in Dacia occurrat *Porolissum*, apud Ptolemaeum *Parolissum*: ingeniose vir clar. Christ. Gottl. Schwarz

BIU Cujas

in erudita de iure Italico dissertatione *cap.* 2. §. 1. legit Paralisensium. De iis enim marmor apud Sponium Miscell. Erud. *Antiqu. pag.* 195. COCCEIO. VMBRIAVO. DECVRIONI. AVGVR. ITEM. PONTIFICI. CIVITATIS. PARALISENSIVM. PROVINCIAE. DACIAE. COCCEIVS. SEVERVS. FILIVS. PATRI. SAPIENTISSIMO.

PHILIPPI, Macedoniae ciuitas, trans Strymonem fluuium, inter Amphipolin et Neapolim sita, ius Italicum obtinuit. *l.* 6. *l.* 8. §. 8. *D. de cens.* Eius et alias mentio fit in *l.* 32. *D. ad SC. Trebell.* et *l.* 37. *D. de pact.*

PICENVM, cuius mentio in *l.* 41. §. 2. *de legat.* 3. regio Italiae notissima vltra Apenninum inter Aesim et Aternum amnes, cuius oppida celebriora Ancona, Castrum nouum, Auximum, Septempeda, Tollentinum, Asculum, Interamnium, Atria et alia.

PISIDIA, inter Pamphyliam, Lyciam, Cariam et Phrygiam magnam sita, vrbe Antiochia, inter Seleuciam et Apameam sita, colonia iuris Italici, celebris. Tempore Augusti hanc prouinciam Amyntae Regi vna cum Galatia, Isauria et Lycaonia paruisse, iam supra monuimus. Mansit postea pars prouinciae Galatiae, de qua supra plura suo loco.

PONTVS, Asiae prouincia, Bithyniae ad ortum finitima, olim Amazonum victoriis clara. A quo tempore non immerito repetas consuetudinem, quod Pontica matre natus pro Pontico haberetur, *l.* 1. *D. ad municip.* Celebris ibi colonia Sinopensis, *l.* 1. §. 10. *de cens.* de qua suo loco. Iam addimus partem hanc et dioecesin fuisse prouinciae Bithyniae. Vnde vnus idemque semper praeses vtramque regebat prouinciam, qualis etiam sub Traiano Plinius. Vid. supra BITHYNIA.

PTOLEMAIS maritima inter Phoenicen et Palaestinam ciuitas inter Doram et Tyrum, sita, colonia erat Romana, sed sine immunitate. Vnde eam nihil praeter coloniae nomen habere dicit Vlpianus *l.* 1. §. 3. *de cens.* Eo Claudium Imp. coloniam deduxisse ex Plin. *Hist. Nat. lib. V. cap.* 19. discimus.

PVTEO-

BIU Cujas

PVTEOLI, cuius mentio *l.* 1. *D. ad municipal.* vrbs Campaniae, quam ab occasu Auernus alluit, et ab ortu sinum Puteolanum habet. De eius antiquo nomine Dicaearchia, origine Samia, aquis sulphureis plura habet Strabo *lib. V.* plurima Iul. Caes. Capacius, qui eius antiquitates ex instituto descripsit.

Q.

QVIRITES, ita Romani vocati. Vnde notissima formula illa: *ius Quiritium, velitis iubeatis, Quirites*, lex Quiritium in *l.* 1. *D. de rei vind.* Nomen a Quirino, id est, Romulo, §. 2. *Inst. de I. N. G. et C.* quem hoc nomine in coelis vocari dixerat Iulius Proculus *Flor. lib. I. cap.* 1. Rationes nominis varias comminiscitur Ouidius *Fastor. lib. II. v.* 477. verosimillimum tamen, eum a Curibus, id est, Sabinis, quos vicerat, nomen hoc tulisse, quemadmodum et postea Romanos a populis victis cognomina sumsisse nouimus.

R.

RAVENNA, Vmbriae ciuitas ad mare Hadriaticum, postea Exarchae Constantinopolitani sede celebris, et iam antea municipium opulentum et commerciis florentissimum. Hortorum Rauennatensium mentio fit *l.* 16. *D. mandat.*

RHENVS fluuius, qui transiens lacum Brigantinum, recepto Nicro, Moeno, Luppia, demum in Belgio in varios ramos diuisus Oceano se infundit. Praedia in Germania trans Rhenum, adeoque in Germania magna emta memorantur in *l.* 11. *pr. D. de euict.*

ROMA, caput orbis Romani ad Tiberim, vrbs septicollis, terrarum Dea gentiumque, cui par est nihil et nihil secundum. Dicebatur et κατ' ἐξοχήν vrbs. In eo tamen differebat vrbs a Roma, quod illa moenibus finiretur, Roma esset, qua continentia aedificia erant. *l.* 139. *pr. l.* 2. *pr. l.* 87. *l.* 147. *de V. S. l.* 4. §. 4. *D. de penu leg.* Erat illa communis omnium patria, *l.* 33. *ad municip.* et hinc in dubio ius, quo Romae vtebantur seruandum vi-

BIU Cujas

debatur. *l.* 32. *D. de LL.* Ceterum varia sunt loca tum in vrbe; tum prope illam, quae in Pandectis memorantur, veluti mons Auentinus, *l.* 2. §. 24. *D. de O. I.* mons sacer, *l.* 2. §. 20. *eod.* via sacra, quae inter aedem Saturni et forum Rom. per arcum Seueri ad cliuum Capitolinum tendebat. *l.* 2. §. 37. *eod.* via salaria, ad portam Colinam, per quam olim Sabini salem in orbem deferebant. *l.* 27. *de cond. et demonstr.* Campus Martius, *l.* 6. *D. de contr. emt. l.* 39. §. 6. *de legat.* 1. Capitolium, quod toties occurrit, quoties conditio illa Iureconsultis frequentissima: *Si Capitolium adscenderit.* Forum Romanum, sub Capitolio late patens, et porticibus elegantissimis circumdatum. *l.* 39. §. 9. *de legat.* 1. Palatium, ingens moles in monte Palatino quam Augusti inhabitabant, *l.* 3. *D. si pars her. pet.* Rostra, suggestum, in foro ex rostris nauium Antiatium compositum. *l.* 2. §. 4. *et* §. 43. *de O. I.* Morti Sallustiani in monte Auentino ad campum sceleratum, *l.* 39. §. 8. *D. de legat.* 1.

S.

SABATENE. Rutilia Polla emit lacum Sabatenem angularium: est in Florentinis *l.* 69. *D. de contrah. emt.* Sabata et Vada Sabatia sunt oppida Liguriae notissima inter Album Ingaunum et Ianuam sita. Ibi si lacus essent, recte dici potuissent Sabateni. Sed vere hic intelligenda Sabatia Hetruriae, haud procul a Sutrio remota, quam lacubus et stagnis abundasse, vel illa Silii Ital. *lib. VIII. v.* 491. *sequ. docent*:

Hos iuxta Nepesina cohors Aequique Falisci,
Quique tuos Flauina focos, Sabatia quique
STAGNA *tenent, Ciminique lacus, qui Sutria tecta*
Haud procul.

SACER dicebatur mons trans Anienem fluuium, in quem plebs, foenebri malo ad seditionem consternata, secessit, non prius, quam impetratis tribunis plebis in vrbem reditura. Mons ipse antea an postea Ioui fuerit consecratus, parum liquet. Rem ipsam referri videas in *l.* 2. §. 20. *de O. I.* Liu. *lib. II. cap.* 32. Dionys. Halic.

BIU Cujas

Halic. *lib. VI. cap.* 37. Ouid. *Fast. lib. III. v.* 663. Flor. *lib. I. cap.* 23.

SACRA VIA principium habebat vel a curia veteri in angulo Palatii, vel, quod Varro diserte scribit, a Carinis et ad cliuum vsque Capitolinum pertingebat, de cuius nominis origine Varro et Festus. Eius mentio in *l.* 2. §. 37. *de O. I.*

SALARIA via a porta Capena in Sabinos ducebat. Vnde et salaria dicebatur, quia Sabini per eam sal in vrbem deferebant. Eius mentio fit in *l.* 27. *D. de contr. emt.* vbi P. Septimius Demetrius in via Salaria monimentum dicitur habuisse, cuius ad exemplar sibi simile fieri iubebat testator.

SARDIANORVM respublica, cui certa pecunia legata fuerat per quadriennium certaminis Chrysantiani, *l.* 24. *D. de ann. leg.* vrbs Lydiae celeberrima ad Tmolum montem, Croesi olim sedes, et postea sub Romanis αὐτονομία clara. Vnde saepe legas in marmoribus Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΚΑΙ Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ ΤΩΝ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Ludi ibi Chrysanthini celebrabantur, de quibus suo loco. In marmore Arundeliano C. Ant. Septimius Publius dicitur νικήσας ἀγῶνας ΣΑΡΔΕΙΣ ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΟΝ ΤΡΑΛΛΕΙΣ ΠΥΘΙΑ cet. Vid. Reines. *Inscr. class. V.* 20. *pag.* 366.

SARDINIA, maris interni insula inter Siciliam et Corsicam, post Siciliam et maxima et foecundissima, sed coeli parum salubris. Vnde et eo relegatos nouimus, quibus aegre fieri vellent Imperatores. Exemplo esse potest C. Cassius Longinus, ICtus celeberrimus, in Sardiniam relegatus, et reuocatus a Vespasiano. *l.* 2. §. 47. *de O. I.* Erat libera rep. prouincia, quam Praetores sortiebantur. *l.* 2. §. 32. *eod.* Augustus eam prouinciam populo concessit. Vnde eo missi viri praetorii, more istius saeculi dicti PROCONSVLES, quales sub Commodo L. Ragoni. L. F. Pap. Vrinas Largus Quinctianus PRO. Cos. PROV. SARDINIAE Grut. *pag.* 45. 9. *et pag.* 487. 6. P. VIBI. F. MARIANVS. E. M. V. PROC. ET PRAESES PROV. SARDINIAE.

BIU Cujas

SARMATAE, Graecis Sauromatae, non modo magnum Europae tractum inter Vistulam, mare Sueuicum, sinum Finnicum, Oceanum Sarmaticum, sed et Asiam septentrionalem vsque ad Hyrcanum mare colebant, diuisi ideo in Europaeos et Asiaticos. Eos pellibus pro vestimentis vti obseruat Vlpian. *l.* 25. *pr. D. de aur. arg. mund.*

SEBASTE, olim Samaria, (Hieron. de locis Hebr.) Palaestinae ciuitas ab Hyrcano Iudaeorum rege funditus euersa, (Ioseph. *lib. XIII.* Ant. Iud. *cap.* 18.) ab Herode de nouo condita, et in Augusti honorem nouo Sebastes nomine condecorata, teste Iosepho *ibid. lib. XV. cap.* 11. *et de bello Iud. lib. I. cap.* 16. idque circa annum v. c. 729. ceu erudite docuit Noris. *Epoch. Syro-Maced. Diss. V. pag.* 533. *sequ.* Coloniam eo deduxit Seuerus Augustus *l.* 1. §. 7. *de cens.* eique reip. legatum relictum dicitur in *l.* 21. §. 3. *D. de ann. leg.*

SELINVS, maritima ad Selinantis fluuii ostia ciuitas, in Cilicia trochea vel aspera sita, quam inter iuris Italici colonias refert Vlpianus *l.* 1. §. 11. *de cens.* Plurimae ibi palmae, et in agro terra Selinuntica, quam Galenus inter medicamenta refert.

SICILIA, insula maris interni amplissima, angusto Siculi maris freto ab Italia auulsa, et hinc postremis temporibus Italiae fere accensita est. *l.* 99. *D. de V. S.* Primum a gigantibus, inde ab Iberis, tum postea a Siculis, Latii populo, porro a Phoenicibus habitata dicitur. Id certum Graecos eam diu tenuisse, et frequentibus coluisse coloniis. Quum vero ciuitates singulae sui iuris essent, nec vnquam in vnam et communem coalescerent rempublicam, et praeterea tyranni in plerisque dominarentur: Poeni mari tum potentissimi maximam insulae partem facile occuparunt. Ast iis eiectis Romani primam hanc extra Italiam prouinciam fecerunt, et per praetorem rexerunt, *l.* 2. §. 32. *D. de O. I.* quem fere eodem iure vsum, ac vrbanum, vel inde patet, quod, antequam lex Atilia de dandis tutoribus per legem Iuniam et Titiam ad prouincias produceretur, et Siciliae praetores pupillis tutores darent. *Excerpt. Peirescіana pag.* 397. Sub Imperatoribus haec prouincia fuit populi,

BIU Cujas

populi, viris praetoriis conceſſa. Vnde in marmoribus paſſim obuii PROCOS. PROVINCIAE. SICILIAE. Reineſ. *Inſcr. claſſ. VI.* 130. Grut. *pag.* 437. 7. 1028. 6. Reperias tamen et PROPRAET. PROV. SICILIAE, apud Grut. *pag.* 344. 8. LEGAT. PR. PRAETORE PROV. SICILIAE. *ibid. pag.* 1093. 2. item LEGAT. PRO PRAETORE PROV. SICILIAE ET ITALIAE *pag.* 493. 4. CORRECTOREM PROV. SICILIAE *pag.* 1102. 8. CONSVLAREM SICILIAE *pag.* 285. 9. 361. 1. 363. 2. 407. 8. 438. 1. et apud Reineſ. *claſſ. VI.* 92. Legis cenſoriae portus Siciliae mentio fit in *l.* 203. *D. de V. S.* de qua ſuo loco.

SINOPENSIS in Ponto iuris Italici colonia eſt, *l.* 1. §. 10. *D. de cenſ.* ſita ad Pontum Euxinum inter Armenen et Amiſum vrbes maritimas, et gymnaſio olim inclaruit. De ea plura Strabo *lib. XII.*

STOBENSIS in Macedonia iuris Italici colonia, *l.* 8. §. 8. *de cenſ.* Oppidum Stobi inter Axium et Chiodorum flumina ſub radicibus iugorum Boranorum ſitum, vetuſtiſſimum fuit teſte Liuio *lib. XXXVIIII. cap.* 54. Id iam a Veſpaſiano fuiſſe ciuitate donatum ex numo et Plin. *lib. IIII. cap.* 10. probat Ez. Spanhem. *Diſſ. de num. prou. pag.* 767. Et tamen eos poſtea ius coloniae Italicae iuri ciuitatis praetuliſſe intelligimus ex *d. l.* 8. id quod plures ciuitates feciſſe, vel exemplum Vticae et Italicae docet apud Gell. *lib. XVI. cap.* 13.

SVRRENTVM, Piceni oppidum ad promontorium Mineruae, vini generoſi feraciſſimum. Vnde vinum Surrentinum, et colles Surrentinae apud Collumell. *lib. III. cap.* 2. et *l.* 16. *D. de trit. vin. ol. leg.* Conf. de hoc oppido Plin. *Hiſt. Nat. lib. III. cap.* 5.

SVTRINI fundi meminit *l.* 35. *D. de ſeru. ruſt. praed.* Oppidum eſt Hetruriae maritimum inter Oſſae fluminis fontes et Ciminium lacum ſitum, de quo Strabo *lib. V.* Sil. Ital. *lib. VIII. v.* 492.

Saba-

BIU Cujas

Sabatia quique
Stagna tenent, Ciminumque lacum, qui Sutria tecta
Haud procul.

SYRIA, prouincia ampliſſima inter mare Phoenicium, Ciliciam, Euphraten, Arabiam, interiecta in Palaeſtinam, Phoenicen, Antiochenen, Comagenen et Caelen; aliquando in ſuperiorem et inferiorem diuidebatur. De Syriae Praeſidibus accuratiſſime actum a Noriſio *in Cenot. Piſan. Diſſ. II. cap.* 16. *pag.* 269. *ſequ.* Libera rep. ei praeerant PROCOSS. ab Auguſti temporibus LEGATI. PRO. PRAET. PROV. SYRIAE, quorum id erat ſingulare priuilegium, vt poſſent multis prouinciis interdicere, *l.* 7. §. 17. *de interd. et releg.* quamuis relegare non poſſent quae ſub ſe non eſſet, veluti in Macedoniam. *d. l.* 7. §. 6. Prouinciae huius ſaepe fit mentio in Pandectis, veluti in *l.* 78. *pr. D. de her. inſtit. l.* 101. *de leg.* 3. *l.* 5. *de manum. vind. l.* 122. §. 1. *de verb. obl. l.* 1. *et l.* 8. *de cenſ.* Sed notatu in primis dignum, quod in Syriis a quatuordecim annis maſculi, a duodecim feminae vſque ad ſexageſimum [quintum] annum tributo capitis obligarentur. *l.* 3. *pr. de cenſ.* Praeterea et centeſimas ſoluebant, teſte Appiano in Syriacis. Immunes tamen erant coloniae iuris Italici, Tyrus, Berytus, Laodicea, Emiſa, Sebaſte, Antiochia, Palmyra. *l.* 1. *pr.* §. 1. 3. 4. 5. *l.* 8. §. 3. 4. 5. 6. *de cenſ.* Caeſarienſes et Capitolienſes non erant iuris Italici, ſed immunes tamen a tributo capitis et ſoli. *l.* 1. §. 6. *l.* 8. §. 7. *eod.* Ptolemais nihil praeter nomen coloniae habebat. *l.* 1. §. 3. *eod.*

SYRIA COELE. vide ſupra COELE SYRIA.

SYRIA PHOENICE, Syriae pars anguſtior quidem, ſed altiſſima ac opulentiſſima. Eam antiquiores Geographi ab Eleuthero flumine in Aegyptum vſque extendebant. Strab. *lib. XVI. pag.* 520. poſtea anguſtioribus terminis circumſcripta, tractum inter Eleutherum et Cherſaeum fluuios complectebatur. In ea Syriae parte ſplendidiſſimae erant coloniae et ciuitates Tyriorum; Emeſena, Laodicea, Berytus, de quibus ſuis locis, ex *l.* 1. *et l.* 8. *de cenſ.*

T.

BIU Cujas

T.

THESSALIA, Graeciae regio inter Macedoniam et Hellada proprie dictam. In ea ciuitates celeberrimae, Hypata, Soſtenes, Cypera, Gomphi, Pheſtus, Tricca, Aetinium, Pythaeum, Atrax, Iolcus, Hermenium, Caſtanea, Meliboea, Methone, Phthia, Thebae Theſſalicae, Echinus, Lariſſa, Demetrias, Pegaſae. Pleraeque ex his ciuitatibus, ſi non omnes, in σύστημα coaluerant, communibus ſacris, ludis, et conſiliis vſae. Vnde τῷ κοινῷ τῶν Θεσσαλῶν reſcripſiſſe dicuntur Hadrianus et Antoninus Pius Imperatores *l.* 37. *D. de iudic.* et *l.* 45. §. 1. *D. ad L. Iul. de vi publ.*

THRACES a ſeptentrione Aemum montem, ab oriente Pontum et propontidem, a meridie Aegeum mare, ab occidente Strymona fluuium fines agri ſui habebant. Gens olim fera et ſaeua, poſtea paullatim ad meliorem cultum traducta. Vnde plures ibi vrbes et coloniae celeberrimae, et in his Byzantium, paullo poſt altera Roma et orientis caput futura. Vrbes Thraciae itidem in ſyſtema coaluerant. Vnde τῷ κοινῷ τῶν Θρᾳκῶν reſcripſiſſe dicitur Antoninus Pius *l.* 1. §. 1. *D. de adpellat.*

TIBERIS, fluuius Latii ex Apennino fuſus vrbe Roma quam alluit, illuſtris, ex Hetruria decurrentem Clanim, ex Latio Narem atque Anienem in alueum ſuum receptos in mare inferum defert. Pars quaedam cis, pars vltra Tiberim ſita. Vnde *quinque viri cis Tiberim et vltra* Tiberim, *l.* 2. §. 33. *de O. I.* de quibus ſuo loco; et *tabernae trans Tiberim*, *l.* 5. §. 16. *de tribut. act.* Tiberim aliquando ſe infudiſſe in vrbem, et ſtragem maximam edidiſſe, ex *l.* 9. §. 1. *de damn. inf.* diſcimus Obiter Tiberis mentio fit in *l.* 23. D. *praeſc. verb. l.* 17. §. 6. *de aedil. edict. l.* 6. *de nupt.*

TIBVR, Latii oppidum ad Anienem fluuium, antiquitate et amoenitate celeberrimum. Balneum ibi Iulianum celebratum, quod vt gratis praeberetur ciuibus, legato neſcio cuius effectum eſt. *l.* 35. §. 3. *de legat.* 3.

BIU Cujas

TRAIANOPOLIS, Ciliciae colonia iuris Italici, a conditore Traiano Imp. cognominata. *l.* 1. *§.* 11. *de cenſ.*

TROAS, Aſiae regio ad Helleſpontum, in qua Ilium. Ibidem et vrbs Troas, ab Alexandro Alexandria Troas dicta inter Colonas et Lectum, haud procul ab Helleſponto. Eam iuris Italici fuiſſe, ex *l.* 7. *et l.* 8. *§.* 9. *de cenſ.* diſcimus.

TROIA, illa celeberrima Aſiae vel Phrygiae minoris ciuitas, ab Achiuis capta et funditus exciſa. Eius παιδοποιΐας meminit *l.* 123. *D. de V. S.* Reſloruit poſtea in Ilio, de quo ſupra. Iam ſeges eſt, vbi Troia fuit.

TVSCIA, quae et Hetruria, ampla et diues inter Galliam ciſpadanam, montem Apenninum, Tiberim, et mare inferum prouincia, duodecim vrbibus totidemque principatibus inter ſe conſtitutis clara. Eius mentio fit in *l.* 41. *§.* 2. *de legat.* 3.

TVSCVLVM, proximum Romae Latii municipium, mature ciuitate donatum, et multis Romanorum palatiis praediiſque ſuperbum. Reip. Tuſculanae mentio fit *l.* 38. *§.* 5. *D. de legat.* 3. Fundorum Tuſculanorum *l.* 50. *de vſufr. l.* 77. *de legat.* 2. *l.* 82. §. 1. *de leg.* 2. *l.* 39. §. 2. *de aur. arg. mund. l.* 17. *pr. de cond. et dem. l.* 74. *l.* 75. *de V. O.*

TYRVS, Phoeniciae metropolis, potentia olim et opibus celeberrima, adeo vt per totum orbem claſſes dimitteret, variaſque in Aſia, Graecia, Africa, Sicilia, Hiſpania colonias conderet. Ab Alexandro M. laborioſa obſidione expugnata et funditus exciſa, ſtatim renata eſt, quod Sidonii in claſſe Alexandri militantes 15000 Tyriorum in vrbis direptione furtim ſubduxerant, ac plures ante vrbis obſeſſionem Carthaginem fugerant, quibus patrios Lares repetentibus Tyrus tam breui priſtinas vires recuperauit, vt anno a memorata clade XVIII. Antigono, Aſiae regi potentiſſimo XV. menſibus reſiſteret. Noriſ. *Epoch. Syro-Maced. Diſſ. IIII. pag.* 381. *ſequ.* Ex eo tempore Tyrus Seleuco et mox Aegypti regibus paruit, donec Antiochus M. eam A. V. C. 536. proditione recuperaret. Polyb.

BIU Cujas

lyb. *lib. V.* Ab Alexandro II. Syriae Rege ἀυτονομίᾳ donata est anno v. c. 628. Strabo *lib. XVI. pag.* 521. quam libertatem illi seruauit Antonius Triumuir. Ioseph. *Ant. Iud. lib. XV. cap.* 4. Vnde apud Gruterum pag. 1105. mentio fit ΤΥΡΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΦΟΙΝΕΙΚΗΣ ΚΑΙ ΑΛΛΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ΚΑΙ ΝΑΟΥΑΡΧΙΔΟΣ. Ceterum patria fuit Vlpiani, qui eam *splendidissimam iuris Italici in Syria Phoenice Tyriorum coloniam, nobilem regionibus, serie saeculorum antiquissimam, armipotentem, foederis, quod cum Romanis percusserit, tenacissimam* adpellat, obseruatque, *eamdem a Seuero ob egregiam in rempublicam, imperiumque Romanum insignem fidem iure Italico donatam. l.* 1. *pr. de cens.* Ast Caius id a Seuero et Antonino factum esse tradit. *l.* 8. §. 4. *eod.*

V.

VALENTIA, vrbs Hispaniae Tarraconensis maritima ad Turiam fluuium, quae antiquum nomen etiamnum retinet. Eam iuris Italici fuisse docet *l.* 8. *pr. de cens.*

VIENNA, vrbs Allobrogum ad Rhodanum, Galliae Narbonensis metropolis, hodie *Vienne.* Eam solum per Galliam Narbonensem iuris Italici fuisse obseruat Caius *l.* 8. §. 1. *de cens.* quum Gallia Lugdunensis vniuersa eo iure frueretur. COLONIA VIENNENSIVM ORNATISSIMA VALENTISSIMAQVE dicitur in marmore apud Grut. *pag.* 502.

VMBRIA ab Austro Narem amnem, ab occasu Tiberim, et trans Apenninum Bedesin, a septentrione mare Hadriaticum, ab ortu Aesim fluuium et Naris fontes terminos habuit. Vrbes clarae Rauenna, de qua supra, Ariminum, Pisaurum, Fanum Fortunae, Sena Gallica, Cessina, Sassina, Vrbinum, Sentinum, Aesin, Camerinum, quae vetera nomina paullisper inflexa etiamnum retinent. Mentio eius fit in *l.* 41. §. 2. *de legat.* 3.

VTICA vrbs Africae maritima ad Bagrudae fluuii ostia sita, Catonis fato celebris. Quum antea ἀυτονόμος esset, ius coloniae

BIU Cujas

petiit ab Hadriano. Gell. *lib. XVI. cap.* 13. Sed istud demum obtinuit cum iure Italico a Seuero et Antonino Augustis. *l.* 8. §. 11. *de cens.*

Z.

ZARMIZEGETHVSA, colonia iuris Italici Dacica a Traiano deducta, *l.* 1. *de cens.* Ea postea dicta Vlpia Traiana, eodemque loco sita est, vbi hodie Varhel ruina. Plura et egregia de ea habet Reines. *Var. lib. III. cap.* 16. *pag.* 606. *sequ.*

ZERNENSIVM, colonia iuris Italici, item in Dacia fuit; eundemque conditorem Traianum habuit. De ea quoque plura Reines. *Var. lib. III. cap. XVI. pag.* 606. *sequ.*

BIU Cujas

IO. GOTTL. HEINECCII, IC.

OPVSCVLORVM
POSTVMORVM
TOMVS V.

VITAM ET RES GESTAS
LVDOVICI GERMANICI IMP.
VNA CVM DIPLOMATARIO
COMPREHENDENS.

BIU Cujas

BIU Cujas

HISTORIA ET RES GESTAE LVDOVICI GERMANICI.

LIBER I.

DE LVDOVICI NOMINE, NATALIBVS, EDVCATIONE, CONIVGIO, LIBERIS.

CAPVT I.

DE LVDOVICI NOMINE, COGNOMINIBVS ET TITVLIS.

§. I.

LVDOVICI Germanici, maximi potentiſſimique poſt hominum memoriam principis vitam et res geſtas ſcribere adgredior : opus et euentuum magnitudine, et bonis prauiſque exemplis tam varium, vt inde ſibi quiſque, ſuaeque reipublicae, quod imitetur, foedumque inceptu ac exitu, quod vitet, capere poſſe videatur. (a) Neque eſt, quod verear, ne in illuſtranda perpoliendaque hac hiſtoriae parte occupatus, actum agere cuiquam videar. Si enim a viro perelegantis ingenii, Io. HENR. BOECLERO (b) diſceſſeris, vix quiſquam adhuc repertus eſt, qui tanti viri memoriae conſuluerit. Veterum autem tanta hic fuit incuria, vt, quum DAGOBERTI, SIGIBERTI, PIPPINI, CAROLI MAGNI et LVDOVICI PII res geſtas permulti certatim memoriae prodiderint, (c) ſoli fere LVDOVICO noſtro defuere decora ingenia, quae illi eam-

(a) Liu. *I. praef.*
(b) *Diſſert. hiſt. pol.*
(c) DAGOBERTI geſta a S. Dionyſii monacho ſcripta edidit Du Cheſne *Script.*

BIU Cujas

eamdem operam nauarent. Si quod vero olim eius generis monimentum exſtitit (d), illud cum aliis multis in triſti illo bonorum librorum naufragio periiſſe animaduertimus. Plures equidem exſtant eorum temporum annales, quibus etiam, quod a LVDOVICO geſtum eſt, memoriae proditum : ſed praeterquam quod diſperſa minus ad memoriam valent, tam contraria fuerunt ſcriptorum, qui tum floruerunt, ſtudia, vt alii in CAROLI CALVI partem proniores pleraſque LVDOVICI actiones ſuo praeiudicio damnent, alii, noſtro paullo aequiores, tanto acrius in CAROLVM, tamquam gentis ſuae dedecus, inuehantur. (e) Inter quae tam contraria iudicia

Script. rer. Francic. Tomo I. p. 572. Apud eumdem *eod m Tom. I. p. 591.* exſtat vita SIGEBERTI III. Regis, et *p. 594.* vita PIPPINI, Maioris Domus Auſtriae. CAROLI M. vitam plures ſcripſerunt : vnus, qui illam ex Annalibus plebeiis, a Reginone quoque viſis compoſuit, apud eumdem *Tomo II. p. 50.* alter Monachus Egoliſmenſis *ibidem p. 68.* et apud PETR. PITHOEVM inter *Scriptores XII. Hiſt. Franc. p. 230.* tertius S. Galli Monachus apud Caniſium *Lect. antiqu. Tomo I. p. 358.* et Du Cheſne *Tomo II. p. 107.* quartus Eginardus, cuius vitam poſt alios ſplendide edidit notiſque doctiſſimis illuſtrauit Io. Hermannus Schminckius Traiecti ad Rhen. 1711. quintus Poëta Saxo, cuius annales a Reinero Reineccio primum editos et ſaepius recuſos cum vetere codice MSC. contulit et *Tomo I. Script. rer. Brunſu. pag. 120.* inſeruit Leibnitius. Non pauciores ſunt, qui LVDOVICI PII vitam ſcripſerunt. Exſtat enim vita eius ab anonymo, ſed coaeuo, quem aſtronomum vulgo adpellitant, ſcripta. Exſtat Ermoldi Nigelli *Carmen de Rebus a Ludouico Pio geſtis* ex codice MSC. Vindebonenſi editum a Lud. Ant. Muratorio *Script. rer. Italic. Tomo II. Part. II.* et Menckenio *Script. rer. Germ. et Sax. Tomo I. p. 866.* Exſtant Thegani *geſta Ludouici Pii* itidem a Pithoeo inter *XII. Scriptores Hiſt. Franc. p. 291. ſequ.* relata, et denique Theodulfi, Epiſcopi Aurelianenſis *verſus de Ludouico Pio* apud Du Cheſne *Tomo II. p. 326.*

(d) Vitam eius ſe ſcripturum promittit Monach. S. Galli de vita Caroli M. *Lib. II. cap. 9. edit. Hahnii.*

(e) Exemplo eſſe poſſunt ANNALES FVLDENSES, quorum auctor, quum Fuldae, in Ludouici regno, ſcripſerit *ad ann. 875.* CAROLVM CALVVM Galliae *tyrannum*, et hominem *lepore timidiorem*; *ad annum 876. ſtultum*, et *nouellum Sennacherib.* vocare non dubitat. At eumdem animi morbum paſſim prodit auctor ANNALIVM BERTINIANORVM, a Ducheſnio *Tomo III. Script. rer. Franc. p. 150. ſequ.* editorum, qui, quamquam paullo modeſtior, odium tamen in LVDOVICVM noſtrum eiuſque filios diſſimulare non potuit. Illi ſaltim plus iuſto indulſit, dum de LVDOVICO, Ludouici noſtri filio, magnanimo profecto ac fortiſſimo principe, *ad annum 882.* ſcribere auſus : *Ibi nunciatum eſt Carolo, quia ſobrinus ſuus, Ludouicus, Ludouici Germanici Regis filius*, INVTILITER SIBI ET ECCLESIAE AC REGNO VIVENS, *morti ſuccubuit.* Quae ſane non ſunt hiſtorici, alieni a partium ſtudio, ſed Ludo-

BIU Cujas

dicia id, quod verum est, reperire, quemadmodum difficillimum, ita nobis, qui amoris odiique causas procul habemus, maxime curae fuit. Ceterum suscepti laboris hunc praecipue fructum iucunda animi praesensione praecepimus, quod eum illis, qui de genuinis regni Germanici ipsiusque iuris publici originibus sunt solliciti, non parum vtilitatis adlaturum, auguramur. Quod quidem an consequuti simus, alii viderint. Nos, ne verbosior sit praefatio, statim ad rem ipsam accingimur, primo hoc libro quaedam, quae ad ipsam LVDOVICI Germanici personam, nomen, cognomina, natales, educationem, indolem, corporisque ac animi dotes, postremo ad eius familiam, coniugium, liberosque pertinent, praemissuri.

II. Nomen LVDOVICI noster commune cum LVDOVICO PIO, patre, habuit, ob eamque caussam a THEGANO (f) aliisque eorum temporum scriptoribus plerumque *filius Ludouici Pii* AEQVIVOCVS, nec non *ei cognominis*, (g) adpellatur. Id nomen, incertis adhuc, et parum excultis orthographiae regulis, non vno modo a veteribus litteris expressum, reperio. Nam in annalibus modo LVDOVICVS, modo LVDEWICVS, modo LVDOICVS, vel LODOICVS; in diplomatibus saepius HLVDEWICVS, HLVDOWICVS, hLVDEWICVS, quin et CHLODEWICVS (h) aliquando vocatur. Asperior enim erat Francorum non minus, quam Alamannorum, pronunciatio, vt non modo vocales, (i) sed et consonantes L. N. R, (k) ex infimo gutture protruderent,

[f] *De gest.* Ludouici Pii *cap. 39.*

[g] *Monach. Sangallens.* Vit. Caroli M. *lib. II. cap. 8. p. 579.*

[h] *Infra diplomate I. in subscript.*

[i] Hinc *Hebehardus* scribebant pro *Eberardus*: *Infra Dipl. XX. XXI. LV. Hemma* pro *Emma*: *Dipl. III. Hadebertus* pro *Adelbertus*: *Dipl. XII. XIIII. XV.* Similia sunt *habent*, pro *abent*, vespera, apud Notkerum *Psalm.* LIIII. 18. *hubil* pro *ubel*, malum, *here* pro *ere*, honor, *in gloss. Keron.* Immo iam olim vetustissimos Germanos pro *erde*, terra, dixisse HERDAM, vel HERTHVM, patet non modo ex Tatiani *Harmon. cap. 75. 41.* verum etiam ex ipso Tacito *de mor. Germ. cap. 40.* Atque inde illustrari potest locus insignis Auctoris astronomi in vita Ludouici apud Pithoeum *in Script. XII. Hist. Franc. p. 426.* Refert ibi, Ludouicum Pium morti proximum, *conuersa facie in sinistram partem indignando quodammodo, virtute quanta potuerit, dixisse bis*: HVZ, HVZ, *quod significet* FORAS, FORAS: *indeque patuisse, quia malignum spiritum viderit.* Illud vero HVZ non aliud est, quam Germanicum AVS, vel VS, pro quo nos hodie dicimus HERAVS vel HINAVS, et quod apud Keronem scribi VZZE vel VZZANA, obseruat Schilter. *Thesaur. Antiqu. Teut. Tom. I. p. 822.*

[k] Litterae L adspirationem saepissime praefigebant scribentes HLAVFFAT pro

truderent, ac proinde vocabulis, ab aliqua harum litterarum incipientibus praefigerent H, siue simplex, siue duplex, vel ipsum asperrimum CH. Quemadmodum ergo inter Alamannorum nomina, quorum indices bene longos ex vetustis membranis MELCHIOR GOLDASTVS (l) eruit, occurrunt HLOTHARI, HRANFRID, HRVADBERT, HRVADGAER, HRVADIGART, HRVADOLT et similia: ita et frequentissimum fuit nomen HLVDOWICVS seu CHLODOWICVS, (m) non a Francis demum inuentum, sed iam antiquissimis temporibus Gallis Germanisque familiarissimum, ac proinde dignum, cuius veram notionem paullo accuratius inuestigemus.

III. Nimirum IVLIVS CAESAR (n) aliquoties meminit LITAVICI cuiusdam, nobilis adolescentis, et Aeduorum iuuentutis principis, quem IVLIVS CELSVS (o) LITAVICTVM; Graecus CAESARIS interpres AITABIKON adpellitat. Id vero ipsum LVDOVICI nomen esse, recte obseruauit Io. ISAACVS PONTANVS. (p) Quamuis ergo, id nomen vere Celticum, vel Germanicum esse, certissimum videatur, tanta tamen primaeue istius linguae paullatim facta est mutatio, vt Celtici istius vocabuli originem hodie non nisi diuinando adsequamur.

pro *lauffet*: HLID pro *lith*: HLVT pro *lut* vel *lauth*. Aliquando H est ante litteram N, veluti quando HNEIGEN scribunt pro *neigen*. Nec minus litteram caninam more Graecorum adspirant, scribentes HREIN pro *rein*: HRVFFEN pro *ruffen*. Vid. Schilter. *Gloss. his vocibus.*

(l) *Rer. Alamann. Tomo II. p.* 100. *sequ. et p.* 124. *sequ.*

[m] Non ergo diuersa, sed eadem, sunt LVDOVICI, CHLODOVAEI et HLVDEWINI nomina. Nam apud Cassiodor. *Var. II.* 41. *et* 3. 4. Theodericus, Gothorum Rex Chlodouaeum Francorum Regem vocat LVDOVICVM, vti in quibusdam Codicibus legit Guill. Fornerius *in Notis p.* 249. et magnum illum regem S. Remigius in Testamento apud Chifflet. *de ampulla Remensi cap.* 3. *p.* 9. et Hermannus Contract. *ad ann.* 480. *et sequ.* vix alio, quam LVDOVICI, nomine insigniunt. Quin ipse Ludouicus Pius se Chlodouaeo cognominem esse profitetur apud Flodoard. *Hist. Rem. lib.* II. Nec a LVDOVICI vel CHLODOVAEI vocabulo differt nomen CHLODIO, vel vt Sidonius Apollinar. in *Paneg. Maiorian. Aug. v.* 210. scribit, CLOIO. Quemadmodum enim apud Goldast. *Rer. Alam. Tomo II. p.* 96. *sequ.* ALLO est adbreuiatum ex *Aluuich*, ALTO ex *Altirich*, BERTO ex *Bertrich*, EBO ex *Eberuuic*, GEILO vel KEILO ex Geiluuich vel Keiluuich, HATTO ex *Hadeuuic*: ita et CHLODIO ex *Chlodouaeus*. Immo ex adbreuiato illo CLOIO nata esse hodierna nomina *Clouis* et *Louis*, suspicatur Io. Isaac. Pontanus *Orig. Franc. Lib. III. cap.* 7. *p.* 242.

(n) *De bello Gall. lib. VII. cap.* 37. *sequ.*

(o) *Vit. Caesar. lib. III. p.* 109. *edit. Graeuii.*

(p) *Orig. Francor. lib. III. cap.* 7. *p.* 243.

BIU Cujas

mur. Inquisiuit in eius originem ERMOLDVS NIGELLVS, (q) sed ita, vt se poëtam esse meminerit, sibique quidlibet audendi fingendique aequam semper potestatem esse debere existimarit. En enim hominis vigilantis somnia:

Nam HLVDOVICVS *enim* LVDI *de nomine dictus,*
LVDERE *subiectos pacificando monet.*
Seu quis Francisca mauult resonare loquelam:
Nominis vt possit noscere notitiam:
Nempe sonat HLVDO *praeclarum:* WICH *quoque Mars est,*
Vnde suum nomen composuisse patet.

Sed prior etymologia lusus ingenii est. Ludit enim NIGELLVS, dum a *ludo* arcessit nomen Germanicum, quum a nominum Latinorum vsu Franci quam maxime abhorruerint. Posterior, vtut paullo verisimilior, non magis tamen priore vera videtur. Neque enim HLVDO Francis erat *praeclarum*, sed HLVDER vel HLVTER, (r) idem, quod nostrum *lauter*. Inde vero non LVDOWICI, sed LVTERVICI nomen nasceretur. (s) Sed ERMOLDVS, vt Ludouicum suum pace belloque magnum esse ostenderet, id ipso nomine innui lectori persuasit, vsus argumento notationis, malo poëta, quam bono

(q) *De gestis Ludouici Pii lib. I. v.* 45.

(r) Pluribus id exemplis demonstrauit Schilter in *Glossar. Teut. p.* 461. *et* 556. Inde est nomen HLOTARIVS, quamuis sint, qui illud a LIVTI, *leute, homines*, et HERR, *dominus* deriuare malint. Vid. Diecmann. *Specim. Glossar. Latino-Theot. p.* 38. *seqq.* Vtcumque se res habeat: est et hoc nomen vere Celticum et iam olim Gallis familiare. Nam apud Liuium *lib. XXXVIII. cap.* 16. inter principes Gallorum in Asiam migrantium est quidam LVTARIVS. Alium in ipsa Gallia deprehendimus temporibus IVLII CAESARIS, apud quem *lib. VII. de bello Gall. cap.* 5. memoratur LVTERICVS Cadurcus, Hirtio *lib. VIII. cap.* 32. *et* 34. LVTERIVS, Iulio Cesso *Vit. Caes. p.* 96. LVTHERIVS, Liuio denique LVTARIVS, in quibus omnibus vocabulis *Lotharii* nomen nemo non deprehendit.

(s) Attamen hanc ERMOLDI etymologiam iuuari quodammodo posse fatemur, si pro *hludo* substituamus LIOTH, quod *lucem* significat. Otfrid. *in Euangel. lib. I. cap.* 15. *v.* 38.

LIOTH *thaz thar scinit.*
Inti allauuorolt rinit.
Lux, quae lucet, et omnem mundum illuminat.

Et *lib. II. cap.* 2. *v.* 21.

Ni uuas er thaz LIOTH, *ih sagen thir ein,*
Thaz thar then liutin inscein.

Non erat iste ita lux, (vt semel dicam) vt populis illuceseeret. Sic vero LIOHTEWIC non male dici posset *bello praeclarus.* Io. Georg. Eccard. *Hist. stud. etymolog. p.* 38.

BIU Cujas

bono historico, digniore. Sunt, quibus id nomen a vetere HLOT *propago* et WICH, *ciuitas* compositum videtur, (t) vt LVDOVICVS idem sit, ac *palmes ciuitatis vel reipublicae*. Nobis, quibus in etymologiis omni acumine potior est simplicitas, nomen istud ex LIVTI vel LEODE, quod *homines*, et VVIC, quod *castellum* denotat, conflatum videtur, vt adeo idem sit, ac *castellum* vel *perfugium hominum*. (u) Maiores enim nostros magnopere delectatos fuisse nominibus, quae locum aliquem munitum, tutissimumque refugium significant, exemplis quam plurimis mihi compertum est: (x) et nomina vtriusque sexus, desinentia in WIC vel VVICH, hac posita significatione quam commodissime possunt explicari. (y) Nec potuissent profecto parentes liberos, maxime reipublicae destinatos, concinniore nomine admonere officii, (z) quam dum eos LVDOVICOS,

(t) Schilter. Thesaur. antiqu. Teuton. *Tomo III. p.* 461.

(u) Diecmann. Specim. glossar. Lat. Theot. p. 38. et Tilius apud Ang. de Nuce not. ad Chron. Cassin. p. 116.

(x) Terminationes nominum propriorum, tum masculinorum tum femininorum, frequentissimae sunt BVRG, *castellum*, STEIN, *petra*, WART, *specula*, DVRVN, *turris*, STET, *vrbs*, LVOG, *specus*, BERG, *mons*, quae omnia tuti perfugii notionem inuoluere videntur. Hinc a BVRG est *Walpurg*, a STEIN *Insteen*, *Ruastein*, a VVART *Antuuart*, *Burcuuart*, *Egiluuart*, *Gaganuuart*, *Hadauuart*, *Heriuuart*, *Marchuuart*, *Paldeluuart*, *Pernuuart*, *Richuuart*, *Roaduuart*, *Snevvart*. A DVRVN *Cundurun*, *Halbduring*, *Helidor*: a STET *Lieslet*: a LVOG, LVCH, LAVCH, LOH vel LVC *Cadaloh*, *Dheotaloh*, *Ebarloh*, *Folcheloh*, *Fridaloch*, *Herolog*, *Helemlog*, *Keiloh*, *Lantaloch*, *Otoloh*, *Ratloh*, *Reginloch*, *Ruadloh*, *Theotoloh*, *Theutoloch*, *Thierloh*, *Wolkelohe*. Denique a BERG, BIRG vel BRIG *Amalperg*, *Elidpirch*, *Madalbirg*, *Sigibrich*, *Yanbire* et cetera, quae omnia ex solo Goldasto *Rer. Alam. Tomo II. p.* 120. *seqq.* excerpsimus.

(y) Erat haec terminatio nominibus virorum mulierumque communis. Masculina nomina sunt *Adauuich*, *Alenuic*, *Eberuuic*, *Ediluuic*, *Erluuic*, *Fridouuic*, *Hartuuic*, *Hiltiuuic*, *Perenuuic*, *Reduuic*, *Rodouuic*, *Seluuich*, *Thienuuih*: feminina *Adaluuic*, *Alekeruuich*, *Engiluuc*, *Folcuuic*, *Immuuich*: communia masculis femineisque *Geiluuich*, *Hiluuich*, *Keiluuich*, *Hatuuig*, *Hirminuuich*, *Keruuic*, *Otuuic*, *Reginuuich vel Raganuuich*, *Ranuuic*, *Ruaduuig*, *Sogeuuich*, *Thiotuuic*. Quemadmodum ergo ALEWIC est *refugium omnium*, FOLCWIC et THIOTWIC *refugium populi*, GEILWICH, HEILWICH et KEILVVICH *refugium excelsum*, OTVVIC *refugium praestantissimum*, ADALVVIC vel EDILVVIC *ciuitas nobilium*, ENGILVVIC *ciuitas angelorum*, FRIDOVVIC *ciuitas pacis*: ita LVDOWIC a *liuti* vel *Leode* et *vvic* vel *vvich* commodissime exprimit *refugium hominum*.

(z) Erant Francorum nomina σημαντικά et maximam partem ita composita, vt illis insigniti officii sui admonerentur. Quod vt denuo exemplis paucis, iisque perspicuis, et ab hodierna dialecto parum discrepantibus, demonstrem,

cos, id est, perfugium hominum, et quemdam veluti miserorum portum esse oportere docuerunt.

IIII. Quum vero LVDOVICVS noster alter esset ex Carolidarum familia, qui id nomen ferebat: fieri sane non poterat, quin varia inuenirentur cognomina, quibus a patre eiusdem nominis discerneretur. OTFRIDVS (a) eum ideo *alterum*, vel, vti olim Romani alia occasione loquebantur, *iterum Ludouicum* vocat, verbis:

So ist der selbo edelin,
Ther heizit AVVR LVDOVVIC.

Sic est ille ipse nobilis,
Qui vocatur ITERVM LVDOVICVS.

Ex eadem ratione auctor chartae Alamannicae apud GOLDASTVM (b) ei IVNIORIS cognomen tribuit, quamquam id postea filio illius magis conuenire visum sit. Reliqui scriptores plerique, cum veteres, tum recentiores, eum GERMANICVM, vel GERMANORVM REGEM, (c) quasi amplissimi istius regni conditorem, adpellitant: quamuis tum Germania frequentius FRANCIAE ORIENTALIS nomine veniret, eoque non modo ipsum LVDOVICVM nostrum in diplomatum subscriptionibus, verum etiam OTFRIDVM in epistola nuncupatoria vsum esse animaduertamus. Hic sane Germanorum Ennius et epistolae illi praemittit elogium: LVDOVICO ORIENTALIVM REGNORVM REGI SIT SALVS AETERNA, idque in ipsa dedicatione duplici acrosticho exprimit, et postea diserte ait: (d)

Er

strem, *filias nomine* ADALVVIB *vel* ADALWIF admonebant, vt dignos *nobili matrona* mores ostenderent: nomine ADALTRVD, vt pro eo, ac nobilem deceat, fidem seruarent: nominibus ENGILVVIB, ENGILHILT, ENGILMVT, ENGILMVND, vt gratia, venustate, morum orisque suauitate angelis similes esse studerent: nominibus FRIDILIVBA et FRITVVIF, vt pacis inprimis domesticae essent amantes. Quin vt et patriae caritatis admonerent liberos, quibusdam imposuerunt nomina, ab ipsa patria desumta, qualia sunt FRANCO, vel FRANCHO, FRIESO, SAXO, SVVAN vel SVAB, SVVABINC, SVVABIZHO, SVVABOLT, SVABIN, SVABAHOLT, SVVIDKER, SVIDIRICH, SVVIDPVRC, SVVIZA. Denique quid aliud voluit nomen VVIRTIN feminae impositum, quam vt se matremfamilias esse debere, idemtidem cogitaret?

(a) *Praefat. euangel. v.* 35.

(b) *Rer. Alamann. Tom. II. pag.* 47. *Add. Tradit.* Werthin. *apud* Leibnit. *Tom. I. Script. rer. Brunsuic. p.* 118.

(c) *Annal. Bertiniani ad ann.* 845. *et sequ.* 853. 862. *et passim.*

(d) *Praefat. ad* Ludou. *v.* 3.

BIU Cujas

Er OSTARRICHI *rihtit al,*
So Franckono Kuning ſcal.

Is ORIENTALE REGNVM *regit omne,*
Prout Francorum regem decet.

Vbi OSTARRICHI eſſe prouincias, quae cis Rhenum in Francorum ditione erant, quaeque iam ſub Merouingis corrupto vocabuli ſono AVSTRIAE vel AVSTRASIAE nomine veniebant, (e) palam eſt. At ipſe LVDOVICVS initio diplomatum ſuorum nullo vtitur titulo διακριτικῷ, ſed ſimpliciter ſe LVDOVICVM *diuina fauente gratia Regem*, more iſtius ſaeculi, adpellitat, praeterquam quod, ſuperſtite patre, *Regis Boiariorum* titulum praetuliſſe, (f) eodemque fatis functo annos, quibus huic vel illi regno praeeſſe coeperit, in fine chartarum numeraſſe aliquando legitur. (g)

V. Acrius

(e) Nec tamen ideo ego Ludouici regnum iiſdem, quibus olim ſub Merouingis Auſtraſia, terminis contineri ſtatuo. Theodericus enim, qui primus Auſtraſiam rexit, cis Rhenum Boioariis et Alamannis, a patre perdomitis praefuit, quibus ipſe regnum Thuringicum adiecit: noſter ſimul Saxoniae, Friſiae, et prouinciis, quas Slaui occupauerant, imperauit. Contra noſter trans Rhenum initio praeter Moguntiam, Wormatiam et Spiram nihil habuit: quum ibi Theodericus longe lateque regnaret, ipſamque regni ſedem Metis conſtituiſſet. Fredegar. *Hiſt. Franc. epitom. cap.* 30. Sed qualitercumque prouinciae Francorum diuiderentur, ſemper pars orientalis Auſtraſiae nomine veniſſe videtur. Schurzfleiſch. *Diſſert. de regno Auſtraſ. cap.* 1.

(f) Infra diplom. 40. 41. 43. 61. 62. 63.

(g) Ludouicus noſter non vni, ſed pluribus regnis dominari ſibi videbatur, ac proinde non regni, ſed *Regnorum orientalium Rex* ſalutatur ab OTFRIDO, *Rex* quippe *totius Germaniae, Rhetiarumque et antiquae Franciae, nec non Saxoniae, Thuringiae, Norici, Pannoniarum atqüe omnium ſeptentrionalium nationum*, vti loquitur Monachus Sangallenſis *in vita Caroli M. lib. II. cap.* 9. Hinc in chartis ſuis modo annos regni ſui in *Boioaria*, vti infra *dipl. LVII.* modo in *Alamannia*, vti *dipl. XXXIII. et ſequ.* modo in *Alſatia* vel Lotharingia, quam cum Carolo fratre creuerat, vti *dipl. I.* ſolet numerare. *Germaniae Regis* titulo illum vmquam vſum eſſe, non obſeruaui, praeterquam quod in *Formulis Alſaticis num. VI. pag.* 57. *edit. Eccardi* legimus. *HL. Rex Germaniae.* Sed quum ea magis formula diplomatis, quam verum diploma videatur, neque alibi exſtet vllum, in quo hic titulus occurrat: inde ſane publicum huius elogii vſum fuiſſe, nemo temere collegerit.

BIU Cujas

V. Acrius inter se contendere video eruditos, an IMPERATORIS AVGVSTI vel CAESARIS titulum vel ipse sibi tribuerit LVDOVICVS noster, vel ab aliis sibi passus sit attribui? Eam enim quaestionem inter viros doctos, qui famosum istum Parthenonis Lindauiensis diploma vel vindicare a νοθεύτεως suspicione, vel argumentis luculentissimis damnatum proscribere conati sunt, quam diutissime agitatam esse nouimus. Enimuero vti hanc litem nostram iam non facimus: ita, quae ipsa eorum temporum monimenta nobis sufficiunt argumenta, paucis hic delibare iuuat. Primum itaque certum omnino exploratumque est, LVDOVICVM nostrum fratri natu maximo, Lothario, quantumuis sibi parum aequo, Augustam tamen dignitatem, quam pater cum eo pridem communicauerat (h), numquam dubiam reddidisse. Neque enim de imperio Romano vlla inter fratres contentio fuit (i), sed de regno Francorum, quod fratres natu minores cum Lothario aequa lance diuisum volebant, Lothario eminentis istius dignitatis obtentu totam sibi hereditatem paternam, ipsumque in fratres imperium, proterue vindicante. Sane quum iam atrocissimum et plus quam ciuile bellum inter fratres exarsisset, quumque iam in procinctu essent infestae acies, nec LVDOVICVS noster, nec CAROLVS eam fratri tulerunt conditionem, vt se Augusta dignitate abdicaret, vel eamdem secum communicaret, sed, quod disertis verbis memorat NITHARDVS (k), *vt memor fraternae conditionis, sineret ecclesiam Dei et vniuersum populum Christianum pacem habere, concederet illis* REGNA, *a patre*, SVO CONSENSV *concessa, haberet* SVA *sibi, non merito, sed sola misericordia a patre illi relicta.* Quin addit NITHARDVS, vtrumque fratrem Lothario

(h) *Annal.* Bertin. *Fuldens. Moissiacens. ad ann.* 817.

(i) Ait quidem Theganus *de gest. Ludouici Pii cap.* 21. *p.* 306. *Supradictus vero Imperator denominauit filium suum Lotharium, vt post obitum suum omnia regna, quae ei tradidit Deus per manus patris sui, susciperet, atque haberet* NOMEN *et* IMPERIVM *patris: et ob hoc ceteri filii* INDIGNATI SVNT. Sed facile patet, non Augustam dignitatem fratrum animos exacerbasse, sed praeceps patris iudicium, *vt Lotharius post obitum suum omnia eius regna susciperet.* Ipse etiam Lotharius, mortuo patre, et imminente sibi a fratribus bello, tamquam certum posuit, non esse de Augusta dignitate controuersiam, ac potius eo obtentu vsus est, ad maximam regni partem fratribus extorquendam. Hinc apud Nithardum *Lib. II. p.* 461. fratribus iubet renunciari: *quoniam scirent, illi* IMPERATORIS *nomen magna auctoritate fuisse impositum, vt considerent, quatenus eius nominis magnifice possit explere officium.*

(k) *De dissens. filior. Ludouici Pii lib. II. p.* 469.

BIU Cujas

thario obtuliſſe portionem regni ſui, Ludouicum quidem ad Rhenum, Carolum vſque ad Carbonarias, quin illi optionem dediſſe, vt vniuerſa Francia aequa lance in tres partes deſcripta, ipſe quamcumque liberet, portionem ſibi vindicaret. Quare tantum abeſt, vt fratres Lothario quidquam eorum, quae iudicio patris praeceperat, ereptum vellent, vt illis partem de ſuo, ſi aequas conditiones non adſpernaretur, addere cuperent. Sed et viribus Lotharii praelio illo Fontaneenſi penitus proſtratis, quum iam in manu eſſet victoribus, fratrem ad iniquiſſimas quaſque conditiones adigere, non tamen de abrogando illi Romano imperio cogitatum, ſed pactione Virdunenſi, REGINONE (l) teſte conſtitutum eſt, *vt Lotharius, qui et maior natu erat, et* IMPERATOR *adpellabatur, medius inter vtroſque incedens, regnum ſortiretur, quod poſtea ex eius vocabulo Lotharingia vocatum ſit, totamque prouinciam, nec non omnia regna Italiae cum ipſa* ROMANA VRBE. Quo ergo, non dicam iure, ſed colore tantum, viuo Lothario, Auguſtum Imperatoris nomen adfectaſſet LVDOVICVS, princeps iuſti et aequi amantiſſimus, quum illud iam pridem Lothario pactione ſollemniſſima ceſſum eſſet? Sed et Ludouico II. Imp. cui Lotharius, ſacrum religionis habitum rerum humanarum taedio ſumturus, Italiam cum Auguſta dignitate addixerat, numquam ſtatus controuerſiam mouit LVDOVICVS noſter, immo potius amicitiam cum illo perpetuo coluit, dignus ideo viſus Imperatori, quem fratribus ſuis ferret arbitrum, quum ſe in regni patrii partitione laeſum exiſtimaret. (m) Quamobrem nec toto illo tempore, quo Ludouicus ille II. imperauit, noſtrum Auguſti nomen vel ſibi attribuiſſe, vel attributum ab aliis, admiſiſſe, veroſimile eſt: neque id diſſimulaſſent, credo, eorum temporum ſcriptores, ſi id illi vmquam in mentem veniſſet.

VI. Mortuo circa annum 875. Ludouico II. Imperatore, Lothariique ſtirpe vna cum illo deficiente, Auguſta dignitas iure debebatur LVDOVICO noſtro, poſterorum Caroli M. qui tum viuebant, natu maximo. Ita enim iam inde a Caroli M. temporibus vſu obtinuerat, vt in ea deferenda aetatis ratio haberetur, nec tanta erant Caroli Calui, fratris natu minoris merita in rem communem Chriſtianam, vt fratri, principi optimo fortiſſimoque eſſet praeferendus. Sed Carolus ille, maiora ſemper, quam caperet, concupiſcens, fratrem iam ſenio fatiſcentem, nulla habita pudoris ratione, tur-

(l) *Annal. ad ann.* 842. (m) *Annal. Bertinian. ad ann.* 856.

BIU Cujas

turpiter praeuerterat, susceptaque in Italiam expeditione, effecerat largitionibus, vt Romanorum Imperator a Ioanne PP. VIII. consecraretur (n). Quae iniuria quamuis esset maior, quam princeps magnanimus pati posset: tamen ne tunc quidem Augustam dignitatem ambitiosius petiit, regnum Italiae sibi suaeque familiae armis adseruisse contentus (nn), existimans, quod res erat, et fratri inutilem futuram eam dignitatem, si via in Italiam intercluderetur, et tunc se aequiores Pontifices Romanos habiturum, si legiones suas signaque non procul a Tiberi explicatas conspicerent. Interim, siue vanos sine re titulos adspernatus, siue Pontificis Romani fulmina saeculi more reueritus (o), numquam Augusti titulum adfectauit, neque

(n) *Annal. Fuld. ad ann.* 875.

(nn) Hinc primum Carolum, deinde Carolomannum filios cum exercitu misit in Italiam, et vt fratrem ad illam relinquendam compelleret, ipse cum validissima manu in Galliam irrupit. Et sane auctorem habemus Annalistam Fuldensem *ad ann.* 875. Carolum Caluum, ad artes suas conuersum, *aurum, argentum gemmasque pretiosas infinitae multitudinis Carlmanno obtulisse, vt eum sibi placaret, et a paterna fidelitate segregaret: immo et iurasse, se de Italia cito exiturum, et Hludouici fratris sui iudicio* ILLVD REGNVM *disponendum seruaturum, si Karlmannus inde discederet*, eadem animi leuitate promissurus procul dubio, se Augusti nomen eieraturum, si de eo praecipue fuisset controuersia. Accedit, quod mortuo iam Ludouico nostro, Carolomannus filius Italiae quidem regnum sibi adseruit, veluti in subscriptione diplomatis monasterio S. Emmerani dati, apud Iac. Gretser. *de Diuis Bamberg. p.* 517. *sequ.* alteriusque apud Baluz. *Capitular. tomo II. p.* 1505. in quibus vtrobique *annus III. Domini Karolomanni, inuictissimi Regis, in Italia* numeratur: Add. Vghell. *Ital. S. Tomo II. p.* 184. *edit. vet. Tom. I. p.* 851. *Tomo V. p.* 591. at nullum tamen eiusdem exstat diploma, ex quo eum Imperatoris Romani titulum vel adfectasse saltim, adpareat.

(o) Erant tum tempora, quibus Pontificum iudicio ea in re iusto plus tribuebatur. At hi iam illis temporibus ius creandi Romanos Imperatores sibi adserere coeperant: idque consilium non obscure propidit Ioannes Papa. VIII. *Epistola XVI. ad Engilbergam, Ludouici II. Imp. viduam*, apud du Chesne *Tomo III. p.* 878. vbi ita differit: *Dilectionem vestram merito commonemus, vt spirituali filio nostro, Carolo, piissimo Imperatori purae fidei ac sincerae deuotionis exhibens semper integritatem, omnes ad eius mansuetudinem attrahat, et salubribus monitis inuiolabilem ei fidem seruare demonstret. Non enim est potestas, vt Apostolus ait, nisi a Deo, et, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Nos autem, qui illum, diuinitus, vt credimus,* acti SEMEL ELEGIMVS, *perpetuo, tamquam filium carissimum omni conatu diligimus, ita, vt ipsius amicos et inimicos amicos atque inimicos nostros exsistere teneamus.* Quis non videt, Pontificem hunc suam rem agi credidisse?

BIU Cujas

que vllum exſtat indubiae fidei dipoma, ex quo Ludouicum noſtrum ſibi eum vmquam tribuiſſe, liquido poſſit demonſtrari.

VII. At non eadem aliorum, qui in Germania LVDOVICI filiorumque eius imperio ſuberant, erat modeſtia, quippe qui factam Principibus ſuis iniuriam vlturi Ludouico tum viuo adhuc, tum iam fatis functo, IMPERATORIS Romani titulum tribuere non dubitabant. Recte id obſeruauit HERMANNVS CONRINGIVS (p), in eo tamen falſus, quod a ſaeculo demum vndecimo ſcriptores quoſdam, veluti ADAMVM BREMENSEM (q), WALDONEM (r), HELMOLDVM (s), alioſque recentiores Ludouico Imperatoris Auguſti et Caeſaris titulum adſcripſiſſe exiſtimat. Quamuis enim fatendum videatur, ab eo demum tempore, quo Ottones illam dignitatem Auguſtam cum Germania aeterno atque indiſſolubili vinculo coniunxerant, ſcriptores. vetuſtatis rerumque ciuilium ignaros, Germaniamque veterem ex ſuae aetatis more aeſtimantes, hunc errorem frequentius erraſſe: mihi tamen ſatis compertum eſt, de nono quidem ſaeculo, ac ſuperſtite adhuc Ludouico, nedum ſub eiuſdem filiis a titulis iſtis abſtinuiſſe. Ipſe ſane CONRINGIVS id ſubſcriptionibus quarumdam eius aeui chartarum probauit. Nam in TRADITIONIBVS FVLDENSIBVS apud SCHANNATVM (t) legimus: *Facta eſt haec traditionis chartula in monaſterio Fulda, anno Dominicae Incarnationis* 876. *Indict.* 8. *anno* 36. LVDOVICI IMPERATORIS *menſe Iulio, die* 23. *eiuſdem menſis.* Et paullo poſt in alia charta: (u) *Acta eſt haec chartula traditionis in monaſterio Fulda. Anno Dominicae Incarnationis* 876. *Indict.* 9. 36. HLVDOWICI IMPERATORIS, *menſe Februario, die* 14. *menſis eiuſdem.* Nos vero hic addimus auctorem vitae Caroli M. MONACHVM SANGALLENSEM, qui ſe NOTKERVM BALBVLVM eſſe non obſcuro indicio prodit (x). Is enim, quum ſub Carolo Craſſo ſcripſerit, LVDOVICVM noſtrum diſerte vocat IMPERATOREM. *Erat*, inquit (y), HL. *rex vel* IMPERATOR *totius Germaniae, Rhetiarumque, et antiquae Franciae, nec non Saxonicae, Thuringiae, Norici, Pannoniarum, atque omnium ſeptentrionalium nationum.* Quin idem auctor eum paullo poſt vocat

(p) *Cenſ. Dipl. Lindau. cap.* 7. *p.* 109.
(q) *Hiſt. eccleſ. cap.* 24. 27. *et* 32.
(r) *Vit. Anſcharii cap.* 45. 48. 52. *et* 57.
(s) Chron. Slau. *lib. I. cap.* 5.
(t) *Tradit. Fuld. p.* 209.
(u) *Ibid. p.* 209.
(x) *Lib. II. cap.* 12. *p.* 591. *edit. Hahn.*
(y) *Lib. II. cap.* 9. *p.* 580.

BIU Cujas

cat CAESAREM et *vere* CAESAREM (z), quum id vocabulum solis Imperatoribus proprium sit. Enimuero id tum monachi faciebant eo audacius, quo magis iam pridem inoleuisset mos, reges potentiores Imperatorum titulo ornandi (a), quamuis nec Augustos vel Caesares salutare sustinerent, et ipsos Principes istis titulis in chartis suis non vti, satis scirent. Quae quum ita sint, non quidem illico falsis ac supposititiis accensendae sunt tabulae, in quibus LVDOVICVS ab aliis Imperator dicitur: at merito suspecta habentur, quae ipsi LVDOVICO tribuuntur, diplomata, si CAESARIS, vel IMPERATORIS AVGVSTI titulum praeferunt (b), quum eo LVDOVICVM ad mortem vsque abstinuisse, tot diplomata, anno 875. et sequente, quem ipse vitae postremum habuit, scripta (c) satis luculenter demonstrent.

VIII. Multo minus dubitandum est, quin ea diplomata omnia, in quibus REGIS ROMANORVM titulum praefert LVDOVICVS, non modo

(z) *Idem lib. II. cap. 13. p. 594.*

(a) Exstant acta concilii Narbonensis, anno Incarnationis Dominicae 788. Indict. 12. habiti, edita a Steph. Baluzio *in Addit. ad* Petrum de Marca *de Concord. sacerd. et imp. lib. VI. cap. 25. p. 925.* in quibus Carolus, non Caluus, ceu credidit Schurtzfleischius *de diuisione Imperii Carolini* §. 51. *p.* 28. sed Magnus, *glorioſiſſimus Dominus Imp.* vocatur 13. annis ante, quam Romae consalutatus esset Imperator. Id vero non insolitum esse, docet Baluzius in Adnotationibus, adductis exemplis Pippini, Ludouici Balbi, Otonis, Caroli simplicis, Ludouici Transmarini, Lotharii et Roberti Regum, qui omnes aliquando dicti sint Imperatores ab aliis, quamuis ipsi eum titulum non adfectarent. Nec scio, an quisquam tam suffenus fuerit, praeter Carolum Caluum, qui *prauorum vsus consilio, in vrbe Metensi, diadema capiti suo ab illius ciuitatis episcopo imponi, et se* IMPERATOREM *et* AVGVSTVM, *quasi duo regna possessurus, adpellari praecepit.* Annal. Fuld. *ad ann. 869.*

(b) Quo magis mireris, diploma, infra n. III. adlatum, ideo suspectum habere Miraeum *Donat. piar. p. 33. quod Ludouico titulus Augusti aut Imperatoris non tribuatur.* Chartam enim illam nostri esse Ludouici, vel inde patet, quod in ea mentio fit *Hemmae Reginae*, cuius nominis vxorem Ludouicus non alius, quam noster habuit. Quis vero vmquam huius vidit sincerum diploma, in quo Augusti vel Imp. titulo vsus sit? Si vero, quod suspicor, Ludouicum Balbum illud diploma scribi iussisse statuit: dupliciter errat, primum, quod illi Hemmam vxorem tribuit: deinde quod ipsum in Imperatorum Romanorum serie collocandum censet. Miraeus *Annal. Belg. ad ann. 878.* quum eum illo ordine mouendum, non modo veteres sed et ipsi Galli, veluti Iac. Sirmond. *ad Tom. III. Concil. Gall.* Baluz. *ad Petr. de Marca Lib. VI. cap. 25. p. 925.* et Blondell. *Praefat. Apolog. Geneal. Franc. f. 31.* * 3. fateantur.

(c) *Infra Dipl. V.*

BIU Cujas

modo suspecta, sed manifesto falsa sint existimanda. Et exstant sane huiusmodi tabulae cum aliorum regum Carolidarum (d), tum et LVDOVICI nostri, quae vtut non heri demum aut nudius tertius natae, sed re ipsa satis vetustae sint, hoc ipso tamen titulo turpiter produnt natalium suorum vitium, manusque falsarias ignarorum moris prisci hominum nimis vbique redolent. Quod vt paucis exemplis, ad LVDOVICVM nostrum pertinentibus illustremus, P. IGNATIVS GROPP, monachus Benedictinus inter acta saecularia, quae aetatem millenariam monasterii Amoebacensis inscripsit (e), edidit diploma LVDOVICI (f), iam olim Germanice versum, cuius hoc initium est: *In dem Name der heyligen vngeteylten Driualtikeit Amen. Wir* LVDEVVIG *von gôtllicher Gnade, Rômischer Kônig.* Id vero vel falsum, vel ab insulso interprete interpolatum esse, vel sola haec inscriptio probat. Numquam enim vel formulam *Dei gratia*,

(d) Ipsi Carolo M. *Regis Romanorum* titulum tribui animaduertimus in lege Regia, qua S. P. Q. R. in Carolum M. ius omne imperii contulisse fertur, primum a Theoderico a Niem ex Codice Florentino eruta. Sed eius monimenti falsitatem argumentis luculentissimis demonstrauit Werlhofius *Enucl. iur. publ. cap.* 2. §. 6. *p.* 9. Nec melioris notae est inscriptio *constitutionis de expeditione* Romana, in qua Carolus Crassus, *Rex Francorum et Romanorum* vocatur. Quidquid enim viri docti pro adserenda constitutionis istius sinceritate laborent: eam tamen a Carolo Crasso non esse scriptam, neque ei hunc titulum quadrare, vltro fatentur. Quia tantum abest, vt inter Reges Carolingos *Reges Romanorum* quaerendi sint, vt hunc titulum ne in Saxonicorum quidem Imperatorum tabulis occurrere, operose ostenderit amicus desideratissimus, Christ. Gottfr. Hoffmannus *Diss. de Rege Roman. viuente Imperatore electo.* §. 1. *p.* 7. Quod ad Salicae stirpis Reges et Imperatores attinet, Henricus quidem III. in diplomate apud Meichelbeckium *Hist. Frising. p.* 241. vocatur HEINRICVS diuina fauente clementia REX ROMANORVM IMPERATOR AVGVSTVS: sed res ipsa docet, genitiuum ROMANORVM non ad praecedens vocabulum REX, sed ad sequens IMPERATOR esse referendum. Reliqua istorum Regum diplomata, in quibus ille titulus occurrit, suspicione non carere, idem demonstrauit laudatissimus Hoffmannus *ibid. p.* 10. 11. 12. simulque docuit, demum ab Henrico V. Lothario, Conrado III. et Friderico I. Regibus Germanorum, a Pontificibus Rom. corona nondum incinctis, eum titulum in diplomata illorum admissum esse. Passim enim exstare eorum tabulas, in quibus Reges Romanorum ante consecrationem Romanam adpellentur apud Vghellum *in Italia sacra Tom. III. p.* 432. Martene *Anecdot. Tom. III. p.* 1175. *sequ.* et Schaten. *annal. Paderb. lib. VII. p.* 667. Quibus nos addimus diploma Henrici V. editum a fratre Antiqu. Gosl. *lib. I. ad ann.* 1108. *p.* 110.

(e) *pag:* 192.

(f) *Infra Dipl. XXI.*

BIU Cujas

tia, vel pronomen NOS vel REGIS ROMANORVM titulum Ludouicus noſter adhibuit, vt iam nihil dicam de ſubſcriptione, quae annum Dominicae incarnationis 826. praefert, ex ipſius IGNATII GROPP iudicio in annum 856. mutandum. Eiuſdem commatis eſt alterum (g), quod Lamſpringenſes monachi oſtentant, a GE. LEVCKFELDIO (h) et Io. CHRISTOPHORO HARENBERGIO (i) editum, cuius itidem hoc exordium eſt: *In nomine ſanctae et indiuiduae Trinitatis.* HLVDOVVICVS *Dei fauente clementia Romanorum Rex.* Vbi HARENBERGIVS margini adleuit: *Aduocatus potius.* Sed nec Aduocatus, nec Rex Romanorum vmquam audiuit Ludouicus Germanicus, ipſeque titulus adeo abhorret ab illorum temporum moribus, vt recte et ordine fecerit HARENBERGIVS, quod in ſupplementis operis ſui (k), lectorem de falſitate diplomatis admonere non dubitauit. A LEVKFELDIO enim, qui artis criticae expers, id ſibi negotii credidit ſolum dari, vt veteres chartas omnes, veras, fictas, ſinceras, interpolatas corraderet, id exſpectari profecto non potuit. At tanto magis miror, laudatum HARENBERGIVM (l), rectioris iudicii virum, in vindicandis LVDOLPHI SAXONIS diplomatibus (m), in quibus LVDOVICVS itidem *Romanorum* REX *inuictiſſimus* vocatur, oleum operamque perdere voluiſſe (mm). Si enim vel maxime notas chronologicas ex eius ſententia reſingamus: (quod tamen in diplomatibus ſatis calidum conſilium eſt,) aeque tamen abſurde Ludouico II. Imp. quam Ludouico Germanico ab inſulſo iſtius chartae fabricatore

(g) *Infra Dipl. XXIII.*
(h) *Antiqu.* Gandersh. *p.* 290.
(i) *Hiſtor.* Gandersh. *Dipl. p.* 139.
(k) *Ibid. p.* 1685.
(l) *Ibid. pag.* 44. *ſequ.*
(m) *Infra Diplom. VI. et ſequ.*
(mm) Summa defenſionis eſt, Ludolphum, Saxoniae Ducem Romam profectum ad Sergium Papam non anno 853. Indict. 1. qui in charta illa perperam exprimatur, ſed anno 844. Ind. 7. litteras commendatitias accepiſſe non a Ludouico Germanico, cuius commendatio Romae et in Italia parum ponderis fuiſſet habitura, ſed a Ludouico II. Imperatore, Lotharii filio. Quin probabile eſſe, Ludolphum tum in ipſius Ludouici II. a patre in Italiam miſſi comitatu fuiſſe. Sed quis non videt chartae iſtius auctorem ſequutum eſſe Hroſuuitam, quae in *Carmine de fundatione eccleſ. Gandersheim. v.* 118. id iter commemorans ita cecinit?

Poſthaec acceptis PROPRII *ſcriptis* SENIORIS,
Scilicet almifici Regiſque pii Hludouuici,
Eius permiſſu cum non modico comitatu
Romam pergebant, ſanctumque patrem
viſitabant.

Ecquis vero alius fuit PROPRIVS Ludolphi Saxonis SENIOR, quam Ludouicus Germanicus? An ita Italiae Rex vocari potuit ratione Ducis Saxoniae?

BIU Cujas

catore tribuitur *Regis Romanorum* titulus, quem ſero admodum, ſaeculo puta XII. demum audiri coepiſſe obſeruamus. Immo eo anno Italiae tantum, non Romanorum regnum cum Ludouico filio communicauit Lotharius, nec vllae exſtant litterae ab hoc anno 844. ad ann. 849. quo in Imperii ſocietatem cooptatus eſt, ſcriptae a Ludouico, in quibus *Rex Romanorum* adpelletur (n). Ex quibus ſane conſequitur, vt illa Ludolphi diplomata, ſiue in illis Ludouico Germanico, ſiue alteri Imperatori tribuatur Regis Romanorum nomen, ob id ipſum non modo ſuſpecta, ſed plane falſi damnanda videantur.

VIIII. Mittimus cognomina reliqua, quibus eum a ſcriptoribus coaeuis paſſim ornari animaduertimus. Quamuis enim ſaepiſſime vocetur Rex SERENISSIMVS (o), GLORIOSISSIMVS (p), PIISSIMVS (q), CHRISTIANISSIMVS (r): ea tamen cognomina illi non magis propria fuiſſe videntur, quam alia epitheta, quibus vſus eſt OTFRIDVS, veluti dum eum ita adloquitur (s):

Ludouuig

(n) Anno 844. Ludouicus II. nondum Imperator ſed Italiae Rex a patre creatus eſt: Ado Viennenſ. *Chron. aetate VI. p.* 809. *Non multo poſt Lotharius filium ſuum, quem in Italia Regem fecerat, vt Imperatoris nomen ſortiretur per Drogonem patruum Romam miſit.* Papa vero illum quidem coronauit, ſed Regem Longobardiae, non Imperatorem, ceu teſtatur Anaſtaſ. *Vit. Sergii p.* 211. et Auctor annal. Bertin. *ad ann.* 844. adeoque errat Ado Viennenſis, qui illum eo anno Imperatorem conſalutatum eſſe tradit. Immo ne impetrare quidem tum potuit Ludouicus, vt ei fidem iurato promitterent Romani, his interſerentibus cauſſam, quod ſoli patri Imperatori iurare teneantur. Anaſtaſ. *ibid. p.* 251. Imperii diadema ac nomen eum anno demum 849. vel inſequente accepiſſe, diſerte refert Auctor Annal. Bertin. *ad ann.* 850. nec non Ioannes de Ceccano in *Chronico Foſſae nouae apud Vghell. Tomo I. Ital. S. p.* 451. qui ad annum 850. Ind. 13. *Lotharius, cum Ludouico filii imperauit annis quinque.* Vtcumque ſe res habeat, numquam Ludouicus II. vſus eſt titulo Regis Romanorum, nec annos imperii ſui vmquam ab anno illo 834. ſed ab anno 849. vel 50. numerauit, veluti in diplomate apud Vghell. *Ital. S. p.* 330. anno 851. viuo patre dato, in quo vocatur LVDOVICVS *gratia Dei Imperator Auguſtus, inuictiſſimi D. N. Lotharii filius*, et ſubſcriptio ita ſe habet: *Datum decimo Kalend. Iunii imperii Domini noſtri Lotharii Sereniſſ. - - - 32. imperii Domini noſtri Ludouici Imperat. - - ſecundo Indict.* 14.

(o) *Infra Dipl.* 1. 2. 5. 11. *ſequ.* 29. 41. *ſequ.* 44.

(p) *Infra Diplom.* 3. 8. 9. *ſequ.* 16. *ſequ.* 25. 30. 42. 44. 45. 48.

(q) *Infra Dipl.* 4. 19. 35. *ſequ.*

(r) Regino *Annal. ad ann.* 876. *Chronograph. Saxo ad eumd. ann.*

(s) *Praefat. euangel. ad Ludou.* v. 1. et 25.

BIU Cujas

Ludouuig ther SNELLO,
Thes nuiſduames folle:

Ludouicus AGILIS,
Sapientiaeque plenus.

itemque EDIL FRANCKO, *uuiſero githanka*, *nobilis Francus ſapientum cogitationum.* Sunt tamen, qui illum PII cognomen aeque ac patrem, tuliſſe, obſeruant, quibus omnino ſuffragatur MONACHVS SANGALLENSIS (t), dum de Ludouico noſtro: *Sed*, inquit, *quum ita ſe obtulerit occaſio, vt neceſſario memoria fiat glorioſiſſimi patris veſtri* HL. AGNOMINE PII, *vel bellicoſiſſimi proataui veſtri, Pippini iunioris, de quibus propter ignauiam modernorum grande ſilentium eſt, omnia intacta praeterire nefarium iudicaui.* Mec minus HEPIDANNVS (u), qui alias ſtrictiſſima breuitate omnia perſequitur: *Anno* 876. inquit *Ludouicus* PIVS, *Rex Germaniae obiit.* Quae totidem paene verbis et in CHRONICO SANGALLENSI (x) leguntur. Nimirum in huiuſmodi agnominibus bonis principibus tribuendis non parci eſſe ſolent ciues: quamuis non ſtatim propriorum induant indolem. Id tamen omnino laudi cedit LVDOVICO noſtro, quod quum illis atque inſequentibus temporibus Francorum Reges a corporis animique vitiis CALVI, CRASSI, BALBI, SIMPLICES, IGNAVI dicerentur, noſter id deberet virtuti fortunaeque ſuae, vt nullo elogio alio, quam quod eius pietatem, ſapientiam, et fortitudinem celebraret, a ſcriptoribus vetuſtis ornaretur.

(t) *Vit.* Caroli *M. lib. II. cap.* 11. *pag.* 589.
(u) In *Annal. ad ann.* 876.
(x) *Apud* Du Cheſne *Tomo III. pag.* 469.

* * * * * * * * * *

CAP. II.

DE LVDOVICI GERMANICI MAIORIBVS ET NATALIBVS.

I.

HAec de LVDOVICI noſtri nomine, cognominibus ac titulis dicta ſufficiant. Proximum eſt, vt de eiuſdem maioribus ſplendidiſſimiſque

BIU Cujas

didiſſimiſque natalibus, et tempore, quo lucis huius vſura frui coepit, quaedam commentemur. Et paterna quidem eius origo tam eſt in vulgus nota, vt verear, ne otii mei parum rationem habuiſſe videar, ſi enucleandae illi familiae, poſt fratres gemellos doctiſſimos, SCAEVOLAM et LVDOVICVM SAMMARTHANOS (a), et virum celeberrmum, Io. DAVIDEM KOELERVM (b), operam aliquam impenderem, quum hi aliique viri docti, vix quidquam, quod huc pertineat, indiſcuſſum reliquiſſe videantur. Quare pauca, eaque ſelectiora, delibaſſe ſuffecerit, ne lectori rei genealogicae minus curioſo plane obſcura ſit origo Principis potentiſſimi.

II. Patrem noſter habuit LVDOVICVM PIVM, Imperatorem et regem, non minus fatorum fortunaeque viciſſitudine, quam pietate rebuſque geſtis memorabilem: auum CAROLVM M. qui primus Auguſtam dignitatem genti ſuae feliciſſimis auſpiciis intulit: proauum PIPPINVM, primum Maiorem Domus, ac deinde primum ex ea familia Francorum regem: abauum CAROLVM MARTELLVM, Maiorem Domus potentiſſimum, et cui ad ſummum inter homines faſtigium, praeter regium nomen nihil omnino defuit: atauum denique PIPPINVM HERISTALLIVM, Maiorem Domus, quem quidem ANSEGISI Ducis filium, S. ARNVLFI, Metenſium epiſcopi, nepotem fuiſſe, inter omnes conſtat. Et hunc quidem S. ARNVLFVM, cuius oſſa Metis in capella S. Ioannis, poſtea a S. Arnulfo nomen ſortita quieſcunt (c), anno 641. ex hac rerum humanarum caligine ad coeleſtem lucem euolaſſe comperio. Et hactenus quidem omnia certa atque extra dubitationis aleam poſita ſunt. Quae de maioribus S. Arnulfi referuntur ab auctoribus GENEALOGIAE S. ARNVLFI (d) et libelli DE MAIORIBVS DOMVS (e), quamuis a Caroli M. temporibus pro certis credita, non perinde indubia ſcriptorum aequalium auctoritate nituntur. Nimirum S. ARNVLFO patrem fuiſſe aiunt ARNOLDVM, Ducem et Comitem anno circiter 601. rebus humanis exemtum: auum ANSBERTVM Senatorem: proauum FERREOLVM, Senatorem et praefectum Praetorio Galliarum, poſtea CHLODOVAEI M. teſte PAVLLO DIACONO (f), generum. Hos ARNVLFI

(a) *Dans l'hiſtoire genealogique de la Maiſon de France Tom. I. liv. 6. et 7. pag. 193. et ſuiv.*

(b) *Diſſ. de famil. Aug. Caroling.*

[c] Meuriſſe *Hiſt. des eveques de Mets ad ann. 641.*

(d) *Apud* P. Pithoeum *in XII. Script. hiſt. Franc. p. 219.*

(e) *Apud eumd. p. 226.*

(f) *De Epiſc. Metenſ. ſub Agiulfo.*

BIU Cujas

ARNVLFI maiores etiam laudatissimi FRATRES SAMMARTHANI hoc ordine recensent : quorum stemma si verum est, multo altius ex ipso saeculo IIII. repeti poterit Carolingorum origo. TONANTII enim FERREOLI, praefecti praetorio Galliarum circa annum 450. meminit SIDONIVS APOLLINARIS (g), quem FERREOLI istius patrem fuisse, ipsa temporum ratio ostendit. Eius porro pater, itidem FERREOLVS, praefectus praetorio Galliarum, ab eodem laudatus SIDONIO (h) vxorem habuit, FL. AFRANII POSTVMI SVAGRII, anno 381. et sequente consulis, filiam, cuius tamen ipse nomen haud expressit. Habemus ergo longam S. Arnulfi maiorum seriem, quam, quantumuis a viris doctissimis acriter adsertam (i), nos quidem veram

(g) *Lib. I. Epist. 7. et lib. VII. Epist.* 12.

(h) *Carm. XXIIII. v. 35. sequ. et lib. I. Epist. 7.*

(i) In adserendis istis S. Arnulphi maioribus toti sunt Bouchetus, Fratres Sammarthani, M. Ant. de Domincy in *Ansberti familia redintegra* Iac. Chifletius in *Adpend. ad Lum.* Salica, et alii, de quibus Io. Dau. Koelerus in prologo galeato *dissert. de augusta familia Carolingorum* praemisso. Nullus tamen horum testimonia auctorum eius aeui attulit, omnes libellorum supra adlatorum *Vitae S. Genulfi* apud *Duchesnium Tom. IIIo p.* 456. similiumque auctoritate nituntur. Operae pretium tamen fuerit, fabulosas istas origines hoc schemate ob oculos ponere:

FLAV. AFRANIVS SYAGRIVS
Consul anno 381. et sequente.

FERREOLVS Praefectus praet. Galliae. Sidon. *Carm. XXIIII. v.* 35. = N. filia, nupta Ferreolo.

TONANTIVS FERREOLVS Praef. praet. Gall. circa ann. 450. de quo Sidon. lib. I. Epist. 7.

FERREOLVS Senator, gener Chlodouaei M. et pater Ansberti.

ANSBERTVS, Senator.	Deotricus, Episc. Arisitens.	Firminus, Ep. Vsitiensis.	Agiulfus, Episcop. Metens.	Gamardus.	Raginfredus.
					Nummolus patricius.
ARNOALDVS Dux et comes † 601.	Ferreolus Episc. Vset.	Modericus Episcop. Arisit.	Godo.	S. Goericus Episc. Metens.	

S. ARNVLFVS, Episcopus Metensis, demum Eremita † 641. = DODA, postremo monialis.

BIU Cujas

ram praestare nolimus, fassi tamen, S. Arnulfum, ante Episcopatum summa in aula Clotharii II. regnoque Austrasiae dignitate functum, (k) splendidis procul dubio natalibus atque antiquitate generis claruisse. (l) Nimirum latitant plerumque, vti maximorum fluminum, capita, ita et illustrissimarum gentium origines, vt viri etiam doctissimi in eas saepenumero coniecturis magis, quam certis rerum argumentis, penetrare videantur.

III. Quum vero hactenus ea omnia, quae de Carolidarum familia dici possent, iam dudum a viris doctissimis occupata sint: id nobis relictum esse animaduertimus, vt de illustrissimis, quae inter LVDOVICI nostri maiores numerantur, feminis quaedam non vbiuis obuia adiiciamus. Priorem LVDOVICI Pii vxorem, quae praeter LOTHARIVM IMP. PIPPINVM, Aquitaniae Regem, et ALPAIDEM, Begoni Parisiensium Comiti nuptam, LVDOVICVM nostrum peperit (m), ERMENGARDIM dictam, satis notum ac peruulgatum est. Eam THEGANVS (n), scriptor σύγχρονος vocat *filiam nobilissimi ducis*, INGORAMMI (o), *qui fuerit filius fratris* RVTHGANGI, *sancti Pontificis*. Eamdem astronomus, vitae LVDOVICI Pii auctor (p), *claris*

(k) Paull. Diac. *in vit. Episc. Met. p.* 201.

(l) *Vit.* S. Arnulfi *apud Sur. Tomo IIII. p.* 723.

[m] Fratres Sammarthani in *Historia genealogica Domus Francicae lib. VII. pag.* 260. *Tomo I.* eamdem enixam esse scribunt ADELHEIDEM, vxorem primum Conradi, Comitis, fratris Iudithae Imperatricis, postea Roberti Fortis, Ducis, ALPAIDEM, Begoni Comiti nuptam, simulque Abbatissam S. Petri Rhemensis, GISELAM, Eurardo Cisonienſi nuptam, et HILDEGARDIM, vxorem Theoderici comitis. Sed vti certum est, GISILAM, Eurardi Cisonienſis vxorem Iuditham matrem habuisse, quia et Agnellus apud Muratorium *Script. rer. Italic. Tomo II. pag.* 185. eam *Iudithae Augustae filiam*, et ipsa in charta Cisonienſi apud Dacherium *Spicileg. Tomo XII. pag.* 496. Carolum Caluum *germanum suum* vocat, nec minus exploratum habemus, Alpaidem ex Hilementrude natam esse, quia iam anno 817. quo Bego eius maritus, teste Annalista Hildesheimenſi, ad plures abiit, eam duos filios LETARDVM et EBERARDVM habuisse, ex Flodoardi *Hist. Remens. eccl. lib. III. cap.* 46. *discimus*: ita de HILDEGARDE et ALPAIDE [Adelheide] incertissimum Hermingardis, an Iudithae filiae fuerint. Salum nullum adhuc veteris scriptoris testimonium occurrisse fateor, ex quo alterutrum colligi posse videatur.

[n] De gestis Ludou. Pii *cap.* 5. *pag.* 297.

[o] Ita plerumque hoc nomen scribitur, Aliquando tamen veteribus memorantur INGIRAM, veluti apud Goldastum *Script. rer. Alam. Tomo II. pag.* 102. aliquando ENGIRAM, vnde transpositis litteris facile nasci potuit NIGRAMMI nomen, quo auctor vitae Ludouici vsus est.

[p] *Ad annum* 796. *p.* 345.

BIU Cujas

claris ortam natalibus, vtpote filiam NIGRAMMI *Comitis* fuisse, refert. Iam PAVLLVS DIACONVS (q), qui Caroli M. temporibus floruit, et non multum a Chrodogangi Metensis Episcopi aetate abfuit, eius patrem diserte vocat SIGRAMMVM, *in pago Hasbanienſi ex genere primae nobilitatis Francorum progenitum*, matrem LANDRADAM, quam SIGEBERTVS GEMBLACENSIS (r) et ALBERICVS Trium fontium monachus (s), Caroli Martelli filiam fuisse testantur, dum Chrodogangum, Episcopum, *Pippini ex Landrada ſorore nepotem* adpellitant. Patrem Ingorami CHIFLETIVS vocat SIGRAMMVM II. sed sine auctore. Porro ex CHRONICO LAVRESHAMENSI (t) discimus, Chrodogango fratrem fuisse GVNDELANDVM, cui ille Abbatiam illam Laureshamensem cesserit, mortuum anno circiter 879. Denique ipsius ERMENGARDIS fratrem germanum fuisse IOSVAM, Abbatem S. Vincentii ad Vulturnum, ex Chronico istius monasterii apud DVCHESNIVM (u) intelligimus. Plura de ERMENGARDIS stirpe nos quidem expiscari non potuisse, fatemur, quamuis si quid coniecturis dare liceat, vix dubitemus, quin inter eius vel fratres vel ex fratre nepotes fuerit INGORAMMVS Comes, quem veteres *Caroli Calui Camerarium et domeſticiſſimum* vocant. Nam et nomen, cuius in studio genealogico non minimum momentum est, fauet, et vix verosimile est, eum LVDOVICI nostri, quam Caroli, Domini sui, studiosiorem fuisse futurum, illumque sollicitaturum aduersus fratrem fuisse, nisi ipsa illum necessitudo in Ludouici partes feciſſet procliuiorem. Quandoquidem tamen id anno demum 875. factum esse, refert AIMONIVS (x): INGORAMMVM LVDOVICI nostri consobrinum potius, quam auunculum, fuisse, probabile est, nisi fratrem Ermengardi sorori sexaginta paene annis superstitem fuisse, statuere velimus (y).

[q] *De Epiſc. Metenſ. p. 59. apud* Calmet. *Hiſt. Loth. T. I. in probat.*
[r] *Chron. ad ann. 743.*
[s] *Chronic. ad ann. 739.*
[t] *Chron. Laurisham. p. 96.*
[u] *Script. rer. Franc. Tom. III. pag. 681.*
[x] *Lib. V. cap. 32.*
(y) Ex his ergo, quae hoc §. diſſeruimus, hoc stemma exsurgit

CAROLVS

IIII. Auia paterna LVDOVICI, (maternae enim nemo veterum, quod sciam, meminit,) fuit HILDEGARDIS, quae anno 771. post nescio quamdam Francam et Sybillam Langobardicam in Caroli M. Imp. torum adscita, postquam ei praeter Ludouicum Pium eiusque fratrem gemellum Lotharium, biennio post defunctum, Carolum natu maximum, Pippinum, Italiae regem, nec non Rotrudim, Bertham, Giselam, Adelheidem et Hildegardim filias peperit (z), anno 783. diem obiit supremum (a). Eam EGINARDVS (b) *praecipuae nobilitatis feminam de gente Sueuorum* fuisse, scribit. THEGANVS (c) vero eius originem paullo adcuratius his verbis describit: *Cum in iuuentute erat supradictus Imperator, sibi iunxit nobilissimi generis Sueuorum puellam, nomine* HILTEGARDAM, *quae erat de cognatione* GOTHEFRIDI, *Ducis Alaman-*

CAROLVS MARTELLVS
Maior Domus ob. 741.

PIPPINVS Rex Franc. ob. 768.

LANDRADA.

SIGRAMMVS Comes in pago Hasbanensi.

CAROLVS M. Imp. ob. 814.

N. Comes, quem Chifletius *Sigrammum II.* sine auctore certo vocat.

GVNDELANDVS Abbas Lauresham. † 879.

Chrodogangus, Metens. archiepiscopus.

INGORAMMVS vel NEGRAMMVS comes.

LVDOVICVS Pius, Imperator, duxit Ermengardim anno 796.

ERMENGARDIS Imperatrix. ob. 818.

Ioſua, Abbas S. Victorii ad Vulturn.

N. Ermengardis frater vel soror.

Ingrammus Comes, Caroli Calui Camerarius et domesticissimus. 875.

Lotarius, Imp. natus 796.

Pippinus, Rex Aquitaniae.

LVDOVICVS Germanicus.

Alpais, nupta Begoni Com. Paris.

(z) Paull. Diac. *de Episc. Metens.*
(a) *Dipl. apud* Mabillon. *de re dipl. lib.* II. *cap.* 26. §. 1.
(b) *Vit. Caroli cap.* 18.
(c) *De gestis Ludouici cap.* 2. *p.* 296.

BIU Cujas

Alamannorum. GOTHEFRIDVS *Dux genuit* HOVCHINGVM, *Houchingus genuit* NEBI, *Nebi autem genuit* IMMAM, *Imma vero peperit* HILTHEGARDAM, *beatissimam reginam.* Habemus itaque matrem Hildegardis IMMAM, eamque NEBI filiam, HOVCHINGI neptem, proneptem denique GODOFREDI, Alamannorum Ducis, cuius aetatem ex ECCARDI (d) calculo in medium saeculum septimum incidisse oportet. Ex his NEBI, Ducis, (quod ab aliis non video esse obseruatum), meminit WALAFRIDVS STRABO, Abbas Augiensis (e). Quum enim narrasset, Waltramum quemdam Comitem, tractus illius, in quo monasterium S. Galli conditum est, dominum, Othmarum Abbatem a Victore, Curiensium comite, impetrasse: statim pergit: *Postmodum consilio cuiusdam Ducis, nomine* NEBI *persuasus ad praefatum Principem Karolum cum eodem Duce properauit, ipsique eamdem cellam proprietatis iure contradidit, et vt Othmarum presbyterum eidem loco praeficeret, exorauit.* Floruit ergo NEBI Dux, quum Othmarus Abbas coenobio S. Galli praeesse coepisset, id quod anno 720. contigisse, docet IOACH. VADIANVS (f), et quidem viuente adhuc Carolo Martello, Principe seu Maiore Domus, adeoque ante annum 741. quo hic rebus humanis excessit. Porro obseruasse mihi videor, NEBI Ducem successorem habuisse GODOFREDVM. De eo enim ERMENRICVS ELVVANGENSIS (g): *Post obitum glorioſi regis Pippini, filiis eius litigantibus, erectus est Huotilo in Ducatum Boioariorum, et* GOTEFREDVS *in regimine Alamannorum, sicque orta magna seditione inter Boioarios et Alamannos, deuastantibus et depraedantibus seu spoliantibus omnia, quae in marchis duorum regnorum consistebant, minime quiuit Theodorus, fidelis monachus S. Galli custodire locum Campidonensem, propter varias persequutiones.* Id factum oportuit anno 720. antequam Thassilo cum Carolo M. in gratiam rediret, quia insequente anno Carlomannus, eius frater, quocum illi simultates aliquamdiu intercesserant, iam ad plures abiit. Quum vero ex LEGE ALAMANNORVM (h) pateat, eam tum fuisse Ducatus Alamannici formulam, vt filius, nisi se eo principatu rebellione indignum reddidisset, matri succederet: recte inde

(d) *Orig. Habsp. lib. I. cap. 5. pag. 23.*
(e) *De Miracul. S. Galli lib. II. cap. 11.*
(f) *In Chronol. Abb. S. Galli* apud Goldast. *tom. I. pag. 92.*
(g) Apud Goldast. *ibid. pag. 201.*
(h) *Tit. 35.*

BIU Cujas

colligere nobis videmur, et Godofredum hunc NEBI filium, IMMAE fratrem fuisse, (id quod et nomen GOTHOFREDI, illi cum proauo commune, confirmat,) et HOVCHINGVM non minus, quam GOTHOFREDVM patrem et NEBI filium ad Ducatus fastigium peruenisse. Mirum vero est, THEGANVM solam HILDIGARDIS matrem nominasse contentum, patris, cuius tamen nomen procul dubio satis compertum habuit, ne verbo quidem meminisse. Id vero non sine iusta ac sontica caussa factum esse oportuit. Idque me mouet, vt suffragari non possim viro eruditissimo Io. BLONDELLO (i), Childebrandum suum IMMAE maritum fuisse suspicanti. (k) Cur enim id dissimulasset THEGANVS? Cur ad ostendendam Hildegardis nobilitatem non potius CHILDEBRANDVM, Pippini filium, Caroli Martelli fratrem, quam IMMAM Ducis filiam protulisset? Immo ne Sueua quidem ab EGINARDO et THEGANO dici potuisset HILDEGARDIS, si patrem habuisset CHILDEBRANDVM, quippe quem in Alamannia vixisse nemo veterum memoriae prodidit. Vt ergo in re tam obscura ipse quoque diuinationem aliquam proferam: mihi equidem non est dubium, patrem HILDIGARDIS, quisquis fuerit, facinore aliquo parum laudabili effecisse, vt THEGANVS eius memoriam supprimendam esse crederet. Iam illo tempore, testibus RATPERTO (l), WALAFRIDO STRABONE (m), et ERMENRICO (n), in isto Alamanniae tractu potentia eminebant duo Comites, WARINVS ET RVTHARDVS, qui, vt ait WALAFRIDVS, *tunc temporis totius Alamanniae curam administrabant*, quique captum S. Othmarum falsis criminibus oppresserant, eoque scelere non ipsi modo meruerant, vt ab ERMENRICO PESSIMI COMITES vocarentur, sed et toti posteritati suae veluti notam quamdam ac maculam perpetuam inusserant. Saltim ECKARDVS

(i) *Praefat. Apologet. geneal. Franc.* XXXIIII. 3.

(k) Duplici enim argumento, vel coniectura potius nititur Blondellus. Primo, quod recentiores tantum non omnes patrem HILDIGARDIS vocent HILDEBRANDVM. Deinde, quod Childebrando fuerit filius NEBILVNGVS, quem ab auo, NEBI Duce id nomen obtinuisse probabile sit. Enimuero, recentiorum somniis, certo auctorum veterum testimonio destitutis, ne BLONDELLVS quidem in re tam antiqua crediderit. Nomen vero solum, si alia desint argumenta, rem non conficere, nemo negauerit.

(l) *De Casibus S. Galli cap.* 2.

(m) *De vita S. Othomari cap.* 4.

(n) *Supplem. vitae S. Magni cap.* 14.

BIU Cujas

KARDVS iunior S. Galli monachus (o) et de CONRADO I. Rege notat, *eius parentes fuisse, qui S. Othmarum vexarint*, et idem exprobrat PERCHTOLDO et ERCHANGERO Comitibus, postea capitis damnatis, et WOLFHARDO Comiti eiusque filiis WOLFHARDO et HEINRICO exprobrat, eosque *carnificum illorum filios* fuisse dicit, additque eos quotannis ob maiorum suorum facinus censum capitis ad sepulcrum S. Othmari offerre iussos. Horum ergo Comitum alterutrum NEBI Ducis filiam IMMAM duxisse, ex eaque Hildegardim filiam suscepisse, ac ob factam S. Othmaro iniuriam THEGANO indignum visum esse, cuius inter Ludouici Pii maiores faceret mentionem, crediderim. Enimuero vti haec cuiusque iudicio submittimus: ita multo certius est, duos fuisse HILDEGARDI fratres, VDALRICVM et GEROLDVM. De priore enim monachus S. Galli, qui vitam CAROLI M. scripsit (p): *Ex certis autem caussis quibusdam plurima tribuit, vt* VDALRICO, *fratri Magnae* HILDEGARDAE, *genitricis regum et Imperatorum. De quo quum post obitum ipsius Hildegardae pro quodam commisso a Karolo viduaretur honoribus, quidam scurra in auribus misericordissimi K. proclamauit: Nunc habet Vdalricus honores perditos in oriente et occidente, defuncta sua sorore. Ad quae verba illacrymatus ille, pristinos honores statim illi fecit restitui.* De posteriore autem GEROLDO; quem veteres *Caroli M. Imperatoris consanguineum et signiferum* (q) vocant, *Hildegardis reginae germanum* fuisse, diserte adfirmant RATPERTVS (r) et WALAFRIDVS in epistola ad Grimoaldum Abbatem S. Galli apud GOLDASTVM. Ceterum hunc GEROLDVM Boioariae praefectum a Carolo M. anno 799. ab Hunnis circumuentum occubuisse, et postea ex S. Wettini monachi Augiensis visione inter martyres relatum esse, in omnibus paene eorum temporum annalibus adnotatum esse animaduertimus. Et haec sunt, quae de HILDEGARDIS familia mihi scriptores chartasque veteres non perfunctorie lustranti occurrerunt (s). Quae enim recentio-

(o) *De Casib. S. Galli cap.* 1.

(p) *Lib. I. cap.* 13. *pag.* 544. *edit. Hahnii.*

(q) *Vita S. Meinuuerci apud Leibnit. Script. Rer. Br. tom. I. pag.* 545.

(r) *De casibus S. Galli cap.* 3. *pag.* 3.

(s) Ea vero omnia vt vno obtutu a lectore possint perspici, ex instituto nostro breui tabellae includimus:

GOTHO-

GOTHOFREDVS, Dux Alamanniae medio saeculo VII.

HOVCHINGVS, Dux Alamanniae.

NEBI, Dux Alamanniae sub Carolo Martello.

IMMA ex nostra sententia siue Warino siue Rudhardo Comiti Alam. nupta. (t)

Gothofredus, Alamanniae Dux circa annum 770.

CAROLVS M. Imperator. = HILDEGARDIS Regina et Imperatrix anno 771. obiit anno 783.

Vdalricus sorori superstes, honoribus a Car. M. priuatus, mox restitutus.

Geroldus, signifer Imp. Comes et Marchio in Boioaria, occisus ab Hunnis anno 799. 14. Kal. Ian. Necrol. Hildesh. ap. Leibnit. *tom.* I. *pag.* 787.

Carolus † 811.

Pippinus, Rex Aquit. † 810.

LVDOVICVS Pius Imp. † 840.

LVDOVICVS Germanicus.

Lotharius, Ludouici frater gemellus † 760.

Rotrudis.

Gisila.

Adelheid.

Hildegard.

(t) Multa tamen suadere videntur, vt RVTHARDVM potius, quam WARINVM, Immam duxisse credamus. Hic enim posteros reliquit Guelphos. HILDEGARDIS videtur vnica parentum suorum filia fuisse, quippe quae luculentam hereditatem, partem puta Alamanniae haud poenitendam dotis loco Carolo M. attulit. Didicimus hoc ex fragmento *libri MSC. de reliquiis ecclesiae S. Dionysii Episcopi et martyris* apud Duchesn. *tom.* III. *pag.* 385. vbi auctor satis antiquus refert, Carolum M. *corpora Cucufatis et Hippolyti Martyrum Roma transferre disposuisse in partes illas Alamanniae, quas prae ceteris dilexerit, praesertim quia ipsum specialiter ex parte* VXORIS *suae* IVRE HEREDITARIO *contigerint.* Exstat quidem Ruthardi huius chartae apud Goldast. *Rer. Alam. tom.* II. *chart.* 42. *et* 59. *pag.* 38. *et* 45. in quibus infantis vel filii sui meminit: sed is potuit ad iustam aetatem non peruenisse. Ibidem hic Ruthardus patrem suum BAINONVM vocat. Nec ipsa charta rem ideo reddit ambiguam, quod uthar-

BIU Cujas

recentiores hic somniant, ne digna quidem videntur, quibus recensendis diutius immoremur.

V. Vt et de reliquis LVDOVICI nostri progenitricibus pauca, quae ex antiquitatis parietinis eruere licuit, dicamus: satis quidem nota est eius proauia BERTRADA seu BERTHA, Pippini regis vxor, mater Caroli M. Carolomanni, Pippini anno 759. defuncti, itemque filiarum Rothaidis, Adelheidis et Gisilae: at illustrissimae istius feminae origo multo magis, quam reliquarum omnium, obscura est. Eam enim alii HERACLII Imp. alii nescio cuius FLORI, Hungarorum Regis filiam fuisse, contendunt, ridicula, ceu omnes prudentiores fatentur, coniectura (u). Ne SAMMARTHANI quidem fratres (x), qui nihil fecerunt reliqui, vt non nisi comperta scriberent, eius parentes perquisitare potuerunt, id vnum sibi liquere professi, BERTRADAM illam non peregrinam, sed gente Francam fuisse, quum alias STEPHANVS Papa III. (y) ad Carolum M. et Carolomannum fratres scribere non potuisset: *Etenim* NVLLVS *ex vestris parentibus, scilicet neque auus vester, neque proauus, sed* NEC VESTER GENITOR, *ex alio regno vel extranea natione coniugem accepit.* Certissimum ergo est, Francam fuisse hanc BERTHAM seu BERTRADAM, et mirum est, eius patrem fugere potuisse SAMMARTHANORVM diligentiam, quum AVCTOR ANNALIVM BERTINENSIVM (z) eum nominatim iam pridem indicarit, his verbis: *anno* 749. *Pippinus coniugem duxit* BERTRADAM, *cognomine* BERTAM, CARIBERTI *Laudinensis comitis filiam.* Cui testimonio non exiguum profecto pondus accedit ex tabulis monasterii Prumiensis, in quarum vna, scripta *d.* 13. *Aug. anno* 11. *regnante*

Ruthardus ille vniuersa bona sua hereditaria et adquisita ea lege offert monasterio S. Galli, vt ipse et liberi de illis certum monasterio seruitium praestent. Potest enim et sub hoc seruitio saluum esse ius hereditarium.

(u) Quum enim HERACLIVM Imp. anno 641. diem obiisse supremum testetur Cedrenus *Comp. Hist. pag.* 354. *edit. Xylandri.* BERTHA vero vel BERTRADA apud Carolum M. filium consenuerit, anno demum 783. 4. Id. Iulii defuncta: Annal. Met. *ad ann.* 783. Annal. Fuld. et Reuber. *ad eumd. ann.* quis crederet, filiam 142. annis superstitem fuisse? Florum porro omnes annales eorum temporum ignorant. Nec credibile est Pippinum mulierem paganam et a pietate Christiana alienam in torum recipere voluisse.

(x) *Lib.* VII. *pag.* 226. *tom.* I.

(y) Du Chesne *Script. Rer. Franc. tom.* III. *pag.* 761.

(z) *ad ann.* 749.

Heineccii Opusc. postum.

BIU Cujas

nante Pippino glorioſiſſ. rege (a) Pippinus *Rex Francorum vir illuſtris* vna cum *coniuge ſua* BERTRADA monaſterio illi donat *res proprietatis ſuae in pago Choroſuilla tam illam portionem, quae Pipino de Carolo genitore ſuo aduenerit, quam et illam portionem ipſius* BERTRADAE, *quam genitor ſuus* HERIBERTVS *ei in alode dereliquerit.* Itaque Bertrada patrem habuit CARIBERTVM vel, quod idem nomen eſt, HERBERTVM, Comitem Laudunenſem, qui et in Lotharingia in pago *Choroſuilla* praedia poſſedit. Eius vero non modo in illo Pippini diplomate fit mentio, verum etiam in alio antiquiore *d.* 23. *Iun. anno primo regni Theoderici regis* confecto (b), in quo etiam matrem eius BERTRADAM *ſeu* BERTAM, et in ſubſcriptione BERTRADANEM dictam eruimus. Plura nos ſcire fatemur iuxta cum ignariſſimis. Nec magis nos perſpectam habemus originem abauiae et atauiae, quarum illam fuiſſe ſuſpicantur CHROTRVDEM vel ROTHRVDEM (c), hanc ALPAIDEM dictam eſſe; ſatis conſtat, quamuis, iuſtane haec PIPPINI VXOR, an pellex fuerit, inter viros doctos, et maxime inter CHIFLETIVM et BLONDELLVM acrius diſputatum eſſe, meminerimus. Id ſatis nobis videmur exploratum habere, falſos eſſe fratres Sammarthanos, duas CAROLO MARTELLO tribuentes iuſtas vxores, GELTRVDEM et SVANECHILDIM, Odilonis Boioariae Ducis filiam, et ex hac poſteriore omnes, quos habuit, liberos prodiiſſe exiſtimantes (d). Nam nec GEL-

(a) Calmet. *Hiſt. eccl. Lotharing. in Probat. tom.* I. *pag.* 277.

(b) *Ibid. pag.* 269.

[c] *Annal. Tilian. ad ann.* 725. apud Ducheſn. *Tomo II. p.* 7.

[d] Scribunt SAMMARTHANI *lib. VI. p.* 213. *Tomo I. Charles Martel fut marié deux fois. La premiere avec* GELTRVDE, *qui n'eſt autrement deſignée par l'hiſtoire. La ſeconde avec* SVANECHILDE *de Bauiere, laquelle fut ſa femme legitime, et non pas concubine, ainſi qu'aucuns ſe ſont perſuadés. Elle eſtoit fille d'Odilon Duc de Bauiere.* At primae vxoris nomen ignoratur, nec quiſquam, quod norim, eam Geltrudim dixit, quamuis ſint, qui huc trahant verba Annalium Tilianorum: *Quando Karolus primum fuit in Bauarios*, et CHROTRVDIS *moritur*, et Annalium Nazariorum *pag.* 3. HROTRVDIS *mortua.* Deinde reliqui, quos notauimus, Sammarthanorum lapſus omnes in oculos incurrent, ſi paullo accuratius expenderis illa Eginardi *in Annal. ad ann.* 741. *Hoc anno Carolus, maior Domus, diem obiit, tres filios heredes relinquens,* CAROLOMANNVM *ſcilicet,* PIPINVM *atque* GRIFONEM, *quorum Grifo, qui ceteris minor natu erat, matrem habuit, nomine* SVANIHILDEM, NEPTIM *Odilonis, Ducis Boioariorum.* Nec non locum ex Annal. Meteni. *ad ann.* 741. *Carolus adhuc viuens quum inter filios ſuos Carlomannum et Pippinum principatum ſuum diuideret, tertio filio ſuo* GRIPPONI, *quem ex* SONIHILDE, *quam*

de

GELTRVDIS nomen in ſcriptoribus veteribus reperit praeſidium, nec Suanechildis iuſta CAROLI MARTELLI vxor, nec ODILONIS Baioariae Ducis filia, nec vllius filii, quam GRIFONIS mater exſtitit. ALPAIDEM etiam a PIPPINO Heriſtallio in torum receptam, fratrem DODONEM, S. Lamberti, Leodienſium Epiſcopi, percuſſorem hahuiſſe (e), nec humili genere ortam eſſe (f), ſatis certum eſt. At celeberrima omnium totius Carolingicae Domus progenitrix S. BEGGA, Anchiſae vxor, nurus S. Arnulfi, ex ea prognata gente, cui id diuinitus fuerat datum, vt tot viros feminaſque ſanctitatis laude illuſtres, quot homines produceret. Patrem enim habuit S. PIPPINVM Landenſem, maiorem Domus, mortuum anno 646. matrem S. ITTAM, duodecimo ab exceſſu mariti anno, qui aetatis erat ſexageſimus, defunctam (g), ſororem S. GERTRVDEM Niuellenſem Abbatiſſam, quae anno 664. die 17. Martii iuuenis, ſed incredibili ſanctitatis fama deceſſit; fratrem GRIMOALDVM, maiorem Domus, quem impotens dominandi libido, prauumque conſilium, imperium CHILDEBERTO filio vindicandi peſſumdedit (h): denique cognatos cognataſque quam plurimos, quos Eccleſia Romana tantum non omnes, in caelitum numerum relatos, religioſe colit. Ipſa quoque BEGGA, marito orba, velum more ſaeculi ſumſit, et tantam ſibi ſanctimoniae opinionem peperit, vt ipſa quoque caelitibus adſcriberetur. Vere ergo hanc gentem quoddam caelitum veluti ſeminarium dixeris, quorum vberrimum prouentum in tabula ſiſtere operae pretium fuerit (i). Et hae quidem ſunt illuſtriſſimae matronae, quae inter LVDOVICI noſtri maiores numerantur. De ſancti enim ARNVLFI vxore, DODA, nihil memoriae proditum reperio, quam quod gente Sueua fuerit, ac demum, exemplum ſequuta ma-

de Bauaria captiuam adduxerat, habuit, ſuadente eadem CONCVBINA *ſua, partem ei in medio principatus ſui tribuit, partem videlicet aliquam Neuſtriae, partemque Auſtraſiae et Burgundiae.* Rem omnem confecit v. c. Io. Dau. Koelerus in *Diſſertatione de Auguſta familia Carolingorum p. 19. ſequ.*

[e] Sigeb. Gemblac. *ad ann. 698.*

[f] Contin. Fredegar. *cap. 103.*

[g] Vita S. Gertrudis *Niuell.* apud Surium *d. 17. Mart. pag. 302. ſequ.*

[h] Fredegar. *cap. 83.* Aimon. *lib. IIII. cap. 37. et 42.*

[i] Iam pridem de hoc ſtemmate PIPPINI Landenſis bene meritus eſt Aubert. Miraeus *Notit. Eccleſ. Belg. cap. 8. p. 640. edit. Foppenii.* Nos vero illam ex ipſis Sanctorum vitis de nouo confecimus ſuppleuimuſque.

CARO-

BIU Cujas

CAROLOMANNVS Princeps, Vx. ERMEGARDIS. Vit. Pippini d. 21. Febr. p. 1052. Ac in vita S. Ermelindis d. 29. Oct. p. 1078. Pippini pater vocatur Ermenoldus, mater Ermelindis.

S. PIPPINVS Laudensis, maior Domus † 646. — AMALBERGA, nupta WALBERTO.

VXOR S. ITTA. Vita S. Gertrud. d. 17. Mart. p. 302. † 658. — WALBERTVS VX. BERTILIA. Vit. S. Theodorati p. 188. — S. AMALBERGA, nupta VITGERO, Comiti. Vit. S. Gertrud. p. 367.

GRIMOALDVS, maior Domus, ob consilium Beggae sorori filium Regem creandi periit. Fredegar. et Aimon. — S. GERTRVDIS, Nivellensis, S. Beggae nupta Anchisae vel Ansegisi, de cuius Arnulfi p. 220. mum monia apud Sur. d. 17. Mart. — S. BEGGA, nupta ANCHISAE vel ANSEGISI, de cuius Arnulfi p. 220. mum monia apud Sur. d. 17. Mart. — S. WALTETRVDIS Abbatissa Melbodis, vx. S. Vincentii d. 30. Ian. Vita S. Gudulae p. 168. — S. ADELGVNDIS Abbatissa Melbodis, vx. S. Vincentii. † 664. Sonegiensis † 670. Vit. Gudulae p. 168. — S. EMEBERTVS. Episcopus Vit. S. Gudal. p. 167. — S. REINELDIS. RAILDIS. — S. RHAERMELA, BRUNDIS. LINDIS. Eius vita apud Surium d. 29. Octobr. — S. GVDVLA, Eius vixellensium patrona. Eius vita apud Sur. † 712.

CHILDEBERTVS iure adoptionis Rex; *primus* occubuit. — PIPPINVS Heristallius Carolidarum profator.

S. LANDERICVS, Episcopus Meld. — S. DENTLINVS. — S. ALTETRVDIS successit in Abbatia Meldod. — S. Adelgundi — S. MADELBERTA.

riti, ipsa quoque Treueris inter sanctimoniales consenuerit (k), mater trium filiorum, et filiae vnius, quos omnes infra in breui tabula repraesentauimus (l).

VI. Tam splendido genere, tamque illustribus maioribus ortus est LVDOVICVS Germanicus, eumque ERMENGARDIS, regina, vt diximus, ex LVDOVICO Pio tertio partu enixa est. Diem mensemque natalem nusquam notatum reperio, immo ne annum quidem, quo lucis huius vsura frui primum coepit: vt adeo id solum diligentiae meae relictum videatur, vt in re obscurissima, quid valeat ingenium, experiar. Primum ergo id certum exploratumque est, LVDOVICVM tertium ERMENGARDAE, Ludouico Pio anno 796. nuptae (m), filium, viuo adhuc CAROLO M. in lucem editum fuisse. Id enim hoc testimonio suo firmat THEGANVS (n): *Supradicta vero virgo Irmingarta vocabatur, quam consilio et consensu patris reginam constituit, atque ex ea tres filios habuit, adhuc* PATRE VIVENTE, *quorum vnus vocabatur* LOTHARIVS, *alter* PIPPINVS, *tertius aequiuocus eius*, LVDOVICVS. Natum ergo LVDOVICVM esse oportuit ante annum 814. quo Carolus M. diem obiit supremum, et post annum 799.

[k] Vita S. Clodulphi inter acta SS. Antuerp. *Tom. II. mens. Iun. p.* 127.

[l] Sequimur v. c. Io. Dau. Koelerum *Diss. de augusta famil. Caroling. p.* 1. *sequ.* qui S. Arnulfi et Dodae liberos ita repraesentat:

S. ARNVLFVS Ep. Metensis, antea maior Domus Austriae † d. 16. Aug. 640.

BODA vxor, postea monialis Treuerensis.

ANCHISES vel ANSEGISVS, itemque ANCHISVS, maior Domus a. 649. ob. 685. inde reges et impp. CAROLINGI.

WALGISVS, Alberic. ad ann. 644.

S. Wandregisilus Com. Palatii, postea clericus, † d. 21. Iul. 668. Vita eius apud Sur.

S. CLODVLPHVS, Episc. Metensis 654. † d. 8. Maii 694.

N. filia, nupta Comiti Virdunensi.

S. GODO, conditor monasterii Oyensis in dioecesi Trecensi. Alberic. ad ann. 644. et 677.

[m] *Astronom. Auct. vit.* Ludou. Pii *pag.* 345.

[n] *de gest.* Ludouici Pii *Imp. cap.* 5. *pag.* 297.

BIU Cujas

799. ante quem Ermengarda, anno 796. nupta, tres filios habere vix potuit. Deinde SANGALLENSIS, *vitae Caroli M.* auctor (o), narrat, LVDOVICVM noſtrum a patre ad Carolum M. adductum eſſe ſexto a natiuitate anno, et alibi (p) eumdem ad ſeptuageſimum aetatis annum peruenisse, teſtatur. Quum ergo V. Kal. Sept. anni erae Dionyſiacae 876. vitam cum morte commutarit, nec tamen adeo certum ſit, proximuſne ſeptuagenario fuerit, an eumdem ſuperarit (q): ſubtractis eo numero annis 70. res ipſa docebit, eum anno vel 806. vel proxime ſiue antecedente, ſiue conſequente, mortalibus intereſſe coepiſſe. Res ergo omnis eo demum redit, vt quem horum trium annorum natalem habuerit, diſpiciamus paullo adcuratius. At ne id quidem nos ignorare patitur bonus ille S. GALLI MONACHVS. Ludouicus enim Pius per multos annos in Aquitania haerens ab anno 806. ad annum 813. patrem non vidit. Illo vero demum anno Carolus M. quum ſe ad extremam vitae lineam peruenisse vidiſſet, teſte ASTRONOMO, vitae LVDOVICI Pii auctore (r), *miſit ad filium, eumque ab Aquitania euocauit. Quem venientem clementer ſuſcepit, tota aeſtate ſecum retinuit, de his, quibus eum indigere putauit, inſtruxit, qualiter videlicet ſibi viuendum, regnandum, regnum ordinandum, et ordinatum tenendum foret, monuit, et tandem imperiali eum diademate coronauit, et rerum ſummam penes eum futuram eſſe, Chriſto fauente innotuit, et hoc peracto negotio reditum ad propria conceſſit. Qui menſe Nouembri a patre regrediens, Aquitaniam repetiit.* Non alio ergo, quam 813. anno, contingere potuit, quod de LVDOVICO noſtro memoriae prodidit MONACHVS SANGALLENSIS (s): *quum natus et ſex annis in domo patris cautiſſime nutritus ſexagenariis hominibus ſapientior haud immerito videretur, genitor indulgentiſſimus, qui hoc vix aegre exſpectaret, vt ad conſpectum aui eum perducere potuiſſet, adſumens puerum, a matre delicatiſſime curatum, coepit inſtruere, quam ſerie, et quam timorate ante imperatorem ſe agere, aut forte interrogatus ei reſpondere, nec non et ſibi deferre deberet, et ſic eum ad palatium produxit.* Si ergo annus ille 813. fuit ſextus LVDOVICI: euidentiſſimum eſt, natalem ei fuiſſe annum 807. Et hinc facile patet, cur idem ASTRONOMVS (t) ad annum 814. ſcribat: *eodem etiam anno duorum ſuorum filiorum* LOTHARIVM *in Baioariam,* PIPPI-

[o] *Lib. II. cap. 8. pag. 578.*
[p] *Ibid. cap. 12. pag. 594.*
[q] *Annal. Bertin. ad a. 876.*
[r] *Ad a. 813. pag. 358.*
[s] *Ibid. pag. 578.*
[t] *Vit. Ludouici Pii pag. 362.*

BIU Cujas

PIPPINVM *vero in Aquitaniam miſit, tertium vero* LVDOVICVM, *adhuc* PVERILIBVS *conſiſtentem in* ANNIS, *ſecum tenuit.* Vere enim LVDOVICVS tum fuit ſeptennis, adeoque nondum infantiae annos egreſſus (u).

VII. Ex quibus temporum characteribus facile etiam patria LVDOVICI, vel, quae eius incunabula vidit, prouincia, intelligitur. Toto enim illo anno in Aquitania haeſit LVDOVICVS PIVS, et nec bello Hiſpanico, vti ſuperiore anno 806. interfuiſſe, nec ad patrem profectus legitur. Cuius rei hanc rationem reddit VITAE AVCTOR (x): *ſequenti vero tempore iterum rex Ludouicus expeditionem in Hiſpaniam parauit. Sed pater, ne per ſemetipſum illuc pergeret, eum impediuit. Praeceperat namque tunc temporis fabricari naues contra Nordomannicas incurſiones, in omnibus fluminibus, quae mari influebant. Quam curam etiam filio iniunxit ſuper Rodanum et Garonnam et Silidam. Attamen miſit ei miſſum ſuum Ingobertum, qui filii praeſentiam praeferret, et vice amborum contra hoſtes exercitum duceret. Rege autem* IN AQVITANIA MANENTE *ob ſupradictam cauſſam, exercitus eius itinere proſpero Barcinonam venit.* Quum ergo toto illo anno in Aquitania ſubſtiterit LVDOVICVS pater, nec eum ERMENGARDIM vterum gerentem a ſe ſegregaſſe, veroſimile ſit: dubitari profecto nequit, quin LVDOVICVS noſter apud Aquitanos primum lucem viderit, et quidem in Caſſagnolano ſimilique palatio, in quo eum vernum illius anni tempus exegiſſe, ex diplomate, quod STEPH. BALVZIVS (y) edidit, intelligimus.

CAP.

[u] Haud paullo ergo minor aetate fuit LOTHARIO et PIPPINO. Priorem enim primo ſtatim a LVDOVICI et ERMENGARDIS nuptiis anno, id eſt, anno 797. natum eſſe, patet ex eius epitaphio apud Browerum *Annal. Treu. tom. I. lib. VIII. n.* 117.

Nam bis tricenos monachum ſic attigit annos,
Ac ſe mutauit, ac bene poſt obiit.

Quum vero obierit III. Kal. Octobr. anno 855. ſexagenario propior, natum eum eſſe oportet anno 797. X. annis natu maiorem Ludouico. Quod adcuratius demonſtrarunt Brouuer. *Annal. Treu. lib. VIII. n.* 117. et Ant. Pagi *Critic. Baron. ad ann.* 855. *n.* 12. PIPPINVM vero iam anno 822. ducentem vxorem, teſtibus Annal. Fuld. et reliquis *ad a.* 822. Lothario fratre anno 821. nuptias celebrante, non multo minorem fuiſſe probabile eſt.

[x] Idem *pag.* 351.

[y] *Capitular. reg. Franc. tom. II. p.* 1407.

BIU Cujas

* * * * * * * * * * * *

CAPVT III.

DE LVDOVICI PVERITIA ET EDVCATIONE AD ANNVM DCCCXVII.

I.

HVnc filium sibi natum faustisque nutritum sub penetralibus quin parentes magna cura ad honestatem, pietatem, dignosque fortuna sua mores incredibili cura instituerint, dubitare nos non patiuntur LVDOVICI et ERMENGARDIS pietas. Erat vero tum educationis principum iuuentutis ea ratio, vt eos raro secum in palatio haberent, ne luxu palatino corrupti otio ac voluptatibus ab ipsis incunabulis diffluere discerent: sed eos plerumque aliquo mittebant, simul ac nutricibus essent subducti, iisque nobilem aliquem atque expertae virtutis virum praeficerent, qui tum BAIVLVS solebat adpellari (a). Mos ille iam ipsis Merouingorum temporibus inoleuerat, eiusdemque seruantissimus Carolus M. Ludouicum Pium, *regem regnaturum in Aquitaniam misit, praeponens illi baiulum Arnoldum, aliosque ministros, ordinabiliter decenterque constituens, tutelae puerili*

[a] De *Baiulis* illis fusius agunt Carolus du Fresne in *Glossar. med. et infim. Latin. tom. I.* Videtur hic mos ex ipsa aula Constantinopolitana, cuius instituta vel maxime sibi ad imitandum proponebant Francorum reges, dimanasse. Nam et ibi inter dignitates palatinas erat μέγας βάϊλος, cui liberorum imp. cura erat demandata, ceu ex Codino discimus. Quin iam Sophoclis scholiastes, eodem teste Fresneo, βάϊλον vocat παιδαγωγὸν καὶ παιδοτρίβην. Hinc *Gregorii, baiuli imperialis Graecorum* mentio fit in *Chronico S. Vincentii Vulturn. lib. III.* et apud Ioann. Papam VIII. *epist.* 168. 169. et 178. Hunc morem et reges Francorum primae stirpis imitabantur, quorum temporibus passim meminerunt Fredegar. *Chron. cap.* 86. Auctor *Gestor. Dagoberti cap.* 2. Aimon. *lib. IIII. cap.* 38. et alii. Eumdem postea et Carolingi retinuerunt, apud quos ea dignitas BAIVLATIO adpellabatur. Ea vero non modo proximus ad maiores dignitates gradus erat, sed et cum tanta auctoritate coniuncta, vt principes baiulos, a quibus erant educati, plerumque parentum loco haberent, et hinc CAROLVS, rex Burgundiae, Lotharii I. imp. filius, GIRARDVM Comitem *suum parentem ac nutritorem* vocet in charta a. 857. apud Dacherium. *Spicil. Tom. XII. pag.* 120. Hinc et vix aliis, quam qui in palatio primo loco erant, haec

BIU Cujas

puerili congruos (b). Id quod iam anno 781. Ludouico adhuc in cunis vagiente, contigisse, idem LVDOVICI Pii encomiastes obseruat. Idem ergo institutum in filio Ludouico educando seruasse, verosimile est: quamuis quem illi rectorem eius iuuentae praefecerit, nemo veterum, quod meminerim, memoriae prodiderit. Baiulis istis adiungi solebant e sacro ordine viri docti, moribusque conspicui, qui filios regum adhuc pueros ad doctrinam pietatemque formarent. Erant etiam, qui principes adolescentes equum inscendere, armis vti, telaque vibrare docerent. Cui generi exercitationum etiam LVDOVICVS Pius, pater, tam mature adsuefactus est, vt anno 785. euocatus ex Aquitania a Carolo M. teste auctore vitae eius (c), iam *bene equitaret*, quum esset septem annorum puer. Eamdem ergo rationem in educando filio procul dubio sequutus est Ludouicus Pius, idque non vllo alio argumento luculentius potest demonstrari, quam quod in litteris aeque, ac reliquis pacis bellique artibus, vti paullo post erit dicendi locus, adeo postea excelluit, vt pares pauciſſimos, neminem superiorem per omnem vitam haberet.

II. Et sane ad illam in quouis artium genere scientiam, eo facilius sibi viam expediuit, quo praeclarior in eo indoles ab ipsa infantia emituit. Erat enim in eo adhuc puero prudentia grauitasque senilis, par tantae fortunae animus, ingenium capaciſſimum, et ad quaeuis, quae tempus exigere videretur, reperienda a natura factum. Quae omnia exemplo notabili illustrauit MONACHVS SANGALLENSIS (d), quod eius verbis describere, pauciſque pro instituti ratione illustrare iuuabit: *et quia ita se obtulit occasio, vt de indicibili patre vestro incideret honoranda mentio, libet commemorare elogium, quod de illo sapientiſſimum constat protulisse* KAROLVM M. *Nam quum natus et 6. annis in domo patris cautiſſime nutritus*, SEXAGENARIIS *hominibus* SAPIENTIOR *haud immerito videretur: genitor indulgentiſſimus, qui hoc vix aegre exspectaret, vt ad conspectum aui eum perducere potuisset, adsumens puerum, a matre delicatiſſime curatum, coepit instruere, quam serie, vel quam timorate ante Imperatorem*

haec cura demandabatur. Nithard. *lib. I. de diſſenſ. filior. Ludou. Pii imp. pag. 436. ad quod* BERNARDVM *quemdam ducem Septimaniae pater in ſupplementum ſibi ſumens, camerarium conſtituit*, KAROLVM*que eidem commendauit, ac ſecundum a ſe in imperio praefecit.*

(b) *Vita Ludouici pag.* 241.

[c] *Ibid. pag.* 341.

[d] *Vit. Caroli M. lib. II. cap.* 8. *pag.* 578.

BIU Cujas

ratorem se agere, aut forte interrogatus ei respondere, nec non et sibi deferre deberet: et sic eum ad palatium produxit. Quumque prima die vel secunda inter reliquos statores eum imperator curiosioribus oculis intueretur: dixit ad filium: cuius est ille puerulus? Illo respondente: quia meus et vester, si dignamini: postulabat eum, dicens: da illum mihi. Quod quum factum esset, deosculatum serenissimus Augustus pusionem remisit ad stationem pristinam. Ille mox dignitatem suam cognoscens, et cuiquam post imperatorem secundus remanere despiciens, collectis animis, et membris compositissime collocatis aequato gradu stetit iuxta patrem suum. Quod prouidentissimus adspectans KAROLVS, *vocato ad se filio* HLVDOVICO *praecepit, vt interrogaret cognominem suum, cur ita faceret? vel qua fiducia se patri adaequare praesumeret? Ille vero ratione subnixum reddidit responsum: quando, inquiens, vester eram vasallus, post vos, vt oportuit, inter commilitones meos steteram: nunc autem vester socius et commilito non immerito me vobis coaequo. Quod quum* HLVDOVICVS *imperatori retulisset, ille huiusmodi sententiam promulgauit: Si vixerit puerulus,* ALIQVID MAGNI ERIT. *Quae verba ideo de Ambrosio mutuati sumus, quia,* KAROLVS *quae dixit, non possunt ex amussi in Latinum conuerti.* Hactenus monachus Sangallensis, cuius verba, tametsi prolixiora, integra attulimus, vt ea paucis interpretaremur. Quo anno haec contigerint, iam superiore capite vidimus, puta octingentesimo decimo tertio, quo eius pater arcessitus ex Aquitania Carolum M. postremum vidit, et imperii socius ab illo est adoptatus. In illa ergo pompa palatina splendidissimaque panegyri etiam filium suum natu minimum patri stitit, eumque pulchre ornatum, instructumque inter reliquos STATORES, qui paullo post etiam a LVDOVICO nostro *commilitones* vocantur, adstare iussit, experturus procul dubio, an eum obseruaturus sit auus, eumque inter reliquos agniturus. STATORES vero hi, seu COMMILITONES non alii erant, quam pueri palatini, qui ex more Francorum cum regum filiis in eorum palatio educabantur (e), de quibus HADR.

(e) STATVS veteribus dicebatur tota principum curia, vel, vti Romani vocabant *comitatus*. Iac. de Vitriaco *apud* Bongars. *lib. III. pag. 1126. primo die recepit eos in prima scala de Cayron, vbi semper est* STATVS *eius.* Quo sensu et hodie comitatum principum dicimus *den Hoff-Stat*, non, vti vulgus loquitur, *die Hoff-Stadt*. Pueri ergo statarii sunt, qui in aula ministrant principi, quos hodie *Pagen* adpellitant. Horum erat stare in curia principis sui, eiusque solium cingere, vnde et STATORES dicti, ceu non modo hoc monachi Sangallensis,

HADR. VALESIVS (f): *notare conuenit, morem fuisse iam tum proceribus Francorum, adultos liberos, praesertim indolis rarae formaque et ingenio excellentes Regibus ad ministeria tradere in palatio omnibus liberalibus artibus, sed praecipue militaribus excolendos: quos* GREGORIVS *aulicos palatinos, et pueros aulicos, quidam scholares adpellant. Hinc apud scriptores rerum nostrarum saepissime inuenio, pueros nobiles in aulam regiam a parentibus perductos, regibus oblatos, traditos, commendatos, in palatio enutritos, in aula regia educatos, a principe nutritos. Hos reges nostri optimatium erga se fidei obsides habebant: his pignoribus proceres in officio continebant, haud facile libenterque res nouas molituros, quamdiu ipsorum filii in regia alerentur.* Quod alibi (g) variis adlatis exemplis, veluti Patrocli Mummioni, Transobadi, S. Arnulfi, Chrodogangi, probauit, et vtroque loco obseruauit, fuisse haec maximorum virorum rudimenta ac viam processus expeditissimam, et ex palatio, tamquam e ludo plurimos abbates et episcopos sanctitate vitae eminentes, comites stabuli, thesaurarios, referendarios, comites palatii, consiliarios, duces, patritios, comites exiisse, nec aliunde fere, quam ex illa regia puerorum cohorte, delectos esse, qui post data virtutis et fidei experimenta ad magna et honorata ministeria, sublimesque potestates fuerint profecti. Huic ergo regiorum puerorum cohorti, quam procul dubio Ludouicus Pius secum ex Aquitania, tamquam fidei parentum pignora Aquisgranum traxerat, iussu patris sese immiscuerat LVDOVICVS puer, quum ille, more Francorum, qui pereleganter in vetere tabella ex codice quodam Euangeliorum Carolo Caluo a monachis S. Martini Metensibus oblato per STEPH. BALVZIVM (h) eruta patet, proxime throno vel eius supremo gradui adstaret, vel adsideret (i), maxime quum iam et rex Aquitaniae esset, et in eo ipso

lensis, sed et alio Orderici Vitalis *lib. XII. pag.* 856. probauit Car. du Fresne *Gloss. med. et inf. Latin. tom. III. pag.* 952. Superest et hodie vocabulum in vernacula nostra, in qua saepe ministeria palatina dicuntur a statione, veluti *Tafel-steher, Thür-steher*, cetera.

[f] *Rer. Francic. lib. XV. ad a.* 591.

[g] *Lib. VIII. ad a.* 565.

[h] *Capitular. tom. II. pag.* 1276.

[i] In effigie illa Baluziana Carolus Caluus solus throno insidet coronatus, imminente superne manu, quae et in aliis monimentis cernitur, vt veluti θεόστεπτος, id est, a deo coronatus, videretur. Car. du Fresne *Gloss. Lat. voce: Armiger.* Filii vero Caroli, Ludouicus Balbus et Carolus, vtrimque stantes, thronum paternum veluti manu fulciunt, S. deipara coronas super eorum

BIU Cujas

placito auguſtae dignitatis particeps redderetur. Obſeruauit demum CAROLVS puerum : miratuſque indolem et grauitatem, in tantilla aetate incredibilem, ex filio, cuium adduxerit hunc puerum, quaeſiuit. Quumque hic, laetus laetitiis omnibus, ſuum ac imperatoris eſſe, reſponderet: accepit CAROLVS gratiſſimum munus, et adductum ad ſe nepotem, exceptumque gremio, deoſculatus eum in priorem locum redire paſſus eſt. At iam altiora ſpirabat magnanimus puer, ex quo ſe ab imperatore veluti in clientelam ſuſceptum eſſe intellexerat. Nec iam amplius loco illo inter commilitones, Ludouici patris clientes, ſtare ſuſtinebat, ſed adſcendens in gradum ſuperiorem patris latus claudebat, interrogatuſque iuſſu CAROLI, curid faceret, ſe iam imperatori donatum acceptumque, non amplius patris, ſed aui, clientem, et eatenus patri aequatum eſſe, fidenter ac magnifice reſpondit. Ex quo ſimul intelligimus, imperatorum regumque filios, ad regiam dignitatem viuis parentibus euectos, non ad ſolutam omni nexu poteſtatem adſpiraſſe, ſed patrum veluti clientes ac vaſallos fuiſſe. Hinc in charta diuiſionis vel teſtamento a CAROLO M. condito apud PITHOEVM (k) diſerte caueri animaduertimus: *haec autem omnia ita diſpoſuimus, atque ex ordine firmare decreuimus, vt, quamdiu diuinae maieſtati placuerit nos hanc corporalem agere vitam, poteſtas noſtra ſit ſuper a deo conſecratum regnum, atque imperium iſtud, ſicut hactenus fuit in regimine atque ordinatione, atque omni dominatu regali atque imperiali, et vt* OBEDIENTES *habeamus praedictos dilectos* FILIOS NOSTROS, (quorum alter iam Italiae, alter

rum capitibus caelitus tenente. Quod et in Byzantinorum nummis monimentiſque aliquando obſeruauit idem eruditiſſimus Cangius *Diſſ. de impp. Conſtantinop. inferior. aeui num.* §. 30. *pag.* 24. At ipſos ſaepe proceres in placitis maioribus ad thronum hinc inde non ſteriſſe, ſed adſediſſe, teſtis eſt Ermold. Nigell. *lib. II. v.* 3. dum canit:

Namque ſenex Carolus Caeſar, venerabilis orbi,
Concilium reuocat ad ſua tecta nouum.
Aurato reſidens ſolio, ſic coepit ab alto
Electi circum quem RESIDENT *comites.*

Quum vero ipſi comites ac proceres in publicis placitis aliquando ſederent, vti id hodienum in comitiis gentium originis Germanicae obſeruatur: dubitare ſane nefas eſſet, quin et regum filii, qui intereſſent illi panegyri, maxime ſi ipſi regia dignitate fulgerent, patri nonnumquam adſederint, ſaltim de plano, vel in inferiore gradu, ne patribus viuis aequiparari viderentur. At quia tamen monachus Sangallenſis Ludouicum noſtrum *iuxta patrem ſtetiſſe*, et *patri ſe adaequaſſe*, ſcribat: probabilius eſſe fatemur, Ludouicum etiam Pium tum patris ſolio adſtitiſſe.

(k) *Script. hiſt. Franc. XII. pag.* 288.

BIU Cujas

alter Aquitaniae cum regio imperio et poteſtate praeerat), *atque deo amabilem populum noſtrum cum omni ſubiectione, quae patri a filiis, et imperatori ac regi a ſuis populis exhibetur.* Quae poſtea et LVDOVICVS Pius in charta diuiſionis apud eumdem PITHOEVM (l) repetit. Denique, vt ad rem redeamus, admiratus hanc pueri reſponſionem CAROLVS M. eum, ſi aduixerit, magnum futurum, fretus tanta indole, praedixit, talibus in lingua Theotiſca vſus verbis, quae Latine exprimi commode non poſſint (m). Vnde monachus illa eloqui maluit iis verbis, quibus olim ſimile de S. AMBROSIO augurium expreſſum eſſe, memoriae proditum eſt (n), et ne magnis componere parua videretur, ſubdidit verba (o): *nec immerito prophetiam de ſancto* AMBROSIO *magno adcommodauerim* HLVDOVICO, *cui, exceptis eis rebus et negociis, quibus* (oo) *res publica terrena non ſubſiſtit, coniugio videlicet vſuque armorum, per omnia ſimillimus, immo etiam quantum potentia regni, tantum religionis ſtudio, ſi dici liceat, quodammodo maior exſtiterit* AMBROSIO, *fide ſcilicet catholicus, dei cultor eximius, ſeruorum Chriſti ſocius, tutor et defenſor indefeſſus.* Virum profecto ſanctum ac religioſiſſimum fuiſſe oportet LVDOVI-

(l) *Cap.* 13. *pag.* 335.

(m) Haec qualia fuerint verba, vtinam expreſſiſſet monachus. Apud Otfridum *Euang. lib. I. cap.* 4. *v.* 65. verba euangeliſtae: *erit magnus coram domino* ita exprimuntur:

Guati ſo iſt er hôher,
Ioh Gote ſilu liuber.

Bonitate eſt maior,
Et deo multo carior.

Et *lib. I. cap.* 9. *v.* 77. verba: *quid puer iſte erit?* ita vertuntur: *ſie ſprachun filu balde: waz uuaniſto waz er uuerde? Dixerunt admodum audenter: quid putas, quod futurus ſit?* Sed haec ſimiliaque non ita comparata ſunt, vt non Latine, totidem paene verbis exprimi commode queant. Oportet ergo, quidquid dixerit imperator, παροιμιώδες fuiſſe, quippe quales loquutiones prouerbiales in aliam linguam non facile tranſferuntur.

(n) Rem referemus verbis Paullini presbyteri in *Vita S. Ambroſii* apud Surium *d. IIII. Apr. pag.* 526. *Igitur poſito in adminiſtratione praefecturae Galliarum patre eius Ambroſio, natus eſt Ambroſius: qui infans in area praetorii in cunabulis poſitus, quum dormiret aperto ore, ſubito examen apum aduenientium faciem eius atque ora compleuit, ita, vt ingrediendi in os egrediendique frequentarent vices. Quae pater, qui prope cum matre vel filia deambulabat, ne abigerentur ab ancilla, quae curam nutriendi infantis ſuſceperat, prohibens, (ſollicita enim erat, ne infanti nocerent), exſpectabat patrio adfectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At illae poſt aliquamdiu euolantes, in tantam aëris altitudinem euectae ſunt, vt humanis oculis minime viderentur. Quo facto territus pater ait: ſi vixerit infantulus iſte,* ALIQVID MAGNI ERIT. Quem locum ob oculos fuiſſe monacho noſtro, nemo non intelligit.

[o] *Ibid. pag.* 579.

[oo] Legerim: *ſine quibus.*

BIU Cujas

DOVICVM noſtrum, quem monachus viro tanta ſanctitatis fama illuſtri non aequiparandum modo, ſed et praeferendum quodammodo exiſtimauit.

III. LVDOVICVS Pius anno iſto 813. cum CAROLO M. patre Aquiſgrani vixit ad Nouembrem vſque menſem, quo a patre digreſſus Aquitaniam repetiit (p). Neque dubitamus, quin et LVDOVICVM puerum comitem habuerit. Paullo poſt ante diem V. Kalendas Februarias vitam cum morte commutauit CAROLVS M. iſque caſus confeſtim ſedibus ſuis exciuit LVDOVICVM Pium, qui, accepto nuncio, veritus, ne quid ſe abſente turbetur, in Franciam orientalem reuolauit, et die, ex quo ex Aquitania proficiſci coeperat, trigeſimo Aquiſgranum venit (q). Familia Ludouicum tum vel comitata, vel e veſtigio ſequuta eſt. Eodem enim anno 814. filiorum triga Aquiſgrani cum patre aliquamdiu fuiſſe legitur: quamuis LVDOVICVS pater, teſtantibus eorum temporum annalibus (r), ex inſtituto maiorum mox alium alio, LOTHARIVM in Italiam, PIPPINVM in Aquitaniam dimiſerit, ſolo LVDOVICO puero apud ſe retento, non alio procul dubio conſilio, quam vt tanto felicius ſub patris cura adoleſceret, tantoque rectius procederet eius educatio. Quamuis vero, qualis cura impenſa ſit formando pueri ingenio, ſuo more fere diſſimulent eorum temporum ſcriptores: tamen quemadmodum ex fructuum praeſtantia, meſſiſque vbertate de adhibita cultura rectiſſime iudicatur, ita ex praeclaris, quibus LVDOVICVS excelluit, artibus, quam diligenter atque adcurate fuerit a parentibus et magiſtris ſuis inſtitutus, coniecturam recte capi poſſe exiſtimamus. Eas vero ita deſcribunt REGINO (s) et ANNALIVM METENSIVM auctor (t): *fuit autem ille princeps Chriſtianiſſimus, fide catholicus, non ſolum ſaecularibus, verum etiam eccleſiaſticis diſciplinis ſufficienter inſtructus. Quae religionis ſunt, quae pacis, quae iuſtitiae, ardentiſſimus exſequutor. Ingenio callidiſſimus, conſilio prouidentiſſimus, in dandis ſiue ſubtrahendis publicis dignitatibus diſcretionis moderamine temperatus. In praeliis victorioſiſſimus, armorum, quam conuiuiorum, adparatibus ſtudioſior, cui maximae opes erant inſtrumenta bellica. Plus diligens ferri rigorem, quam auri fulgorem. Apud quem nemo inutilis valuit. In cuius oculis*

[p] *Vita Ludou. Pii pag. 358.*
[q] Idem *pag. 359.*
[r] *Annal. Bertin. ad a. 814. Vita Ludou. pag. 362.*
[s] Regino *ad a. 867.*
[t] *Annal. Met. ad eumd. annum.*

BIU Cujas

lis perraro vtilis displicuit, quem nemo muneribus corumpere potuit. Apud quem nemo per pecuniam ecclesiasticam, siue mundanam dignitatem obtinuit : sed magis ecclesiasticam probis moribus et sancta conuersatione : mundanam deuoto seruitio et sincera fidelitate. In quo insigni elogio, et quadam veluti boni ac incomparabilis principis imagine quinque potissimum LVDOVICI virtutes, quae sine adcurata institutione raro comparantur, viuis coloribus expressas animaduertimus, PIETATEM et religionis studium, DOCTRINAM sacram ac profanam, PRVDENTIAM ciuilem ac regnatricem, ARTES MILITARES, et ANIMVM sordibus vacuum, omnibusque corruptionibus superiorem. Quae quum sint praecipua boni principis decora, ad eaque in instituendis tantae fortunae adolescentibus omnia referenda videantur : de singulis quaedam ex eorum temporum monimentis delibare nobis licebit.

IIII. Quantum in eo fuerit pietatis studium, vel inde patet, quod non minus PII, quam LVDOVICI nomine nosceretur. Id cognomen saltim ei non minus, quam patri, haesisse, iam supra incorruptis veterum testimoniis demonstrauimus (u). Neque ergo dubitandum videtur, quin et sacrae scripturae lectioni vacarit, et doctrinae Christianae elementa bona fide imbiberit. Libris sane legendis eum non parum temporis impendisse, testem denuo habemus MONACHVM SANGALLENSEM (x), qui, *eum sapientiam singularem, acutissimo fretum ingenio* SCRIPTVRARVM *adsiduitate cumulatiorem reddere non cessasse*, scribit. Id quod illum eo libentius fecisse credibile est, quo non modo ipse Latinae linguae peritior, sed et saeculum interpretationum Theotiscarum libellorumque ea lingua scriptarum feracius fuit (y), nondum periculum aliquod ex huius modi

[u] *Lib. I. cap.* 1. §. 9.

[x] *Libro II. cap.* 9. *pag.* 580.

[y] Linguae patriae studium permagni iam fecit *Carolus M.* ipse, in eo elaborans, vt eius cultum pro virili proueheret, ceu testatus est Eginard. *in Vit. Caroli M.* At non multum profeciisse videtur princeps optimus. Idem institutum Ludouicus Pius vrsit, adeo, vt et de versione Bibliorum Teutonica cogitaret, idque negotium viro cuidam docto, gente Saxoni, daret, qui et vetus nouumque Testamentum Germanica poësi illustrauit, ceu docet praefatio apud Andr. du Chesne *Script. Franc. tom. II. pag.* 220. Et exstant huius modi versiones passim, de quibus differunt Io. Frickius *Praefat. ad Schilt. Thesaur. antiqu. Teut. pag.* 7. *sequ.* et Eckard. *Not. ad vit. Hatumodae, abbatissae Gandersheim. pag.* 39. *sequ.* At numquam magis id studium, quam sub Ludouico Germanico ferbuit, sub quo OTFRIDVS WEISSENBVRGENSIS insignem istam Euangeliorum paraphrasin, ipsi Ludo-

BIU Cujas

modi verſionibus metuentibus eccleſiae doctoribus, nec laicis, quos vocabant, earum lectione, tamquam aqua et igne interdicentibus. Magna ergo pro eorum temporum conditione fuit, quam LVDOVICVS ſibi comparauerat, rerum ſacrarum notitia, eaque in re ex ipſo clericorum ordine, fatente eodem *monacho Sangallenſi* (z), permultos adeo ſuperauit, vt in iis parum verſati in eius conſpectum venire formidarent. *Nullus*, inquit, *clericus, niſi legere doctus et canere, non ſolum cum eo manere, ſed ne in conſpectum eius venire praeſumſit.* Sed multo maior illa laus optimi principis, quod, quae didiciſſet, omnia ipſa vita exprimeret, iuſtus, mitis, in victu totoque adparatu palatino parcus, in elargienda pauperibus ſtipe, condendiſque templis et monaſteriis paene profuſus, in orationibus, ieiuniis, cultuque diuino adſiduus, adeo vt eius vita cenſura eſſe poſſet, et exemplum, ad quod ciues omnes vitam componerent abſolutiſſimum. Quod iterum in eo admiratus MONACHVS SANGALLENSIS (a): *ad orationis*, inquit, *ſtudium et deuotionem ieiunorum, curamque ſeruitii diuini ſupra omnes homines ita erat intentus, vt exemplo ſancti Martini, quidquid aliud ageret, ſemper quaſi praeſenti domino ſupplicare videretur. Carne et cibis lautioribus certis diebus abſtinuit. Tempore vero litaniarum de palatio diſcalceatis pedibus vſque ad eccleſiam paſtoralem vel ad ſanctum Hemmeranium, ſiquidem eſſet Reganesburg, crucem ſequi ſolitus erat. In aliis vero locis communentium conſuetudinem non abnuebat. Oratoria noua - - admirabili opere conſtruxit.* Et exſtant ſane tot tabulae ac diplomata, tam ſanctae profuſionis monimenta, vt vel ſola rem conficere videantur. Adde, quod et in imperio a truculentia ſanguiniſque effuſione (b), et in matrimonio ab omni pellicatu abſtinuit, ſolus fortaſſis inter Francorum reges, qui vna contentus vxore, praeter liberos e legitimo toro natos, nullos alios nothos, oneri rei publicae futuros, reliquit (c). Sunt inter actiones LVDOVICI

Ludouico noſtro nuncupatam, ſcripſit, RHABANVS MAVRVS de homiliis Theotiſcis populo praelegendis cogitauit, Serrar. *Rer. Mogunt. lib. I. cap.* 11. variae denique prodierunt verſiones Pſalmorum, de quibus idem Frickius *praef. verſioni Notkeri Labeonis praemiſſa pag.* 4. variae catecheſes, ſimileſque libelli, digni omnino, qui hodie omni cura conquirantur.

(z) *Lib. II. cap. 9. pag.* 581.

(a) *Ibid. pag.* 581.

(b) *Idem pag.* 580.

(c) Vt enim iam nihil dicamus de regibus Merouingicis, quos tantum non omnes inter concubinarum ac pellicum greges

BIU Cujas

VICI quaedam, quae tantae sanctitatis famae officiunt, in primis bella, quae exuta naturali pietate, patri intulit. Erunt etiam, qui purioribus sacris refragari dicent opinionem de merito operum, quam in omnibus paene prodit diplomatibus (d), caelum pecunia, quasi

greges vixisse constat: nec de Caroli M. maioribus multa addamus, inter Caroli M. concubinas fuere HIMILTRVDIS, Paull. Diacon. in *Chron. episcop. Metens.* pag. 58. MATHELGARDIS, GERSVINDA, REGINA, ADELLVIDA, aliaque, cuius de nomine non constat, apud Eginardum *Vit. Caroli M. cap.* 18. ex quibus praeter filias Rothaildem, Adaltrudem, Rothaidem, PIPPINVM gibbosum, DROGONEM, HVGONEM, et THEVDERICHVM genuit. Eginard. *ibid. cap.* 20. *et* Io. Dau. Koelerus in *Diss. de domo aug. Caroling. pag.* 50. *sequ.* Ne LVDOVICVS quidem Pius, quantacumque sanctitatis fama super aethera notus, a furtuis amoribus abstinuit. Testis est auctor *Chronici Moissiacensis ad a.* 817. *pag.* 148. *quartum vero filium habuit ex* CONCVBINA, *nomine* ARNVLPHVM, *cui pater Senonas ciuitatem in comitatum dedit.* Nec fratres Ludouici nostri et reliqui agnati sanctius vixerunt. LOTHARIVS enim I. imp. ex DODA duarum concubinarum una, CAROLOMANNVM filium genuerat. *Annal. Bertin. ad a.* 853. CAROLVS Caluus, RICHILDEM VXOREM, antequam tabulas cum ea signaret, concubinam habuerat. *Annal. Bertiniani ad a.* 866. *et* 870. Quas tragoedias excitarit LOTHARIVS II. ob Waldradam concubinam, matrem Hugonis, ducis Alsatiae, Giselae, et Berthae, nemo ignorat. Sed ex filiis Ludouici nostri CAROLOMANNVS ex concubina LVDSWIRIDA, cuius nomen in diplomate apud Gewoldum *in Metrop. Salisburg. tom. II. pag.* 504. exstat, ARNVLFVM postea imp. hic ex ELLINRAT, cuius meminit Hund. *in Metrop. Salisburg. tom. II. pag.* 566. ZVENTEBOLDVM, Lotharingiae regem, et Ratoldum; *Annal. Fuld. ad a.* 889. alter Ludouici nostri filius LVDOVICVS iunior ex muliere, nescio qua, HVGONEM, qui anno 879. in proelio cum Normannis inito occubuit, Regino *ad a.* 879. denique CAROLVS Crassus BERNARDVM, nothum, teste annalista Lambeciano *ad a.* 885. suscepterunt: vt adeo ex tot Caroli M. posteris solus ferme Ludouicus Germanicus caste vixerit.

(d) Talia sunt, quibus diplomata tantum non omnia auspicatur: *Si liberalitatis nostrae munere locis deo dicatis aliquid conferimus beneficii, et necessitates ecclesiae dei per petitiones religiosarum personarum nostro releuamus munimine, et imperioso tuemur iuuamine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter peragendam, et ad aeternam feliciter adipiscendam profuturum esse, liquido confidimus* Vid. infra *diplom.* I. 9. 10. *sequ.* Et auctor est monachus Sangallensis *Vit. Caroli M. lib. II. cap.* 12. Ludouicum conspecto ex militibus aliquo, qui aurum argentumque secum ferret, vel eo ornatus in procinctu staret, dicere solitum: *miser et infelix. Non tibi sufficit, vt tu solus vel sorte belli intereas, quin etiam et res, quibus* ANIMA TVA REDIMI *valeret, in manus hostium tradas, vt de eis simulacra gentium adornentur.* Nimirum erat illa tum communis omnium persuasio, quo quisque plus auri argentiue in ecclesias expenderet, eo certiorem illum de abolitione peccatorum, ipsaque beatitudine sempiterna spem concipere posse. Hinc dicta scripturae in eorum temporum

BIU Cujas

quasi soluto pretio emi, certo persuasus. Nec minus in eo plerique reprehendent fiduciam in caelitum ope ac suffragiis positam, pretium, quod monachatui statuit, nimium cultum reliquiarum, similiaque, quibus plus superstitionis, quam solidae pietatis, inesse palam est. Enimuero vti, quae aduersus patrem molitus est, detestanda omnino esse nemo negauerit: ita infra intelligemus, quam nefandis exagitatus iniuriis arma expediuerit, iustissimum profecto bellum, modo alium, quam patrem, hostem habuisset, gesturus. Reliqua temporum, quibus vixit, infelicitati tribuimus, vtrosque naeuos reliquis eius virtutibus, ac sincerae, quam tota vita expressit, pietati merito condonamus, multo excusatiores die illo decretorio futuros hos principes persuasi, qui religionis amantissimi aliquando superstitionem pro pietate habuerunt, quam qui hodie ipsam pietatem pro superstitione habere non verentur.

Deinde et doctrinam sacram ac profanam haud mediocrem LVDOVICO nostro tribuunt veteres. Quamuis enim iis viueret temporibus, quibus nondum ita enitescerent apud Francos bonae litterae, vt eorum doctrina cum hodierna vlla ex parte comparanda videatur: tulit tamen id saeculum plures, qui aliquid operae purioris Latinitatis cultui tribuerent, qui facerent versiculos, qui et artium liberalium, quas vocant, stadium decurrerent, et astrorum disciplinam excolerent, et conderent legerentque annales, et veterum lectione magnopere delectarentur. In his omnibus quantum profecerint, qui tum vix alios magistros, quam monachos habere poterant, eorum lucubrationes, quas ex eo saeculo habemus superstites, satis ostendunt: neque adeo dubitare licet, quin iisdem fere limitibus circumscripta fuerit LVDOVICI eruditio. Tribuuntur illi a IOANNE MABILLONIO (e) versiculi quidam, non quidem illis, quos Hadrianus imp. fudit, multo meliores, at nec deteriores illis, quos et suauissimi eorum temporum poëtae solebant edolare (f). Scripti illi sunt ad BALDONEM, nescio quem: at, quisquis fuerit, eum regi nostro

chartis frequentissima: *pretium animae viri diuitiae eius.* Infra *dipl. 6. date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, qui vos recipiant in aeterna tabernacula, dipl. Einardi* apud Toeln. *Cod. dipl. Palatin. n. 6. pag. 6.* et similia, e quibus huic persuasioni praesidium accedere posse existimabant.

(e) *Analect. tom. IIII. pag. 531.*

(f) Praeferunt hi versiculi rubricam: HL REX, eosque Mabillonius in *adnotationibus* insequentibus *pag. 532.* diserte Ludouico tribuit. Sunt vero tales:

Immen-

BIU Cujas

nostro satis familiarem fuisse, et libellis a se compositis saepius eum donasse oportet. Quin quum rex illi versibus egerit gratias, seque in illius libris non omnia adsequi, profiteatur, ipsum quoque BALDONEM poëmata scripsisse verosimile est. Addimus, BALDVM illum in ipso regis palatio videri vixisse, quod hic eum rogat, vt sibi aenigmata illa soluere, sensumque eorum, quae non intelligat, pandere velit. Ex quibus characteribus ego suspicor, Baldonem hunc non alium esse, quam BALDERICVM abbatem et LVDOVICI nostri archicapellanum, quem circa annum 853. in eius palatio militasse constat (g). Sacram porro eruditionem tum scripturae sacrae, tum patrum et canonum ecclesiasticorum cognitio absoluebat. Hinc MABILLO-

Immensas grates volumus tibi dicere,
BALDO,
Quod tua magna fides sic inconcussa moratur,
Nobiscum dictis firmasti vt tempore prisco.
Namque animum nostrum pia laetificant tua scripta.
Quae nobis saepe mittis, hortaris, et optime nobis,
Et bonitate tua pandis in amore benigno,
Quae tua sic nobis mittit sollertia magna.
Nunc vero nuper misisti talia scripta,
Non potuit totum noster quod noscere sensus,
Est quia per totum contextum in aenigmate firme.
Conscius ipse tuis, quid opus addiscere verbis?
Hoc tamen oramus, vt nobis pandas aperte.

Sunt hi versiculi omnino mali, vtpote in quibus nec prosodicae, nec syntacticae regulae obseruantur: sed meliores non sunt, quos eo saeculo Ermoldus Nigellus, Rabanus Maurus, Florus, Theodulfus, aliique fecerunt, in quibus itidem nec quantitatis syllabarum, nec elisionum ratio habetur. Et quis, quaeso, Virgilii grauitatem, vel suauitatem Ouidii in saeculi noni principe requireret? et in eo quidem principe, quem dira necessitas plus sanguinis, quam atramenti, fundere iussit?

(g) Eo anno in diplomatibus Corbeiensibus reperimus subscriptionem: *Hadelbertus subdiaconus ad vicem* BALDRICI, *abbatis, recognoui.* Schaten. *Annal. Paderb. lib. II. pag.* 141. Talis subscriptio etiam biennio post occurrit apud eumdem *ibid. pag.* 143. et anno 858. apud Schannat. *Hist. Wormat. in Codice probationum n. 7. pag. 7. Godebertus, subdiaconus ad vicem* BALDRICI, *abbatis, recognoui.* Eumdem ex Kleinstorgii *Annalibus* eruit Mallinkrot. *de archicanc. et cancell. imp. pag.* 26. Atqui idem nomen est BALDO et BALDERICVS quemadmodum HEIMO et HENRICVS, ALTO et ALTIRICH, ALBI et ALBARICH, ALLO et ALWICH, LIBO et LIBERICH, et similia apud Goldastum. In eadem tamen LVDOVICI nostri curia anno 859. vixit WALTO subdiaconus, quem illo anno diploma Paderbornense *vice Witgarii cancellarii recognouisse*, patet. Schaten. *ibid. pag.* 149. Conring. *Censur. diplom. Lindau. pag.* 27. Quum ergo ipse MABILLONIVS idem esse agnoscat BALDONIS et WAL-

BIU Cujas

BILLONIVS (h) editis versibus, quibus S. Augustini de doctrina Christiana libros Ludouico, Caroli Calui filio, nuncupauit, Angilbertus, Corbeiensium abbas, hanc subiicit adnotationem: *vbi obseruare conuenit, lectionem sacram priscis Francorum regibus aliquando familiarem fuisse. Hinc Adalbero Laudunensis Episcopus Rotbertum regem hortatur ad legendos Augustini, Dionysii dicti Areopagitae et Gregorii Magni libros.* Sacrorum autem canonum studium tanto regibus magis necessarium videbatur, quanto propius illud attingebat ecclesiae regimen, quantoque magis intererat regum, fines illius a sacri ordinis hominibus non vlterius, quam par esset, proferri. Et hoc ipsum canonum studium in LVDOVICO nostro celebrasse videntur REGINO (i) et *Annalium Metensium* auctor (k), dum eum *etiam ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructum fuisse*, scribunt.

VI. Quum porro praecipuum principi praesidium in ciuili illa ac regnatrice prudentia positum sit: ad eam quoque non addiscendam, sed toto imperio, omnibusque actionibus suis exprimendam, animum ab ipsa adolescentia impulit. Non sane tum erant tempora, quibus illa pars ciuilis sapientiae, certis conclusa regulis, et in artis formam redacta, in cathedris tradebatur. Ipso rerum vsu atque experientia illa erat addiscenda, eaque in re eo facilius celeriusque profecit LVDOVICVS noster, quo excellentiore ingenio erat a natura praeditus, et quo citius rebus gerendis a patre adplicabatur. Iam supra obseruauimus, ei sex annorum puero senilem prudentiam tribuisse SANGALLENSEM MONACHVM (l). Eumdem (m) in illo iam viro laudare vidimus *sapientiam singularem, quam acutissimo fretus ingenio scripturarum adsiduitate cumulatiorem reddere non cessarit.* REGINONI (n) est *ingenio callidissimus, consilio prouidentissimus.* Denique OTFRIDVS (o), qui in eo laudando totus est, nihil tamen in eo magis, quam ingenii perspicaciam et sapientiam plane inusitatam,

DONIS nomen: alteruter probabiliter fuit, quocum poëticum istud litterarum commercium instituit Ludouicus Germanicus. WALDONEM postea cancellarii munere functum esse apud Carolomannum anno 876. et Carolum Crassum, anno 882. et sequ. et demum Frisingensium Episcopum fuisse, docuit Mallinkrot *ibid. pag.* 21. 29. Vbi simul, idem esse WALDONIS et BALDONIS nomen, incorrupto ipsius hominis testimonio discimus.

(h) *Analect. tom. II. pag.* 660.
(i) *Ad a.* 867.
(k) *Ad a. eumdem.*
(l) *Lib. II. cap.* 8. *pag.* 578.
(m) *Ibid. cap.* 9. *pag.* 580.
(n) *Ad a.* 876.
(o) *Praef. ad Ludou. v.* 1. 2. 26. 27. 33. 135.

BIU Cujas

tam, admiratur. Hinc eum vocat *then ſnello, agilem*, non tam corpore, quam ingenio, *thes wiſduames follo, ſapientia plenum, wiſero githanko, wiſera redinu, ſapientum cogitationum ſapientumque verborum, cleinero githanko, ſubtilium cogitationum, quekes muorte, vini et alacris animi* principem, et quae ſunt huius generis elogia alia. Si vero ad naturam tam eximiam atque illuſtrem accedit vſus quidam, atque in rebus gerendis exercitatio: tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare ſolet exiſtere. Ex hoc vero numero fuit LVDOVICVS noſter, qui non ſolum domeſtico patris exemplo, et perpetua cum viris prudentiſſimis conſuetudine a puero ad ſolidam quamdam ac maſculam prudentiam formatus eſt, ſed et non multorum annorum adoleſcens, Boioariis praeſſe iuſſus, eo, quae didicerat, in vſu habere coepit. Hinc ea omnia, in quibus praecipue conſiſtit regnatrix illa prudentia, in LVDOVICO noſtro mirantur veteres. Bene ac ſapienter veterum non nemo cecinit:

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Ea virtus in LVDOVICO ſumma atque eximia fuit. Hinc REGINO (p), eum fatetur *in dandis ſiue ſubtrahendis publicis dignitatibus diſcretionis moderamine fuiſſe temperatum*, additque, *apud eum neminem inutilem valuiſſe: in eiuſque oculis perraro vtilem diſplicuiſſe.* Quumque prudentis ſit, et de inſtantibus veriſſime iudicare, et de futuris callide coniicere, in iure dicundo recte et ordine verſari, omnia pericula, omneſque inimicorum inſidias primum videre, deinde ea, qua opus eſt, ſollertia euitare: ea quoque laude LVDOVICVS noſter in primis excelluit, quippe MONACHI SANGALLENSIS (q) iudicio, *ad anticipandas vel ſuperandas omnes inimicorum inſidias et ſubiectorum litigia terminanda, fidelibuſque ſuis vniuerſa commoda prouidenda incomparabili viuacitate pollens*, et, vt addit REGINO (r), *eorum, quae religionis eſſent, quae pacis, quae iuſtitiae, ardentiſſimus exſequutor.* Non facile ergo quiſquam LVDOVICVM decipiebat, nemo illum opprimebat incautum, vt non tela, priuſquam vibrarentur, praeuideret, doloſque et conſilia hoſtium perſentiſceret ante, quam ſatis perpolita eſſent. Ea ſane prudentia filiorum inſidias feliciter effugit: eadem ſibi fratres, ſcelus anhelantes, peſtemque ſibi nefarie molientes conſilio non minus, quam armis, oppreſſit. Ea-

(p) *Ibid.*
(q) *Vit. Carol. lib. II. cap. 9. pag.* 580.
(r) *Ad a.* 876.

BIU Cujas

dem denique Hungaros, Slauos, Normannos, toti Germaniae ferrum flammasque minitantes, ita repressit cohibuitque, vt eo viuo nihil patriae detrimenti inferre possent, quum hi Galliam, Lotharingiam, immo et Hispaniam vna veluti ruina inuoluerent, tamque essent vbique formidabiles, vt bene secum actum crederent, qui quantacumque rerum iactura cum iis transigere possent. Denique adeo facile illi subolebat, prauum quorumcumque consilium, vt scribere non vereatur MONACHVS SANGALLENSIS (s): *quod si quid forte siniſtrum vel ineptum in eius conſpectu ſubito fieret, vel eum aliunde comperiſſe contingeret; ſola oculorum animaduerſione ſic omnia correxit, vt quod de aeterno internoque iudice ſcriptum eſt: rex, qui ſedet in ſolio regni ſui, intuitu vultus ſui diſſipat omne malum, ſupra fas, mortalibus conceſſum, in illo non ambigeretur incoeptum.* Quae quidem testimonia de LVDOVICI prudentia tam sunt omni exceptione maiora, vt plura accumulare nolim, id tantum obseruare contentus, LVDOVICVM, quod ad eam virtutem ac consiliorum promtitudinem attinet, vtrumque fratrem suum, quamuis eadem cura omnes procul dubio instituti formatique fuerint, longo post se interuallo reliquisse.

VII. Quemadmodum porro Francorum reges filios suos ad artes militares mature instituebant: ita nec LVDOVICVM nostrum huius expertem scientiae esse passus est pater. Hinc non modo eum adhuc vix adolescentem in castris habuit, sed et ducere ordines, explicare aciem, castra opportuno loco ponere, hostem adgredi, signaque rite conferre docuit. Notum est, anno 824. Brittones Armoricos adgressum Ludouicum Pium, et praeclara potitum victoria, omnia longe lateque ferro et igne deuastasse (t). Tum quidem in tres partes diuiso exercitu, vnam Pippino filio, iam Aquitanorum regi, alteram LVDOVICO nostro, Boioariae regi, tradidit, tertiam ipse in hostem duxit. Qua de re vetus annalium auctor (u): *imperator vero iter, quod in Britanniam parauerat, propter famem, quae adhuc praeualida erat, vsque ad initium auctumni adgredi distulit. Tum demum adunatis vndique omnibus copiis Redonas ciuitatem, terminis Britanniae contiguam venit, et inde, diuiso in tres partes exercitu, duabusque partibus filiis suis Pippino et* HLVDOVICO *traditis, tertiaque secum retenta, totam ferro et igne deuastauit: consumtisque in hac expe-*

(s) *Lib. II. cap. 9. pag. 581.*
(t) *Annal. Fuld. ad a. 824.*
(u) *Bertin. annal. ad eumd. annum.*

BIU Cujas

expeditione quadraginta vel eo amplius diebus, acceptis, quos perfido Brittonum populo imperauerat, obsidibus Rothomagum ciuitatem, vbi coniugem se opperire iusserat, ad XV. kal. Decembris reuersus est. Haec breuiter, vt solent annalium scriptores, qui rerum euentus pauciſſimis verbis signare magis, quam narrare, instituunt. At rem omnem multo luculentius retulit ERMOLDVS NIGELLVS (x), testis, si quis alius, idoneus, quippe qui ipse tum illi expeditioni interfuit (y). Is vero primum narrat, aduentantem ex Gallia nuncium, Britones omnes, excussuros Ludouici imp. imperium in armis esse. Decreuisse Caesarem expeditionem, vndique exciuisse copias, armaque diligenter parasse. Contractis copiis Ludouicum trifariam partitum exercitum, parti eius ipsum praefuisse, alteri praefecisse Ludouicum, tertiae Pippinum, et vtrique viros fortissimos, LVDOVICO quidem MATFRIDVM; Pippino Helisacharem adiunxisse.

Diuisit populum ternis sub partibus omnem
Ductoresque dedit, ordinat et proceres.
Partem vnam aequiuoco belli committit, et vna
MATFRIDVM *sociat, millia multa simul.*
Pippino regi huic Helisacharque potentes
Iunguntur, numero cetera turba caret.
Agmen ouans Caesar medium sibi vendicat ipse
Belliger, et sapiens ordine bella gerit.

Dein-

(x) *De reb. Ludouici Pii lib. IIII. pag. 937.*

(y) ERMOLDVS ille NIGELLVS abbas fuit, monasterii, vti Lud. Ant. Muratorius in praefatione suspicatur, Anianensis. Quum ergo pleraque tum monasteria *dona et militiam facere* tenerentur regibus, quorum notitiam debemus Stephano Baluzio *tomo I. Capitular.* nihil frequentius fiebat, quam vt abbates aeque, ac episcopi, bellis interessent, suosque adducerent milites. Thomassin. *de discipl. eccles. part. III. lib. I. cap. 40.* Quum ergo ad bellum istud Britannicum omnes vndique copias exciuisset imperator, dum

Francia cuncta ruit, veniunt gentesque subactae

inter Pippini copias Aquitanicas suos adduxit etiam Ermoldus, poëta, quam miles, melior, quemque armis indutum, Pippinus, rex Aquitaniae, suauiter risit. Ita enim ipse *lib. IIII. v. 135.*

Huc egomet scutum humeris ensemque revinctum
Gessi, sed nemo, me feriente, dolet.
Pippin hoc adspiciens risit, miratur, et infit:
Cede armis, frater, litteram amato magis.

Eo certius itaque, quidquid tum gestum est, memoriae prodere potuit, quo propius adcuratiusque omnia coram adspexit.

BIU Cujas

Deinde, quam cladem tum passi sint Brittones, quae facta sit totius prouinciae, quam opulentam praedam, quantam captiuorum turbam abduxerint, refert, et in primis LVDOVICI nostri virtutem laudat:

Hos Lantpertus agit, hos ducit in agmina MATFRIED;
Et, HLVDOVICE *puer, bella paterna geris.*

Puerum vocat septendecim annorum adolescentem, more Germanorum, quibus iam POMPONIVS MELA (z) *longam pueritiam* tribuit. Eius vero legati, LANTPERTVS et MATFRIDVS, in Francorum annalibus passim celebrantur, eorumque alterum Namnetensium, alterum Aurelianensium comitem (a) fuisse constat. Quantum ergo belli artibus valuerit LVDOVICVS, si nullo alio argumento, vel eo saltim constaret, quod inter arma, vti olim Hannibal, et adoleuerit, et postea perpetuis hostium iniuriis lacessitus consenuerit. Quum vero satis intelligeret, quantumuis exercitum, quamquam bene instrutum, nisi adcurara disciplina in officio contineatur, tamquam magnam aliqnam molem, nec facile moueri, et sibi ipsi impedimento esse: nihil ipse prius, nihilque antiquius habuit, quam vt probe armatos, et morigeros haberet milites, eosque ad omnem belli casum paratos exercitatosque haberet. Hinc REGINO (b) eum vocat *in praeliis victoriosissimum, armorum, quam conuiuiorum adparatibus studiosiorem, cui maximae opes fuerint instrumenta bellica, plus diligentem ferri rigorem* (c) *quam auri fulgorem.* Et MONACHVS SAN-

(z) *De sit. orb. lib.* III. *cap.* 3.

(a) Est hic ipse MATFRIDVS, qui postea male meritus de Ludouico Pio Lotharium aduersus patrem sollicitauit. Vnde eum *maximum malorum omnium incentorem* vocat Theganus *de gest. Ludouici Pii cap.* 55. qui addit, eum supplicem factum Ludouico Pio, impetrata a principe magnanimo venia, statim mortuum esse, eumque postea et reliquos eiusdem criminis socios breui esse sequutos. Quod et auctor *Vitae Ludouici* obseruat *pag.* 412.

(b) *Ad a.* 876.

(c) Mos enim erat non modo Francorum regibus, sed et reliquis militibus, totum fere corpus ferro armare. De Carolo sane M. monachus Sangallensis refert in *Vita Caroli M. lib.* II. *cap.* 12. *pag.* 59. suscepta a Carolo M. expeditione Langobardica, Desiderio rerum suarum anxio dixisse Otkerum: *quando videris segetem campis inhorrescere ferream, Padumque et Ticinum marinis fluctibus ferro nigrantibus muros ciuitatis inundantes, tunc est spes Karoli venientis. His necdum finitis, primum ad occasum Circio vel b orea coepit adparere, quasi nubes tenebro-*

BIU Cujas

SANGALLENSIS (d) laudata Caroli M. disciplina militari, statim subiicit: *quod exemplum religiosissimus pater vester* (LVDOVICVS) *non semel, sed per totam vitam suam ita imitatus est, vt nullus, qui eius agnitione et doctrina dignus videbatur, aliquid in exercitu contra hostem, nisi tantum arma militiae et lanea vestimenta cum lineis portare praesumeret. Quod si quisquam inferiorum disciplinae illius ignarus aliquid de serico, auro vel argento circa se habens, eum forte incurrisset, his verbis increpatus et melioratus, immo sapientior effectus abscessit: o te bis aureum, eccum, o te argenteum, o te totum coccineum!* Adeo LVDOVICO idem placuit, quod olim Alexandro M. (e), torua et inculta acies, clypeis hastisque immobiles cunei, conserta virorum robora, milites, quibus fatigatis humus cubile sit, quos cibus, quem occupent, satiet, quibus denique tempora somni arctiora sint, quam noctis, non ignarus, aurum, argentum, purpuram, et emollire animos, et hostibus fere in praedam circumferri. Sed et in eo Alexandrum imitatus est noster, quod exemplo potius, quam seueritate, disciplinam militarem tueretur, nihil exigens a milite, nisi, quod fieri posse, ipse prius suo facto ostendisset. Eum in finem ipse insignem sibi armorum scientiam, corporisque et brachiorum admirabile robur adsidua exercitatione pepererat, quod et deuexa aetate integrum atque illibatum retinuit, adeo, vt nemo illo scitius arcum tenderet, sagittis iacularetur, gladium vibraret, et eductum vagina ad capulum vsque

brosa, quae diem clarissimum horrentes vertit in vmbras. Sed propiante imperatore, paullulum ex armorum splendore dies omni nocte tenebrosior oborta est inclusis. Tunc visus est ipse ferreus Karolus, ferrea galea cristatus, ferreis manicis armillatus, ferrea thorace ferreum pectus humerosque platonicos tutatus, hasta ferrea in altum subiecta sinistram impletus, nam dextra ad inuictum chalybem semper erat extenta. Coxarum interiora, quae propter faciliorem adscensum in aliis solent loriea nudari, in eo ferreis ambiebantur bracteolis. De ocreis quid dicam? quae et toti exercitui solebant ferreae esse semper vsui. In clypeo nihil adparuit, nisi ferrum. Caballus quoque illius animo et volore ferrum renitebat. Quem habitum cuncti praecedentes, vniuersi ex lateribus ambientes, omnesque sequentes, et totus in commune adparatus iuxta possibilitatem erat imitatus. Ferrum campos et plateas replebat: solis radii reuerberabantur acie ferri: frigido ferro honor a frigidiori deferebatur populo: splendidissimum ferrum horror expalluit cloacarum. O ferrum, heu ferrum, clamor confusus insonuit ciuium. Habes exercitum Francorum tantum non totum ferreum.

(d) *Lib.* II. *cap.* 12. *pag.* 593.

(e) Curt. *lib.* III. *cap.* 2.

BIU Cujas

que retorqueret. Cuius rei ſpecimen, quod Nordmannorum legatos in ſtuporem atque admirationem rapuit, anno aetatis ſeptuageſimo datum, idem deſcribit monachus Sangallenſis (f). Siquidem neglecto auro depoſcens gladios, quos legati inter reliqua munera aduexerant, vnum ſenili manu confregit, alterius aciem ad capulum vſque, mirantibus omnibus, deflexit (g), omnium, quae diceret ageretque, arte quadam oſtentator, ceu de Muciano CORNELIVS TACITVS praedicat.

VIII. Poſtremo quum nihil ſit, quod magis deceat ornetque bonum principem, quam animi magnitudo, omnibus omnino ſordibus et corruptionibus ſuperior: hanc quoque virtutem ab ipſa adoleſcentia ita expreſſit, vt teſte REGINONE (i), *nemo muneribus corrumpere, nemo ab illo pecunia aliquam dignitatem ſiue eccleſiaſticam, ſiue mundanam poſſet obtinere*, ſed illam *probis moribus et ſanctae conuerſationi*, hanc *deuoto ſeruitio et ſincerae fidelitati* donaret. Quam vile illi aurum fuerit, iam ex MONACHO SANGALLENSI vidimus. Quod huius virtutis ſpecimen, quamuis ad extremam eius aetatem pertineat, argumento tamen eſt luculentiſſimo, iam a prima aetate eum ab omnibus ſordibus, omnique habendi cupiditate fuiſſe alieniſſimum. Solet enim illud vitium non decreſcere ac minui per aetatem; ſed cum ipſis annis magis magiſque amplificari, vt numquam de viatico magis, quam quando illo non opus eſt amplius,

(f) *Lib.* II. *cap.* 13. *pag.* 594.

(g) En ipſa eius verba: *quum reges Nordmannorum ſinguli pro deuotione ſua aurum illi et argentum, et, pro ſempiterna ſubiectione vel deditione, gladios ſuos ipſi dirigerent: praecepit rex, vt pecunia quidem in pauimentum proiiceretur, et a nullo, niſi indignanter adſpiceretur, ſed potius ab omnibus, velut lutum, conculcaretur, gladios vero, in ſublimi ſolio reſidens ſibi attentandos iuſſit adferri. Porro legati metuentes, ne quid ſiniſtrae ſuſpicionis contra eos poſſet oriri, eo modo, quo ſolent miniſtri dominis ſuis cultellos de ſummis oris praebere, ita ſpatas imperatori cum ſui periculo porrigebant. Quarum ille quum vnam de capulo acceptam, et ab extremitate vltima ad ſummam curuare niteretur, inter fortiores ferro manus diſrupta eſt. Tunc vnus de miſſis ſuum de vagina protrahens, miniſtrantiumque more ad ipſius obſequelam protendens: domine, inquit, vt credo, et flexibilis et rigida inuenietur iſta ſpata ad votum victorioſiſſimae dextrae veſtrae. Qua Caeſar accepta, et vere Caeſar, iuxta vaticinium Iſaiae: attendite ad petram, vnde excisi eſtis, deuota Germaniae populoſitate ſingulari diuinitatis opificio in antiquos hominum artus et animos adſurgens, ab ora vltima capulotenus in modum viminis contraxit, et ſenſim ad ſtatum priſtinum redire permiſit. Tunc legati ſemet adſpectantes, et ad alterutrum obſtupeſcentes: o, inquiunt, principibus noſtris tam vile videretur aurum, et ferrum tam pretioſum!*

(i) *Ad a.* 876.

BIU Cujas

plius, laborare videantur. Nec minorem in eo animi magnitudinem ostendit, quod victorias suas clementia temperaret, nihil adpeteret alieni, quin ab ipsis victoriis, cum multorum Christianorum clade coniunctis, abhorreret. Sane, profligato Lotharii fratris exercitu, eo adduci non potuit, vt cruenta victoria frueretur, et fugientium hostium persequeretur reliquias (k). Idem quum Carolo Caluo fratri regni Lotharingici partem mortuo Lothario extorsisset, religioni sibi duxit illam, viuo Ludouico II. imperatore, sibi retinere, sed inusitato abstinentiae exemplo eam vero domino vltro restituit, bonitate naturae suae ad id adactus, ad quod armis adigi a Ludouico numquam potuisset (l). Anno enim 882. *cum Ingelberga*, LVDOVICI II. *imp. vxore colloquutus apud Tridentum, partem regni Lotharii, quam contra Carolum acceperat, clam reddidit*, non minus glorioſum sibi ducens, restituere regnum vero domino, quam illud armis armorumue metu iniusto inuasori extorquere (m). Denique breui ante mortem, quum, Carolo Caluo Italiae regnum, ipsamque augustam dignitatem praeter ius et fas adfectante, in Galliam suscepisset expeditionem, et in summa spe esset rei bene gerendae, *misericordia motus, multorumque precibus exoratus, ne Galliae regionem propter Karoli stultitiam perderet, in regnum suum, mense Ianuario rediit* (n), omnibusque victoriis ac triumphis pulcriorem de se ipso victoriam retulit. Illud porro quis satis miretur, LVDOVICVM, tot suorum iniuriis irritatum, a caedibus ac suppliciis adeo abhorruisse, vt ne sontium quidem et in fa-

(k) Nithard. *lib.* III. *pag.* 463.

(l) *Annal. Bertin. ad a.* 872. *Contin. Aimonii, lib.* III. *cap.* 28.

(m) Reprehensionem annalistae Bertiniani et Aimonii ideo incurrit Ludouicus noster, quod id fecerit *neglectis sacramentis inter eos pactis, sine consensu ac conscientia hominum quondam Lotharii, qui se illi commendauerint, adeoque inter Ludouicum et Ingelbergam noua sacramenta, prioribus sacramentis, quae cum fratre suo pepigerit, diuersa et aduersa sint facta.* Sed mira religio, sacramenta vrgere, et alienas res inuito vero domino retinere. Carolo procul dubio iurauerat Ludouicus, se parte illa contentum nihil amplius a fratre exigere velle. An id sacramentum ei obstare potuit, vt partem suam redderet vero domino? At id fecit insciis Lotharingici regni proceribus, qui ei fidem iurarant. Num vero ei non licuit, illis gratiam facere iurisiurandi ea lege, vt vero suo domino se, prout par esset, subiicerent? Siccine quocumque iureiurando quisquam mortalium impedietur, quo minus faciat, quod ius et aequum exigit, puta vt ablatum restituat, efficiatque, quantum in se est, vt res ad verum dominum redeat? Sic periit frons de rebus.

(n) *Annal. Fuld. ad a.* 876.

BIU Cujas

cinoribus deprehensorum sanguine dolori suo parentare sustinuerit? Id vero de eo diserte testatur MONACHVS SANGALLENSIS (o), cuius verba, quia nescio quid αἰνιγματῶδες continent, integra hic adscribere visum est. *Cunctis*, inquit, *gentilibus, circumque vniuersis anterioribus suis magis magisque terrificus subinde perseuerabat, et merito, quippe qui numquam linguam suam aut manus suas effusione sanguinis Christiani commacularet, praeter vltimam necessitatem. Quam prius enarrare non audeo, quam aliquem paruum Ludouiculum aut Carolastrum vobis adstantem video* (p). *Postquam tamen ad caedem nullo modo compelli potuit, vt quemquam condemnaret ad mortem. Sed tamen hac districtione infidelitatis vel insidiarum insimulatos coërcere solebat, vt honoribus priuatos nulla vmquam occasione vel temporis longitudine ad pristinum gradum adscendere pateretur.* Tot ergo virtutes, quibus LVDOVICVS excelluit, si quis naturae tantum bonitati

(o) *Lib.* II. *cap.* 9. *pag.* 580.

(p) Quaenam vero illa extrema necessitas, quae Ludouicum, clementissimum principem, exemplum facere coëgit, quamque non prius enarrare audet, quam Carolo Crasso Ludouicum vel Carolum filium adstantem viderit? Eadem formula et alibi vtitur, *lib.* II. *cap.* 10. *pag.* 585. vbi obseruans, Pippinum, Caroli M. nothum, ob coniurationem in monasterium S. Galli deportatum, a patre demum optionem accepisse, vt locum sibi, in quo degere vellet, ipse eligeret, statim addit: *qui optione concessa, optauit locum in quodam monasterio; tunc nobilissimo, nunc autem, non incertum, de qua causa, destructo: quam antea non absoluam, quam Bernardulum vestrum spata femur accinctum conspiciam.* Et posterius quidem facilius intelligitur. Monasterium, quod sibi elegit Pippinus, fuit Prumiense. Id monasterium destructum est a Nordmannis, ab Hugone, Lotharii II. Lotharingiae regis, notho, regnum patrium sibi vindicaturo sollicitatis, *Annal. Met. ad a.* 885. et quidem anno 891. *Annal. iid. a.* 892. Hac ergo de re apertius loqui non audet monachus, ne de Hugonis nothi prauo consilio Lotharingiam sibi vindicandi differens, praeiudicium facturus videretur Caroli Crassi BERNARDVLO, quem pater liberis legitimis destitutus sibi successorem destinauerat. Si ergo Bernardulum illum ense solemniter accinctum viderit, eoque deprehenderit argumento, illum non clericatui, sed regimini destinatum esse, tum vero se illam tragoediam, quam tum dederit Hugo, pluribus eloquuturum pollicetur. At tanto difficilior est prioris aenigmatis solutio. Ego me saltim hic Dauum, non Oedipum esse, profiteor. Neque enim ex historia satis constat, quae necessitas extrema LVDOVICVM eo adegerit, vt praeter institutum suum a quibusdam supplicium sumeret. Multo minus idonea excogitari posse videtur ratio, cur eam rem non prius enarrandam sibi crediderit, quam Carolo Caluo Ludouiculum aliquem aut Carolastrum adstantem viderit. Certum tamen est,

BIU Cujas

ti tribuat: nae is ipsam hominis naturam parum perspectam habere videtur. Experientia enim ipsa satis ostendit, ingenia etiam excellentissima, tamquam arbores, facile silvescere, nec ad frugem peruenire, nisi adcurata cura ac cultura, qua coërceantur, accedat. Quod et LVDOVICO, nisi ea, qua par est, cura formatus institutusque esset a parentibus, tanto facilius procul dubio euenisset, quo facilius tanta fortuna erectiora ingenia corrumpit.

VIIII. Ceterum in puerilem illam LVDOVICI aetatem nihil aliud praeterea incidit, quam prima fratrum natu maiorum LOTHARII et PIPPINI honorum auspicia. Obseruant enim eorum temporum annales (q), LVDOVICVM Pium imp. anno 814. Lotharium in Boioariam, Pippinum in Aquitaniam misisse. Non satis exprimunt, quo titulo hos filios pater ornarit, quantumque fuerit, quod in prouinciis istis gesserint, imperium. At vix dubitandum videtur, quin regum vocabulo donati prouincias illas vice patris eiusque auspiciis rexerint, praesides potius, quam veri reges, et ob adolescentiam, (Lotharius enim tum decimum septimum, Pippinus decimum quintum vel sextum aetatis annum attigerat), virorum quorumdam grauium ac prudentum curae crediti. Prius enim satis patet ex CHRONICO MOISSIACENSI (r), cuius auctor ad annum non 714. sed insequentem: *et III. Kal. Aug.* inquit, *habuit consilium magnum in Aquis, et constituit duos filios suos* REGES, *Pippinum* (s) *et Clotharium super Bagoaria.* Posterius vero non alio argumento luculentius probatur, quam quod anno 814. et sequentibus, diplomata ad Boioariam et Aquitaniam pertinentia, quorum permulta ex monasteriorum tabulariis eruerunt HVNDIVS et GE-

est, monachum illum, qui se *lib. II. cap. 12. pag. 591. balbum et edentulum* vocat, non alium fuisse, quam NOTKERVM BALBVLVM, virum non modo doctum pro saeculo suo, sed et prudentissimum, adeoque sub illa narratione aliquid latitare, quod, quale fuerit, hodie nescimus, magnum aliquid, et ad familiae regiae controuersias pertinens, fuisse, satis animaduertimus. Quamobrem aliis me acutioribus, et maiore fortassis rerum adparatu instructis hoc, quidquid est, diuinandum relinquo.

[q] *Annal. Bert.* et *Metenſ. ad a.* 814.

[r] Apud du Chesne *tom. III. pag.* 147.

[s] Ita apud Chesneum legitur: quamuis procul dubio aliquot verba textu exciderint, legendumque omnino videatur: *et constituit duos filios in* REGES, *Pippinum in Aquitania, et Clotharium in Bagoaria.* Talia multa occurrunt in pretiosa illa ANDR. DVCHESNII collectione, ex quibus colligas, illius editioni parum curae adhibitum.

BIU Cujas

WOLDVS (t), et STEPH. BALVZIVS (u), non Lotharii vel Pippini, sed Ludouici Pii nomine scripta sunt, isque adeo in filiorum regnis et beneficia, et priuilegia suo arbitrio elargitus est, et reliqua omnia suo lubitu disposuit. Interea LVDOVICVS noster adhuc puer septennis, teste auctore *Vitae Ludouici Pii* (x), adhuc in parentum amplexibus haesit priuatus et anno 816. eos in Galliam ad excipiendum STEPHANVM papam V. proficiscentes comitatus est. Quum enim ERMENGARDIS Ludouicum Pium eo comitata sit, corona imperiali a pontifice cingenda (y): non sane probabile est, LVDOVICVM auelli se passum a parentum amplexibus. Immo res certa est, ex ERMOLDI NIGELLI (z) testimonio, qui toto illo imperatoris et pontificis maximi congressu mira facundia descripto, demum de muneribus ab hoc distributis addit:

Multaque praeterea cumulauit munera praesul,
Aurum seu vestes, quae sibi Roma dedit.

Dona dat Augusto, Augustae, SOBOLIQVE VENVSTAE,
Et famulis tribuit ordine dona suo.

Atqui Lothario paullo ante in Boioariam, Pippino in Aquitaniam missis, nullus filiorum Ludouicum Pium tum comitatus videtur, praeter LVDOVICVM nostrum, cui et VENVSTI elogium, tamquam nouenni puero, omnium maxime conuenit. Et haec quidem de eius pueritia et educatione ex coaeuis monimentis eruere licuit: proximum est, vt ad alia digniora notatu progrediamur.

[t] Gewold. *Metrop. Salisburg. pag.* 86.
[u] *Capitular. tom. II. pag.* 1405. *sequ.*
[x] *Ad a.* 814. *pag.* 362.
[y] Theganus *de gest. Ludou. Pii cap.* 17.
[z] *Lib. II. v.* 457.

CAPVT

BIU Cujas

* * * * * * * * * * * * *

CAPVT IIII.

DE LVDOVICI REGNO BAVARICO VSQVE AD TVRBAS EX IMPERII DIVISIONE ORTAS.

I.

AT annus demum 817. nouum quid et memorabile aduexit. Eo enim anno consilium cepit Ludouicus Pius diuidendi prouincias, filiosque suos, quorum tres eum habuisse diximus, ad fastigium regium euehendi. Quod profecto consilium et praeceps, et rei publicae, ipsique Ludouico imp. pernicioſissimum fuisse, euentus postea docuit. Equidem excusari quodammodo posset regni diuisio, quippe quae ab ipsa regni origine ad illa tempora vsque veluti in mores iuerat, adeo vt regum filii eam veluti suo quodam iure exigere posse viderentur (a). Nec ei vitio verti potuisset successoris in Augusta dignitate regnoque designatio, quum et id CAROLI

(a) Reges Merouingicos in tot partes diuisisse regnum, quot filii regis essent superstites, adeo in vulgus notum est, vt probatione non indigeat, idque vel inde patet, quod ab anno 481. quo regnare coepit CHLODOVAEVS, ad annum 752. quo CHILDERICVS, eius stirpis postremus, in monasterium detrusus est, non nisi CHLOTHARIVS I. CHLOTHARIVS II. et pauci aliquot successores, corrigente hominum errorem fortuna, toti Francorum imperio praefuerint, et ne illegitimi quidem et ex damnatis amplexibus nati regum filii successionis exsortes haberentur, ceu testatur Gregorius Turon. *lib. V. cap.* 21. et exemplis Theodorici I. apud Auct. *gest. Franc. epitom. cap.* 14. Theodebaldi apud Gregor. Turon. *lib. III. cap.* 27. Sigeberti et Chilperici apud eumdem *lib. IIII. cap.* 3. docuimus in *Elementis iuris Germ. lib. I.* §. 147. *pag.* 68. Quin tantum abest, vt Chlodouaeus demum, vel eius liberi, de diuidundo regno cogitarint, vt iam Chlodouaeus non omnibus Francis initio imperarit, sed socios imperii habuerit RAGINARIVM Cameracensem, et SIGEBERTVM Colonienſem, ab ipso demum Chlodouaeo nefarie obtruncatos. Greg. Turon. *lib. II. cap.* 40. *et* 42. Sed et in altera familia res non aliter se habuit. PIPPINVM enim regnum inter CAROLVM M. et CAROLOMANNVM filios diuisisse, nemo ignorat. Hermann. contract. *ad a.* 768. Sed et CAROLVS M. regnum inter CAROLVM, PIPPINVM, et LVDOVICVM PIVM diuiserat, exstatque eam in rem eius testamentum circa annum 806. scriptum apud Petr. Pithoeum

Script.

BIU Cujas

LOLI patris auique PIPPINI exemplo faceret (b), inter quorum facta et hoc in primis tamquam eximium prudentiae ciuilis argumentum celebratur, quod in nouo regno mature successorem sibi designandum existimarint, ne properantibus fatis exstincti variis tumultibus res publica concuteretur. Enimuero id omnino pernicioſi ad posteros exempli fuit, quod Ludouicus Pius et praecipitauit hoc consilium, quum esset annorum quadraginta, et non contentus filios successores designasse, eos in amplissimarum prouinciarum possessionem mittere, regiisque condecorare ornamentis non dubitauit. Eo ipso enim non modo liberos diuisionem, ob filium postea natum emendaturus a se imprudenter alienauit, sed et iisdem arma, quibus aduersus illum impie abuterentur, stolide suppeditauit. Quare vt ipsam diuisionem in se parum laudabilem esse fateamur, quippe qua imperium potentissimum, quod vno regnante steterat, maxime concussum, et tantum non euersum est (c): eam tamen magis moribus paternis, quam Ludouici Pii imprudentiae, tribuimus. At quod id nulla exigente necessitate iuuenis adhuc facere instituit, quodque filios regiae dignitatis ipsiusque imperii participes se viuo esse voluit: id vero imperatori soli imputandum esse, nemo inficias iuerit. Et inde demum est illa malorum Ilias, quae et familiam

Script. XII. hist. Franc. pag. 283. Et quamuis postea vtroque casu, praemortuis fratribus indiuisum maneret imperium: illud tamen semper diuidi et potuisse et debuisse inter filios, certissimum est: adeoque calculum non recte ponere, qui Ludouicum ob ipsam factam diuisionem reprehendunt.

(b) CAROLVM M. breui ante mortem anno 813. imperii regnique participem fecisse LVDOVICVM Pium, qui ex filiis suis solus erat superstes, testantur omnes eorum temporum annales, et *Vitae Ludouici* auctor *ad a.* 813. *pag.* 357. Idem vero et PIPPINVS fecit, qui quum satis animaduerteret, sibi, non optimo titulo regi, et nouae potentiae primo in familia sua auctori maiore auctoritate opus esse, non satis habuit, quod anno 752. a S. Bonifacio vnctus coronatusque esset, *Annal. Fuld. ad a.* 752. sed adscito Stephano papa anno 754. non ipse modo idem decus ex eius manibus accepit, sed et filios CAROLVM et CAROLOMANNVM, tamquam successores designatos, coronis incingi voluit. *Annal. Metenſ. ad a.* 754. *Stephanus papa, quod iam diu per consilium absens Pippino principibusque Francorum mandauerat, praesens expleuit, ordinauitque secundum morem maiorum vnctione sacra* PIPPINVM *piissimum principem Francis in regem et patricium Romanorum, et* FILIOS *eius duos* FELICI SVCCESSIONE *Karolum et Karlomannum eodem coronauit honore.* Add. *Annal. Fuld. ad a.* 753. In nouo enim imperio permultum interesse solet primi adquirentis, ne dubia sit filiorum successio.

[c] Schurzfleisch. *diss. de diuis. regni Carol.* §. 1. *seqq.*

BIU Cujas

liam auguſtam, excelſe adhuc florentem, quam ipſum regnum potentiſſimum paullatim miſere confecit.

II. Conſilium hoc LVDOVICVS pater primum cepit eo ipſo anno 814. quo ipſe CAROLO M. patri ſucceſſerat, quippe quo tempore illum LOTHARIVM in Boioariam, PIPPINVM in Aquitaniam miſiſſe diximus (d). Quamuis vero vtrumque tunc regium nomen ferre vellet, ceu ex vetuſtis monaſterii MOISSIACENSIS *annalibus* (e) oſtendimus: monuimus tamen ſimul, non tam regium imperium, quam nomen tum adhuc permiſſum eſſe adoleſcentibus, eoſque patris auſpiciis, et ſub manu aliorum, quos illis adiungere patri placuerat, quidquid agerent, egiſſe. At anno erae Chriſtianae 817. ſuccreſcente iam LVDOVICO, ne et hic exſors eſſet regni paterni, nouam partitionem fecit, qua LVDOVICO Boioariam, antea LOTHARIO deſtinatam; PIPPINO adſignatam iam pridem Aquitaniam; LOTHARIO reliquam Franciam cum dignitate auguſta attribuit. Teſtes huius diuiſionis habemus ſcriptores annalium, qui haec tempora attigerunt, tantum non omnes (f), ſed in his duos potiſſimum, qui, quid tum actum ſit, paullo diligentius prodiderunt memoriae, AGOBARDVM (g), et auctorem vitae LVDOVICI PII aſtronomum (h), ex quibus adeo rem omnem enarrare iuuat. Obſeruant chronographi paene omnes, quadrageſimali huius anni tempore fere exacto, vltimae hebdomadis die quinta, qua inſtitutae ſacroſanctae euchariſtiae memoriam recolit eccleſia, imperatore Compendii a templo domum ſe recepturo porticum ligneam, per quam eſſet eundum, ſubito collapſam, incredibilem comitatui metum incuſſiſſe, verentibus omnibus, ne imperatorem ruina oppreſſerit: hunc tamen diuinitus procul dubio ſeruatum ſine magna laeſione feliciter euaſiſſe. Nam *quum viginti, vel eo amplius comitum*, vti ait ASTRONOMVS (i), *cum eo ad terram vſque deciderint, variaſque incurrerint calamitates: ille nil triſtioris incurrit iacturae, praeter imi pectoris locum, cui illiſus eſt capulus enſis, vltimaque auris cutis paullulum exſpoliata, ſed et crus illius iuxta inguina cuidam ligno impactum, cui tamen citiſſime eſt ſubuentum. Adhibito enim medicorum ſtudio quam breui priſtinae ſaluti eſt reſtitutus?* Quae eadem omnia et ANNALIVM

[d] *Lib. I. cap. 3. §. 9.*
[e] *Ad a. 815.*
[f] *Annal. Fuld. Hildeſ. Bertin. Moiſſiac. Laureſham. ad a. 817. Nithard. lib. I. pag. 435. Thegan. cap. 12.*
[g] *Epiſt. ad Ludouicum n. 4.*
[h] *Ad a. 817. pag. 368. ſequ.*
[i] *Vit. Ludouici Pii ibid. pag. 367.*

BIU Cujas

BERTINIANORVM auctor (k) memoriae prodidit. Solent huius modi casus mirifice percellere animum, eumque admonere communis mortalitatis, et, quam incertae fluxaeque sint res mortalium, hominibus etiam sui oblitis in memoriam reuocare. Id et LVDOVICO Pio contigit, qui eo defunctus periculo, vti pietatis erat studiosissimus, ab eo tempore animum ad aeternitatem componere, et de imperii rebus, si quid sibi humani contigerit, quam primum constituendis serio cogitare coepit. Accessit et alia causa, quae imperatorem mouisse videtur ad maturandum vel praecipitandum illud consilium, quod cum maxima rei publicae clade coniunctum fore, praeuidere, si mens non laeua fuisset, facillime poterat. Videbat trigam filiorum, acerrimi animi potentiaeque auidissimorum iuuenum. Animaduertebat procul dubio, Lotharium natu maiorem iam eius esse aetatis, vt non videretur aequo animo vel priuatus esse, vel Boioariae finibus circumscribi velle. LVDOVICVM quoque nostrum, adhuc exsortem paternorum regnorum, procedente aetate res nouas molituru[m], suspicabatur, nisi et ipse in tributum veniret. Denique, si dicendum, quod res est, imperator sensisse videtur imperii molem, et vix paris tanto oneri animi sibi probe conscius nulla de re magis cogitasse, quam de signo receptui quam primum dando, imperiique insignibus cum cuculla aliquando commutandis (l). Ad quod eligendum

[k] *Ad a.* 817.

[l] Fateor equidem, me hic aequalis cuiusdam auctoris testimonio destitui. At coniecturae huius meae rationes mihi habere videor plures, easque grauissimas. Nam primo adeo pietati vacabat Ludouicus Pius, vt inde cognomen Pii tulerit. Erant vero tum tempora, quibus soli paene monachi id, quod ea in virtute summum est, adsequi posse videbantur. Deinde huius modi casus, qualem hoc ipso paragrapho descripsimus, tum plerumque hominibus ad fugiendum hominum consortium, et monasterium aliquod, tamquam in portum, petendum incitamento fuisse animaduertimus. Cuius rei exemplum, vti alia innumera praetermittam, est in *Excerpto vitae S. Benedicti Anian.* apud Du Chesne *tom. III. pag.* 389. Praeterea non semel multo ante haec tempora consilium istud Carlomanni propatrui vestigia premendi prodiderat LVDOVICVS noster, id iam pridem exsequuturus, nisi ei patris obstitisset auctoritas. Qua de re Astronomus in eius *Vita ad a.* 811. *pag.* 355. *nam antequam Aquitania sub eo regnaretur, collapsus erat in ea huius modi ordo: at sub eo adeo conualuit, vt etiam ipse fraternum aui Carlomanni imitari gestiens memorabile exemplum, ipse quoque theoricae vitae culmina niteretur comprehendere. Sed huius voti ne compos fieret, obicem se praebuit refragatio patris, vel potius diuinae voluntatis nutus, qui tantae pietatis virum noluit sub cura suae solius salutis delitescere, sed potius per eum, et sub eo, multorum*

BIU Cujas

gendum vitae institutum se eo expeditiorem futurum sperabat, si non modo de futura filiorum suorum successione certum quid statuisset, sed et viuus ac spirans cuique regni partem adsignasset, vt et certa esset cuiusque possessio, et haberent singuli, in quo regnatricis prudentiae, se rerum summam moderante, caperent experimentum. Sed haec omnia, summum numen aliter, quam imperator sperauerat, euenire passus est, vt quod firmissimum concordiae caritatisque fraternae vinculum futurum, animosque filiorum sibi perpetuo obnoxios redditurum crediderat, id ipsum a patre liberos, fratres a fratribus quam maxime abalienaret, regnique Francorum tum florentissimi opes innumeris cladibus exhauriret. Quam sequuturam paullo post malorum Iliadem cometam, eius anni initio nonis Februariis fulgentem in signo sagittarii (m), gladiique figuram cauda referentem (n), minaci vultu praenunciasse, siue vulgata inter homines opinione, siue communi mortalium ea omnia, quae non quotidie contingunt, in futuri praesagium rapientium, errore, creditum est.

III. Simul ac conualuerat LVDOVICVS PIVS imp. vicesimo die, postquam porticus ruinis paene fuerat oppressus, Nouiomagum venatum petiit, atque inde Aquisgranum, vbi frequentissima comitia in

torum salutem adolescere. Denique quod Lotharius filius, coorta non multo post dira illa patris filiorumque dissensione, tam impudenter postulauit, vt pater comam poneret, et in monasterio aliquo in posterum delitesceret, eius rei non aliam causam habuisse videtur filius, quam quod consilium istud suum ante IVDITHAE amplexus non semel prodidisset. Id enim filius pro voto quam primum soluendo habuisse videtur. Quin eo ipso tempore totus erat Ludouicus imp. in emendando instituto monastico, et nobilissimis istis condendis Capitularibus, quae ad hunc annum retulit Steph. Baluz. *Capitular. tom. I. pag. 579. sequ.* condendoque non procul ab Aquisgrano monasterio Indensi, eo inter alia consilio, vt

Illuc conuersi caperent mox munera Christi:
Atque VOLENS *placitum* CONSILIVM *acciperet;*

id est, vt et alii rerum humanarum pertaesi monasticum institutum ibi eligerent, et ipse, si ita videretur, consilium illud suum vitam illam solitariam regni fascibus praeferendi tanto facilius eo loco, a palatio imperii non adeo remoto, exsequeretur. Ita Ermoldus Nigell. *de rebus Ludou. Pii, lib. II. v. 580.* Qui et paullo post miram Ludouici Pii in ornando illo monasterio industriam celebrat, eumque ibi simul regis, simul veluti abbatis officio functum esse refert.

(m) *Annal. Bertin. et Metens. ad a. 817. Vita Ludouici pag. 566.*

(n) *Annal. Fuld. ad a. 817.*

BIU Cujas

in mensem Iulium indixerat, digressus est (o). Eo in conuentu non modo res imperii prudenter constituit, leges emendauit, nouasque, quas e re publica fore credebat, condidit, verum etiam de communi episcoporum atque abbatum sententia sacerdotum monachorumque mores per totum imperium in melius formare instituit, scripto ea de re libro, *in quo totius illius ordinis perfectio contineretur*, eoque per legatos seu missos suos vbique per imperium suum diuulgato (p), *vt omnes tam viri, quam sanctimoniales, sub hoc ordine Christo seruientes, nullis praepediti necessitatibus libera seruitute domino omnium militare meminissent* (q). Qui liber et in ipso Casinensi monasterio, tantam postea auctoritatem consequutus est, vt, teste LEONE OSTIENSI (r), non minus, quam ipsius sancti Benedicti regula religiose obseruaretur. Quae quamuis pro solita pietate sua faceret imperator, bonique omnes incredibilem inde caperent voluptatem (s), episcopos tamen ac abbates quosdam, vitae laxiori adsuetos, pristinaeque licentiae tenaces, grauiter offendit (t), idque odium veluti obrutus cinere ignis in turbis illis, quas filii dabant, in flammas erupit, maximeque eius rebus incommodauit. Adeo plures semper, qui morbum, quam qui remedium ferant, reperias. Peracto hoc negotio, tum demum *episcopis, abbatibus, natuque maioribus Francorum, manifestauit mysterium consilii sui*,

(o) *Annal. Bertin. Metens. Fuld. Vita Ludou. Pii ad a.* 817.

(p) *Vita Ludouici ad a.* 817. *pag.* 368.

(q) Liber iste non differre videtur ab LXXX. vel, vti Leo Ostiens. *lib. I. Chron. Casin. cap.* 16. numerat, septuaginta duobus capitulis, quae post Centuriatores Magdeb. *Cent. VIIII. cap. 6. pag.* 150. et Angelum de Nuce in *Append. Chron. Casin. pag.* 5. edidit Steph. Baluz. *Capitul. tom. I. pag.* 579. quorumque praecipuum auctorem fuisse BENEDICTVM, Anianensem abbatem, ex eius vita ab Ardone scripta apud Duchesnium *tom. III. pag.* 392. *sequ.* discimus. Vocantur alias *Capitula Hludouuici imperatoris de regula sancti Benedicti*, publicataque sunt Aquisgrani *VI. Id. Iul. anni* 817.

[r] *Chron. Casin. lib. I. cap.* 16.

[s] *Vita Ludouici Pii ibid. pag.* 368.

[t] Obseruauit hoc *Vitae Ludouici Pii* Auctor prudentissimus, qui *pag.* 369. ita scribit: *at vero non tulit hanc sanctam, deoque dignam imperatoris deuotionem humani generis inimicus, vndique se impetentem, et ab omnibus ecclesiae ordinibus sibimet bella indicentem, sed coepit totis virium copiis se expugnantem oppugnare, et per membra sua Christi fortissimum bellatorem vi et astu, quo potuit, lacessere.* Atque inde est, quod Gerardus, Siluae maioris abbas, in *Vita S. Adelardi, cap.* 5. illum ROBOAMVM, et *cap.* 6. TARQVINIVM vocat, *qui non sequutus sit viam patris, sed senserit cum Roboam, filio Salomonis, et quidquid pater amasset, odio habuerit, quidquid illi placuisset, sibi displicere*, reipsa ostenderit.

BIU Cujas

sui, quod cogitauerit, vt vnum de filiis suis constitueret imperatorem (u). Quod, quo ordine factum sit, eleganter memoriae prodidit AGOBARDVS (x). Primum enim Ludouicum imp. proposuisse ait quaestionem, de eaque in medium consulere iussisse: *quod ad stabilimentum regni pertineat et ad robur regiminis, debeatne homo differre, an non?* Adclamantibus cunctis, quod reipublicae salutare factuque sit necessarium, accelerandum potius, quam differendum videri, consilii sui, cum pauciſſimis adhuc communicati participes feciſſe omnes, eumque se vitae humanae fragilis fluxaeque memorem, ne a morte praeuentus destinata perficere impediretur, vnum filiorum suorum imperii socium adsciscere constituisse, professum, perhibet. Quod vt felix, faustum, reique publicae salutare esse iuberet summum Numen, Ludouicum imp. indixisse omnibus triduanam inediam (y), supplicationesque et sacrificia, immo et stipem in egenos largius conferendam, vt Deus O. M. his motus piis operibus, non modo imperatori, sed et optimatibus omnibus id, quod e republica futurum sit, inspirare dignaretur. Peractis his sacris, imperator

[u] *Chronic. Moissiac. ad a.* 817. *pag.* 147.

[x] *Epist. flebili ad Ludouicum n.* 4.

[y] Confirmant hoc et reliqui scriptores σύγχρονοι et in his *Chronici Moissiacensis* auctor *ad a.* 817. *pag.* 147. Tunc omni populo placuit, vt ipse se viuente constitueret *vnum ex filiis suis imperare, sicut Karolus pater eius fecerat ipsum. Tunc tribus diebus ieiunatum est ab omni populo, ac letaniae factae.* Immo ipse imperator in charta diuisionis imperii apud Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 574. *idcirco*, inquit, *necessarium duximus, vt ieiuniis, et orationibus, et eleemosynarum largitionibus apud illum obtineremus, quod nostra infirmitas non praesumebat. Quibus rite per triduum celebratis*, cet. Quomodo vero celebrari coeperit triduanum ieiunium, ex epistola episcopi ad archipresbyterum non multo post haec tempora scripta, quae in *Formulis Alsaticis cap.* 18. occurrit, satis intelligitur. Ceterum inde patet, ad antiquissimos Germanorum mores referendam esse illam a cibo et potu, praeter panem et aquam, abstinentiam, quam principibus electoribus, difficilius procedente electionis imperatoris negotio, post diem tricesimum indixit *Aurea Bulla, titulo* 2. *§.* 5. *quod si facere distulerint infra triginta dies a die praestiti iuramenti praefati continuo numerandos: ex tunc exactis eisdem triginta diebus a modo panem manducent, et aquam bibant, et nullatenus ciuitatem exeant antedictam: nisi prius per ipsos, vel maiorem partem ipsorum rector seu temporale caput fidelium electum fuerit, vt praefertur.* Eam enim abstinentiam non tam ad poenam, quam electoribus, nondum electo imperatore nemo irrogare posset, sed ad supplicationes et ieiunia dei propitiandi causa subeunda referendas esse, recte atque acute suspicatur illustris collega, Io. Petrus a Ludewig in *Commentar. ad Aur. Bullam ibid. tom. I. pag.* 369.

BIU Cujas

perator Lotharium dixit imperii ſocium (z), in eamque patris ſententiam tanto conſenſu itum eſt ab optimatibus, vt ipſe in charta diuiſionis imperii apud STEPH. BALVZIVM (a) id omnipotentis dei nutu eueniſſe, his verbis teſtetur: *quibus rite per triduum celebratis, nutu omnipotentis dei, vt credimus, actum eſt, vt et noſtra, et totius populi noſtri in dilecti primogeniti noſtri* HLOTHARII *electione vota concurrerent. Itaque taliter diuina diſpenſatione manifeſtatum placuit et nobis et omni populo noſtro, more ſollemni imperiali diademate coronatum, nobis et conſortem et ſucceſſorem imperii, ſi dominus voluerit, communi voto conſtitui.* Quin et reliquorum, qui adfuerint, neminem, quin id dei O. M. ope ac conſilio euenerit, dubitaſſe, ait AGOBARDVS (b). Et ſane laeta fuerunt imperii iſtius inauſpicatiſſimi auſpicia, collaudantibus omnibus hoc Caeſaris conſilium, et bene ominantibus vniuerſo Francorum populo, quin illico confluentibus ad templum, vbi ſollemni ritu diademate imperiali incinctus LOTHARIVS fauſtas tum imperatoris, tum totius populi adclamationes laetiſſimas audiuit, de quibus iterum CHRONICI MOISSIACENSIS auctor (c): *poſthaec*, inquit, *iam dictus imperator* CLOTHARIVM, *qui erat maior natu imperatorem elegit, ac per coronam auream ei tradidit imperium, populis adclamantibus, et dicentibus:* VIVAT IMPERATOR CLOTHARIVS. *Facta eſt autem laetitia magna in populo die illo. Et ipſe imperator benedixit dominum, dicens: benedictus es dominus deus noſter, qui dediſti hodie ex ſemine meo, conſidentem in ſolio meo, videntibus oculis meis* (d). Seriane ac ſolida fuerit haec omnium

[z] *Chron. Moiſſiacenſe*, *Bertin. ad a.* 817.

[a] *Capitular. tom. I. pag.* 574.

[b] *Ibid.*

[c] *Ad a.* 817. *pag.* 147.

[d] Ex his, quae paullo plenius hic narrat chronici Moiſſiacenſis auctor, plane σύγχρονος quippe qui inſequente anno 818. chronico ſuo colophonem impoſuit, intelligimus, Ludouicum imperatorem in ſollemni iſta panegyri omnia ad exemplum ſuae coronationis, viuo Carolo M. factae, compoſuiſſe. Eius vero ritum deſcribit Thegan. *de geſt. Ludouici, cap. 6. pag. 297. ſequ.* et qui totum illum actum iiſdem paene verbis enarrat *Auctor Chron. Moiſſiac. ad a.* 813. *pag.* 146. Ceterum ex Thegano adhuc notandum duximus, Carolum M. in ea ſollemnitate ipſum proceſſiſſe corona exornatum, nec ſuum, ſed aliud diadema, quod eum in finem confectum, quod ipſe altari imponi iuſſerat, Ludouico filio tradidiſſe, vel iuſſiſſe potius, vt illud, ab altari ſumtum, ſibi ipſe imponeret. Id ergo iam quoque imitatum eſſe Ludouicum imperatorem, valde eſt veroſimile. Quin eam ipſam coronam, qua antea Ludouicum filium condecorauerat Carolus M. Ludouicum in Lotharii filii inauguratione adhibuiſſe, nemo dubitauerit.

BIU Cujas

omnium laetitia, an eam vulgus magis, ad haec spectacula insaniens, quam viri cordati et rei publicae amantes, persenserint, non facile dixerim. Saltim non ea erat LOTHARII, noui imperatoris, indoles, quae adeo magnam saeculo felicitatem polliceretur. Erat enim princeps ferocioris ingenii, maiorisque audaciae, quam prudentiae ac virtutis, opum ac potentiae cupidissimus, et cui regnandi caussa diuina humanaque iura violare nulla erat religio. Quin ipsum patrem suspectum habuisse Lotharii ingenium, EGINARDVS (e) testatur, scribens, Ludouicum, quūm Lotharii in societatem nominis et regni totius populi sui consensu adsumsisset, sibi praecepisse, *vt Lotharii curam gereret, ac illum de moribus corrigendis et honestis atque vtilibus sectandis sedulo commoneret.* At dare id aetatis praerogatiuae placuit, vt Lotharius fratribus natu minoribus anteferretur: nec iam antiquius quidquam habuit imperator, quam vt stabile esset Lotharii imperium. Quo consilio omnes Francorum proceres, teste AGOBARDO (f), in verba eius adegit, et iureiurando sanctissimo, ne quem alium imperii consortem successoremque in augusta dignitate venerarentur, obstrinxit.

IIII. Ne vero reliquos filios minus cordi habere videretur, in iisdem comitiis illos quoque reges dixit, et PIPPINO quidem Aquitaniam, in qua iam ante triennium veluti precario regnare coeperat, LVDOVICO nostro Boioariam, quae tertio abhinc anno LOTHARIO data fuerat, tradidit, *vt scilicet sciret populus, cuius deberet potestati parere* (g). Testes eius rei habemus omnes eorum temporum annales, at multo locupletissimum ipsum LVDOVICVM imp. qui in charta illa diuisionis apud BALVZIVM (h): *ceteros vero*, inquit, *fratres eius*, PIPPINVM *videlicet et* HLVDOVICVM, *aequiuocum nostrum, communi consilio placuit regiis insigniri nominibus, et loca inferius denominata constituere, in quibus post discessum nostrum sub seniore fratre regali potestate potiantur.* Est ergo et id negotium de communi optimatium sententia, et suffragio peractum, quamuis in ea electione Aquitanorum praecipue ac Boioariorum, quorum res agebatur, habitam esse rationem, verosimile sit. Saltim enim Boioarii iam inde a multis saeculis ea praerogatiua donati fuerant, vt *qui de genere Agilolfingorum fidelis regi esset et prudens, ipsum constituerent ducem ad regendum*

[e] *Epistola* 34.
[f] *Ibid.*
[g] *Vita Ludouici pag.* 369.
[h] *Capitular. Tom. I. pag.* 574.

BIU Cujas

regendum populum illum (i). Quae lex tantum abeſt, vt euerſa in Thaſſilonis familia Agilolfingorum gente exoleuerit, vt multo poſt Boioarii ſibi inuitis rectorem obtrudi non paterentur (k). Quare nullum eſt dubium, quin in creando rege LVDOVICO praecipua fuerit Boiorum praeſulum atque optimatium auctoritas, iique non diu ambigui facile manus dederint eximiae indolis maximaeque ſpei puero, et ſibi ipſi gratulati ſint, ſuo eique tam bono principi in poſterum obſequuturis. Coronarum decus tum datum eſſe PIPPINO et LVDOVICO, nuſquam legimus: vnctos tamen illos eſſe oportet, ſi fides habenda incerto *chronici* breuis auctori, quem ex ALEX. PETAVII bibliotheca extulit ANDR. DVCHESNIVS (l), *qui Hludouicum Bauariam ſibi vindicaſſe*, VNCTVMQVE *eſſe in regem*, memoriae prodidit. Sed nec eadem aetate vixit hic ſcriptor, et res iſtas tam parum compertas habuit, vt illi fidem hic non dubitem abrogare, quippe qui ibidem Carolum Caluum ex diuiſione paterna *regnum Francorum et imperium Romanum obtinuiſſe*, ſcribere non veretur.

V. Sic ergo haud multo fuit melior LOTHARII, quam reliquorum fratrum, conditio. Illi enim collegae patris imperiique conſorti facto vniuerſum Francorum imperium, ſi quid humani patri accidiſſet, deſpondebatur: hi mediocrem eius partem ſortiebantur. Et quamuis ſatis amplae eſſent Aquitaniae et Boioariae prouinciae, alendoque regi ſufficere viderentur: vix tamen cum reliquo Germaniae, Italiae, Galliaeque tractu, qui Lothario fuerat deſtinatus, videntur comparandae, vt iam non dicamus de ſummo in ipſos fratres, eorumque regna, imperio, quod Lothario, ſe mortuo ſaluum eſſe voluerat imperator, et de quo paullo poſt erat dicendi locus.

Iam

[i] *Lex Baiuuar. tit. 2. cap. 20. §. 3.*

[k] Quod non alio luculentiore teſtimonio probari poſſe videtur, quam Adelboldi in *Vita Heinrici Sancti imp. cap.* 10. apud Leibnit. *Script. rer. Brunſu. tom. I. pag.* 433. Memorata enim legatione, qua Boiariorum ducatum ſibi conferri popoſcerat Hezilo, Bertholdi filius, addit, inconſultae quaeſtioni conſultam paratam fuiſſe reſponſionem. Patienter enim audita legatione Henricum regem dixiſſe: *quos ſemper praecipuos inter omnes gentes habui, quoſque ſemper toto mentis adfectu amaui, hos adepta benedictione regali* IN LEGE SVA *nec deteriorare volo, nec deteriorari patiar, dum vixero.* LEGEM *habent, et ducem* ELIGENDI POTESTATEM EX LEGE *tenent: hanc nedum ego frangam, quicumque frangere tentauerit, me inimicum habebit.* Ex quibus verbis patet, Boios et tunc ſaeculo vndecimo, fretos illa antiqua lege, neminem inuitis ſibi imperantem ferre voluiſſe.

[l] *Script. rer. Franc. tom. III. p.* 350.

BIU Cujas

Iam quae Germaniae partes LVDOVICO noſtro ceſſerint, inueſtigare, operae pretium fuerit. Id vero in quaeſtione nobis eſſe non patitur ipſe LVDOVICVS PIVS, qui in charta diuiſionis apud BALVZIVM (m) huius regni ambitum his verbis luculenter deſcribit: *Item* HLVDOVVICVS *volumus vt habeat Baioariam, et Carentanos, et Boheimos, et Auaros atque Sclauos, qui ab orientali parte Baioariae ſunt, et inſuper duas villas dominicales ad ſuum ſeruitium in pago Nortgaue Luttraof et Ingoldeſtat.* Prima ergo ac praecipua prouincia LVDOVICO ceſſa fuit BAIOARIA, de qua PAVLLVS WARNEFRIDVS (n) ſcribit, *Noricorum prouinciam, quam Baiuuariorum populus inhabitet, habere ab oriente Pannoniam, ab occidente Suauiam, a meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.* Itaque eius prouinciae fines a ſeptentrione Danubio, ab occidente Lyco, a meridie Alpibus Tridentinis et Noricis, ab oriente Aniſo fluuio, quem veteres *certum Baioariorum et Hunnorum limitem* eſſe ſtatuebant (o). Perruperat hos limites Carolus M. qui anno 791. Hunnorum vel Auarum fines ingreſſus, ad Rabum vſque fluuium victricia arma circumtulerat (p), et victoria vſus octo inſequentibus annis, Pippini maxime, Italiae regis, auſpiciis, ita eam gentem perdomuerat, vt totus ille terrarum tractus ab Aniſo flumine ad Rabum vſque in certa Francorum poſſeſſione eſſet (q). Et haec ipſa eſt AVARVM terra, quae regni LVDOVICO ceſſi partem fecit. Quamuis enim circa eadem tempora lacertos moueret gens ferociſſima, cui iam inde ab origine ſua ſemper in turbido fuerat conſilium, et duce Liudeuito non modo ad amiſſa recuperanda, ſed et proferendos fines ferro ſibi viam munire coepiſſet (r); mox tamen repreſſus eſt ille tumultus, et tota illa tempeſtas, occiſo circa annum 823. Liudeuito, ſubito commutata eſt (s): vt eam regni partem ſaluam omnino haberet LVDOVICVS noſter, Auareſque vltra Rabum felici Marte ſubmoueret. Tertia prouincia, quae ei obuenerat, eſt BOIOEMIA, fertiliſſimum illud veterum Marcomannorum regnum, quod, quamuis montibus circumcirca veluti a natura munitum clauſumque, Slaui tamen iam pridem ſub ſuam redegerant poteſtatem. Hos quoque CAROLVS M. ductu Caroli filii

[m] *Art. II. Capitul. Tom. I. pag.* 575.
[n] *De geſt. Langob. lib. III. cap.* 29.
[o] *Annal. Franc. Reuber. ad a.* 791. *pag.* 50. *edit. nou.*
[p] *Annal. Bertin. Met. Fuldenſ. Reuber. ad a.* 791.
[q] Eginard. *Vit. Caroli M. cap.* 13.
[r] *Vita Ludouici Pii ad a.* 819. *pag.* 572. *ſequ.*
[s] *Annal. Fuld. ad a.* 823.

BIU Cujas

breui bello oppreſſerat (t), teſte EGINARDO (u), idque anno 805. et ſequentibus factum eſſe, ſatis conſtat (x). Sed victos magis, quam perdomitos eſſe dixeris Boëmos, qui ex eo tempore ſubinde momorderuut fraena, nec vmquam tam bona fide ſeruierunt, vt non et LVDOVICO noſtro, et eius filio, CAROLOMANNO, plurimum faceſſerent negotii, et auitam libertatem aduerſus Francorum opes mira virtute quam diutiſſime tuerentur. Sequuntur CARENTANI, et finitimi Auaribus SLAVI, quos itidem LVDOVICI regno additos fuiſſe vidimus. Et Carentaniae quidem antiquum nomen pars veteris Carentaniae et hodie retinet: id tamen olim multo latius patuiſſe, et praeter hodiernam Carinthiam etiam Stiriam, Carniolam, partem comitatus Tirolienſis, immo et Hungariae partem cis Muram comprehendiſſe, recte obſeruauit HIER. MEGISERVS (y). Quum vero et hodie in illo terrarum tractu, et maxime in Carniola et ad Hungariae fines, Slaui vel Vindili intermixti Germanis degant, at veterem linguam patriam retineant: cur SLAVOS quoque, *qui ab orientali parte Baioariae ſunt*, LVDOVICI regno adtribui placuerit, facile intelligitur. Adduntur duae *villae dominicales*, extra Boiorum fines cis Danubium in pago Nortgouiae ſitae, INGOLSTADIVM et *Luttraof* (z), vt veluti peculiari iure a Ludouico tenerentur, et ſeparatas a reliqua Boioaria rationes haberent. Vt adeo tractum haud exiguum, maximamque veteris Norici et Pannoniae partem inter Rabum et Lycum, Danubium et Alpes, ambitu ſuo complexum ſit nouum iſtud Boioariae regnum

[t] Fatetur id Bohuſl. Balbin. *Epit. rer. Boëm. lib. I. cap.* 10. *pag.* 85. et recte notat Cromerum, qui *lib. II. Hiſt. Polon. in Leſcone* haec omnia ad Polonos pertinere exiſtimauerat. At neſcio, quid in mentem venerit viro doctiſſimo, vt Carolum hunc *nothum* vocare non dubitet, quem filium Caroli M. et Hildigardis natu maximum, et, ſi vixiſſet, patri in imperio ſucceſſurum fuiſſe, nemo ignorat. Sed aliis quoque locis Balbinus ſe Boëmicae, quam Francicae et Germanicae hiſtoriae peritiorem eſſe, ſatis oſtendit.

[u] *Vit. Caroli M. cap.* 14. monach. Egoliſm. *Vit. Karoli M. pag.* 267.

[x] *Annal. Fuld.* Reuber. *et alii ad a.* 805. *ſeqq.* Herm. Conr. *ibid.*

[y] *Annal. Carinth. lib. I. pag.* 14. *ſeqq.*

[z] INGOLSTADIVM ad Schutterae et Danubii confluentes, vrbs munitiſſima, et Muſarum ſede celebris, et hodie vetus nomen retinet. LVTTRAOF, hodie *Luthrohoffen*, vel *Lautershoffen*, in comitatu Sulzbacenſi ad Luthri amnis caput ſitum oppidulum non procul Altorfo Noricorum conſpicitur. Diploma, in quo huius oppidi fit mentio, anno 1359. ſcriptum, edidit Io. Henr. de Falckenſtein in *Codice diplomat. antiquit. Nordgauienſ. num.* 243. *pag.* 192.

BIU Cujas

gnum, et regno Aquitaniae, quod Pippino, LVDOVICI fratri, obtigerat, vix ac ne vix quidem, cedere videretur.

VI. Quae porro noui regni formula fuerit, eadem, quam saepe laudauimus, diuisionis charta nos non patitur ignorare. Satis animaduertebat Ludouicus imperator, cum summo rei publicae detrimento coniunctam fore regni potentissimi diuisionem, si quaelibet pars per se subsisteret, separatasque a reliquis haberet rationes, maxime quum etiam Italiam, BERNARDO regi relictam, eo inuitatam exemplo daturam esse operam, vt a reliquo corpore imperii Francici diuelleretur, credibile esset. Itaque nouo exemplo (a), teste AGOBARDO (b), statuit, vt fratres natu minores, Lothario primogenito, et augustae dignitatis heredi, veluti clientes obsequerentur, et comiter venerarentur eius maiestatem. Hinc AGOBARDVS: *ceteris filiis vestris designastis partes regni vestri, sed vt vnum regnum esset, non tria, praetulistis eum illis, quem participem nominis*

[a] Nouum fuit hoc LVDOVICI PII institutum, et hinc vel id solum suffecit, ad lites infinitas inter fratres, qui vix parem, nedum superiorem ferre poterant, excitandas. Praeterquam enim quod intolerabile fratribus minoribus videretur, subiici LOTHARIO, principi tam feroci et inhumano: nullum etiam exstabat exemplum huius modi subiectionis. Quoad Merouingi regnauerant, in tot partes diuisum norant imperium, quot filii exstarent, adeo, vt ne legitimorum quidem natalium ratio haberetur. Gregor. Turon. *Histor. lib. V. cap.* 21. Et hinc iusta arma sibi sumere visus est Charibertus contra Dagobertum I. fratrem natu maiorem, qui illum ea lege Aquitaniae praefecerat, vt fratri subiectus a regio nomine abstineret. Ludou. et Scaeuola Sammarth. *Hist. geneal. domus Franc. lib. IIII. pag.* 143. Carolus porro Martellus, quamuis maior domus tantum, ita inter Carolomannum et Pippinum diuiserat prouincias, vt neuter alteri subesset, idemque postea Pippinus, regnum inter Carolum M. et Carolomannum partitus obseruauerat, immo et ipse Carolus M. cuius in charta diuisionis vel testamento apud Pithoeum in *Annal. et hist. Francor. script. XII. pag.* 283. *sequ.* et Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 439. ne vestigium quidem exstat huius modi appanagii, quod vocant: quod inter Carolingos primus Ludouicus Pius imp. primum in Bernardo Italiae rege inuenisse videtur, de quo Theganus *de gest. Ludouici imp. cap.* 12. *pag.* 301. *eodem tempore venit* BERNARDVS *filius fratris sui Pippini, et tradidit semet ipsum ei ad* PROCEREM, *et* FIDELITATEM *ei cum* IVRAMENTO *promisit.* Quae ipsa est nexus clientelaris vel vasallagii descriptio. Eodem ergo nexu, filio natu maximo reliquos natu minores obstrictos esse voluit imperator, non animaduertens, et imperare illis nescire Lotharium, et parere Pippinum et Ludouicum, neque abolita vetere succedendi consuetudine, his defuturum obtentum, hanc diuisionem oppugnandi.

[b] Eadem *epistola flebili. n.* 4.

BIU Cujas

nis vestri feciſtis. Sed rem omnem nullo luculentiore teſtimonio, quam ipſius LVDOVICI imperatoris diſcimus, qui in charta diuiſionis (c) diſerte monet, *fratres Lotharii, Pippinum videlicet et Hludouicum, aequiuocum ſuum, poſt deceſſum ſuum ſub ſeniore fratre regali poteſtate potituros*, ac deinde has illis leges praeſcribit: vt quiſque in ſuo regno honores, cui viſum fuerit, ſuo arbitrio conferat, modo in conſtituendis epiſcopis et abbatibus legum eccleſiaſticarum, in magiſtratibus creandis honeſtatis reique publicae ſalutis ratio habeatur: (d): vt de bello paceque nihil ſine fratris natu maioris conſilio ac conſenſu ſtatuant, praeterquam ſi repentini tumultus ſine mora ſint reprimendi (e): vt ne legatos quidem admittant, iiſue, ſine fratris primogeniti conſenſu de rebus alicuius momenti reſpondeant: ſi quid noui vel turbidi in regnorum ſuorum finibus exoriatur, id ſtatim ad fratrem referant (f); vt cuiuis dominium in clientes ſuos ſaluum; his vero liberum ſit, cuicumque ex his tribus fratribus ſe in clientelam dare velit (g): vt tributa, cenſus, reditus ex metallis in ſuo quiſque regno ſolus capiat (h), attamen vterque natu minorum quotannis ad fratrem natu maiorem proficiſcatur, donaque ei offerat, vel abſentiam per legatos dona illa oblaturos excuſet, largiore munere a fratre illo primogenito remunerandus (i): vt neuter vxorem ſine fratris conſilio et conſenſu, nec vmquam exteram vxorem ducat (k): vt ſi quid illis humani acciderit, eorum filiis regnum paternum inter ſe partiri non liceat, ſed populo ius ſit, vnum ex his eligere, quem primogenitus iiſdem legibus regno praeficere teneatur (l): vt alterutro ſine legitimis liberis decedente, eius regnum ad fratrem natu maiorem reuertatur, is vero liberis eius nothis, ſi quos ſuperſtites reliquerit, de alimentis proſpiciat (m): vt ſe mortuo neuter filiorum minorum antequam legitimam ſecundum legem Ripuariorum aetatem (n), id eſt, annum XVI. attigiſſet, regnum ſuum

[c] Baluz. *Capitul. tom. I. pag.* 574.
[d] *Ibid. art.* 3. *pag.* 575.
[e] *Ibid. art.* 7.
[f] *Ibid. art.* 8. *pag.* 576.
[g] *Ibid. art.* 9. *pag.* 576.
[h] *Ibid. art.* 12. *pag.* 577.
[i] *Ibid. art.* 4. *et* 5. *pag.* 575.
[k] *Ibid. art.* 13. *pag.* 577.
[l] *Ibid. art.* 14. *pag.* 578.
[m] *Ibid. art.* 15. *pag.* 578.
[n] Verba LVDOVICI haec ſunt: *ſi vero alicui contigerit, nobis decedentibus, ad annos legitimos iuxta* RIPVARIAM LEGEM *nondum peruenisse, volumus, vt donec ad* PRAEFINITVM *annorum terminum veniat, quemadmodum modo a nobis, ſic a ſeniore fratre*

BIU Cujas

ſuum capeſſat, ſed frater natu maior illud ſuis auſpiciis gubernet (o) : vt denique et *regnum Italiae eo modo* Lothario, *ſi deus voluerit, vt ſucceſſor* Ludouici patris *exiſteret, per omnia ſubiectum eſſet, ſicut et eius patri*, Carolo M. *fuerit, et ipſi* Ludouico *illo tempore ſubiectum ſit.* (p). Haec eſt lex illa regia, quam tum et de Lotharii imperio, et de ceterorum filiorum regno tulit LVDOVICVS Pius, imperator, ex qua patet, voluiſſe illum, vt Lotharius iure optimo maximo vniuerſo imperio, Pippinus et Ludouicus regnis ſuis non ampliore cum poteſtate, quam olim reges, ſocii atque amici populi Romani, et illo tempore Italiae Bernardus, praeeſſent. Hinc non modo imperatoris titulo et inſignibus, ſed et aliis praerogatiuis donauit Lotharium, et, teſte AGOBARDO (q), inter alia conſtituit, vt diplomata in poſterum vtriuſque imperatoris nomina praeferrent, teſtatum eo ipſo facturus, eum ſe non modo ſucceſſorem, ſed et imperii ſocium ac collegam adſciuiſſe (r). Enim vero quam

fratre et ipſe et regnum eius procuretur atque gubernetur. Et quum ad LEGITIMOS ANNOS *peruenerit, iuxta taxatum modum ſua poteſtate in omnibus potiatur.* Quaenam vero ſit aetas ſecundum hanc legem iuſta ac legitima, vix conſtat, neque in lege Ripuariorum, quod huc pertinere videatur, vix quidquam legimus, niſi quod *titulo* 81. ita ſancitur : *ſi quis homo Ripuarius defunctus fuerit, vel interfectus, et filium reliquerit, vſque ad* QVINTVM DECIMVM *annum* PLENVM *nec cauſſam proſequatur, nec in iudicio interpellatus reſponſum reddat. Quindecimo autem anno, aut ipſe reſpondeat, aut defenſorem eligat. Similiter et filia.* Itaque ex lege Ripuariorum legitima aetas erat annorum quindecim exactorum. At id notatu dignum, reges Francorum non Saliorum, ſed Ripuariorum legibus vixiſſe. Quod ideo procul dubio factum, quod Aquiſgrani, adeoque in terra Ripuariorum, veluti ſedem ac domicilium rei publicae conſtituerat Carolus M. Id principium et poſtea manſit, et medio aeuo creditum vulgo eſt, reges Germanorum non alio, quam Francico iure vti. *Ius prouinc. Sax. Lib. III. cap.* 54. *der König ſoll haben Fränckiſch Recht, nachdem als er gebohren iſt.* (Haec ſenſum non habent. Lege : *nachdem er gekohren oder erwehlet iſt*, vti in quibuſdam codicibus antiquis legitur : *wenne he gekoren ys*), *er ſey von welcher geburt er ſey.* Et *Ius Sueu. cap.* 23. §. 2. *als der König erwehlt wird, von welchem Land er gebohren iſt, das recht hat er verlohren. Er ſoll haben Fränckiſch Recht, vnd von welcher Geburt er gebohren iſt, das recht hat er auch verlohren.* Nimirum Aquiſgrani coronandus videbatur Francorum rex fieri, et hinc iuri quoque Francico ſubiici, immo et a comite Palatino ad Rhenum, cuius in Francici potiſſimum iuris prouinciis eminebat auctoritas, iudicari poſſe. Nugae hae pleraeque, ſed non heri demum aut nudius tertius natae.

[o] *Ibid. art.* 16. *pag.* 578.

[p] *Ibid. art.* 17. *pag.* 578.

[q] *Ibid. n.* 4.

[r] Exſtant huius modi diplomata vtriuſque nomine ſcripta ſignataque quam

BIU Cujas

quam parum constans ac firma fuerit haec collegarum concordia; quamque mox res in neruum abierit, ea, quae sequentur, satis ostendent.

VII. Primum enim ipsos Ludouici Pii filios natu minores graviter perculit hoc patris consilium, non quod Lothario inuiderent supremum illud inter homines fastigium, ad quod eum patris beneuolentia euexerat, quum hoc decus illi quadam naturae praerogatiua deberi videretur: nec quod inaequalis admodum esset illa regnorum partitio, quam Caroli M. eodem fere seruato modo inter liberos diuidentis prouincias exemplum quodammodo excusabat, sed quod se veluti precario regnaturos crederent, si Lothario, tamquam clientes, subesse cogerentur. Id vero erat, quod vel maxime excruciabat generosos animos, subinde idem secum cogitantes, quod ad Maximum suum scripserat MARTIALIS (s):

Esse

plurima. Nos quaedam dumtaxat exemplorum loco adferemus. Ediderunt talia Schaten. *Annal. Paderb. lib. II. pag.* 84. Mabillon. *de re dipl. lib. V. cap.* 69. Martene *Thesaur. anecdot. tom. I. pag.* 24. Auentin. *Annal. Boic. lib. IIII. cap. 9. n.* 37. Io. Fridr. Schannat. *Cod. probat. hist. Wormat. n.* 4. *et* 5. *pag.* 4. *seqq.* Calmet. *Probat. hist. Lotharing. tom. I. pag.* 299. Rettenpach. *Hist. Norica, lib. I. cap. 9. pag.* 30. in *Chronico Monast. Farfensis* apud Ducheſn. *tom. III. pag.* 658. in quibus ita se habet exordium: *in nomine domini dei et saluatoris nostri Iesu Christi. HLudouicus et HLotharius diuina ordinante prouidentia imperatores augusti.* Sub finem vtriusque signa conspiciuntur: *signum HLudouici serenissimi imperatoris. Signum Lotharii gloriosissimi augusti.* Ceterum quamuis certum sit ex Agobardi *Epistola flebili, n.* 4. postea *de litteris nomen omissum esse:* errant tamen, qui id statim factum esse existimant. Diplomata enim Senonense apud Calmetum, et Corbeiense apud Schatenium data sunt *XII. Calendas Iulii, anno Christo propitio XIII. imperii domni Ludouici piissimi augusti indictione IIII. Ingilinheim in palatio regio*, id est, anno Christi 826. Quae Schannatus ex archiuis Wormatiensibus extulit, eorum alterum prodiit *II. Kalend. Nouembris anno Christo propitio XIII. imperii domni* HLVDOWICI, et HLOTHARII *V. serenissimis augustis indict. IIII.* id est, anno Christi 827. alterum *III. Id. Sept. anno Christo propitio XVI. imperii domini* HLVDOVVICI, *serenissimi imperatoris, et* HLOTHARII *augusti VII. indict. VII.* id est, anno erae Dionysiacae 830. Quo anno et id, quod monasterium Farfense apud Du Cheſne accepit, datum est, sed circa ea demum tempora, gliscentibus inter patrem filiosque turbis nomen Lotharii, vti videtur, adscribi desiit diplomatibus. Saltim in chartis Ludouici anni 831. et sequentium id vbique omissum animaduertimus. Ante haec tempora non modo diplomata vtriusque imperatoris nomen praeferebant, verum etiam alia acta publica, ceu patet ex Capitulis anni 820. apud Goldast. *Constit. imper. tom. II. pag.* 13. et anni 828. *ibid. pag.* 15.

[s] *Lib. II. epigr.* 18.

BIU Cujas

Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse.
Qui REX *est*, REGEM, *Maxime, non habeat.*

Obseruauit hoc sane scriptor grauissimus, THEGANVS (t), dum de illa regnorum partitione ita iudicat: *supradictus vero imperator denominauit filium suum* LOTHARIVM, *vt post obitum suum* OMNIA REGNA, *quae ei tradidit deus per manus patris sui, susciperet, atque haberet nomen et* IMPERIVM *patris, et ob hoc ceteri filii* INDIGNATI SVNT. Et LVDOVICI quidem nostri ea tum erat aetas, vt vel nondum cepisse, vel videri possit hanc animi aegritudinem: at iam tum atrox ei et PIPPINO sedit eius iniuriae, vti ipsi interpretabantur, memoria, vt iam illo tempore omnis inter fratres gratia ac caritas refrixisse videatur (u), tamque alta reposta mente haesit, vt primus fratrum, ceu infra ostendemus, arma ipsi parenti minari non dubitarit. Diu ergo, et iam ab hoc ipso tempore patris capiti imminuit illa tempestas, quae demum ipsi, vniuersoque Francorum imperio incredibilem cladem intulit. Sed haec postea acciderunt. Eo ipso enim statim anno 818. primum veluti fulmen maiore tamen fragore, quam damno, cecidit. Nimirum Lothario filio etiam patruelem BERNARDVM, Italiae regem, principem optimum, et patri per omnia similem, subiecerat, ceu paullo ante ex ipsa charta diuisionis vidimus. Id ille cur moleste ferret, duplicem sibi videbatur habere rationem; primam, quod Lotharium aetate antecederet, alteram, quod filius esset PIPPINI, Italiae regis, cui tamquam fratri Ludouici Pii natu maiori obtingere debuisset summum imperium, nisi in medio aetatis flore properantibus fatis fuisset exstinctus. Indignatus ergo non modo imperium sibi a Ludouico ereptum, sed et

[t] *De gest. Ludouici cap.* 21.

[u] Luculenter id probari potest ex EGINARDI *Epist.* 62. scripta ad Ermengardim reginam, inter annum 817. quo illa imperii facta est diuisio, et 818. quo illa diem obiit supremum. Respondet ibi expostulatoriae Ermengardis epistolae, qua Eginhardo exprobrauerat, *quod fraternam euertere niteretur concordiam*, idque *opus daemonibus adscripsit.* Quam suspicionem quamuis verbosa epistola a se amoliri conatur: non tamen negat, inter fratres male conuenire, nec quid inde metuat, dissimulat. Quo in primis pertinent verba insequentia: *de* DISCORDIA *autem istorum* REGVM *valde metuo, et dolens dico, quia dum illi,* PVERILE *attendentes consilium,* DISCORDES *inter se exsistunt, cito forsitan, quod vtinam absit, externorum sapientum et fortium inimicorum virtute et studio ad feram concordiam reuocabuntur, qui nos vndique circumdant.* En discordiam iam primo, statim ab illa imperii diuisione, anno inter reges illos fratres, adhuc paene pueros, gliscentem.

BIU Cujas

et Italiae regnum a Lothario in prouinciae formam redigendum, rebus nouis ſtudere, idque agere coepit, vt ſi non auguſtam dignitatem, at regni Italici libertatem ſibi armis vindicaret, iugumque patrui ac patruelis, ſi qua fieri poſſet, penitus excuteret. Id ſane eum cepiſſe conſilii, teſtatur THEGANVS (x), dum *illum ſe extuliſſe aduerſus patruum ſuum, eumque a regno expellere voluiſſe*, conqueritur. Et neſcio ſane, an non de facta ſibi iniuria iure cum patruo expoſtulare potuiſſet, ſi de legitimis eius natalibus inter omnes conſtaret. Quid enim aequius, et communi gentium iuri conuenientius eſt, quam maioris natu fratris filium fratri aetate minori in imperiorum ſucceſſione praeferri? At a THEGANO (y) in Ludouici Pii partes paullo proniori, *ex concubina* dicitur *natus*. Quod nos vtut parum veroſimile (z) in medio relinquimus. Id certius eſt, pleroſque tum Bernardi ius agnouiſſe, eiuſque cauſſam placuiſſe omnibus Italis,

[x] *De geſt. Ludouici Pii cap.* 22.

[y] *De geſt. Ludouici ibid.*

[z] A reliquis auctoribus vocatur *Pippini filius*, *Caroli M.* immo et *Ludouici nepos*, nec quiſquam praeter Theganum, quod meminerim, ei hanc natalium labem adſpergit. Et tamen fratribus Sammarthanis tanti viſum eſt hoc Thegani, ſcriptoris συγχρόνου, teſtimonium, vt ideo, Pippinum iuſtam vxorem vmquam domum duxiſſe, negent. Sed vereor, ne vel rei ignarus fuerit Theganus, vel Ludouici Pii filiis palpum obtrudere voluerit. Iuſtam enim fuiſſe Pippino vxorem, dubitare nos non patitur Alcuinus, qui in *Epiſt.* 24. Pippinum ita adloquitur: *laetare cum muliere adoleſcentiae tuae, et non ſint alienae participes tui, vt benedictio tibi a deo data in longam nepotum procedat poſteritatem.* An haec ſcripſerit vir tam grauis et ſanctus ad principem, inter concubinae amplexus turpiter haerentem? Deinde Blondellus in *plen. adſert. geneal. Francic. pag.* 201. *ſequ.* mulierem, ex qua BERNARDVM genuit PIPPINVS, vocat BERTHAM, BERNARDI, Septimaniae ducis, ſororem. Quod ſi verum eſt, nemo profecto ſibi perſuaſerit, tam illuſtrem feminam concubinae loco in Pippini domo eſſe voluiſſe. Denique nemo ſibi perſuaſerit, vel Carolum M. qui ne ſuos quidem filios naturales, Drogonem et Hugonem, ſucceſſionis participes eſſe paſſus eſt, filii notho ampliſſimum Italiae regnum fuiſſe relicturum: vel id a patre impetraturum Ludouicum Pium, qui ne ſuo quidem notho, Arnulpho, teſte auctore *chronici Moiſſiacenſis ad a.* 817. apud Ducheſn. *tom. III. pag.* 148. vllam regni partem dedit. Et Ludouicum tamen Bernardum precibus ſuis iuuiſſe, diſerte ſcribit eius vitae auctor *aſtronomus pag.* 370. Nullum ſane eorum temporum annales habent ex familia auguſta Carolingica exemplum, ex quo quemquam extra matrimonium natum ad imperium vocatum eſſe, probetur, ante Arnulphi imp. et Zuenteboldi Lotharingiae regis tempora, ante quae ne Carolus quidem Craſſus, Bernardo filio naturali conſulturus voti damnatus eſt, quamuis Hadriani pontificis auctoritate ſeſe rem confecturum, ſperaſſet. *Annal. Lambec. ad a.* 885.

BIU Cujas

Italis, qui contra Ludouicum Pium coniurauerant, immo et optimatium tum Italorum, tum Francorum, permultis, inter quos THEGANVS (a), et Aſtronomus (b), et alii (c) ANSHELMVM, Mediolanenſem archiepiſcopum, WOLVODVM, Cremonenſem, et THEODVLFVM, Aurelianenſem epiſcopos, EGITTEVM, REINHARDVM, et REGINHARIVM, nominatim exprimunt (d), vt dici quodammodo de illo Bernardi conatu poſſit, quod de bello Pompeii et Iulii Caeſaris iudicauit LVCANVS poëta (e):

Victrix cauſſa Deo placuit, ſed victa Catoni.

VIII. Fieri vix poteſt, vt tam calida conſilia non prius paene, quam ſatis perpolita ſint, euulgentur. Id et BERNARDO accidit.

(a) *Cap.* 23. *pag.* 307.

(b) *Vit. Ludou. Pii pag.* 370. *ſequ.*

(c) *Annal. Bertin. ad a.* 817. et *Moiſſiac. ad a.* 818.

(d) Inter hos epiſcopos eminet THEODVLFVS Aurelianenſis, vir pro ſaeculi iſtius conditione doctiſſimus, qui praeter Capitula ad praesbyteros parochiae ſuae 46. ordinem et rationem rituum baptiſmi, librum de Spiritu S. varia poëmata, reliquit iunctim edita a Iac. Sirmondo *Pariſ.* 1646, 8. Iis vero ſupplementa quaedam addiderunt Dacher. *Spicileg. tom. V.* et Mabillon. *Analect. tom. I. pag.* 369. Hic epiſcopatu deiectus ob illam coniurationem, in Andegauenſi monaſterio exſpirauit circa annum 821. REGINHARIVM Theganus *de geſt. Ludou. cap.* 22. vocat filium filiae Hardiati, qui fuerit dux Auſtriae infideliſſimus, qui iamdudum inſurgere in dominum Karolum voluerit, et ei regnum minuere, qui eodem ſupplicio deputatus ſit, *ſicut filiae ſuae filius ſuſtinuerit cum conſentaneis ſuis.* Quod et auctor *annalium Bertinianorum ad annum* 818. confirmat, niſi quod Reginharii auum HARDRATVM, patrem MAINARIVM vocat, quum contra huic REGINERII nomen tribuat Aſtronomus *vitae Ludouici* auctor *pag.* 370. *ſequ.* Qui etiam, EGIDDEVM *regalium amicorum primum*, REGINERIVM, *comitem palatii imperatoris*, REGINARDVM, PRAEPOSITVM *camerae regalis* vocat, eiuſque coniurationis *conſcios fuiſſe quam plurimos clericos, ſeu laicos*, obſeruat. In eorum numero procul dubio fuere etiam ipſi Ludouici fratres naturales, DROGO et HVGO, et THEODORICVS, quos eodem tempore, quo a BERNARDO ſociiſque ſumtum eſt ſupplicium, a LVDOVICO PIO *tonſurari iuſſos ad* DISCORDIAM *mitigandam*, refert Theganus *de geſt. Ludouici Pii, cap.* 24. *pag.* 308. Sed et ADALHARDVS Corbeienſ. vtriuſque celeberrimus abbas, eiuſque fratres, WALA et BERNARDVS, filii Bernardi comitis, nepotes Caroli Martelli, in ea factione fuerunt, ac ideo priuati ſunt beneficiis, et in exſilium miſſi, quamuis poſtea reſtituti priſtinos honores receperint. Paſchaſ. Ratbert. *Vit. Adalhardi cap.* 9. *ſequ.* Idem in *Vita Walae apud* Mabillon. *Act. Benedictin. ſaec. IIII.* Ex quibus patet, praecipuos ex ipſa familia auguſta Bernardo fauiſſe, id profecto non facturos, ſi ei, talia auſo natalium labes obſtitiſſet.

(e) *Pharſal. lib. I. v.* 128.

Heineccii Opuſc. poſtum.

BIU Cujas

dit. Nondum enim eo loco erant res regis miserrimi, vt rei gerendae haberet occasionem, quum iam fama, vt est malum hoc velocissimum, defeciſſe a patruo Bernardum, coniuraſſe Italos, omnes Alpium aditus atque anguſtias firmiſſimo praeſidio teneri, nunciaret. Aſtronomus, vitae Ludouici auctor (f) RATHOLDVM epiſcopum et SVPPONEM laudat, qui imminentem tempeſtatem ad Ludouicum Pium certis nunciis retulerint. Ea fama commotus imperator, vt illum conſenſionis globum quam primum diſiiceret, vbique per imperium delectus habere coepit, praemiſſis, qui anguſtias Alpium occuparent, ipſe cum numeroſiſſimo exercitu expeditionem Italicam adgreſſus eſt. Enimuero vbi Cabilonem peruenerat imperator, deſertus a ſuis Bernardus ei ſupplex occurrit (g), prouolutuſque in genua veniam rogauit, quod exemplum et reliqui coniurationis eiuſdem ſocii paullo poſt imitati ſunt (h). Procul dubio reorum animos in ſpem veniae erexerant Bernardi aetas, ſanguinis propinquitas, dignitas coniuratorum, ipſiuſque imperatoris celebrata compertaque tot caſibus manſuetudo et pietas. At maximo malo ſuo didicerunt, non rariorem vllam eſſe, quam quae imperium adfectantibus praeſtatur, miſericordiam. Illico enim et Bernardus, et ſocii eius, quos ille vltro prodiderat, in vincula rapti, quaeſtioque maieſtatis, more Francorum integra reſeruata eſt imperii proceribus. Re confecta, et tumultu illo fama magis, quam armis, repreſſo, Aquiſgranum reuertitur imperator, tranſactaque ibi hieme, et diebus recolendae redeuntis e ſepulcro ſeruatoris memoriae ſacris, rite celebratis, in vernum anni 818. tempus more patrio comitia indicit, omneſque imperii ſui proceres Aquiſgrani frequentes adeſſe iubet.

[f] *Vita Ludouici pag.* 370.

[g] Sunt tamen, qui eum non vltro ſupplicem patruo factum, ſed ab ENIMVNDO, vel, vti a Nithardo *lib. I. pag.* 435. vocatur, BERTMVNDO, Lugdunenſium comite per inſidias captum, adductumque ad imperatorem, contendunt. Fratres Sammarth. *Hiſt. geneal. lib. VII. pag.* 250. Sed nos potiſſimum Thegano aliiſque eiuſdem aetatis ſcriptoribus fidem habuimus, qui quum imperatori fauerint maxime, non profecto ſcripſiſſent, imperatorem ne ſupplicibus quidem peperciſſe, ſi bello capti in eius poteſtatem veniſſent. Minus enim inhumanum facinus eſt hoſtem bello captum, et adhuc iras ſpirantem perdere, quam non parcere ſupplici. Enimuero tam intolerabilis eſſe ſolet imperii ſocietas, vt quanticumque criminis veniam facilius daturi ſint principes, quam maieſtatis, in quo magnum exemplum, etiam quod aliquid ex iniquo habet, aduerſus ſingulos publica vtilitate rependi creditur. Tacit. *Annal. lib. XIIII. cap.* 44.

[h] Thegan. *Vit. Ludouici* et *Annal. Bertin. ibid.*

BIU Cujas

bet. Hi ergo iussi, de Bernardi et coniuratorum facinore dicere sententiam, omnes veluti ex compacto capitis damnant, et ne sanguinis quidem ac necessitudinis, nedum dignitatis, habendam esse rationem censent, futuros procul dubio motus, quos prudentiores iam tum praeuidebant, eo seueritatis exemplo repressuri. Imperator, ne pietatis humanitatisque laudi tam tristis sententia officiat, rigorem ita temperat, vt episcopis et clericis seditionis consciis exsilium de synodi sententia irrogetur, optimates, ipseque Bernardus, crimen oculorum amissione luerent, quod tum frequentissimum, ac veluti proprium perduellium supplicium habebatur (i). Si THEGANO (k) credere fas est, et huius poenae gratiam Bernardo facere voluit imperator, prohibitus tamen a consiliariis, qui misero iuueni oculos erui, nefanda crudelitate iusserunt. Ait enim, *imperatorem illud iudicium mortale, quod ceteris*, praeter episcopos, *factum sit, exercere noluisse: sed consiliarios Bernardum luminibus priuasse, similiterque exhortatores suos Egitteum, Reinhardum, et Reginharium.* Sed si id non voluit: non noluit saltim LVDOVICVS. Eius enim vitae auctor (l), haud paullo, quam THEGANVS, candidior, rem ita enarrat: *quum Bernardus, hactenus rex, eiusque fautores, lege iudicioque Fran-*

[i] Huius poenae in legibus gentium Germanicae originis saepissime fit mentio, veluti in legibus *Wisigoth. lib. II. tit. 1. §. 7. lib. VI. tit. 3. §. 7. Bauuar. lib. I. cap. 6. §. 1. Langob. lib. I. tit. 25. §. 61.* Eam vero potissimum dabant, quibus ob maiestatis crimen capitis damnatis venia dabatur. Eginard. *Vit. Caroli M. cap. 20. facta est et alia prius contra eum in Germania valida coniuratio, cuius auctores passim* LVMINIBVS ORBATI, *partim membris incolumes, omnes tamen exsilio damnati sunt.* Alia exempla passim occurrunt in *Annal. Fuldens. ad a. 866.* et in *Annalibus Francorum* passim. Immo postea eadem crudelitate vsi sunt aduersus bello captos, vti pluribus exemplis probauit Casp. Barth. *Comm. ad Guillermi Britonis Philipp. lib. V. v. 316. pag. 318.* ad illa poëtae:

Protinus EXOCVLAT *ter in ipso carcere quinos,*
Monoculumque ducem dat eis, vt sic regat illos
Francorum ad regem: qui iusta concitus ira,
Anglos supplicio simili mulctauit eodem
Sub numero;

vbi simul obseruat vir doctissimus, Graecorum principum notissimam rabiem ea in re si non superasse, at imitatos saltim esse Francos. Quis enim ignorat, in ipsum filium ita animaduertisse Carolum Caluum? Flodoard. *lib. III. cap. 18. Annal. Bertin. ad a. 873. Chron. Andegau.* apud Labbeum *Biblioth. Manuscript. tom. I. pag. 285.*

[k] *De gest. Ludouici Pii cap. 22. pag. 307.*

[l] *Ad a. 818. pag. 371.*

BIU Cujas

Francorum debuissent capitali sententia feriri, Ludouicum, suppressa tristiori sententia, luminibus eos orbari CONSENSISSE, *licet multis obnitentibus et animaduerti in eos tota seueritate legali cupientibus. At vero licet imperator indulgentius ageret, vltio tamen* ELIMINATA *ad effectum in aliquos est perducta.* Consenserat ergo imperator in supplicium, sed istud differri voluerat, si forte dies mitiorem suaserit sententiam. Consiliarii vero, qui tantum non omnia suo agebant arbitrio (m), morae impatientes, non adquiescendum sibi putabant, priusquam Bernardum socioscque perdidissent, et effodissent oculos, quibus Ludouici maiestatem tam parum suspexissent. Sic dignus commiseratione BERNARDVS medium inter vitam et mortem, at morte tamen ipsa grauius, supplicium subiit. Tertio enim die post non ferens dolorem animique aegritudinem, miseram animam exhalauit (n), felicior profecto, si priusquam se sentiret mori, vel occubuisset in acie, vel carnificis ministerio vno securis vel gladii ictu periisset (o). In quem annum incidat illaetabile illud BERNARDI fatum, non adeo expeditum est. Quamuis enim certissimum sit, in-

[m] De nimia hac indulgentia Ludouici Pii ipse conqueritur Theganus *de gest. Ludou. cap.* 20. *pag.* 305. *omnia prudenter et caute agens, nihil indiscrete faciebat, praeterquam quod consiliariis suis magis credidit, quam opus esset, quod ei fecit psalmodiae occupatio et lectionum adsuitas, et aliud, quod ille incipiebat. Quia iamdudum illa pessima consuetudo erat, vt ex vilissimis seruis summi pontifices fierent, et hoc non prohibuit, quod tamen maximum est malum in populo Christiano*, cetera. Quam facile vero fuit consiliariis, principi tam indulgenti illudere, quum et Elisabethae, reginae Angliae, principi satis callidae, idem aliquoties contigisse, ferant?

[n] Thegan. *cap.* 23.

[o] Mortis genus ignoratur. Sunt qui eum, quum se oculis priuatum iri animaduerteret, cum Reginhario gladium strinxisse, et in isto tumultu vtrumque occubuisse, tradunt. Sed quis, quaeso, captiuis ferrum, quo se defendere possint, relinqueret? aut duos eiusdem criminis reos vno carcere concluderet? Alii, Bernardum aeque ac Reginharium ipsos sibi manus violentas intulisse, suspicantur. Sed ii procul dubio decepti sunt loco male intellecto auctoris *Vitae Ludouici*, qui *pag.* 371. hunc euentum ita describit: *etenim Bernardus et Reginerus, dum impatientius oculorum amissionem et ablationem tulerunt, mortis acerbitatem* SIBI CONSCIVERVNT. Quae verba et de voluntaria, et de accelerata per aegritudinem morte, intelligi possunt. Probabilius tamen est, vtrumque ob acerbitatem doloris animique aegritudinem incidisse in febrim tam malignam, vt, accedente sphacelo, vix triduo calamitati suae superstites essent: quia ne id quidem credibile est, reos, diram hanc sententiam passos, sine custodia esse relictos, vt sibi violentas manus, nemine impediente, inferre possent.

BIU Cujas

infeliciſſimum iſtum principem anno 817. corripuiſſe arma, et inſequente 818. paullo poſt paſchales dies capitis damnatum eſſe: non tamen aeque conſtat, eodemne anno ab eo ſumtum ſit ſupplicium, an aliquot annis poſt. Immo rem ne epitaphium quidem, quod lapidi inciſum Mediolani in templo S. Ambroſii reperitur (p), ſatis expedit. Tametſi enim in eo tempus mortis ita ſignetur: REG. AN. IIII. M. V. OBIIT XV. KL. MAI. IND. X. FILIVS PIAE M. PIPINI: indictionis tamen numerus rem in ſe incertam tanto incertiorem reddere videtur (q). At in re ambigua illis potiſſimum crediderim, qui

[p] Triſtan. Calchi *Hiſt. Mediol. lib. X.* Sigon. *de regno Ital. lib. IIII. pag.* 108. Baron. *ad ann.* 818. *n.* 18.

[q] Totum epitaphium, vti illud ex ipſo lapide ſepulcrali deſcripſit Ludou. Anton. Muratorius *Script. rer. Ital. tom. II. part. I. pag.* 220. *v.* ita ſe habet:

BERNARDVS CIVILITATE MIRABILIS
CETERISQVE PIIS VIRTVTIBVS INCLYTVS REX
HIC REQVIESCIT REG. AN. IIII. M. V. OBIIT XV. KL. MAI. IND. X. FILIVS PIAE M. PIPPINI.

Iam Ant. Pagi *Crit. Baron. ad a.* 817. *n.* 15. rationes hunc in modum ſubducit: *Bernardus ſepultus fuit Mediolani in eccleſia S. Ambroſii, vbi exſtat inſcriptio a Baronio num. XVIII. recitata, in qua legitur*, regnauit annos quatuor, menſes V. obiit XV. Kal. Maii indictione XI. *ideoque ſequente Chriſti anno* 818. *Et regnum inierat menſe Nouembri anni* 813. *vt haec verba demonſtrant.* At Pagius hic gratis ſumit, in marmore legi *indictionem* XI. quum teſte Muratorio legatur *ind.* X. Deinde contra auctoritatem Chronici Moiſſiacenſis, Lambeciani, et ſcriptoris aſtronomi renunciationem Ludouici Pii et Bernardi menſe Nouembri, non Auguſto vel Septembre factam eſſe ſtatuit. Denique nec indictio hic characterem temporis ſufficit idoneum. Nam quamuis haec indictio X. multo minus, quam vndecima, anno 818. conueniat: tamen iam Puricellus et Muratorius *ibid.* obſeruarunt, Mediolani apud eius aeui eccleſiaſticos peculiarem in vſu fuiſſe indictionem, et hanc non ſemper conſtantem: quod ſe fortaſſe alibi oſtenſurum, minatur Muratorius. Nos, nulla habita indictionis ratione calculum probamus Pagii ob imperii annum quartum, menſes quinque, niſi quod regni eius initium non a conuentu Aquiſgranenſi 813. quo vna cum Ludouico Pio rex renunciatus eſt, ſed a tempore, quo Modoeziae regni Italici coronam obtinuit, repeti exiſtimemus. Ex noſtro calculo anno 818. paſcha incidit in diem XXVIII. Martii. Finitis his feriis menſe Aprili conuentus habitus Aquiſgrani, in quo Bernardus damnatus eſt capitis, ſtatimque die XVI. eiuſdem menſis luminibus orbatus eſt, et tertio die poſt, qui erat Aprilis decimus octauus, deceſſit. Quum ergo regnaſſe dicatur annos IIII. menſes V. initium regni eius incidit in Decembrem anni 813. Quum ergo iam menſe Septembre vel Auguſto eius anni, (prout vel Moiſſiacenſis, vel Lambeciani chronographi auctoritatem ſe-

BIU Cujas

qui illum insequente anno 818. XV. Kal. Maii decessisse putant. Et hunc quidem miserabilem exitum habuit princeps optimus, multum quidem defletus a Ludouico Pio, eiusque iussu Mediolani busto paterno illatus, documento tamen futurus posteris, parum reuerenter habere fortunam, quotquot spes suas ambitione donantes, modico praesenti, at tanto certiori, incertum quid iucunda, at fallacissima imaginatione, praeferre non dubitant.

VIIII. Talis fuit prima illa, quam diuisio regni a Ludouico Pio facta eo ipso anno 817. excitauit. Facto illo exemplo, infida aliquamdiu pax fuit, nemine ausso tentare fortunam, quae Bernardum tam cito destituisset. Filios interim, imperator, ne forte ipsa quotidiana consuetudo, simultates inter eos excitaret, statim anno 817. natu minores a se dimiserat. Pippinum enim in Aquitaniam, Ludouicum, puerum decem annorum ad Boioarios missos esse diserte tradit VITAE LVDOVICI auctor (r). Haec anno 824. gesta. Hinc rescribendum: *sequutum est anno insequente* 818. *bellum Britannicum*, idque ex insequentis anni 818. gestis liquido potest demonstrari. Quum enim tunc Britones, duce MORMANNO, regulo suo, more fraena mordere, et obsequium omne exuere nunciarentur, et imperator contractis vndique copiis expeditionem, cui et LVDOVICVM nostrum interfuisse, virtutisque insigne specimen edidisse, iam supra monuimus, susciperet: filii illi, natu minores, PIPPINVS et LVDOVICVS, ipsi e regnis suis copias adduxerunt. Saltim de PIPPINO testis ἀυπόπτης est ERMOLDVS NIGELLVS (s), ea de re ita canens:

Francia cuncta ruit, veniunt gentesque subactae,
Et PIPPINE *tua* PARTE *venire paras.*

Id quod et LVDOVICVM ex sua parte fecisse, probabile est, quum et ipse illi expeditioni non modo interfuisse, sed et praefuisse tertiae exrcitus parti legatur, opinione citius confectum. Actis enim in fugam

quimur) a Carolo M. auo rex sit creatus: consequens est, vt mense Decembre eius anni noui quid contigerit, a quo regni sui annos auspicandos esse crederet. Quod non aliud esse potest, quam corona regni Langobardici circa id tempus, et ipsis fortasse diebus Christi natalitiis suscepta. Ita omnia videntur bene cohaerere, nec nos multum turbare potest indictionis numerus, quum diuersimode admodum a Mediolanensibus iniri consueuerit: immo non eadem vbique fuerat indictionum ratio, ceu post Iac. Gothofredum obseruauit Car. du Fresne *in Glossar. med. et inf. Lat. tom. II. pag. 47. sequ.*

(r) *Ad a. 817. pag. 369.*

(s) *Lib. IIII. v. 119.*

BIU Cujas

fugam Britonibus, totaque prouincia ferro flammisque deuastata, direptis miserae gentis opibus, ipsoque Mormanno a quodam equorum regiorum custode CHOSLO, occiso, tota cum eo victa Britannia succubuit, manusque victa dedit, seruitutis conditiones, quascumque laturus esset imperator, susceptura. Hinc recepta Britannia, acceptis obsidibus, rebusque constitutis, imperator victrices copias in Galliam reduxit (t). Sed hunc LVDOVICI Pii triumphum mox funestauit HERMENGARDIS, regina, quae, vt ex EGINARDI epistolis (u) colligitur, filiorum male concordium quasi copula fuerat. Eam Andegauum secum duxerat imperator, ibique febri laborantem longoque fatigatam incommodo reliquerat (x). At vix redeuntem e castris virum amplexa singularis exempli femina biduo post caelestia regna cum terreno commutauit V. Non. Octobris, eiusque corpus in eadem vrbe conditorium reperit. Inde imperator, curato vxoris funere, iustisque factis, Aquisgranum hiemem ibi exacturus rediit.

X. Insequente anno 819. Sclaomirus, Obodritorum dux, multorum criminum accusatus a suis, nec non Lupus Visco imperatori rebellis in exsilium acti, Obodritorumque regnum Ceadrogo filio Thrasconis cessit (y). Multa quoque alia eo anno ab imperatore acta, quae ad tranquillitatem ecclesiae reique publicae pertinere videbantur. Sed ea omnia, quod ad LVDOVICI Germanici res illustrandas nihil omnino facere videntur, merito praetermittimus. Duo tamen sunt, quae in enarrandis eius fatis praetermittenda minime esse existimamus, inauspicatissimum puta LVDOVICI patris cum IVDITHA matrimonium, et bellum cum LIVDEWITO in Pannonia gestum. Quemadmodum enim hoc regno Boico; ita illud ipsi LVDOVICI nostri fortunae exitium minari videbatur. Aliquot menses viduitatis taedia fortiter tulerat imperator, nec fortassis vmquam de nouerca liberis superinducenda cogitasset, nisi ea res curae fuisset consiliariis, quorum ab arbitrio totus pendebat. Versabatur tum in aula BENEDICTVS, abbas Anianensis, rigidus disciplinae monasticae seuerioris exactor, cuius ministerio imperator non modo in rebus palatinis et publicis, sed et in componendis ad austeriorem vitam moribus

(t) *Vit. Ludouici Pii pag.* 371. *Annal. Fuld.* Eginardi, *Bertin. ad a.* 818.

(u) *Epist.* 62.

(x) *Annal. Fuld. Bertin.* et reliqui *ad a.* 818. *Vita Ludou. pag.* 372. Thegan. *cap.* 25.

(y) *Annal. Fuld. Bertin.* et alii *ad a.* 819. *Vita Ludouici pag.* 372.

BIU Cujas

moribus vtebatur. Quin vt eum et assiduum comitem, et sanctimoniae exemplum haberet, Indense coenobium non procul Aquisgrano non sine magna opum profusione condidit, suoque BENEDICTO regendum concessit (z). Id eo consilio fecisse Ludouicum, vt ipse sacro illi monachorum gregi mixtus, idem institutum seruaret, alio loco (a) ERMOLDI NIGELLI (b) testimonio probauimus. Ea cura tunc adeo distinebat bonum principem, vt non imperatoris magis, quam abbatis, partes exsequeretur, et non minus saepe in illo Indensi delubro, quam in palatio viseretur. Hinc denuo ERMOLDVS (c):

Sed HLVDOVICVS *agens purgauit lustra ferarum,*
Atque deo gratum condidit arte locum.
Fundauit satagens, rebus ditauit opimis,
Quo Benedicte tua regula sancta viget.
Namque idem Benedictus erat pater illius aedis,
Et Hludowicus adest Caesar et ABBA *simul.*
Haec loca saepe colit, properatque reuisere caulas,
Ordinat et sumtus, munera larga parat.

Ex eo vero suspicabantur consiliarii, iam id agere dominum, vt conclamet vasa, signumque det receptui, id est, pertaesus rerum humanarum, pro purpura cucullo induatur, maxime, quum amissa Ermengardi, filiisque designatis successoribus, nihil id consilium morari videretur. At nihil minus rei publicae, sibique, quam illam Caesaris abdicationem, profuturum arbitrabantur, satis gnari, quam dira quaeuis minentur LOTHARII ferocia, adolescentiaque reliquorum fratrum, omnibus prauis consiliis peruia, denique ipsa, quae inter fratres gliscceret, aemulatio, qua semel in bellum ciuile erumpente, ne ipsam quidem salutem populum Francorum seruare posse censebant. Hinc non aliam certiorem illa imperatoris consilia turbandi rationem reperiebant, quam si illi, vt feminam iuuenculam in torum recipiat, persuadere vllo modo possent. Ita sane tum rationes subduxisse Ludouici Pii consiliarios, testis est scriptor rerum a LVDOVICO Pio gestarum adcuratissimus, qui *Astronomi* vulgo nomine venit (d): *qua tempestate monitu suorum vxoriam copulam meditaba-*

(z) Ardo in *Vita S. Benedicti Anian.*
(a) *Capite hoc 4. §. 2.*
(b) *Lib. II. v. 580.*
(c) *Lib. II. v. 592.*
(d) *Ad a. 819. pag. 373.*

BIU Cujas

ditabatur inire. Timebatur enim a multis, ne regni gubernacula vellet relinquere. Sed compellebatur, tandemque eorum voluntati satisfaciens, et vndequaque adductas procerum filias inspiciens, IVDITH *filiam Welfonis, nobilissimi comitis in matrimonium iunxit.* Nescio quid barbari moris inesse dixeris illi puellarum tamquam ad forum venalitiariarum confluentium lustrationi (e), cuius et BERTINIANI et SAXONICI annales (f) faciunt mentionem. Sed ea opus esse videbatur, vt austerioris vitae principem et de choro saepius, quam toro, cogitantem, ad amorem inflammarent. Nec fefellit eius consilii auctores euentus. Inter tot eminentioris formae virgines, quarum forte nulla indigna videbatur vidui amplexibus, sola placuit IVDITHA:

Viderat hanc, visamque cupit, potiturque cupita.

Vere enim eius anni iam adulto, quod tempus (g) poëtae nuptiis conuenientissimum esse iudicant signatae tabulae, dictum feliciter, Liuiam suam domum ducit Augustus, mox Tiberii cuiusdam matrem, magno rei publicae malo, futuram.

XI. Nimirum adeo

Ille dies primus lethi, primusque malorum
Causa fuit,

vt

(e) Regibus Persarum talem fuisse consuetudinem, vt ex conducta virginum formosissimarum turba vxores sibi ac pellices deligerent, ex *libri Estheris capite* 2. *v.* 1. *sequ.* perspicimus. Sed Francis eumdem placuisse morem, me animaduertere non memini. Videntur id excogitasse Ludouici ministri, vt dominum ad amorem inflammarent, parum memores, ipsam aliquando puellarum copiam electionem difficiliorem, sponsosque consilii inopes reddere.

(f) *Ad a.* 819. *pag.* 176.

(g) Noti sunt versiculi vetustissimi poëmatis, quod *Peruigilium Veneris* vocatur, *v.* 2. *seqq.*

Ver nouum, ver iam canorum, vere natus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubent alites:
Et nemus comam resoluit de maritis imbribus.

Quibus gemina sunt apud Oppian. *Cyneget. lib. I. v.* 377. et *Halieut. lib. I. v.* 473. Sed haec quidem fortassis non curauerit Hippoclides. Magis ad rem pertinuisset, si nuptias has Ludouicus vere aetatis suae celebrasset, aut si ipsi ex eodem carmine adclamari potuisset: *eras amet, qui numquam amauit.* Sed quadraginta annis maior, trium filiorum iam paene adultorum parens nescio an satis prudenter domum duxerit iuuenculam, filiosque metu numerosioris prolis anxios magis magisque a se alienarit.


BIU Cujas

vt qui taedas istas nuptiales accenderant, simul faces, quibus res publica conflagraret, accendisse videantur. Erat IVDITHA illa gente Guelphorum inter Alamannos florentissima prognata (h), venustate

(h) De Guelphica gente hodie omnia nota sunt, postquam de ea bene mereri coeperunt Leibnitius, Eccardus, Fellerus, aliique viri doctissimi. Pater WELFIO vel WELFVS, et *Annalium Fuldensium* auctori HVELPVS, alibi *comes* vocatur, vti in *Ann. Fuld. ad a.* 819. alibi *nobilissimus comes*, vti in *Vita Ludouici Pii pag.* 373. alibi *dux*, vt apud Thegan. *de gest. Ludouici imp. cap.* 26. Sed vir illustrissimus, G. G. Leibnitius, *praef. tom. I. Script. rer. Brunsu. n.* 55. *seqq.* Guelphos antiquos siue ex Alamannis, vti veteres scribunt, siue ex Agilolfingis, vetustis Boiaoriorum rectoribus, vt quibusdam viris doctis placet, ortos, olim in Sueuia et Bauaria hereditarias, nullique feudorum legi obnoxias ditiones habuisse, quae tunc insignis praerogatiua habita sit: adeo vt quidam ex illo Ethico indignatus sit Henrico filio, quod insignem terrarum tractum sub homagii conditione imperatoris beneficio recepisset. Principes ergo habitos, etiam qui duces comitesque, (quod feudale fuerit), non adpellati sint, qui tamen domum suam aliquando regis more per ministeria comitum, vel his aequalium rexerint, vt de Guelphis habeat monachus Weingartensis. Matrem IVDITHAE nobilissimi generis Saxonici fuisse, obseruat Theganus *de gest. Ludou. cap.* 26. *pag.* 208. Eam vero HEGELWICH vocat auctor *Translationis S. Bathildis cap.* 1. apud Henschen. *Act. sanctor. Ian. tom.* II. obseruatque, eam anno Ludouici imp. generi sui XX. id est, anno Christi 833. Kalensi monasterio tamquam abbatissam praefuisse: *anno vicesimo, regnante cum magna felicitate HLudouico, serenissimo augusto, in regno Francorum, venit Kala monasterium, vbi venerabilis abbatissa*, HEGELWICH, *genitrix* IVDITH *imperatricis magno gregi sanctimonialium praerat.* Ex quo simul discimus, WELPHVM, Hegelwigis maritum, illo tempore iam rebus humanis excessisse. Porro Hegelwigis illa, vti ECKARDVS *Not. ad vitam Hatumodae pag.* 32. probabile reddidit, eam BRVNONIS, Angriae principis, et GISELAE, WITICHINDI filiae filiam, sororem EBERTI Saxoniae ducis, S. IDAE mariti, fuisse. Fratres porro Iuditha habuit ETHICONEM, Guelphorum progenitorem, de cuius posteris plura *Historia monachi Weingartensis* de Guelphis apud Leibnit. *tom. I. pag.* 782. CONRADVM, quem plerique comitem Parisiensem vocant, potentem in aula Ludouici, regum Burgundiae auctorem, et Radulfum abbatem S. Richerii Centulensem. Vt adeo totum Iudithae stemma genealogicum, quatenus ex incorruptis vetustatis testimoniis erui potest, tale omnino esse videatur:

WITI-

BIU Cujas



Magna ergo fuit Iudithae nobilitas. At quum ſint, qui illud matrimonium paene inceſtum fuiſſe contendunt: quid veri huic ſententiae inſit, paucis diſpiciemus. Eſt haec vetus Ioannis de Beka, aliorumque Belgicorum ſcriptorum narratio, quam illi procul dubio non ex genuinis ſaeculi noni monimentis eruerunt, ſed a maioribus veluti per manus traditam acceperunt, S. Fridricum, epiſcopum Vltraiectinum, quod inceſtas Ludouici et Iudithae nuptias reprehendiſſet, immiſſis percuſſoribus caeſum eſſe, anno 838. XV. Kal. Auguſti vti rem multis deſcribunt Io. a Beka in *Epiſc. Vltrai. pag. 23. ſequ.* et Guil. Heda *ibid. pag. 49. ſequ.* Placuit id commentum Chiffletio, qui vt magis perpoliret fabulam, ſchema hoc dedit, quo illam cognationem LVDOVICI Pii et IVDITHAE ob oculos poneret:

BIU Cujas

Gothofredus, dux Sueuiae.

Houchingus, dux Sueuiae.

Nebi, dux Sueuiae.

Imma vxor N. comitis in Sueuia.

Hildegardis, vxor Caroli M.

LVDOVICVS Pius imperator. ═══ IVDITHA.

Alia filia, vxor N. Comitis Altorffi.

Iſembertus Warinus, princeps Altorffi a. 788. ex *Chron. Conſtant.*

Welfus, Altorffi comes, vxor Irmentruda Saxonica.


Quod ſchema ſi verum eſſet, Iuditha Ludouico imp. quarto gradu lineae obliquae inaequalis cognata fuiſſet. Sed ſolide docuit Blondellus in *Geneal. Franc. plen. adſert. pag.* 215. illam NEBI filiam, N. comiti Altorffi nuptam, nullum in vniuerſa antiquitate praeſidium reperire. Immo et ipſam de S. FRIDRICI martyrio narratiunculam fabuloſam eſſe, eo potiſſimum argumento oſtendit, quod nec coaeuorum quiſquam id prodiderit memoriae, et ne veroſimile quidem ſit, IVDITHAM iam anno 819. LVDOVICO nuptam, obiurgationem epiſcopi ſeptendecim annis poſt vindicare tam nefarie voluiſſe. Quae aliaque argumenta vrget etiam Arnoldus Buchelius *ad Ioannis a Beka Epiſc. Vltrai. pag.* 25. Enimuero, quamuis omni fundamento careat ſchema Chifletianum, et ipſa etiam fortaſſis hiſtoria de S. FRIDRICI martyrio falſa ſit: non tamen temere negauerim, cognationem inter LVDOVICVM et Iuditham interceſſiſſe, et FRIDRICVM illas nuptias tamquam inceſtas damnaſſe. Iam ſupra *cap.* 2. §. 4. obſeruauimus, Hildegardim, Caroli M. vxorem, Sueuam, Immae filiam, Nebi ducis neptem fuiſſe, ſimulque probabile eſſe diximus, eam patrem habuiſſe vel WARINVM, vel RVTHARDVM, qui S. OTHOMARVM, abbatem S. Galli circa annum 759. vexarint. WARINVM fuiſſe patrem ISAMBARDI, ipſe Blondellus concedit. Quamuis vero, filiuſne ISAMBARDI, an frater WELFVS fuerit, non facile dixerim, omnes tamen rerum paullo peritiores WARINVM et RVTHARDVM Guelphica gente fuiſſe ſuſpicantur, idque iam GOLDASTVS recte obſeruauit. Si ergo fingamus, quod admodum veroſimile eſt, Ruthardum et Warinum fratres fuiſſe, et illum Immam duxiſſe vxorem: ſtemma tale naſcetur

BAINO-

nuſtate formae eximia (i), tantaque praedita ſiue calliditate, ſiue prudentia (k), vt incredibilem ſui amorem in viro, ingenii alioquin parum amoeni, excitaret. Sed eadem vere fuit priuignis nouerca, quae id egit perpetuo, vt animum Ludouici nouercalibus blanditiis ac delimentis inſtinctum ab Ermengardis filiis abalienaret, ſuoque CAROLO maximam imperii partem concederet. Quod quum facta iam diuiſione fieri non poſſet, vt non tantum illis decederet, quantum Carolo illi daretur, ea res illos poſtea in tantam rabiem adegit, vt et naturam paene exſuerent, impiaque arma ipſi patri obuertere non dubitarent. Adeo tum verum adparuit tritiſſimum Germanorum prouerbium, patrem, ſimul ac cum nouerca ſignet tabulas, in vitricum degenerare. At erant et alia, quae illam non minus regni proceribus, quam filiis exoſam reddebant, impotens dominandi in aula libido (l), perpetuum liberorum, fratrum, cognatorumque res augendi ſtudium, imperium in ipſum Ludouicum maritum adfectatum, vagarum denique ſuſpicio libidinum, qua ita laborauit mulier, vt vulgo de ſe ſermones daret. Hinc REGINO (m), vbi LVDOVICI Pii exauctorationem de-

BAINONVS apud Goldaſt. *Chart. Alamann. n.* 59. *pag.* 45. vbi charta filii HRVTHARDI iuſſu ſcripta anno Pippini regis VIII. Chriſtianae erae 759.

NEBI dux Sueuorum.



Sed pleraque horum, vti dixi, coniectura nituntur, quamuis ſatis probabili. Et operae ſane pretium eſſet, in illa inquirere paullo adcuratius, ſi ad alia properantibus tantum nobis otii eſſet.

(i) Thegan. *cap.* 26. *pag.* 208.

(k) *Annal. Metenſ. ad a.* 819. *pag.* 299. vbi eam vocat *pulcram nimis et ſapientiae floribus optime inſtructam.*

(l) Paſchaſ. Ratbert. in *Vita Walae lib.* III. *cap.* 9.

(m) *Ad a.* 838.

BIU Cujas

scripserat : *fuit*, inquit, *haec deiectio pro maxima parte facta propter multimodam* FORNICATIONEM *Iudith, vxoris eius.* Quae quidem similiaquē calumniis aduersariorum tribuunt e vetustioribus THEGANVS (n), e recentioribus ARN. BVCHELIVS (o), et alii: sed difficile est creditu, ausuros fuisse tot homines non plebeios, sed optimates viroſque grauissimos id ei publice exprobrare, et LVDOVICVM Pium per vxoris latus tanta ignominia adficere, nisi satis manifesta adfuissent rei testimonia. Publice autem in libello, qui restituto iam LVDOVICO prodiit, id Iudithae exprobrare non dubitauit AGOBARDVS (p), Lugdunensium archiepiscopus, Ludouico quidem infensus, sed vir grauissimus, et quem haec ex vulgi circulis rapuisse, nemo crediderit (q). Saltim parum sancte vixisse Iuditham, et liberiore cum BERNARDO duce aliisque proceribus consuetudine suspicionem non leuem de se excitasse, vel inde patet, quod eam ne ipse quidem LVDOVICVS Pius, ipsi alioquin plane obnoxius, omni suspicione carere existimauit, nec eam, diuulgata illi fama, *prius coniugis honore dignatus est, quam se modo a legibus praescripto purgasset* (r). Sed vtcumque se haec habuerint: id sane extra omnem dubitationis aleam positum est, illam facem ac tubam turbarum istarum, quae paullo post insequutae

(n) *De gest. Ludou. cap. 36.*

(o) *Ad Ioann. a Beka Episc. Vltrai. pag. 25.*

(p) *Apolog. pro filiis Ludouici §. 2.*

(q) Operae pretium fuerit, ipsa eius verba legere: *quum praedictus domnus et imperator quietus esset in domo, et florens in palatio suo, quum adhuc iuuenem coniugem sub sui reuerentia custodiret, et secundum apostolum vxorium debitum illi persolueret, in processu vero dierum, quum coepissent haec primum tepescere, deinde frigescere, ac per hoc et mulier resolui* IN LASCIVIAM, *cessantibus* LICITIS, *conuersa ad diuersa; immo ad* ILLICITA *adsciuit sibimet aptas personas ad* PERPETRANDA TVRPIA, *et primum latentes, deinde imprudentes. Cognouerunt autem hoc initio pauci, deinde plures, ad postremum autem multitudo palatii et regni, ac finium terrae. Quam rem irridebant minores, dolebant maiores, omnes autem clari viri intolerandum iudicabant.* Steph. Baluzius ad hunc Agobardi locum *pag.* 129. adducit fragmentum Odonis Ariberti, vbi *is Carolum Caluum ex Bernardi retulisse, ab eoque genitum esse, vulgo creditum* refert, *natura adulterium maternum prodente.* Denique Paschas. Ratbertus in *Vita Walae, lib. II. cap. 7.* sceleratum quemdam Nasonem nominatim tangit, qui torum imperatoris occuparit: et *lib. II. cap. 9.* palatium vocat *prostibulum, vbi moecha dominata sit, et adulter regnarit.* Haeccine scriptutos fuisse probabile est viros doctos, probos, et quos ipsa muneris dignitatisque ratio ab illa stili proteruia cohibere debebat, nisi furtiuos illos Iudithae amores satis compertos habuissent?

(r) *Vita Ludouici pag. 395.*

BIU Cujas

tae sunt, omnium, nec minus augustae domui, quam olim Liuiam Augusti, exitio fuisse (s).

XII. Praeter inauspicatas istas imperatoris cum Iuditha nuptias, ad res LVDOVICI nostri ex hoc anno 819. pertinet bellum Pannonicum, quippe quod eodem tempore exarsit, et demum aliquot annis post deflagrauit. Pannoniae inferiori adhuc praefuerat LIVDEVVITVS, gente Slauus, quem alii LVIDEVITVM, alii LINDEWITVM, alii LEVTEVITVM adpellitant (t). Is, tametsi genti suae dominaretur, ex eo tamen tempore, quo CAROLVS M. Pannoniam in suam redegerat potestatem, Francorum regis maiestatem vene-

(s) Idem Agobardus *ibidem*: *quumque per nimiam filiorum remissionem bene acta dissoluerentur, per carnalium blandimenta, et cupidorum sceleſtos fauores, atque indecoras adulationes, iterum mulier, tamquam legitima domina, reuocata est in palatium, et praelata consiliis et consiliariis, cuius instigationibus mutata est mens rectoris, et coepit duris cornibus ventilare filios, et conturbare populos.* Si certum esset, iam tum cornua tribui solita esse impudicarum maritis, Agobardus videri posset Ludouici Pii patientiae intempestiuae simul illudere voluisse. At id certe dicit, Iuditham fuisse Ludouici τὰ πάντα, omniumque turbarum, quae postea rem publicam adflixerint, causam. Quod et Paschas. Ratbertus adfirmat, dum in *Vita Walae*, *lib.* II. *cap.* 16. *Erat*, inquit, *cum augusta* IVSTINA (ita Iuditham vocat) *tunc temporis, quae mouebat totius monarchiae rursus sceptra, concitabat fluctus et maria, impellebat ventos et corda virorum ad omnia, quae vellet, conuertebat.* At prolixissime et distinctissime rem eloquutus est Agobardus in *Apologet.* §. 8. *Quae commotio et conturbatio quale habuerit initium, vel originem, non est penitus reticendum. Igitur, quum Christianissimus et piissimus imperator, domnus HLudouicus bonae coniugis fide et moribus sibi congruentis consortium amisisset: necesse fuit, vt aliam sibi acciperet, quae ei posset esse adiutrix in regimine et gubernatione palatii et regni. Sed occulto dei iudicio talis adsumta est, quae licet in primis annis viri et domini sui virtute et potestate pressa subdita fuerit, tamen in processu temporis talis inuenta est, quae magnorum fluctuum commotio, et conturbationis largus thesaurus esse posset, quae non solum plebes et populos, siue principes, verum etiam elegantissimos filios imperatoris, etiam coniugatos et gubernacula regnorum possidentes, adfligeret, contristaret et conturbaret, et paene attereret, et exterminaret. Quumque talibus incrementis viderent hi, quibus curae erat de statu et honore regni ac tranquillitate pacis, et quiete populi, dehonestari palatium, obscurari claritatem regni, et ad ignominiam deduci nomen regnantium: coeperunt queri, et murmurare, ac dolere, et deplorare. Inter haec concitati sunt spiritus virorum honoratorum, et filiorum regis, et crescente conludio, accedente etiam consilio, conuenerunt singuli de loco suo, et coniuncti ad palatium, effugauerunt ministros sceleris, et reginam, quae* TOTIVS MALI CAVSSA *erat, excluserunt de domo et honore regni, et constituerunt in retrusionem exsilii.*

(t) *Vita Ludouici Pii pag.* 371.

BIU Cujas

venerari, tributaque aerario inferre non desierat : tum vero nouis rebus coeperat studere, et dare operam, vt, si qua posset, Francorum iugum humeris depelleret. Hinc parare arma, copias contrahere, nihilque eorum, quae ad bellum pertinere videbantur, omittere, in omnem interea rei gerendae occasionem vnice intentus. Quum vero, qua erat calliditate, facile intelligeret, non posse diu hos motus latere imperatorem, ac proinde nihil magis, quam, ne ab illo imparatus opprimeretur, metueret : dolo adgressus Ludouici aulam, missis legatis de CADALI, vel CVDALACHI, ducis Foroiulienſis impotenti dominatione ac intolerabili truculentia falso conqueritur, gentis suae indignationem conceptumque in hunc hominem odium non dissimulat, simul tamen se cum suis in officio futurum pollicitus, si, quas ferret, pacis leges acciperentur. Quandoquidem autem hae ita comparatae videbantur, vt accipere eas LVDOVICVS salua existimatione non posset, isque missis legatis alias conditiones, si pacem habere velit, praescriberet : iam ea legatione id consequutus, vt et tempus rei gerendae saltim hoc anno Francis eximeretur, et iustam iniustissimo bello caussam sibi videretur obtendere posse, iam sine dissimulatione hostilem animum ostendere et omne imperatori obsequium denegare coepit (u). Circummissis itaque expertae fidei hominibus, omnes circumcirca gentes vicinas aduersus Francos sollicitauit, sibique foedere iunxit, quumque eodem anno Timotiani et Caduscani (x), relicta

(u) *Annal. Bertinian. ad a.* 819.

(x) At quinam TIMOTIANI et CADVSCANI. Ita vocat *auctor vitae Ludouici Pii pag.* 572. Annalistae Bertiniano illi TIMONITIANI ; hi GVDVSCANI sunt. Priores procul dubio nomen habent a *Timaco*, Moesiae superioris fluuio, quem *Timachum* Plinius ; *Tmoc* hodie vocant accolae. Is non procul Naisso ortus, cis Vidinum in Danubium deuoluitur, vt adeo mirifice errent, qui eum a Drino, Dalmatiae flumine in Danubium deferri scribunt, veluti Cellarius *Geogr. ant. lib.* II. *cap.* 8. *pag.* 571. qui tamen *pag.* 581. ipse emendare hunc errorem videtur. Ei adiacuit *Timacum* vrbs XXVII. *M. P.* a Naisso, quae in maiorem minoremque in *Tabula Pentingeriana* diuiditur. Immo ipse populus, fluuii istius accola, iam olim TIMACHI dicebantur, Cellar. *ibid. pag.* 570. vel, vti ex hodierno fluminis nomine colligitur *Timoci* vel *Tmoci*, ex quo facile nasci potuerunt *Timotiani*. Saltim Bulgaris vicinos, et iisdem aliquando societate iunctos fuisse, ex *annalibus Bertin. ad a.* 819. manifestum est. De CADVSCANIS vel GVDVSCANIS quod dicam, non habeo, nisi quod ex iisdem annalibus patet, illos Bornae, Dalmatiae praefecto, militasse. Notissimus vero est *Scardus* mons, qui Dalma-

BIU Cujas

relicta Bulgarorum societate ad Francos defeciſſent, legatiſque miſſis, ſe ſuaque omnia dedidiſſent imperatori (y), Timotianos multis illecebris ſibi conciliauit, et a Francis reddidit alieniores (z). Certior ea de re redditus LVDOVICVS, imperator, tumultum illum, antequam vires caperet, repreſſurus penes *Cadolochum*, ducem Foroiulienſem, et Bornam, Dalmatiae praefectum belli ſummam eſſe voluit. At Cadolochus, re paene infecta reuerſus (a), febre correptus in ipſa Marca, id eſt, Hiſtriae et Illyrici finibus diem obiit ſupremum. Eius vero ſucceſſor, BALDERICVS, ingreſſus Carantanorum fines, qui et ipſi ad eius curam pertinebant, in Liudeuiti exercitum incidit, quem iuxta Drauum fluuium iter facientem, parua manu ſua adgreſſus, facile profligauit, caeſiſque quam plurimis eum fuga in Pannoniam elabi coëgit. BORNA, Dalmatiae praefectus, ipſe quoque ducens aduerſus Liudeuitum, iuxta Conlapium (id eſt, Colapim, vel hodie Culpam) fluuium caſtra metatus obuium habet hoſtilem exercitum, quocum congreſſus, prima ſtatim velitatione a Caduſcanis, quos belli ſocios exciuerat, turpiter deſeritur, extremum aditurus periculum, niſi praetoriani eius rem expediſſent. Periit tamen in eo praelio Dragumoſus, Liudeuiti ſocer, qui paullo ante, a genero ad Bornam defecerat: Borna vero in prouinciam reuerſus Caduſcanos facile in ordinem coëgit. Elatus hoc ſucceſſu Liudeuitus, menſe Decembri cum valido exercitu in Dalmatiam irrupit, omniaque quaquauer-

Dalmatiam a Dardania Moeſiaque ſeiungit, *Scordus* Liuio *lib.* XXXXIII. *cap.* 20. cuius accolae olim *Scordiſcorum* nomen tulit. An inde temporis tractu pro *Scordiſcis Corduſcani* vel *Gurduſcani*, ac demum *Caduſcani* et *Guduſcani* dicti ſint, alii viderint. Id certum, non alibi quaerendos eſſe *Caduſcanos* vel *Guduſcanos*, quam trans Scardum montem, in Dardania vel Moeſia ſuperiore, ex qua facillime iungi potuerunt Dalmatis. Ceterum a Bulgaris defecerant hi populi, more iam in vicinia recepto. Nam de eodem paene tempore Cedrenus *Hiſt. comp. pag.* 400. Βέλγαροί τινες ἐξ ἠθῶν ἀναξάντες τῶν πατρῴων τὴν Ῥωμαίων καταλαμβάνουσι παροικεσίαν, καὶ παρὰ τοῦ βασιλέως προσδεχθέντες Μιχαὴλ ἐν διαφόροις ἐγκατοικίζοντο χώραις: *Bulgarica quaedam gens, paternis relictis moribus, in ditionem Romanam immigrauerat, ac, concedente imperatore Rancala, hinc inde ſedes poſuerat.* Quod tamen de gente quadam Thraciae viciniore intelligendum eſſe nemo negauerit.

(y) *Vita Ludouici Pii pag.* 372.

(z) Bertin. *ibid.*

(a) *Annal. Fuld. ad a.* 819.

BIU Cujas

quauersum ferro ac igne deuastauit, satis gnarus, imparem sibi fore Bornam, qui superiorem cladem nondum resarsisset. At hic suos suaque prudenter locis munitis et castellis continuit, ipse vero cum delecta manu hac illac diuagatus, et Liudeuitum modo a tergo, modo a latere adortus, tantam ei cladem intulit, vt amissis tribus hominum millibus, interceptisque trecentis equis, et sarcinis omnibus in Bornae manibus relictis, in Pannoniam refugere cogeretur. Ita res hoc anno aduersus Liudeuitum gestas adcuratius reliquis omnibus descripsit ANNALIVM BERTINIANORVM et *vitae Ludouici* auctor (b): quum reliqui veteres aeque ac recentiores, et in his ipse ANT. BONFINIVS (c) id bellum vix, reliqui, veluti IO. DE THWROCZ et SAMBVCVS, ne vix quidem attigerint.

XIII. Etiam proximo anno 820. Normannorum praedatione et tempestatum insolentia, sterilitate, ipsaque hominum pecorumque pestilentia memorabili (d), bellum Hungaricum quam maxime sollicitum habuit imperatorem; qui ipso mense Ianuario, conuocatis Aquisgranum regni proceribus, quibus et BORNA interfuit, tres eo anno exercitus in Pannoniam mittere decreuit. Adpetente ergo vere, pabulumque iumentis sufficiente, contractae vbique sunt copiae, earumque pars vna ex Italia per Alpes Noricas, altera ex Boioariis et Alamannis contracta, per Carantanorum prouinciam, tertia, quae ex Saxonibus et Francis orientalibus coaluerat, per Boioariam et Pannoniam superiorem viam sibi in hostium ferro aperuit. At primum quidem exercitum valida praesidia, quibus Liudeuitus omnes aditus firmauerat, tertium Draui fluuii difficilior transitus aliquamdiu moratur: secundus reliquos praeuertens, oppositas sibi tribus locis Liudeuiti copias feliciter profligauit, transmissoque Drauo celerius in Pannoniam penetrauit, atque ita perterruit Liudeuitum, vt munitiore, quod eum in finem exstruxerat, castello se suosque contineret, non minus tamen in hac fortuna, quam antea, peruicax, quippe qui nec de bello, nec de pace, vllum verbum facere sustineret. Quapropter reliquis exercitus partibus superuenientibus, in totam prouinciam ferro flammisque saeuitum, eoque confecto negotio, domum reditum est, nullo notabili damno accepto, nisi quod ea pars, quae per

(b) *Annales Bertin. ad a.* 819. et *pag.* 187. *Vit. Ludou. pag.* 374.
(c) *Rer. Hungar. dec.* I. *lib.* VIIII. *a.* 820.
(d) *Annal. Bertin. Fuld. Metenſ. ad*

BIU Cujas

per Pannoniam superiorem fecit iter, transito Drauo flumine, aquae aëriſque insalubritate soluti ventris incommoda sensit, multosque, eo castrensi morbo consumtos, amisit. At LVDOVICVS imperator etiam hunc expeditionis illius fructum tulit, vt Carniolenses circa Sauum fluuium sese BALDERICO, Foroiulienſium duci, dederent, ea quoque pars Carentanorum, quae Liudeuito acceſſerat, ad obsequium vltro rediret. At Liudeuitus, nondum fractus his cladibus, et victus magis, quam perdomitus, tertium quoque fortunam periclitari statuit: eaque re effecit, vt imperator insequente etiam anno 821. in comitiis mense Februario Aquisgrani habitis, iterum tres exercitus in procinctu esse iuberet, qui etiam adulto iam vere ingressi Pannoniam totam quidem depopulantur prouinciam, at continente se intra munitiora castella Liudeuito, nec vsquam sui copiam faciente, nulla re magni momenti peracta domum in hiberna reuertuntur. BORNAE interea mortuo, nepos eius Ladasdeus successor datur (e). Denique, (quae res magni momenti videtur, per Tiberium quemdam, presbyterum Gradensem, compertum est, FORTVNATVM, eius vrbis patriarcham, in Liudeuiti partes proniorem, hominem non modo ad bellum strenue persequendum trahendumque cohortari, sed et artifices ad munienda castella clam submittere. Ob quam causſam euocatus ab imperatore, iter indicit, seque ipse dat in viam, idque se agere simulauit, vt quam primum se Aquisgrani sisteret imperatori, seque insontem esse, coram ostenderet. Sed simulac in Histriam peruenit, clam omnibus, nisi paucis, quibuscum id consilium antea communicauerat, sese subduxit, ac parata naue Gradum, inde ad Ioannem, Iaderae in Dalmatia praefectum, (ea enim vrbs tum imperatori orientali paruit), inde porro, noua conscensa naui, Constantinopolin fugit (f). Ex quo profecto suspicari licet, non alienos a Liudeuiti consiliis fuisse Byzantinos, qui Francorum magnitudinem iam pridem limis oculis contuiti, minime omnium aequo animo ferebant, vt, debellato Liudeuito, ad orientem proferrent imperii sui fines, adeoque nihil procul dubio faciebant reliqui, vt Liudeuitum saltim per amicos, qualis et Gradensis ille patriarcha fuisse videtur, rebus ad bellum gerendum necessariis, iuuarent (g).

(e) *Vita Ludouici Pii pag. 376.*
(f) *Annal. Bert. ad a. 821.*
(g) Iaderam, Dalmatiae ciuitatem, tum partiſse Graecis imperatoribus, testis locupletiſſimus est, qui in sequente saeculo scripsit, Constantinus imperator, qui libro de

BIU Cujas

XIIII. Eodem anno 821. et alia quaedam referunt annales, quae a nobis hic non videntur praetermittenda. Inter ea nescio an primum locum mereantur ea, quae in comitiis Neomagensibus acta sunt. De iis Astronomus, *vitae Ludouici* auctor (h): *Kalendis Maii conuentum alterum habuit imperator Nouiomagi, in quo regni partitionem, quam inter filios suos iam dudum fecerat, coram recitari fecit, et a cunctis proceribus, qui tunc adfuere, confirmari.* Quod et *Annales Fuldenses, Metenses, et Laurishamenses*, (i) repetunt, obseruantes simul, Ludouicum Pium imperatorem tunc eo adegisse proceres, vt illam partitionem, quae ante quadriennium placuerit, iureiurando confirmarent. Quod profecto eo magis mirandum, quo minus spes numerosioris prolis, vxore iuuencula domum ducta, euanuerat. Sed nondum nato Carolo Caluo, et Iuditha adhuc paullo modestius se gerente, dubium non est, quin Ludouicus imp. nondum nouercalibus blanditiis corruptus, diuisionem illam ratam esse, serio voluerit. Quin eodem consilio, auctumno huius anni 821. LOTHARIVM, iam XXIII. annorum iuuenem, vxorem ducere passus est: de quibus nuptiis auctor *vitae Ludouici* (k): *eodem anno, medio Octobri, conuentus publicus in Theodonis villa celebratur. Vbi denique dominus imperator primogenito filio suo*, LOTHARIO, ERMINGARDAM, *filiam Hugonis comitis, vxorem cum sollemni iunxit adparatu.* Quae paene et *Bertiniani*, *Metenses*, et reliqui annales ad hunc

de administrando imperio ad Romanum filium, a Io. Meursio *Lugduni Bat. a.* 1611. primum edito, *cap.* 29. *pag.* 95. a Basilii imp. temporibus, ipsoque auctore, omnes quidem vrbes Dalmaticas, imperatoribus Constantinopolitanis antea obnoxias, Slauis vel Croatis factas esse tributarias, at ita tamen, vt praetori ab imperatoribus illis misso darent βραχύ τι, ἵνα μόνον δείκνυται ἡ πρὸς τὸς βασιλεῖς τῶν Ῥωμαίων καὶ πρὸς τὸν στρατηγὸν αὐτῶν ὑποταγὴ καὶ δούλωσις: *exiguum aliquid, ad ostendendam tantum Romanis imperatoribus et praetori eorum debitam subiectionem et seruitutem.* Id vero quum a Basilii demum temporibus, qui ab anno 856. imperare coepit, contigerit: consequens est, vt antea maritimae hae ciuitates ἀμέσως sub imperio Byzantino fuerint. Non mirum ergo, si imperatores Constantinopolitani ex vetere prouerbio noluerunt *Francos vicinos* habere, maxime quum de eo tempore Cedrenus *Hist. comp. pag.* 421. diserte scribat: ἐπεξελάτησε δὲ ἐπ' αὐτὸν καὶ πᾶσα ἡ Δαλματία, *defecit sub eo*, (Michaële Balbo,) *tota Dalmatia.* Quod procul dubio de Borna, eiusque successoribus, Francorum partes sequutis, intelligendum.

(h) *Ad a.* 821. *pag.* 376.
(i) *Ad a.* 821.
(k) *Ad a.* 821. *pag.* 376.

BIU Cujas

hunc annum notant. THEGANVS (l) vero addit, HVGONEM, Lotharii ſocerum, *fuiſſe de ſtirpe cujuſdam ducis, nomine* EDITH, *qui adeo fuerit timidus ſuper omnes homines, (ſic enim cecinisse ei domeſticos eius,) ut aliquando pedem foris ſepem ponere non auderet.* (m) Sed haec forte calumniam ſapiunt. Id vero multo certius eſt, non magis auſpicatas, quam patris, fuiſſe has filii Lotharii nuptias. HVGONEM enim illum ſocerum Lotharii, iam tum patri ſuccenſentis, animum magis magiſque incendiſſe, ac demum auctorem fuiſſe eorum motuum, quibus paullo poſt auguſta domus concuti coepit, idem his verbis teſtatur

(l) *De geſt. Lud. cap.* 28. *pag.* 308. *ſequ.*

(m) Vtrum de EDITHO, an de ipſo HVGONE haec dicantur, non ſatis expeditum eſt. Prius verborum nexus ſuadet: at alibi tamen, puta *cap.* 55. *p.* 320. ipſum Hugonem vocat TIMIDVM. Quod ſi verum eſt, merito mireris, tantum animi fuiſſe huic Hugoni, vt non modo ipſe a Ludouici Pii obſequio deſciſceret, ſed et Lothario, genero, ad idem audendum auctor eſſet, ceu veteres omnes adfirmant. Quod ſane non eſt timidi, ſed eius, cui aes triplex circa pectus eſt. Thegan. *cap.* 28. *et* 55. Nithard. *lib. I. pag.* 436. Ceterum HVGONEM *Prouinciae ducem* vocat Alericus *Chronic. ad a.* 855. eumque *Annales Fuldenſes* anno 837. Theganus anno 836. obiiſſe teſtantur, eiuſque coniugem BAVAM celebrat diploma vel teſtamentum Gerardi comitis apud Dacher. *Spicil. tom. III. pag.* 446. *ſequ.* Ex diplomate porro Lotharii apud Vignier. *Probat. geneal. pag.* 77. patet, Hugoni patrem fuiſſe Luitfridum, comitem, fratrem Lutardum, comitem. EDITH vero ille, cuius ex ſtirpe prodiit, procul dubio fuit ETHICO vel Adalricus, dux Alamanniae, Berſuindae Burgundae maritus, cuius poſteros ex genuinis erutos monimentis ita fiſtit Eccard. *Orig. Habſb. lib. I. cap.* 3. et Calmet. in *Geneal. duc. Luth. pag.* 139. *ſequ.*

BIU Cujas

ETHICO vel Adelricus, dux Alamanniae, † 698. Vxor Berſuinda Burgunda † 698. nono poſt maritum die.

ETHICO II. dux Alamanniae. — ADALBERTVS, dux Alamanniae, † anno 721. — N. occiſus a patre. — S. ODILIA, abbat. Hohenburg. † anno circiter 722. — S. Roſuinda. — Hugo. — Bataco. Ruyr. *Antiqu. de Volge, lib. VIII. cap. 15. 16.*

ETHICO, com. Alſat. ep. Arg. *Vit. S. Odil.* — ALBERICUS, ap. *Vign. p. 71.*

LVITFRIDVS, qui et Lantfridus, dux Alam. † 730. — EBERARDUS, comes † 747. — EUGENIA, abbatiſſa Hohenburg. 722. — ATTALA, abbatiſſa S. Stephani Argentor. — MASO, fundator monaſt. Maſmunſter. Languille *Hiſt. d'Alſace tom. II. pag. 15.* — GUNDLINDIS, ſanctimonialis. — BERO, BLEON, HERICHO. Mabill. *Annal. Ben. tom. II. pag. 695. ſeqq.*

THIETBALDUS ſeu Theobaldus, dux Alam. 732. 742. — LVITFRIDVS, dux Alam. † 751. — LVITFRIDVS comes. — HVGO. — Bodalus. — Egerhandus ante patrem mortuus. Calmet *tom. I. pag. 142.*

LVTARDUS comes, Vx. Grimiltis. — HVGO COMES † 837. Vx. Baua. — ROTRUDIS, abb. S. Stephani Argent. — ERMENGARDIS, Lotharii imp. vxor anno 821. † 851.

GERARDUS comes, vxor Grimildis. — LUITFRIDUS, Lotharii intimus 849. — ADALARDUS comes. — HUGO, † puer. — Luitfridus, Vngaros caeſos 925. — Hundfridus. — Luitfridus, capite plexus 916.

THEODERICUS comes, Eua. † iuuenis. — HUGO comes 866. 869. — LUITFRIDUS comes. Vxor Ermentrudis, ſoror Berſoldi et Erchangeri. — LUITFRIDUS com. 968. 977.

teſtatur THEGANVS: (n): *iam tunc Lothario imminebat infidelitas, quam per ſuggeſtionem ſupradicti ſoceri ſui et aliorum iniquorum multorum oſtendit in patre.* Adeo in id veluti conſpirabant fata, vt contractis adfinitatibus adfligeretur Ludouici Pii familia, et ex patris filiique taedis nuptialibus ſupereſſent ſcintillae, quae aliquamdiu ſopitae in magnum illud, ac paene fatale, rei publicae incendium eruperunt. Ceterum imperator, ſatis animaduertens, non bene conuenire ſolere ſocrui cum nuru, nouum maritum Wormatiae cum vxore morari iuſſit, ipſe hiemem Aquiſgrani, ex inſtituto ſuo exegit. (o). Ceterum in eodem conuentu (p) aliud clementiae pietatiſque ſpecimen edidit imperator. Quum enim eum iam pridem poenituiſſet ſeueritatis, qua in BERNARDVM, Italiae regem, eiuſque ſocios quarto abhinc anno animaduerterat, eoque nomine ſe pleriſque exoſum eſſe, intelligeret: clericos omnes, quos ob eam coniurationem in exſilium miſerat, reuocauit, priſtiniſque dignitatibus reſtituit, inter quos *Vitae Ludouici auctor* (q) praecipue ADALHARDVM, abbatem Corbeienſem, eiuſque fratrem BERNARIVM, id eſt, BERNARDVM, nominatim exprimit. Nec dubitandum, quin in eo numero et tertius frater WALA, abbas Corbeienſis, quem aula expulſum, ſupra monuimus. (r), fuerit. At ne hac quidem clementia rebus ſuis prudenter conſuluit LVDOVICVS imperator. Hi enim exſules, immemores beneficii, poſtea Lothario aduerſus patrem res nouas molienti fauerunt aperte, ipſamque et ſanguinis neceſſitudinem,

Ex qua tabula patet, ERMENGARDIM fuiſſe gente Sueuam, adeoque iam tres ordine imperatores, Carolum M. Ludouicum Pium, et Lotharium I. ſibi ex ea gente vxores adſciuiſſe.

(n) *Ibid. pag.* 308. *ſequ.*

(o) *Vita Ludouici Pii pag.* 377. *Annal. Bertin. et Met. ad a.* 821.

[p] Neſcio, an non veteres Romanorum principes imitari hic voluerit LVDOVICVS Pius. Solebant enim et hi natalibus liberorum, vel ſi qua alia occaſio laetitiam publicam intenderet, captiuos liberare, reuocare exſules, reis gratiam ſupplicium facere. Eius rei exempla exſtant apud Chryſoſt. *in Matth. III. homil.* 3. Iulianum *orat. I. vbi legendus* Ez. Spanhemius, *l.* 8. *l.* 9. *l.* 11. *D. ad SC. Turpill. l.* 1. *C. Th. de indulg. crim. l.* 2. *C. Th. eod.* Eum vero morem iam ante Ludouicum Pium ſuum fecerant Franci. De Chilperico enim Aimonius *Hiſt. Franc. lib. III. cap.* 54. *in illis diebus Chilperico denuo natus eſt filius, nomine Chlotarius. Quapropter vniuerſos carceres in regno ſuo Chilpericus aperiri iuſſit, et diuerſorum reos criminum abſolui.*

[q] *Ibid. pag.* 376. *ſequ. Annal. Bertin. ad a.* 821.

[r] *Cap.* 4. §. 8. c]

BIU Cujas

nem, et adfinitatem vindictae ſtudio poſthabuerunt (s), quod pro eorum temporum barbarie in ſacrorum illorum hominum laudibus ponere

[s] ADALHARDVS, BERNARDVS, WALA, filii erant BERNARDI, nepotes CAROLI MARTELLI, fratres Gundradae et Theodradae, qui quaeque omnes relictis rebus humanis monaſticum vitae inſtitutum elegerunt. Et ADALHARDVS quidem vtriuſque Corbeiae, WALA alterutrius abbas, BERNARDVS ibidem monachus, GVNDRADA S. Radegundis apud Pictauienſes ſanctimonialis; THEODRADA vidua, abbatiſſa S. Mariae Sueſſionenſis fuit. Ex his frater natu maximus d. II. Febr. anno 825. alter menſe Sept. anno 836. tertius et ſorores, incertum quo anno, deceſſerunt. WALA, antequam cucullum ſumeret, comes vxorem duxerat ſororem BERNARDI, Septimaniae ducis, cuius cauſſa ſeditio, quae Ludouico Pio tot moleſtias attulit, orta eſt. Paſch. Ratbert. *Vit. Walae, lib. II. cap.* 8. Quum ergo iſtius BERNARDI ducis infra frequens futura ſit mentio, eius familiae notitiam hic in anteceſſum dare iuuabit, additis teſtimoniis, quae nos ex parte Io. Dauidi Koelero, eiuſque *Diſſertationi de familia Auguſta Carolingica* debere, grati fatemur: monentes tamen ſimul, quaedam in hoc ſtemmate non ſatis certa eſſe, veluti quod ALDANAM, THEODOINI vel THEODERICI vxorem, CAROLI Martelli filiam fuiſſe contendunt, quod eius neptem Berthem in Pippini, Italiae regis manum conueniſſe aiunt. [Vid. Blondell. *plenior. adſert. geneal. Franc. pag.* 202.] Quare haec, tamquam dubiae fidei, omiſimus.

THEO-

BIU Cujas

ponere non dubitat infensissimus Ludouico imperatori PASCHASIVS RATBERTVS (t).

XV. Progredimur ad annum 822. tum prodigioso caespite, L. pedes longo, XIIII. lato, in Thuringia sua sponte in aërem sublato, et vltra XXV. pedum spacium transuecto, nec non insigni terrae hiatu, iuxta Arensеam, veteris Marchiae oppidum, insignem. Hiatus istius, cuius vestigia et hodie exstant, mentionem faciunt plerique istius aeui scriptores, veluti *Annalium Fuldensium*, *Metensium*, et *Bertinianorum auctores*, (u) quorum omnium narrationes eo redeunt, *in partibus orientalis Saxoniae, quae Soraborum finibus contigua sit, in quodam deserto loco, iuxta lacum, qui dicatur* ARNSEO (x), *in modum aggeris terram intumuisse, et limitem, vnius leugae longitudine por-*

ACADEMIE de DROIT ... DE PARIS

THEODOINVS (aliis Theudericus,) VX. ALBANA.

S. GVILLELMVS comes, 804. dux Tholosanus Erm. Nigello *lib. I. v.* 137. fundator monasterii Gellonensis quod ingressus est 806. VXORES I. CVNIGVNDIS, II. GVITBVRGIS. Vid. *Acta Antu. SS. Maii tom. VI. pag.* 820.

Theodoinus, Adalelonus, Albana, Bertana. *Acta SS. ibid.*

CAROLVS Martellus.

Bernardus.

BERNARDVS, a Ludouico Pio ex baptismo susceptus, eius aulae camerarius et dux Septimaniae, de quo infra plura.

Heribertus, Bernardi frater, oculis priuatus anno 830.

Wilcharius, 804. *Acta SS.*

Gotcelinus 804. *ibid.* capitis damnatus a Lothario 834. *Vita Ludouici pag.* 407.

Helimburch 804.

Gerbirch monialis, a Lothario in aquis suffocata 834. Thegan. *cap.* 42.

N. filia. = WALA comes, post abbas Corbeiensis. Paschas. Ratbert. *Vit. Walae lib. II. cap.* 8.

(t) In *Vita Walae, lib. II. cap.* 8.

(u) *Ad a.* 822.

(x) Locus ille olim desertus, iam *Heineccii Opusc. postum.* satis cultus, oppidum praeter vicinos pagos et vicos, habet ARNSEAM, quae in veterem et nouam dispescitur. Ad eam hodie

BIU Cujas

porrectum sub vnius noctis spacio absque humani operis molimine ad instar vallis (y) *subrepisse.* Sed vt ad ipsas eius anni res veniamus, primum nobis occurrunt comitia, quae LVDOVICVS Pius Augusto mense in Attiniacensi palatio, in vltimis Rhemorum finibus trans Mosam sito (z), habuit. In iis enim non modo se cum fratribus, quos anno 817. attonderi iusserat, et reliquis, quos Bernardi casus vna veluti ruina inuoluerat, bona fide in gratiam rediisse verbis professus est, verum etiam publico actu de episcoporum sententia conceptum ex pristina illa feueritate dolorem, ostendit, sollemni illa confessione, et, vti tum vocabatur, poenitentia, non sua tantum peccata, sed et, quidquid a patre suo simili

hodie visitur grandis ille lacus, quem olim multo minorem fuisse, et per hunc ipsum hiatum tantum cepisse incrementum probabile est. Eum in *Atlante Brandenburgico pag.* 110. ita describit Paullus Iac. Gundlingius: *die Arendsee ist gewislich ein Wunder der Natur. Sie ist bey zwanzig bis dreysig Klaffter tief, vnd hat keinen sonderlichen Zufluss, vnd ganz keinen Abfluss. Der Vmfang ist wohl eine gute Meile Weges. Sie vermehret sich nicht bey starcken Regen oder Schnee, vnd vermindert sich nicht bey trocknem Wetter. Sie fällt vnd steigt in etwas mit der Elbe, welche etliche Meilen davon ist. Das Wasser wird zuweilen grünlicht, vnd man kan daher nicht glauben, dass es von der Elbe komme. Sie frieret selten zu, ia nur, wenn der Belt zufrieret. Sie rauchet, wann sie zufrieret, vnd wird dabey ein grosses Brausen gehöret. Wann das Eis sich bricht, geschichet es mit Krachen. Es ist ein tieffer Grund, vnd die Hechte haben, welches man kaum glauben solte, fast Mannes lânge, vnd reissen die Netze meistentheils durch. Die Fische aber haben guten Geschmack.* Illud ex eodem auctore addimus, phaenomenon illi, quod annales ad a. 823. referunt, fere simile vidisse accolas anno 1685. d. XXV. Nouembris, quod eiusdem verbis ex p. III. describemus: *Anno 1685. den 25. Nouembr. verspürte man in der Stadt Arndsee ein kleines Erdbeben, worauf das Wasser in der See aufwerts gestiegen, vnd drey vnd zwanzig Gärten vberschwemmet, bis das Erdreich in die See gefallen. Das Wasser in der See wurde, als bey einem Wasserwerck, in die Höhe getrieben, vnd endlich hat solches einen bereits hohl gemachten Hügel, vnd darauff gestandene Windmühle zittern gemacht, so, dass die Leute kaum entspringen können. Es gieng endlich der Hügel mit der Mühle vnter, vnd entstunde darauff eine See. Dort ist die See nun zwantzig Klaffter tieff, vnd hat einen Platz in die Krümme von 1000. Schritten eingenommen.*

(y) Legendum: *valli*, vt et *Annales Fuldenses.*

(z) De eo loco, percelebri in regum secundae stirpis annalibus, saepe quaesitum. Sed eum iam pridem ostenderunt praestantissimi scriptores, situm trans Mosam, in vltimis Rhemorum finibus, vbi vicus, retento vetere vocabulo, et hodie *Attigny* vocatur. Plura de eo palatio Bignon. *ad leg. Salic. pag.* 178. *seq.* Labb. *Miscell. tom. II. pag.* 498. Steph. Baluz. *Not. ad Lupum Ferrar. pag.* 523. Bergier. *de itiner. Rom. pag.* 49. Mabillon. *de re dipl. lib. IIII.*

BIU Cujas

simili occasione admissum fuisset, expiaturus (a). Soluto eo conuentu imperator Arduennam venandi caussa petiit, prius tamen LOTHARIVM filium vna cum Ermengarde in Italiam ad res illius constituendas ablegauit, adiunctis ei WALA, adfine eius, tum monacho, at rerum ciuilium peritissimo prudentissimoque viro, et Gerungo, ostiariorum magistro, quorum ille consilio in publicis priuatisque rebus vteretur (b). PIPPINVM vero similiter a se dimissurus, prius illi vxorem dedit ENGELTRVDIM, Theotberti, comitis Matricensis (c) filiam

(a) *Vita Ludouici pag.* 377. *Annal. Bertin. Met. Fuld. ad a.* 822.

(b) Iidem. Add. Thegan. *cap.* 29.

(c) MATRICENSEM illum comitatum, quem pro pago circa oppidum *Graeuen Mackern* inter Theodonis villam et Treuerim acceperat Chifflerius, primus accurate descripsit Dau. Blondellus in *pleniore adsert. geneal. Francicae pag.* 130. vbi profligatis a *pag.* 101. Chifflerii coniecturis, *pag.* 140. eum ad septentrionem comitatibus Vilcassino et Tellausensi, ad orientem Pinciacensi et Parisiensi; ad meridiem Stampensi, Drocensi, et Carnotensi; denique ad occidentem Ebroicensi obuersum fuisse, docet, eiusque situm elegante charta chorographica repraesentat: vt nemo dubitaturus sit, Blondellum caussam suam peroraisse. Ei amplissimo comitatui tum praeerat Theodebertus, Engeltrudis, Pippini coniugis, pater, quem ipse Pippinus in diplomate a Boucheto *dans la veritable origine de la maison de France pag.* 276. et Blondello *ibid. pag.* 96. edito NEBVLVNGI comitis filium fuisse prodit. Cuius Nebulungi comitis pater quum fuerit CHILDEBRANDVS, vt ex vetusto monimento apud Ducheſnium *tom. I. pag.* 773. patet, in eodemque monimento, nec non apud Fredegarium *in Chron. ad p.* 109. *Caroli Martelli Childebrandus germanus* et *Pippini regis* Franc. *auunculus* vocetur: Engeltrudis istius stemma tale fuit.

BIU Cujas

filiam (d). De LVDOVICO nihil ad hunc annum veteres; siue tum ille in Boioaria sua delituerit, siue in patris fuerit comitatu. Ex silua sane Arduenna imperator in Germaniam contendit, hiberniſque Francofurti iuxta Moenum exactis orientalium Francorum proceres adeſſe iuſſit, eorumque conſilio Auarum, Slauorum, Boëmorum, Morauorum legatis reſpondit, cum Normannis pacta firmauit, aliaque, quae e re publica futura videbantur, diſpoſuit. A quo conuentu abfuiſſe LVDOVICVM noſtrum, cui pars Ger-

PIPPINVS Heriſtallius, maior domus † 714.

Drogo, comes Campaniae, obiit viuo patre 708.

Grimoaldus, maior domus † 714.

Carolus Martellus, maior domus.

CHILDEBRANDVS comes vixit 735. Fredegar. *in Chron. cap.* 109.

Pippinus rex Franc.

NEBILVNGVS, comes Matricenſis.

Carolus M. imp.

THEODEBERTVS, comes Matricenſis.

Ludouicus Pius imp.

PIPPINVS, rex Aquitaniae. = ENGELTRVDIS, Pippino Aquit. regi nupta anno 822.

Robertus, comes Matric. circa a. 828. Vx. Agana. *Vita S. Genulfi lib. II.*

Robertus Fortis, dux et marchio Franciae † 887.

Robertus, dux Franciae poſtea rex. 922.

Eudo, rex Franc. 880. † 898.

Hugo magnus, dux Franc. † 950.

Emma, regina

HVGO CAPETVS, rex Franc. 987.

Ex quo ſchemate patet, ENGELTRVDIM illam ex ea gente, quae poſtea in Francia regnauit, et hodie, adplaudente Europa, feliciter regnat, prodiiſſe, et marito ſuo quinto gradu lineae obliquae inaequalis cognatione iunctam fuiſſe

(d) *Annal. Bertin. ad a.* 822. *Vita Ludou. pap.* 378.

BIU Cujas

Germaniae haud modica parebat, vix credibile est. Ceterum iidem scriptores (e) obseruant, imperatorem eo tempore palatium nouis exstructis aedificiis exornasse, vt in eo hiemem eo commodius exigere posset. Quod ideo monere visum, quod hoc ipsum palatium LVDOVICVS noster, mortuo patre, frequentius, quam vllum aliud, inhabitauit, et ibi fere lares ac perpetuum domicilium constituit.

XVI. Dum haec in vtraque Francia gerebantur, in Pannonia antiquum obtinebat LIVDEVITVS, tanta pertinacia detrectans LVDOVICI Pii imperium, vt extrema quaeuis subire, quam ad pristinum obsequium redire malle videretur. Ei ergo et hoc anno oppositum legimus iustum exercitum, qui ex Italia in Pannoniam irrupit, et rebellem adeo perterruit, vt ne in sua quidem ciuitate, quantumuis munitissima, quam SCISSIAM (f) vocat *Annalium Bertinianorum auctor* (g), sibi satis tutus videretur. Itaque in fugam se dedit, et vt in Dalmatia interea deliteseceret, Sorabicae cuiusdam ciuitatis principi, vt in ciuitatem admitteretur, persuasit. Soraborum enim nationem magnam tum Dalmatiae partem tenuisse, idem *Annalium Bertinianorum* conditor obseruat (h). Enimuero vix intra muros receptus, pessimam patrono gratiam retulit, quippe quem violato hospitii iure, nefarie obtruncauit, atque ita Dalmatica illa ciuitate, cuius nomen haud exprimunt annales, nefando scelere potitus est. Inde missis legatis, et se culpae reum fatetur, et in posterum in officio se futurum promittit, et se vltro ad imperatorem pollicetur venturum. Sed iam bonae spei decoxerat homo nullius religionis ac fidei, neque ei quisquam amplius fidem habebat, qui ne amicis quidem vmquam fidem praestiterat. Exercitus tamen, quod hostis ne tunc quidem sui copiam faceret, exusta tota regione,

(e) *Vita Ludouici pag.* 379. *Annal. Bertin. ad a.* 822.

(f) Vrbs haec Pannoniae superioris Plinio *lib. III. cap.* 25. SISCIA, Straboni *lib. VII. pag.* 217. Συσκία, Ptolemaeo, Velleio Paterculo, Prudentio, Zosimo, saepe memorata ad Colapis fluuii ostium, et in australi Saui, et insulae Segestícae ripa sita est. Vid. Cellar. *Geogr. ant. lib. II. cap.* 8. *pag.* 556.

(g) *Ad hunc a.* 822. *pag.* 179.

(h) SORABI isti reuera sunt CROATI, vel, vti tum eos Graeci vocabant, Χρωβάτοι, Slauicae quidem originis, a Sorabis tamen diuersi. Eos enim circa haec tempora, pulsis Araris, vniuersam Dalmatiam praeter maritimas ciuitates occupasse, immo et has, tempore Basilii imperatoris, intercepto commeatu eo demum adegisse, vt Croatis fierent tributarii, et imperatorum Byzantinorum praefecto modicum vectigal, in agnitionem dominii soluisse, pluribus refert Constantinus *de administr. imperii, cap.* 29. *sequ. pag.* 72. *sequ.*

BIU Cujas

gione, actaque vbique praeda, inuictus magis, quam victor, domum reductus est (i).

XVII. Proximus huic annus 823. non nisi pauca, quae ad LVDOVICI nostri res pertinere viderentur, attulit. LVDOVICVS pater, eo ineunte, adhuc Francofurti haerebat, et adpetente vere, mense Maio ibi comitiis non omnium imperii sui optimatium, sed Saxonum, Alamannorum, Boioariorum, Burgundionum praefuit, in quo potissimum varias Sclauicorum principum lites composuit, nouumque conuentum in futurum mensem Nouembrem indixit (k). Interim LOTHARIVS imp. quem in Italiam missum diximus, dum vbique conuentus iuris dicundi caussa habebat, a Paschali, papa, Romam inuitatus ipso sacro paschatos die *apud S. Petrum et regni coronam, et imperatoris atque augusti nomen, accepit.* Ita EGINARDVS (l) et *Annalium Bertinianorum auctor* (m), qui tamen quam regni coronam intelligat, me non satis intelligere fateor, quum et nondum Italiae rex esset LOTHARIVS, et papa eo tempore praeter augustam dignitatem aliud quid conferre posse nondum videretur: vt adeo rem adcuratius ita expressisse videatur auctor *vitae Ludouici* (n): *interea* LOTHARIVS, *filius domini imperatoris, quum, sicut supra dictum est, a patre in Italiam missus esset, et secundum virorum, qui cum eo missi erant, consilium, oportunitates negotiorum ordinasset, et, quibusdam perfectis, quibusdam adhuc infectis de singulis respondere, et ad patrem de reditu cogitaret: rogatu Paschalis, papae Romani, imminente sancta Paschae sollemnitate Romam adiit, atque ab eodem papa clarissima ambitione susceptus, ipso sancto die apud beatum Petrum* DIADEMA IMPERIALE *cum nomine* AVGVSTI *suscepit.* Nec aliter rem referunt *annales Fuldenses* (o), et reliqui veteres, non profecto ignari, Ludouicum Pium id tantum egisse, vt augustam illam dignitatem, cum filio communicatam, ratam haberet pontifex (p), non vt regiam potestatem, quam iam patris

[i] *Annal. Bertin.* et *Metens. ad a.* 822. *Vita Ludouici pag.* 378. *sequ.*

(k) *Annal. Bertin. ad a.* 823.

[l] *Ad a.* 823. *pag.* 71. *edit. Ioann.*

[m] *Ibid. pag.* 180.

[n] *Ad hunc annum* 823. *pag.* 379.

[o] *Ad eumdem a. pag.* 28.

[p] Quum Carolum M. et Ludouicum Pium corona Caesarea incinxissent pontifices: non videbatur quisquam iure augusti nomen ferre, nisi a pontifice, adplaudente populo Romano, diademate esset donatus. Hinc ne Lothario quidem imperatoris nomen dare ausus est pater, nisi id a pontifice ratum habitum iri, sciret. Sic sane de diuisione olim a Carolo M. facta refert Eginardus, *Annal. ad a.* 806. imperatorem hoc testamentum

BIU Cujas

patris populique ſuffragio iure optimo nactus erat, in eum conferret. Vtcumque ſe res habeat: hoc imperii inſigni ornatus LOTHARIVS non diu haeſit in Italia, ſed Papiam regreſſus, rebus vtcumque compoſitis, menſe Iunio in Germaniam reuertit (q). Nec potuiſſet vmquam magis in tempore aduenire. Eo ipſo enim menſe ſibi a patre hunc honorem haberi vidit, vt in ſacro CAROLI recens nati lauacro ſponſoris partibus fungi iuberetur. Vterum adhuc tulerat IVDITHA, auguſta, et exactis menſibus in palatio illo Francofurtano (r), ipſis Idibus Iuniis (ſ), enixa fuerat filium, quem poſtea Ludouicus Pius auito CAROLI nomine inſigniuit, Lothario, vt tanto lubentius eius patrocinium ſuſciperet, eius compatre, vt vocant, delecto (t). Dum vero fauſtis adclamationibus perſtrepit palatium, triſtia vndique prodigia ab hominibus credulis Francofurtum nunciantur, terram Aquiſgrani tremuiſſe, puellam duodecennem Commerciaci in dioeceſi Tullenſi ab omni cibo per decem menſes abſtinuiſſe, viginti tres villas in pago Saxonico Firiſaz e coelo tactas

mentum per ſe Romam ad Leonem pontificem miſiſſe: non vt vnum filiorum, quem vellet, imperatorem papa crearet, ceu id factum interpretatur cardinalis Caeſar Baron. *annal. eccleſ. ad a.* 806. ſed, *vt ipſe manu ſua ſubſcriberet*, eumque, cui imperium deſponderat, auguſtum agnoſceret. Nullum vero luculentius eſſe huius adprobationis ſignum, quam coronationem, nemo negauerit.

(q) *Iidem ibid.*

(r) Hincmar. *epiſt. 3. ad Carol. Calu.* et alia *epiſt. ad eumdem* apud Mabillon. *Analect. tom. I. pag. 60.*

(ſ) Menſe Iunio natum eſſe Carolum, etiam *Vitae Ludouici Pii* auctor *ad a.* 823. obſeruat. At ne ipſe dies natalis poſteris ignotus eſſet, ipſe Carolus Caluus effecit, inſigni diplomate anno regni ſui XXIII. id eſt, Chriſtianae erae 862. ſcripto, quo monaſterio S. Dionyſii *villam in pago Pariſiaco, cuius vocabulum Scindelicias* ea lege concedit, vt praeter alios dies, quo ſibi ſingulare quid accidiſſet, quoſque ibi longa ſerie enumerat, *Idus menſis Iunii, quando Deus ſe naſci in mundo voluerit*, feſto ac ſolemni ritu, ſupplicationibus, precibuſque celebrarent monachi. Quod quantiuis pretii diploma debemus Mabillonio *de re diplom. lib. VI. n. 97. pag. 538.*

(t) Id diſcimus ex *Vita Ludouici pag.* 418. vbi Ludouicus Pius Imp. Lotharium et Carolum filios monet, *vt vnanimes eſſent, et ſe alterutro tuerentur, et Lotharius quidem iunioris fratris curam gereret, cuius ſe* SPIRITVALEM *eſſe* PATREM *meminiſſe deberet, Carolus autem, tamquam* PATRI SPIRITVALI *et* fratri *ſeniori debitum honorem deferret.* Et apud Nithardum *lib. II. pag.* 447. ipſe Carolus Caluus per legatos meminiſſe Lotharium petit *fraternae* FILIOLIQVE *conditionis*, et iterum *lib. III. pag.* 467. eumdem *rogat et obſecrat, meminerit, quod frater* FILIOLVSque *eius ſit.* Filiolos autem tum vocabant, quos ex S. baptiſmi vndis ſuſceperant. Car. du Freſne *Gloſſ. med. et infim. Lat. tom. II. pag.* 438.

BIU Cujas

tactas esse, dicentibus. Adiecit, vt solet, fama sonitus nocturno tempore inauditos, crebra atque inusitata fulgura, lapidum cum grandine casus, pestilentiam hominum pecorumque, immo et imaginem Grabadonensem, S. deiparae, Iesum sinu gestantis, subito splendore per biduum fulgentem, ita tamen vt magi, offerentes munera, eo fulgore non illustrarentur. Quae dici non potest, quanto pauore concusserint animum imperatoris (u), ominibus iusto plus tribuentis, ac proinde nihil facientis reliqui, vt prodigia illa sacrificiis, precibus, et largitionibus rite procurarentur, et idemtidem dicentis, *per haec omnia magnam humano generi futuram cladem certo portendi* (x). Quod profecto, leuissimo licet argumento, diuinus ille cecinit vt vates. Haec ipsa enim quarti filii natiuitas adeo Ludouici Pii rationes omnes conturbauit, totque litibus implicauit eius familiam, et simul ipsam rem publicam ita concussit, vt postea veluti diuturno morbo oblangueſceret Francorum imperium, neque vmquam ex eo tempore recuperato pristino vigore reuiresceret. Haec tamen tristiora laetioribus quodammodo distinxit fama, quae LIVDEVVITVM, quocum adhuc bellatum magis, quam debellatum fuerat, a Sorabis ad Liudemistum, Bornae auunculum, confugientem, huius dolo interemtum esse nunciabat (y). Eo enim caeso, homine hoste acerrimo callidissimoque liberatum se videbat imperator, spemque pacandi orientales istas regni sui prouincias haud vanam eo magis concipere poterat, quo difficilius rebelles idoneo duce orbati, bellum solent sustinere.

XVIII. Morte Liudeuuiti vulgata, quanta sit facta rerum conuersio, vel proximus hic annus 824. ostendit, quo OMORTAGI (z), Bulgarorum regis legati, pacis faciendae, finiumque vtriusque

(u) Eginard. et *Annal. Bertin. ad a.* 823. *Vita Ludouici pag.* 381.

(x) *Vita Ludouici Pii ibid.*

(y) *Annal. Bertin. ad h. a.*

(z) In describenda hac legatione minus adcuratus est annalista Bertinianus. Nam et nomen regis, quod Eginardus et Fuldenſis exprimunt, omittit, et legatos illos pacis faciendae caussa aduenisse negat, quod et Fuldenſis et Astronomus adfirmant. Sed fortassis pro speculatoribus hos legatos habuit historicus aeque, ac ipse Ludouicus imperator. De regibus principibusque Bulgarorum nemo eruditorum adcuratius egit Carolo du Fresne, domino du Cange, *de familiis Dalmat. Slauicis* et *Hist. Byzant. cap. 6. et 7. pag.* 305. *seqq.* OMORTAGVS vero noster non alius est, quam qui a Graecis scriptoribus Μορτάγων vocatur, qui Michaëli Balbo imp. orientis vltro subueniens, celebrem de Thoma tyranno victoriam reportauit. Cedren. *Comp. hist. pag.* 415. Zonar. *Annal. tom. III. pag.* 111.

BIU Cujas

que imperii regundorum cauſſa ad imperatorem miſſi, aduenerunt. Cuius rei nouitate commotus imperator, et fortaſſe ſiniſtri quid veritus, legatos diu in Boioaria retineri iuſſos demum Aquiſgrani admiſit, auditoſque dimiſit, comite iis dato Machelmo, in Boioaria comite, qui veram legationis iſtius inſolitae, nec vmquam antea in his oris viſae, cauſſam cum cura exploraret (a). Interea et Italicae res eo loco erant, vt celeriore remedio indigere viderentur. Romae in Theodorum, Romanae eccleſiae primicerium, et Leonem nomenclatorem fuerat ſaeuitum, oculis prius ac deinde capitibus priuatos. Quod quum Paſchalis papae iuſſu, et non ob aliam cauſſam, quam ob inſigne ſtudium in imperatorem factum diceretur, ita grauiter tulit LVDOVICVS imp. vt iam ſuperiore anno ADELVNGVM, S. Vedaſti abbatem, et HVNFRIDVM, comitem Curienſem, in Italiam mitteret, quibus praeſentibus pontifex quidem, ſe conſcium eius ſupplicii non fuiſſe, interpoſito cum magno epiſcoporum ac diaconorum numero iureiurando adſeuerauerat, at mortuos tamen maieſtatis reos et iure caeſos pronunciarat, miſſiſque legatis Ioanne, Siluae Candidae epiſcopo, Sergio bibliothecario, Quirino ſubdiacono, et Leone, magiſtro militum, pudorem ſuum purgauerat (b). Praeterea hoc ipſo anno non modo SVPPO, dux Spoletanus, ſed et, qui ipſi ſucceſſores dati fuerant, ADALHARDVS, comes palatii, et MORINGVS, Brixiae comes, ille quinto poſt menſe, hic, antequam nouam dignitatem capeſſeret, properantibus fatis fuerant exſtincti (c). Denique mortuo Paſchali papae duo ſucceſſores diſcordantibus ſuffragiis fuerant dati, e quibus tamen, praeualente nobilium auctoritate, EVGENIVS, tituli S. Sabinae archipreſbyter cardinalis, aemulum vicerat. Ex his omnibus ne quid res publica detrimenti caperet, LOTHARIVS imp. demum in Italiam miſſus eſt (d), qui menſe Auguſto eo profectus, recta Romam petiit, exceptuſque honorifice ab EVGENIO papa, non modo de Theodori et Leonis laniena quaeſtionem habuit, ſed et re diligentius inueſtigata, *reperit, quorumdam pontificum vel ignorantia, vel deſidia, iudicumque coeca atque inexplebili cupiditate multorum praedia iniuſte eſſe confiſcata.* LOTHARIVS ergo, re comperta, ſuum cuique reddi iuſſit,

[a] Eginard. et *Annal. Fuld. ad a.* 824. *Vita Ludouici pag.* 383.

(b) *Annal. Bertin. ad a.* 823. *Vita Ludouici pag.* 381.

[c] Eginard. *ad a.* 824.

[d] *Annal. Bertin.* et Eginard. *ad h. annum.*

BIU Cujas

sit, constituitque in futurum, vt more maiorum *ex latere imperatoris mitterentur, qui iudiciariam exercentes potestatem, iustitiam omni populo facerent, et tempore, quo visum fuerit imperatori, aequa lance penderent.* Quo ipso quum non modo oppressis consuleret, sed et iura augustorum in vrbe mascule tueretur LOTHARIVS, tantam voluptatem et populo Romano, et patri, attulit, vt vtrisque peraeque placeret (e). Interea LVDOVICVS Pius non segnius res egit. Nunciata enim Britonum Armoricorum rebellione, expeditionem, ob famem commeatusque angustiam adhuc dilatam, ineunte auctumno suscepit, comitibus LVDOVICO nostro ac PIPPINO, quo bello quantum virtutis bellicae specimen ediderit LVDOVICVS, rex Boioariorum, iam alibi dicere occupauimus (f). Victor imperator ante diem XV. Kal. Decembris Rothomagum, vbi IVDITHAM augustam reliquerat, rediit, et MICHAELIS, imp. Byzantini, legatos, de iconomachica controuersia quaedam ad Ludouicum referentes (g), audiuit,

[e] *Vita Ludouici pag.* 382.

[f] *Lib. I. cap.* 3. §. 7.

[g] Quum haec non satis plene referant eorum temporum annales, quaedam, quae vel maxime ad rem faciunt, hic supplenda sunt, et quidem ex ipsa MICHAELIS imp. *epistola ad Ludouicum imp.* eo anno scripta, quam seruauit Baron. *ad a.* 824. *n.* 17. *sequ.* In ea imperator Ludouico narrat putidas iconolatrarum superstitiones, eo iam progressas, *vt ab imaginibus crucis loco vbique statuis auxilium petant, eas susceptrices infantum faciant, colores de iis abrasos sacris oblationibus immisceant, supra eas, vel de earum manibus communicent*, cetera. Hanc ergo caussam fuisse ait Leoni Isauro, *imagines de humilioribus locis efferendi, relictis, quae in sublimioribus locis positae essent, et adoratione, lucernarum accensione, incenso tantum* prohibitis. Sibi porro eamdem fatetur federe sententiam, *abiiciendos nimirum esse de Christi ecclesia eos, qui huius modi malignis inuentionibus studerent.* Edita hinc porro fidei confessione, Ludouici Pii consensum petit *aduersus seductores pseudo-Christianos*, seque ideo ad ipsum antiquae Romae papam legatos et munera mittere fatetur, vt concordia, si qua fieri posset, eius opera stabiliatur. Ludouicum vero, *qui suprematus iura sibi adhuc seruarit in ipsa Roma, et vbique in ditionibus, donatis Romano pontifici*, in id pro virili annisurum, sperat, *vt Roma eiiciantur omnes calumniatores Graeci*, et schismatici iconolatrae, quippe *omnem operam adhibentes impediendae concordiae in vnitate fidei inter orientem et occidentem.* Fuit ergo hic imperator in eorum sententiam pronior, qui non quidem omnem damnabant vsum imaginum, sed tamen ab earum cultu quam maxime abhorrebant, multis ideo calumniis prosciissus a Maimburgio *dans l'histoire des Iconoclastes, part. II. pag.* 140. *sequ.* Natali Alexandro *Hist. eccl. saec. VIII. diss. VI.* et aliis iconolatrarum promachis, sed erudite defensus a Fridr. Spanhemio in *Hist. imag. restit. sect. VIII.* §. 11. *pag.* 575. *sequ.* Et sane eamdem sententiam tum in Germania tuebantur Walafridus Strabus, Augiensis, in libro de *rebus eccles.* *cap.*

BIU Cujas

cap. 8. Haymo Halberſtadienſis et Rabanus Maurus, abbas Fuldenſis, et Moguntinus poſtea archiepiſcopus, aliique eccleſiae doctores, et tam acriter quidem, vt Nicetas Choniatas *lib. II. pag.* 251. ſcribere non dubitet, Ἀρμενίοις γὰρ καὶ Ἀλαμανοῖς ἐπίσης ἁγίων εἰκόνων προσκύνησις ἀπηγόρευται, *apud Armenios aeque, ac Alamannos, ſacrarum imaginum adoratio peraeque interdicta eſt.* Gallos etiam ſero admodum amplexos eſſe iconolatrarum ſententiam, adeoque tum ſub Ludouico eiuſque poſteris adhuc Caroli M. ſynodique Francofurtanae decretis conſtanter ſuffragatos eſſe, ipſi fatentur ſcriptores Galli cordatiores, Iac. Sirmond. *Admonit. tom. VII. Conc.* 1055. et *ad conc. Pariſ. col.* 1648. Baluz. *Not. ad Agobard. pag.* 88. Maimburg. *part. II. pag.* 52. et magnum doctorum Gallorum Graecorum ſententiam damnantium indicem texit laudatus Spanhemius *ſect. VIIII. pag.* 614. *ſeqq.* Quo minus profecto videtur dubitandum, quin et Ludouicus Pius veterem illam, et a patre ſuo tam luculenter explicatam de imaginibus doctrinam conſtanter retinuerit, gratiſſimamque legationem illam Michaëlis imperatoris habuerit. Et ſane id luculenter probant acta ſynodi Pariſienſis hoc ipſo anno habitae, in qua epiſcopi primum perlecta Hadriani papae epiſtola, olim ad Irenen auguſtam ſcripta, probant quidem, quae ille iconoclaſtarum furori oppoſuerit, at eum non ſatis cauiſſe aiunt, ne imagines adorentur: deinde ſynodum Nicaenam eadem ſeueritate ſub cenſuram vocant, eamque cultum illum et conceptam de imaginum ſanctitate opinionem decretis firmaſſe indignantur, mirifice contra probant, quae Carolus M. illi concilio oppoſuerit, iiſque ab Hadriano papa non ſatisfactum, cauſſamque illam pontificum rigore ad extrema deductam eſſe, deplorant. Denique ex patrum ſcriptis plura, quae ad rem pertinere videntur, colligunt, eaque digerunt *in XV. capita*, quorum *primum* eos, qui imagines e templis eliminandas, et in vaſis ſacris delendas cenſent, reprehendit; *altero* GREGORII M. ſententia de vero imaginum vſu ſiſtitur; *tertio* et *quarto* AVGVSTINI aliorumque teſtimonia contra cultum iactatamque ſanctitatem imaginum colliguntur; *quinto* ſimilibus collectis teſtimoniis oſtenditur, ſanctos, eorumque reliquias honore proſequi, at non adorare licere, ac proinde hanc adorationem multo minus conuenire imaginibus; *ſexto* nonnulla conuaſantur aduerſus eos, qui hunc cultum vſu atque antiquitate defendunt, et *ſeptimo* contra docent euitandum eſſe hunc cultum, ne offendiculo ſit infirmis; *octauo* et *nono*, adductis patrum interpretationibus, loca *Geneſ. XXXXVII.* 31. et 1. *Reg. I.* 21. pro imaginibus fruſtra adduci, demonſtratur: *decimo* locum AVGVSTINI de vaſis ſacris; *vndecimo* alium de cherubinis; *duodecimo* quaedam de cultu ſoli deo debito, *decimo tertio* et ſequente alia de diſcrimine inter crucem et reliquas imagines ſtatuendo; denique *quinto decimo* nonnullas admonitiones contra iconoclaſtas. Quae acta quum ſatis nota ſint, breuem tantum eorum recenſum, exemplo Dupinii *Biblioth. eccleſ. tom. VII. cap.* 1. *pag.* 2. dare voluimus, mirati, Barthol. Caranzam, *in Summa Concil. pag.* 334. eam collationem, vti ipſe vocat, male a quibuſdam ſynodum Pariſienſem inſcribi exiſtimare, quum procul dubio ſynodus ſit conuentus epiſcoporum ad ventilandas quaeſtiones dubias legitime indictus, ita vero ipſe Ludouicus Pius hunc congreſſum vocet in *Commonitorio* apud Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 643.

BIU Cujas

diuit, eosque ad Pontificem Romanum remisit (h). Tanti vero ea res visa est Ludouico imperatori, vt re antea cum Eugenio pontifice communicata, episcopos suos Lutetiam Parisiorum euocatos, de tota illa controuersia consulendos existimaret, qui collecta plurima patrum testimonia ad quaestionem illam pertinentia, per HALITGARIVM, Cameracensium episcopum, et AMALARIVM, archiepiscopum Treuerénsem, ad imperatorem miserunt. Haec ille, vt ipse in commonitorio apud STEPH. BALVZIVM (i) fatetur, mirifice probauit, *et ad id, propter quod collecta sint, necessaria atque vtilia iudicauit*, ac proinde Hieremiae, archiepiscopo Senonensi, et Ionae, episcopo Aurelianensi, id dedit negotii, vt eam collectionem, priusquam ad pontificem transmitteretur, diligentissime recenserent, deinde, vt illam Romam deferrent, et, quae sit episcoporum Francicorum de imaginibus sententia, modeste ostenderent. *Illud tamen*, inquit, *summopere praeuidete, vt ea illi de his ostendatis, quae rationi de imaginibus habendae per omnia conueniant, et quod ipse vel sui reiicere minime valeant. Sed et vos ipsi tam patienter ac modeste cum eo de hac caussa disputationem habeatis, vt summopere caueatis, ne nimis ei resistendo eum in aliquam irreuocabilem* PERTINACIAM *incidere compellatis, sed paullatim, verbis eius quasi obsequendo magis, quam aperte resistendo, ad mensuram, quae in habendis imaginibus retinenda est, eum deducere valeatis, et ideo potius efficere contendatis, vt negotium, de quo agitur, ad meliorem, quam ad peiorem, statum cum dei adiutorio perducatur. Postquam vero hanc rationem de earundem imaginum caussa consummaueritis, si tamen hoc ad nihilum* ROMANA PERTINACIA (k) *permiserit, vt ratio inter vos habita aliquo bono et conueniente fine claudatur.* Ex quibus verbis patet, Ludouicum optasse, vt veritati de prohibendo imaginum cultu locum daret EVGENIVS pontifex, eamque quaestionem ita decideret, vt inde aliqua vtilitas ad Graecam Romanamque ecclesiam redundaret, (quippe quod votum et altera imperatoris ad EVGENIVM papam II. epistola (l) prodit,) sed tamen exiguam spem felicioris successus illi

[h] *Annal. Bertin. ad a.* 824.

[i] *Capitular. tom. I. pag.* 643.

(k) Verba illa, quibus *de Romana pertinacia* conqueritur LVDOVICVS *Pius*, tam sunt notatu digna, vt ea ferre non potuerit Baronius, qui *pertinaciam* hic ab imperatore in sensu bono pro *constantia* accipi existimauit, eamque vocabuli notionem testimonio Eulogii probare voluit, vapulans ideo Goldasto. Sed nec solidam esse Baronii obseruationem, nec Eulogii locum huc facere, candide agnouit Baluz. *Capitul. Tom. II. pag.* 1110. *sequ.*

(l) Baluz. *ibid. pag.* 645.

BIU Cujas

illi feciſſe compertam toties ROMANAM PERTINACIAM. Ne tamen quidquam ex ſua parte praetermiſiſſe videretur, legatos ſuos vna cum pontificiis, ſi qui Conſtantinopolin ituri ſint, eo profecturos, pollicetur, monetque HIEREMIAM et IONAM, epiſcopos, vt pontificis conſilium diligenter explorent, ſeque de tota re quamprimum faciant certiorem. Quid tum conſilii ceperit pontifex, nos hodie ignoramus: certo tamen perſuaſi, non permiſiſſe Eugenio *Romanam pertinaciam*, vt MICHAELIS Balbi et LVDOVICI Pii imperatorum precibus quidquam daret: nec LVDOVICI Pii legati anno 828. ad Graecos miſſi, HALITGARIVS, epiſcopus Cameracenſis, et AVFRIDVS, Nonantulanus abbas (m), multum videntur profeciſſe. Saltim res, imperante MICHAELE Balbo, qui ab omni truculentia abſtinuit, eodem loco manſit, eo vero mortuo, et Theophilo filio ſeuerius prohibente cultum imaginum, ingens ortus eſt tumultus, mortuoque imperatore, Theodora eius vidua, inuaſo imperio, conuocatoque anno 842. concilio Conſtantinopolitano, illam imaginum adorationem publicis ſanctionibus ſtabiliuit, totique illi controuerſiae finem ſatis infauſtum impoſuit. Vt vero ad Michaëlis legationem redeamus, eorum temporum annales (n) obſeruant, in legatorum comitatu fuiſſe etiam FORTVNATVM, patriarcham Gradenſem, quem ſupra Liudeuito tuliſſe ſuppetias, et Conſtantinopolin confugiſſe, diximus. De quo quum nihil verborum facerent legati, ipſe auguſtus illum de illa fuga percunctatus eſt, et male ſe purgantem ad pontificem maximum, ius ea de re dicturum, miſit (o).

XVIIII. Ineuntem annum 825. imperator ſatis quietum habuit. Hinc ex Gallia reuerſus, dies, quibus Chriſti reuiuiſcentis memoria recolitur, Aquiſgrani celebrauit, atque inde excurſione venationis cauſſa ad Neomagenſes facta ad comitia in menſem Maium indicta, Aquiſgranum rediit. Ibi legatos Bulgaros audiuit (p), et

(m) *Chron. Bertin. ad a.* 828. *pag.* 185.

(n) *Bertin. ad a.* 824. *pag.* 181. *ſequ.*

(o) Quem finem hoc iudicium habuerit, ignoramus. Vghellus tamen in *Italia S. Tom. V. pag.* 1183. *edit. vet.* ex Dandolo et Sigonio obſeruat, eum, antequam in Italiam proficiſceretur, in Francia obiiſſe, multis ornamentis eccleſiaſticis, quae adquiſiuerat cum aliis, tum patriarchali eccleſiae relictis. Sed ſi verum eſt, illum XXVII. annis praefuiſſe eccleſiae: ad annum 830. eum vixiſſe oportet, quo anno etiam Venerium illi ſucceſſiſſe idem ſcribit Vghellus *ibid. pag.* 1184.

(p) Vix hi legati domum fuerant remiſſi, quum illi denuo cum principis ſui litteris adeſſent, conquerentibus, Bulga-

BIU Cujas

Wihomarcum, Britanniae Armoricae regulum, obsequium fallaci promissione offerentem in gratiam recepit. Aquisgrano, solutis comitiis, Vogesi iuga venationis caussa lustrauit, eaque exercitatione occupatus obuium habuit redeuntem ex Italia LOTHARIVM, quocum, peracto eo negotio, mense Augusto Aquisgranum ad nouum procerum conuentum profectus pacem potissimum cum Normannis faciendam curae habuit, quorum auditis legatis, misit, qui in mense Octobri ipsis Germaniae Daniaeque limitibus pacis negotium conficerent. Quo facto vna cum LOTHARIO Neomagum secessit, LVDOVICVM nostrum, post expeditionem Britannicam in palatio commoratum, in Boioariam misit (q).

XX. Fuit hic procul dubio annus, quo LVDOVICVS noster, qui iam ad plenam pubertatem peruenerat, constantius in Boioaria domicilium habere, ipseque ad regni sui clauum sedere coepit. Quum vero ea aetas adhuc satis modica esset, ad regnum, tot expositum vicinorum insidiis prudenter gubernandum: facile est ad existimandum, LVDOVICO adiunctum esse virum aliquem expertae virtutis ac prudentiae, cuius ille consiliis in rebus publicis ac priuatis vteretur. Idem enim institutum Ludouicum Pium seruasse, quum Lotharium nostro haud paullo maiorem in Italiam mitteret, iam supra vidimus. Et is ex mea quidem sententia non alius fuerit, quam GEROLDVS, cuius primis illis regni Boici annis, saepius in actis monimentisque publicis fit mentio, quam vllius alterius, et ita quidem, vt rebus a LVDOVICO gestis, tamquam auctor accederet. Exstat sane apud RETTENPACHERVM (r) diploma, anno 828. monasterio Cremimnensi,

Bulgaros ea, quae petierint, non impetrasse, eamque adferentibus conditionem, vt aut fines quam primum regantur, aut Franci arma ad fines suos, quacumque ratione tuendos expedirent. Minis his commotus imperator legatos ideo diutius detinuit, quod increbuisset fama, regem talia scribentem regno carere. Misit ergo in Bulgariam Bartericum, qui rem exploraret, eoque certiora referente, legatos re infecta domum redire iussit. Ita Astronomus *Vitae Ludouici auctor ad h. a. pag.* 384. At rem paullo aliter narrat *annalista Bertinianus ad a.* 826. Praeterquam enim, quod haec ad annum insequentem reiicit, famam fuisse ait, regem a quodam optimate suo esse occisum: BARTERICVM ergo, palatii comitem, non quidem in Bulgariam, sed ad BALDRICVM et GEROLDVM, comites, et Auarici limitis custodes, in Carentanorum prouinciam missum nihil certi retulisse, ac proinde imperatorem legatum ad se missum sine litteris remisisse.

(q) *Annal. Bert.* et *reliqui ad h. annum.*

(r) *Hist. Noric. lib. I. cap. 9. p. 30.*

BIU Cujas

nensi, a LVDOVICO Pio et LOTHARIO imperatoribus augustis, datum, in quo laudatissimus pater praedia quaedam donat *ad deprecationem dilecti filii sui* LVDVVICI, *regis Wogoariorum, et* GEROLDI *comitis* (f). Immo multo post, anno 836. in vetere quadam charta traditionis monasterii S. Galli apud GOLDASTVM (t) legimus: *notaui diem Veneris VIIII. Kal. Decembr. an. XXIIII.* HLVDOWICI *imperatoris et* HLVDOVVICI *iunioris, regis Alamannorum V. sub* GEROLDO *comite.* Vbi sane verba: *sub* GEROLDO *comite*, aliud quid, quam ordinariam in loco illo iuris dictionem innuere videntur, quemadmodum alia charta, quae ibidem habetur, *data* dicitur *die lunae XVI. Kal. Decembris anno XXXV.* HLVDOWICI, *piissimi regis, sub* KAROLO *principe.* (u) Quemadmodum ergo, *sub Karolo principe*, hic idem est, ac Carolo Crasso vna cum patre in Alamannia regnante: ita verba illa, *sub Geroldo comite*, nihil aliud significare dixeris, quam imperium LVDOVICI, Boioariorum regis, de GEROLDI consilio administrandum. Et sane nemini tantam rem rectius credere potuisset imperator, quam huic GEROLDO, viro fortissimo, limitisque Boioariae aduersus Auares vel Hungaros custodi, vti saepius in eorum temporum annalibus vocatur (x). Praeterea probabile est, hunc ipsum GEROLDVM filium GEROLDI, qui anno 799. in Pannonia occubuerat, adeoque Ludouici Pii consobrinum, fuisse (y). Praeterea habere mihi videor rationes, cur LVDOVICVM hoc ipso, vel insequente, anno vxorem duxisse EMMAM, existimem. Quamuis enim nemo sit veterum, qui id diserte in annales retulerit: vix tamen tardius id contigisse potuisse, pluribus argumentis persuadeor. Primo enim NITHARDVS

(f) Infra *num.* 39.

(t) *Rer. Alam. tom. II. n.* 64. *p.* 47.

(u) Ibid. *chart.* 74. *pag.* 51.


(x) *Annal. Bertin. ad a.* 826. *Vita Ludouici Pii pag.* 383.

(y) Demonstratum est supra, *cap.* 2. §. 4. GEROLDVM, vel, vti in monimentis Alamannicis vocatur, KERHOLTVM, signiferum Caroli M. et comitem Boioaricum, HILDEGARDIS reginae fratrem fuisse. Quum ergo et nomen GEROLDI nostri eam originem prodat, et tum temporis ducatus et comitatus bene meritorum virorum filiis non temere adimi solerent: verosimile admodum est, Geroldum hunc, qui eamdem cum priore dignitatem, idemque nomen gessit, huius filium esse. En schema, ex quo cognationis tota ratio patebit.

HIL-

BIU Cujas

DVS (z) iungit imperii diuisionem et nuptias filiorum LVDOVICI Pii: quod quum de ipsa partitione, anno 817. facta, et quadriennio post firmata, verum non sit, procul dubio de tempore, quo quisque in regnum suum missus est, intelligi oportet (a). Quumque LOTHARIVS, quando in Italiam; PIPPINVS, quando in Aquitaniam ablegandus erat, vxore iungerentur: idem institutum et hoc anno, quo LVDOVICVS in Bauariam ire meditabatur, ab imperatore seruatum esse, verosimile est. Deinde idem ex filiorum LVDOVICI nostri aetate quodammodo colligitur. Quamuis enim et horum natales veteres scriptores non diligentius, quam patris, in fastos suos retulerint: ab eodem tamen NITHARDO (b) relatum legimus, CAROLOMANNVM, natu maiorem filium, anno 842. ingentem exercitum Boioariorum, et Alamannorum patri LVDOVICO, et CAROLO Caluo, patruo, cis Moguntiam adduxisse (c), et deinde omnibus perruptis



(z) *De dissens. fil. Ludouici Pii lib. I. pag.* 435.

(a) Verba Nithardi sunt: *quo pacto* (l. facto) *filios suos iusto matrimonio iunxit, et vniuersum imperium inter eos ita diuisit*, cetera. Postea refert, *interea*, dum filii vxores duxerint, et diuisio illa effectum sortita sit, ERMENGARDIM reginam decessisse, LVDOVICVM Pium cum IVDITHA tabulas signasse, CAROLVM natum esse, adeoque haec omnia facta esse oportuit inter annum 817. quo prima facta est regnorum diuisio, et 823. quo natus est CAROLVS, postea *Calui* nomine notus. Iam certum est, Lotharium vxorem duxisse anno 821. non quum primum fieret diuisio, sed quum eum in Italiam mittere pater statuisset: PIPPINO quoque iunctam esse ENGELTRVDIM anno 822. quando in Aquitania perpetuum statuere domicilium decreuerat. LVDOVICVM ergo maritum factum esse probabile est eodem tempore, quo in Boioariam, regnum suum, erat dimittendus, id est, circa hunc annum 825. quo iam, plenam adeptus pubertatem, decore sustinere poterat mariti personam.

(b) *Lib. III. pag.* 475.

(c) Et hanc quidem expeditionem periculosissimam fuisse, certum est. Patri LVDOVICO et CAROLO patruo tum trans Rhenum in Alsatia agentibus, imminebat LOTHARIVS, iisque omnem in

BIU Cujas

ptis obſtaculis, res vna cum patre praeclare geſſiſſe. Quam ancipitis periculi expeditionem puero demandare voluiſſe patrem prudentiſſimum, eo minus credibile eſt, quo magis in nouo illo exercitus Germanici robore omnis ſpes victoriae, ipſiuſque imperii, ſita eſſe videbatur. Si vero fingamus, eum tum decimum ſextum ſaltim annum egiſſe: oportet eum eſſe natum anno 826. Emma mater non tardius, quam anno 825. LVDOVICO Germanico in manum conuenerit. Vt tertium argumentum addamus, Io. MABILLONIVS (d), vindex veterum monimentorum feliciſſimus, in bibliotheca monaſterii S. Galli reperit veterem codicem, cui de HILDEGARDA, LVDOVICI noſtri filia, haec adiecta ſunt: *X. Kal. Ianuarii* HILDEGARDA, *virgo Chriſti, et domni Hludouici regis filia, de hoc ſaeculo migrauit ad Chriſtum, et humata eſt in eccleſia ſanctae Regulae et Felicis, martyrum Chriſti in caſtello Turego*, (id eſt, vrbe Tigurina.)

Hoc iacet in tumulo Chriſti digniſſima virgo,
HILDEGARDA, *nitens moribus egregiis.*
Haec fuit eximii HLVDOVICI *filia regis,*
Montem ſponte ſuam vouerat illa deo.
Bis denos octo vitae compleuerat annos,
Migrans ad ſponſum virgo beata ſuum.

Ex hoc ergo monimento illam Ludouici Germanici filiam morientem

in nouo hoc exercitu ſpem fuiſſe, ex eo patet, quod vterque rex, teſte Nithardo *lib. III. pag.* 474. eius aduentum inter Wormatiam et Moguntiam operiri ſtatuit. Deinde hic exercitus ducendus erat per mediam Alamanniam et Franciam, quarum illam tum totam a Lotharii partibus ſtetiſſe, et ipſum Ludouicum antea aditu prohibere auſam eſſe, refert Ratpertus *de caſibus monaſt. S. Galli, cap. 7. pag. 6.* Denique Rheni littora, teſte Nithardo, valido praeſidio muniuerant OTGARIVS, archiepiſcopus Moguntinus, HATTO comes, HERIOLDVS, et alii. Et tamen haec obſtacula prudenter eluſit CAROLOMANNVS. Nam idem auctor *pag.* 475. memoriae prodidit, LVDOVICVM die XVI. Kal. Apriles modo Rheno ſubuectum, modo terra iter facientem per BINGAM; CAROLVM per *Waſagum*, id eſt, tractum Voſagi, (quem pagum Waſagum accurate deſcripſit *Chronici Gotuuicenſis Auctor, prodrom. lib. IIII. pag.* 835.); Carolomannum per pagum EINRICHI, qui ad fluuium Loganam et montes (*der Hayrüch*) eodem terrae tractu, vbi hodie ditiones Naſſouiorum Dillenburgenſes et Diezenſes, nec non Ipſteinenſis et Catimelibocenſis comitatus ſunt, ſitus eſt, (vid. eumdem *auctorem pag.* 586.) Confluentiam duxiſſe exercitus, eoſque ibi feliciter iunxiſſe, eoque facto Otgarium et reliquos, qui Carolomannum Rheni tranſitu prohibere conabantur, praecipiti fuga ſeſe ſubduxiſſe. Quis vero haec a puero geſta credat?

(d) *Itiner. Germ. pag.* 34. *Analect. tom. IIII.*

BIU Cujas

tem viginti octo annorum fuisse, intelligimus. Quum ergo eam anno erae Christianae 857. ad meliorem vitam migrasse obseruent *Annales Einsidelenses*, ab eodem MABILLONIO (e) editi (f): rationibus subductis, illam anno 829. lucis huius vsura frui primum coepisse, palam est. Nec adeo post annum 828. nuptias fecisse potuerunt eius parentes. Immo, quum nemo hanc filiam a matre primo partu fusam esse, memoriae prodiderit, faustum istud LVDOVICI et EMMAE connubium in triennium anterius incidisse, videtur verosimillimum.

XXI. Quae anno 826. et quatuor insequentibus gesta sunt, magis ad motus Aquitanicos, Slauicos, et Normannicos, quam ad res LVDOVICI nostri pertinent. Vnum est, quod non omnino videtur omittendum, bellum puta Bulgaricum, quippe cui non modo interfuisse, sed et praefuisse LVDOVICVM nostrum, comperimus. Quale aliquot abhinc annis inter Francos et Bulgaros intercesserit commercium, quam minax fuerit vltima Bulgarorum legatio, et quam ignomininiose illa a LVDOVICO Pio imp. domum remissa sit, iam supra nos dicere meminimus. Non dubitabat imperator, quin gens barbara, his irritata iniuriis, aliquid ausura sit in Pannoniae finibus, ac proinde id negotii dederat finium Boioariae et Histriae custodibus, GEROLDO et BALDERICO, vt, quid consilii caperent Bulgari, cum cura specularentur, limitesque aduersus quemuis repentinum tumultum quam firmissimis praesidiis munirent. Hi anno 826. adfuere Moguntiae in comitiis publicis, seque adhuc de motu Bulgarorum nihil

(e) *Analect. tom. IIII. pag.* 478.

(f) Vt verum tamen fateamur, ipse LVDOVICVS Germanicus huius Hiltigardae filiae tamquam adhuc viuae meminisse videtur anno insequente 858. in diplomate Tigurino, quod ex ipso autographo secum communicatum primus edidit Herm. Conring. in *Censura dipl. Lindau. pag.* 367. *dato XVI. Kal. Mai. anno XXVI. regni Hludouici sereniss imi regis in orientali Francia regnantis ind. VI.* vbi rex se *iuxta postulationem dilectae filiae suae Hildagardae*, curtim chama monasterio illi Tigurino donasse profitetur. Annus enim ille XXVI. ab eo tempore, quo Ludouicus Alamanniam inuasit, omnino incidit in annum 858. et indictionem sextam. Sed vti in diplomatibus maxime fluctuat indictionum ratio: ita et annos imperii sui non ab vno termino auspicatur Ludouicus. Hic primus annus statuendus videtur octingentesimus trigesimus secundus, sub cuius initium, (nam mense Maio iam pater aduersus eum cum exercitu mouit), Alamanniam sibi armis vindicauerat. *Annal. Bertin. ad a.* 832. Ergo vicesimus sextus vere erit annus 857. cuius mense Aprile adhuc vixit Hildegardis, moritura demum octo mensibus post X. Kal. Ianuarii. Sic omnia recte se habent, nec in dubium vocari potest annalistae Einsidelensis fides, cui tamquam vicino et coaeuo perspectissimus esse potuit annus emortualis virginis illustrissimae.

BIU Cujas

nihil ſubolfacere potuiſſe retulerunt (g). At inſequente ſtatim anno 827. bellum illud iam diu praeuiſum exarſit. Tunc enim, vti in *Bertinianis annalibus* (h) eſt, *Bulgari Slauos in Pannonia ſedentes, miſſo per Drauum nauali exercitu, ferro et igni vaſtauerunt, et expulſis eorum ducibus, Bulgaros ſuper eos rectores conſtituerunt.* Tulit hoc aegerrime imperator, maxime recente adhuc ex Hiſpanica clade dolore, et hinc anno ſtatim 828. indictis in menſem Februarium Aquiſgrani comitiis, *cum de multis aliis cauſſis, tum praecipue de his, quae in marca Hiſpanica contigerant, rationem habuit, et legatos, qui exercitui illi praefuerant, culpabiles inuentos, iuxta merita ſua honorum amiſſione mulctauit: ſimiliterque* BALDRICVM, *ducem Foroiulienſem, cum propter* EIVS IGNAVIAM *Bulgarorum exercitus terminos Pannoniae ſuperioris impune vaſtaſſet, honoribus priuauit, et marcam, quam ſolus tenuerat, inter quatuor comites diuiſit* (i). Quod et *Vitae Ludouici* auctor (k), et EGINARDVS (l) ſuo more adcurate eſt perſequutus. Eadem plane GEROLDI fata fuiſſe, ſcribit HIER. MEGISERVS (m), ſed nullo, vti videtur, idoneo auctore. Nam eumdem GEROLDVM multo poſt primum in LVDOVICI noſtri palatio locum tenuiſſe, ex eorum temporum monimentis ſatis conſtat (n). Eo facto bellum decretum eſt aduerſus Bulgaros, cuius ſummam penes Ludouicum noſtrum fuiſſe, teſtis locupletiſſimus eſt auctor *Annalium Fuldenſium* (o), qui ad hunc ipſum annum 828. HLVDHARIVS, inquit, *cum exercitu ad marcam Hiſpanicam miſſus eſt: ſimiliter et* HLVDAVVICVS *iuuenis contra Bulgaros.* Quid rerum eo anno geſſerit aduerſus Bulgaros, non reperio. Nam quod MEGISERVS (p) Bulgaros ab eo vltra Sauum Drauumque ſubmotos eſſe ſcribit, tacentibus coaeuis, in medio relinquendum eſt: neque tamen id veroſimillimum eſſe negauerim. Nam ad annum inſequen-

(g) *Annal. Bertin. ad a.* 826.
(h) *Ad a.* 827.
(i) *Ad a.* 828.
(k) *Ad a.* 828. *pag.* 388.
(l) *Ad a.* 828.
(m) *Annal. Carinth. lib. VI. cap.* 30. *pag.* 531. *tomo I.*
(n) BALDERICO menſe Februario abrogatum eſſe imperium, obſeruant *Annales Bertiniani ad a.* 828. et Aſtronomus, *Vitae Ludouici Pii* auctor, *pag.* 388. At eodem anno XI. Kal. Apr. eius honorifice mentionem faciunt Ludouicus et Lotharius imperatores in diplomate Chremiſanenſi, quod *infra n.* 39. produximus. Immo multo poſt anno 836. comitis dignitate fulſit, teſte charta 63. apud Goldaſt. *Rer. Alam. tom. II. pag.* 47.
(o) *Ad a.* 828. *pag.* 32.
(p) *Ibid. pag.* 531.

BIU Cujas

tem 829. iidem *Annales Fuldenſes* (q) notant, *Bulgaros, nauibus per Drauum fluuium venientes, quaſdam villas noſtrorum, flumini vicinas* inuaſiſſe: quod non feciſſent, niſi ſuperiore anno vltra Drauum ſe recipere coacti fuiſſent. Sed haec omnia vix attingunt eorum temporum annales, partim quod non adeo formidoloſi tum eſſent Bulgari, vt belli iſtius euentus operoſius deſcribendos exiſtimarent, partim, quod iam alia digniora poſteritatis memoria in ipſo Francorum imperio contingerent, prae quibus omnibus iſtis motibus exterarum gentium parum momenti ineſſe credebatur.

(q) *Ad a.* 828. *pag.* 32.

* * * * * * * * * * * *

CAPVT V.

DE TVRBIS IN LVDOVICI PII FAMILIA OB DIVISIONEM IMPERII ORTIS t VSQVE AD MORTEM IMPERATORIS.

I.

SIc demum ad ea peruenimus tempora, quibus neſcio an triſtiora vmquam, exempliſque prauis foediora viderit Francorum res publica. Ab anno enim illo 829. demum erumpere coepit malum, quod iam pridem pullulauerat, vt iam non laeta amplius ſcribere liceat, ſed triſtia ac nefanda, quibus merito quis praeſcriberet illud LVCANI poëtae (a):

Bella, per irriguos plus quam ciuilia campos,
Iuſque datum ſceleri canimus, populumque potentem,
In ſua victrici conuerſum viſcera dextra,
Cognataſque acies, et rupto foedere regni
Certatum totis concuſſi viribus orbis
In commune nefas infeſtiſque obuia ſignis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.

Amoeniora enim hactenus enarrantibus iam ſe nobis offerunt infanda nouercae, liberorum, ciuium, ipſorumque ſacri ordinis hominum

(a) *Pharſal. lib. I. v.* 1. *ſeqq.*

BIU Cujas

num scelera, violata ipsius naturae iura, acies infestae optimo parenti, pro quo mortem oppetere filios, si mens non laeua fuisset, oportebat, oppositae: princeps optimus a suis captus, exauctoratus, ludibrio habitus; denique doli, vis, bellum, pax rursum, et perpetua in ipsa pace discordia. Quae quo ordine gesta sint, iam paullo adcuratius, pro instituti ratione, erit exponendum.

II. Ex quo anno 817. primam regni partitionem fecerat LVDOVICVS Pius, iam non parum Lothario succensere coepisse fratres natu minores, supra, auctore THEGANO (b), monuimus. Eos tamen adhuc eatenus in officio continuerat pudor, vt forte sua in praesens contenti nihil alieni adpeterent, multoque minus quidquam patri, optime de se merito, ereptum vellent. Quin, si quid tale illis in mentem venisset, non defuturas patri vires, quibus ad disturbanda ista consilia, impiosque filios coërcendos, opus esset, facile, qua erant prudentia, intelligebant. Nam, vt alia praetermittamus, non potuisset tunc LOTHARIVS suas a paternis rationes seiungere, cuius quippe quam maxime intererat, factam illam partitionem ratam esse, nec plus fratribus minoribus, quam Aquitaniae ac Boioariae regna, attribui. Atque ita certus esse potuisset imperator, se viuum saltim integra omnia a filiis natu minoribus habiturum, illamque tempestatem, si auerruncari non posset, demum post excessum suum in Lotharii caput esse erupturam, nisi ipse imprudentia sua effecisset, vt LOTHARIVS, sui commodi oblitus, cum fratribus in gratiam redire, quam patri aduersus horum consilia auxilio esse mallet. Quamobrem, quamuis inexcusabilis omnino sit filiorum impietas, illique postea tantum non omnes iustam diuini numinis vindictam non sero, sed satis cito, persensisse videantur (c): adfirmare tamen non dubito, quin malum istud suo sibi iumento in-

(b) *De gest. Ludouici Pii cap.* 21. *pag.* 306.

(c) PIPPINVS et mature vita excessit, et quemadmodum fratribus concitato bello ciuili exemplo praeiuerat, ita primus eorum morari inter homines desiit, diuinaque Nemesis et filios eius eatenus persequuta est, vt neutrum eorum successorem habuerit, sed Pippinus natu maior post varios casus, per tot discrimina rerum post annum 864. in carcere Syluanectensi exspirarit; *Annal. Bertin. ad a.* 864. alter, Carolus, inuitus detonsus, monasterio elapsus demum vt archiepiscopus Moguntinus anno 863. decesserit. Nec LOTHARIO pepercit summum numen, qui nec ipse quidquam ex eo tempore prospere gessit, et posteritatem non magis florentem habuit, anno 875. plane exstinctam. LVDOVICVS denique noster nec nepotem vllum legitimum ex filiorum triga vidit, et in eamdem

BIU Cujas

uenerit pater, eiusque imprudentia atque iniquitas non magis, quam filiorum impietas atque ingratitudo, sit excusanda.

III. Primum ergo in eo non parum deliquit imperator, quod IVDITHAE vxori iusto plus indulgeret, eamque solam in palatio regnare pateretur. Ea enim vt nouercarum more priuignos patri exosos redderet, nihil faciebat reliqui, vix aequo ferens animo, vt ad patrem pateret accessus, vel illi libero saltim eius adspectu fruerentur. Inde vero porro euenit, vt non modo liberius, quam augustam decebat, viueret, sed et paullatim ita sibi obnoxium redderet maritum, vt nullius rei ferret repulsam. Iam quum nihil magis dies noctesque ageret, quam vt CAROLVM, filium suum, quam potentissimum videret, a LVDOVICO veluti suo quodam iure exigere sibi videbatur, vt rationem haberet sanguinis sui, nec filium natu minimum solum regni exsortem esse pateretur: illi non minus regnum aliquod, quam PIPPINO aut LVDOVICO deberi, et tanto quidem potentius, quanto plus illi a fratribus periculi immineat. Expenderet pater Caroli pueritiam, suamque aetatem iam in senectutem decliuem: expenderet, quid puero immineat, si quid sibi humani acciderit. Quem orbi caussam acturum? quem restituturum tantae fratrum potentiae? Quem denique sibi viduae aduersus priuigni iniurias auxilio futurum, nisi ipse viuus optimum pro filio consilium capiat, tantamque attribuat regni partem, vt suis se viribus tueri, fratrumque vim vtcumque propulsare possit. Speciosa haec erat, nec iniqua profecto postulatio, nisi cum reliquorum fratrum iniuria coniuncta fuisset. Quis enim patri vitio vertisset, si nondum facta partitione filium quartum reliquis fratribus deteriorem esse noluisset? At singulis iam parte sua adsignata, et Iuditha maiora, quam filio natu minimo sperare fas erat, concupiscente, imperator se ad summas angustias animaduertebat redactum. Hinc recte obseruauit NITHARDVS (d), *Karolo nato, quoniam omne imperium inter reliquos filios pater diuiserit, quid huic faceret, ignorasse,*

eamdem calamitatem, in quam patrem coniecerat, incidit, filiis omnibus aduersus eum rebellantibus, eumque non minore adficientibus moerore, quam olim pater ex eius pertinacia conceperat. Et quis ignorat, totam trium istorum filiorum Ludouici posteritatem legitimam, licet satis numerosam, (nam vno tempore ex illis octo nepotes viderat Ludouicus imperator), anno 888. totam defeciisse, ex eaque post LVIII. annos, ex quo patri vim facere coeperant, neminem superfuisse? Adeo *iustus est deus, iustaque iudicia eius.*

(d) *Lib. I. pag.* 435.

BIU Cujas

se. Siue enim ex Lotharii imperio aliquid decerperet, periculum erat, ne is a patre magis magisque alienetur : siue Pippinum vel Ludouicum fratri quid cedere iuberet, horum iam tum tam exigua erat portio, vt se supra modum laesos quererentur. Atque ita lupum veluti auribus tenebat imperator, et, quidquid capturus esset consilii, id magno cum periculo coniunctum futurum, facile animaduertebat.

IIII. Expensis tamen, quae huc facere videbantur omnibus, rationibusque subductis, LOTHARIVM adgredi statuit. Eum ergo rogat obtestaturque, vt aliquam regni sui partem CAROLO fratri attribui patiatur, caussamque hanc agit tanto argumentorum pondere, vt hic praeter hominum opinionem patri ea in re adsentiretur, eique non modo partem regni quamcumque CAROLO adsignandi permitteret arbitrium, verum etiam se illi tutorem defensoremque aduersus omnes inimicos futurum dato iureiurando polliceretur (e). Quo fretus promisso imperator, anno 829. exacta Aquisgrani hieme, celeberrima comitia in mensem Iulium Wormatiam indixit, ad quae tamen, vano de Normannorum irruptione nuncio territus, sequentibus demum Idibus Augustis accessit, legatos, qui vndequaque eo confluxerant, audiuit, dona sollemnia, vti reges Francorum consueuerant, recepit, aliaque, quae e re publica fore existimabat, constituit. Ita enim horum comitiorum acta describunt *Annalium Bertinianorum* (f) et *vitae Ludouici* auctores (g), nec non EGINARDVS (h) scriptores graues, ac prudentissimi. At, quidquam ibi de parte regni CAROLO cedenda actum esse, nullus eorum, quod mireris, memoriae prodidit, quum tamen, id factum esse, alii eiusdem aeui scriptores, non dissimularint. Nam THEGANVS (i) diserte ait, partem regni CAROLO attributam esse in his comitiis, sed fratribus, et maxime LOTHARIO et LVDOVICO, qui isti conuentui intererant, grauiter indignantibus. *Alio*, inquit, *anno venit Wormatiam, vbi et* KAROLO, *filio suo, qui erat ex* IVDITH *augusta natus, terram Alamannicam Raeticam, et partem aliquam Burgundiae, coram filiis suis,* LOTHARIO *et aequiuoco suo,* LVDOVVICO, *tradidit : et inde illi indignati vna cum Pippino, germano suo.* Mireris, LOTHARIVM tam breui

(e) Nithard. *ibid. pag.* 435.
[f] *Ad a.* 829. *pag.* 186.
[g] *Ad eumd. a. pag.* 390.
[h] *Annal. ad a.* 829.
[i] *De gest. Ludouici Pii cap.* 35.

BIU Cujas

ui tempore post mutasse sententiam, et aegre tulisse factum; quod fieri antea permiserat: sed culpam in HVGONEM, eius socerum, confert NITHARDVS (k), ita rem breuiter complexus: *instigante autem* HVGONE, *cuius filiam in matrimonium* LOTHARIVS *duxerat, ac* MATFRIDO, *sero se hoc fecisse poenituit, et quemadmodum illud, quod fecerat, annullare posset, quaerebat.* Hinc probabile est, in ipsis comitiis dissensum suum testatos esse praesentes filios, ac proinde nec proceres rem suffragiis suis probasse. Nihilominus imperator, iacta semel alea, nihil illa filiorum intercessione, procerum dissensione motus, KAROLO *Alamanniam* per edictum (l) tradit (m). Breuius rem eloquutus NITHARDVS Alamanniae tantum facit mentionem: at ex THEGANI testimonio patet, Alamanniae et Rhaetiam cum Burgundiae parte accessisse. At nos neutrius auctoritate nitimur, superstite ipso, cuius NITHARDVS meminit, edicto, quod primum PETRVS PITHOEVS (n), deinde DVCHESNIVS (o), ac demum BALVZIVS (p) haud paullo emendatius edidit, ex quo, quae huc pertinent, decerpere operae pretium fuerit. Primo ergo iam laudatus BALVZIVS (q) obseruauit, pleraque in illa charta diuisionis paene ad verbum descripta esse ex testamento Caroli M. (r) anno

[k] *Lib. I. pag.* 436.

[l] Videtur id, tamquam singulare, notasse Nithardus. Quamuis enim et Caroli M. testamentum, quod vocant, et charta diuisionis imperii Ludouici exstent apud Pithoeum in *Annal. et hist. Franc. script. coaet. XII. pag.* 283. et Baluz. *Capitul. tom. I. pag.* 439. *sequ. ei* 575. *sequ.* adeoque existimari posset, iam pridem huius modi partitionem regnorum per edicta factam esse: satis tamen constat, tunc omnia peracta esse de procerum sententia. Eginard. *Annal. ad a.* 806. *illis absolutis conuentum habuit imperator cum primoribus et optimatibus Francorum de pace constituenda et obseruanda inter filios suos, et* DIVISIONE *facienda in tres partes, vt sciret vnusquisque eorum, quam partem regere deberet, si patre mortuo superstitem esse contingeret. De hac partitione et testamentum factum, et* IVREIVRANDO *ab* OPTIMATIBVS *Francorum confirmatum.* Et in charta diuisionis imperii, anno 817. factae, LVDOVICVS imperator omnia *communi consilio*, et *re cum fidelibus suis considerata*, peracta esse profitetur. Nihil horum obseruatum hoc anno esse legimus, nec eius consensus vllam mentionem facit pater in praecepto super hac noua diuisione scripto, de quo paullo post dicemus. EDICTO ergo hanc regni partem KAROLO filio attribuit LVDOVICVS Pius, quasi in sua potestate esset, de regnis tamquam de patrimonio suo disponere.

[m] Nithard. *ib. pag.* 436.

[n] *Hist. et annal. Franc. script. XII. pag.* 330.

[o] *Tom. II. pag.* 327.

[p] *Capitular. tom. I. pag.* 685.

[q] *Capitular. tom. II. pag.* 1117.

[r] *Capite* 1.

BIU Cujas

anno 806. scripto. Nam et hic LVDOVICVS sancit, vt, aliquo filiorum suorum mortuo, superstitum ex eo nepotum aliquis a populo electus, patruis consentientibus, regnet, nullo filiorum superstite, regnum illud a reliquis fratribus aequa lance diuidatur (s): vt nullus fratrum alterius fines inuadat, eamque iniuriam passo, reliqui suppetias ferant (t): nullus aliorum clientibus receptum det, vel eos sollicitet, et ad se pelliciat (u), sed quisque a domino suo beneficia accipiat (x), nisi quis forte vltro emigrare, seque alteri fratri subiicere malit (y): ne fundi in vnius regno siti alteri vendantur, rerum vero mobilium liberum inter omnia regna commercium (z): ius quoque connubii inter ciues diuersorum regnorum promiscuum, feminisque regno enuptis possessiones saluae sint (a): vt lite de finibus regni regundis incidente, nec bello, nec certamini singulari locus sit, sed *ad declarationem rei dubiae vexillo crucis* (b) *dei*

[s] Prius et in charta diuisionis, anno 817. conscripta sanxerat imperator. Posterius nouum est. Adeo enim olim filiis, natu minoribus, omnem ad maiorem potentiam adspirandi occasionem praesciderat, vt statueret, *si absque legitimis liberis aliquis eorum decederet, vt potestas illius ad seniorem fratrem reuerteretur*: Baluz. *Capitul. tom. I. pag.* 578. hic, quia simul CAROLI sui res agebatur, iuri adcrescendi hoc casu locum esse iubet, eatenus, vt regnum illud omnibus inter fratres aequaliter diuidatur. Quod sane non potuit non mordere LOTHARIVM.

[t] *Capite* 2.

[u] *Cap.* 3. 4. *et* 9.

[x] *Cap.* 5.

[y] *Cap.* 6.

[z] *Cap.* 7.

[a] *Cap.* 8.

[b] Erat hic inter reliquos modos se purgandi exquirendique veritatem: vnde frequenter in vetustis monimentis loquutiones: *cruce contendere*, *Capitular. lib. III. cap.* 46. *ad crucem contendere*, ibid. *Adpend. II. cap.* 34. *exire ad crucem*, *Synodus ad Vermer. cap.* 17. *examinationem crucis facere*, Capitular. *lib. I. cap.* 102. et similes. Quamuis vero modus non vnus receptus fuisse videatur, veritatem adhibita cruce eruendi, ceu post Delrionem aliosque pluribus exemplis demonstrauit Car. Du Fresne *Glossar. Lat. tom. I. pag.* 1274. hic tamen praecipue ille ritus videtur intelligi, quo duo, inter quos erat iurgium, ad crucem statuebantur, et secundum eum lis dabatur, qui ad certum tempus, vel certis vicibus immobilis perstitisset. Id enim examen fieri consueuisse in finium regundorum controuersiis, luculenter probari potest *formula Bignonia XII. pag.* 501. *quae notitia de cruce euindicata inscribitur*: vbi iudicii ordo ita describitur: *sed taliter ei fuit iudicatum in ipso placito ante ipsum Vigarium* (vicarium comitis) vel ante ipsos pagenses, *vt ad crucem ad iudicium dei pro ipsa terra in noctes quadraginta duas in ipso placito pro hoc deberent adstare.* Additur enim, vrumque adfuisse, sed *illum hominem, qui ipsam terram proripuerit, ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem*

BIU Cujas

dei voluntas et rei veritas exquiratur (c): vt fratres tum vniuersae ecclesiae, tum singularum ecclesiarum curam ac tutelam suscipiant (d), et si qua praeter ius ex ignorantia actum sit, ea quam primum emendent (e): sibi denique patri, quoad vixerit, summum imperium in omnes prouincias, ipsosque filios, saluum, ac praeterea ius sit portionibus filiorum bene de se merentium aliquid ex immorigerorum portionibus adiiciendi (f), eaque, quae in posterum eo consilio dispoſuerit, non minus rata firmaque, ac si illi instrumento inserta essent, habeantur (g). Quod ad ipsam regnorum partitionem attinet, LVDOVICVM imp. nunc multo liberaliorem, quam antea, fuisse animaduerto. Aquitaniae enim regnum, non Ligeri et Rhodano, sed Sequana terminari voluit, quin et vltra Sequanam pagos XXVIII. et in his Catalonicum, Meltianum, Ambiensem, et Pontiuum, vsque ad mare adiecit. Boioariae regnum, LVDOVICO filio iam pridem datum, magna Germaniae parte, puta Thuringia tota, tractibus Ripuariorum, Atuariorum, Saxonum, Frisonum, Ardenna, Hasbania, Bragbanto, Flandria, Austerbandia, denique tractibus vicinis ad Isaram vsque fluuium auxit: quamuis quaedam in illa regni Ludouico destinati descriptione paullo sint obscuriora, ipsaque illa portio ita comparata videatur, vt male cohaese-

cem cecidisse, ac proinde certa solidorum summa esse mulctatum. Addit aliud insigne exemplum ex Vghelli *Italia sacra, tom. V. pag.* 610. Stephanus Baluzius *Capitul. tom. II. pag.* 1153. Quum enim imperante Carolo M. inter ecclesiam ciuitatemque Veronensem de moenibus exstruendis litigatum aliquamdiu esset: *tandem, habito consilio, pacti sunt, vt haec dei et sancti spiritus reseruarentur iudicio. Eligentes duos iuuenes clericos, sine vllo crimine existimatos, statuerunt in ecclesia S. Ioannis baptistae ad domum et ad crucem stare fecerunt, quorum vnus Aregaeus, post archipresbyter, ecclesiae maioris nomine, alter vero ex parte S. Zenonis, Pacificus scilicet, qui post archidiaconus ecclesiae maioris fuit. Hi ambo ab introitu missae vsque ad mediam passionem tantum, quae est secundum Matthaeum, pariter starent. Ille qui de parte publica datus fuerat, in terram velut exanimis corruit. Pacificus vero vsque ad finem passionis stetit. His gestis, et omnibus gratias deo agentibus, quartam partem tam ciuitatis, quam castelli pars episcopii cum his, quae supra memorauimus, accepit.* Mirum sane, quum impium illud plenumque superstitione iudicium lege publica prohibitum esset *Capitular. lib. I. cap.* 102. *ne Christi passio, quae est glorificatio, cuiuslibet temeritate contemni haberetur*, illud tamen liberis suis hic commendare non dubitasse Ludouicum Pium. Sed adeo impares huic superstitioni, quum semel inoleuisset, erant leges, vt inter ipsas leges peccaretur.

(c) *Cap.* 10.
(d) *Cap.* 11.
(e) *Cap.* 12.
(f) *Cap.* 13.
(g) *Cap.* 14.

BIU Cujas

haeserint prouinciae, et LOTHARIO, si res habuisset exitum, semper licuisset seiungere Ludouici vires, vel prohibere saltim, ne facile vnirentur (h). Ad regna vero PIPPINI et LVDOVICI non ob aliam caussam

(h) Portionem LVDOVICO adsignatam ipsis verbis LVDOVICI imperatoris describere iuuat, et ita quidem, vt sequamur Pithoeum, variantes vero Baluzii lectiones vncinulis includamus: *ad Baiuuariam totam Toringiam*, [Toringiam totam.] *Ribuarias*, [Ripuarios,] *Atoarias*, [Attarios,] *Saxoniae*, *Frisiae*, *Ardennae*, *Asbania*, [Hasbania,] *Bragmento*, *Franderes*, *Menpiscon*, [Mempiscon] *Medenenti* [Metunenti] *Amau*, *Austerban*, *Aderten*, [Adertensis] *Teruunensis* [Teruuanensis,] *Bolens* [Bolensis] *Quentouico*, *Camalecensis*, *Virdomadensis*. Et his BOIARIAE terminos iam alibi descripsimus. TORINGIA vel *Thuringia* eo tempore Thuringiam hodiernam, et Hassiae partem complectebatur. *Nordthuringiam* enim vltra Vnstrutum ad Ouacrum Saxones iam pridem tenebant, orientalem partem vltra Salam Sorabi et Venedi insidebant. RIPVARII tum dicebantur, quicumque tractum terrae amplissimum inter Rhenum, ad Vahalim vsque, Mosam, vbi illi Vrsa miscetur, et Mosellam colebant. Brouuer. *Annal. Treu. lib. VII. pag.* 362. *Atrarii* Baluzii in illo tractu nulli sunt. Rectius Pithoeus, qui *Atoarias* legit. ATTVARII enim inter Rhenum et Mosam circa Nersam domicilium habebant, in ducatu, qui postea Gelriae nomen tulit, et in monimentis vetustis *pagus Attuariorum* vel *Hattuariorum* vocatur. Paullini *Geograph. pag.* 15. SAXONIA tum, quidquid a Sala inter Albim et Rhenum interiacet; FRISIA tractum maritimum cis et vltra Fleuum inter Visurgim et Rhenum complectebatur. ARDVENNA silua maxima notissimaque est cis et vltra Mosam, quam olim *Condrusii*, *Eburones*, *postea Leodici*, *et Namurci*, *Atrebates* et *Veromandui*, in charta nostra diuisionis *Virdomadenses* vocati, adcolebant. HASBANIA, vti adcurate eam finiuit Aub. Miraeus *Dipl. Belg. lib. II. cap.* 30. inter Tungros, Tillemontium, Fanum S. Trudonis, Traiectum ad Mosam, et Leodium interiacebat. BRAGMENTO, pagus celeberrimus et amplissimus, alias *Brachbantum*, *Bratispantum*, *Bracopantus et Braiorbant*, ab occidente Scaldi, ob oriente Velpa, a septentrione Demera et Thilia, a meridie Sabi terminabatur, adeoque magnam *Brabantiae* ducatus partem sinu suo complectebatur. Miraeus *Opusc. hist. tom. I. pag.* 141. FRANDERES ipsa Flandria est, vel *pagus Flandrensis*, quem ad Oceanum Germanicum, inter Furnes et Scaldim occidentalem, situm fuisse, iam docuerunt Henr. Valesius in *Notit. Galliar. pag.* 196. et Auctor *Prodr. chron. Gottuicens. pag.* 595. MENPISCON vel MEMPISCON alias *pagus Menapiscus*, pars Flandriae comitatus meridionalis, ad Laetam vel Legiam fluuium, adcurate describitur ab Henschenio *Act. sanct. tom. I. Febr. pag.* 817. *sequ.* MEDENENTI vel METVNENTI itemque AMAV quid sint, ignorare me fateor. AVSTERBAN pagus amplissimus, inter Valentianas et Namurcum vltra Ardennam situs, alias *Austerbant* vocatur. ADERTEN vel pagus *Adertensis*, procul dubio est *Adertisum*, tractus Lotharingiae inferioris, quem inter Flandros, Cameracenses, Veromanduos Austerbantos si-

BIU Cujas

cauſſam tanta tum facta eſt acceſſio, quam vt eo maiorem prouinciarum partem CAROLO iure attribuere videretur, eoque obtentu, quod natu minimi non deteriorem, quam reliquorum fratrum, conditionem eſſe oporteat, eum tanto magis locupletaret. Et ſane pater, ceu ex eodem inſtrumento patet, ei deſtinabat *Alamanniam totam*, id eſt, Sueuiam inter Licum et Rhenum, Heluetiae maximam partem, et Raetiam, *Burgundiam* vniuerſam, *excepto, quod Pippino datum fuerat*, id eſt, comitatibus Auguſtodunenſi, Aualenſi, et Niuernenſi (i), *totam* porro *Prouinciam*, *et totam Gotiam*, id eſt, Prouinciam proprie ſic dictam cum Delfinatu, et Septimaniae partem maiorem (k), nec non *de media Francia Warenſem*, *Vngenſem*, *Caſtrenſem*, *Potiano*, *Remegenſem*, *Laudunenſem*, *Moſellam*, *Treueros*, et alia, quae in charta illa, ſub finem mutila deſiderantur, quamuis ne ex iis quidem, quae ſuperſunt, praeter *Remos*, *Laudunum*, tractum vel pagum Moſellanum, alias *Moſelgow*, et *Treueros*, reliqua nomina ſatis nos intelligere fateamur. Et ita quidem noua iſta diuiſio in charta illa deſcribitur: at vereor tamen ego, ne quid vitii in illam irrepſerit. Si enim recte ſe haberet: praeter Italiae regnum fere nihil ſuperfuiſſet LOTHARIO, quem tamen, tum adhuc morigerum omni ſpe ſucceſſionis priuare voluiſſe patrem, nemo crediderit. Deinde memoriae prodidit

ſtit tabula Belgicae apud Blondell. *Adſert. plen. geneal. Franc. pag.* 260. TARVENNA notiſſima Morinorum colonia, cuius a Carolo V. imp. dirutae veſtigia ſeptimo ab Audomaropoli lapide viſuntur, nomen dedit toti illi tractui inter Samaram fluuium, fretum Britannicum, et Atrebatenſes, qui hic *Teruanenſis* vel *Teruanenſis* vocatur, cuiuſque pars etiam fuit BOLENS, id eſt, *Bononia Belgica*, *Boulogne*, olim inſigni comitatu celebris. QVINTOVICVS, alias *Quentouuicus* immo et *Wicus* memoratur in *Capitular.* Caroli Calui *tit.* 31. §. 12. Aimon. *lib. V. cap.* 1. Alcuin. *epiſt.* 12. et in diplomate Dagoberti de mercatu S. Dionyſii apud Doublet. *lib. III. cap.* 3. Ex quibus locis patet, Quentouicum fuiſſe portu et officina monetaria celebrem, nec procul a pago Rodomagenſi vel Rothomagenſi abfuiſſe. CAMALACENSIS pagus procul dubio eſt ipſe Camaracenſis tractus. Denique VEROMANDVORVM prouincia, quae et hodie antiquum nomen ſeruat, ſatis nota eſt. Si ergo recte ponamus calculum, praeter Galliam Belgicam trans Samoram et vltra Arduennam ad Rhenum, Batauiam, Friſiam, Geldriam, ea, quae hodie ad circulum Weſtphalicum et inferioris Saxoniae referuntur tantum non omnia cum Thuringia, Haſſia, Bauaria, Pannonia vtraque, Boëmia LVDOVICO hac diuiſione deſtinata erant, iſque fratres omnes potentia procul dubio ſuperaſſet, ſi exitum haec diuiſio habuiſſet.

(i) Baluz. *Capit. tom. I. pag.* 575.

(k) Idem *tomo II. pag.* 118. *ſeqq.*

BIU Cujas

didit THEGANVS (l), non LOTHARIVM modo, sed et PIPPINVM et LVDOVICVM ob hanc diuisionem vehementer esse indignatos. Quis vero hos non emotae mentis fuisse dixerit, si patri, tam luculentas prouincias sibi attribuenti succensuissent? Quare aut ineptuli cuiusdam commentum est ille prouinciarum recensus, quippe quem GOLDASTVS (m) in codice suo non reperit: aut ita interpolatus, vt vix illi sani quid inesse videatur (n). Si tunc PIPPINO et LVDOVICO aliquid accessit, id in eo constitisse videtur, quod eos regnis suis pari cum LOTHARIO iure praeesse voluit. Neque enim subiectionis istius, quam priore diuisione tam sollicite inculcarat, in hac altera diuisionis charta vola vlla vel vestigium occurrit: neque passa esset IVDITHA, CAROLVM suum fratris natu maximi imperio subiici, quem, si fieri posset, reliquis omnibus praeferri optabat. Ne ergo CAROLVS a LOTHARIO pendere cogeretur: reliquos etiam filios suos ab eius imperio eximendos putabat imperator, eaque eius in filios postgenitos beneuolentia vel maxime Lotharii animum, imperii cupidissimum, et patri iam pridem infensum percellebat, atque ita intelligendus est NITHARDVS (o), *tum tandem Lotharius quasi iusta querimonia reperta, tam fratres, quam et vniuersam plebem veluti ad restaurandum rei publicae statum animabat.*

(l) *De gest. Ludouici Pii cap.* 34.

(m) *Constit. imp.*

(n) Si quid video, ita singulorum filiorum natu minorum portiones expresserat pater, vt simul, quid LOTHARIO natu maiori relinqui debeat, adcurate describeret, e. g. ad Aquitaniam pertinere, quidquid ab Hispania ad Ligerim vsque pertingat: quae vero inter Ligerim et Sequanam sint, nec non vltra Sequanam XXVIII. pagos, cum Catalaunis, Meltis, Ambianis, et Pontio, ad mare vsque Britannicum Lotharii permansura. Deinde LVDOVICVM Baiuariam quidem totam, adeoque et Nordgauiam habiturum: at LOTHARIO cessuras Thuringiam, Franciam orientalem; tractum omnem Rhenanum, qui postea inferioris Lotharingiae nomine venit, cum vniuerso Belgio, nec non tota Saxonia et Frisia. Denique CAROLO sese attribuere Alamanniam totam cum Raetia, et Burgundiam, praeter comitatus Augustodunensem, Aualensem, et Niuernensem, Pippino iam pridem cessos, at Prouinciam, Gothiam, et totam Galliam reliquam inter Rhenum et Mosam LOTHARIO mansuram. Ita fortassis scripserit Ludouicus Pius, si lacinia illa eum habuerit auctorem. Quae deinde scriba, omisso vbique Lotharii nomine, omnia peruertit atque ita confudit, vt parum absit, quin Lotharium tum plane exheredem scriptum esse, nobis persuadere voluerit. Sufficere videtur, nullum veterum de magna illa accessione regni Ludouiciani seu Boici quidquam memorasse.

(o) *Lib. I. de dissens. fil. Lud. pag.* 436.

BIU Cujas

V. Vtcumque se res habeat, Lotharium nouam hanc partitionem aegre tulisse, et clam dedisse operam, vt illam, quacumque ratione posset, dirueret, diserte scribit NITHARDVS (p). PIPPINVM etiam et LVDOVICVM non minus patri propterea succensuisse, iam ex THEGANO (q) vidimus. Ille enim sibi tantum detractum videbat, quantum accessisset fratribus. Hi fratri natu minimo multo pinguiorem regni partem, quam sibi datam esse, querebantur. Quin non magis proceribus, quam filiis, placuisse illam partitionem existimamus. Praeterquam enim, quod imminentibus hinc Hungaris et Slauis, illinc Nordmannis, istinc Sarracenis non poterant non imperio in tot minora regna distracto male metuere: facile sagaciores animaduertebant, iuuenes, tam feroces regnandique cupidos, et iam pridem de laesione conquestos, armis plus qnam ciuilibus inter se certaturos, et in maximum discrimen adducturos rem publicam. Hinc exsules honoribusque antea priuati, qui per varias imperii prouincias diuagabantur, arrepta hac occasione omnes, quos poterant ab imperatore et Iuditha alienare, eosque hortari, vt consulerent rei publicae, auderentque aliquid Gyaris et carcere dignum. Testatur sane auctor *Vitae Ludouici* Pii astronomus (r), *iam tum in illo conuentu Wormatiensi imperatorem comperisse, clandestinas circa se eorum, quos vitae reseruauerat, machinationes more cancri serpere, et multorum animos, quasi per quosdam cuniculos sollicitare.* Et erant sane tum plura in imperio genera hominum, quibus in turbido consilium esse videbatur: exsules quamplurimi, qui in illa rei publicae conuersione se pristinos honores recuperaturos confidebant: ERMENGARDIS, imperatoris propinqui, et quotquot LOTHARIO, PIPPINO et LVDOVICO adfinitate iuncti erant, illos Ludouici filios a Iuditha opprimi aegre ferentes: ipsi denique clerici, quorum quosdam terrae filios ipse nouo instituto (s) ad summa sacerdotia prouexerat, quippe quibus impera-

(p) *Nithard. lib. I. pag. 436.*
(q) *Cap. 34.*
(r) *Ad a. 829. pag. 390.*
(s) Mos fuerat iam inde ab ecclesiae Francicae origine, non nisi nobili cretos sanguine ad suprema sacerdotia prouehere, qui plerumque et adcuratius educati institutique, et rei publicae amantiores, quam plebeii, esse credebantur, et cognatorum auxilio aduersus paganorum insidias facilius vtebantur. Id adeo verum est, vt miretur monachus Sangallensis in *Vita Caroli M. lib. I. cap. 7.* sub Carolo illo *duos molinariorum filios de familia S. Columbani, quum ei non congrueret ad episcoporum vel*

BIU Cujas

imperatoris rigor in exigendis sacri ministerii officiis, et perpetua, quam sibi vsurpabat, censura magis displicebat, quam placebat pietas religionisque studium. Quum ergo haec omnia optimum principem ipsis sacri ordinis hominibus non parum exosum reddidissent: non mirum profecto est, tam facile voti damnatos esse homines, qui ab illo offensi id vnice cupiebant, vt eum cum IVDITHA aut perderent, aut innumeris saltim turbis et calamitatibus implicitum quam primum viderent.

VI. Est ea saepe humanorum consiliorum ratio, vt non modo malo, cuius caussa capiuntur, non medeantur, sed et morbum tanto magis insanabilem reddant: ipsaque experientia docet, in palatiis principum aliquando contingere, vt, qui ad comprimendos tumultus tamquam ad restinguenda incendia concurrunt, non tam aquam, quam oleum, igni infundant. Quod et LVDOVICO imperatori tum contigit. Primo enim LOTHARIVM, ne turbarum auctores eius auribus insidiarentur, illico in Italiam ire iussit (t): quum tamen in illo secessu tanto occultius ac veluti per ocium, consilia paci inimica capere posset. Deinde *ipse sibi contra seditiosos*

vel coenobiorum regimen subleuari, tamen per merita magistri, Alcuini, praeposituram Bobiensis monasterii vnum post vnum strenuissime gubernasse. Idem multo ante Carolum M. immo et post Ludouici Pii tempora religiose obseruatum esse constat. Exstant enim formulae commendationis episcoporum, in quibus fere semper eorum natales celebrantur, e. g. *decreuimus illustri viro in ipsa vrbe pontificalem in Dei nomine committere dignitatem, quem plerumque apud animos nostros et actio probata commendat, et* NOBILITATIS ORDO *sublimat, ac morum probitas, vel mansuetudinis et prudentiae honestas exornat. Form.* MARCVLFI *lib. I. cap. 5. 7.* LINDENBROG. *cap. 4. Formul. promot. episcopal. IIII. apud* Baluz. *Capitular. tom. II. pag. 597.* et *cap. 12. pag. 610. Formula* Io. COVLESII *I. pag. 635. Formulae Alsaticae cap. 6. pag. 236. cap. 13. pag. 239. edit.* Io. GE. ECCARDI. At primus hunc veterem morem migrauerat Ludouicus Pius, non exiguo rei publicae malo. Quod obseruans Theganus *de gest. Ludou. Pii cap. 20.* grauiter detrimenta, quae inde passa sit res publica, exaggerat, et id maxime conqueritur, eos homines postea rixosos, ac paene intolerabiles, immo et rerum nouarum studiosos fuisse. *Postquam*, inquit, *tales culmen accipiunt, numquam sunt sicut antea tam mansueti et sic domestici, vt non statim incipiant esse iracundi, rixosi, maliloqui, obstinati, iniurioſi et minas omnibus subiectis promittentes, et per huius modi negotia cupiunt ab hominibus timeri et laudari.* Merentur et insequentia legi, quibus eorum hominum mores graphice describit, iisque addi, quae *cap. 43. et sequ.* obseruat, *cum omnes episcopos molestos fuisse Ludouico, tum hos maxime, quos ex seruili conditione honoratos habuerit, cum his, qui ex barbaris nationibus ad hoc fastigium perducti sint.*

(t) *Vit. Ludouici Pii pag. 390. Annal. Fuld. Bertin.* Egin. *ad a. 829.*

BIU Cujas

ſos homines quoddam propugnaculum erecturus, BERNARDVM, *eatenus Hiſpaniarum partium et limitum comitem, camerae ſuae praefecit* (u). Hunc enim ob eximiam prudentiam, incredibilem in rebus gerendis dexteritatem, ſplendorem generis, potentiam, ac nexum illum, qui inter filium patremque ſpiritualem eſſe tunc merito credebatur, ad eam rem maxime idoneum eſſe exiſtimabat (x). Enimuero quum imperatori, eiuſque vxori, perſuaſum eſſet, BERNARDVM, Septimaniae ducem, ob potentiam ſibi firmiſſimo praeſidio aduerſus filios aeque ac rebelles futurum: res, miro dei conſilio, in contrarium vertit. Is ipſe enim BERNARDVS ſudes, in oculis omnibus eſſe coepit, vt non adquieſcendum ſibi putarent turbarum auctores, priuſquam illum palatio exturbaſſent. Praefecerat eum imperator camarae ſuae, quae camararii (y) dignitas in

(u) *Vita Ludouici pag.* 391.

(x) BERNARDVS ille adhuc contra Mauros in marca Hiſpanica res praeclare geſſerat, *Vit. Ludouici pag.* 386. ac proinde Septimaniam ac marcam Hiſpanicam, ſeu Gothiam, ducis nomine regebat. Tam late enim tum patuiſſe Gothiae vocabulum, pluribus oſtendit Steph. Baluz. *ad Capitul. tom. II. pag.* 1118. *ſequ.* Generis ſplendorem quam maxime laudat Theganus *de geſt. Ludou. cap.* 36. *pag.* 310. eum *de ſtirpe regali fuiſſe*, teſtatus. Sed nos iam ſupra *cap.* 4. §. 14. eius genus deſcripſimus, ſimulque oſtendimus, exiſtimaſſe veteres, auiam BERNARDI paternam, ALDANAM CAROLI MARTELLI filiam fuiſſe, ob eamque cauſſam BERNARDO tribuere regiam originem. Quod tamen ſatis incertum eſſe, eodem loco docuimus. Denique idem Theganus *ibid. pag.* 310. obſeruat, BERNARDVM illum *domni imperatoris ex ſacro fonte baptiſmi filium fuiſſe*. Quae neceſſitudo quam ſacra olim viſa fuerit, nemo ignorat. Tot ergo veluti pignora fidei facile perſuadebant Ludouico Pio imperatori, vt BERNARDO primas in palatio partes deferret, eumque ſibi ſuiſque certiſſimo praeſidio futurum ſperaret.

(y) Camararii munus, teſte Hincmaro *Epiſt.* 3. *cap.* 22. erat, curam agere *palatii, ornamentorumque regiorum, dona annua militum*, praeter annonam, *diſtribuere, proſpicere, vt omnia iuſto tempore fierent*, nihilque, *quo opus erat, deeſſet*: *dona* a legatis adlata cuſtodire, et, quae abituris elargienda erant, parata habere. Quamuis vero plures in palatio eſſent camararii, vti ex Gregor. Turon. *Hiſtor. lib. IIII. cap.* 26. et *lib. VI. cap.* 45. obſeruarunt Car. du Freſne *Gloſſar. med. et infim. Lat. tom.* 1. *pag.* 702. et Hert. *Notit. regni Franc. cap.* 3. §. 14. *p.* 295. vnum tamen reliquis praefectum fuiſſe, eumque ſecundum ab imperatore in imperio fuiſſe, patet ex Nithardi *lib. I. de diſſenſ. filior. Ludou. pag.* 436. Praeterea iam Hincmarus *eodem loco* teſtatur, omnia camararii munia *ad reginam praecipue, et ſub ipſa ad camararium* pertinuiſſe, et ſaepe incidiſſe talia, *quae reginae, iubente rege ad tractandum cum camarario, congruerent*. Talis ſub Ermengardi regina fuerat REGINARDVS, cuius in tumultu Bernardi Italiae regis meminimus; *Vita Ludou. Pii, Annal. Bertin.* et alii *ad a.* 817. et poſtea TANCVLFVS in *Vita S. Bened. Anian.* apud Ducheſ. *tom. III. pag.* 388.

BIU Cujas

in palatio fere prima ac praecipua habebatur. Eidem et CAROLI filii educationem crediderat (z), quam curam qui gerebant, BAIVLI vocabantur (a). Vtrumque vero officium ita comparatum erat, vt non poſſet non eſſe frequentiſſima reginam adeundi occaſio, quum et camararius ſub eius diſpoſitione eſſet, et CAROLI adhuc pueri educatio ad eam praecipue pertineret. Hinc ſtatim per ora hominum volitauit rumor de furtiuis auguſtae et Bernardi amoribus, iſque tantas vires adquiſiuit eundo, vt non modo ad vulgum manaret, ſed et praecipuis epiſcopis, abbatibus, atque optimatibus probabilis videretur, maxime quum iam multo ante hunc annum 829. IVDITHA auguſta familiarius, quam decebat, cum Bernardo duce vixiſſet, ac proinde ea vrgente non aliam ob cauſſam in palatium adſcitus crederetur, quam vt tanto liberius in mutuos amplexus ruerent moechus et adultera (b). Accedebat impotens dominandi libido, qua omnia ſuo arbitrio agebant IVDITHA et BERNARDVS (c), imperatore interim precibus et pſalmodiis, omiſſa paene rei publicae cura, vacante. Haec ergo paſſim tum iactabant homines, tumultus iſtius flabella, vt vere dici poſſe videatur, tota huius anni hieme coiſſe nubes, ex quibus anno proximo erupit dirum illud fulmen, quod pium imperatorem adflauit, ambuſſit, ac propemodum fortunis imperioque euoluit.

VII. Facibus ac tubis tam nefariae ſeditionis nihil, quam opportuna Ludouicum imperatorem inuadendi occaſio deeſſe videbatur. Nam *necdum*, vti obſeruat *Vitae Ludouici* auctor (d), *ii, qui tali peſte tabeſcebant, vulnus ſuum detegere poterant, vtpote quibus nulla copia ad peragenda, quae conceperant, ſuppeteret.* Ea vero

(z) Nithard. *lib. I. pag.* 436.

(a) Supra *cap.* 3. §. 1. (a) *pag.* 728.

(b) Hoc non coniicimus, ſed compertum habemus ex ſcriptoribus coaeuis. Supra enim *cap.* 4. §. 11. (q) *pag.* 782. adduximus locum Odonis Ariberti, in quo *Carolus Caluus os Bernardi retuliſſe, ex eoque illum genitum, vulgo creditum eſſe*, dicitur. Quum ergo Bernardus camararii munere fungi coeperit, anno 829. quo CAROLVS iam ſextum aetatis annum attigerat: abſurda fuiſſet ea calumnia, niſi iam antea ſaepius in palatio verſatus eſſet Bernardus, adeoque iam pridem eam de ſe ſuſpicionem excitaſſet Iuditha, exiſtimationis ſuae dudum parum curioſa.

(c) Paſchaſ. Ratpert. *Vit. Walae, lib. II. cap.* 9.

(d) *Ad a.* 829. *pag.* 391.

BIU Cujas

ro occasio sequente anno sese vltro obtulit. Solutis enim comitiis Wormatiensibus, imperator quidem palatium Francofurtense repetierat, et auctumnum, dum tempus permittebat, exegerat venationibus, at circa diem S. Martino sacrum Aquisgranum profectus, ibi et natalem domini pie celebrauit, et hieme illa ad quadragesimale vsque ieiunium ibidem haesit (e). Tunc vero fama nescio quid tristius de Britanniae motibus nunciante, expeditionem, BERNARDI consilio, in illam prouinciam suscepit, relictaque Aquisgrani augusta ipse paullo post, licet ex pedum tumore laboraret, cum exercitu in tractum Franciae occidentalis maritimum, tempore quam maxime importuno profectus est. Appetierat enim illud anni tempus, quo ecclesia cruciatus, quos Christus pro humano genere subiit, precibus ieiuniisque celebrabat, quum imperator primis statim diebus, quas *caput ieiunii* (f) vocant, castra moueret. Non aegrius quidquam iam a longo tempore tulerat populus, quam expeditionem illam molestissimam, qua anniuersaria haec sacra turbari, homineque in remotissimas Franciae occidentalis oras, hiberno tempore, nullo vrgente tam magno periculo, trahi videbantur. Hinc auditae voces, imperatorem tam sacro tempore non nisi caedes spirare, populum non male de se meritum militia perpetua opprimere, castra sequi iubere ciues, dum templa adeunda sint, eaque

(e) *Vita Ludouici ibid. pag. 391.*

(f) Ita vocabant quartam quinquagesimae feriam, qua cineribus signati Christiani longam illam inediam antepaschalem auspicabantur, alias *caput quadragesimae*, in *Regula S. Benedict. cap.* 48. dies cinerum, *Synod. Beneuent. anno* 1091. *cap.* 4. *dies absolutionis*, [quamuis eo nomine etiam feria quinta ante pascha veniret, quod hac hominibus criminum mortalium; illa venialium, quae vocant, gratia fieret: Steph. Baluz. *ad Reginon. de disciplin. eccles. pag.* 654. Carolus du Fresne *Glossar. med. et infim. Lat. tom. I. pag.* 28.] Graecis ἐισ-βασις τῶν ἁγίων ησ-είων. Et sane id tempus minime omnium conueniebat expeditioni, quoquo preces recitabantur: *concede nobis, domine, praesidia* MILITIAE CHRISTIANAE *sanctis inchoare ieiuniis, vt contra spirituales nequitias pugnaturi continentiae muniamur auxiliis.* Ex quibus precibus clerici, sollicitaturi populum, argumentum non leue petere potuerunt ad expeditionem illam Ludouici infamandam. Hos enim illam praecipue aegre tulisse, vel ex *tabulis exauctorationis cap.* 3. apud Pithoeum *p.* 328. paret, vbi inter causas exauctorationis haec non postrema vrgetur, *quod imperator contra Christianam religionem et contra votum suum, sine vlla vtilitate publica aut certa necessitate, prauorum consilio delusus in diebus quadragesimae expeditionem generalem fieri iusserit, in qua expeditione, quantum in ipso fuerit, et populum in magnam murmurationem protraxerit, et sacerdotes domini a suis officiis contra fas amouerit, et pauperibus grauissimam oppressionem irrogarit.*

BIU Cujas

que inauſpicata expeditione impedire, quo minus diuinum numen, peccatis Francorum iampridem offenſum, precibus aliiſque piis operibus placetur. Hinc *Annalium Bertinianorum* auctor (g), *iter illud omnem populum moleſte tuliſſe propter difficultatem itineris, eumque illuc ſequi noluiſſe.* Accepta hac occaſione homines ſeditioſi primum PIPPINVM adgrediuntur, de Bernardi et ipſius auguſtae dominatu, proteruia, ac libidine conquerentes. Hos viros bene meritos, opibus honoribuſque ſpoliare, hos omnia agere ſuo arbitrio, opprimere populum, ipſamque rem publicam nefarie peſſumdare. Perſultare impudentiſſimum moechum optimi imperatoris locum, et huic praeſtigiis ſuis ita illudere, vt tantam iniuriam non modo non vindicet, ſed ne aduertat quidem. Pertinere hoc ad probi filii officium, vt indoleſcat paterno dedecori, pulſiſque tanti mali auctoribus patrem ſibi, bonaeque menti quam primum reſtituat. Id demum filio immortalem adlaturum gloriam: id illi ad regnum ſuum, iam anguſtis Aquitaniae limitibus circumſcriptum, amplificandum certo profuturum (h). Quibus illecebris permotus iuuenis, contractis copiis primum Aureliam mouit, ibique, pulſo ODONE, comite, MATERIDVM, hominem fortiſſimum, ſed infenſiſſimum patri, et praecipuum illarum turbarum inceptorem, reſtituit, ac deinde Verimbriam vſque (hodie *Felembrey* oppidum prope Laudunum ſitum) progreditur (i). Ex altera parte LOTHARIVS, qui hanc hiemem in Italia iuſſu patris exegerat, cum expedita manu adeſſe dicitur (k). Denique ipſe, quem imperator ducebat, exercitus iam tum ad ſeditionem conſternatus, coniuratorum conſilio, a ſignis dilabitur, et iuxta Lutetiam Pariſiorum caſtra metatur. Sic primus quidem arma impia mouiſſe dicitur PIPPINVS: at, ſi dicendum, quod res eſt, omnem illam ſcenam inſtruxerat LOTHARIVS, quem NITHARDVS (l), grauis auctor, et horum fratrum conſobrinus, *tam fratres, quam et vniuerſam plebem veluti ad reſtaurandum rei publicae ſtatum animaſſe*, diſertis verbis teſtatur.

VIII. Quae fuerint impiae iſtius factionis conſilia, his verbis memoriae prodidit *Annalium Bertinianorum* conditor (m): *aliqui*

(g) *Ad a.* 830.
(h) *Vita Ludouici Pii ad a.* 830. *pag.* 391.
(i) *Ibid. pag.* 392.
(k) *Annal. Bertin. ad a.* 830.
(l) *Lib. I. pag.* 436.
(m) *Ad a.* 830. *pag.* 187.

BIU Cujas

ex primoribus LOTHARIVM *de Italia, et* PIPPINVM *de Aquitania hostiliter aduersus patrem venire, vt illum de regno eiicerent, et nouercam suam perderent, ac* BERNARDVM *interficerent, compulerunt.* Nec difficulter ea consilia deprehendit imperator (n), iam paene ab omnibus desertus. De suorum tamen magis, quam sua salute, sollicitus, BERNARDVM sibi fuga consulere, IVDITHAM Lauduni in monasterio S. Mariae virginis delitescere iussit: ipse non procul inde dissitum palatium Compendiense petiit, quo et CAROLVM filium, vt e NITHARDI (o) loco colligimus, secum abduxit. Et BERNARDVS quidem in Septimaniam suam fuga euasit: IVDITHAM Pippinus WERINO et LAMBERTO, cum selecta manu Laudunum missis abstractam e monasterio ad se perduci iussit, captiuamque in castris tenuit (p). Hic nullum paene contumeliae genus praetermissum, totque iniuriae factae mulieri, vt mortem verita non ipsa modo se velum sumturam, sed et imperatori, si ad eum eundi, cum eoque colloquendi copia detur, vt positis armis monachum induat, persuasuram, polliceretur. Quod PIPPINO et reliquis eo facilius persuasum est, quo magis id quam primum fieri cupiebant. At callida femina sub praesidio missa Compendium, secretiore colloquio cum marito habito ipsa quidem ab eo impetrauit veniam velum euitandae mortis caussa capiti imponendi, ab imperatore autem reuersa nihil certi, sed responsum ambiguum, eum sibi tempus ad deliberandum poposcisse, retulit. Hinc ei exsilium irrogant rebelles, missamque Pictauos in monasterio S. Radegundis sub arcta custodia haberi iubent. Vt adeo facile pateat, id vnum egisse PIPPINVM, vt et nouerca, et pater, posita purpura, in monasteria quamprimum vel sponte secederent, vel inuiti detruderentur. Nec mitius cum fratribus reginae, CONRADO et RADVLPHO, qui tum in aula dominabantur, actum, quos ipsos quoque, desecta coma, ad vitam monasticam, tamquam in ergastula, damnarunt.

VIIII. Haec omnia quadragesimae tempore, et circa dies festos paschales acta esse, constat. Paullo post, adpetente iam vere mense Maio, et octaua paschatos elapsa, LOTHARIVS, ex Italia cum delecta manu adueniens patrem Compendii adiit, ad eumque se tota illa factio Ludouico Pio infensa contulit, eumque, quippe totius istius

(n) *Vita Ludouici pag.* 392.
(o) *Lib. I. pag.* 436.
(p) *Vita Ludouici pag.* 392.

BIU Cujas

istius tumultus auctorem facile mouit, vt non modo ratum haberet, quod adhuc actum fuerat, sed et, quae superesse videbantur, ea, quae ipsi paene propria erat, insolentia perficeret (q). Hinc primum conuentum indixit Compendium, et quamuis adhuc ab omni vi aduersus patrem abstineret, HERIBERTVM tamen, BERNARDI ducis fratrem, crudeli ac ferali sententia, oculis priuatum in Italiam deportari iussit, eiusque consobrino, ODONI, armis ignominiae caussa spoliato, aqua et igni interdixit, alios imperatoris amicos et comites, in vincula coniecit, eoque exemplo, capitale esse fidei patri praestitae crimen, satis testatum fecit. Interim LOTHARIVS rem publicam suo arbitrio, at patris tamen nomine, constituit, ac proinde *eius vitae* auctor (r) *eum solo nomine imperatorem, illam aestatem transegisse*: NITHARDVS (s) vero *sub libera custodia cum* CAROLO *filio* (t), *habitum* esse, tradunt. Miserrima ergo fuisset imperatoris conditio, nisi id vnum habuisset tot malorum adleuamentum, quod LVDOVICVM, Boiariorum regem, huc vsque ab illa factione alienum esse, sciret. Quum enim hic solus a fratrum consiliis dissideret: in eo etiam spem omnem collocauerat pater infelicissimus, idque est, quod obseruat THEGANVS (u), dilectum *filium eius aequiuocum prohibuisse, quo minus dominum imperatorem de regno expellerent.* Quod quomodo contigerit, NITHARDVS (x) potissimum prodidit memoriae. Admittebatur nimirum ad imperatorem, eiusque filium, monachorum turba, quae partim consolandi defungeretur officio, partim

[q] *Vita Ludouici pag.* 393. *Annal. Bertin. ad a.* 830. Nithard. *lib. I. pag.* 436.

[r] *Pag.* 393.

[s] *Lib. I. pag.* 436.

[t] Ait Nithardus: *et Lotharius quidem, eo tempore re publica adepta, patrem et Carolum sub libera custodia seruabat, cum quo monachos, qui eidem vitam monasticam traderent, et eamdem vitam illum adsumere suaderent, esse praeceperat.* De patre ne haec intelligenda sint, an de filio, paene ambiguus haereo, quia verborum nexus posteriorem interpretationem videtur requirere: at quia Carolus tum adhuc infans erat, qui certi quid de rebus suis statuere per aetatem nondum poterat: potius id de patre accipiendum esse, aliquis existimauerit. Nihilominus de Carolo hunc locum capio. Monachorum enim institutione vix indigebat Ludouicus, qui *tradere illis vitam monasticam*, quam ab illis traditam accipere rectius potuisset. At puero necessaria videbatur illa institutio, quem cucullum pro purpura eligere, eo magis intererat Lotharii, quo minus ei placebat postrema illa regni partitio, quoque magis verendum erat, ne ei in posterum a patre multo plus, quam reliquis fratribus tribueretur.

(u) *Cap.* 36. *pag.* 310.

(x) *Lib. I. pag.* 437.

BIU Cujas

partim puero vitae monasticae praestantiam exquisitissimis argumentis commendaret. Hi homines, pertaesi improbitatis, cuius noua quotidie exempla animaduertebant, operas suas addicebant imperatori, si restitutus in integrum, se bene rei publicae praesuturum, et cultum in primis diuinum curae cordique habiturum polliceretur. Id vero quum non difficulter sponderet, repertus est GVNTBALDVS, monachus (y), qui sub religionis specie cum ad PIPPINVM, qui non procul hinc aberat, tum maxime ad LVDOVICVM in Boioariam proficiscebatur, et vtrique spem faciebat amplioris regni, si patrem a LOTHARII fratris iniuriis vindicarent. Quibus promissis excitati hi filii, suam quisque gentem, in procinctu esse iusserunt, omnesque vocabant ad signa, qui saluam esse cuperent rem publicam. Interea de indicendis comitiis cogitatum. Quae quum Lotharius patri; hic filio inimica esse cuperet: de loco, quo conuocandi essent proceres, diu disceptatum est. Nam, teste *vitae Ludouici* auctore (z), ii, qui patri male cupiebant, conuentum illum in Francia haberi volebant. Imperator, *qui diffidebat Francis, magisque se Germanis credebat*, id agebat per suos, vt in Germania, vel ambarum prouinciarum finibus vtriusque Franciae optimates confluerent, eaque sententia, magno illius bono praeualuit (a). Electa ergo Neomagum, vrbs ad Vahalim celeberrima, quo kalendis Octobribus non modo magna seditiosorum turba, sed et multo maior Germanorum multitudo, imperatori auxilio futura confluxit. Iam antea prudenter per suos cauerat imperator, ne quid nouarum turbarum in Gallia oriretur, ea cura LAMBERTO comiti, et HELISACHARI abbati demandata. Nec minus opportune edicto cautum fuerat, ne quis ibi, nisi *cum simplici commeatu*, id est, sine armatis hominibus adesset. Quod edictum quum nihili fecisset HILDVINVS, abbas potentissimus, sed suspectae fidei homo (b), isque copias armatas adducere non dubitasset: impera-

(y) Fuisse hic monachus videtur Aquitanus, qui PIPPINVM in ea expeditione, more istius saeculi, fuerat comitatus: et hinc eius opera opportune vsus est LVDOVICVS imperator ad Pippinum sibi conciliandum. Iam in monasterio Karoffensi Aquitanico saeculo VIIII. floruit GVNDBALDVS *abbas*, cuius mentio fit in *Nominibus monasteriorum, quibuscum Augiense saeculo illo societatem habuit*, apud Mabillon. *Analect. tom. IIII. pag. 644.* Et potuit sane monachus noster, tam bene de imperatore meritus hanc abbatiam remunerationis caussa accepisse.

(z) *Pag. 393.*

(a) *Ibid.* et *Annal. Bertin. ad a. 833.*

(b) Celeberrimus hic illo tempore abbas, monasterio S. Dionysii iuxta Parisios

perator, tantis auxiliis fretus lacertos mouit, et hominem ingratiſſimum grauiter obiurgatum e palatio exeſſe, iuſſum iuxta Paderbornam ſub tentoriis hibernare coëgit: nec minus Walam, perfidiae procul dubio non minus ſuſpectum, Corbeiam in monaſterium ſuum relegauit, eoque exemplo ita perterruit ſeditioſos, vt, quo ſe verterent neſcii, noctem totam apud Lotharium peruigiles agerent, eique, vt aut manum cum patris copiis illico conſercrent, aut ſecum inſalutato patre diſcederet, perſuadere conarentur. At pater ſe iam ſuperiorem eſſe animaduertens, LOTHARIO ſummo mane per certos homines denunciat, vt deſerta perfida illa factione, ad ſe ſine mora veniat,

riſios praefuit, S. Walloni abbati ſucceſſor datus anno 814. poſtea et monaſteria S. Medardi Sueſſionenſis et S. Germani prope Lutetiam rexit, ipſa archicapellani dignitate functus circa annum 818. denique quum magna Ludouici imp. gratia floruiſſet, ſubito ab eo ad Lotharium defecit, et hinc in Saxoniam hoc anno relegatus dicitur. Coint. *Annal. eccleſ. Gall. ad annos* 814. 817. 818. 830. *ſeqq.* Quae ipſa eſt haec relegatio, cuius iam ex *auctore vitae Ludouici pag.* 393. fecimus mentionem. Reſtitutus tamen anno inſequente priſtinae dignitati *Areopagitica* illa ſcripſit, quae *Coloniae* 1562. prodierunt, quibuſque inter primos oſtendere conatus eſt, Dionyſium illum Areopagitam, cuius *Act. XVII*, 34. fit mentio, eumdem eſſe cum illo, quem Galli apoſtolum venerantur, eumdemque genuinum ſcriptorum, quae ſub eius nomine circumferuntur, auctorem habendum. Cuius futiliſſimi operis patrocinium contra Boſquetum alioſque viros doctiſſimos magno quidem cum adparatu, at infeliciter, ſuſcepit Andr. du Sauſſay *de myſtic. Gall. ſcript. pag.* 346. *ſequ.* quum cauſſam omnem Io. Dallaeus *libro de ſcriptis Dionyſii Gen.* 1666. iam pridem perorarit. Obiiſſe dicitur homo ingratiſſimus, et peſſime de domino ſuo meritus in monaſterio S. Medardi anno 842. Sed id falſum eſſe oportet, ſi is eſt idem *Hilduinus*, qui apud Lotharium imp. archicancellarii munere functus eſt, cuius vice Rudmundum et Rinaldum anno 844. et 848. diplomata iſtius principis recognouiſſe, docet Bern. Mallinkrot *de cancell. et archicanc. imp. pag.* 18. Quibus nos addimus diplomata Lotharii anni 848. apud Baluz. *Capitular. tom. II. pag.* 1458. anni 855. apud Calmet *Probat. hiſt. Lotharing. tom. I. pag.* 506. Saltim in eo alucinatus eſt doctiſſimus Mallinkrotius, quod Hilduinum noſtrum poſtea ad epiſcopatum Virdunenſem euectum exiſtimat. Hilduinus enim Virdunenſis ab Abbate illo diuerſiſſimus, per omnem vitam Ludouico Pio adhaeſit, eoque mortuo Caroli Calui partes ſectatus, et, vt Bercar. in *Hiſt. breui epiſc. Virdun. cap.* 17. notat, *magno odio habitus*, vita exceſſit circa annum 854. Calmet *dans l'hiſtoire de Lorraine tom. I. liv. XIII. pag.* 636. At idem Calmet in *probat. tom. I. pag.* 303. adfert diploma Lotharii ſcriptum anno 840. in quo iam ſucceſſorem HILDVINI in abbatia S. Dionyſii vocat *virum venerabilem et propinquum ſuum* HLVDOVVICVM, HILDVINVM autem *venerabilem vocatum archiepiſcopum, herique palatii ſui notarium ſummum.*

BIU Cujas

veniat, et secum communes hostes persequatur. Paret filius, quamuis fremente rebellium turba, et viribus suis diffisus, patrisque de pietate ac mansuetudine certus, palatium statim ingreditur. Pater vero supplici tam facile ignouit, vt ne acrius quidem increparet tam indignum tanto patre filium. Vix vero interiores palatii partes intrauerat, quum iam in furorem actum promiscuum vulgus concurreret. Veritis enim seditiosis, ne quid tristius LOTHARIO accidisset, iis vero, qui imperatori fauebant, ad quemuis tumultum sedandum paratis, res procul dubio ad manus venisset, nisi imperator vna cum filio in publicum processisset. Quorum conspectu, accedente graui imperatoris oratione, tanta subito facta est rerum commutatio, vt nemo quidquam audendum sibi existimaret. Quem quidem rerum euentum reputanti, numquam mihi clarius emicuisse videtur optimi principis maiestas, quam quum omni paene imperio spoliatus abbates potentissimos oratione in exsilium ageret, LOTHARII pertinaciam paterno iussu frangeret, plebem furibundam sola oculorum acie compesceret, totumque consensionis globum sine vi belloque dissiceret. Actum iam fuisset de rebellibus, nisi eorum crimine maior fuisset imperatoris clementia. Iam enim prehensi coniurationis auctores in vinculis erant, iam in comitiis accusati ac conuicti, communibus omnium procerum, ipsiusque LOTHARII suffragiis, feralem sententiam audiuerant, nihilque reliqui videbatur, quam vt inauditum scelus dirissimis suppliciis expiarent, quum imperator sui memor, omnibus eatenus ignosceret, vt clerici aeque ac laici in monasteria detrusi de se ipsis supplicium sumerent (c). Haec nemo adcuratius litterarum consignauit monimentis, quam saepe laudatus astronomus, cuius diligentia destituti hodie pleraque ignoraremus. At id mireris merito, virum diligentissimum, et comperta scribentem, vix pauciſſimorum, qui tum perduellionis crimine se polluerint, nomina expressisse. Siue inuidiam metuerit, siue famae eorum, quorum vitae imperator pepercerat, parcendum putarit: minus solidam ea verecundia gratiam iniit a posteris, qui hic vix quidquam hodie

(c) Inter hos triste exsilium fuit Walae, abbatis Corbeiensis, a Ludouico relegati in lacum Lemanum, et *altissimae arctissimaeque specui, quo nullus esset accessus, conclusi.* Paschas. Ratbert. in *Vita Walae* apud Mabill. *Annal. Bened. saec. IIII. part. I. pag.* 502. Sed solet hic auctor omnia, quae illi homini contigerunt, ita exaggerare, vt vix vllus confessor plura passus videri posset, quam perduellis ille pertinaciſſimus.

BIU Cujas

hodie, niſi per nebulam vident (d). Nec rectius et hic, et reliqui annalium ſcriptores paene omnes, interfuiſſe his comitiis LVDOVICVM noſtrum, eumque praecipue LOTHARII fratris conſilia turbaſſe diſſimulant, quod tamen recte obſeruans THEGANVS (e): *ibi*, inquit, *fuit* AEQVIVOCVS FILIVS *eius, qui in omnibus laboribus patris adiutor eius exſtitit.* Exitus ergo comitiorum is fuit, vt damnatis perduellibus, LOTHARIVS fidem patri iuraret, regnoque Italiae in praeſens contentus eſſe iuberetur (f), Ludouicus vero priſtinum faſtigium, plenamque auctoritatem veluti poſtliminio reciperet.

X. Repreſſo tam ferali tumultu, imperator, veluti ſibi redditus, Aquiſgranum cum LOTHARIO filiiſque reliquis repetiit, ibique hiemem illam exigere ſtatuit. Vt vero omnia in priorem locum reſtitueret, nihil prius, nihilque antiquius habuit, quam vt IVDITHAM, eiuſque fratres, ab inimica factione in monaſteria detruſos, reuocaret. Quam menſe Februario anni 831. aduentantem benigniſſime quidem, vt credere par eſt, excepit, at non prius recepit in torum, quam adulterii ſuſpicionem, vt ſuperiore anno Neomagi decretum fuerat (g), eo, quem leges praeſcripſerant, modo a ſe eſſet amolita. Conuocatis ergo proceribus, primum ea, quae Neomagi decreta

(d) Fuere in eo numero HVGO, Lotharii ſocer, cuius ſtemma genealogicum ſupra *cap.* 4. §. 14. (m) *pag.* 790. dedimus. Quare vix dubitandum, quin et reliqui eius propinqui, et maxime LVTARDVS et ADALARDVS filii, nec non GERARDVS, ERMENGARDIS, LOTHARII VXORIS, conſobrinus in eadem factione fuerint. Deinde inter rebelles iſtos numerantur IESSE, epiſcopus Ambianenſis, quem Theganus *cap.* 36. in hoc ipſo conuentu ſacerdotio priuatum eſſe teſtatur, itemque WALA et HILDVINVS, abbates, quorum de perſonis factisque iam alibi diximus. Denique memorantur MATFRIDVS, comes Aurelianenſis, quem malorum omnium incentorem cum aliis ſeditioſis in Italia anno 836. deceſſiſſe, tradunt auctor *Vitae Ludouici pag.* 412. Theganus *de geſt. Lud. cap.* 55. *Annal. Bertin.* et reliqui *ad a.* 836. LAMBERTVS comes ſiue Andegauenſis, ſiue Nannetenſis, eodem anno mortuus. *Vit. Ludou. ibid.* Vid. Murator. *ad Ermold. Nigell. de reb. Ludou. Pii lib. III. not.* 98. et WARINVS, comes Aruernorum, dux vocatus a Nithardo, *lib. IIII. pag.* 483. marchio in diplomate Caroli Calui, de quo, quod dicam, non habeo, niſi quod in mox ſequutura rebellione a Ludouico Pio, eoque mortuo a filiorum natu minorum partibus ſtetiſſe videatur. Vid. *Vit. Ludouici pag.* 405. Chron. *e Biblioth. Memmiana ad a.* 841. Interfuit etiam rebellium iſtorum turbae HELISACHAR abbas et archicancellarius, de quo infra plura dicemus.

(e) *Cap.* 37.

(f) Thegan. *ibid.* Nithard. *lib. I. pag.* 437.

(g) *Annal. Bertin. ad a.* 830.

BIU Cujas

decreta fuerant, firmantur, hinc IVDITHA admiſſa in concilium, paratam ſe eſſe teſtabatur, ad omnia crimina, quae de ſe in vulgus ſparſa eſſent, diluenda. Quum ergo publice citatis illis, qui auguſtam probri conuincere vellent, nemo, vt fit, adeſſet: imperatrix imperatore et filiis eius praeſentibus praeſto conceptiſſimis verbis iureiurando purgauit pudorem ſuum, et iuſſu GREGORII, papae, de communi principum eccleſiaſticorum ſententia, iuſtae vxoris honorem recuperauit (h). His peractis, imperator PIPPINVM in Aquitaniam, Ludouicum in Bauariam dimiſit, nouumque conuentum in Maium menſem Ingelhemium indixit; ipſe vero Aquiſgrani dies paſchatos feſto adparatu, vti conſueuerat, celebrauit. Ingelhemii et Lotharium honorifice excepit, et rebelles capitis antea damnatos, libertatique et fortunis poſtea reſtitutos in gratiam recepit (i), laudabili quidem, at pernicioſa, ſi euentum reputemus, indulgentia (k). Soluto eo conuentu LVDOVICVM Pium in Voſagi iugis venationibus et piſcationibus vacaſſe, LOTHARIVM iuſſu patris in Italiam diſceſſiſſe, ait *Vitae Ludouici* auctor (l): *Annales* vero *Bertiniani* (m) eum adhuc comitiis auctumnalibus Theodoniſuillae eodem anno habitis interfuiſſe, ſcribit. Quod ego magis crediderim, quia et THEGANVS (n) refert, adfuiſſe tum BERNARDVM, Septimaniae ducem, crimina ſingulari certamine purgaturum coram imperatoriis filiis LOTHARIO et LVDOVICO, ſi accuſator aliquis eſſet adfuturus, nullo vero, qui id certamen obire vellet, reperto, eum iureiurando calumniam eliſiſſe (o). His ergo demum ſolutis comitiis, et patre reuerſo Aquiſgranum, Lotharius in Italiam videtur profectus.

XI. Quam-

(h) *Annal. Bertin. ibid.* Thegan. *cap.* 37. *Vita Ludou. pag.* 395.

(i) At fuere tamen quidem, quos biennio poſt demum ab exſilio reuocarunt imperatoris filii, veluti WALA et HELISACHARVS, abbates, et MATFRIDVS, comes. Nithard. *de diſſenſ. fil. Ludou. lib. I. p.* 438. Sed ſciendum, hos adeo pertinaces fuiſſe, vt adſpernati ſint hanc imperatoris clementiam. Memoriae enim prodidit Paſchaſ. Ratbert. in *Vita Walae*, *pag.* 502. Walam libertatem ea lege ſibi oblatam, vt ſe peccaſſe fateretur, et in poſterum imperatori pareret, repudiaſſe, cauſſatum conſcientiam. Ob quam rem eum primum in nouum monaſterium, in inſula quadam verſus Pictauos ſitum, atque inde in coenobium quoddam Germanicum relegatum, poſtremo Corbeiam remiſſum, ſed ita, vt ibi amiſſa dignitate abbatis priuatus viueret.

(k) *Vit. Lud. ibid. Annal. Bertin. ad a.* 831.

(l) *Ibid. pag.* 395.

(m) *Ibid. pag.* 187.

(n) *Cap.* 39.

(o) *Vit. Ludou. Annal. Bert. ibid.*

BIU Cujas

XI. Quamuis vero iam defunctus omni periculo videretur pater infeliciſſimus: mox tamen nouum incendium, male ſopitum, in flammas tanto pernicioſiores erupit. Promiſerat pater Pippino et Ludouico nauatae ſibi operae praemium, regni augmentum, idque promiſſum iure quodam ſuo ſibi vrgere videbantur. Iam patrem quidem ſtetiſſe promiſſis, et vtriuſque regnum auxiſſe teſtatur NITHARDVS (p): ſed aut priuatim id factum eſſe oportet, aut acceſſio illa tam exigua fuit, vt non ſatisfieret iuuenum ferociſſimorum cupiditati. Saltim ſibi non eam gratiam, quam meruiſſe ſibi exiſtimabant, relatam, vterque querebatur. Accedebat nouus in palatio tyrannus, GVNTBALDVS, monachus, qui, quod pro liberando principe ſtrenuam operam nauaſſet, in aula loco BERNARDI dominabatur, rationeſque omnes PIPPINI et LVDOVICI, ſe primo in poſterum loco apud patrem futuros, ſperantium, facile turbauit (q). Quod adeo momordit iuuenes, vt ſeſe a patris amicitia plane ſeiungerent. Alienum a patre animum iam hoc ipſo anno 831. primus prodidit PIPPINVS, dum ad comitia Theodoniſuillenſia venire iuſſus, parere primum noluit, poſteaque, frequentibuſque legationibus accitus, tardiſſime, et quum iam pridem diffluxiſſet procerum concilium, paucis ante natalem Chriſti diebus adfuit (r). Imperator nouam hanc pertinaciam aegre ferens, eum parum honorifice, teſte *annalium Bertinianorum* conditore exceperat, et inuitum diutius, quam vellet, Aquiſgrani detinere decreuerat. At ille morae impatiens, ineunte anno 832. ipſo Innocentium die, intempeſta nocte e palatio, tamquam e carcere, fugit, et inconſulto patre rediit in Aquitaniam. Dici non poteſt, quam ea res perturbarit patris animum, quem prioris ignominiae memoria nihil moderabile ſperare a tam inſolente filio patiebatur. Statim ergo ſuos, quid factu opus videatur, conſulere in medium iubet. Suadent omnes, vt comitia frequentiſſima Aurelianos indicat, ad eaque et Lotharium ex Italia, et Ludouicum ex Boioaria euocet. In his, niſi Pippinus imperata faciat, capiendum eſſe conſilium, nec difficile fore, eum, priuſquam ingraueſcat malum, de communis procerum ſententia in ordinem cogere. Id conſilium et imperatori placet, qui ſtatim miſſis legationibus et edictis propoſitis, illum conuentum indicit, procereſque Aureliani frequentes adeſſe iubet. Enimuero haec agentem, et veluti iam vaſa con-

(p) *Lib. I. pag.* 437.
(q) Nithard. *ibid.*
(r) *Vita Ludou. Pii pag.* 396. *Annal. Bertin.*

BIU Cujas

clamantem nouus percellit nuncius, LVDOVICVM quoque filium, quem adhuc semper obsequentissimum habuerat, cum valida Boiorum et Slauorum manu inuasisse Alamanniam, CAROLO iam pridem attributam, eius prouinciae principes sollicitare, fidei tenacioribus ferrum flammasque minari, immo ita componere rationes, vt multo maiora concupiscere, et praeter Alamanniam, etiam Franciam, et quidquid patri armis extorquere posset, adiicere velle videatur: quo consilio eum iam ad monasterium S. Nazarii Laureshamense peruen sse, mox iturum vlterius, nisi mature imperator rebus suis esset consulturus (s). Animaduertit pater, LOTHARIVM sibi id negotium facessere (t), consultissimumque fore, incendium illud, priusquam inualesceret, exstinguere. Conuocatis ergo ex vtraque Francia et Saxonia copiis, iisque a. d. XIIII. Kal. Maias praesto sibi esse iussis circa Moguntiam, cum vniuerso exercitu, Rheno Moenoque transmissis ad Triburiam castra posuit. Contra LVDOVICVS filius Langhardhemii, (hodie *Lambersheim* iuxta Weinheimium,) cis Rhenum haerebat, exspectans proceres Alamannorum, quos eius fidem illico veluti ex compacto sequuturos esse, illi a MATFRIDO fuerat persuasum. Alioquin enim tumultuarium ducebat exercitum, non modo ex hominibus liberis, sed et ex seruili colluuie, quam praeter morem patrium (u) ad signa vocauerat, conflatum, ideoque facile

(s) Thegan. *de gest. Ludouici Pii cap.* 39.

(t) Hunc quoque motum excitauit LOTHARIVS, qui in Italiam veluti relegatus, et eo regno contentus esse iussus, non desiit patri facessere negotium, fratresque aduersus eum irritare. Testem huius rei Theganum habemus, qui *cap.* 39. *pag.* 311. *alio vero anno*, inquit, *post pascha auditum est, quod aequiuocus filius eius* CVM CONSILIO LOTHARII *voluisset visitare patrem inhoneste, et venit vsque ad monasterium S. Nazarii.* Nescio ergo, an satis prudenter imperator filium sibi infensum, et parte regni mulctatum miserit in Italiam, vbi promta illi esset res nouas moliendi occasio. Eiusdem tragoediae pars non minima fuit MATFRIDVS, cui imperator superiore anno gratiam supplicii fecerat, multis vanis promissis lactans Ludouicum, eique spem faciens, fore, vt omnes Alamanniae et Franciae orientalis proceres a patre deficerent, seque Ludouico dederent. *Annal. Bertin. ad a.* 832. Adeo periculosum est ignoscere rebellibus, quibus plerumque cum vita et libertate noua omnino peccandi licentia datur.

(u) Numquam Germani, et Franci maxime, seruilis conditionis homines militare patiebantur, non sine ratione veriti, ne fraena morderent, si armis adsueti Spartarum aliquem ducem inuenirent. Hinc semper honorificum apud Germanos fuit *militis* nomen, quia id num-

BIU Cujas

cile animaduertit, imparem se fore patri, ad quem vndique copiae lectissimae et rebus omnibus instructae confluxerant. Hinc quum praeterea non paucos suorum fuga dilabi, et ad imperatorem deficere intelligeret, motis castris praecipiti itinere in Boioariam redit, futurum sperans, vt ibi nouis copiis auctus patris impetum vtcumque sustineat (x). At pater filio nullum ad respirandum tempus relicturus eum e vestigio persequitur, et ducens exercitum per Alamanniam, quam vbique ferro flammisque vastatam cum dolore vidit, Augustam Vindelicorum peruenit. Belli exitus fuit, vt filius patri supplex fieret Augustae, et impetrata venia, fideque in posterum iureiurando promissa, in Boioariam rediret, imperator, dimisso exercitu, Salzam (y), vbi imperatrix ipsi occurrebat, atque inde nauibus

numquam cum faece illa hominum communicari videbant. Guntherus sane in *Ligurino*, *lib. II. v.* 151. *seqq.* eo nomine miratur gentem Langobardicam, quae nullum ea in re delectum habuit,

Vique suis omnem depellere finibus hostem
Posset, et armorum patriam virtute tueri,
Quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia foedum
Iudicat, accingi gladio concedit equestri.

Quid? quod notae sint ipsae Francorum leges, seruos vel rusticos arcentes a militia, liberosque dumtaxat admittentes, quibus quatuor mansorum erat possessio, *Capitular. a.* 812. *§.* 1. apud Baluz. *Capitular. tom. I. pag.* 489. seruos vero ne lanceam quidem fere permittentes. *Capitular. lib. V.* §. 227. et *lib. VI.* §. 271. Aliquando tamen et serui in re trepida ad signa vocabantur, quemadmodum Trasimundus marchio apud Mabillon. *Annal. Benedictin. saec. VI. part. I. pag.* 488. *plures populares et rusticanos depraedandi caussa in comitatu habuisse* legitur. Quod eo minus mirandum, quo notius est, ne Romanos quidem, si Hannibal esset ante portas, seruos armare dubitasse. Lipsi. *de milit. Rom. lib. I. dial. II. pag.* 22. et in *Analect. ad h. l. pag.* 414. *tomo III. Oper.*

(x) Thegan. *cap.* 39.

(y) *Annalista Bertinianus ad a.* 832. Ludouicum imperatorem *per* AVSTRIAM *ad* SALZ, *et inde nauali itinere Moguntiam venisse* scribit. SALZA, quae veteribus etiam *Salsa*, *Salisa*, *Saloissa*, *Salisa*, et *Selz* in *Itinerario* Antonini Pii *Salisso*, a Dithmaro Merseburgensi *lib. IIII. pag.* 357. *Celsa*, hodie *Selze* dicta, notissimum est oppidum et olim palatium, ad Rhenum, intra Alsatiam, vbi olim Adelheidim augustam, Ottonis M. viduam, celebre monasterium condidit, de cuius fatis consulendi Odilo in *Vita Adelheid. cap.* 7. *pag.* 265. apud Leibnit. *Script. rer. Brunsu. tom. I.* Freher. *Orig. Palat. parte II. pag.* 77. et Toelner. in *Histor. Palat. pag.* 108. Eo peruenisse imperator dicitur per AVSTRIAM. Iam Austriam plerique interpretantur de pago vel tractu Herbipolensi, de quo plura Paullini *in Geograph. pag.* 18. Eccard. *Corp. hist. tom. I. pag.* 601. et abbas Gottwicensis in *Prodrom.*

uibus Moguntiam, demum, vt ex THEGANO (z) patet, Francofurtum proficiſceretur. Adfuit ibidem et Lotharius, quem ex Italia euocatum diximus, quo praeſente, et ſuſpicionem omnem concitati fratris a ſe male amoliente, comitia Aurelianenſia, tumultu iſto Boioarico turbata, in futuras kalendas Septembres indicuntur (a).

XII. Ad conuentum iſtum imperator cum ſuis mature proficiſcebatur, data etiam hoſtibus facultate eo veniendi, ſi quam ſibi iuſtam querendi cauſſam habere viderentur (b). Euocatus fide publica fuerat etiam PIPPINVS, cuius inſolentiam tum pater vel ideo maxime pertimeſcebat, quod BERNARDI, Septimaniae ducis, imperatori iam infenſi, conſiliis vti diceretur (c). Sed is patris conſpectum fugiens, in Aquitania haerebat, nec vllis cohortationibus moueri patiebatur, vt ſupplex fieret patri, fratrumque exemplum ſequeretur. Hinc pater, ſolutis comitiis cum expedita manu, tranſmiſſo Ligeri, in Limouicinum ad palatium Iocundiacenſe mouit. Tum demum PIPPINVS, deſperatis rebus ſuis, inuitus patri obuiam proficiſcitur. Sed hic iam ſolito ſeuerior, filio non ſolum fugam verbis triſtioribus exprobrat, verum etiam eum cum familia in Franciam ire iubet, ibi certo loco, quo viſum patri fuerit, tamdiu moraturum, donec emendati animi certiora indicia adparerent (d). Nec minus ſuccenſens BERNARDO, duci, tamquam ſibi filium ex inſano furioſum reddenti, et priſtinorum beneficiorum immemori, eum, quamuis non adeo certis argumentis conuictum, honoribus ac beneficiis exuit, atque iis rebus confectis in Franciam redire ſtatuit. Sed PIPPINVS, obſequium ſimulans, cum cuſtodibus ſibi adiunctis Treueros, quo exſulatum eum mittere pater

lib. IIII. pag. 553. Sed quis crediderit, Ludouicum imp. *Salzam* petiturum tranſmiſſo Danubio ad Moenum, ac inde ſuperatis Nicro et Rheno Salzam iuiſſe, vt nauibus Moguntiam veniret, quum recta, et multo breuiore, via Herbipoli Moguntiam iter facere potuiſſet? maxime quum in mora eſſet periculum, neque imperatori tunc liceret quaſi per ocium luſtrare prouincias. Aut ergo Auſtria hic eſt tota orientalis Francia, aut in mendo cubat ille locus, legendumque *Albigouia*. Per eum enim pagum, Salzae cis Rhenum oppoſitum, de quo idem abbas in *Prodr. Gotwic. ibid. pag.* 534. iter faciendum fuit Ludouico imperatori, Auguſta Vindelicorum recta via Salzam ituro. Nihil facilius fuit, quam pro tractu ignoto, notiorem in chartam coniicere.

[z] *Cap.* 40.

[a] *Annal. Bertin. ad a.* 832.

[b] *Annal. Bertin. ibid. adnunciatum eſt, ibi vnumquemque hoſtem libere adeuenire.*

[c] *Vita Ludou. pag.* 196.

[d] *Annal. Bert. ibid. Vita Ludouici ibid.* Thegan. *cap.* 41.

BIU Cujas

ter decreuerat, proficiſcitur. Vix vero ad Theoduuadum (e) palatium peruenerat (f), quum, deceptis cuſtodibus, fugam iterum capeſſeret, et per Aquitaniam hac illac vagaretur, ſperans procul dubio, imminente hieme coactum iri patrem, vt exercitum re infecta in hiberna reducat, ſeque, eo abſente occaſionem, res ſuas ſtabiliendi, nacturum. Neque fefellit eum opinio, Imperator enim omnia ad menſem vſque Nouembrem expertus, vt filium perditiſſimum ad officium reduceret, inclementiſſima hieme exercitum ex Aquitania reducit, et tranſito ad Reſtim Ligeri, ſed tanta cum clade, vt adſtricta glacie humo pleriſque equis ſolea e deciderent, ipſeque demum circa Chriſti natalem cum copiis ſuis haud parum deminutis ad Cenomanos (g), inde celebratis feriis natalibus, Aquiſgranum feſtinato itinere veniret (h).

XIII. Antequam ſignum receptui daret imperator, circa miſſam S. Martini, id eſt, a. d. III. Id. Nouembr. conuentum populi in Aquitania, teſte ASTRONOMO (i), habuit. In quo quid actum ſit, ex iis, quae iam diximus, non difficulter intelligitur. Offenſus enim filii pertinacia ei Aquitaniam ademit, et prouinciae proceres illi in poſterum dicto audientes eſſe vetuit. Quod quidem vitio fortaſſis verti non poſſet patri adflictiſſimo, niſi ea occaſione denuo oſtendiſſet, ſe totum a IVDITHAE auguſtae nutu pendere. Regnum enim illud ampliſſimum iam CAROLI portioni adiecit, eiuſque

[e] THEODVVADI, palatii paſſim mentionem faciunt veteres, et quidem praeter Theganum *cap.* 41. Auctor *Vitae Ludouici Pii ad a. 796. pag.* 344. et Ermold. Nigell. *de rebus Ludouici Pii, lib. II. v.* 94. vbi ille ita deſcribitur:

Trans fluuium Ligeris locus eſt, quippe vber et aptus,
Cingitur hinc ſiluis, hinc quoque planicie.
At medius placido fluuiorum gurgite vernat,
Piſcibus eſt habilis, eſt locupleſque feris.
Quo Hludowicus ouans praeceſſa palatia ſtruxit.
Quaeris ineſt Theoduuat, nomen amice ſibi.

Veſtigia nominis et palatii ſupereſſe et hodie dicuntur in dioeceſi Andegauenſi in vico, quod hodie *Doadum*, ſeu *Doue* adpellatur. De eo plura Hadr. Valeſ. *Notit. Gall. ſub illa voce*, Mabillon. *de re diplom. lib. IIII. cap.* 142. et Ludou. Ant. Murator. *ad Ermold. Nigell. loc. laudat. nota* 15. Et ſane tabulae geographicae hunc vicum ſiſtunt vltra Ligerim infra Andegauorum vrbem, vt adeo Ligerim nondum ſuperarit PIPPINVS, quum fuga eum in Aquitaniam auferret.

[f] Thegan. *ibid.*

[g] *Vita Ludouici pag.* 397. *Annal. Bertin. ad a.* 832.

[h] *Vita Ludouici ibid. Bertin. ad a.* 833. Thegan. *cap.* 41.

[i] *Vit. Ludouici pag.* 397.

BIU Cujas

iusque ordines in filii istius natu minimi verba adegit, atque adeo totum imperium inter LOTHARIVM et CAROLVM ita diuisit, vt hic Alamanniam, Burgundiam, et Aquitaniam; ille, praeter Boioariam, reliqua omnia, patre mortuo, sortiretur. Testes eius rei locupletissimos habemus NITHARDVM (k) et ASTRONOMVM (l), quorum ille: *per idem tempus*, inquit, *Aquitania*, PIPINO *demta*, KAROLO *datur, et in eius obsequio primatus populi, qui cum patre sentiebat, iurat*: hic vero, rem paullo accuratius his verbis exprimit: *et tunc quidem imperator, inter filios suos*, LOTHARIVM *atque* CAROLVM, *quamdam diuisionem regni constituit, quae tamen ingentibus impedimentis, quae dicenda sunt, pro voto minime cessit.* Et sane non potuisset imperator vllum consilium rebus suis perniciosius capere. Nam primo ipse LOTHARIVS ideo patri succensuerat, quod Alamanniam et Burgundiam, portioni suae subtractam, Carolo attribuisset. Quanto aegrius eum laturum probabile erat, fratri iam et Aquitaniam, partem Galliae non minimam, adiici? Deinde LVDOVICVM nostrum non minus grauiter ferre oportebat eam diuisionem, in qua nec sui habitam rationem, et fratrem natu minimum sibi maiori nouercae artibus praelatum esse, indignabatur. Praeterea ita promtissima occasio erat cum PIPPINO, tum rebellibus, nouos excitandi tumultus, persuadendique aliis, patrem nouercalibus furiis instinctum abiurare naturam, male iudicare de sanguine suo, Pippinum, filium non male antea de se meritum, armis persequi, Treueros deportare, quin et regno exuere non dubitasse: neque alio consilio, ceu euentus ostenderit, id factum esse, quam vt spoliis istis locupletaretur CAROLVS. Hinc nullam LVDOVICI rationem esse habitam: LOTHARIVMque non ex beneuolentia quadam paterna, sed tantum, vt tanto plus attribui possit CAROLO, in partem vocatum. Rem ipsam monere, dandam aliquando esse operam, ne quid res publica, pessime per tot annos administrata, detrimenti capiat. Talia enim eo tempore iactata esse, testatur *vitae Ludouici* auctor (m): *humano porro generi pacique contrarius diabolus nequaquam ab infestatione imperatoris feriebatur: sed per satellitum suorum versutias filios sollicitabat, persuadens illis, quod pater illos vltro perdere vellet, nec considerantes, quod qui mitior hominibus externis esset, immanis non poterat effici suis. Sed quia*

[k] *Lib. I. pag.* 437.
[l] *Ibid. pag.* 397.
[m] *Ibid. pag.* 397.

BIU Cujas

quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, et lapidum etiam duriem mollis aquae guttula saepius illisa terebrare solet : tandem ad id ventum est, vt filios imperatoris in vnum cum copiis, quibus poterant, coire facerent. Cui adstipulatus NITHARDVS (n) *quod quidem*, inquit, *hi, quos supra retulimus, grauiter ferentes, vt res publica inutiliter tractaretur, diuulgant, populumque quasi ad iustum regimen sollicitant.* Et hic fuit exitus expeditionis Aquitanicae, qua tantum abest, vt tumultus ille a PIPPINO excitatus repressus sit, vt vel hac ipsa seueritate incredibile, non modo filiorum, sed et procerum ciuiumque odium aduersus imperatorem exarserit, insequente statim anno 833. in bellum istud ferale, quod LVDOVICVM Pium in summum periculum adduxit, erupturum.

XIIII. Nimirum iam annum ingredimur 833. quem singulari elogio in fastis suis signauit *Monachus Sangallensis* apud DVCHESNIVM (o) : *annus* 833. *Francorum dedecus.* Eo enim anno eamdem tragoediam spectarunt Franci, quem Hebraeorum res publica in DAVIDE vidit, nisi quod LVDOVICO imperatori non vnus ABSOLOMVS, sed eorum triga domi esset. Quamuis admiranda in eo eluxerit diuini numinis prouidentia, quod ex ipsa filiorum rebellium multitudine fructum aliquem caperet pater infelicissimus. Solutis comitiis Aurelianensibus, LOTHARIVS in Italiam, LVDOVICVS in Boioariam redierant. Sed audita illa inofficiosa diuisione, a patre facta, statim vterque cum PIPPINO aduersus patrem, nouercam, et fratrem consanguineum coniurauit. Neque deerant, huic factioni flabella. IVDITHA enim tam exosa erat omnibus, vt apud plerosque plus huius Medeae odium, quam summa optimi principis merita, valerent. Quum ergo satis animaduerterent coniurati, opus ad eam rem esse idoneis hominibus : primum WALAM, HELISACHARVM (p), MATFRIDVM, et similes, in his rebus exercitatissimos, partim

[n] *Lib. I. pag.* 437.

[o] *Tom. III. pag.* 468.

[p] Celeberrimum hoc est in eorum temporum annalibus nomen. Quum ergo de reliquis rebellibus plus satis dictum sit : huius etiam viri illustris notitiam aliquam dare operae fuerit pretium. Erat ille doctrina rerumque ciuilium vsu celeberrimus, dignusque, qui splendido archicancellariatus munere in Ludouici Pii palatio fungeretur. Vnde eius vice saepissime diplomata recognouisse legimus Arnoldum et Durandum. Bern. Mallinkrot *de archicancell. et cancell. imp. pag.* 15. Eo saepe in legationibus vsus fuerat Ludouicus Pius, saepe missi dominici functus fuerat officio, et ante biennium eum imperator reliquerat in

BIU Cujas

partim ex monasteriis extraxerunt, partim reuocarunt ab exsilio. (q) Deinde sua interesse existimabant, in partibus suis esse episcopos et clericos, quorum tanta et in comitiis, et apud populum, erat auctoritas, vt vel soli omnia pro lubitu in re publica agere posse viderentur. Id vero se non facilius consequuturos sperabant, quam si GREGORIVM Papam in partes suas pertraherent. Et huius animum facile flexit LOTHARIVS, caussatus patris iniquitatem, qua liberis e priore matrimonio susceptis regna semel data pro lubitu eripiat minuatque, impotentem nouercae dominatum, nefandas eius libidines, administrationem rei publicae pessimam, et ecclesiam simul pessumdaturam, nisi illi medela quam primum adferatur. Nec potuit profecto haec negligere pontifex, quum tot episcopi et abbates, imperatori antea deditissimi, iam easdem querelas ingeminarent, quos vix probabile erat sine caussa sontica principis alioquin pii partes deserere voluisse. Itaque facile se eo adduci passus est, vt non modo faueret liberis improbis, sed et comitem sese adiungeret LOTHARIO, expeditionem aduersus patrem suscepturo, cum eoque Alpes transscenderet. Nunciabantur haec imperatori, mense Februario adhuc Aquisgrani haerenti, filiique, quantascumque possent, conscribere copias ferebantur. Qua fama perculsus infelix pater non modo Alpium angustias, per quas LOTHARIO cum exercitu erat proficiscendum, occupari, praesidiisque firmari iussit, sed et ipse copias validissimas contraxit, fretusque vrbium

Gallia *ad iustitias faciendas*: vt merito mireris, hominem tam amicum imperatori iam inter rebelles numerari. Sed iam tum imperatoris aduersariis accesserat, ac ideo missus fuerat in exsilium. Iam vero ingratus homo denuo filiis imp. aduersus patrem fauit. Sed erat eo fidere natus princeps, vt omnes, quos extulerat, malam illi gratiam referrent. Ceterum non modo S. Maximini, Treuerensis, vid. diploma Ludouici Pii a. 821. apud Calmet *probat. tom. I. Histor. Lothar. pag.* 299. et S. Richerii Centulensis, Mabillon. *Annal. Bened. tom. II. pag.* 567. sed et plurium aliorum monasteriorum, et in his S. Albini Andegauensis abbas fuit, Ermold. Nigell. *de reb. Ludouici Pii, lib. III. v.* 306. quamuis numquam fuerit monachus, sed ordinis Canonicorum. Calmet *Hist. Lothar. lib. XIII. pag.* 623. *tom. I.* Laudatur ab Amalario, archiepiscopo Treuerensi, *in praefatione Antiphonarii*, tamquam *sacerdos dei, adprime eruditus, et studiosissimus in diuino cultu, nec non et inter primores primus palatii excellentissimi HLudouuici imperatoris, qui in versibus illius operis emendandis laborarit ac sudauerit.* Fertur et mulieres aditu coenobii S. Richerii prohibuisse, Mabillon. *Annal. Bened. tom. II. pag.* 567. et in summa imperatoris gratia decessisse anno circiter 837. Calmet *ibid. pag.* 623.

[q] Nithard. *Lib. I. pag.* 438.

BIU Cujas

vrbium Rhenanarum fide, ante mediae quadrageſimalis tempus Aquiſgrano primum Moguntiam, atque inde Wormatiam mouit, vbi et paſcha et pentecoſten feſto ritu celebrauit, exercitumque ſibi adeſſe iuſſit (r). Nec ſegnius filii ferale iſtud bellum gerebant, quorum copiae in Alſatia apud *montem Siguualai*, vti NITHARDVS (s) vocat, ac deinde inter Baſileam et Columbariam in planicie, quam *Annalium Bertinianorum* auctor illo tempore ROTFELTH ſeu *rubeum campum*, reliqui ſcriptores aequales poſtea CAMPVM MENTITVM vel MENDACII dictum eſſe, obſeruant (t), ex condicto conducebantur. Aderat iam et LOTHARIVS cum pontifice Romano, qui per Alpium anguſtias, ſiue adiuuantibus fratribus, ſiue praeſidiis nefarie diffugientibus, viam ſibi facile aperuerat. Imperator, ſimulac pontificem aduenisſe audiuit, in ſpem pacis erectus, legatos tum ad filios, tum ad ipſum pontificem miſit, illos ad obſequium hortatus, hunc amice obiurgans, quod cum ſe reconcinnandae pacis cauſſa aduenisſe ferat, ſe conuenire ceſſet. Qui id memoriae prodidit, *Vitae Ludouici* auctor (u) vnum ex hac legatione vocat BERNARDVM epiſcopum. At quum praeter Viennenſem tunc nullus reperiatur, qui id nomen tulerit, is vero, teſte ADONE VIENNENSI inter reos coniurationis fuerit: NIC. SCHATENIVS (x), BADVRADVM Paderbornenſem, imperatori ſemper fidum,

[r] *Annal. Bertin. ad a.* 833.

[s] *Lib. I. pag.* 458.

[t] Hunc campum ROTFELTH *iuxta Columb* ſitum fuiſſe, teſtatur *Annaliſta Bertinianus ad a.* 833. *Columb* procul dubio eſt Columbaria vel Colmaria, notiſſima Alſatiae ſuperioris ciuitas. Prope illum campum hunc detexiſſe videtur ſcriptor *Hiſtoriae Alſaticae* nouiſſimus, P. Ludouicus Aguille *lib. X. pag.* 112. ubi obſeruat, vix tribus leucis ab illa vrbe abeſſe planiciem, hodie dictam *Rouffac*, vel *Rubeacum*, eamque adlui amne, qui *Rotbach*, et hodie *Ohnbach* adpelletur. Hunc ergo eſſe ipſum campum *Rothfeld*, vel mendacii, et nomen et ſitus nos credere omnino iubent. Io. Schilterus tamen in *Epiſtola*, quam Mabillon. *tomo II. Annal. Benedictin. adpend. pag.* 739. edidit, eum campum inter Colmariam et Briſacum ſitum, hodie *Rotleube* vocari, tradit. Iidemne ſint *Ruffac* et *Rotleube*, an de diuerſis loquantur Laguillius et Schilterus, alii viderint. Vtinam et in *montem Siguualdi* eadem diligentia inquiſiuiſſent viri doctiſſimi. Sed huius illos ne meminiſſe quidem video. Ceterum niſi me omnia fallunt, non alius eſt ille *Siguualdi mons*, quam qui inter *Landſcronam* et *Lauffam* viſitur. Neque enim alii ibi occurrunt montes verſus Baſileam et Colmariam tendentibus. Et commodus is erat locus, vbi venientes ex Aquitania, Boioaria, et Italia copiae confluerent.

[u] *Ad a.* 833. *pag.* 398.

[x] *Annal. Paderb. lib. II. pag.* 93. *tom. I.*

BIU Cujas

dum, castraque eius procul dubio sequutum, intelligendum esse suspicatur. Sed ait ADO VIENNENSIS, Bernardum illum Viennensem inter primos fugisse. Itaque tum in castris Ludouici Pii esse, et ad filios mitti potuit, tunc demum discessurus, quum frustrata spe pacis omnes defectionem meditari intelligeret. Vtcumque se res habeat, legatione illa nihil aequi ab exacerbatis filiis impetratum est. Papa vero moras, vti antea, nectit, et hinc iustam suspicionem mouet imperatori, non conciliandae pacis, sed filios auctoritate sua iuuandi caussa, eum aduenisse (y). Abiecta spe pacis imperator Wormatia Alsatiam versus mouet, et in eodem mendacii campo, vbi iam antea filii castra habebant, hostibus exercitum suum circa Ioannis Christi praecursoris natalem opponit. Tum demum pontifex, vbi castra castris opposita, remque iam iam ad manus venturam, animaduertit, ad imperatorem ire constituit, a quo satis frigide exceptus, et in castrense deductus tentorium, multis verborum lenociniis persuadere conatus est imperatori, non ob aliam caussam se iter hoc molestissimum suscepisse, quam quod inexorabile odium aduersus filios concepisse diceretur: sibi vero iustum visum esse arbitri ac sponsoris partes suscipere, vt, si qua fieri possit, pax inter patrem filiosque sua opera coalesceret. Quamobrem et mandata filiorum exposuit. Reponebat imperator, quod prae-

[y] Auctor *vitae Ludouici pag.* 398. satis perspicue docet, imperatori suspectum fuisse papam, partim quod in castris filiorum, se insalutato, haereret, partim quod fama percrebuisset, eum excommunicationis fulmen minatum esse omnibus, qui suae filiorumque imperatoris voluntati essent aduersaturi. At idem auctor πολιτικώτατος refert, episcopos, qui, se ab imperatoris partibus stare, simularint, omnem ei metum eximere conatos esse, adfirmantes, *nullo modo se velle pontificis voluntati succumbere, sed, si excommunicaturus aduenisset, eum excommunicatum abiturum, quum aliter se habeat antiquorum canonum auctoritas.* Et Agobardus quidem *de comparatione vtriusque imperii* refert, se iussum esse ab imperatore aduersus papam scribere, ipsum imperatorem litteras dedisse ad episcopos omnes, qui imperio suo subessent, eosque fidei, quam sibi debeant, admonuisse, denique ipsos episcopos, quos secum tum habuerit, verbis satis duris ac minacibus scripsisse ad GREGORIVM papam, et inter Agobardi epistolas exstat GREGORII papae responsoria, verbis non minus acribus concepta. Sed euentus docuit, ludibrio hos homines habuisse optimum principem, et fortassis id egisse, vt imperatorem tanto magis aduersum papam irritarent, et huic eo iustior caussa esset, illum tamquam laesae maiestatis pontificiae reum vel diris deuouendi, vel exuendi imperio. Postquam enim intra teli iactum ventum fuerat, illi primi omnium desciuerunt ad hostes, et se haec omnia decipiendi principis caussa iactasse, re ipsa ostenderunt.

BIU Cujas

praesens tempus poscere videbatur, nihil eorum, quae filii postulabant, indulgens (z), et papam aliquot dies secum retentum, et multis muneribus, qualia et ipse papa obtulerat, honoratum, cum certis mandatis ad filios remittit (a). At nec rediit bellus iste pacis arbiter, et paullo post re ipsa compertum est, omnes illos, qui adhuc pro imperatore steterant, partim pecunia corruptos, partim illectos promissis minisue territos defectionem meditari (b). Hinc certatim episcopi et proceres ad filios transfugere, populus, duces sequutus turmatim, et vti *Vitae Ludouici* auctor (c) ait, *more torrentis defluere*, omnes denique principem, tamquam bidental, fugere, praeter DROGONEM, fratrem imperatoris, WILIRICVM et ALDERICVM, episcopos, cum aliis quibusdam episcopis et abbatibus, quibus fides ac honestas ante fortunam erat (d). Vna sane nocte maxima pars hominum tentoriis vacuis relictis clam ad filios imperatoris transfugit. Reliquos fidei tenaciores insequente mane ipse princeps sibi consulere iussit, pie professus, se nolle eorum quemquam propter se de vita, membris, fortuna periclitari (e). Die S. Paullo sacra tanta iam erat castrorum solitudo, vt gregarii, qui supererant, ipsi quoque bene de filiis imperatoris merituri irruptionem in praetorium minarentur. Quorum insolentiam pertimescens infelicissimus princeps deditionem facit, direptionem tantum

[z] Thegan. *cap.* 42.

[a] *Vit. Ludouici Pii pag.* 399. Thegan. *ibid.*

[b] Disertis verbis id notauit *vitae Ludouici* auctor, eique suffragatur cum *annalista Bertin. ad a.* 833. qui *populum prauis persuasionibus et falsis promissionibus deceptum esse* ait, *ita vt omnes eum deseruerint*, tum maxime Theganus *cap.* 42. *pag.* 312. *dum scribit: tunc consiliati sunt nonnulli, vt imperatorem derelinquerent, et ad filios eius peruenirent.* Addit, id eos potissimum fecisse, *qui illum antea offenderint.* Et quinam vero, nisi HELISACHAR, WALA, et MATFRIDVS, quos ideo a Lothario arcessitos esse memorat Paschas. Ratbertus in *Vita Walae*, *pag.* 508. Walam suum tum comitatus, vt pontificis et populi animos sibi conciliarent. Et hinc mira est audacia Ratberti, scribentis *pag.* 515. defectionem illam *sine vllius, quantum rescire potuerit, persuasione aut exhortatione* factam esse.

[c] *Ibid. pag.* 399.

[d] DROGONEM, filium Caroli M. naturalem, Metensem episcopum fuisse, nemo ignorat. ALDRICI, Cenomanensis episcopi, *gesta* edidit Steph. Baluz. *Miscell. tom. III.* quocum coniungendus Mabillon. *Analect. tom. III. pag.* 276. *seqq.* vbi et *epistola* GREGORII papae, qua iubet, vt si quis Aldricum accusauerit, eius causa non ab alio, quam a Romano pontifice definiatur: ex quibus patet, Aldricum sede sua aliquamdiu deiectum restitutumque postea XXIIII. annis ecclesiae suae praefuisse.

[e] Thegan. *ibid. pag.* 513.

BIU Cujas

tum et iniuriam deprecatus. Hi laeti obuiam fiunt patri, eiusque maiestatem et in illa fortuna venerantes equis desiliunt, et osculis excepti patrem spem bonam habere iubent, simulque eum in castra sua deducunt (f), et quidem vxore filioque CAROLO comitatum.

XV. Iure meritoque campum istum a mendacio nomen accepisse, statim adparuit. Vix enim intra castra sua patrem receperant filii, quum illi subduceretur IVDITHA vxor, et in LVDOVICI tabernaculo custodiretur. Ipse imperator cum CAROLO filio in LOTHARII praetorium abductus, in paucorum, sed obnoxiorum LOTHARIO, hominum custodia mansit (g). Interea fratres potiti victoria, sed foeda, et nullos triumphos habitura, suae factionis homines congregant, eosque, perinde, ac si legitima essent illa comitia, sententiam dicere de re publica iubent (h). Nec mora prodit senatusconsultum, quo, abrogato patri imperio, Lothario soli augusta dignitas decernitur, reliqua regna inter tres ERMINGARDAE filios, prout visum est, diuiduntur. Vbi sane digna posteritatis memoria est simulatio LOTHARII, qui Tiberio per omnia similis, recusabat in speciem imperium, quod cupidissime adpetebat; et quasi a purpura patri detracta abhorreret, decus illud modestissimis verbis deprecabatur. Cui orationi quamuis plus dignitatis, quam fidei inesse nemo non animaduerteret: proceres tamen ad questus et preces conuersi, eum obtestabantur, ac per omnia sacra orabant, ne rem publicam veluti in sinum suum confugientem deserere, neue spem suam destituere velit: denique et indignationem miscentes, nisi ipse imperium suscipiat, se alium electuros imperatorem, minabantur (i). Adeo nihil recti ac sinceri agebatur in illo mendacii campo, de quo iure repetas illa VIRGILII (k):

Pallentes habitant curae, tristisque senectus,
Et metus, et malesuada fames, ac turpis egestas,
Terribiles visu formae, lethumque laborque
Tam consanguineus lethi sopor, et mala mentis
Gaudia, mortiferumque aduerso in limine bellum

Ferrei-

[f] *Vita Ludouici pag.* 399.
[g] *Vita Ludou. ibid.*
[h] Paschas. Ratbert. *Vit. Walae pag.* 515.
[i] Ratbert. *Vit. Walae pag.* 515.
[k] *Aen. lib. VI. v.* 275.

BIU Cujas

Ferreique Eumenidum thalami, et discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Denique ita discessum est, vt LOTHARIVS, congratulantibus omnibus, augustus renunciaretur, PIPPINVS et LVDOVICVS, magnam prouinciarum accessionem acciperent, et GREGORIVS papa, tam praeclare confecto negotio, Romam reuerteretur. Hinc PIPPINVS in Aquitaniam; LVDOVICVS, nouerca prius Tartonam in Italiam in exsilium missa in Boioariam, pontifex, tanta filiorum impietate grauiter offensus cum magno moerore, si auctori *vitae Ludouici Pii* astronomo (1) credimus (m), in Italiam discesserunt.

XVI. Digressis pontifice maximo et fratribus, LOTHARIVS quoque itinere indicto, vasisque conclamari iussis, primum quidem *Merlegium*, villam regiam in Alsatia inferiore, non procul a Kirchemio vel Kilchemio situm, hodie *Marlen* vel *Marlheim* (n), profectus est, inde transactis aliquot diebus per monasterium Mauri, Metas, Virdunum, denique Suessionem peruenit, tractis vbique secum patre et fratre CAROLO, non iam vllis pristinae fortunae insignibus, vel ministerio conspicuis, sed ad priuatorum sortem redactis, et seorsum a LOTHARIO, sub firma custodia iter facientibus. (o) Suessione patrem in monasterio S. Medardi inclusum tenet, Carolum Prumiam, celebre in Arduenna coenobium misit, hoc vno in fratrem benignior, quod ei comam adimi nondum iussit. Hinc porro rei publicae proceres et episcopos maxime Compendium in mensem Octobrem euocauit, ibique id egit, vt non modo imperio patri sollemniter abrogato, ipse iterum consentientibus omnium suffragiis

[1] *Vit. Ludou. pag.* 400.

[m] Probabile omnino est, non sine horrore haec nefanda filiorum Ludouici Pii facinora spectasse pontificem, ac proinde facile credimus Nithardo *lib. I. pag.* 438. adfirmanti, *eum, itineris poenitudine correptum, tardius, quam voluerit, Romam reuertisse.* Enimuero ideo non magis excusandum est GREGORII istius papae IIII. iter, quam vel Iudae proditio, vel Petri abnegatio Christi, quod vtrumque postea facti poenituit. Cur enim, nondum satis cognita caussa, filiis adsensus est? Cur non de pace concilianda laborauit, antequam Ludouicus Pius in liberorum potestatem veniret. Cur denique auctoritate illa, qua vsurum se aduersus imperatoris socios minabatur, non vsus est ad compescendam filiorum impietatem? Laudandus sane pontifex, quem facti poenituit, at reprehendendus quam maxime, qui vltro quid egit, cuius eum non posset non poenitere.

[n] *Prodr. Chron. Gottwic. lib. III. cap.* 70. *pag.* 491.

[o] *Vita Ludouici ibid. pag.* 400.

BIU Cujas

fragiis rex et imperator renunciaretur, verum etiam ita firmaretur imperium ſuum, ne patri ſpes recuperandae poteſtatis vlla ſupereſſet. Confluxit eo tota factioſorum hominum colluuies, imperii Francici ſentina, in eoque conſeſſu Lotharius primum legatos THEOPHILI, imperatoris Conſtantinopolitani, triſtiſſimae iſtius tragoediae ſpectatores futuros audiuit, deinde eos omnes, qui fidem adhuc LVDOVICO imperatori ſeruauerant, tamquam perturbatores pacis hoſteſque rei publicae accuſari iuſſit, quos periculi metus facile ſubegit, vt manus darent LOTHARIO, et obſequium in poſterum iureiurando promitterent. Denique et ipſe pater in conceſſu epiſcoporum plurimorum criminum aduerſus eccleſiam et rem publicam admiſſorum accuſatur, petiturque, vt ad poenitentiam publicam et canonicam per totam vitam agendam epiſcoporum ſuffragiis damnetur, id eſt, vt illi ſpes omnis recuperandi imperii in poſterum praecidatur (p). Numquam deteſtabilius conciliabulum vidit eccleſia, quam illud Compendienſe, in quo impietas, quid poſſit, videtur experta. Nam ne epiſcopi quidem, beneficiis quamplurimis ornati ab imperatore, vllam aequitatis habebant rationem. EBBO, archiepiſcopus Rhemenſis, vile olim mancipium, et qui ſoli imperatori tantam dignitatem ac fortunam debebat, (q), libellum accuſationis alta voce intonans publice praelegit. Patres concilii illico vrnas mouent, et principem inauditum ad publicam illam et canonicam poenitentiam per omnem vitam agendam, condemnant. Certior de ferali ſententia redditus, Sueſſionem ducitur, eumque ſequuti epiſcopi hortantur, vt poenitentiam illam humili obſequio obeat. Ille nihil obloquutus, ſe ad id paratum eſſe reſpondet, dum prius LOTHARIVM filium amplectendi cum eoque in gratiam redeun-

(p) Poenitentia illa per omnem vitam agenda nihil aliud erat, quam perpetua ab imperio excluſio. Quod recte obſeruat *Vitae Ludouici Pii auctor pag.* 400. *ſequ. Verentes*, inquit, *ſceleris conſpiratores inauditi, ne verſa vice retrolapſa ferrentur, geſta quae erant: callido, vt ſibi viſum eſt, cum aliquibus epiſcoporum vtuntur argumento, vt de his, de quibus iam poenitudinem geſſerat imperator, iterum publica poenitentia, armis depoſitis* IRREVOCABILITER *quodammodo eccleſiae ſatisfacere iudicaretur.* Vnde et Calmet *dans l'hiſtoire de Lorraine, liv. XIII. pag.* 650. recte ſcribit: *Ce qui étoit une vraie dégradation de l'Empire, les loix de l'Egliſe ne permettant pas à un homme ſoûmis à la pénitence canonique, de ſe mêler du gouvernement ni des affaires publiques.* Tam callide ſcenam inſtruxerat LOTHARIVS, vt et regno priuaretur pater, et omni ſpe illud vmquam recuperandi aeternum excideret.

(q) Thegan. *cap.* 44.

BIU Cujas

deundi facultas. Nec mora, adeſt filius improbus, oſculo a patre exceptus, at eo non inflexus ad mentem ſaniorem. Hinc pater ductus in eccleſiam S. Medardi, vbi magnus epiſcoporum conſeſſus erat, coram ſummo altari in cilicio pronus iacet, peccata, quorum accuſabatur, ex libello recenſet, libellumque offert Epiſcopis. (r) Tum porro iuſſus arma, cingulum ipſasque, quibus adhuc ornatus

(r) Merito mireris, tot epiſcopos, quorum in numero erant viri graues, pii, et eruditi tanta impudentia debacchari potuiſſe in principem pium, et cui plerique illi non modo honorem et dignitatem, ſed et ſe ipſos debebant. Nihil hic ſane ſecundum leges et canones, nihil ex rectae rationis praeſcripto actum. Bis eadem facta publica poenitentia expiari iubebantur. Damnabatur princeps inauditus, nec confeſſus nec conuictus. *Vit. Ludou. Pii pag.* 401. Reuocabantur Iesse, epiſcopus Ambianenſis, et alii, quos antea iidem epiſcopi, tamquam perduelles damnauerant, *aut tunc, aut nunc*, teſte Thegano *cap.* 44. *falſum iudicium exhibentes.* Quae omnia ita comparata ſunt, vt ne a pagano quidem iudice, cui vel vllus honeſtatis ſenſus ineſt, exſpectanda videantur. Et tamen, teſte *Vitae Ludouici auctore pag.* 401. *ei iudicio pauci contradixerunt, plures adſenſum praebuere, maxima pars, vt adſolet in talibus, ne primores offenderent, verbotenus conſenſere.* Illud quoque paene inauditum, quod ſacri iſti homines non contenti, Ludouicum damnaſſe, nihil iniuriarum atque inſultationis aduerſus illum praetermiſerunt. Quae verbis admodum lamentabilibus deſcribens Theganus *ibid. cap.* 43. *ſequ.* primum obſeruat, *omnes ei epiſcopos moleſtos fuiſſe, et maxime hos, quos imperator ex ſeruili conditione honoratos habuerit, cum his, quos ex barbaris nationibus ad hoc faſtigium perduxerit.* In his eminuiſſe *vnum impudicum et crudeliſſimum, Ebbonem, Remenſem epiſcopum, qui fuerit ex originalium ſeruorum ſtirpe.* Omnes illos principem *immaniter adflixiſſe, inaudita loquutos, inaudita feciſſe quotidie improperantes ei. Ablatum illi gladium de femore, iudicio ſeruorum ſuorum, indutum eum cilicio*: factum eſſe, quod praedixerit Ieremias propheta: *ſeruui dominati ſunt noſtri.* Hinc conuerſus ad Ebbonem illum, graui ἀπροσωπολήπτῳ illi exprobrat ingrati animi vitium, crudelitatem, intolerabilem ſuperbiam, laeſae maieſtatis crimen, mendacia, iniuſtitiam, et adloquutus ſeruatorem: *o domine Ieſu*, inquit, *vbi erat angelus tuus, qui omnia primogenita Aegypti vna nocte deleuit? et ille, qui in caſtris Aſſyriorum ſub Sennacherib, rege iniquo, centum octoginta quinque millia perfidorum exſtinxit, teſtante Eſaia propheta? Aut ille, qui Herodem iuuenem concionantem percuſſit, et ſtatim ſcatere coepit vermibus? Et tu terra, quae eum ſuſtinuiſti illo in tempore, quare non aperuiſti os tuum, vt deuorares eum, ſicut iam olim feciſti Dathan et Abiron?* Denique facit indignatio verſus, Ebbonem enim, mortalium perditiſſimum, imitatorem fuiſſe ait eius, de quo poëta *libro VI. Aenidos* canat:

Infelix Theſeus Phlegiaſque miſerrimus omnes
Admonet, et magna teſtatur voce per vmbras.
Diſcite iuſtitiam moniti et non temnere diuos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Impoſuit, fixit leges pretio, atque refixit.

BIU Cujas

natus fuerat, veſtes ponit, et alia pulli coloris toga indutus, non ſine lugubri pompa reducitur in monaſterium, et cellulae ſatis anguſtae includitur (s). LOTHARIVS vero, accepto ab epiſcopis publico inſtrumento, quod et hodie exſtat ſub titulo *Exauctorationis Ludouici* apud PITHOEVM (t) et alios, menſe Nouembri Aquiſgranum proficiſcitur. In eo non ſine iniuria imperatori exprobrant ſacrilegium et homicidium, perturbationem pacis et violationem pactorum, expeditionem ſacri ieiunii tempore ſuſceptam, hominum rei publicae ſtudioſorum condemnationem, feneſtram ab eo apertam periuriis, bella ſine neceſſitate geſta, diuiſiones regnorum ſuo arbitrio, et non adhibitis in conſilium proceribus factas, et huius generis alia, ob quae illi iure impoſitam aiunt poenitentiam per omnem vitam agendam, ea lege, *vt poſt tantam talemque poenitentiam nunquam vltra ad militiam ſaecularem rediret.*

XVII. Sic demum LOTHARIVS patrem a ſe non modo victum, ſed et ita proſtratum eſſe exiſtimabat, vt nulla reſumendi imperii ſpes illi poſſit ſupereſſe. At quemadmodum fieri vix poteſt, vt ſcelere quaeſitum imperium bonis artibus retineatur: ita ille mox praerepta patri poteſtate tam immoderate vſus eſt, vt et ii, qui virtutem LVDOVICI Pii incolumem oderant, eam nunc ſublatam ex oculis quaererent inuidi, et de illo in integrum reſtituendo conſilia conferrent. Cuius rei cauſſae erunt paullo altius repetendae. Eſt nimirum ita natura comparatum, vt ipſa ira vertat in miſericordiam, ſi innocentiae nimium illudatur. Id et hic contigit. Tanta enim erat Imperatoris calamitas, vt et truculentiſſimos homines moueret. Quamdiu in monaſterio S. Medardi relinquebatur, tam arcta tenebatur cuſtodia, vt nemini vel colloqui cum eo, vel quid rerum agatur, eum certiorem reddere licebat. Quin iuſſi erant cuſtodes quaeuis triſtia nunciare, IVDITHAM mortuam, et CAROLVM attonſum et cucullo indutum. Quod ipſe pro vero accipiens ſuorum fato mille lacrymis parentauit, et in primis IVDITHAE ſuae animam clericis, quoties templo exiit, (numquam autem ſine numeroſo praeſidio ad illud veniebat, vel ex illo

Sed nullum eſt dubium, quin et EBBO, et reliqui epiſcopi, qui ad conciliabulum illud confluxerant, pontificis maximi freti auctoritate, in optimum illum principem ſaeuierint. Quidni enim ipſi fauiſſent cauſſae, quam GREGORIVS papa ſuo praeiudicio probauerat?

(s) *Acta exauctorat. Ludouici Pii Concil. tom. VII. pag.* 1686. Thegan. *cap.* 44. *Vita Ludou. pag.* 401.

(t) *Annal. et hiſt. Franc. ſcript. coaet. XII. pag.* 322. *ſequ.*

BIU Cujas

illo ad cellam suam reducebatur), vehementer commendauit. Miserrimum demum est ipsos monachos miserrimi principis, quumque cum eo sermones caedere non liceret, vnus eorum, nomine HARDVINVS, quum sacram eucharistiam praebuisset, compressis eius manibus, pauca verba: *pone altare est*, insururrauit, simulque schedulam eo clam proiecit. Imperator, exeuntibus templo reliquis hominibus, quum se solum animaduerteret, sublatam schedulam legit, ex eaque demum, falsa esse, quae de IVDITHAE suae morte et CAROLI monachatu iactata sint, immo potius plerosque incredibilem ex calamitate sua dolorem percipere, et de eo liberando consilia capere, comperit (u). Quis vero talia patienti principi, et e tanta fortuna in hanc miseriam filii scelere coniecto non condoluisset. Volabat ergo fama per ora hominum, eaque hieme, teste *vitae Ludouici* auctore (x), *gregatim populi, tam Franciae, quam Burgundiae, nec non Aquitaniae, sed et Germaniae, coëuntes, calamitosis querelis de imperatoris infortunio querebantur.* Deinde ipsi, qui aduersus LVDOVICVM Pium coniurauerant, dum rem paullo adcuratius, adhibita in consilium ratione, expendunt, veriti, ne ad se aliquando res omnis redeat, paullatim se consiliis illis nefariis subducunt. Ipsos sane WALAM et RATBERTVM, iuratos alioquin imperatoris hostes, videntes, rem in neruum erumpere, tristes ex Alsatia rediisse Corbeiam, legimus (y). Sed et BERNARDVS, dux Septimaniae, et WARINVS, comes, ei antea parum aequi, iam in Burgundia populum ad capienda arma et opem imperatori ferendam sollicitabant (z). Praeterea iam dissidere inter se coeperant LAMBERTVS et MATFRIDVS, praecipui eorum tumultuum auctores, qui dum singuli primo loco apud LOTHARIVM esse, et rem publicam suo arbitratu constituere cupiunt, eam negligunt ambo, nouasque conquerendi causas populo, iam tum rerum nouarum cupido, praebent. (a). Denique LOTHARIVS ipse sibi quam maxime nocuit, dum nulla amplius fratrum habita ratione solus omnia egit pro lubitu, atque ita, nihil se eorum, sed sui omnia causa voluisse, re ipsa ostendit. Quod denuo obseruans NITHARDVS (b). PIPINVS, inquit, *et* LODHVVICVS, *videntes, quod* LODHARIVS *vniuersum imperium sibi*

(u) *Conquestio Ludouici imp.* apud Duchesn. *tom. II. pag.* 336.
(x) *Vita Ludouici Pii pag.* 401.
(y) Paschas. Ratbert. in *Vita Walae pag.* 515.
(z) *Vita Ludouici Pii pag.* 401.
(a) Nithard. *lib. I. pag.* 438.
(b) *Ibid. p.* 438.

BIU Cujas

sibi vindicare, illosque deteriores efficere vellet, grauiter ferebant. Et hoc ipsum imperatori, quam maxime profuit, vt ii, quorum antea improbitate in hanc calamitatem inciderat, primi essent, qui de illo bene mereri, et patrem LOTHARIO eripere conarentur. Id vero quo ordine gestum sit, iam paullo adcuratius erit dicendum.

XVIII. LOTHARIVS rem suam sibi praeclare videbatur stabiliuisse, quum sub finem anni 833. Aquisgranum proficisceretur, eoque et patrem captiuum secum abduceret, quo eum pridie kal. Decembres adueniisse, in *Annalibus Bertinianis* (c) proditum est. Interea DROGO, Metensium episcopus, qui a reliquorum episcoporum consiliis suam semper seiunxerat sententiam, fratremque magis, quam eius fortunam amauerat, ad LVDOVICVM, Boiorum regem, confugerat, eumque a fratribus corruptum sapienter pertraxerat in miseri parentis partes, vt hic iam non minus de patris optimi salute esset sollicitus, quam antea illum perdere studuerat. Postquam ergo LOTHARIVM Aquisgranum veniisse intellexit, ipse Francofurtum iuxta Moenum iter fecit, atque inde legatos ad fratrem misit GOZBALDVM, abbatem (d), et MORHARDVM, palatii comitem, expostulaturos cum eo, quod communem patrem adhuc durius, quam deceret filium, habuisset, et vt eum benignius in posterum haberet, rogaturos. His parum benigne auditis, et nihil aequi impetrantibus, alios patrem salutaturos misit: sed ne videndi quidem illius, nedum adloquendi, copia data est (e). Nec felicior deprecator paullo post ipse LVDOVICVS fuit, qui quum LOTHARIVM Moguntiam profectum conueniret, nihilque faceret reliqui, vt eum ad patrem benignius habendum moueret, repulsam ferens tristis discessit, LOTHARIO redeunte Aquisgranum, ibique natalem Seruatoris festo adparatu celebrante (f), Quum ergo

(c) *Ad a.* 833.

(d) Fuit tum GOZBALDVS abbas Altahensis monasterii in Boioaria, LVDOVICO nostro carissimus, et cuius gratia hic Altahense monasterium innumeris beneficiis locupletauit, ceu tot diplomata apud Hundium et Geuuoldum, infra in codice diplomatico collecta, in quibus semper GOZBALDI abbatis perhonorifica fit mentio, demonstrant. Vid. Hund. *Metrop. Salisburg. tom. II. pag.* 8. *sequ.* Postea ecclesiae Herbipolensi praefectus est episcopus circa annum at monasterii sui administrationem nihilominus retinuit, liberamque abbatem eligendi facultatem ei a Ludouico impetrauit. Hund. *ibid. pag.* 8. *n.* 5.

(e) Thegan. *cap.* 45.

(f) Thegan. *ibid.* *Annal. Bertin. ad a.* 833.

BIU Cujas

go adeo occalluiſſet Lotharius, vt nihil aequi ab eo ſperari poſſe videret LVDOVICVS, quoduis pro patre periculum adire certus, HVGONEM, abbatem (g), in Aquitaniam ad PIPPINVM fratrem miſit, qui ſuo et DROGONIS epiſcopi nomine apud illum de Lotharii inhumanitate conqueretur, eumque ad honeſtiſſimi belli pro patre ſuſcipiendi ſocietatem inuitaret: cui, quippe LOTHARIO iampridem infenſo, res facile perſuaſa eſt (h). Quo fretus auxilio inſequente Ianuario anni 834. GRIMOALDVM venerabilem abbatem, et GEBEHARDVM, nobiliſſimae perſpectaeque fidei ducem, iterum Aquiſgranum ad patrem miſit. Quibus quidem permiſſum, vt cum eo colloquerentur, at non niſi praeſentibus OTGARIO, Moguntino, et RICHARDO *perfido*, vt a THEGANO (i) vocatur, *homine* (k). OTGARIVS enim vna cum aliis viris eccleſiaſticis frequentes aderant captiuo principi, vt eum ad ſuſcipiendum habitum monaſticum pellicerent, quibus vero prudenter ille, ſe votum niſi ſui

(g) Illuſtris et hic praelatus, eoque tempore celeberrimus, quippe CAROLI M. ex regina concubina filius, LVDOVICI PII et DROGONIS, epiſcopi Metenſis, frater, abbas S. Bertini, S. Vedaſti, Noualienſis et ab anno 835. S. Quintini, Alberic. *Chron. ad hunc annum*, et in imperatoris palatio archinotarius, vti eum eodem anno vocat Ludouicus Pius apud Mabillon. *de re diplom. lib. VI. pag. 613.* anno 844. in praelio caeſus a Pippino, Pippini filio. *Annal. Bertin. ad a.* 844. Eius elogia vide apud Frothar. *Epiſt. 21. et 41.*

(h) *Vita Ludou. pag.* 401. *Annal. Bertin. ad a.* 834.

(i) *Cap.* 47.

(k) Operae pretium fuerit, et horum hominum notitiam dare. GRIMOALDVS, vir eo tempore prudentiſſimus, canonici quidem ordinis, at abbas S. Galli, et poſtea Ludouici regis archicancellarius, de cuius geſtis plura habet Ratpert. *de caſib. S. Galli, cap.* 8. *pag.* 6. Obiit Id. Iun. a. 872. OTGARIVS, archiepiſcopus Moguntinus, Ludouico noſtro ad mortem vſque inimiciſſimus, infra erit memorandus. GEBEHARDVS dux et *cap.* 54. laudatur a Thegano, vbi eum cum BARVDADO, id eſt, BADVRADO, epiſcopo Paderbornenſi, et BERENGARIO ſapiente, ad LOTHARIVM miſſum, refert. Fuit hoc nomen poſtea inter Franciae orientalis comites, ex quibus CONRADVS I. rex Ananiae prodiit, frequentiſſimum, vid. tabulam apud Eccard. *Orig. Habsburg. lib. II. cap.* 1. §. 2. *pag.* 73. vt paene ſuſpicer, eum filium EVERARDI comitis, nepotem BEGONIS, qui ALPAIDEM, Ludouici Pii filiam, vxorem duxerat, fuiſſe. Ex quo ſimul patet, cur toties *nobiliſſimus dux* vocetur. RICARDI duo in hac Ludouici Pii hiſtoria occurrunt, LOTHARIO deditus alter, qui hic ideo *perfidus* adpellatur a Thegano, et poſtea cum LOTHARIO in Italiam aufugiens, vna cum reliquis perduellibus, paene lue abſumtus eſt, et paullo poſt tamen et ipſe deceſſit, teſte auctore *Vitae Ludouici Pii pag.* 412. Alter Ludouico fidem ſeruauit, et circa eadem tempora, quibus ille perfidus cum LOTHARIO in Italia haerebat, a Ludouico eo legatus miſſus eſt cum FVLCONE et ADREBALDO, abbatibus. *Vita Ludouici pag.* 411.

BIU Cujas

iuris vmquam concepturum negauit (l). His vero arbitris, ea, quae sibi a LVDOVICO, Boioariae rege, mandata fuerant, exponere veriti legati, in genua prouoluti eum tantum LVDOVICI filii verbis humanissime salutant, at signis tamen et nutu, quoad eius fieri posset, alienum esse LVDOVICVM a fratris consiliis, significare conantur (m). Abeuntibus legatis mox fama Boios, Saxones, Alamannos in armis: et ne in Gallia quidem ac Aquitania omnia quieta esse nunciat. Quo nuncio territus LOTHARIVS, adpetente iam vere, Aquisgrano per pagum Hasbanensem Lutetiam Parisiorum proficiscitur, eoque et patrem fratremque CAROLVM, Prumia arcessitum, magna custodum turma cinctum, abducit, vbi iam omnes Francos de patre sibi extorquendo laborare re ipsa comperit. LVDOVICVS enim frater veluti fugientem cum numerosissimo exercitu e vestigio sequitur: PIPPINVS ex Aquitania cum non minoribus copiis ad Sequanam vsque venerat, eum transiturus illico, nisi vi tempestatum pontes deiecti, naues que demersae fuissent. Porro ex Burgundia delectam manum adducebant BERNARDVS, dux Septimaniae, et WARINVS comes, qui, tametsi aëris intemperie vexati, et, quid rerum a sociis agatur, nescii, rei gerendae occasionem non haberent, aliquamdiu tamen ad Matronam fluuium, prope BONOGILVM, hodie *Pogny*, consederunt (n). At alacriores reliquis EGGEBARDVS, comes (o), et GVILIELMVS, comes stabuli, se cum haud exigua manu LOTHARIO in ipso itinere obiiciunt, parati signa conferre, nisi imperator libertati restituatur. Neque ab initio praelium abnuere videbatur LOTHARIVS, veniissetque res ad manus, nisi ipse imperator, abhorrens a suorum clade, comites precibus ab instituto dimouisset (p). Sic ergo ventum ad S. Dionysii monasterium, vnde Lutetiam Parisiorum excursurus erat futuro mense Maio, comitia, quae indixerat, habiturus. Sed consilia eius omnia turbabant tot coniuratorum, quibus se vndique peti videbat, exercitus. In primis sub initium ieiunii quadragesimalis a BERNARDO et WARINO aderant legati REBALDVS, abbas, et GANZELMVS, comes, qui patrem custodia emitti poscce-

(l) *Annal. Bertin. ad a.* 834.

(m) Thegan. *cap.* 47.

(n) *Vit. Ludou. Pii pag.* 402.

[o] Hunc eumdem cum EVERARDO BEGONIS et ALPAIDIS filio esse putat GVNDLINGIVS, eumque adeo comitem Parisiensem fuisse contendit. Vid. *Gundlingiana, part. XX. dissert. II. §. 3. pag.* 421. At non satis constat, Lutetiensis ille pagi comes fuerit, an Hasbanensis. *Annales* enim *Reuberiani* vel *Eginardi ad a.* 834. obscurius loquuntur: et magnum discrimen esse videtur inter EVERARDI et EGGENBARDI nomina.

[p] *Vita Ludouici Pii pag.* 402.

BIU Cujas

cerent, polliciti simul, Bernardum et WARINVM dignitatem LOTHARII defensuros, si postulata faciat, bellum contra minati, nisi patrem libertati illico restituat. Quibus LOTHARIVS, neminem se, ait, paternae calamitati magis indolescere, neminem se illum quam felicissimum videre malle: iniuria sibi exprobrari calamitatem patris, quem ipsi et deseruerint, et prodiderint: nec suo, sed episcoporum iudicio illum adhuc in illo carceris squallore vixisse. Denique legatos responsum referre iussit, si ad se mittantur HVGO et FVLLO, abbates, et WARINVS ac ODO, comites, et crastini, ante quem diem ad se venturi sint, sibi renuncietur, se cum iis, quid factu opus sit, et quo pacto illis satisfieri possit, deliberaturum (q). At tantum abest, vt nouos legatos exspectarit LOTHARIVS, vt patre in monasterio S. Dionysii relicto, cum amicis et consiliorum suorum conscriis sese clam subduxerit, et praecipiti fuga in Burgundiam, atque inde Viennam vsque discesserit. Id quod ipsis Kalendis Martiis contigisse, obseruat auctor *Bertinianorum annalium* (r).

XVIIII. Et hic ipse dies fuit, quo LVDOVICVS Pius sibi redditus nouam veluti vitam auspicari videbatur. Vix enim fuga euaserat LOTHARIVS, deo omnibusque exosus, quum omnis generis, dignitatis, sexusque homines ad monasterium confluerent, principi congratulari hanc rerum mutationem, cuius desiderio ac commiseratione adhuc contabuerant, fidemque de nouo spondentes. Auctores illi erant omnes, vt illico resumeret purpuram, et se augustum esse, posita pulla veste, ostenderet. Sed tanta erat eius religio, vt exauctorationis et condemnationis etiam iniustissimae haberet rationem, nec disciplinae ecclesiasticae suam auctoritatem constitutam crederet, nisi quibus episcoporum iudicio spoliatus esset, imperii insignia de communi episcoporum sententia et ex eorum manibus recepisset. At quamuis EBBONEM, perfidiae suae sibi conscium fuga abstulisset (s): tamen et ille retractus, principi sistebatur, et tanto laetiores tamen concurrebant reliqui episcopi, qui imperatorem multis adhibitis caerimoniis resecrabant, purpuraque vestitum et reliquis ornatum imperii insignibus, armis denique incinctum solio regio imponebant, tanto plebis omniumque hominum plausu, vt nullum vmquam drama laetiore exitu finitum esse videretur. Obseruatum tum est ab hominibus, et inania mirantibus, quum iam foediissimae tempestates, perpetuae procellae, ventique vehementissimi saeuissent aliquamdiu, et excrescentia flumina multum damni dedissent, illo die *ita quodammodo visa esse*

[q] *Vita Ludouici pag.* 403.
[r] *Ad a.* 824.
[s] Thegan. *cap.* 48.

BIU Cujas

esse coniurasse elementa, vt mox et venti saeuientes mitescerent, et caeli facies in antiquam et multo tempore inuisam serenitatem redierint (t). Quod tametsi vere adpetente non rarum, tamen quia eo ipso die contigit, in omen acceptum est, quasi ipsa natura post tot rei publicae clades mera halcyonia mortalibus denunciaret. Enimuero vana haec fuisse auguria, paullo post euentus docuit. Imperator enim, siue tot curis hebetior, siue amore IVDITHAE suae in transuersum actus, ne tot quidem calamitatibus cautius mercari didicit, sed paullo post iisdem scopulis, in quibus antea naufragium fecerat, adlisus est. Statim, ex quo se libertati restitutum viderat, non parum peccauit contra prudentiae praecepta, dum viribus, quibus pollebat, non vtebatur ad persequendum LOTHARIVM, factionemque eius illico opprimendam. Id enim nisi neglexisset, vna expeditione potuisset efficere, vt et LOTHARIVS in potestate eius esse vellet, et perduelles, desperatis rebus suis, in deditionem venirent. At noluit Caesar meliora suadentes audire, *nec filium abeuntem, licet multis hortantibus, persequi* (u): sed a monasterio S. Dionysii Nontogilum, atque inde Carisiacum, in villam regiam, hodie Cressiacum ad Isaram (x), profectus est. Hic tum PIPPINVM cum suis, quos trans Matronam adhuc tempestates detinuerant, tum LVDOVICVM, filium, eosque, qui ad illum, tyrannidem LOTHARII fugientes, confugerant, et in his maxime DROGONEM et HVGONEM fratrem praestolatur. Tempus ibi laetitiae datum, suadente ipso hymno, qui tum illo die sacro canebatur: *laetare, Hierusalem, et diem festum agite omnes, qui diligitis eam* (y). Dimissis praesentibus, ipsoque PIPPINO in Aquitaniam proficiscente, at mox tamen inde redituro, cum LVDOVICO et CAROLO, filiis, Aquisgranum rediit. Non dubium est, quin illud imperii sui domicilium non minus laetus adspexerit, quam nauta portum, in quem innumeris iactatus procellis, demum ratem exarmatam ac paene submersam feliciter reduxit. Et sane iure quodam suo laetabatur. Nam ibi demum et imperium et filios, (nam et PIPPINVS paullo post redierat), sibi redditos animaduertebat, et mox illi adducebatur, quam perdite amabat, IVDITHA, quam ille tamquam mortuam a se pridem defletam, et nunc veluti in vitam diuino munere redeuntem summa cum voluptate amplectebatur. Paschate ibi celebrato Arduennam venationis caussa pererrat, et inde reuersus Aquisgranum, exactis pentecostes feriis per Romerici iuga capiendis feris ac piscibus quasi per ocium vacat.

CODEX

[t] *Vita Ludouici pag.* 404.

[u] *Vita Ludouici Pii pag.* 404. Nithard. *lib.* I. *pag.* 439.

[x] Sirmond. *ad Caroli Calui Capitularia, pag.* 41.

[y] *Vit. Ludou. pag.* 404.

BIU Cujas

* * * * * * * * * * *

CODEX DIPLOMATICVS SEV FASCICVLVS DIPLOMATVM, LVDOVICI GERMANICI HISTORIAM ILLVSTRANS.

I.

Diploma apud Guillimann. *Episcop. Argent. cap. 5. pag.* 32. a Schiltero cum authentico collatum, et recusum apud Eccard. *Origin. Habsburg. pag.* 107.

Ann. 856.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludewicus, fauente gratia Dei Rex. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis aliquid conferimus beneficii, et necessitates Ecclesiae Dei per petitiones religiosarum personarum releuamus munimine atque imperioso tuemur iuuamine: id nobis et ad mortalem vitam temporaliter peragendam, et ad aeternam feliciter adipiscendam profuturum esse, liquido confidimus. Ex quo nouerit omnium fidelium nostrorum, tam praesentium, quam futurorum solers discretio, quod nobilis atque venerabilis sanctimonialis, Abbatissa Basilla Sancti Stephani, infra muros Argentoratenses siue Strasburc, nostram adiens Maiestatem, praesentauit obtutibus nostris auctorabiles emunitatis firmitates praedecessorum nostrorum, Regum et Imperatorum; qualiter praedictus locus Sancti Stephani a Duce Alberto fundatus erat, et per constitutionem Chylderici regis emunitatis, et per Pipinum Maiordomum locupletatus et munitus crescebat, et per munificentiam Lotharii Imperatoris primi et coniugis Yrmengardis dotatus pollebat, ac demum etiam auctoritatem domini et genitoris nostri,

ſtri, Hlodewici bonae memoriae, piiſſimi Auguſti, in qua continebatur inſertum. Quod non ſolum idem genitor noſter, verum etiam praedeceſſores eius reges videlicet Fraemchorum apud locum iam dictum beato Stephano et congregacioni Canonicorum quatuor ſacerdotum et ſanctimonialium triginta cum neceſſariis miniſtris dedicatum, ſub ſuo munimine ac defenſione cum omnibus ſibi ſubpertinentibus, tam mancipiis, quam praediis, tam infra ciuitatem, quam foris conſtitutis, eorum immunitatum auctoritatibus, hactenus ab inquietudine totius iudiciariae poteſtatis eadem munita et defenſa fuiſſet Abbacia. Pro huius itaque rei firmitate exorauit praedicta Abbatiſſa, Baſilla, vt paternum, ſeu praedeceſſorum noſtrorum regum clementiam ſequendo, huiuſcemodi noſtrae emunitatis praeceptionem, ob amorem Chriſti, et reuerentiam Sancti loci, circa idem monaſterium fieri cenſeremus. Cuius poſtulationibus facilem tribuimus aſſenſionem, et hanc noſtrae Mageſtatis paginam erga ipſum locum, immunitatis et tuicionis cauſſa, pro diuini cultus amore, et animae noſtrae remedio, fieri decreuimus. Per quod praecipimus atque iubemus, vt ſaluo per omnia honore ſui ſacroſancti praeſulis, nullus iudex publicus, vel quilibet ex iudiciaria poteſtate in perſonas, vel eccleſias, vel oratoria, aut loca, aut agros, vel quaſcumque reliquas poſſeſſiones, quas, ab antiquo, vel moderno tempore, in quibuslibet territoriis, vel pagis, vel comitatibus, infra dicionem noſtram, iuſte et legaliter memorata tenet vel poſſidet Abbatia, vel ea quae poſtmodum in iure ipſius monaſterii voluerit diuina pietas augere, ad cauſas audiendas, vel freda, vel tributa, vel thelonea exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius eccleſiae, tam ingenuos, quam ſeruos, ſuper terram ipſius commorantes, iniuſte diſtringendos, nullas redibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris vel futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quae ſupra memorata ſunt, penitus exigere praeſumat, ſed liceat memoratae Abbatiſſae, ſuiſque ſucceſſoribus, auctoritate Epiſcopali, vel diſpenſatione illius, quem ex numero fratrum ipſius loci conſtituerit oeconomum, ipſam ſedem cum omnibus ſibi ſubiectis et rebus, vel hominibus ad ſe pertinentibus, ſub tuitionis atque emunitionis noſtrae defenſione, remota totius iudiciariae poteſtatis inquietudine, quieto ordine poſſidere, et pro noſtro fideliter Deum exorare imperio, et incolumitate noſtra et coniugis, atque prolis. Nec liceat alicui, ſub praetextu aduocatoriae occaſionis, ſibi vel in hominibus, vel quibuslibet rebus vel poſſeſſionibus eorum, aliquod ius vendicare, niſi quem pro aliqua, ſicut aliquando fieri euenit, neceſſi-

BIU Cujas

necessitate, ipsa Abbatissa cum congregacionis voto per consilium Antistitis, apud palatium expostulauerit, qui nec palemundum, vel aliquas exactiones exercere praesumat. Si quis vero temerarius contra hanc nostrae constitutionis auctoritatem venire praetemptauerit, praedictae Ecclesiae quinque libras auri, fiscoque regio decem auri purissimi persoluere cogatur, et insuper offensam regiam incurrat. Vt autem haec auctoritas pleniorem in Dei nomine vigorem obtineat, et a fidelibus sanctae Dei ecclesiae et nostris veris et certius perpetuo tempore credatur, propria manu subtus signauimus, et anuli nostri impressione signari iussimus. Data II. Idus Septembris, anno Christo propitio XXIII. (*) Domini Hlodeuuici Serenissimi Regis in Alsatia, indictione quarta. Actum Strazburc, palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Signum Chlodeuuici Serenissimi Regis.

Otgarius ad vicem Grimoldi, Archicancellarii recognouit.

II.

Diploma Ludouici Germanici ex vetustissimo exemplo desumtum apud Eccard. *Geneal. Sax. pag.* 21.

Anno 856.

IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Notum sit omnibus Sanctae Dei ecclesiae fidelibus nostris, praesentibus scilicet et futuris, qualiter Walbrecht Comes noster deprecatus est celsitudinem nostram, vt ob mercedis nostrae augmentum, Collegium nostrum, quod vocatur Wialteshuson, vbi Sanctus Alexander corpore requiescit, sub nostrae immunitatis tuitione et defensione susciperemus, vt sicut praefatum oppidum Wialteshuson in vtraque parte fluminis, quod vocatur Hunta, consistit, et sicut Huntatores eiusdem loci resident, vt nullus Comes, neque Centenarius, neque Vicarius, neque Iudex, nec quisquam ex iudiciaria potestate, potestatem habuisset eos astringere, aut ad vllum placitum cogere, aut compellere, vt venissent, nisi tantum in praesentia praefati Walberti suique successoris iustitiam acquisissent et fecissent: cuius petitioni ob memoriam Domini nostri Iesu Christi libenti animo assensum praebentes decreuimus ita fieri, et iussimus fieri hoc nostrae auctoritatis praeceptum, per quod decerni-

 mus,

[*] Numerantur anni regni in Alsatia ab anno 833.

BIU Cujas

mus, atque iubemus, vt res eiusdem collegii sub nostra immunitatis protectione et tuitione et defensione consistat; vt nullus Iudex, neque Vicarius, neque Decanus, neque quisquam ex iudiciaria potestate potestatem habens praefatos homines constringere, aut ad vllum placitum compellere, vt veniant, nisi Walbertus Comes, qui moderno tempore, Domino fauente Rector eiusdem Collegii esse videtur, suique filii Wicberti scilicet diaconi nostri, eiusdemque successoris in eodem loco, Domino opitulante, successorumque suorum. Et vt haec auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur et diligentius obseruetur, manu propria nostra eam firmauimus, et anuli nostri impressione assignari iussimus.

Data XIII. (*) *regni Domni Ludouici Serenissimi Regis in orientali Francia regnante. Indictione* 4ta. *Actum Francofurti palatio Regio. In Dei nomine Amen.*

III.

Diploma Ludouici (**) Germanici apud Aub. Miraeum *Donat. piar. pag. 33. edit.* Io. Franc. Foppens.

IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. LOTHOWICVS *Dei gratia Rex.* NOTVM *sit omnibus fidelibus nostris tam praesentibus, quam futuris, quod dilecta coniux nostra* HEMMA *Regina, adiens nostrae Celsitudinis praesentiam humiliter deprecata est, vt cuidam nostro fideli, scilicet* THEODERICO *Comiti forestum* (1) WASDA *in eodem Comitatu,*

[*] Numerantur anni ab anno 842. quo fratres regna patria inter se diuiserunt.

[**] Forte Lotharingiae. MIRAEVS.

NOTATIONES AVB. MIRAEI.

[1] WASDA, hodie *Wasia*, non Zelandia, neque Zelandiae pars Walachria.

IANVS Douſa *lib. V. Annalium Hollandiae* ſuſpicatur, *Theodoricum*, comitem, ad quem iſta Ludouici, Germaniae regis, liberalitas pertinuerit, fuiſſe auum Theoderici I. Hollandiae comitis, et patrem *Gerolfi*, qui eiuſdem Theoderici Primi pater fuerit. Atque id quidem ex Reginone colligi poſſe videtur, qui a. 885. *Gerolfum* et *Gardolfum*, Friſonum comites, a *Godefrido*, Normannorum rege, legatos ad imperatorem miſſos, et a. 898. *Eberhardum* ducem a *Walgario* ſeu *Walgero*, Friſone, Gerolfi filio in venatione per fraudem trucidatum fuiſſe ſcribit. Quem eumdem eſſe cum *Walgero* Theodo-

tu, cum pratis, aquis, terrisque aratoriis, exitibus et regressibus, cumque rebus pertinentibus ad praedictum forestum perintegre nostro daremus praecepto.

Cuius petitionibus, (prout dignum est,) fauentes. praedicto Comiti praedictum damus atque largimur forestum, vt habeat, teneat, possideat, cum suis ad se pertinentiis, tam ipse, quam sui heredes seu cui ipse suique heredes vendere vel mancipare voluerint, sine omni contradictione.

Et vt firmius maneat inconuulsumque seruetur, hoc ei praeceptum fieri iussimus, et manu propria subter firmantes sigillo nostro iussimus sigillari.

SIGNVM *Domini* LOTHOWICI *gloriosissimi Regis.*

GEZO *Cancellarius ad vicem Domini Vthelrici* (*) *Archiepiscopi summique Cancellarii recognouit et subscripsit. Datum anno Domini* 868. *Idus Aprilis, regnante Domino* LOTHOWICO *anno* 14. *Indictione* 14. (**)

IIII.

Diploma Ludouici Germanici Vltraiectinum apud Guil. Hedam *Episc. Vltraiect. pag.* 55. et Aub. Mir. *Donat. Belg. pag.* 501.

ANN. 869.

IN nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. LVDOVICVS *diuina fauente clementia Rex. Cum petitionibus sacerdotum Dei iustis et rationabilibus diuini cultus amore fauemus, superna nos muniri gratia non diffidimus. Nouerit interea industria seu vtilitas omnium fidelium nostrorum, tam praesentium, quam et futurorum, quia* HVNGERVS, *Veteris Traiecti ecclesiae Episcopus, quae est constructa in honorem S.*

Theodorici I. Hollandiae comitis fratre, idem Dousa censet.

THEODERICVS autem, Gerolfi pater, nisi coniectura me fallit, fuit Ludouico Balbo, Caroli Calui filio, cubicularius, ipsique idem Balbus comitatum Augustodunensem supremis tabulis anno 879. legauit: vt apud Aimonium *lib. V. cap.* 39. legitur.

WALGERVM istum Dousa et alii, Teisterbantiae comitem nuncupant.

Ceterum illud Ludouici diploma mihi suspectum est, quod ipsi titulus augusti aut imperatoris non tribuatur.

Vide comites Hollandiae in stemmate Belg.

[*] Alias *Otheldric.* MIR.

[**] Data prorsus est vitiosa, ait *Gomicurtius.* MIR.

BIU Cujas

Martini Confessoris, et aliorum Sanctorum, obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini et genitoris nostri bonae memoriae, LVDOVICI, *piissimi Augusti, in qua erat insertum, quod non solum idem Dominus et genitor noster, verum etiam praedecessores eius Reges Francorum eidem Ecclesiae, cui* HVNGERVS *ipse, auctore Deo praeesset, sub tuitione et defensione eorum, cum omnibus sibi subiectis, et rebus vel hominibus ad se pertinentibus, vel adspicientibus consistere fecerunt, et eorum immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine iudiciariae potestatis eadem munita atque defensa fuisset Ecclesia.*

Sed pro rei firmitate postulauit a nobis praedictus Episcopus, vt Paternum seu Praedecessorum nostrorum Regum morem sequentes, huiusmodi nostrae immunitatis nostrae praeceptum erga ipsam ecclesiam, immunitatis atque tuitionis gratia, ob amorem Dei et reuerentiam ipsius loci, circa ipsam ecclesiam fieri censeremus.

Cuius petitioni libenter assensum praebuimus, et hoc nostrae authoritatis praeceptum fieri decreuimus, per quod praecipimus atque iubemus, vt nullus iudex publicus, neque quislibet ex iudiciaria potestate, aut nullus ex fidelibus nostris in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri iuste et rationabiliter memorata tenet vel possidet ecclesia, et ea, quae deinceps iure ipsius sancti loci diuina pietas augere dignabitur, ad caussas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fideiussores tollendos, aut homines ipsius ecclesiae tam ingenuos, quam et seruos, super terram ipsius commanentes, iniuste distringendos, neque vllas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quae superius memorata sunt, exigere praesumat. Sed liceat memorato Praesuli, suisque successoribus, res praedictae ecclesiae cum omnibus sibi subiectis sub tuitionis et immunitatis nostrae defensione quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio: atque pro incolumitate nostra, coniugis ac prolis, seu etiam totius regni, a Deo nobis collati, et eius clementissima miseratione per immensum conseruandi, vna cum clero et populo sibi subiecto, Domini immensam clementiam exorare: et quidquid de praefatis rebus ecclesiae ius Fisci exigere poterat, integrum eidem concessimus ecclesiae, scilicet, vt in perpetuo tempore ei ad peragendum Dei seruitium augmentum et supplementum fiat. Hanc itaque authoritatem, vt pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctae Dei ecclesiae et nostris diligentius conseruetur,

BIU Cujas

uetur, manu propria subter firmauimus, et annuli nostri impressione signari fecimus.

Signum Domini LVDOVICI, *piissimi Regis.*

HARDBERTVS (*) *ad vicem* RATLERII *recognoui. Datum XV. Cal. Iunii anno 29. Domini et Serenissimi Regis,* LODOVICI *in orientali Francia regnante. Indictione secunda. Actum Francone-furd Palatio Regio. In dei nomine feliciter, Amen.*

V.

Diploma Ludouici Germanici apud Calmet *Hist. eccl. Lotharing. tomo I. in probat. pag.* 312. et Mabillon. *Annal. Benedictin. tom. III. pag.* 679.

ANN. 875.

IN nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Quidquid enim locis Sanctorum venerabilium, ibique degentium fratrum ob amorem Domini nostri Iesu Christi, pia augmentatione conferimus vel confirmamus, hoc procul dubio ad mercedem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus, et profuturum nobis ad praesentis vitae curricula faelicius transienda, nec non et beatitudinis praemia securius obtinenda, non dubitamus. Quapropter comperiat omnium sanctae Dei ecclesiae fidelium, nostrorumque praesentium scilicet et futurorum industria, quia fratres ex coenobio sancti Martini, nec non et beati Vdonis Confessoris Christi, nostram adeuntes clementiam, reclamando, quod substantia victus illorum minus deerant necessaria, (**) innotuerunt. Vnde precantes nostram mansuetudinem, vt pro amore Dei et reuerentia Sanctorum inibi Domino quiescentium, nostra largitas ex rebus eiusdem ecclesiae aliquid restitueremus, et restituta in augmentum salubre victus ac vestitus pro remedio genitoris nostri nostraeque coniugis, seu sobolorum nostrorum, deinceps ad emolumentum proficerent. Quorum petitionibus aures misericordiae nostrae libenter adquiescentes, quia ipsa ecclesia in nostris manibus habebatur per consensum ac consultum Bertulfi, Treuerensis venerabilis archiepiscopi ceterorumque nostrorum, ad eorumdem fratrum vsus concessimus, ac praecepto nostrae authoritatis constituimus, id est, villam Grinstad in

[*] *Hubertus* BVCHEL.

[**] Forte: *quod substantia victus eorum nimis deerat necessaria.*

BIU Cujas

in Warmacenſe, cum omni integritate, eo ſcilicet rationis tenore, vt deinceps noſtris futuriſque temporibus poteſtatem habeant ipſi monachi ordinandi legitimo duntaxat iure de ſuis vſibus, quidquid rationabiliter elegerint vel voluerint; et nulla regia vel epiſcopalis vmquam poteſtas hoc noſtrae authoritatis praeceptum infringere vel violare audeat; ſed vt ſuperius dictum eſt, pro mercedis noſtrae augmento, ac genitoris noſtri ſobolorumque noſtrorum attentius Domini implorent miſericordiam. Et vt haec noſtrae authoritatis confirmatio futuris temporibus ſtabilior ac firmior habeatur, manu propria ſubter eam firmauimus, et annuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.

Signum Ludouici, Sereniſſimi Regis.

Luidbrandus Diaconus ad vicem Luithberti archicapellani recognoui et ſubſcripſi. Data vndecimo Kal. Decembris anno XXXVIII. (*) regni Ludouici Sereniſſimi Regis in orientali Francia regnantis, Indictione nona. Actum Metis ciuitate, in Dei nomine feliciter, Amen.

VI.

Diploma Ludolphi, ducis Saxoniae apud Bodon. *Syntagm. de eccleſ. Gandersh.* apud Meibom. *tom. II. pag.* 481. et ex ipſo authographo emendatum apud Leukfeld. *Antiqu. Gandersh. cap.* 3. §. 4. *pag.* 22. et de nouo collatum a Io. Chriſtoph. Harenberg. *Hiſt. Ganderſh. pag.* 60.

† *QVia ſcriptum eſt, precium anime viri diuitie eius. Idcirco ego* LIVDOLFVS, *Dux Saxoniae notum eſſe cupio omnibus Chriſti Fidelibus, tam preſentibus, quam futuris, quod (ego poſt inchoationem monaſterii puellarum) (**) quod diuina inſpiratione commonitus, ſimulque dilectae coniugis meae* ODAE *ſuadela inductus in honore praecurſoris Stephanique prothomartyris in Brunniſtashuſen edificare coepi, literis Domini noſtri* LVDOVICI, *Romanorum regis inuictiſſimi ad Sanctiſſimum* SERGIVM *Papam acceptis, cum predicta coniuge mea anno*

[*] Inchoauit hanc epocham ab anno 838. quo orientalem Franciam viuo patre armis vindicauit.

[**] Haec parentheſi incluſa deſunt apud HARENBERG.

BIU Cujas

anno dominicae incarnationis octingenteſimo quinquageſimo tertio (*), indictione prima, Romam iui, et in preſentia ipſius ſummi Pontificis prenominatum monaſterium et omnem proprietatis meae hereditatem, quam habui, videlicet Gandeſemiamarku, Aluunge marcu et Ruderinge marcu, et Dengdia marcu, et Lachtiandorp marcu, et alia loca plurima cum familiis vtriuſque ſexus, Apoſtolorum Principi pro remedio animae meæ et eorum ſimul, quibus debitor extiti, in ius et proprietatem integraliter tradidi, ſanctorum etiam Romanorum Pontificum, Anaſtaſii et Innocentii pignera glorioſa nobiſcum deportanda pio nobis karitatis affectu tradens, petiit, et accepit a nobis promiſſum, Eccleſiam in honore predictorum confeſſorum fabricandam, et lumen ante ipſorum pignera indeficienter adminiſtrandum. Vt autem haec omnia per ſuccedentia ſibi ſecula firma et indiſſolubilia perſiſtant, priuilegium plenae ac perpetue libertatis in papyro conſcriptum, vbi omnia predicta continentur, monaſterio noſtro libere vtendum contradidit. Nos autem (**) in continenti duas ſtolas albas, XXX. aureis intextas, eidem beato Sergio Papae tradidimus, ſtatuentes, vt Abbatiſſa, que pro tempore fuerit, eundem cenſum ſanctae Romanae eccleſiae in ſignum libertatis ſingulis annis perſoluat. Cum autem, diuina cooperante gratia, proſpere domum rediſſemus, gratanter a ſancto Collegio recepti, eumdem locum ſacro collegii (†) puellarum coetui videntes nimis anguſtum, in quadam ſilua hereditatis noſtrae, iuxta fluuium Gande, qui alio nomine Ettherna nuncupatur, an. ab incarnatione Domini DCCCLVI. (††) indict. quarta Eccleſiam in honore predictorum Confeſſorum non longe a loco priori, celebriori aedificio conſtruximus. Precamur igitur vos legentes vel audientes huius noſtrae donationis paginam, vt caeleſtis regni clauigerum pro nobis ſuppliciter exoretis, quatenus poſt funera carnis noſtrae Paradiſi ianuas tradita ſibi poteſtate nobis aperiat, atque in extremo examine ante tribunal eterni Iudicis ſupplex pro nobis aduocatus exiſtat. Amen. †

VII.

[*] HARENB. DCCCXXXIIII. Indictione VII.
[**] HARENB. *etiam.*
[†] HARENB. omittit *collegii.*
[††] HARENB. anno DCCCVI.

BIU Cujas

VII.

Diploma Ludolphi, Saxoniae ducis apud eumdem Leukfeld. *Antiqu. Gandersh. cap.* 4. *pag.* 28. et Harenberg. *Hist. Gandersh. diplom. pag.* 47.

QVia scriptum est, precium anime viri diuitie eius. Idcirco ego LVDVLFVS *simul cum Coniuge mea* ODA, *quantam hereditatis nostre partem Dei ancillis tradendam pro redemptione anime nostre, et eorum simul, quibus debitores sumus, iudicaui. Proinde omnes vbique in Christo fideles, tam praesentes scilicet, quam futuros, nosse volo, me ad aeccleſiam Gandeshemensem, sanctimonialibus ibidem Deo seruientibus tradidisse, quicquid in Gandeshemia marcu, et in Ruderia marcu, et in Aluunga marcu habui, in terris, siluis, campis, (pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, propriis vel communibus domibus,* (*) *edificiis vel prius habitis, vel postea constructis, mancipiis quoque diuersi generis vel conditionis, mobilibus et immobilibus, et in quibuscunque rebus cum omni integritate earum. Et vt haec traditio firmior esse, et indissolubilem per succedentia sibi secula auctoritatem habere posset, filiam meam* HATHVMODAM *nomine, sacro velamine ibidem consecrari faciens, tam Imperiali auctoritate, quam Apostolicae sedis literis, et Episcopali benedictione munire curaui, et Sanctorum Christi Confessorum Anastasii Papae et Innocentii Papae corporibus, et tam sancti Saluatoris, quam eius sancte Genitricis et duodecim Apostolorum dignis reliquiis a venerabili* SERGIO *acceptis, adornare studui. Cuius literas, quamuis in papiro secundum pristinam Apostolice sedis consuetudinem scriptas habeam, hic tamen propter eos, qui illas habere non possunt, ponere dignum duxi: Vnde parumper legentes vel audientes, a me ad illius verba se conuertant.*

SERGIVS *Episcopus, Seruus seruorum Dei, omnibus venerabilibus confratribus nostris, Archiepiscopis, seu reuerendissimis et sanctissimis Episcopis, religiosis Abbatibus, glorioſis Ducibus, Clericis, Comitibus atque cunctis fidelibus sanctae Dei aeccleſie presentibus et futuris. Omnis itaque Christianorum milicia sciat, ac sine vlla dubitatione indubitanter agnoscat. Quia mandante nobis Domino atque inuictissimo Rege nostro* HLVDOVVICO, *vt pro coenobio,*

[*] Omittit haec HARENBERGIVS.

BIU Cujas

nobio, quod auus, et eius postea carissimus genitor in honore omnipotentis Domini dedicauerunt, ad eundem locum de Sanctorum Christi corporibus mandare deberemus. In qua videlicet petitione congrua et satis iusta hunc venerabilem et gloriosum Comitem LIVTVLFVM *nomine, qui eidem sacro loco preest, cum Imperiali Epistola ad nos dirigere studuit. Nos quoque tam saluberrimam dignamque postulationem cum magna laetitia et exultatione suscepimus, et pro salute patriae et magno caritatis amore, quem erga Christianissimum Imperatorem et Dominum nostrum habemus, beatissimorumque Christi Praesulum corpora Innocentii et Anastasii PP. nec non et reliquias Domini ac Saluatoris nostri, sancteque sue Genitricis Mariae, atque duodecim Apostolorum ad predictum sanctum locum deferenda libenter praebuimus; Propterea has vobis omnibus in Christo pie viuentibus nostras Apostolicas syllabas monstrari iussimus, vt non, quod absit, increduli, sed modis omnibus existatis veraces, quod nos predicto huic Luitulfo, glorioso Comiti predictorum Sanctorum corpora Innocentii et Anastasii PP. siue reliquias dedimus.*

Haec sunt verba Epistolae, quam mihi Venerabilis Papa SERGIVS, *in papiro, (vt diximus scriptam et suo sigillo) (*) munitam dedit, quam ita ideo huic traditioni meae inserere volui, vt, quicunque haec legeret, sciat, vel quanta auctoritate locus iste in monasterium sit fundatus et consecratus, vel quorum sanctorum corporibus et pigneribus illustratus, vel ad quorum Sanctorum memoriam haec traditio, quam ad aeccleſiam Gandeshemensem ancillarum Dei vsibus deputaui, sit facta.*

VIII.

Diploma Ludouici Germanici ex authentico exscriptum a Nic. Schatenio *Annal. Paderborn. lib. II. ad a.* 845. *pag.* 130.

ANN. 845.

IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. HLVDOVICVS *diuina fauente gratia Rex. Cum in nomine vnicae et perpetuae Trinitatis pro regimine S. Matris et vniuersalis Ecclesiae, etiam et pro statu regni nobis diuinitus et paterno iure commissi Patherbrunnen peruenimus, ad-*

 erant

[*] Haec quoque omisit HARENBERGIVS.

BIU Cujas

erant inter ceteros fideles nostros quidam Monachi cum venerabili eorum Praeposito Vualanae (*) ex monasterio, quae noua Corbeia nuncupatur, coramque familiaribus Consiliariis nostris in praesentiam culminis nostri adducti attulerunt Domni ac Genitoris nostri Hludouici, excellentissimi Imperatoris quoddam praeceptum, in quo continebatur, qualiter idem Christianissimus Imperator praefatum monasterium in honorem S. Stephani protomartyris Christi super fluuium Wiera, in villa regia, in loco dudum nuncupante Hucxeri Adalhardo cuidam seni Abbati germanoque suo Walanae (**) constrUi ac fabricari praecepisset, obsecrantes clementiam Serenitatis nostrae, vt pro maiori firmitate ac certiori studio securitatis nostrae mansuetudinis super hoc praeceptum paterno ac regali affectu confirmari deberet. Quorum petitioni iustae et rationabili aurem libenter accommodauimus, ac praescriptam villam Hucxeri (***), quam Serenissimus Augustus ad praefatum monasterium tradiderat, cum omnibus finibus vel terminis suis, terrisque, siluis, aquis, aquarum decursibus, seu cunctis adiacentiis, nec non adpendiciis suis, siue res et possessiones, quae a Deum timentibus vel gratiam diuinam diligentibus ibi conlatae sunt, etiam et res, quae ad Corbegiam antiquiorem, ex cuius vocabulo illud monasterium nomen vsurpat, traditae fuerunt (†), intra fines regni Saxoniae, terris, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, propriis vel communibus aedificiis, prius habitis vel postea constructis, mancipiis quoque diuersi generis vel conditionis, mobilibus et immobilibus datum vel traditum erat cum omni integritate praefato monasterio, et Monachis ibidem Deo soli (††) militantibus ad possidendum fruendumque per hanc nostram auctoritatem in eleemosinam praefati piissimi genitoris nostri ac nostram confirmare atque stabilire decreuimus. Libuit etiam nostrae Celsitudinis pietatem erga diuae memoriae Genitoris nostri Nobilissimi institutionem, quando diuina vocatione Abbas (†††) praedicti monasterii vitam finierit mortalem, quamdiu ipsi monachi inter se talem inuenire huiusce vitae quiuerint, qui ipsam congregationem secundum regulam S. Benedicti, primi institutoris illius normae, regere valeat, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi Abbatem, quatenus ipsos seruos Dei, qui illic vni Deo diu noctuque seruiunt, pro nobis proleque nostra et stabilitate regni a Deo nobis

[*] MSC. *Walone.*
[**] MSC. *Walone.*
[***] MSC. *Huxeri.*
[†] MSC. *fuerant.*
[††] Abest *soli* in vet. MS.
[†††] Vet. MSC. *Abba.*

BIU Cujas

nobis conlati iugiter Dei misericordiam exorare delectet. Illud vero inserere hoc praecepto nostrae placuit regiae auctoritati, vt licentiam habeant Rectores et ministri eiusdem monasterii, cum quibuslibet hominibus liberis res et mancipia legaliter commutare, videlicet vt quidquid pars iuste et rationabiliter alteri contulerit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo teneant atque possideant, et quidquid exinde facere voluerint, libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi, quidquid elegerint. Et vt haec auctoritas largitionis atque confirmationis nostrae per diuturna tempora inviolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmauimus et annuli nostri impressione signari iussimus.

Signum  *Hludouici Glorioſſimi Regis.*

Dominicus Notarius ad vicem Radleici recognoui. Data IIII. Idus Decembris anno Christo propitio septimo (*) regni Domni Hludouuici Regis in orientali Francia. Indict. VIII. Actum Patherbrunnen in Dei nomine feliciter. Amen.

VIIII.

Diploma alterum eodem die datum Corbeiensibus apud Schaten. *ibid. pag.* 131.

Ann. 845.

In nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Hludovvicvs *diuina fauente gratia Rex. Si de rebus terrenis, quibus diuina sumus largitate grauati, Laicorum, propter amorem Dei eorumque in istis locis sibi famulantibus beneficia oportuna largimur, hoc nobis procul dubio ad aeternae remunerationis praemia capescenda profuturum, liquido credimus. Idcirco nouerit omnium fidelium S. Dei ecclesiae*

 nostri-

[*] Ab anno 838. quo Franciam orientalem viuo patre armis vindicauit.

BIU Cujas

noſtrique praeſentium et futurorum ſollertia, quia nos pro mercedis noſtrae augmento conceſſimus ad monaſterium, quod noua Corbeia nuncupatur, quod eſt conſtructum in honorem S. Stephani, Protomartyris Chriſti, ſuper fluuium Wiſera in villa regia in loco nuncupante dudum Hucxeri, manſa vndecim, quae ſunt in pago Lagneae, in villa, quae dicitur Hemli: cum omnibus appendiciis vel ad ſe pertinentibus in terris videlicet cultis et incultis, ſiluis, aquis aquarumque decurſibus, adiacentiis, peruiis, exitibus et regreſſibus, quaeſitum et ad inquirendum, vel quantumcumque infra praeſcripta villa, vel quae ad ipſa vndecim manſa pertinere videntur, vt noſtri iuris atque poſſeſſionis in re proprietatis eſt, totum et integrum praeſcripto monaſterio Corbeiae et monachis ibidem Deo ſoli militantibus perpetualiter ad poſſidendum fruendumque conceſſimus, atque de noſtro iure in ius et dominationem praefati monaſterii liberalitatis noſtrae munere contulimus; ita videlicet, vt quidquid exinde ab hodierna die vel tempore Rectores et miniſtri eiuſdem monaſterii facere, ordinare atque diſponere voluerint, per hanc noſtram auctoritatem liberam in omnibus habeant poteſtatem faciendi, quidquid egerint. Et vt haec auctoritas largitionis atque confirmationis noſtrae per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulſam obtineat firmitatem, manu propria ſubter firmauimus, et annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus.

Signum  *Hludouici glorioſiſſimi Regis.*

Dominicus Notarius ad vicem Radleici recognoui. Data IIII. Idus Decembris, anno Chriſto propitio VII. (*) regni Domini Hludouici, Regis in orientali Francia. Indict. VIII. Actum Patherbrunnen in Dei nomine feliciter. Amen.

[*] Anni eodem modo, ac in ſuperiore diplomate, numerantur.

X. *Diplo-*

BIU Cujas

X.

Diploma Ludouici Germanici Corbeiense apud Schaten. *ibid. pag.* 132. *sequ.*

Anno 845.

In nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Hludovicvs, *diuina fauente gratia Rex. Si erga loca diuinis cultibus mancipata propter amorem Dei eorumque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia oportuna impendimus, atque de rebus terrenis diuina miseratione nobis collatis largitionis nostrae munere quidquam conferimus, hoc nobis procul dubio non solum ad stabilitatem regni pertinere, verum etiam ad aeterna beatitudinis praemia capescenda profuturum, liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum sagacitati, qualiter nos ob amorem Dei, et emolumentum animae nostrae quasdam proprietatis nostrae res concessimus ad monasterium, quod dicitur noua Corbeia, quod est situm super fluuium Wisera, constructum in honore sancti ac beatissimi Stephani Protho-martyris, vbi praesenti tempore venerabilis vir Warinus, auctore Deo Abba praeesse videtur, sunt enim praedictae res in pago Guottinga in villa, quae dicitur Amplidi, hoc est, mansum dominicatum cum casis et reliquis aedificiis, cum aliis mansis viginti ibidem aspicientibus ac deseruientibus. Has itaque res, sicut diximus, cum domibus, aedificiis, mancipiis vtriusque sexus, salinariis, terris cultis et incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, adiacentiis, peruiis, exitibus et regressibus, quaesitis et inquirendis, quemadmodum Banzleibs Comes in beneficium hactenus habuit, et nostri iuris atque possessionis in re proprietatis est, totum et ad integrum praedicto monasterio concessimus, et de iure in ius, et dominationem eius liberalitatis nostrae munere contulimus, ita, vt de iisdem rebus et mancipiis Rectores et ministri praedicti monasterii ob vtilitatem et necessitatem ipsius, facere, ordinare atque disponere voluerint, per nostrae auctoritatis largitionem libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi, quidquid elegerint. Hanc itaque auctoritatem largitionis nostrae, vt per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, et a fidelibus S. Dei Ecclesiae nostrisque verius credatur, et diligentius conseruetur, manus nostrae signaculis*

BIU Cujas

naculis subter eam decreuimus corroborare, et annuli nostri impressione assignare iussimus.

Signum  *Hludouici glorioſissimi Regis.*

Adalleodus ad vicem Rathleici recognoui et ſſ. Data VIIII. Calend. Ianuarii anno Chriſto propitio VII. (*) regni Domni Hludouuici regis in orientali Francia. Indict. VIII. Actum Rosbath Villa in Dei nomine feliciter, Amen.

XI.

Diploma Ludouici Germanici Corbeiensibus et Heriuordiensibus datum apud Schaten. *ibid. pag.* 141. *sequ.*

Anno 853.

In nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Hlvdovicvs *diuina fauente gratia Rex. Si petitiones seruorum Dei iustas et rationabiles ad effectum perduxerimus, et ad humanam vitam feliciter transigendam, et perpetuam felicius promerendam procul dubio nobis profuturum speramus. Quapropter notum esse volumus, quomodo venerabilis Abbas Warinus adiit Excellentiam nostram suppliciter orans, vt nostra munificentia prospiceremus monasteriis illi commissis, quorum vnum est monachorum, noua Corbeia nominatum, vbi et ille primum regulari electione Abbas extitit, et alterum est Sanctimonialium, Herifordt dictum, et propriae Abbatissae, cuius nomen Addila, subiectum, sed iuxta consuetudinem, quod ancillarum Dei congregationibus procurari solent praepositi ex ecclesiastico ordine, iam dicto Abbati commendauimus, vt tam in disciplina Abbatissam iuuare, quam in cunctis negotiis, quae famulae Christi pro sexu et professione sua exequi non possunt, ipsarum prouisor et patronus existeret. Is ergo petiit celsitudinem nostram, recordari, quod piae memoriae genitor noster*

(*) Vide quae notauimus ad dipl. 8.

BIU Cujas

noſter Hludouicus Imperator ambo haec monaſteria exſtrui iuſſit ad normam videlicet praecipuorum in Gallia monaſteriorum, Nouam vtique Corbeiam ad ſimilitudinem antiquae Corbeiae, Heriſordenſe vero coenobium ad exemplum monaſterii Sanctimonialium in Sueſſionis ciuitate exiſtentium, et vt in eleemoſinam ſuam hac totius generis ſui inſtitutionem earumdem perfectio expleretur, cellam iuris ſui, quae vocatur Meppia, cum decimis et poſſeſſionibus vndique ad eam pertinentibus, et eccleſiam Eresburg, quam auus noſter Carolus primo extruens in Saxonia decimis dotauit, circum quaque habitantium per duas Saxonicas raſtas praefatus noſter genitor ad nouam Corbeiam tradidit, ad herfordienſis autem monaſterii adiumentum dedit, in epiſcopatu quidem Oſnabrugenſi eccleſiam buginthi cum ſubiectis ſibi eccleſiis, in parochia vero Mimigerfordenſi eccleſiam hreni, cum his, quae ad eam pertinent eccleſiis. Ita ſane, vt decimarum aliorumque redituum prouentiones praefatis cederent monaſteriis, et ab ipſis viciſſim procurentur ſubiectae plebes in baptiſmate, in euchariſtia, in ſepulturis, in confeſſione peccatorum audienda, et presbyteri, qui principales ex his eccleſias tenerent, archipresbyterorum officio fungerentur ad agenda omnia, quae ſolent fieri ab Archipresbyteris Epiſcoporum. Cum autem ipſi Epiſcopi circationes ſuas ibi agere deberent, ad eorum manſionatica daretur, quod in Capitularibus anteceſſorum noſtrorum praeſcriptum habetur. Nos igitur rata eſſe volumus cetera omnia, tantum expenſas ad miniſterium Epiſcopi propter aegritudinem et ſenectutem ei, quae nunc eſt Gozberti augere debemus. Id iuxta petitionem ſaepe dicti Abbatis Warini ita moderari placuit, vt deſcripto, quantum ſatis ſit ad ſeruitium Epiſcopi, hoc nullo modo ſubtrahatur, et epiſcopus viciſſim ampliora non requirat, nec cum pluribus veniat, quam vt eis ſufficere poſſint. In quibus ſatis eſſe conſenſit praefatus Epiſcopus coram nobis et archiepiſcopo noſtro HRabano ceteriſque cum eo in ſynodo agentibus. Item vt dentur ad ſingulas eccleſias porci quatuor, valentes ſinguli denariis duodecim et octo arietes, qui eadem pene ſumma, quod quatuor porci aeſtimarentur, tres porcelli, quatuor aucae, octo pulli, viginti ſitulae de medone, 20. de mellita cereuiſia, 40. de non mellita, 120. panes, 100. modii de auena, manipuli 600ti, ſitque in poteſtate Epiſcopi, vtrum haec per ſingulas eccleſias ad vnam manſionaticam, an ad duas velit habere. Ne autem in ſumma debiti his plus aut minus complectatur, hoc auctoritatis noſtrae praecepto cum conſenſu ſinodali decernimus atque iube-

BIU Cujas

mus. His etiam adiungere placuit liberam vtrique loco conceſſionem elegendae de propria congregatione in regimen ſuis per futura ſemper tempora congruae perſonae. Et vt omnis hinc dubietas tollatur, manu propria haec roborantes annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus.

Signum  *Hludouici Glorioſiſſimi Regis.*

Hadelbertus Subdiaconus ad vicem Baldrici abbatis recognoui, data 11. *Calend. Iunii anno Xmo.* (*) *regni glorioſiſſimi Regis hludouici in orientali Francia regnantis Indict.* 1. *Actum in palatio regio Franconofordt in Dei nomine feliciter Amen.*

XII.

Diploma Ludouici Germanici Corbeienſibus datum apud Schaten. *ibid. pag.* 143.

ANN. 855.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVICVS *diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis noſtrae munere de beneficiis a Deo nobis conlatis locis Deo dicatis aliquid conferimus, id nobis et ad mortalem vitam feliciter tranſigendam et ad aeternam perpetualiter obtinendam profuturum, liquido credimus. Idcirco notum fieri volumus omnium fidelium noſtrorum tam praeſentium, quam et futurorum ſagacitati, quia petente atque ſuggerente Warino, venerabili Abbate, qui monaſterium, quod dicitur noua Corbeia noſtra conceſſione in regimine habere dinoſcitur, quod piae memoriae Genitor noſter conſtrui iuſſit in honorem Dei et ſancti Protomartyris Stephani vbi et S. Viti Martyris pretioſa pignora ſeruari noſcuntur, complacuit Celſitudini noſtrae quamdam cellulam iuris noſtri, vocatam Fiſchboeki, quae eſt conſtructa in pago Leri, memorato monaſterio adiungere, atque per hanc*

(*) A diuiſione regni paterni anno 843. perfecta.

BIU Cujas

hanc noſtram auctoritatem ei tradere, vt perpetuo ſub eius ditione cum omnibus ad ſe pertinentibus et aſpicientibus conſiſtat. Hanc, vt diximus cellulam ſub integritate, cum omnibus rebus, appendiciis et terminis ſuis, et cum omnibus ad ſe pertinentibus, id eſt baſilicis, domibus, ceteriſque aedificiis, Decimis, ſiluis, campis, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, mancipiis diuerſi ſexus et aetatis, memorato monaſterio ſubditam eſſe facimus, atque per hanc noſtram auctoritatem ita condonamus atque tradimus, vt in iure eiuſdem ac monachorum inibi per tempora Deo inſeruientium in diuerſis neceſſitatibus ad diuinum cultum propenſius exequendum, abſque cuiuſlibet diminoratione aut retractione permaneat. Et nullus fidelium noſtrorum ab eorum dominatione vel poteſtate eam quoquo modo auferre, aut in aliam quamlibet partem quacumque occaſione transferre praeſumat: neque vllus iudex publicus, vel quilibet ex iudiciaria poteſtate in eccleſias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones memoratae cellulae, quas praeſenti tempore in quibuſlibet pagis et territoriis habet, ac deinceps ibidem conlatae fuerint, ad cauſſas iudiciario more audiendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius cellulae tam ingenuos, quam et latos (*) diſtringendos, aut vllas redhibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas vilo vmquam tempore ingredi audeat, vel ea, quae ſupra memorata ſunt, penitus exigere praeſumat. Sed liceat memorato Abbati ſub immunitatis noſtrae auctoritate, ſucceſſoribuſque eius et Monachis in memorato monaſterio per tempora degentibus iam dictam cellam cum omnibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus ad Dei et Domini noſtri, IESV Chriſti famulatum diligentius peragendum abſque cuiuſquam contrarietate vti, et quaecumque ad ſuos in Domini noſtri IESV Chriſti militia vſus et neceſſitates pertinent, ordinare, diſponere, iuſteque efficere. Quatenus pro pii genitoris noſtri animae ſaluatione, et pro nobis et coniuge proleque noſtra et pace noſtra ac ſtabilitate totius imperii a Deo nobis commiſſi alacrius eos indeſinenter Domini miſericordiam exorare delectet. Hanc quoque commonitionem ſubiungere curauimus, vt praefatus Abbas eiuſque per tempora ſucceſſores prouideant de praefata cellula, ne aliquando negligatur in diuino cultu, neque cuilibet perſonae in beneficium tribuatur, ſed potius procuretur, vt ibi in perpetuum Dei cultus perſeueret, et ad praefati monaſterii, Monachorumque ibidem Deo ſeruientium vſus et neceſſitates perpetuum proſpiciat. Et vt haec noſtra auctoritas inuiolabilem

(*) Lutas *ſiue* litos, *luidos*. SCHATEN.

BIU Cujas

labilem et inconuulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmauimus, et annuli nostri impressione assignari iussimus.

Signum  *Hludouici, serenissimi regis.*



Hadebertus Subdiaconus ad vicem Baldrici Abbatis recognoui. Data XIII. Calend. Aprilis anno XXIII. (*) Serenissimi Regis HLudouici in orientali Francia regnantis. Indictio. III. Actum in villa Lipilingas in Dei nomine feliciter Amen.

XIII.

Diploma Ludouici Germanici Paderbornense apud Schaten. *ibid. pag.* 149. et Conring. *Censur. diplom. Ludou. cap.* 4. *pag.* 27.

Ann. 859.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis nostrae munere loca Deo dicata et necessitates Ecclesiasticas per petitiones pontificum atque sacerdotum nostro releuamus munimine, atque tutemur iuuamine, id nobis et ad morta-

(*) Integrum diploma, nisi quod in anno regni orientalis error interuenerit ex scriptorum vitio, nam quod Cleinsorgius retulit, annum Ludouici regis XII. exhibet, id vero, quod ex Corbeiensibus tabulariis accepimus, annum Ludouici Regis XXIII. praefert: ex indictione tamen tertia in Corbeiensi adscripta, ad hunc annum 855. referre visum, qui regni orientalis Franciae passim XV. notatur. Schat. Immo verus est hic annus regni XXIII. si numeres ab anno 832. quo primum arma mouit Ludouicus, id regnum vindicaturus.

BIU Cujas

mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad aeternam obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter nouerit sagacitas, seu vtilitas omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque tam praesentium, quam futurorum, qualiter venerabilis Episcopus fideliſque noſter Batheradus nomine, veniens in procerum nostrorum praesentiam obtulit obtutibus nostris praeceptum Domini ac genitoris nostri Ludouuici, Sereniſſimi Imperatoris, quod ipse facere iussit per petitionem praefati venerabilis Episcopi ad locum, qui vocatur Patherbrunno, constructum in honore Sanctae Mariae semper Virginis et sancti Kiliani, in quo praecepto continebatur immunitas atque defensio seu tuitio domini Imperatoris, genitoris nostri supra praedictum locum, sed pro integra firmitate ac securitatis studio praefatus venerabilis Episcopus Bateradus deprecatus est mansuetudinem nostram, vt ipsam defensionem ac tuitionem per nostrae mansuetudinis praeceptum renouare dignaremur, cuius petitioni ob amorem Domini mei IESV *Christi et reuerentiam praenominati venerabilis Episcopi, seu animae nostrae remedium libenti animo assensum praebentes tale auctoritatis praeceptum ad ipsum sanctum locum fieri decreuimus, quatenus sub quali defensione domini genitoris nostri fuit, ita deinceps sub nostra tuitione et immunitatis defensione cum omnibus ad se iuste ac legaliter pertinentibus permaneat. Praecipientes ergo iubemus, vt nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratae Ecclesiae, quas moderno tempore infra ditionem regni nostri legibus possidet, vel quae deinceps in iure ipsius loci voluerit diuina pietas augeri ad causas iudiciario modo audiendas aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiae contra rationem distringendos, nec vllas redhibitiones vel illicitas occasiones requirendas vllo vmquam tempore ingredi audeat, vel ea omnia, quae supra numerata sunt, penitus exigere praesumat, sed liceat memorato Episcopo suisque successoribus res praedictae Ecclesiae cum omnibus, quae possidet, quieto ordine possidere, et nostro fideliter parere imperio: quidquid vero Fiscus exinde sperare poterat, totum nos pro aeterna remuneratione praedictae Ecclesiae ad stipendia pauperum et luminaria concinnanda concedimus, quatenus melius delectet clericos in eadem sede degentes pro nobis, coniuge proleque nostra Domini misericordiam exorare. Haec quippe auctoritas vt pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus sanctae Dei ec-*

BIU Cujas

cleſiae ac noſtris verius credatur et diligentius obſeruetur, manu propria noſtra ſubter eam firmauimus et annuli noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.

Signum  *Domni Ludouici Sereniſſimi Regis.*

Walto Subdiaconus ad vicem Witgarii Cancellarii recognoui. Data XI. Calend. Iunii anno Chriſto propitio XVIIII. (*) regni Ludouici Sereniſſimi Regis in orientali Francia regnantis Indict. VI. Actum Francofurt palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.

XIIII.

Diploma Ludouici Germanici Heruordienſe apud Schaten. *Annal. Paderb. lib. III. pag.* 157.

Ann. 865.

IN nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina fauente gratia Rex. Si enim liberalitatis noſtrae munere locis Deo dicatis quicquam conferimns, et neceſſitates eccleſiaſticas noſtro ſubleuemus iuuamine, atque regali tueamur munimine, id nobis ad aeternam

(*) Apud Conring. *Cenſ. dipl. Ludou. cap.* 4. *pag.* 98. legitur *ann. XVII.* male. Signum etiam aliud eſt, nempe tale:



BIU Cujas

nam vitam feliciter obtinendam profuturum, liquido credimus. Quapropter nouerit omnium fidelium noſtrorum induſtria, praeſentium ſcilicet et futurorum, qualiter nos ob amorem Dei et remiſſionem peccatorum noſtrorum, Auguſtiſſimorum Imperatorum ad monaſterium, quod dicitur Heriuurt, quod eſt conſtructum in honore Sanctae Mariae ſemper virginis, ſitum in Ducatu Saxonico, vbi praeſentibus temporibus Hadewic abbatiſſa et Rectrix eſſe videtur, quaſdam res proprietatis noſtrae in pagis Dreini et Boroctra cognominantibus, et in comitatibus Burchardi et Warini coniacentes, id eſt, caſas dominicatas duas cum territorio dominicali, vnam ſcilicet in Seliheim, et alteram in Stockheim, nec non ad manſos triginta pertinentes ad loca praenominata, et quidquid dici aut nominari poteſt, quae ad praedicta loca iure pertinere noſcuntur, cum familiis ſexaginta, quae lingua eorum lazi dicuntur, totum et integrum per hanc noſtram auctoritatem ad memoratum monaſterium perpetualiter in proprium tenendum conceſſimus, et de iure noſtro in ius et dominationem eiuſdem monaſterii transfundimus et condonamus, ea ſcilicet ratione, vt perpetuo Sanctimonialibus ibidem Domino iugiter famulantibus in cibariis et victualibus reliquiſque vſibus earum per futura tempora Chriſto propitio conſiſtant, et in beneficio res ipſae nulli concedantur, ſed ſolummodo abſolute ad menſam earum iugiter deſeruiant, et nullus ſucceſſor noſter hanc auctoritatem largitionis noſtrae aliter immutare poſſit, neque vllus publicus iudex, aut aliqua iudiciaria poteſtas aliquam moleſtiam aut contrarietatem in his rebus illis facere praeſumat; Sed liceat ipſis ſuas res libere et abſolute domino adiuuante et noſtra munitione tuente poſſidere, omni iudiciaria remota poteſtate. Et vt haec auctoritas largitionis noſtrae per futura tempora firmior habeatur, et a fidelibus noſtris melius conſeruetur veriuſque credatur, ſubter eam manu propria noſtra firmauimus et annuli noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.

S ignum  *HLudouici Sereniſſimi Regis.*

Hadebertus Subdiaconus ad vicem Vuitgarii Cancellarii recognoui et ſſ.

Data

BIU Cujas

Data Idus Iunias, anno Christo propitio XXVI. (*) hLudouici Serenissimi regis in orientali Francia regnantis. Indictione XIII. actum in villa Franconouurt palatio regio in Dei nomine feliciter amen.

XV.

Diploma Ludouici Germanici Heruordiense apud Schaten. *lib. III. pag.* 160.

Ann. 866.

IN nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina fauente clementia Rex. Si enim locis Deo dicatis quidquam ex rebus, quas diuino munere possidemus, largitatis gratia conferimus, hoc nobis procul dubio ad aeternam vitam promerendam profuturum, liquido credimus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum, industria, qualiter nos ob amorem Dei et pro absolutione peccatorum Antecessorum nostrorum Augustissimorum Imperatorum ac pro remedio animae nostrae quasdam res proprietatis nostrae, quas Folcheri fidelis noster hactenus in beneficium tenuit, in Ducatu Westfalorum, coniacentes in pagis Grainga et Trecwiti, nec non in comitatibus Burchardi, Waltberti et Albrici atque Letti. Id sunt mansi XIIII. cum familiis viginti, qui lingua eorum Luti dicuntur, ad monasterium, quod vocatur heriuurt, quod est constructum in honore Sanctae Mariae semper Virginis, Vbi Haduwic praesentibus temporibus Abbatissa et rectrix esse videtur, cum omnibus appendiciis totum et integrum ad praefatum monasterium, in proprium perpetualiter tenendum tradimus, et de iure nostro in ius et dominationem ipsius monasterii solenniter condonamus. Ita videlicet, vt nullus successor noster easdem res vlterius subtrahendi licentiam habeat, sed ab hodierno die Rectrices atque Sanctimoniales ipsius monasterii easdem res recipiant, atque deinceps per hoc nostrum praeceptum data licentia Christo propitio habeant potestatem vtendi pro communi vtilitate eorum, qualitercumque eis libuerit. Et vt haec auctoritas nostrae largitionis atque traditionis per futura tempora firmior habeatur, et a cunctis fidelibus nostris melius conseruetur, veriusque credatur, subter eam manu propria nostra firmauimus, et impressione annuli nostri roborari iussimus.

Signum

* Desumitur hic initium annorum Ludouici ab anno 840. quo Ludouicus Pius obiit. Schaten.

BIU Cujas

Signum  *hludouici Sereniſſimi Regis.*

Hadelbertus Subdiaconus ad vicem Vuitgarii Cancellarii recognoui et ſſ. Data VII. Calend. Maii anno XXVII. regni hludouici Sereniſſimi regis in orientali Francia regnantis Indictione XIIII. Actum in Francovurt palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.

XVI.

Diploma Ludouici Germanici Heruordienſe apud Schaten. *Annal. Paderb. lib. III. pag.* 167.

Ann. 867.

IN nomine ſanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina fauente gratia Rex. Si de rebus terrenis, quas diuina ſumus largitate conſecuti locis ſanctorum ob amorem Dei quiddam conferimus, hoc nobis procul dubio ad aeternae remunerationis praemia capeſſenda profuturum, liquido credimus. Idcirco nouerit omnium fidelium ſanctae Dei eccleſiae noſtrorumque praeſentium ſcilicet et futurorum induſtria, qualiter nos conceſſimus quaſdam res proprietatis noſtrae ad monaſterium, quod dicitnr Herifurt, ſiue ad reliquias Sanctae Mariae ſemperque Virginis in eodem monaſterio conſecratas, in pago videlicet Grainga, in villa, quae vocatur Kelueri, id eſt manſum in dominicatum cum domibus, aedificiis et omnibus adiacentiis, terris cultis et incultis, ſiluis, pratis ac paſcuis, de reliquo beneficio, quod Hrodradus comes habuit, dimidiam partem cum familiis ſupermanentibus vtriuſque ſexus numero viginti nouem. In alio autem pago, quod dicitur Sutherbergi, in villa, quae vocatur Lodre, octo familias et nouem manſos. Et in eodem pago in villa, quae vocatur Arpingi vnum manſum cum familia ſupermanente. Has itaque res, ſicut ſuperius diximus, cum domibus, aedificiis, mancipiis vtriuſque ſexus, ac terris, pratis, ſiluis, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, totum et integrum praedicto monaſterio ad proprium conceſſimus atque confirmaui-

BIU Cujas

mus. Quapropter hos apices serenitatis nostrae circa ipsum monasterium fieri decreuimus, per quos praecipimus atque iubemus, vt nullus iudex publicus in hominibus ipsius loci aspicientibus potestatem vllo vnquam tempore habeat, praeter aduocatum eorum; neque fideiussores illorum tollendo, nec in wadiis aut publicis placitis aliquam districtionem in eos faciendo, sed ob Dei amorem nostramque concessionem in futurum omnes res superius insertas ad iam dictum monasterium pleniter deseruiant, absque alicuius contrarietate aut impedimento. Et vt haec auctoritas donationis seu confirmationis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus sanctae Dei ecclesiae nostrisque verius credatur, atque diligentius conseruetur, manu propria nostra subter confirmauimus, et annuli nostri impressione adsignari iussimus.

Signum  *Domini HLudouici Serenissimi Regis.*

Comcatus Notarius ad vicem Radleici recognouit et ss. Data VI. Idus Decembris anno Christo propitio XXIIII. (*) regni Domini HLudouici glorioſissimi Regis in orientali Francia Indictione XV. actum in eodem monasterio Herifurd in Dei nomine feliciter Amen.

XVII.

Tabularum synodi Wormatiensis sub Ludouico Germanico habitae subscriptio apud Schaten. *Annal. Paderb. lib. III. pag.* 165.

Ann. 868.

Datum in Wormatia anno Incarnationis Domin. DCCCLXVIII. Imperii vero glorioſissimi Regis Ludouici anno XXVIII. Indict. I.

Signum Luidberti, Mogunciacensis Episcopi. Signum Adaluuini, Salzburgensis Episcopi. Signum Rymberti, Hammaburgensis Episcopi. Signum Altfridi, Hildenesheimensis Episcopi. Signum Guazonis, Wormatiensis Episcopi. Signum Salomonis, Constanz-

(*) Hic annus desumtus a diuisione regnorum facta anno 844. Schaten.

BIU Cujas

ſtantienſis Epiſcopi. Signum Annonis, Friſingenſis Epiſcopi. Signum Landfridi, Sabionenſis Epiſcopi. Signum Ermenrici, Patauienſis Epiſcopi. Signum Otgeri, Rubelacenſis Epiſcopi. Signum Luitgarii, Auguſtburgenſis Epiſcopi. Signum Luidberti, Mimigardniſordienſis Epiſcopi. Signum Thiadrici, Mimindenſis Epiſcopi. Signum Hildegrini, Haluerſtadienſis Epiſcopi. Signum Luthardi, Paderbornenſis Epiſcopi. Signum Eralt, Foridenſis Epiſcopi. Signum Aegiberti, Oſnabrugenſis Epiſcopi. Signum Bernardi, Chorepiſcopi. Signum Heionis, Abbatis et presbyteri. Signum Adalgari, Abbatis et presbyteri. Signum Thiatrici, Abbatis et preſbyteri. Signum Thiadorici, Abbatis et preſbyteri. Signum Branwardi Abbatis. Signum Egilberti Abbatis.

XVIII.

Diploma Ludouici Germanici Heriſienſe apud Schaten. *ibid. p.* 169.

Ann. 871.

IN nomine ſanctae et Indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Notum ſit omnibus S. Dei Eccleſiae fidelibus, noſtriſque praeſentibus et futuris, qualiter Luithardus, Venerabilis Eccleſiae Paderbornenſis Epiſcopus, ſuggeſſit Serenitati noſtrae, vt ei liceat conſtruere quoddam monaſterium Sanctimonialium in loco, qui dicitur Heriſi, vna cum decreto Luidberti Archiepiſcopi noſtri, atque omnium Conſynodalium ſuorum Epiſcoporum, ſimulque omnium Conſacerdotum et Clericorum Paderbornenſis Eccleſiae, ea videlicet ratione, quod ipſe et Soror eius, nomine Walburg in ſanctimoniali propoſito permanens, tradiderunt ſuam proprietatem ad praefatam ſanctam Eccleſiam Paderbornenſem, quae eſt conſtructa in honore S. Dei genitricis Mariae, qualiter eaedem res perpetualiter in eiuſdem monaſterii poteſtate conſiſterent. Poſtea vero deprecatus eſt noſtram Celſitudinem praefatus venerabilis Epiſcopus Luithardus, vt praefatum monaſterium Heriſi et res ad illud pertinentes ſub noſtrae munitatis factione et defenſione ſuſciperemus. Cuius petitioni ad amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti libenti animo aſſenſum praebentes, decreuimus atque iubemus, vt praeſcripta ſuper (*) Luithardi Epiſcopi nomine

(*) lege *Soror*. Schaten.

BIU Cujas

mine Walburg, praefatum monaſterium, quod vocatur Heriſi, omnibus diebus vitae ſuae ſecuriter per hoc noſtrae auctoritatis praeceptum habeat. Poſt huius vero obitum licentiam habeant inter ſe eligendi Abbatiſſam, vna cum conſenſu et conſcientia praefatae Paderbornenſis eccleſiae praeſulis et mundiburdium et defenſionem de Rectore praefatae Paderbornenſis Eccleſiae habeat praefatum monaſterium Heriſi, et per vnumquemque annum quatuor ſolidos ad eamdem Dei Eccleſiam perſoluat, ſimulque manſi X. in villa nuncupata Hayonhus, quae illuc venerabilis Epiſcopus perpetualiter pertinenda conceſſerat, cum decimis villarum, quae vocantur Heriſi, Schmachtum, Dortgardinum et Suthgardinum cum appendiciis ſeu villulis ſupradictarum ancillarum Dei tradidit per hoc noſtrae auctoritatis praeceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, ſed Deo auxiliante perpetuis temporibus permaneant, abſque aliquo contradicentis obſtaculo. Volumus etiam atque praecipimus, vt ſaepe iam dicti monaſterii ancillarum Dei homines non alio modo a iudiciariis poteſtatibus diſtringantur, niſi eorum aduocato a nobis conſtituto, ſicut Epiſcopo Paderbornenſi praeceptum conceſſimus. Epiſcoporum quoque ſynodale decretum cum ſcripto et ſigno ſubſcriptionis ſuper praefatum monaſterium puellorum Dei, Heriſi nomine noſtrae largitatis conceſſione firmatum permaneat. Et vt haec auctoritas largitionis noſtrae firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur, et diligentius obſeruetur, manu propria ſubter eam firmauimus, et annuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus. Data Idus Iunii Anno Chriſto propitio XXXII. regni Domini Ludouici, ſereniſſimi Regis in orientali Francia regnantis, indict. IIII. actum Tiburias in Dei nomine feliciter, Amen.

XVIIII.

Subſcriptio tabularum Alfridi, epiſcopi Hildeſienſis, quibus monaſterium Eſſendienſe fundauit, apud Schaten. *ibid. pag.* 175. et plenius apud Dithmar. *Cod. dipl. Cliu. Iul. n.* 58. *p.* 51.

Anno 873.

Anno incarnationis Dominicae DCCCLXXVII. (*) ſub piiſſimo Rege Ludeuuico, anno imperii eius XXXVI. (**) apud Coloniam ciuitatem V. Calend. Octobr. in ipſo die dedicationis Baſilicae S. Pe-

(*) LXXIII. Schaten. rectius, quia Ludouicus anno 876. obiit.
(**) XXXIIII. Schat.

BIU Cujas

S. Petri. Ego Alfridus Episcopus hoc priuilegium coram domino Wilberto, (*) praedictae ciuitatis Archiepiscopo recitaui, nec non coram Luitberto Moguntiacensi Archiepiscopo, et Bertolfo Treuerensi Archiepiscopo, et Berhardo, Verdunensi Episcopo, atque Tiederico Mimidonen. Episcopo, et Herolfo Ferdensi Episcopo, et Luithardo Paderbornensi Episcopo, atque Hildegrino Haluerstadiensi Episcopo, et Odolfo Mimigernafurdensi Episcopo, et Othiboldo Traiectensi Episcopo, et coram Luitberto Osnabrugensi Episcopo, nec non coram aliis quam plurimis sacri ordinis viris, qui ob supradictae Ecclesiae dedicationem conuenerant.

XX.

Diploma Ludouici Germanici Corbeiense apud Schaten. *ibid. pag.* 177.

ANN. 873.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina fauente gratia Rex. Conuenit Regiae dignitati semper studere, ne Ecclesiarum Christi status aliqua occasione labefactari incipiat. Ex hoc enim et praesens vita sub maiori prosperitate transigitur, et aeternae beatitudinis merces maxima acquiritur. Quapropter expedit nobis saepius retractare concessiones antecessorum nostrorum, simul et nostra praecepta de immunitate Ecclesiarum ab exactionibus publicis confirmare, vt et, quae prius concessa sunt, nusquam infringi patiamur, et de his, quae forte minus expresse annotata sunt, et ideo in antiquis praeceptis non contineri contenditur, per nouorum confectionem omnem in futurum dubietatem tollamus. Notum ergo esse volumus omnibus tam praesentis aeui, quam succedentium temporum Christi fidelibus, quia nouae Corbeiae monasterium iussu glorioſi Genitoris nostri constructum est in honorem S. Stephani protomartyris Christi, et per voluntatem eiusdem Imperatoris corpore est B. Viti Martyris insignitum. Sed et ex integro ab omnibus publicae exactionis officiis et expeditione hostili tam de litis, quam de ingenuis hominibus, terram eius incolentibus absolutionem promeruit, in quo et nos comprehensum aexistimauimus, et hactenus obseruatum comperimus, vt decimae de dominicatis eiusdem monasterii mansis non darentur Episcopis. Sed ad

 portam

(*) DITHMARVS Wiliberto.

FACULTÉ DE DROIT DE PARIS BIBLIOTHÈQUE

BIU Cujas

portam monaſterii darentur in eleemoſinam praefati Genitoris noſtri, et totius proſapiae eius, vt videlicet eſſet, vnde miniſtraretur peregrinis et hoſpitibus, qui numquam deſunt monaſterio; nunc vero exorta quaeſtione per quoſdam Epiſcopos vtrumnam hoc eidem monaſterio Genitoris noſtri noſtroque praecepto conceſſum ſit: quanquam, vt ipſi dicunt, nominatim non ſit expreſſum, ſub generali tamen confeſſione (*) liberae diſpoſitionis rerum ſuarum etiam hoc comprehenſum fatemur. Sicut et ſeniori Corbeiae, ad cuius normam haec noua inſtituta eſt et praecipuis quibuſque monachorum monaſteriis anteceſſores noſtros conceſſiſſe comperimus, et ne deinceps aliqua dubietas fiat, rogatu venerabilis viri, Adalgarii Abbatis eiuſdem monaſterii per hoc noſtrae poteſtatis praeceptum decernimus atque iubemus; vt et omnia, quae prius habuit, immunitatis praecepta rata et inconuulſa habeantur, et per hanc conſcriptionis noſtrae Cartam ſpecialiter ei conceſſum ſciatur, vt de Dominicatis manſis vel nunc habitis, vel poſt acquirendis a reddendis decimis plenam hoc monaſterium habeat immunitatem, niſi, ſicut hactenus fuit, vt dentur ad portam monaſterii in ſuſceptionem hoſpitum et peregrinorum. His omnibus adſtipulari recens Adriani Apoſtolici praefato Abbati collatum priuilegium cognouimus, dum huius apud nos controuerſiae quaeſtio ventilaretur. Et vt haec auctoritas noſtrae largitionis firmior habeatur, atque per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur, manu propria ſubter eam firmauimus, atque annuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.

Signum Domini HLVDOVICI *Hludouici Sereniſſimi Regis.*

Hebarhardus Cancellarius ad vicem Luitberti archi-Capellani recognoui et ſſ.

Data XVI. Calend. Iulii anno ab Incarnatione Dominica DCCCLXXIII. Regni autem Domini Hludowici, Sereniſſimi Regis in orientali Francia regnante anno XXXIIII. Indict. VI. Actum Aquiſgrani palatii in Dei nomine feliciter, Amen.

XXI.

(*) Fortaſſ. *conceſſione.*

BIU Cujas

XXI.

Diploma Ludouici Germanici Corbeiense eiusdem anni apud Schaten. *ibid. pag.* 178.

ANN. 873.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLudouicus diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et necessitates ecclesiasticas nostro releuamus iuuamine, atque Regali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad aeternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum sollertia, qualiter nos ob nostrae mercedis augmentum et pro remedio animae Domini aui ac Genitoris nostri, nec non fratris nostri HLotharii, suique filii et aequiuoci concessimus quasdam res proprietatis nostrae ad monasterium, situm in Saxonia, quod nuncupatur noua Corbeia, id est, villam, quae vocatur Lizzicha, vbi sunt homines L. qui picturas faciunt et picturae Vinearum quinquaginta et septem particulae Vinearum. Vbi duae Carradae colligi possunt, et sunt ibi 30 foeminae, quae dant censum, vnaquaque sex siclas vini, et de lino XII fusos, III pullos et XV oua, et de terra aratoria ad L modios, et de pratis ad Carradas X. Has itaque praescriptas res cum omni integritate totum et ad integrum ex iure et dominatione nostra in ius et dominationem praescripti monasterii tradimus atque transfundimus. Ea videlicet ratione, vt ab hodierna die et deinceps per hoc nostrae auctoritatis praeceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante perpetuis temporibus ibi permaneant, absque vlla contradictione, vel eis pro nostra ac Coniugis carissimaque prole, salute Domini clementiam facilius exorare delectet. Et vt haec auctoritas largitionis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu propria subter eam firmauimus, et annuli nostri impressione assignari iussimus.

Signum

BIU Cujas

Signum  *Domini HLudouuici Sereniſſimi Regis.*

Hebarhardus Cancellarius ad vicem Luitberti Archicapellani recognoui et ſſ.

Data VII. Calend. Octobris anno XXXIIII. regni Domini HLudouici Sereniſſimi Regis in orientali Francia regnantis. Indict. VI. Actum Aquiſgrani palatii in Dei nomine feliciter Amen.

XXII.

Diploma Ludouici Germanici Germanice verſum, et hinc inde ſuſpectum apud P. Ignatium Gropp. in *Aetate mille annorum monaſterii Amorbach, pag.* 192.

Ann. 856.

IN dem Name der heyligen vnd der vngeteylten Driualtikeyt Amen. Wir Ludewig von Gotlicher Gnade Römiſcher Kunig ſind geneyget, vnd habin Gnade zu erhorende rechte bede der Dyner Godes, vnd der dy ſich uben yn Gotlicher myne vnd ubunge, vnd haben wyllen zu gebin, vnd mit zu teylen der Gabe, dy vns von Gode iſt verlyhen; Darum ſoll ſin kunt vnd wiſſen allen unſern Getruwen unſeres Riches, dy yzunt ſin, oddir hernach kumen, wy der Erbir Man, Spatto genant, Apt des Cloſters, daz da heizzet Amorbach mit ſynen Brudern deſſelben Kloſters quam zu unſer Mechtekeyt, und flehet, und bat demudeclichen, daz wir durch dy Liebe unſer Frauwen dy Gebererin Godes ewig Magt, yn der Ere daz vorgenante Gotshuſs iſt gewyhet, und auch durch dez Ewigen Lones willen, geben vnd verlyhen den Brudern, dy Gote daſelbes dynen, etliche hilfe Waldes und Fiſch Weide von dem, daz da by dem vorgenantem Kloſter nahe gelegen iſt. Des haben wir in gatige vnd rechte Bede angeſehen, vnd auch dauon, daz ez uns vnd unſer Furſten fugſam duchte: So geben wir aus

Unſer

BIU Cujas

Unſer Gunſt, vnd mit unſern gewalt, und auch mit der ſtrengekeyt unſeres Gebodes geben wir yn den Walt, der da heizzet Wolckmar, mit der Fiſche weyden, die ſich aneheben, da ſich dy Bach Moda teylet, ynd eyn Werdelin odder eyn Inſeln machet, daz man heyzzet der Munch Wert, davon daz dieſelbe Herren, der Apt und Bruder des vorgenanten Cloſters Wyſten uns vor viel Furſten, dy gegenwertig waren, gude Urkunde, diz ſy hetten von unſern Eltern, und bezugeten, daz dazſelbe des Cloſters eygen vvere, und rechtlich Erbe. Wir geben yn auch dy Fiſche Weyde biz an dy Statt, da dyſelbe Bach yn fluzzet daz Wazzer yn den Meyn, und dy Statt iſt genant Vachhuſen. Und vvir geben yn auch an derſelben Stat eyn Werdelin und Flecken mit den Zugehorende der Fiſche-Weyde, und auch des Waldes, daz zu demſelben Werdelin und Flecken gehôret. Daz iſt, daz vvir yn geben von derſelben Stad, biz über daz Tal, oddir den Graben, genant Strichental, und daz Bruneis, daz man heyzzet den turren Brunnen. Vnd daz dyſe unſer Gevvalt und Gebunge alſo by unſer vnd Unſer Nachkumen Ziten mit Godes hilfe muge unverſert und unverbrochen blyben, ſo haben vvir mit Unſer eygen Hand, daz hy vnden geſeſtend, und haben dyſe Sache heyzzen gezeychent mit yndruckung unſers Ingeſiegl.

Daz iſt das Zeychen Herrn Ludevviges des allerluterſten Küniges.



Ragenbert bekante an Rodeleyn Stat. Dyſer Briff iſt gegebin, da man zalte von Chriſtes Geborte Achthundert Iar vnd darnach in dem Sechs und zvvenzigiſten Iare, yn Sechzzehenden Iar des Riches des aller luterſten Kunigs vnd Herren, Herrn Ludevviges, (*) und geſchach zu Vorcheym in Godes Namen.

XXIII.

(*) Apud alios ſcriptores reperire eſt eius modi chartas, quae annos regni Lu. *Heineccii Opuſc. poſtum.* douici regis ab 840. numerent. Eamdem epocham in praeſenti etiam in praeſente

BIU Cujas

XXIII.

Diploma Ludouici Germanici Lamſpringenſe apud Harenberg. *Hiſt. Gandersh. diplom. diſſ. II. de aduocatis monaſt. Ganderſh. pag.* 139. et Leukfeld. *Ant. Ganderſh. pag.* 290.

ANNO 873.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVICVS, *Dei fauente clementia Romanorum Rex.* (*) *Si petitionibus ſeruorum et ancillarum Dei iuſtis et rationabilibus diuini cultus amore fauemus; ſuperna nos muneris gratia non diffidimus. Ideo notum facimus tam praeſentis aeui, quam futuri vniuerſis fidelibus, monaſterium ancillarum Dei, quod in loco, qui* LAMSPRING *dicitur, ſitum eſt, prudenti fundatoris inſtantia obtinente, fideliter nos in noſtram regalem tuitionem et mundiburdium ſuſcepiſſe, quatenus in vigore ſanctae religionis omnipotenti Deo ibi famulantes feminae ſecura deuotione beatae contemplationi valeant operam dare. Hoc enim monaſterium* ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS, *et per omnia nobis et regno fidelis* RIDDAGVS *Comes eiuſque ſapientiſſima coniux* IMHILDIS *nomine, conſilio diuae memoriae Domini* SERGII *Papae et noſtro conſenſu Domino Deo vniuerſorum, perpetuaeque Virgini Beatae Mariae in honores pretioſi martyris* ADRIANI *de patrimoniorum ſuorum iuſtis poſſeſſionibus pia deuotione conſtruxerunt, et ob irrefragabile ſtabilimentum omnium rerum ſuarum, quas immobiliter ibi contulerunt Deo dilectam filiam ſuam* RICKBVRGAM, *quam meritis eiuſdem glorioſi martyris vnico pignore ſolam heredem habere meruerant, Domino ibidem virginem ſacram deuouerunt, primam quoque loci abbatiſſam fieri ſanxerunt, ob conciliandum vero munimenti fidele patrocinium et oportunum in poſteros praeſidii ac ſecuritatis per omnia beneficium ad principalem ſanctae Hildeſemenſis Eccleſiae ſedem in beatae Mariae ſemper Virginis tutiſſimam*

noſtro diplomate obſeruatam eſſe iudicamus. Annus incarnationis et regni ſimul iungitur. Iuxta eam vero annus decimus ſextus regni Ludouici regis, quem diploma refert, anno Chriſti 856. reſpondet. - - Qui primus hoc diploma in linguam Germanicam vertit, hic quoad annum non videtur erraſſe. Sed alius quis negligentior ſcriba non inſpectis bene litteris ſ in z mutauit, qui error in antiquis chartis facillimus eſt; eoque admiſſo pro *fuenzigſten* ſcripſit zuenzigſten, quo vno totum diploma maxime vitiauit. Itaque pro anno *Sechs vnd zwenzigſten* legendum *ſechs vnd funfzigſten.* Vno hoc errore emendato, reliqua ſua ſe veritate tuentur GROPP.

(**) Aduocatus potius. HARENBERG.

BIU Cujas

tissimam protectionem eumdem locum simul cum suis omnibus oblatione solenni spe futurorum bonorum transtulerunt, eo scilicet pacto, vt sine praeiudicio aut impedimento EPISCOPI SVI *consultu et assensu benigno earumdem ancillarum Christi congregatio personae sibi competentis in Domino liberam electionem semper habeant, atque sub eius paterna defensione sua omnia firma quiete et inconcussa stabilitate perhenni pace possideant, ad testimonium huius fidelissimae actionis ad iudicium veritatis et monumentum pietatis tradendum posteris Dominus Alfridus Hildesemensis Praesul venerabilis communi consensu congregationis suae in beneplacito totius Ecclesiae suae pro augmento seruitutis diuinae de manu sua eidem loco decimas banni sui auctoritate firmando contradidit, pro quibus tamen vice aeterna, vt in pace bona vtrobique sapienter suauiterque disponerentur omnia, de Dote illius Ecclesiae praecipua quaedam praedia cum aedificiis suis in Hildensemensibus Campis et in* VILLA ODENHVSEN, *praeterea omnem Foloberti constirpationem recepit (Wolperode.) Nihilominus et hoc inuiolabiliter sancitum est, ac sacramento firmatum est, vt si quando, machinante Diabolo, malignitate prauorum hominum temerari contingat hanc pontificalis Doni concessionem, illa etiam ex integro ad dictae Ecclesiae suae, cuius dos erant, primariam redeunt possessionem cum omnibus aedificiis suis et culturis immobilis ergo firmitatis gratia regalis nostrae auctoritatis iusta super haec damus praecepta, quae omnimodis voluimus esse inuiolabilia, consensus namque cunctorum Regni procerum statuendo firmamus, praecipiendo mandamus, quatenus ex hoc et per omnes futurorum temporum successiones inuariabilis maneat haec vniuersa constitutio decretorum: et vt nulla deinceps auctoritas, aut potestas vel temeritas aliquam praesumat praefato S. Adriani monasterio violentiam, seu rapinam aut calumniam vllo ingenio, seu qualibet occasione inferre, nec homines illius distringere, aut fredas siue redhibitiones vel thelonea exigere, aut in expeditionem cogere, sed sub nostra et successorum meorum, et proprii Episcopi et successorum horum, nec non regni nostri Principum fideli defensione omni futuro tempore absque perturbatione Christi famulantium sancta congregatio cum omnibus suis possessionibus, praediis, decimis, terris cultis et incultis, mancipiis vtriusque sexus, villis, areis, pratis, pascuis, siluis, venationibus, aquis aquarumue decursibus, piscationibus, viis et inuiis, quaesitis et inquirendis, habitis et habendis, ceterisque omnibus appendiciis et vtilitatibus, quae*

BIU Cujas

quomodocumque nominari possunt, iucunda quiete iugiter imperturbata consistat, ac pro nobis et pro statu regni nec non pro omni sancta Ecclesia Dei superam misericordiam libera deuotione sine intermissione suppliciter exoret, huic nostrae secundum iustitiam Dei iustae constitutioni si quis temere contraire praesumserit, et horum aliquid infringere ausus fuerit, si non digne in beneplacito incolarum loci quantocius per omnia satisfecerit, primo eum vt inimicum Dei districtissimae vltioni diuinae militari gladio sancti Adriani terribiliter feriendum tradimus: deinde vt publicum hostem Regni omni gratia, honore ac iustitia priuamus, et iudicialis gladii nostri animaduersione persequendum, et de terra exterminandum, nemine parcente, aut miserente, foras mittendo, publicae damnationi exponendo, proscribimus. Porro iniuriam patientibus Dei iustitia et regale iudicium ad sua requirenda nequaquam deficiet. Et vt haec auctoritas nostra firma stabilitate insolubiliter atque ineuitabiliter rata atque permanens habeatur, manu propria super eam firmando anuli nostri impressione in nomine Domini signamus. Actum Dominicae Incarnationis Anno octingentesimo septuagesimo tertio gloriosissimi Ludouuici Regis anno trigesimo quarto. Datum Aquisgrani in Palatio Regio coram Regni principibus. Idus Iunii, Indictione sexta.

Signum Hludouici Serenissimi Regis Romanorum.



Euerhardus Cancellarius ad vicem Lamberti Archi-Capellani recognoui. In Dei nomine feliciter Amen.

XXIIII.

BIU Cujas

XXIIII.

Diploma Ludouici Germanici Fuldense inter *Traditiones Fuldenses* ex autographo editum a Schannat. *Tradit Fuld. n.* 469. *pag.* 189.

ANN. 845.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. HLVDOVVICVS *diuina fauente gratia Rex. Si enim ea, quae fideles regni nostri pro eorum oportunitatibus inter se commutauerint, nostris confirmamus edictis, Regiam exercemus consuetudinem, et hoc in posterum iure firmissimo mansurum esse volumus: idcirco nouerit omnium Fidelium nostrorum, tam praesentium, quam et futurorum industria, quia vir venerabilis* HATTO, *Abbas ex monasterio Sancti Bonifacii, vbi praeclarissimus Martyr corpore requiescit humatus, nec non et quidam vir Inluster Comes* HESSI, *atque Fideles nostri, dixerunt nobis, eo quod pro ambarum partium oportunitate de quibusdam rebus et mancipiis nuperrimam commutationem fecissent: dedit igitur memoratus Abbas ex ratione monasterii sui eidem Hessi Comiti ad partem regis tenendum in duabus villis Bleihueld et Gruonbah nuncupatis atque terminis earum hobas viginti quatuor et mancipia quadraginta his nominibus Gozmar, Geruuart ---- et e contra in compensatione huius rei dedit praefatus Hessi Comes eidem Abbati ad partem monasterii sui in futurum tenendum de rebus Beneficii sui, quod proprietas Regis erat, in duabus villis, quae vocantur Quirnaha et Espinaueld et in terminis earum hobas viginti quatuor et mancipia quadraginta, quorum haec sunt nomina, Harp. Albrih, Zeizhilt. cet. --- vnde et duas commutationes pari tenore conscriptas, manibusque bonorum hominum roboratas ad relegendum nobis ostenderunt, sed pro integra firmitate ac securitatis studio petierunt Celsitudinem nostram, vt easdem commutationes per nostrum mansuetudinis praeceptum confirmare deberemus, quorum petitionem denegare noluimus, sed sicut vnicuique fidelium nostrorum iuste petentium, ita nos illis concessisse atque in omnibus confirmasse omnium fidelium nostrorum cognoscat magnitudo, praecipientes ergo iubemus, vt quidquid pars iuste et rationabiliter alteri competit parti, per hanc deinceps nostram auctoritatem iure firmissimo teneat atque possideat: ea videlicet ratione, vt res, quas Hatto Abbas dedit, in nostra dominatione in futurum permaneant, et res, quas Hessi Comes dedit memorato Abbati, ad suum monasterium*

BIU Cujas

consistant; et vt haec auctoritas concessionis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora verius credatur diligentiusque conseruetur, de anulo nostro subter eam iussimus sigillari.

COMEATVS *notarius ad vicem* RADLEICI *recognoui. Data V. Kal. Nouemb. anno Christo propitio XII. regni Domni* HLVDOVVICI *Regis in orientali Francia.* (*) *Indict. VIII. actum Reganesburg ciuitate in Dei nomine feliciter. Amen.*

XXV.

Diploma Hattonis, abbatis Fuldensis, apud Schaten. *Tradit. Fuld. n.* 470. *pag.* 190.

ANN. 846.

IN Christi Nomine. Ego HATTO *humilis Abbas ex monasterio Sancti Bonefacii, vbi ipse praeclarissimus Martyr Corpore requiescit humatus, tradidi de rebus Sancti Bonifacii vna cum consensu et conhibentia monachorum, in eodem monasterio degentium, domno* HLVDOVVICO, *serenissimo Regi, secundum suam licentiam in tribus villulis, quae nuncupantur Zutilinga et Vuillihershus, et Thuna omnia et ex omnibus, quidquid in praescriptis villis et marchis ad eas pertinentibus vel aspicientibus et ad praefatum monasterium tenere visus fui, praeter vnum curtilem, et in Mechitamulinero-marcha de terra curtilem vnum, id est, mansis, domibus, aedificiis desuper positis, mancipiis vtriusque sexus et aetatis, terris cultis et incultis, campis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, adiacentiis, viis, exitibus et regressibus, quaesitum et ad inquirendum, totum et integrum Domno HLudouuico Glorioso Regi ad suum proprium*

(*) Hucusque Ludouici in orientali Francia annos passim ab obitu Ludouici Pii numerari obseruauimus, quemadmodum in sequentibus traditionibus. Nunc duo haec concambia autographa excipienda sunt, vbi alia calculi ratio ineunda est, non quidem ab anno 833. vt post longam disquisitionem verosimilius statuit Mabillonius, sed ab anno 834. Nam praeterquam quod in vtraque charta annus et indictio nouae huic nostrae epochae apprime conueniant, fauet insuper aliud eiusdem regis diploma, alias suo loco exhibendum, quod datum est Francofurti *Non. Febr. anno Christo propitio primo, regni Domni HLudouuici regis in orientali Francia indictione XII.* vbi indictio XII. correspondet anno 834. SCHANNAT.

BIU Cujas

prium perpetualiter tradidi, atque legaliter corroboraui, ea videlicet ratione, quia ipſe piiſſimus Dominus Rex in recompenſatione earundem rerum tradidit de rebus ſuis propriis per ſuum manſuetudinis praeceptum ad Sanctum Bonifacium in futurum firmiter tenendum quae ſunt in Bochonia, quas Harduvigus Vaſallus ipſius Principis prius per ſuum beneficium habuit in Eitrungfeldono-marcha omnia et ex omnibus, quicquid illuc eſt, totum et integrum ad iam dictum locum conceſſit et confirmauit. † *Signum* HATTONI *Abbatis, qui hanc traditionem fieri et adfirmari rogauit.* † *Signum Bernochi presbiteri.* † *Signum Hunrati presbyteri.* † *Signum Theotmari presbiteri.* † *Signum Leobſuni presbiteri.* † *Signum Megingozi presbiteri.* † *Signum Hruodolfi presbyteri.* † *Signum Hattoni presbiteri.* † *Signum Engilberti presbiteri.* † *Signum Marchovvardi presbiteri.* † *Signum Hruotgarii presbiteri.* † *Signum Hruotberti presbiteri.* † *Sig. Ortolti Diac.* † *Sig. Reginhardi Diac.* † *Sig. Engilhardi Diac.* † *Sig. Hruotleichi Diac.* † *Signum Hermanni Diac.* † *Signum Manovualdi Diac.* † *Helmgozi Diac. Signum Vuolfleoz Diac.* † *Baldhard Diac.* † *Sig. Sibigelti Diac.*

Actum FRANCONOFVRT *Palatio Regio ſub die XV. Kal. aug. Anno Chriſto propitio XIII. Regni Domni* HLVDOVVICI, *glorioſiſſimi Regis in orientali Francia. Indict. VIIII. in Dei nomine feliciter Amen.*

Ego HERMANNVS *Diaconus per iuſſionem* HATTONI *Abbatis ſcripſi et ſubſcripſi.*

XXVI.

Praeceptum Ludouici Germanici Fuldenſe apud Schannat. *Tradit. Fuldenſ. n.* 477. *pag.* 193.

ANN. 856.

LVDOVICVS *diuina fauente clementia Rex. Notum ſit omnibus Fidelibus Sanctae Dei Eccleſiae noſtriſque familiaribus, praeſentibus ſcilicet et futuris, quia quidam Abbas* HATTO, *vir religioſus et ſpiritualis vitae de Fuldenſi Monaſterio, cui ſpeciali deuotione ſemper et libenter annitimur propter Beatiſſimi Martiris Bonifacii merita glorioſa, qui in praefata requieſcit Eccleſia. Serenitatem noſtram adens innotuit auribus noſtris, qualiter quaedam res iuris noſtri ipſius Eccleſiam circum-*

BIU Cujas

*circumiaceret, ac per hoc Celsitudinem nostram deprecabatur, vt illud praedium nostrum ad praefatum Fuldense monasterium conferre decreuissemus, cuius petitioni ob diuinum amorem et veneration*em *eiusdem supradicti Abbatis aurem pietatis nostrae accommodantes et assensum praebentes, quidquid* SIGIHARDVS *Comes, in villa Heitungesfeldon nuncupata Beneficii a nobis habuit cum duobus locis, vocabulo Roggunstat et Hucheleheim, et sicut nunc ad eadem loca dignoscitur de terra arabili pertinere vbicumque in Heitungesfeldo marcha iaceat, totum illud et integrum Sancto Bonifacio tradimus cum mancipiis et territoriis, et eandem siluam in qua Roggunstat sita est vt his omnibus Monasterium Fuldense nunc et perpetuis temporibus feliciter et quiete vtatur; haec itaque Sancto Bonifacio et monachis illis, qui in Fuldensi monasterio Deo deseruiunt vtenda concedimus cum omni integritate in Elimosinam Domini et piissimi Genitoris nostri praecipientesque iubemus, vt quidquid de praefatis rebus Rectores Fuldensis ecclesiae ab hodierno die ad vtilitatem ipsius loci et seruorum Dei facere voluerint, liberam in Dei nomine habeant potestatem, eo tenore et conditione, vt per hoc eos melius delectet pro nobis et coniuge proleque nostra et stabilitate Regni a Deo nobis commissi diuinam clementiam attentius exorare, et vt haec auctoritas donationis et confirmationis nostrae per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem, manu nostra propria hanc cartulam firmauimus et anuli nostri impressione insigniri praecepimus.*

Signum Domni LVDOVICI *Regis.*

REGINBERTVS *Cancellarius recognoui.*
Data pridie Idus Februarii. Actum FORECHEIM *feliciter Amen.*

XXVII.

Praeceptum Ludouici Germanici Fuldense ex vetere apographo editum a Schannato *n.* 510. *pag.* 205.

ANNO 868.

LVDOVICVS *diuina fauente clementia Rex. Notum sit cunctis fidelibus nostris praesentibus et futuris, qualiter quidam vir nobilis ac fidelis noster* EVERVUARDVS *nomine omnes res proprietatis suae, quas ex meridiana parte Lippae fluminis habere visus fuit in pago Dorerinse,*

totum

BIU Cujas

totum et integrum ad monasterium sancti Bonifacii Fuldae tradidit atque firmauit, et vt deinceps ad idem monasterium perpetua stabilitate donatum permaneat, optauit denuo scilicet THIETO *venerabilis eiusdem monasterii Abbas atque idem vir religiosus Euervuardus nomine, vt eandem traditionem nostra regali auctoritate firmaremus; quorum petitioni libenter acquiescentes hanc nostrae auctoritatis cartam inde conscribi iussimus, per quam memoratam traditionem ad monasterium sancti Bonifacii perpetuo iure firmamus, nostroque Regali praecepto et imperiali decreto munimus, ita videlicet, vt neque ipse Euervuardus nec quaelibet persona vllius dignitatis vllo vmquam tempore eamdem traditionem in nostra praesentia factam infringere vel immutare possit; Sed ab hodierno tempore ad memoratum monasterium prafati Euervuardi proprietas, per hanc nostram auctoritatem confirmata, firmiter semper et inmutata consistat, et quidquid Rectores eiusdem Ecclesiae de iisdem rebus pro vtilitate fratrum ibidem Deo famulantium facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem, et vt haec confirmationis auctoritas per futura tempora firmior habeatur, ac melius a cunctis fidelibus credatur, hanc cartam nostra praeceptione inde conscribi, ac anuli nostri impressione insigniri iussimus.* ADALBERTVS *Cancellarius recognouit et subscripsit. dat. IX. Kal. apr.* VUORMATIAE.

XXVIII.

Praeceptum Ludouici Germanici Fuldense, ex Chartario editum a Schannat. *Tradit. Fuld. n. 511. pag. 206.*

ANN. eod.

LVDOVICVS *diuina fauente clementia Rex. Notum sit omnibus sanctae Dei ecclesiae nostrisque fidelibus, praesentibus scilicet et futuris, qualiter venerabilis* THIETO *Abbas innotuit Celsitudini nostrae, quod quidam homo nobilis, nomine* ETHIL *villam proprietatis suae Ouuila nuncupatam tradidisset ad sanctum Bonifacium Martyrem, vna cum consensu amicorum suorum, ea videlicet ratione, vt praefatus vir eamdem villam diebus vitae suae habeat cum omni tranquillitate, et quasdam alias res, quae ei ex parte sancti Bonifacii datae sunt; post obitum vero suum eaedem res cum omni integritate melioratae vna cum praefata villa ad sancti Bonifacii reuerterentur potestatem: idcirco memoratus Abba Thieto deprecatus est Celsitudinem nostram, vt nostrae*

BIU Cujas

auctoritatis praeceptum super easdem res facere, et Cartam de hoc facto inscriptam sigilli nostri impressione signaremus, cuius petitioni libenti animo assensum praebentes, decreuimus fieri, quod petiit. Iussimus igitur ei hoc nostrae auctoritatis praeceptum fieri, per quod dercernimus atque iubemus, vt haec eadem traditio atque delegatio facta ad sanctum Bonifacium in Fuldensi monasterio firma sit et stabilis in perpetuum, et vt in posterum cunctis fidelibus hoc innotescat, hanc cartam inde conscribi, et Sigilli nostri iussimus impressione insigniri. Data VII. Kal. nou. actum Franconofurt feliciter.

XXVIIII.

Diploma Ludouici Germanici Fuldense, ex veteri apographo editum a Schannato *Tradit. Fuldens. n.* 516. *pag.* 207.

Ann. 871.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Ludevvicvs *Diuina fauente clementia Rex. Oportet nos qui Diuino munere quodammodo sumus prae ceteris mortalibus sublimati eius in omnibus parere praeceptis, cuius clementia praelati sumus, atque cuius munere praecellimus. Loca vtique sibi sacrata propter petitiones fidelium nostrorum nostro releuari iuuamine atque tueri munimine, cum id nobis ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum esse liquido credimus: quapropter comperiat omnium nostrorum praesentium scilicet et futurorum solertia, qualiter* Sigehardvs, *venerabilis Abbas, deprecatus est Celsitudinem nostram, vt ob mercedis nostrae augmentum quasdam res proprietatis nostrae consistentes in Buchonia, in loco, qui dicitur Harterateshus ad sanctum Bonifacii Fuldense monasterium concederemus, et per nostrae auctoritatis praeceptum, per quod praefatas res in Buchonia consistentes, in loco, qui dicitur Harterateshuson cum silua illuc pertinente, omnibusque appendiciis in terris, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, exitibus et regressibus totum et integrum ex iure et dominatione nostra, in ius et dominationem Sancti Bonifacii Martiris tradimus atque transfundimus, ea videlicet ratione, vt ab hodierna die et deinceps per hoc nostrae auctoritatis praeceptum plenius in Dei nomine confirmatum nullo inquietante, sed Deo auxiliante perpetuis temporibus praefatae res ad praedictum monasterium permaneant absque vllius hominis contradictione*

ne, et vt haec auctoritas largitionis noſtrae firmior habeatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus verius credatur, et diligentius obſeruetur, manu propria ſubter eam firmauimus et anuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.

Signum Domni HLVDEVVICI Sereniſſimi Regis EBERHARDVS *Cancellarius ad vicem* LVITBERTI *Archicappelani recognoui et ſubſcripſi. Datum XVII. Kal. Iulii Anno* CHRISTO *propitio XXXI. Regni Domni* HLVDEVVICI, *ſereniſſimi Regis in orientali Francia regnantis Indictione IIII. Actum Triburias in Dei nomine feliciter. amen.*

XXX.

Subſcriptio traditionis Cunihiltis apud Piſtor. *Tradit. Fuld. lib. II. pag.* 569. et 574. collatae cum cod. MS. a Schannato, et editae, *Trad. Fuld. n.* 517. *pag.* 208.

ANNO 874.

FACta eſt haec traditionis chartula anno Dominicae incarnationis DCCCLXXIIII. Indict. VII. regni autem LVDOVICI *glorioſiſſimi Regis anno XXXIIII. coram his teſtibus.* † *Signum* KRISTANI comitis *cetera.*

XXXI.

Subſcriptio Chartae alterius apud Piſtorium *lib. II. pag.* 571. et Schannat. *ibid. pag.* 209.

ANNO 876.

FACta eſt haec traditionis chartula in monaſterio FVLDA. *Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXVI. Indict. VIII. Anno XXXVI.* LVDOWICI *Imperatoris menſe Iulio die XXIII. eiuſdem menſis his Teſtibus praeſenti adſtantibus cetera.*

XXXII.

Subſcriptio traditionis Elli, Ermanolti, et Baldi apud Piſtorium *lib. II. pag.* 570. et Schannat. *pag.* 209.

BIU Cujas

ANNO 876.

ACta est haec Chartula Traditionis in monasterio FVLDA. Anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXVI. Ind. VIII. XXXVI. HLVDOVVICI Imperatoris mense Februario die XIIII. mensis eiusdem, his Testibus subscriptis, cetera.

XXXIII.

Subscriptio chartae Alam. LXIII. apud Goldast. *Script. rer. Alam. tom. II. pag.* 47.

ANN. 846.

EGo Marcellus monachus rogatus scripsi et subscripsi. Notaui diem dominicum VIII. Kal. Octobr. anno XV. (*) HLudovvici Regis Alamannorum sub Cuonrado Comite.

XXXIIII.

Subscriptio chartae LXIIII. apud *eumd. ibidem.*

ANN. 836.

NOtaui diem Veneris IX. Kal. Decembr. anno XXIIII. HLudouuici Imp. et HLudouuici iunioris Regis Alamannorum V. sub Geroldo Comite.

XXXV.

Subscriptio chartae 74. apud *eumdem pag.* 51.

ANN. 875.

NOtaui diem lunae XVI. Kal. Decembris anno XXXV. Hludouuici piissimi Regis sub Karolo principe.

XXXVI.

Ex charta 93. apud *eumdem pag.* 58.

ANNO

[*] Ab anno 832. quo Alamanniam inuasit Ludouicus.

BIU Cujas

ANNO 875.

VSque in annum praesentem, qui est XXXV. HLudouuici piissimi Regis, patris Karlomanni, HLudouuici et Karoli Principis nostri.

XXXVII.

Diploma Ludouici Germanici Argentoratense ex archiuo Tabernensi erutum a Ludou. Laguille *dans les preuves de l'histoire de la prouince d'Alsace, pag.* 21.

ANNO 856.

IN nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. LVDOVICVS *Diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis nostrae munere locis Deo dicatis quiddam concedimus beneficii, et necessitates Ecclesiasticas per adpetitiones Sacerdotum nostro releuamus iuuamine, atque imperiali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad aeternam foeliciter obtinendam profuturum esse liquide credimus. proinde nouerit omnium nostrorum tam praesentium, quam futurorum sollertia, quia vir venerabilis* RVDVLPHVS *Episcopus Argentinensis siue Strasburgensis nostram adiens praesentiam, detulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini et Genitoris nostri Ludouici bonae memoriae piissimi Augusti, in qua continebatur insertum, quod non solum idem Genitor noster, verum etiam praedecessores eius Reges videlicet Francorum sedem Ecclesiae Sanctae Mariae semper Virginis, in cuius amore et honore ipsa dicata est Ecclesia, sub suo nomine et defensione cum monasteriis et cellulis sibi subiectis, et rebus vel hominibus ad eam pertinentibus vel aspicientibus, tam infra ciuitatem, quam foras consistere fecerant, et earum immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine iudiciariae potestatis eadem munita atque defensa fuisset Ecclesia. Sed pro rei firmitate postulauit, fatus* RVDOLPHVS *Episcopus, vt paternum, seu praedecessorum nostrorum Regum morem sequentes, huius modi nostrae Immunitatis praeceptum ob amorem Dei et reuerentiam ipsius sancti loci circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus, cuius petitionibus adsensum praebuimus, et hoc nostrae immunitatis praeceptum erga ipsam ecclesiam immunitatis atque tuitionis gratia pro Diuini cultus amore et animae nostrae remedio fieri decreuimus, per quod praecipimus atque iubemus, vt nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis*

BIU Cujas

ritoriis infra ditionem Imperii noſtri iuſte et legaliter memorata tenet vel poſſidet Eccleſia, vel ea, quae deinceps in iure ipſius Eccleſiae voluerit Diuina poteſtas augeri, ad cauſas agendas, vel freda aut tributa exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius eccleſiae tam ingenuos, quam et ſeruos ſuper terram ipſius commanentes iniuſte deſtringendos, nullaſque redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris vel futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quae ſupra memorata ſunt, penitus exigere praeſumat: ſed liceat memorato Praeſuli ſuiſque ſucceſſoribus res praedictae Eccleſiae cum omnibus ſibi ſubiectis, et rebus vel hominibus ad ſe aſpicientibus vel pertinentibus ſub tuitionis atque immunitatis noſtrae defenſione remota totius iudiciariae poteſtatis inquietudine, quiete et ordine poſſidere, et noſtro fideliter parere Imperio, atque pro incolumitate noſtrae Coniugis ac prolis, ſeu etiam totius Imperii a Deo nobis collati, et eius clementiſſima miſeratione per immenſum conſeruandi vna cum clero et populo ſibi ſubiecto Dei immenſam clementiam iugiter exorare. Et quidquid de praefatae rebus Eccleſiae (fiſcus noſter) exigere poterat, integrum eidem conceſſimus Eccleſiae, ſcilicet perpetuo tempore ei ad peragendum Dei ſeruitium augmentum et ſupplementum fiat; hanc itaque authoritatem vt pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus ſanctae Dei Eccleſiae et noſtris verius certiuſque credatur, manu propria ſubter firmauimus, et annuli noſtri impreſſione firmari iuſſimus.

Signum  *HLudouici Sereniſſimi Regis.*

Data tertio Calend. April. Anno Regni Chriſto propitio XXIII. (*) HLudouici Sereniſſimi Regis in orientali Francia. Indictione IIII. Actum Franchenfurt Palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXVIII.

Subſcriptio Traditionis Werthinenſis apud Leibnit. *Script. rer. Brunſuic. Tom. I. pag.* 118.

ANN.

(*) Ab anno 834. Vide, quae notauit Schannatus ad dipl. 24.

BIU Cujas

ANN. 848.

ACta in Werthina monaſterio tertia decima Kal. Auguſti anno incarnationis Dominicae DCCCXXXXVIII. regnante HLudouico iuniore anno VIIII. Indictione XI. feria ſexta.

XXXVIIII.

Diploma Ludouici Pii et Lotharii imperatorum Cremifanenſe apud Sim. Rettenpacher in *Hiſt. Norica, lib. I. cap. 9. pag. 30.*

ANN. 828.

IN nomine Domini Dei et Saluatoris noſtri IESV *Chriſti. Ludewicus et Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperatores Auguſti. Si erga loca diuino cultui mancipata Imperiali more beneficia largimur oportuna, id nobis procul dubio ad ſtabilitatem Imperii noſtri et animae ſalutem proficere minime dubitamus. Igitur notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctae Dei eccleſiae et noſtris, praeſentibus ſcilicet et futuris, quia ad deprecationem dilecti filii noſtri* LVDWICI *Regis Wagoariorum et Geroldi Comitis conceſſimus cuidam Monaſterio noſtro, cuius vocabulum eſt Chremiſa, quod eſt conſtructum in honore et veneratione Domini et Saluatoris noſtri* IESV *Chriſti, ſitum in pago Trungowe, vbi praeſenti tempore vir venerabilis Sigehardus Abba praeeſt, et monachis ibidem per tempora degentibus quoddam territorium, quod eſt in pago Grunzwiti, iuxta montem Sumerperch, quod vſque modo ſerui vel Sclaui eiuſdem Monaſterii ad cenſum tenuerunt, qui ad partem comitis ſoluebatur; vbi etiam monachi de praefato monaſterio Eccleſiam et domos et cetera aedificia conſtruxerunt. Quod territorium ita terminatur. Incipit enim ex plaga orientali a Sumerperch, ſicut miſſi Geroldi Comitis deſignauerunt, vſque in Draciſma ad locum, qui vocatur Hoboga, Plâttchinn, et inde ſurſum vſque ad territorium Epiſcopatus Patauienſis Eccleſiae, et exinde ad plagam Auſtralem vſque ad eum locum, vbi Flinſpach exit de ſilua a parte aquilonis, ſicut ipſa ſilua pergit vſque ad iam dictum montem, qui vocatur Sumerperch. Memoratum vero territorium, quantumcumque infra ſupra ſcriptam terminationem conſiſtit, ſaluis tamen proprietatibus liberorum Sclauorum, reliquum quidquid infra has terminationes praeſente tempore ad partem comitum pertinebat, omnia ſupradicto monaſte-*

BIU Cujas

monaſterio Chremiſae per hanc noſtram auctoritatem praeſentialiter tradimus, et de noſtro iure in ius et dominationem eius transfundimus, ita videlicet, vt quidquid de praefatis territoriis ob vtilitatem et profectum praeſcripti monaſterii rectores et miniſtri eius facere vel iudicare voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi, quidquid elegerint. Et vt haec auctoritas noſtris futuriſque temporibus domino protegente valeat inconuulſa manere, manibus propriis ſubterfirmauimus, et annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus.

Signum † Hludouuici Sereniſſimi Imperatoris.
Signum † Hlotharii glorioſiſſimi Imperatoris Auguſti.

Duiandus Diaconus ad vicem Fridagiſi recognoui. Datum XI. Kal. April. Anno Chriſto propitio XV. Imperii Domini Ludovvici Sereniſſimi Imperatoris et Lotharii VI. (*) *Indictione VI. Actum Aquiſgrani in Dei nomine feliciter, Amen.*

XXXX.

Diploma Ludouici Germanici adhuc regis Baiuuariorum apud Hundium in *Metropoli Saliſburgenſi.*

ANN. 846.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI DEI OMNIPOTENTIS. *Ludouicus diuina fauente gratia Rex Baioariorum. Si igitur erga loca diuinis cultibus mancipata propter amorem Dei eorumque in iiſdem locis ſibi famulantibus beneficia oportuna largimur, praemium nobis apud Dominum in aeterna beatitudine recipere confidimus. Proinde notum ſit omnibus fidelibus ſanctae Dei Eccleſiae noſtriſque, praeſentibus ſcilicet et futuris, quia vir venerabilis Gozbaldus, ſacri palatii noſtri ſummus Capellanus, et Abbas monaſterii, quod dicitur Altaha, quod eſt conſtructum in honore S. Mauritii Martyris Chriſti, adiens excellentiam noſtram, innotuit Clementiae noſtrae, qualiter poſtquam terra Auarorum ex parte ab auo noſtro Domino Carolo Imperatore capta fuiſſet, ipſius permiſſu atque conſenſu quaedam res in ipſa marcha ad ius regium pertinentes eidem monaſterio collatae fuiſſent, quas etiam vſque nunc praedictum poſſedit monaſterium. Sed quia auctoritas traditionis exinde minime adparebat, deprecatus eſt idem Gozbaldus Abbas, vt noſtrae auctorita-*

(*) Legendum XI. Nam Lotharius imperii ſocius factus anno 817.

BIU Cujas

ctoritatis largitionem atque confirmationem eidem daremus monaſterio, per quam ipſas res in poſterum praedictum monaſterium eiuſque rectores, abſque cuiuſlibet impedimento aut contradictione tenere et dominari potuiſſet. Cuius deprecationem propter diuinum amorem et reuerentiam ipſius ſancti loci libenter annuimus, et ipſas res perpetuo poſſidendas ſolenni datione eidem conceſſimus monaſterio, id eſt locum, qui nuncupatur Wachunra, qui terminatur a fonte riuuli, qui vocatur Myſtrica, vſque ad eum locum, vbi ipſe Danubium influit, ac deinde tendit ſurſum in ripam Danubii vſque in Bochbach, et vltra Bochbach manſum vnum, et inde iuxta Bochbach ſurſum vſque in verticem montis, qui vocatur Ahornica, nec non alium locum, nuncupatum Accuſbach iuxta ripam Danubii, cuius menſura eſt in longitudine milliarium vnum et in latitudine ſimiliter, nec non et campum vnum, qui continet manſum vnum, quem interiacet cauſſa Friſingenſis Eccleſiae. Has itaque res cum mancipiis, domibus, aedificiis, vineis, terris, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis aquarumue decurſibus, quantumcumque infra terminia praedicta de eiſdem rebus continetur, totum et integrum in ius et dominationem praedictae eccleſiae perpetualiter ad habendum conferimus. Ita videlicet, vt quicquid in ipſis vel de ipſis rectores vel miniſtri ſupra memoratae ſedis ob vtilitatem et commoditatem ipſius eccleſiae facere vel iudicare voluerint, liberam in omnibus habeant poteſtatem faciendi, quidquid elegerint. Et vt haec auctoritas largitionis atque confirmationis noſtrae per curricula annorum inviolabilem atque inconuulſam obtineat firmitatem, manu propria ſubtus firmauimus, et annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Adalleod Diaconus ad vicem Gozbaldi recognoui. Datum prid. Non. Octobr. anno Chriſto propitio decimo ſeptimo regalis Imperii Domini Ludouici, Sereniſſimi Aug. anno V. regni noſtri, Indict. nona. Actum in Regenſpurch ciuitate. In Dei nomine feliciter Amen. Signum Domini Ludouici Sereniſſimi Regis.



BIU Cujas

XXXXI.

Diploma Ludouici Germanici, adhuc regis Boiariorum, apud Hund. *Metrop. Salisburg.*

ANN. 831.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI *Dei omnipotentis. Hludouicus diuina largiente gratia Rex Boiariorum. Si petitionibus fidelium nostrorum, quas auribus nostris insinuauerint, libenter annuimus, et eas in Dei nomine ad effectum perducimus, et Regium morem decenter implemus, et illos in nostro seruitio promtiores reddimus. Idcirco comperiat industria atque vtilitas omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum. Quia Erchanfridus, Diaconus et Capellanus noster, nec non propinquus suus Baturicus obtulerunt obtutibus nostris quandam chartam praestariam, in qua continebatur, qualiter Baturicus Episcopus praestitisset eis ad vsum meritum quasdam res ex ratione monasterii sui sancti Emmerani, quas olim idem Erchanfridus ex suo proprio eidem largitatis munere contulerat monasterio, nec non et alias ex ratione eiusdem Monasterii eis ad vsum meritum diebus vitae eorum concessisset. Quae sunt vtraeque res in villa, quae dicitur Aroochinga, quae alio nomine Folinchoua vocatur, et in alio loco, quae dicitur Buochusa, cum mancipiis, casis, domibus, aedificiis, terris, pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, cum omnibus, quae in praedictis locis tam ex praedicti Erchanfridi donatione quomodocumque, et ex ratione eiusdem monasterii habere videbatur, nec non et in alio loco, qui dicitur Alinchoba hobam vnam et in Cailonesbach hobam vnam. Et deprecatus est excellentiam nostram, vt super hanc praestariam, confirmationis nostrae praeceptum fieri iuberemus, per quod diebus vitae eorum firmius et quietius, absque alicuius contrarietate, ipsas res tenere et possidere valerent. Quorum petitionibus libenter annuimus, et hanc auctoritatem confirmationis nostrae eis fieri iussimus, per quam praecipimus et iubemus, vt diebus vitae eorum ipsas res teneant et possideant. Et nullius quilibet Ecclesiasticae dignitatis praeditus, aut alius quilibet eis de ipsis rebus vllam inquietudinem aut contrarietatem facere praesumat. Sed liceat illis, sicut diximus, diebus vitae eorum vsufructuario ordine tenere et possidere, et post eorum amborum discessum cum integritate in potestatem et dominationem praedicti monasterii reuertatur. Haec vero auctoritas praeceptionis nostrae vt firmior habeatur, et a fidelibus nostris*

BIU Cujas

ſtris melius conſeruetur, annuli noſtri impreſſione ſubter iuſſimus adſignare.

ADALLEODVS *Diaconus ad vicem Gauzbaldi recognoui. Data XV. Calend. Septembris Anno Chriſto propitio 18. Imperii Domini Hludouici, Sereniſſimi Aug. et anno VI. (*) Regni noſtri, Indictione 9. Actum Reginesburgch in Palatio noſtro, in Dei nomine feliciter, Amen.*

XXXXII.

Diploma Ludouici, regis Baiuuariorum, apud Hund. *Metrop. Salisburg.*

ANNO 851.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. *Ludouicus, diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis noſtrae munere, de beneficiis diuinitus nobis collatis locis ſanctorum quiddam conferimus, id nobis procul dubio ad aeternae remunerationis praemia capeſſenda profuturum liquido credimus. Proinde nouerit omnium fidelium noſtrorum praeſentium ſcilicet et futurorum induſtria; quia nos pro mercedis noſtrae augmento conceſſimus eccleſiae Patauienſi, quae eſt conſtructa in honore ſancti Stephani prothomartyris, vbi etiam ſanctus Valentinus, Confeſſor Chriſti corpore requieſcit, cui praeſenti tempore venerabilis vir, Reginarius Epiſcopus praeeſſe videtur, quaſdam res proprietatis noſtrae, quae ſunt in prouincia Auarorum, in loco, qui dicitur Kirchbach, id eſt*, Eccleſiam vnam conſtructam, cum territorio ad manſos centum faciendum et plus, quarum terminia ſunt ab ipſo loco pergens per vnam ſemitam vſque ad locum, qui dicitur Tumus, et inde per circuitum vſque ad praedictum Kirchbach, et deinde vſque ad Markam Theotherii, et inde vſque ſurſum Cynnenberg. Has itaque res cum praedicta Eccleſia cum vineis, terris cultis et incultis, pratis, ſyluis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, adiacentiis peruiis et exitibus et regreſſibus, totum et integrum, quemadmodum Rathodus Comes Annonicor Epiſcopo ipſas res conſignauit, ita praedictae Eccleſiae poenitentialiter (potentialiter) conceſſimus, et de noſtro iure in ius*

(*) Legendum videtur anno XI. ab anno 821. quo Ludouicus Pius nouam regni partitionem faciens Ludouico noſtro Boioariam attribuit.

BIU Cujas

et ditionem eius liberalitatis nostrae munere conferimus, ita videlicet, vt quicquid rectores et ministri supradictae sedis de ipsis rebus iure Ecclesiastico, facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, tantum scilicet, vt dum Annocor Episcopus atque Anno, Nepos eius aduixerint, ipsas res tenere et vsare faciant, et nullus eis ipsas abstrahere praesumat, et post illorum discessum cum integritate ad eandem ecclesiam reuertantur. Et vt haec auctoritas largitionis nostrae per curricula annorum inuiolabilem atque inconcussam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmauimus, et annuli nostri impressione signare iussimus. Signum Ludouici gloriosissimi Regis. Adalleodus Diaconus ad vicem Grimaldi recognoui. Anno Christo propitio III. (*) Regni Domini Ludouici Regis in orientali Francia Indiction. XIIII. lectum Ostrerhoua, palatio Regio in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXXIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

Anno 841.

LVDOVICVS, DIVINA FAVENTE GRATIA REX *Baioariorum. Cum regalis excellentia vnius fidelis rationabilem petitionem ad effectum perducere satagit, non solum ipsius, sed etiam cunctorum fidelium suorum animos ad fidelitatem debitam sincerissime conseruandam promtiores deuotioresque efficit. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae, et Deo dispensante successoribus nostris, qualiter petente et suggerente Gosbaldo, venerabili Abbate et fideli nostro, complacuit nobis propter suum fidelissimum erga nostrae mansuetudinis obsequium, quasdam res proprietatis nostrae, quae sunt in villa, quae vocatur Ingolstat, et quas praefatus vir hactenus in beneficium habuit, ei deinceps ad proprium per nostrae largitionis munificentiam concedere. Id sunt ecclesiae duae, curtis dominicata cum ceteris aedificiis desuper positis et terra arabili iornales centum triginta de pratis vbi possunt colligi de foeno carradae quadringenta. Mancipia infra curtem inter pueros et feminas genecias numero viginti duo. Mansi seruiles vestiti ad eandem curtem aspicientes viginti duo. Sint*

(*) Immo legendum anno XIII. isque numerandus ab anno 838. quo patri bellum intulit Ludouicus.

BIU Cujas

Sint manſorum duodecim. Vnde etiam pro firmitatis ac maioris ſecuritatis ſtudio praeſentem auctoritatem largitionis noſtrae fieri iuſſimus, per quam memorato Abbati rem ſuperius nominatam cum ſuis pertinentiis, campis ſcilicet, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis aquarumue decurſibus, molendinis, mobilibus atque immobilibus, ſeruis quoque vel ancillis, et quicquid ad eamdem curtem iuſte et legaliter pertinere dinoſcitur, ex noſtri iuris atque poteſtatis iure proprietatis eſt, totum et ad integrum, quod ille, ſicut praefati fuimus, in beneficium habuit, largimur, de poteſtate noſtra in eius transfundimus dominationem iure proprietario ad habendum, ita, vt ab hodierna die nulla perſona noſtris vel ſucceſſorum noſtrorum temporibus aliquam ex his praeſumat ei afferre inquietudinem, ſed per hoc noſtrae donationis praeceptum hoc cum quiete tenere liceat. Et inde quicquid elegerit vel facere voluerit liberam in Dei nomine in omnibus habeat faciendi poteſtatem. Et vt haec auctoritas noſtrae largitionis inconuulſam obtineat firmitatem, manu propria ſubtus eam firmauimus, et annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Datum XV. Cal. Septembr. anno VII. (*) regni Domini Ludouici Regis in orientali Francia indictione IIII. Actum Heilicobrunno palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXXIIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hundium in *Metrop. Saliſburgenſi.*

ANN. 854.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. *Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Si petitiones praeſulum ſanctae Dei eccleſiae iuſte et rationabiliter aures ſerenitatis noſtrae petentium ad effectum perducimus, hoc nobis procul dubio ab aeterna remuneratione praemia capeſſenda profuturum liquido credimus. Quapropter notum ſit omnibus fidelibus ſanctae Dei Eccleſiae noſtriſque, praeſentibus ſcilicet et futuris, qualiter vir venerabilis, Gotſbaldus, Wirtzburgenſis Eccleſiae Epiſcopus noſtram adiens ſerenitatem, poſtulans, vt fratribus in monaſterio S. Mauritii, Martyris Chriſti, vocabulo Altaha conſiſtentibus, qui nunc ſub eius regimine Deo famulari noſcuntur, poſt illius tranſactae mortalis vitae terminum, ſi talis frater inter illos inueniri*

 poterit,

(*) Ab anno 834. Vid. Schannat. *ad dipl.* 24.

BIU Cujas

poterit, qui fratris (patris) officio idoneiter et rationabiliter fungi valeat, eum eligendi nostra eis licentia tribueretur. Cuius petitioni aurem mansuetudinis nostrae accommodantes, hoc ita perdonasse per praesentem auctoritatem nostram, omnium fidelium nostrorum cognoscat magnitudo, ita tamen, vt praefatum est, si talis secundum regulam S. Benedicti aptabilis et idoneus, tam in moribus, quam in scientia seu ceteris bonis ornatus ad seruitium Dei omnipotentis ibi inuenitur, per praefati venerabilis Episcopi petitionem et amorem assensum praebemus, vt eos melius delectet, pro nobis proleque nostra, et pro statu totius regni nostri Domini misericordiam attentius exorare. Et vt haec nostra largitionis auctoritas maiorem obtineat vigorem, manu propria nostra subtus firmauimus, et annuli nostri impressione assignari iussimus. Datum 8. Idus Martii, Anno propitio Christo 14. regni Domini Ludouici gloriosissimi Regis in Orientali Francia, indictione 12. (*) Actum Regenspurg, ciuitate Regia, in Dei nomine feliciter Amen.

XXXXV.

Diploma Ludouici Germanici apud Marquard. Freher. in *Lupoduno pag.* 26.

ANNO 874.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. HLVDOVVICVS *diuina fauente gratia Rex. Notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus nostrisque, praesentibus videlicet et futuris, qualiter nos ob nostrae mercedis augmentum et pro remedio animae Domini aui et genitoris nostri concessimus quasdam res proprietatis nostrae ad monasterium* LAVRESHAM, *quod est constructum in honore beatorum Apostolorum* PETRI *et* PAVLLI, *vbi etiam requiescit corpore S. Nazarius, hoc est, in pago Renense ad* SENEIM *et* BICCHVMBACH *cum omnibus ibidem adiacentiis vel pertinentibus, in mancipiis, terris, vineis, pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumue decursibus, exitibus et regressibus, mobilibus, quaesitum et ad inquirendum, totum et ad integrum ex iure et dominatione nostra in ius et dominationem praefati sancti loci tradimus atque transfundimus, ea videlicet ratione, vt ab hodierna die et deinceps per hoc nostrae auctoritatis praeceptum, plenius in Dei nomine confirmatum in vsus fratrum, Domino ibidem famulantium perpetualiter*

(*) Immo Ind. II. cum ea enim concurrit annus regni XIIII.

BIU Cujas

ter permaneant absque alicuius contradicentis obstaculo. Quod si nunc Nos easdem res cum consensu et voluntate dilecti filii nostri KAROLI *statim commutare possumus, hoc omnino desideramus. Si autem hoc esse nequiuerit, tunc firmiter praecipimus atque iubemus, vt post obitum nostrum perpetualiter ibi permaneant absque alicuius molestia atque inquietudine. Et vt haec auctoritas largitionis nostrae firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu nostra subter eam firmauimus, et annuli nostri impressione assignari iussimus. Heberhardus Cancellarius ad vicem Luitberti archicapellani recognoui et subscripsi. Data IIII. Non. Maias Anno Christo propitio XXXVII.* (*) *Regni Domini Hludouici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis, Indictione VII. Actum Lobotenburc.*

CHRISTE PROTEGE HLVDOVICVM REGEM.

SIGNVM DOMNI HLVDOVVICI SERENISSIMI REGIS.

XXXXVI.

Diploma Ludouici Germanici Tigurinum, cuius praeter Seb. Munsterum, Stumphium, Hottingerum, Heiderum mentionem facit Barth. Schobingerus in *notis ad Vadianum* apud Goldast. *Script. rer. Alam. tomo III. pag.* 110. totum vero edidit Mart. Mager. a Schoenb. *de aduocatia armata, cap. 5. pag.* 155. denique ex ipso autographo adcurate descriptum emendatius dedit Conring. in *Adpend. Censurae dipl. Lindau. pag.* 360.

ANN. 853.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDVE TRINITATIS. HLVDOVICVS *diuina fauente clementia Rex. Si de rebus terrenis, quas diuina sumus largitate consecuti, ad loca sanctorum ob diuinum amorem et regium morem decenter implentes aliquid conferimus, hoc nobis esse profuturum ad aeternae remunerationis praemia capessenda liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium sanctae Dei ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet et futurorum industria, qualiter nos pro serenissimi Imperatoris aui nostri Karoli et praestantissimi Hludouuici Augusti, domni et genitoris nostri, nec non et nostra sempiterna remuneratione*

[*] Ab anno 838. quo arma feralia patri intulit Ludouicus.

BIU Cujas

neratione ac pro coniugis proliſque noſtrae chariſſimae perpetua mercede curtim noſtram turegum in ducatu Alamannico in pago durgaugenſe cum omnibus adiacentiis vel aſpicientiis eius, ſeu in diuerſis functionibus. Id eſt pagellum uroniae cum eccleſiis domibus ceteriſque aedificiis deſuper poſitis mancipiis vtriuſque ſexus et aetatis, terris cultis et incultis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, adiacentiis, peruiis, exitibus et regreſſibus, quaeſitis et inquirendis, cum vniuerſis cenſibus et diuerſis redhibitionibus. Inſuper etiam foreſtum noſtrum albis nomine, et quicquid in eiſdem locis noſtri iuris atque poſſeſſionis proprietatis eſt, et ad noſtrum opus inſtanti tempore pertinere videtur, totum et integrum ad monaſterium noſtrum tradimus, quod ſitum eſt in eodem vico turegum, vbi ſanctus felix et regula martyres Chriſti corpore quieſcunt, quod nobis videlicet eo rationis tenore complacuit agendum, vt deinceps in poſterum ibidem omni tempore ſanctimonialium feminarum ſub regulari norma degentium vita conuerſatioque monaſterialis monaſtico cultu inſtituta caelebretur, et libentius propter huius loci ſupplementum a nobis iam praedictis martyribus dediti dei famulatus illic exhibeatur, ac pro noſtra debitorumque noſtrorum omnium mercedis augmento diligentius ac vberius domini miſericordia exoretur. Volumus etiam, vt fidelium noſtrorum nouerit beneuolentia, quod paterna pietate commoniti ſupradictum monaſterium cum omni integritate vna cum noſtra traditione in locis praefatis dilectiſſimae filiae noſtrae hildegardae in proprietatem conceſſimus, vt, quantum domino permittente valeat familiam in eodem monaſterio domino militantem ſuoque dominatui ſubiectam diſciplinis regularibus et obſeruantiae monaſterialis inſtitutione corrigat et nutriat, locaque ipſa ſibimet conceſſa, quantum vires ſuppeditent profectibus et emendationibus augmentando prouehat ac emendet. Denique iubentes praecipimus vt nullus iudex publicus nec comes nec quiſlibet ex iudiciaria poteſtate in locis praefatis vel in cunctis rebus ad eadem loca reſpicientibus ſeu homines tam liberos quam ſeruos, qui illic commanere videntur diſtringere aut infeſtare nec fideiuſſores tollendos, aut vllas redhibitiones vel fredas aut bannos exigendo aut alicuius iniuriae vim vllo vnquam tempore inferre praeſumat, ſed ſub noſtra defenſione et munitatis tuitione cum aduocatis ibi conſtitutis res illae ſecure per diuturna tempora permaneant. Et vt haec auctoritas donationis atque confirmationis noſtrae firmior habeatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus ſanctae dei eccleſiae noſtriſque praeſentibus et futuris verius credatur, atque diligentius conſeruetur, manu propria noſtra ſubter eam firmauimus, et annuli noſtri impreſſione adſignari iuſſimus.

Signum

BIU Cujas

Signum  *domni hludouici gloriosissimi regis.*



Comeutus Notarius ad vicem Radleici recognoui.

Data XII. Kal. Aug. Anno Christo propitio XX. (*) *regni domni Ludouici serenissimi regis in Orientali Francia Indictione prima. Actum Reganesburg in dei nomine feliciter amen.*

XXXXVII.

Diploma Ludouici Pii Tigurinum ineditum antea, sed protractum in lucem ex ipso autographo ab Herm. Conringio in *Adpend. Cens. diplom. Lindau. pag.* 367.

ANN. 858.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. *Hludouicus diuina fauente gratia rex. Si de rebus terrenis, quas diuina sumus largitate consecuti ad loca sacra ob diuinum amorem aliquid conferimus profuturum nobis esse ad aeternae remunerationis praemia capessenda hoc liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium sanctae dei ecclesiae nostrorumque, praesentium scilicet et futurorum, industria, qualiter nos iuxta postulationem dilectissimae filiae nostrae hildagardae pro serenissimi Imperatoris aui nostri Caroli animae remedio, et praestantissimi Hludouuici augusti domni et genitoris nostri, nec non et nostra*

[*] Ab anno 832. quo Alamanniam inuasit Ludouicus.

BIU Cujas

sempiterna remuneratione ac coniugis prolisque nostrae perpetua mercede, curtim nostram, quae vocatur chama consistens in ducatu alamannico in pago turgaugensi cum omnibus adiacentiis vel appendiciis eius, seu in diuersis functionibus. Id est curtem indominicatam cum ecclesiis domibus ceterisque aedificiis desuper positis mancipiis vtriusque sexus et aetatis, terrisque cultis et incultis, siluis pratis pascuis aquis piscationibus vel piscatoribus aquarumque decursibus vel adiacentiis peruiis exitibus et egressibus quaesitis et inquirendis cum vniuersis censibus, qui ad ipsam curtem pertinent, et diuersis redhibitionibus vel quidquid in eisdem locis nostri iuris atque possessionis iure proprietatis est, et ad nostrum opus instante tempore pertinere videtur, totum et integrum ad monasterium nostrum tradimus, quod situm est in vico nostro turegum vbi sanctus felix et sancta regula martyres Xristi corpore quiescunt, quod videlicet rationis tenore placuit nobis hoc agendum, vt ab hoc die et deinceps in posterum ibidem omni tempore sanctimonialium feminarum sub regulari forma degentium vita conuersatioque monasterialis monachico cultu instituere delectetur, et libentius propter huius loci supplementum a nobis iam praedictis martiribus dedita dei famulatus illic exhibeatur ac pro nostrae debitorumque nostrorum omnium mercedis augmento diligentius domini misericordia vberiusque exoretur. Et vt haec auctoritas nostrae largitionis atque confirmationis firmior habeatur, et per futura tempora a cunctis fidelibus sanctae dei ecclesiae nostrisque praesentibus et futuris verius credatur seu diligentius obseruetur manu propria nostra subter eam firmauimus et anuli nostri impressione adsignari iussimus.

Signum HLudouuici Serenissimi Regis.

Hadedeus subdiaconus ad vicem Wiegarii Cancellarii recognoui.

Data

BIU Cujas



Data XVI. Kal. Maii. anno XXXVI. (*) regni Hludouuici Serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Ind. VI. Actum in villa Franckonofurt Palatio regio. In dei nomine feliciter Amen.

XXXXVIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hund. *Metrop. Salisburg.*

Anno 854.

In nomine sanctae et individvae trinitatis. *Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Si petitionibus praesulum ac seruorum Dei iuste ac rationabiliter petentium aures serenitatis nostrae accommodamus, hoc nobis procul dubio a remuneratore omnium in aeterna beatitudine credimus adfuturum.* (*fort.* profuturum) *Quapropter nouerit omnium fidelium sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet et futurorum industria, quia vir venerabilis, Gotzbaldus Wirzburgensis Episcopus, nec non et rector monasterii, cui vocabulum est Altaha, nostram adiit Celsitudinem, deprecans, vt sibi nostrae munificentiae praeceptum fieri iuberemus, vt vbicumque inuenire posset aliquas res et mancipia, quae a nobilibus hominibus aptius et congruentius suo monasterio commutare valeret, nostrae benignitatis auctoritate sibi successoribusque suis et aduocatis eorum licentia commutandi tribueretur. Et contra quae a parte illius monasterii, qui cum eis commutare voluerint, ratam et stabilem perpetuo commutationem*

 fieri

[*] Vid. not. ad dipl. 46.

BIU Cujas

fieri hac auctoritate nostra decerneremus. Cuius petitioni, quia iuste et rationabiliter inde nostram mansuetudinem hortatum est, sicut vnicuique fidelium nostrorum rationabiliter petentium aurem benignitatis nostrae accommodamus, ita istius petitionem ad effectum dignum duximus, statuentes, vt deinceps quicquid pro vtilitate iam dicti monasterii praefatus Episcopus successoresque illius et Aduocati illorum commutauerint, in mancipiis ceterisque rebus, syluis, seu etiam territoriis, per hanc nostrae beneuolentiae concessionem firmum et inconuulsum perpetuo permaneat. Et vt nulli liceat illam commutationem infringere vel irrumpere, aut infestare, sed, vt diximus, quicquid pars altera alteri dederit, stabilitatum et incontaminatum futuris temporibus consistat. Illud tamen omnimodis praecipientes, vt cum maxima cautela et diligentia consideretur, ne peius aut deterius vel minus in vllo isto negotio parti et potestati praefato monasterio ex illa commutatione perueniat. Et vt haec nostra concessionis auctoritas firmiorem atque diuturniorem obtineat vigorem, et a cunctis fidelibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque melius credatur, et diligentius conseruetur, manu propria nostra subtus firmauimus et annuli nostri impressione signari iussimus. Data XI. Kal. Aprilis, anno Christo propitio 19. (*) regni domini Ludouici, gloriosissimi Regis in Orientali Francia. Indict. 14. Actum Ratispona ciuitate, in Dei nomine feliciter, Amen.

XXXXVIIII.

Diploma Ludouici Germanici monasterio S. Emmerani Ratisponensi concessum, editumque a Caelestino, abbate S. Emmerani, in *Mausoleo S. Emmerani*, edito *Straubingae* 1672. *cap.* 30. *pag.* 82.

Ann. 833.

IN nomine Sanctae et individuae Trinitatis. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Notum sit omnibus S. Ecclesiae fidelibus nostris praesentibus scilicet et futuris, qualiter charissima coniux nostra Hemma *vna cum ceteris nostris fidelibus nostram serenitatem deprecata est, vt quandam commutationem cum Batricio venerabili S. Ecclesiae Regenesburgensis*

(*) Ab anno 814. quo bellum gessit cum patre.

BIU Cujas

ſburgenſis Epiſcopo faceremus, hoc eſt, vt ſupra memorata chariſſima coniux noſtra monaſterium, in eadem ciuitate quod dicitur Oberunmuneſter, in quo ſanctimoniales feminae Domino famulari noſcuntur, et quod praefatus venerabilis Epiſcopus hucuſque habuit, per noſtram auctoritatem habere mereatur, et praefatus Epiſcopus e contra recipiat monaſterium, quod dicitur Manenſeo ad S. Petrum Principem Chriſti apoſtolum, et ad S. Emmeramum Martyrem Chriſti, et iuſſimus fieri noſtrae authoritatis praeceptum, per quod decernimus atque iubemus, vt ab hodierna die deinceps memoratus Epiſcopus per honorem B. Petri Apoſtoli et S. Emmerami Martyris Chriſti idem monaſterium cum omnibus rebus ad hoc pertinentibus et omnes ſucceſſores eiuſdem Epiſcopi abſque aliqua contradictione filiorum noſtrorum omniumque in poſterum ſucceſſorum noſtrorum firmiter habeant, et ſecuriter poſſideant, quatenus fratres Domino et S. Emmeramo famulantes pro nobis atque coniuge, nec non pro chariſſima prole noſtra et ſtatu totius regni noſtri inde melius delectet Domini clementiam exorare. Et vt haec authoritas noſtrae conceſſionis firmiter (firmior) habeatur, et per futura tempora ab omnibus fidelibus noſtris melius credatur, et diligentius obſeruetur, manu noſtra propria ſubter eam firmauimus, et anuli noſtri impreſſione ſubter ea (eam) ſignare iuſſimus. Ita (data) XVII. Kalend. Martii, anno Dominicae incarnationis DCCCXXXI. (*) Indictione XI. anno regni Ludouici Regis VII. Actum eſt Regeneſburg, in DEI *Numine (nomine) feliciter.*

L.

Diploma Ludouici Germanici Altahenſe apud Hund. in *Metropoli Saliſburgenſi.*

ANN. 857.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. *Ludouicus diuina fauente clementia Rex. Si liberalitatis noſtrae munere res ſanctae Dei Eccleſiae et loca diuinis cultibus mancipata per appetitiones fidelium noſtrorum noſtro releuemus iuuamine, atque regali tuemur munimine, praemium inde nobis apud Dominum aeternae remunerationis procul dubio rependi non diffidimus. Proinde nouerit omnium fidelium*

(*) Eſt potius annus 833. qui cum indictione XI. et regni Ludouicii XII. in Bauaria concurrit. Et ita procul dubio reſcribendum.

BIU Cujas

noſtrorum tam praeſentium ſcilicet, quam et futurorum induſtria, qualiter vir quidam OTGARIVS, *quem nos quidem ad monaſterium nomine Altaha, quod in honore S. Mauritii, martyris Chriſti eſt conſtructum, Abbatem eſſe ſtatuimus, obtulit obtutibus noſtris non ſolum auctoritatem emunitatis beatae memoriae Caroli aui noſtri Auguſtiſſimi Imperatoris, ſed et Taſſilonis quondam Ducis in Ducatu Baioarico ſuper eadem re litteras oſtendit, in quibus continebatur inſertum, quod praefatum monaſterium ſub ſuo nomine et defenſione cum cellulis et locis ſibi ſubiectis rebus et hominibus et omnibus illic pertinentibus hactenus ab inquietudine iudiciariae poteſtatis munitum atque defenſum firmiſſime fuiſſet. Vnde etiam pro rei firmitate ſuggeſſit vir praenominatus clementiae noſtrae, vt paternum ſeu praedeceſſorum noſtrorum Regum videlicet morem ſequentes, huius modi noſtrae emunitatis praeceptum ob amorem Dei et reuerentiam ipſius ſancti loci circa ipſum monaſterium conſcribere iuberemus. Cuius petitioni libenter acquieſcentes hoc emunitatis noſtrae praeceptum erga ipſum monaſterium gratia tuitionis et defenſionis ac pro diuini cultus amore, nec non et animae noſtrae (remedio) conſcribi decreuimus, per quod firmiter et omnibus modis imperamus, vt nullus iudex publicus vel quislibet ex iudiciaria poteſtate, aut vllus ex fidelibus noſtris, tam praeſentibus, quam et futuris, neque Comites, neque Centenarii, neque exactores in Eccleſias aut loca vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſlibet pagis vel territoriis infra ditionem regni noſtri iuſte et legaliter tenet ac poſſidet, vel etiam in ea, quae in iure ipſius monaſterii voluerit diuina pietas augeri, ad cauſſas audiendas, vel facienda freda, et tributa exigenda, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius monaſterii tam ingenuos quam ſeruos, ſclauos, et accolas, ſuper terram ipſius commanentes, nec iuſte nec iniuſte diſtringendos, et nullas redhibitiones vel manſiones aut paratas faciendas, aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quae ſupra commemorata ſunt, vllo vmquam tempore exigere praeſumat, ſed liceat memorato viro ſuiſque ſucceſſoribus res praedicti monaſterii cum omnibus rebus ſibi ſubiectis et hominibus tam ingenuis, quam ſeruis, cuiuſcumque ſint nationis, atque omnibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus ſub tuitionis atque emunitatis noſtrae defenſione, remota totius iudiciariae poteſtatis inquietudine et vulgari appellatione quieto ordine ac tranquilla ſecuritate poſſidere. Et aduocati ipſius eccleſiae omnem cauſſam inquirendam et diſcutiendam ipſi diiudicent et finiant, et quidquid de praefatis rebus eccleſiae ius fiſci exigere poterat, in integrum praedicto viro Otgario, ſuiſque*

BIU Cujas

que successoribus concessimus, scilicet vt perpetuo tempore ei ad peragendum Dei seruitium augmentum et supplementum sint. Et vt haec auctoritas emunitatis per futura tempora a cunctis fidelibus nostris melius conseruetur, veriusque credatur, subtus eam manu propria firmauimus, et impressione annuli nostri assignari iussimus.

Signum Hludouici  *Serenissimi Regis.*

Hildebrandus Subdiaconus ad vicem Grunoldi Archicapellani recognoui. Data XI. Kal. Maii anno XXV. (*) regni Hludouici Serenissimi Regis in orientali Francia regnantis, Indictione V. Actum in villa Potamo, in Dei nomine feliciter Amen.

LI.

Diploma Ludouici Germanici Altahense apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

Anno 857.

In nomine sanctae et individvae trinitatis. *Ludouicus diuina fauente clementia Rex. Si loca diuinis cultibus consecrata nostro releuemus iuuamine, et augmentum illis in rebus transitoriis impendimus, hoc nobis procul dubio prosuturum esse, liquido credimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae nostrisque, praesentibus scilicet et futuris, qualiter nos ob petitionem Eginulfi, fidelis nostri, quasdam res proprietatis nostrae, quas quondam Reginbertus et Reginolf pater suus seruus noster de nostro iure habere visus fuit. Sunt autem ipsae res in coniacentibus terminis prope monasterium Altaha in pago Quinzingouue situm in territorio, quod est inter Schweinaha et Monasterium Altaha contiguum. Sed pro integra firmitate petiit praefatus Otgarius nostrae auctoritatis praeceptum super hac re sibi conscribi*

(*) Ab anno 832. quo Alamanniam inuasit.

BIU Cujas

scribi, cuius petitioni libenter annuimus et hoc praeceptum nostrae donationis scribi iussimus, per quod praecipientes imperamus, vt res superius comprehensae iure firmissimo in potestate eiusdem Otgarii successorumque ipsius perpetualiter sine vlla contradictione inconuul ae permaneant. Et quidquid inde elegerit faciendum, plenariam deinceps et liberam faciendi potestatem habeat. Et vt haec auctoritas nostrae largitionis firmiorem obtineat vigorem, veriusque credatur, atque diligentius conseruetur, manu propria nostra subtus eam firmauimus, ei sigilli nostri impressione assignari iussimus. Data XV. Cal. Sept. Anno Christo propitio 25. regni Ludouici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione 5. Actum in ciuitate Ratispona, in Dei nomine feliciter Amen.

LII.

Diploma Ludouici Germanici Altahense apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

Anno 860.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. *Ludouicus, diuina fauente gratia Rex. Si enim ea, quae fideles regni nostri pro eorum oportunitatibus nos deprecati fuerint, implere studuerimus, non solum regium morem decenter implemus, verum etiam eos procul dubio fideliores et deuotiores in nostro efficimus seruitio, et ad aeternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum solertia, qualiter Bribinus, fidelis Dux noster, veniens in procerum nostrorum praesentiam postulauit serenitatem nostram, vt de rebus proprietatis suae, quas ei in proprietatem concessimus liceret ei partem aliquam ob memoriam eius dare ad S. Mauritium, et ad Monasterium nostrum Altaha, cui tempore illo Abbas Otgarius praeesse videbatur et rector, cuius petitioni libenti animo assensum praebentes decreuimus ita fieri. Dedit itaque Bribinus fidelis Dux noster cum consensu et licentia nostra ad praefatum Monasterium S. Mauritii martyris Christi de sua proprietate in suo Ducatu, quicquid habuit ad Salapingiti infra terminos istos. In orientem vltra Salam fluuiolum vsque in Slougenzim Marchan et Stresmaren, et sic sursum per Salam vsque ad Waltungespach, et sic inde vsque in Hrabagisreit et ad Chiristetin. Postea vero praedictus fidelis Abbas noster Otgarius deprecatus est celsitudinem nostram, vt easdem res per nostrae auctoritatis praeceptum confir-*

BIU Cujas

confirmaſſemus. Cuius petitioni ob honorem Dei et S. Mauritii militis Chriſti et bonum illius ſeruitium libenti animo aſſenſum praebuimus, et hoc noſtrae auctoritatis praeceptum fieri iuſſimus, per quod decernimus atque iubemus, vt ſicut praedicti termini in praedictis locis definiti ſunt, ita deinceps ad iam dictum monaſterium per hoc noſtrae auctoritatis praeceptum ipſae res nullo inquietante Deo auxiliante perpetuis temporibus conſiſtant in proprium. Et vt haec auctoritas noſtrae largitionis firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur, et diligentius obſeruetur, manu propria noſtra ſubtus eam firmauimus, et annuli noſtri impreſſione roborare iuſſimus. Data 10. *Cal. Martii. Anno Chriſto propitio* 28. *regni Domini Ludouici Sereniſſimi Regis in orientali Francia regnantis. Indictione* 8. *actum Regenſpurg ciuitate regia. In Dei nomine feliciter.*

LIII.

Diploma Ludouici Germanici Altahenſe apud Hundium in *Metropoli Saliſburgenſi.*

ANN. 862.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. *Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Si liberalitatis noſtrae munere locis Deo dicatis quiddam conferimus, et neceſſitates eccleſiaſticas noſtro releuamus iuuamine, atque regali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum, liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium noſtrorum praeſentium ſcilicet et futurorum ſolertia, qualiter venerabilis noſter Abbas Otgarius adiit celſitudinem noſtram humiliter implorans, vt quaſdam res proprietatis noſtrae ad monaſterium, quod vocatur Altaha, conſtructum in honore S. Mauritii in proprium concediſſem. Nos itaque petitioni ipſius libenti animo aſſenſum praebuimus, et conceſſimus quaſdam res proprietatis noſtrae ad monaſterium Altaha, id eſt villam, quae vocatur Nawawinida iuxta riuulum Trebinam. Admonuit etiam Celſitudinem noſtram praedictus Abbas, qualiter Dominus Auus noſter Carolus licentiam tribuit ſuis fidelibus in augmentatione rerum eccleſiaſticarum Dei in Pannonia carpere (fort.* capere*) et poſſidere hereditatem, quod per licentiam ipſius in multis locis et ad iſtud etiam monaſterium factum eſſe dinoſcitur. Fuerunt namque in veſtitura praedicti monaſterii quaedam loca, nomine Scalcabach, ſicut ipſe riuulus*

BIU Cujas

fluit in occidentalem partem vsque in Dagodeas Marcha, et inde in orientalem plagam vsque in Ryzara Marcha, atque in eum locum, quem vocat (fort. vocant *) Cidalaribach in saltu Enisae fluuii, qui coniacet inter Danubium et Ibysam atque Hurulam in meridianam partem, vsque in verticem montis et ad Bingen mansos quinque, et quicquid ad praedictas villas pertinet, hoc est in mancipiis, aedificiis, terris cultis et incultis, vineis, pratis, syluis, venationibus, pascuis, aquis aquarumue decursibus. Licet itaque fuissent in vestitura praedictae res ad praescriptum monasterium, tamen ibi non erant confirmatae per illius auctoritatis praeceptum. Qua de re commoniti hos nostrae auctoritatis apices fieri iussimus, per quos decernimus atque iubemus, vt praedictae res cum omnibus praenominatis ad praescriptum monasterium Altaha in nostra eleemosyna atque in remedio animarum antecessorum nostrorum inuiolabiliter perennis temporibus permaneant, nullo contradicente. Et vt haec auctoritas nostrae largitionis firmior habeatur, et per futura tempora a fidelibus nostris verius credatur, et diligentius obseruetur, manu propria nostra subtus eam firmauimus et annuli nostri impressione assignari iussimus. Data 16. Cal. Iulii, anno Christo propitio 31. regni Domini Ludouici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indict. 10. Actum Ostermutinga in villa regia, in Dei nomine feliciter.*

LIIII.

Diploma Ludouici Germanici apud Hund. in *Metrop. Salisburg.*

Ann. 864.

In nomine sanctae et individvae trinitatis. *Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Oportet igitur nos, qui diuino sumus munere quodammodo prae ceteris mortalibus sublimati, eius in omnibus parere praeceptis, cuius clementia praelati sumus atque cuius praecellimus munere, loca vti vnquam sibi sacrata per appetitiones fidelium nostrorum nostro releuare iuuamine, atque regali tueri munimine, atque in eis, qui ibi domino famulantur munificentiam nostrae largitionis clementer impendere, quoniam sit nobis et ad mortalem vitam temporaliter transigendam, et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum, liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum solertia, qualiter venerabilis Otgarius Abbas et vocatus Episcopus adiit celsitudinem nostram, deprecans,*

BIU Cujas

cans, vt ad mercedis noſtrae augmentum loca quaedam pertinentia ad ſuum monaſterium Altaha, quae ille vna cum communi concilio fratrum ad illorum vſus neceſſarios deſeruire conſtituit, nec non etiam, quae antea habuerunt, quorum locorum nomina hic ſubtus tenentur inſcripta per noſtrae auctoritatis praeceptum eis perpetualiter habere concederemus. Cuius petitioni ob amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti libenti animo aſſenſum praebentes ita decreuimus fieri. Conceſſimus itaque praedictis fratribus, conſiſtentibus in monaſterio Altaha ad eorum vſus neceſſarios res, quas antea habuerunt in iſtis locis, quorum nomina ſunt Bucchofen, Heidolfinga, Oparinhuſa, Bogama cum Anſolfinga, Vrbach, et quae illuc pertinent cum Schellmaha, Müliheim. Nec non etiam eas res, quas venerabilis Otgarius Abbas ibidem ad illorum vſus neceſſarios poſtea per noſtram licentiam adauxit in iſtis locis, quorum nomina ſunt Altdorf cum Niunhuſa et ad Walde, poſt obitum Odali Zulinga Vſterlinga, Smidaha cum decem vineis ad Wahonne ad Bouhhae, poſt obitum Slemari, et loca, quae Richoui et Richardo ad obedientiam commendata ſunt, poſt obitum amborum. Et quod Heribertus habuit, poſt obitum eius et coniugis ſuae, atque tertiam partem ſalis ad ſalinas, et ſi deinceps aliquis res ſuas ad praefatum monaſterium tradiderit, in praedictorum fratrum redigatur ſeruitium. Has itaque praeſcriptas res cum omni integritate in praedictorum fratrum ſeruitio perpetualiter per hoc noſtrae auctoritatis praeceptum plenius in Dei nomine confirmatum permanere concedimus, ea videlicet ratione, vt nullus ex ſucceſſoribus noſtris inde quippiam auferre praeſumat, neque Abbas, neque alia quaelibet oppoſita perſona, ſed abſque alicuius moleſtia vel inquietudine eaſdem res ad illorum ſeruitium perpetualiter habeant, teneant atque poſſideant. Reliquae vero res, vbicumque ſint pertinentes ad monaſterium Altaha ſub dominio et gubernatione Abbatis exiſtant, quem ipſi fratres ſecundum regulam S. Benedicti elegerint. Et vt haec auctoritas noſtrae largitionis firmiter (fort. firmior) habeatur, et per futura tempora a fidelibus noſtris credatur, et diligentius obſeruetur, manu propria noſtra ſubtus eam firmauimus, et annuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus, nec non per manus Carlomanni roborari fecimus. Data 15. Cal. Ian. Anno Chriſto propitio 33. regni Domini Ludouici ſereniſſimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione XII. Actum Altaha Monaſterium in Dei nomine feliciter.

BIU Cujas

LV.

Diploma Ludouici Germanici Rataldo, Argentoratensi episcopo, datum, apud Culpis. *Script. rer. Germ. tom. II. pag.* 111.

IN Nomine Scae et indiuiduae Trinitatis hLudouuicus, diuina fauente gratia Rex cum petitionibus Seruorum Dei iustis et rationabilibus diuini cultus amore fauemus superni muneris donum nobis a Domino impertiri minime diffidimus. Igitur omnium fidelium Sanctae Dei ecclesiae et nostrorum praesentium videlicet et futurorum comperiat industria quia vir venerabilis Rataldus Strazburgensis Vrbis Episcopus nostram adiit Excellentiam referens mansuetudini nostrae qualiter ob incuriam ministrorum ipsius Ecclesiae omnia munimina cartarum, quae inibi haberi videbantur, concremata fuerint. Idcirco nostram deprecatus est pietatem, vt per nostrae pietatis praeceptum omnes res et familiam, quae tunc temporis eadem ecclesia, quae constructa habetur in honorem beatae domini genetricis semperque virginis Mariae quae habuisse dinoscitur quando haec res accidit, denuo confirmaremus et corroboraremus. Sed vt Dno adiuuante et nobis opem ferente praefatam ecclesiam ad pristinum posset reuocare statum et a nemine pro hac re nullum de rebus vel familiis iuste et legaliter ibi pertinentibus sentiat dispendium hanc nostrae auctoritatis praeceptionem fieri decreuimus, per quam omnes res ac mancipia quae a religiosis viris seu a praedecessoribus nostris vel a quibuslibet hominibus eidem ecclesiae collatae fuisse noscuntur sub immunitatis nostrae tuitione praefatus Rataldus successoresque sui quiete teneant atque possideant. Et nullus hominum vel iudex publicus seu quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesia baptismales vel oracula curtes villas loca vel agros seu reliquas possessiones memorati Episcopii quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis infra dictionem imperii nostri iuste et legaliter possidet vel quae deinceps in iure ipsius sancti Loci diuina Pietas augere voluerit ad causas iudiciario more audiendas vel freda aut telonea exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fideiussores tollendos, seu homines ipsius Ecclesiae tam liberos quam seruos fiscalinos et tabellarios distringendos nec vllas redhibitiones aut inlicitas occasiones requirendas vllo vnquam tempore ingredi audeat vel ea quae supra memorata sunt penitus exigere praesumat sed liceat memorato venerabili vocato Episcopo suisque Successoribus praedictae Ecclesiae cum omnibus sibi subiectis sub immunitatis nostrae defensione quieto ordine possidere absque cuiuspiam contrarietate quatinus pro nostra incolumitate coniugis et prolis seu etiam totius imperii a Domino nobis collati iugiter

Domini

BIU Cujas

Domini misericordiam exorare delectetur. Si quoque aliquae quaerimoniae aduersus iam dictam Ecclesiam tam de rebus et hominibus liberis et seruis ortae fuerint quae absque graui et iniquo dispendio dissinire nequiuerint iubemus vt per idoneos circa vicinos et fideles nostros fideliumque nostrorum homines plenissime sub Sacramento inquiratur et ad finem rite vsque deducatur. Si quis vero contra hanc nostram auctoritatem aliquid agere temptauerit aut ex his quae praescripta sunt quippiam violare praesumserit, sciat se XXX. libras auri optimi secundum veterem morem parti praefatae Ecclesiae se esse persoluiturum nostram insuper offensionem incursurum. Concessimus quoque venerabili Episcopo Rataldo vel Successoribus eius Rectoribus scilicet iam dictae Ecclesiae vt in quacunque placuerit villa Episcopii sui motum statuat quatinus pro mercedis nostrae augmento vtilitati ipsius ecclesiae deseruiat. Et vt hoc nostrae immunitatis praeceptum inuiolabilem atque inconuulsam obtineat firmitatem manu propria subter illud firmauimus et anuli nostri impressione subter sigillare iussimus.

Signum  *domni hLudouuici Serenissimi Regis.*

Helarhardus Cancellarius ad vicem Luitberti Archicapellani recognoui.

Data II. Id. Iunii anno Xe͠ *propitio XXXVI. regni hLudouuici Serenissimi regis in Orientali Francia regnante indictione VI. actum Aquisgrani Palatio regio in domini nomine feliciter Amen.*

LVI.

Subscriptio diplomatis
Caroli Crassi in *Formulis Alsaticis n.* 4. apud Eccard. *ad leg. Sal. pag.* 235.

Ann. 881.

Data VIII. Kalend. Iulii anno quinto -- per mortem patris sui Hludouici in Francia, Alamannia, secundo regni eius in Burgundia, Imperatoriae vero dignitatis et Apostolicae benedictionis primo. Ego N.

BIU Cujas

Notarius et exceptor ad vicem N. Archimentarienſis (*) *recogno. Feci.*

LVII.

Diploma Ludouici *ibid. n.* 6. *pag.* 235.

IN nomine ſanctae et indiuiduae Trinitatis. HL. Rex Germaniae, (**) *ſi erga loca ab anterioribus noſtris diuino cultui mancipata, et ſeruos Dei in eiſdem commanentes liberalitas noſtra aliquid beneficiorum contulerit mercedem nobis ob hoc a Deo credimus rependendam, et prolem noſtram poſt nos feliciter regnaturam. Et idcirco omnes* fideles noſtri et filiorum *noſtrorum, praeſentes ſcilicet et futuri cognoſcant, quod venerabilis vir N. illius eccleſiae praeſul, precibus quibus auſus eſt, ſerenitati ſuggeſſit, quod Canonici et familia ipſius Eccleſiae, ſed et alii Clerici et cunctus populus eiuſdem dioeceſeos nimium ſolliciti eſſent et ſuſpecti, quiſnam illis aut cuius gentis per ſe Epiſcopus ordinaretur, timentes videlicet, ne, ſi ignotus ignotis, et etiam alterius linguae diuerſorumque morum ſuperponeretur, eis nequaquam conuenire potuiſſet. Cuius ſuggeſtioni aſſenſum noſtrae pietatis accommodantes et Chriſtianae plebis vtilitati proſpicientes, per auctoritatem noſtrae poteſtatis eidem Eccleſiae hoc pacto in eodem clero et etiam in ipſa parrochia ius ſibi eligendi Epiſcopum in elemoſinam noſtram conceſſimus. Ideo ſi inter ipſos canonicos* INGENVI *et* NOBILES *homines Diuinae authoritatis eloquiis et ſynodalium Decretorum conſtitutis inſtructi, et bonis moribus adornati fuerint inuenti, per conſenſum ſacrorum ordinum et* NATV MAIORVM NOBILIVM LAICORVM, *qui dignus ex eis electus fuerit ad noſtrae ſerenitatis deducatur aſpectum, et per noſtram comprobationem Clericis et Monachis et omni populo acceptus et honorabilis habeatur. Quod ſi inter eos talis inueniri nequiuerit, ſed Dei gratia monaſteria in eadem dioeceſi* NOBILIBVS *et eruditis viris referta, inde dignum et induſtrium Eccleſiae Rectorem inuenientes, noſtro conſpectui perducant eligendum, vt per nos archiepiſcopo commendatus officii ſui auctoritatem per noſtram obtineat poteſtatem. Si hoc noluerint, de tota parrochia vnum quemlibet Clericum* NATALIBVS *et doctrina pollentem cum conſenſu populi eligentes nobis videndum et comprobandum praeſentantes petitionem ſuam apud clementiam noſtram ſe obtinere confidant. Si vero, quod abſit, perſonam* SER-

[*] Leg. *archicommentarienſis* quod eſt *archinotarius. Commentarienſis* in *Vita Ludouici Pii ad a.* 812. pro *notario* adhibetur. ECCARD.

[**] Intelligitur ſine dubio Hludouicus, Ludouici Pii imp. filius. Sed datum diplomatis ad Carolum Craſſum pertinet, vnde duas chartas in vnam confuſas eſſe, ſuſpicor. ECCARD.

BIU Cujas

SERVILI IVGO *notabilem, et publicis exactionibus debitam, aut etiam vitiis suis consentaneam, et ipsi sine populo eligere, et nobis absque idoneis Parrochiae testibus assignare praesumpserint, liceat nobis potestate Regia vti, et iuxta scientiam nobis diuinitus concessam Ecclesiae Dei dignum constituere sacerdotem, qui et ecclesiam canonice sciat dirigere, et ad nostram obsequelam et obsequium per aetatis et industriae commoditatem sufficiat occurrere, quod et ceteri, si peruenient ad Episcopum, sibi nouerint subeundum. Vt autem haec concessio nostrae firmitatis suae diuturnum obtinere possit vigorem, placuit nobis eam propria manu roborare, et annuli nostri impressione munire. Signum K (*) Serenissimi Regis in Orientali Francia, data Kalend. Maii anno Imperii eius V. actum Regino curte publica, in Regno Boioariorum anno ab incarnatione Domini qualicumque, indictione quauis.*

LVIII.

Epistola episcopi ad archipresbyterum de ieiunio a tribus fratribus, Ludouici Germ. filiis decreto. *Ibid. n.* 18. *pag.* 242.

PRouidentia diuina N. Ecclesiae ille Episcopus N. Archipresbytero pagi illius salutem. Notum sit dilectioni tuae, quia Domini nostri Reges, quando nuperrime in vnum congregati sunt (**), inter multa, quae pie ac salubriter obseruanda constituerunt, hoc etiam decreuerunt, vt pro multis necessitatibus triduanum ieiunium pariter obseruare deberemus: quod hoc modo fieri debebit XIIII. Kalend. et XIII. et XII. Kal. Iunii, pura confessione et pace praemissa ieiunent omnes vsque ad nonam: exceptis qui prae infirmitate et infantia aut senio (non) possunt abstinere, et vnanimes contrito et humili corde veniant ad Ecclesiam, sequantur crucem cum Litania totus populus, Kyrie eleison clamantes, cinere aspersi et ciliciis induti, qui illa possunt inuenire. Ceterii

[*] Hoc est *signum Karoli*, scilicet Crassi. Sed verba, *serenissimi regis in orientali Francia*, iterum ad patrem Karoli huius Ludouicum Germanicum pertinent. Annus vero imperii V. est Caroli Crassi, et conuenit in annum Christi 885. Vnde iterum confusio duarum chartarum Ludouici patris et Caroli Crassi filii manifesta est. ECCARD.

[**] Filii Ludouici Germanici, Carolomannus, Ludouicus, et Carolus Crassus mense Nouembri anni 876. conuenerunt in pago Recienſi, vt *Annales Fuldenses* habent. Sed cum a Kalendis Iunii hoc tempus remotius sit, puto chartam nostram loqui de Ludouici et Carolomanni iam morti vicini conuentu, qui anno 879. contigit. Ecc. At tunc non adfuit Carolus. Nec insolitum est, talia semestri spacio ante indici. Quare haec omnino ad annum 876. referenda sunt.

BIU Cujas

Ceteri quicumque habent, laneis veſtibus induantur ad corpus. Pauperibus et non habentibus ipſa ſua penuria pro afflictione ſufficit. Diſcalceati omnes Miſſam in commune auſcultent cum metu et reuerentia. Preſbyteri ſingulis illis diebus Miſſam cantent. Ceteri Clerici et omnes, qui nouerint, viri ac feminae L. pſalmos impleant, obſecrantes Conditoris noſtri Clementiam, vt ab inuiſibilium hoſtium inſidiis, et gentibus variis et gentilium incurſionibus Eccleſiam ſuam defenſare, et ipſam pace ſua, quae omnem ſenſum exuperat, interius cuſtodire dignetur, ne in ſua viſcera ipſa conſurgere, et ſemet lacerare conetur: diuerſas peſtes et morbos ab hominibus et iumentis auferat, aëris temperiem tribuat, terram foecundet, fruges ad maturitatem perducat, fructus arborum multiplicet, vt exterioribus neceſſariis affluentes cum fide recta, ſpe firma, et charitate ſyncera Deum diligere, et illius mandatis inhaerere poſſimus: et his ſubſidiis vtentes in via, ad aeterna praemia peruenire mereamur in patria. Pane ſicco aluntur omnes, et crudis oleribus, et ſale atque pomis, et qui opus habent infuſis veſcantur oleribus, vno vaſculo de pura ceruiſa refocillentur. Cunctis omnino a carne et pinguedine, et omni quod ex lacte conficitur, interdicitur. Piſces et oua praeter infirmitatem nemo praeſumat. Similiter vinum et omne, quod melle dulcioratum eſt, et vnuſquiſque, in quantum poterit, quod ſibi ſubtrahit, indigenti praebere non differat: quia ieiunio innocens acquiritur vita, oratione religioſus animus enutritur, elemoſyna miſericordia, quae requiritur, inuenitur, et quod nuper in miniſterio tuo ſemicorrectum dereliqui, ſicut a te digrediens ſtrenuitati tuae commendaui, Omnia ad certum finem, prout peteris perducere curato. Vale.

LVIIII.

Pars epiſtolae epiſcopi Brixienſis ad epiſcopum Germanum; *ibid. n. 26. pag. 245.*

ANNO 876. vel 877.

*DIlectiſſimo et religioſiſſimo Conſacerdoti et firmiſſimo amico N. Epiſcopo ille Brixienſis Eccleſiae Paſtor. * Obſecro fidelitatem veſtram, vt veraciter mihi et diligenter demandare dignemini, quomodo ſe ſumma rerum habeat, quam pacati inter ſe Domini noſtri Reges ſint, id eſt,*

[*] Debet hic eſſe Antonius, epiſcopus Brixienſis, ad quem Ioannes VIII. papa plures epiſtolas ſcripſit. ECCARD.

BIU Cujas

est, filii Hludouici, qualemcumque pacem ad consobrinum suum filium K. conseruent: quia nos habitatores Italiae, et potius inquilini, seu quod potissimum veritas ipsa testatur, praeda nunc horum, nunc illorum, aegre nimis exspectamus, donec inter se concorditer adinueniant, cuinam prouinciam illam concedere velint, vt illi, prout oportet singulariter subiiciamur: ceteris etiam, in quibus possumus, laeti seruiamus.

LX.

Responsio ad hanc epistolam *ibid. n.* 27. *pag.* 245.

ANNO 876. *vel sequente.*

NObilitatis et religionis summique sacerdotii dignitate sublimato N. illi Ecclesiae Pontifici N. illius Ecclesiae indignus Episcopus. Comperta sanctitate dulcedinis vestrae multum in Domino gauisus sum, sed et gaudeo et gaudebo. De perturbatione vero Italiae tum propter vestram et Ecclesiarum Christi inquietudinem et vastationem, tum etiam propter nostra detrimenta nimium contristamur: quia pauperrima et arida prouincia nostra quid amplius habitura est, matre diuitiarum suarum direpta? Sed Dei misericordia confidimus hanc tempestatem in breui serenandam: nam, sicut demandastis mihi, vt de regni pace et statu vobis certi aliquid significarem, et qualem pacem ad inuicem inseruarent tres fratres, filii nostri Domini Hludouici, et vtrum nepotem et consobrinum, immo compatruelem suum filium K. in societatem suam adsciuissent? notum facio dilectioni vestrae, qualiter illi fratres ita se mutua charitate complectuntur, vt summam Trinitatem mediam inter illos diuersari credamus. A Deo omnia, quae ad illos seu priuato, seu publice pertinere videntur, humanas res vota supergrediuntur: et vnusquisque eorum si posset et potest fieri, plus alios, quam seipsum diligit, et diligeret. Et Dominus quidem K. cum fratre Hl. Hludouici iunioris, id est, Galliam Lugdunensem et Treuerim cum omni Mosellana regione, nec non Agrippinensem prouinciam et Burgundioniam inter se diuidendas acceperunt. Italiam vero et Thusciam et omnem Campaniam Domno K. regendas commiserunt, qui etiam modo sanitate indulta, et indepta, quandocius vos per gratiam Dei visitabit, et omnem aduersarium et praedonem de vestra prouincia fugabit. Cetera.

BIU Cujas

LXI.

Diploma Ludouici, quod in rariore libro Auentini, quem *Epitomen annalium* inscripsit, et prodromi loco anno 1522. edidit, Germanice versum occurrit, ex eoque erutum dedit Schilt. in *Thesauro antiqu. Teuton. tom. III. pag.* 425.

IN dem Namen vnnſeres Herren IEſu Chriſti Got des allmechtigen. HLudwig aus milde Göttlicher Gnade Künig der Bairn, wan wir die gepet (ſo vnſser getrewen an vns legen) geren vnd vvilliglich zvvlaſſen, und dieſelbigen in Gottes namen vollziehen, ſo erfullen vvir angeporne, Kônigklicher ſitten, gute, Machen auch damit, vnſſer lieb getrevven, in vnſerm Dienſt paſsmûttiger, deſshalben ſoll vviſſen die Schigklickait vnd frumme aller vnnſser getrevven ytziger vnd künfftiger, das Erchanfrid diacon, vnſser Caplan, vnd ſein nâchſter freund Bathrich vns furbracht haben ein verleibtum brieffe, darin begriffen, vvi inen ir lebenlang zvv verdienter abnutzung Baturich biſchoff zvv Regenſpurg auff leib verlihen habe etliche gütter mit aigen leuten, mit Hütten, Scheyrn, Heuſern, Gepeuen, Ackern, Velt, Wiſsmatten, Waiden, Holtz, Waſſer, Waſſerleuff, ſo mit eigentomb ſandt Haymeran münſter zugehôren in den nachgeſchriben Dôrffern ligen, nemlich zvv Buchhuſa, (*) Rhuochinga, (**) das ſonſt Folinchoua genant vvird, (†) auch zu Alinchoba, (††) ain hub, vnd zu Cailonespach, (*) ain hub. Diſser ytzerzelten ſtucke etliche ſynd voran des obgemelten ſtiffte gevveſsen, ain theil, hat der egenant Erchanfrid vor etlichen Iaren als ſein aigen gutt darzvv verſchriben vnd vbergeben, vvelchar dan vnſser Kônigliche vvirde vaſt gepeten hat, Das vvir im vber ſolich Biſchoffliche Leibgeding vnnſer beſtettum gepott verſchuffen, dadurch er vnnd ſein nâchſter freund Bathrich ir lebenlang deſter ruehiger vnd ſicherlicher an meniglichs vviderſprechen die obgemelten ſtucke inhaben nutzen vnd brauchen môchten. Solchs gepet haben vvir angeſehen, vnd diſser vnnſser beſtetum Ernſtliche mainum in ſchrifft zuverfaſt vverden verſchafft, Byeten hiemit vnnd ſchaffen, das die mergemelten Erchanfrid vnnd Bathrich obgenanndt Stucke vnnd gutter ir leben lanng inhaben vnnd peſitzen vnnd kainer

[*] Iam *Buchhauſen.*
[**] Iam *Rocking.*
[†] Iam *Pfölkofen.*
[††] Iam *Alnkofen.*
[*] Iam *Kolnbach.*

BIU Cujas

kainer vvas vvirden er ſei Geiſtlich oder vveltlich die an ſolchem zvv irren oder engen, ſich vermeſſen vvölle, ſunder ſy macht haben ir lebenlang ſolchs nytzen vnnd brauchen, nit anderſt, dan vvie ob geſchriben iſt, vnnd nach ir Beider todt, ſollen obgeſchriebne Stuck mit aller zugehörum vollentlich in vervvaltum vnnd herſchum dem obgenanten Gotzhauſs vvider haimgen vnnd fallen. Damit aber dis geſchefft vnſers Gepots vnd Beſtetum deſt veſter gehalten vnnd demſelbigen deſterbas vonn vnſern getrevven gelebt vverde, haben vvir ſolchs mit vnſers Rings auffdruckum hie vnden zvv beſigeln verſchafft.

Ich Adalhold Diacon hab diſſen Brieff an ſtat Gauzbold vberleſen vnnd verfertigt. Geben am 18. tag des Augſtmons, Im Achtzehenden (das Chriſtus bey vnſs ſey) Iar des Keyſertoms vnſſer lieben Vatters vnd Herren, Herren Hludwig des aller Durchleuchtigſten Rômiſchen Kayſers, vnnd vnſers Reichs im ſechſten, der Rômiſchen ſteur Anlegum im neundten iare.

Geſchehen zv Regineſpurg in der ſtat in vnſerm Palatio In dem namen Gots mit Glück Amen. Nach Chriſti Gepurt 831.

LXII.

Diploma ſimile eiuſdem apud eumdem Schilterum *pag.* 426. ab eodem Auentino Germanice verſum.

IN dem Namen vnnſsers HErren Iheſu Chriſti Got des almechtigen. HLudwig aus Gôtlicher gnaden myltigkeit Kônig der Bairn, So wir durch Vnſerer myltigkait gabe, von den guttern vnns von Got verlihen, den ſtetten der Heyligen etwas vbergeben, Glauben wir gentzlich, ſolchs vns on allen zweyfel zv entpfahum des lons ewiger widergeltum nutz zu ſein, Darumb kund ſey gethan allen der heyligen GOttes kirchen vnd vnnſern getreuwen, das wir von vnſsers Lone merum wegen, Der heyligen Regineſburger Kirchen (die in den Eren des Fürſten der zwelffpoten ſand Peter vnd des ſelichiſten marterers Chriſti ſandt Haymeran, ſo alda leibhefftig pegraben raſtet. gepawt dero in gegenwirtiger zeit der ervvirdig man Biſchoff Bathurich aus Gottes vvirckum, als geſehen vvird, vervvalter iſt) verlihen haben etliche gütter vnſſers aigenthombs mit andern rhingvveiſ vmmligenden Nemlich die gegent, do vor alter ein Veſt gevveſen Herilungoburg gehaiſſen So in der abarn zu latein Auarorum genant vor zeitten landſchafft liget, vnd mit ſeinen orten alſo, vvie hernach beſchriben vvird, auſſzaigt iſt Erſtlich do

BIU Cujas

das vaſſer erlafa (*) in die Thonavv feldt, hebt ſich an ytz genanter krais vnd zicht ſich auff vvertz mit ſampt dem geſtatem egenants vvaſſerfluſs bis an das end Erdgaſtegi genand, vveitter ſtreckt ſich ſolchs ſtuck von dem egedachtem fluſs erlafa auf der Oſterſeyten pis mitten auff den Perge bey den Windenn, Colomezza genandt do dan in zvvaien paumen ſichperliche zaichen angezait vverden, vnd von dan lendt ſich mengenanter ſtakt auff der Nord ſeiten biſs an die Thunavv Aber gegen ſuden vnd vveſten durch die hôch des pergs als ſcheinperliche zaichenn der Baum auſſzaigen biſs an das obgeſagt ort, ſo man nent Erdgaſtegi, Diſe alſo beſchribne vnd angezaygte gegent mit den Sclauen ſo alda vvonen mit Hevvſern, gepevven, grunden, gepauten vnd vngepauten, Wiſsmaten, Wayden, Holtzern, vvaſsern, vvaſſerleuffen, mit anſtoſſenden trifften, auſſgengen vnd eingengen, ſo vil innerhalb vorgeſtimptes zirckels march beſchloſſen vvirdt, haben vvir gar vnd yertzlich der vorgefagten Kirchen evviglich zvv inhaben verlihen, vnd auſs vnſſer gevvalt vnd rechten in iren gevvalt vnd herſchung durch vnſſer myltigkait gutte vbergeben, nemlich in der geſtalt, Das von dem heutigen tag vnd zeyte, nun hinfüran mit den vorgeſagten Guttern vnd leuten die regirer vnd diener des gemelten ſtuels freien gevvalt vnd macht, iren nuz und frummen zu ſchaffen vnd fudern, vvie ſy verlangt, haben, vnd damit dyſer vvil vnſſer myltigkait zvv evviger zeit vnuergevveltigt vnd vnzerprochen bey ſeinen krefften pleibe, haben vvir ſolchs hye vnnden mit vnnſſer hand beueſtigt vnd vnterſchriben, Auch mit vnnſſers Rings aufruckung zu ſygeln verſchafft.

Hand zaichen Herren Hludvvigs.



des hochberômteſten Kunig in Bairn.

Ich Adalhold diacon an ſtat Gauzbald habe diſen Brieff vberſchaut vnd verfertigt. Geben am ſechſten tag des Weinmons im Neuntzehenden Iar des Kaiſerthumbs vnnſſers lieben Vatters vnd Herren, Herren Hludvvig des allerdurchleuchtigiſten gevveichten Romiſen Kaiſers.

Vnſers

(*) Iam Erla in Auſtria iuxta Pechlarn Ips et Mellicum.

BIU Cujas

Vnſers reichs im ſibenden, der Kaiſerlichen ſteur anlegum im XI. iare Geſchehen zu Regineſpurg in der ſtat In Gottes namen. Das vvol gerad Amen. Nach Chriſti Gepurt. 832.

LXIII.

Diploma eiuſdem ex eiuſdem Auentini verſione apud Schilter. *p.* 427

IN dem namen vnnſſers Herren IEſu Chriſti Gott des almechtigen. HLudvvig von Gôttlicher gnade miltigkait Kônig der Bairn, vvo vvir die ſtette zu Gotlichem dienſte gevvydent, durch die lieb Gottes vnd dero, ſo im in ſolchen ſtetten dienen mit bequemlicher guthait miltigklich begaben, verſehen vvir vnns den lon bey dem Herren in evviger Saligkait zu entpfahen. Darumb kunt ſey allen vnſern getrevven, gegenvvirtigen vnnd künfftigen, das vvir, vmb unnſers lons merung vnd evviger vvidergeltung vvegen, zu ſand Haymeran des faſt vermerten Chriſti martrers münſter, do dann er leibhafftig ruvvet, beſtet haben ain kirchen mit leuten vnd gründen dazu gehôrig, die dann ligt vor vnſerm palaſt vnd konigklichen kamer, ſo genant vvirt Tinguluinga (*) vvelche gevveſen iſt eines kônigklichen dieners Antkar gehaiſſen, vnd alſo dyſe kirchen (als vvir oben gemelt haben) mit ſechs aygen leutten dahyn gehôrig, vnd mitt heuſern, gepevven, grunden, vnd allen ſo dyſer kirchen zu gehôrt, gar vnd gennizlich beſtetten vvir den vorgedachten ſand Haymeran mônſter evvigklich zu beſitzen, Nemlich diſer geſtalt, das von dem hevvtigen tage vnd zeyte nun mer hynfuran die regirer vnd diener des obgemelten mônſters, freyen vollen gevvalt vnd macht haben, in allen ſachen, vvie ſie dann verluſt mit ſolcher kirchen iren nutz vnd frummen zü fudern, vnd damit, dyſe vnnſerer myltigkait vnd beſtetnuſs ernſtliche mainung zü evvigen zeytten vnvergevvaltigt vnd vnzerbrochen bey iren krefften beleybe. Haben vvir mit vnnſer aygen handt ſolchs hie vnnden beſtett, Auch mit vvnſers ringe auffdruckung zu beſigeln verſchafft.

Handtzaichen Herrn Hludvvigs



(*) *Hodie* Dingelfing.

BIU Cujas

des hochberômpteſten Kônigs in Bairn.

Ich Adelholdt diacon an ſtat Gauzbold, hab dyſen Brieff vberleſen vnnd verfertigt. Geben am XXVII. tag des Mayen, im XX. jar des Kayſertumbs vnnſſers lieben Herrn vnd Vatters, Herrn Ludvvigs des allerdurchleuchtigſten Romiſchen Kayſers, Vnſers reichs jm Achten, vnnd der Kayſerlichen ſtevvr Anlegung jm XI. Iare. Geſchehen zů Regineſpurg in der ſtatt. In Gottes namen das glücklich ge. Amen. Nach Chriſti gepürdt 833.

LXIIII.

Diploma Caroli Craſſi, imperatoris apud Freher. *Orig. Palat. part. II. pag. 64. c. 6.* et Toelner. *Cod. dipl. Pal. num. 13. pag. 11.*

Anno 884.

In nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis. Karolus diuina fauente clementia Imperator Auguſtus. Si locis Deo dicatis ex noſtris rebus pro Dei amore et remedio animae noſtrae et parentum noſtrorum aliquid conferimus, et neceſſitates ſeruorum Dei aſſidue ſibi famulantium noſtro ſubleuamus iuuamine, id procul dubio et nobis ad aeternam vitam feliciter obtinendam et parentum noſtrorum animabus ad veniam conſequendam profuturum liquido credimus. Qua de cauſſa omnium ſanctae Dei eccleſiae fidelium noſtrorumque, praeſentium ſcilicet et futurorum comperiat manſuetudo, qualiter nos ob amorem Dei et remiſſionem peccatorum noſtrorum, atque pro remedio animarum piae recordationis genitoris noſtri Hlvdovvici, *nec non Kariſſimi fratris noſtri* Hlvdovvici, *glorioſiſſimorum Regum, ad monaſterium, quod vocatur Lauresham, vbi S. Nazarius corpore requieſcit, et praefati Reges humati habentur, exſpectantes diem reſurrectionis, vbi Gerhardus Abba et rector eiuſdem monaſterii eſſe videtur, quaſdam res iuris noſtri, in ius et proprietatem perpetuo poſſidendum conceſſimus, videlicet in comitatu Wormatienſi ad villam quae dicitur Alesheim, curtem indominicatam, ſicut ad Imperatorem pertinet, cum manſis, aedificiis, vtriuſque ſexus mancipiis, terris, pratis, vineis, ſyluis, cultis et incultis, paſcuis, aquis aquarumue decurſibus, viis et inuiis, et adiacentiis, finibus, et omnia ad ſe iure legitimo pertinentia. Eo ſcilicet rationis tenore, vt perpetuo monachis ibidem Deo famulantibus*

in

BIU Cujas

in vsibus deputentur, atque indeficiens luminaria exinde in ecclesia, vbi praefati viri requiescunt, habeatur, et nulli praefatae res in beneficium tradantur, sed ita auxiliante Deo permaneant ad vsus fratrum et luminariam inextinctam, veluti praelibando statuimus. Vnde et hoc nostrae auctoritatis praeceptum fieri iussimus, per quod decernimus atque iubemus, vt nec nostris, nec successorum nostrorum temporibus vllus habeat potestatem ex supra scriptis rebus aliquid minuere, subtrahere vel immutare: sed ita inuiolabiliter permaneant, veluti praelibauimus. Et vt haec nostrae concessionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, et per futura tempora verius a cunctis credatur, et diligentius obseruetur, manu propria subter eam firmauimus et annulo nostrae impressionis iussimus sigillari. Karolus Imperator Augustus. Segoinus notarius ad vicem Luitvvardi Archicancellarii recognoui et subscripsi. Datae III. Id. Iun. Anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXIIII. Indictione II. Anno vero regni Domini Karoli Augusti VIII. Imperii autem IIII. Actum Wormatiae in Dei nomine feliciter, Amen.

LXV.

Diploma Ludouici Germanici ex archiuo ecclesiae Wormatiensis, id est, vt ego interpretor, ex apographo quodam depromtum a Schannato *Hist. Wormat.* in *codice probat. n. 6. pag. 6.*

Ann. 858.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis. Hludovvicvs *Diuina fauente clementia Rex.*

Si Ecclesias Dei nostra Traditione et auctoritate, aliquatenus vt exaltentur, accommodauerimus, et cetera a praedecessoribus nostris illuc tradita confirmamus, id procul dubio ad statum praesentis salutis et potestatis aeternique gaudii praemia capessenda nobis profuturum credimus. Idcirco omnibus Christianae fidei cultoribus nostrisque fidelibus praesentibus scilicet et futuris notum fieri desideramus: quia Nos Diuino compuncti amore quasdam res iuris Regalis infra Wormatiam ciuitatem ad Ecclesiam Sancti Petri, Principis Apostolorum, quae ibi honorificenter constructa videtur, cui etiam Samvel *venerabilis Episcopus praesidet, id est: monetam ad integrum, modium etiam Regis, quod vulgari nomine* stove-kari *adpellatur, quidquid ad nostrum vsum et ius pertinet, ob animae nostrae remedium in proprietatem*

tem donamus et tradimus, et insuper omne telonium et vectigal, vel quidquid in dominicum fiscum de praedicta ciuitate infra vel extra, in vadiis, aut fredis, siue iustitiis legalibus redigi potest, seu ceteris vtensilibus, a praedecessoribus nostris, Regibus videlicet vel Imperatoribus illuc traditis, quae Regum Exactores in eorum vtilitatem vmquam poscere solebant, nostrae auctoritatis praeceptione denuo confirmamus. ad haec itaque ob petitionem praefati Samuelis, dignissimi pontificis, supra dictae Ecclesiae et locis illuc adpicientibus hac nostra auctoritate concedimus, interdicentes : vt nullus iudex publicus, nec quispiam ex iudiciaria potestate in mansionibus ibi dandis, aut telonio, vel fredo, de familiis ecclesiae vspiam poscendo, aut hominibus eidem ecclesiae subditis, tam ingenuis, quam etiam seruis distringendis, aliquod ius habeat, nec vllam iuris exactionem de colonis, liberis, seu de seruis repetere praesumat, quin potius aduocato praefatae ecclesiae, sicut Regio exactori totum quod legi debebant, omnino persoluant. Iussimus etiam praesentem nostrae auctoritatis titulum inde conscribi, Regali iussu praecipientes : vt iam facta Traditio et confirmatio nostra in ius praescriptae ecclesiae penitus reducta sub tuitione Pontificis superius nominati successorumque illius aut ceterae ad eamdem Ecclesiam pertinentes causae absque vllius personae obstaculo perhenniter maneant, quatinus parentum nostrorum nostrique Nominis memoria in Orationibus Deo ibi seruientium per succedentia saecula incessabiliter habeatur, et vt haec auctoritas nostrae traditionis et confirmationis perpetuum obtineat vigorem manu propria subtus eam notauimus et annulo nostro eam signari praecepimus.

Dat. XIII. Kalend. Februarii, Anno XXIIII. Regni HLVDOVVICI *serenissimi Regis in orientali Francia regnantis Indict. IIII. Actum* FRANCONOFVRT, *palatio Regio in Dei nomine feliciter, Amen.*

LXVI.

Diploma Ludouici Germanici Wormatiense, apud *eumdem ibid. n. 7. pag. 7.*

ANN. 858.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, HLVDOVVICVS *diuina prouidente Clementia Rex.*

Si petitiones iustas Sacerdotum Dei, quas ad nostram notitiam de necessitatibus Ecclesiarum sibi commissarum, pertulerint, ad effectum perduci-

BIU Cujas

perducimus, hoc nobis incunctanter ad temporalis regni ſtatum, et ad aeternae beatitudinis incrementum profuturum confidimus: idcirco omnium Dei noſtrique fidelium, praeſentium videlicet et futurorum nouerit magnitudo, quia vir venerabilis SAMVEL, *Vangionum Vrbis Epiſcopus, Excellentiam noſtram adiens querula voce retulit, quod Regiae poteſtatis Procuratores et Exactores frequens litigium facerent inter Rempublicam et ſuam eccleſiam de vtilitatibus, quae ſunt in pago Lobedungovve, et de ſyluatico in ſyluis Otenvvalt, ac omnem vſum praedicti pagi vna cum ſyluatico in dominicum Fiſcum redigere vellent: ob hanc ergo diſſenſionem noſtris viſibus obtulit Praeceptionem Domini aui noſtri beatae memoriae* KAROLI *famoſiſſimi Francorum Imperatoris, in quo ſcriptum reperimus, quomodo* DAGOBERTVS *Rex Francorum ad Baſilicam Sancti Petri Apoſtoli in Wormatia Ciuitate conſtructam tradidit ciuitatem Lobenburg, in pago Lobedungovve ſitam, cum omnibus vtenſilibus illuc aſpicientibus, aedificiis, mancipiis, vineis, terris cultis et incultis, agris, pratis, campis, omni ſyluatico in ſyluis Otenvvalt, cum omni vtenſilitate in pago Lobedungovve, telonium, mercatum, et quae dici aut nominari poſſunt, excepta ſtipe Regia, et Comitatu, illic omnia donauit, et cetera ad eamdem baſilicam pertinentia ſua praeceptione confirmauit: ſed ne haec contentio vlterius procederet, precatus eſt noſtram ſerenitatem, vt hoc interdiceremus, et noſtra auctoritate denuo id ipſum confirmaremus, cuius precibus ob Diuini cultus augmentum acquieſcentes hoc noſtri Culminis praeceptum eidem Eccleſiae inde fieri decreuimus, per quod iubemus, vt nullus praefato Samueli Epiſcopo, aut Succeſſoribus ſuis vllum impedimentum in praedictae Eccleſiae vtilitatibus vllo vmquam tempore facere praeſumat, niſi ſicut confirmatum eſt a praedeceſſoribus noſtris, Regibus videlicet vel Imperatoribus Francorum, ita deinceps per hanc noſtram auctoritatem praefatus Samuel Epiſcopus ſuique ſucceſſores hoc ſibi habeant conceſſum, atque indultum, nullo inquietante poſſidendum, et vt haec auctoritas noſtrae confirmationis inuiolabilem teneat vigorem, manu propria ſubter eam notauimus, et noſtri ſigilli impreſſione inſigniri iuſſimus.*

GODEBERTVS *Subdiaconus, ad vicem* BALDRICI *Abbatis recognoui.*

Dat. XIII. Kalend. Febr. Anno XXIIII. Regni LVDOVICI *Sereniſſimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indict. IIII. Actum* FRANCONOFVRT, *Palatio Regio in Dei nomine feliciter, Amen.*

BIU Cujas

LXVII.

Eiusdem diploma apud eumdem *num.* 8. *pag.* 8.

Anno 858.

IN nomine Domni nostri Iesu Christi. Hludovvicvs, *Diuina prouidente Clementia Rex. Si petitiones sacerdotum Dei, quas ad nostram notitiam de necessitatibus Ecclesiarum sibi commissarum pertulerint, ad effectum perducimus, hoc nobis incunctanter et ad temporalis regni statum, et ad aeternae beatitudinis incrementa profuturum confidimus. Idcirco omnium Dei nostrique fidelium, praesentium videlicet et futurorum nouerit magnitudo, quia vir venerabilis* Samvel, *Vangionum vrbis Episcopus, Excellentiam nostram adiens, querula voce retulit, quod Regiae potestatis procuratores et exactores atque Comites frequens incommodum sibi facerent in rebus et locis ad Wimpinam respicientibus. Nos igitur diuino tacti amore pro aeternae mercedis augmento nostrique regni stabilitate, ad Basilicam Sancti Petri, principis Apostolorum, quae in Vangionum vrbe constructa est, per petitionem eiusdem praefati Samuelis Episcopi sub integra Emunitatis tuitione donauimus atque concessimus, vt nullus noster aut successorum nostrorum Comes, aut aliquis publicus iudex in rebus aut locis ad Wimpinam aspicientibus, quae certis nominibus et signis subnotantur, nec ad causas audiendas, nec homines ipsius ecclesiae, tam ingenuos quam et seruientes distringendos, placitum, vel aliquid incommodum audeat facere, siue aliquam deinceps potestatem in eisdem locis et rebus, nisi ad partem et vtilitatem Ecclesiae habeat; sed ipse Pontifex Samuel, et successores sui hoc habeant concessum atque indultum, quieto ordine possidere, atque dominari, quod partibus Fisci nostri fuit consuetudo retinendi. Quae emunitas in eo loco incipit, vbi ille fons in fluuium Neckar labitur, qui defluit de villa Iseinsheim, et sic sursum tendit vsque ad ortum eiusdem fontis, et ex ipso fonte tendit deorsum Kienbach, et de Kienbach pergit deorsum vsque per mediam villam Biberaha, et de Biberaha pergit vnam vallem vsque ad Quercum, quae sita est ad villam Eychusa, et de Eychuson tendit excelsam plateam vsque ad duos tumulos, et de tumulis tendit omnem viam vsque ad Kirichbach, et de Kirichbach pergit deorsum in villam Gruonbach, et de Gruonbach tendit deorsum vsque ad finem Dunberges, et de Dunberge vsque ad caminum calcis, et de Camino vsque ad villam Offensegal, et de Offen-*

segal

BIU Cujas

ſegal vſque ad Mittel-wiſa, et de Mittel-vviſa ad Ruodelacheſevve, et de Ruodelacheſevve vſque ad illum locum, vbi Michelenbach cadit in Schvvartzaha, et de Schvvartzaha ſurſum vſque in Helmſtat, et de Helmſtat ſurſum vſque ad Wollenberge, et de Wollenberge ad Mulenbach, et de Mulenbach in medium fundi Neckaris, et omnem fluuium Neckaris vſque ad fontem, qui fluit per Yſenesheim in Neckar. Eamdem poteſtatem praefatae Eccleſiae conceſſimus in villis ex vtraque Neckaris, quae aut per totum, aut ex maxima parte ad Wimpinam pertinent. Similiter in his villis, vbi quatuor, vel tres, ſiue duas hobas habent, nihil Regiae poteſtatis aut Comes, vel iudex retineat, ſed totum ad manus Epiſcopi, eiuſque aduocati reſpiciat; Et vt haec emunitatis tuitio firma ſtabiliſque ſub perpetua defenſione permaneat, manus noſtrae ſubſcriptione eam decreuimus roborari, noſtrique anuli impreſſione ſigillare iuſſimus.

Dat. XIII. Kalend. Septemb. Anno XXIIII. Regni HLVDOVVICI *ſereniſſimi Regis in Orientali Franci regnantis. Indict. IIII. Actum* FRANCOFVRT, *palatio Regio, in Dei nomine feliciter. amen.*

LXVIII.

Diploma Ludouici Germanici eccleſiae Neuhauſenſi in dioeceſi Wormatienſi datum apud eumdem *n. 9. pag. 9.*

ANN. 869.

IN nomine ſanctae et indiuiduae Trinitatis. HLVDOVVICVS *diuina fauente clementia Rex. Si liberalitatis noſtrae munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, et neceſſitates Eccleſiaſticas noſtro releuamus iuuamine, atque Regali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem vitam temporaliter tranſigendam, et ad aeternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium noſtrorum, praeſentium ſcilicet et futurorum ſollertia, qualiter nos ob noſtrae mercedis augmentum, et pro remedio animae domni Aui ac Genitoris noſtri conceſſimus ad ſanctum Cyriacum, in marcha ac villa Flaridesheim quaſdam res proprietatis noſtrae id eſt, hobas III. et dimidiam; et ad vnamquamque hobam pertinent jornales LX. et ad dimidiam XXX, et in tribus locis de vineis, vbi poſſunt colligere ſiclas XL. In marcha vel in villa Albolfesheim Aream I. et jornales XI. in*

BIU Cujas

marcha vel in villa Mouuenheim hobam I. et ad eam pertinent jornales LX. de pratis ad carradas XII. et in Nouale, qui dicitur prope Thonereſberg, inter cultum et incultum hobas III. de ſylua inde poſſunt paſci porci XX. cum mancipiis XII. his nominibus Siego. Herimout. Irminſuuind. Reginbert. Gerheit. Willigis. Engilſuuind. Sigimuot. Hildibirg. Item Gerheit. Liuthild. Benedicta. et Vucalgar, et filii eius. Has itaque praeſcriptas res, cum praenominatis mancipiis, totum et ad integrum ex iure et dominatione noſtra in ius et dominationem ſancti Cyriaci ad opus Fratrum ibidem Domino famulantium tradimus atque transfundimus, ea videlicet ratione: vt ab hodierna die et deinceps per hoc noſtrae auctoritatis praeceptum plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, ſed Deo auxiliante, perpetuis temporibus ad ſanctum Cyriacum permaneant in vſus Fratrum ibidem Deo famulantium, et nullus Epiſcopus, neque vlla iudiciaria poteſtas eis inde quippiam auferre praeſumat, vt eis libentius pro noſtra ac cariſſimae coniugis, ac dilecta prole, ſalute, Domini clementiam exorare delectet. Et vt haec auctoritas largitionis noſtrae deinceps firmior habeatur, et per futura tempora a Fidelibus noſtris verius credatur, et diligentius obſeruetur, manu propria ſubter confirmauimus, et anuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.

Signum HLVDOVICI *Sereniſſimi Regis.*

HEBEHARDVS *notarius ad vicem* GRIMALDI *archicapellani recognoui et ſubſcripſi.*

Data VIII. Idus Iulii. Anno Chriſto propitio XXXV. Regni Domni HLVDOVVICI *ſereniſſimi Regis in Orientali Francia regnantis, Indictione XV. Actum* FRANCONOFVRT, *in Dei nomine feliciter, amen.*

SYLLA-

BIU Cujas

SYLLABVS
HVIVS VNIVERSI OPERIS
TAM TOMORVM, QVAM LIBRORVM, CAPITVM SEV TITVLORVM ATQVE PARAGRAPHORVM, ADIECTIS SIMVL PAGINIS LOCIS PRINCIPALIORIBVS.

TOM. I.

HISTORIAM EDICTORVM, EDICTIQVE PERPETVI COMPLECTENS.

LIBER I.

DE HISTORIA EDICTORVM ANTE HADRIANVM,

IN QVA AGITVR

CAP. I. DE EDICTIS GENERATIM, ET QVIBVS ROMAE IVS EDICENDI FVERIT.

§. I. Historiam edictorum nondum satis esse illustratam. *pag.* 4. §. II. Edicta quid? *p.* 5. §. III. Ea Romae proponere solitos, qui exercitibus praeessent. *ibid.* §. IIII. Itemque sacerdotes, pontifices, decemuiros sacrorum, augures. 6. §. V. Maxime tamen

BIU Cujas

magistratus. EDICTVM aliquando pro lege accipi, LEGEM pro edicto. *pag.* 7. §. VI. Priuati quo sensu dicantur EDICERE? 8. §. VII. Diuulgatio per libellos, pittacia, picturas, praecones. *Marsyae* statua, ex qua suspensi libelli famosi. 10. §. VIII. An ius edicendi arcessendum sit ab imperio magistratuum. 10. §. VIIII. Sententia *Car. Sigonii* expensa. 11. §. X. Quocumque sensu accipiatur imperium, ex eo deriuari non posse ius edicendi. Cur ipsa edicta aliquando vocentur IMPERIA? 12. §. XI. Ius reddendi edicta coniunctum fuisse cum HONORIBVS. Quinam HONORATI? 12. §. XII. Quid IVS HONORARIVM? 14.

CAP. II. DE VARIIS EDICTORVM GENERIBVS.

§. I. Variae edictorum diuisiones. *pag.* 16. §. II. Magistratus ea vel per PRAECONES iussisse recitari, vel in SCRIPTVRAM redacta publice proposuisse. 17. §. III. Formula edictalis: PALAM VNDE DE PLANO RECTE LEGI POSSIT. *ibid.* §. IIII. Edicta inscripta saxis, aeri, tabulis linteis et cerussatis. 18. §. V. Eadem proposita in ALBO. 19. §. VI. Quid ALBVM? 20. §. VII. Edicta alia TRALATITIA, alia NOVA. Cur tralatitium vocetur, quod vulgare ac perfunctorium est? 21. §. VIII. Formulae edictales: BONVM FACTVM. Itemque: NON PLACERE. 22. §. VIIII. Edicta alia PERPETVAE IVRISDICTIONIS CAVSSA proposita, alia REPENTINA. 24. §. X. Quaedam ex his ad REI PVBLICAE administrationem pertinuisse: 25. §. XI. Quaedam ad NEGOTIA FORENSIA. 27. §. XII. Edicta MONITORIA et BREVIA. 28. §. XIII. *Guid. Panciroli* de iis sententia expensa. 29. §. XIIII. Coniecturae de edictis monitoriis et breuibus. 30.

CAP. III. DE ORIGINE EDICTORVM ET IURIS EDICENDI.

§. I. Transitio ad edictorum originem. *p.* 32. §. II. Eam consuetudinem frustra repeti ab aliis gentibus. Qualia Athenis fuerint edicta thesmothetarum? 33. §. III. Romae ab ipsis vrbis incunabulis reges edicta proposuisse videri. 35. §. IIII. Deficiente iure scripto, pleraque edictis explicari debere. 36. *seq.* §. V. Quid MANVS REGIA? *l.* 2. §. 1. *D. de orig. iur.* 38. §. VI. Regum munia postea varios magistratus et sacerdotes obiisse. Hinc ius edicendi,

BIU Cujas

di, regibus olim proprium, ad omnes fere magistratus et sacerdotes esse deuolutum. *pag.* 39.

Cap. IIII. De edictis consvlvm, dictatorum, censorvm, tribvnorvm plebis.

§. I. Errare, qui solos praetores, procoss. et aediles edicta proposuisse statuunt. *pag.* 41. *seq.* §. II. Etiam consules edicta proposuisse, et quidem non modo repentina. 42. §. III. Sed et ad perpetuam iuris dictionem pertinentia. 43. §. IIII. Hos non modo, creatis praetoribus, sed et sub imperatoribus, iuris dictione aliqua gauisos. 44. *seq.* §. V. Edicta dictatorvm. An vel a dictatoribus edicta nomen acceperint, vel dictatores ab edicendo dicti? An edictis suis ius nouum introduxerint? 46. *seq.* §. VI. Edicta censorvm tum repentina, tum perpetua. 47. *seq.* §. VII. Haec etiam leges censorias dicta esse. 48. *seq.* §. VIII. Edicta tribvnorvm plebis. Ex edictis suis hos etiam ius dixisse. 49. §. VIIII. An praetores, scripturi edicta, semper in consilium adhibuerint tribunos plebis? Locus Ciceronis explicatus. 50. *seq.* §. X. Qvaestores et xxviros edicta reddidisse non videri. 51. *seq.* §. XI. Contra eam potestatem sibi vsurpasse decemviros, tribvnos militvm cos. potestate, et trivmviros. 52.

Cap. V. De edictis praefectoriis.

§. I. Transitio ad magistratus sub principatu inuentos. Praefectorvm praetorio, vrbi, et aerario potentia et dignitas. *p.* 54. *seq.* §. II. Edicta praefectorvm praetorio. 55. *seqq.* §. III. Quid τύποι γενικοὶ, formae generales ἐπαρχικῶν libri? 56. *seq.* §. IIII. Quamdiu illi edicta noua proponere consueuerint? 57. *seq.* §. V. Edixisse etiam praefectos vrbi. 58. *seqq.* §. VI. Elegans edictum L. Turcii Aproniani, praefecti vrbis, de venditione carnium. 61. *seqq.* §. VII. Variae ad illud obseruationes. Quid micare? quid sub exagio vendere? quid servvm et svbivgvlare? Officia praefecti vrbi. 63. *seqq.* §. VIII. Alterum Turcii Aproniani edictum de suariis et ordinibus, qui suariam faciunt. Quid titulus *canonis vinarii*. 67. *seqq.* §. VIIII. Edicta praefecti annonae. An patricii etiam edixerint? Quid ῥωμαϊκὸς τῶ μαγίστρ λεγόμενος apud Harme-

BIU Cujas

Harmenopulum? *pag.* 71. §. X. Edicta PRAEFECTORVM AERARII. Quid PENDERE SVB EDICTO. 72. *seqq.*

CAP. VI. DE EDICTIS PRAETORVM.

§. I. Praetores olim omnes magistratus dictos: non autem sacerdotes. An Ostiae fuerit PRAETOR SACRIS VVLCANI? Sacrarius Vulcani, aliorumque deorum dearumque 76. *seq.* §. II. Primus praetor quando creatus? 78. §. III. Obtentus patrum, sub quo praeturam impetrabant a plebe. Praetores collegae consulum. 79. §. IIII. Magistratus hic primum patriciorum proprius, postea cum plebe communicatus. 80. §. V. Primum vnum, nempe vrbanum, postea et peregrinum creatum. Praetorem vrbanum MAIOR dictum: an et HONORATVS? *ibid. seq.* §. VI. Numerum praetorum subinde auctum. 82. *seq.* §. VII. Praetores de FIDEIC. TVTELARES, LIBERALES, FISCALES, AERARII, an et CEREALES? 84. *seq.* §. VIII. Praetoris iuris dictionem constitisse in DANDO, 86. *seq.* §. VIIII. DICENDO 88. et §. X. in ADDICENDO. 89. *seq.* §. XI. Munera praetorum extraordinaria. 90. *seq.* §. XII. Omnes praetores de iuris dictione sua, rebusque curae suae demandatis edicta proposuisse. 91. *seq.* §. XIII. Eorum alia tralatitia, alia noua. 93. §. XIIII. Cur edicta quaedam, nataeque inde actiones praetoriae auctorum nomina retineant? 94. *seq.* §. XV. Edicere solebant praetores sub auspicium magistratus sui, praestito simul in leges iureiurando. 95. *seqq.* §. XVI. Edictum propositum in albo, quod duplex habuit praetor. 98. *seqq.* §. XVII. Quo loco illud probabiliter fuerit? 100. §. XVIII. Praetores indirecte sibi legislatoriam potestatem vindicasse, legesque euertisse edictis suis. 101. *seqq.* §. XVIIII. CORTII *Vindiciae praetoris Romani* expensae. 103. *seq.* §. XX. Status quaestionis. 105. *seq.* §. XXI. An praetores hanc sibi potestatem arrogantes impedire potuerit Romanorum religio circa leges? 107. *seq.* §. XXII. An cura circa scribenda edicta adhibita? 108. *seq.* §. XXIII. An iusiurandum in leges? 110. *seqq.* §. XXIIII. Edicta frequentissime mutata. 112. *seqq.* §. XXV. Praetor populo omnino illusit NOVIS VOCABVLIS. 114. §. XXVI. Itemque variis inuentis EXCEPTIONIBVS. 120. §. XXVII. Nec non promissis IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS. 121. *seq.* §. XXVIII. Denique FICTIONIBVS. 123. *seqq.* §. XXVIIII. Conclusio elenchi. 128. §. XXX. Elogia edicti praetorii, et quomodo illud sensim

BIU Cujas

sim iuris scripti auctoritatem in foro Romano sit consecutum? *pag.* 129. *seq.*

CAP. VII. DE EDICTIS AEDILITIIS. 130.

CAP. VIII. DE PROCONSULUM, ALIORVMQVE MAGISTRATVVM PROVINCIALIVM EDICTIS.

§. I. Varii magistratus prouinciales. 130. *seqq.* §. II. Prouinciae, quibus legibus vsae sint ante communicatam cum toto orbe Romano ciuitatem? 133. *seq.* §. III. Edicta prouincialia a quibus proposita? 136. §. IV. An praesidibus fuerit ius praetorium? *Panciroli* ea de re sententia. 137. §. V. Ea refellitur. 138. §. VI. Argumentaque Panciroli refutantur. 139. *seqq.* §. VII. Edicta prouincialia vel tralatitia vel noua. 141. *seqq.* §. VIII. Repentina etiam permulta proposita a praesidibus. 144.

CAP. VIIII. DE EDICTIS PRINCIPVM.

§. I. Principes Romani edicta reddiderunt iam ab ipsis Augusti temporibus. 144. *seq.* §. II. Quo iure id fecerint, quum tamen prae se ferrent initio, se non esse legislatores, sed populum. 146. *seqq.* §. III. Edicta principum saepe SCtis firmata, vel SCta edictis promulgata. 150. *seq.* §. IIII. Ab Hadriani temporibus nouae leges edictis principum conditae. 152. §. V. Edicta generalia, specialia, mandata. 153. *seqq.* §. VI. Eorum publicatio. 156.

LIBER II.

DE

HISTORIA EDICTI PERPETVI,

IN QVA AGITVR

CAP. I. DE PERPETVIS EDICTIS, QUALIA ANTE HADRIANVM IMP. FVERINT.

§. I. Quotuplici sensu EDICTVM dicatur PERPETVVM. 157. *seq.* §. II. Praetores aliique magistratus, olim edicta sua per ipsum

BIU Cujas

magistratus tempus pro lubitu mutabant. *pag.* 158. §. III. Senatusconsultum a. v. c. 585. factum, vt praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent. 159. *seqq.* §. IIII. Illud non valuisse videri, et cur? 164. §. V. Lex Cornelia de edictis perpetuis. 165. *seq.* §. VI. Varii scriptorum errores de lege illa Cornelia. 166. §. VII. Ius praetorium ex eo tempore paullo certius factum. Commentarii ad edictum scripti. 168. *seq.* §. VIII. An Ofilius edictum perpetuum scripserit auctoritate et iussu Iulii Caesaris? 170. *seq.* §. VIIII. Dodwelli sententia expensa. 171. *seq.*

Cap. II. De tempore conditi edicti perpetvi, et cvr iste labor Salvio Ivliano demandatvs.

§. I. Edictum vere perpetuum conditum est sub Hadriano imp. 173. §. II. Hadrianus, Numae aemulus, nouarum legum conditor. 175. *seqq.* §. III. Genuina conditi edicti perpetui era figenda in a. erae Dionys. CXXXI. 176. §. IIII. Auctor edicti Saluius Iulianus. Eum tunc praetura functum videri. 177. *seq.* §. V. Et edictum composuisse auctoritate Hadriani. 178. §. VI. Iulianum ex variis aliis edictis collegisse edictum suum. 180. *seq.* §. VII. Quaedam tamen de suo addidisse, alia detraxisse atque immutasse. 181. *seq.* §. VIII. Immo et quaestiones, inter Proculeianos et Sabinianos agitatas, decidisse. 183. *seq.* §. VIIII. Illius auctoritas. 184. *seqq.* §. X. Quid iuris prudentia media? 187. *seqq.* §. XI. Auctoritatem suam edictum perpetuum conseruauit etiam sub insequentibus imperatoribus. Seueri imp. irritum consilium. 190. *seq.* §. XII. Plerique ICti post Hadrianum ad edictum illud se frequenter referunt. 192. §. XIII. Illud in scholis iuridicis ab antecessoribus explicatum. 193. *seq.* §. XIIII. An sectae iurisconsultorum plane cessauerint, condito edicto perpetuo? 194. *seqq.*

Cap. III. De Salvio Ivliano iurisconsvlto, edicti perpetvi conditore.

§. I. Vita Saluii Iuliani parum certa exploratague est. 196. §. II. Patria eius non Mediolanum, sed, quod probabilius, Hadrumetum. 197. *seq.* §. III. Africa causidicorum nutricula. 199. §. IIII. Maiores Iuliani incerti. 200. §. V. Ipse tamen fuit auctor illustrissimae prosapiae, quae describitur ex mente Spartiani et Isaaci Casauboni. 201. §. VI. Nec non ex sententia Reinesii et Ruperti. 202. *seq.* §. VII. Vtriusque stemmatis examen. 204. *seqq.* §. VIII. Quae Didii Iuliani mater? Quae pater-

BIU Cujas

terna eiusdem origo? *pag.* 207. *seqq.* §. VIIII. Iuliani iurisconsulti nomina. 210. §. X. Floruisse illum sub Hadriano. 211. §. XI. Itemque sub Antonino Pio et DD. fratribus. 212. §. XII. An fuerit μαχρόβιος ille, de quo *l.* 20. *D. de fideic. libert.* 213. *seqq.* §. XIII. Studia Iuliani philologica. 215. *seqq.* §. XIIII. Peritia antiquitatum Romanarum. 218. *seqq.* §. XV. Eiusdem philosophia. 221. §. XVI. Varia scientiae philosophicae specimina. 222. *seq.* §. XVII. Iulianus Stoicus. 225. *seq.* §. XVIII. Doctrinae Stoicae in Iuliani fragmentis vestigia. 227. *seqq.* §. XVIIII. An et subtilitatum Stoicarum studiosus fuerit? 230. *seq.* §. XX. Eius iuris prudentia legislatoria. 232. *seq.* §. XXI. Itemque consultatoria. 234. *seqq.* §. XXII. Et iudicialis. 237. *seq.* §. XXIII. Iuliani inter iurisconsultos auctoritas. Iulianus Berytensium antecessor a nostro diuersus. 238. *seqq.* §. XXIIII. Praeceptor Iuliani Priscus Iauolenus. An is homo ineptus et stolidus? 240. *seqq.* §. XXV. Condiscipuli Iuliani, Aburnius Valens et Tuscianus. 242. *seq.* §. XXVI. Iuliani auditores. 244. *seq.* §. XXVII. Fuisse illum sectae Sabinianae antesignanum. 246. §. XXVIII. Quos honores in re publica gesserit? 247. *seqq.* §. XXVIIII. An et prouincias rexerit? 250. *seq.* §. XXX. Vitae finis et sepultura. 251. *seq.* §. XXXI. Scripta Iuliani, DIGESTA. 252. *seqq.* §. XXXII. Variorum ad illa Notae. 254. *seq.* §. XXXIII. Libri ad MINICIVM. 256. §. XXXIIII. Libri ad VRSEIVM FEROCEM. 257. §. XXXV. Liber de AMBIGVITATIBVS. 258. *seq.* §. XXXVI. An et *ad edictum*, et *de praedio dotali* scripserit? 260.

CAP. IIII. DE AVCTORITATE, ORDINE, ET MATERIA EDICTI PERPETVI, NEC NON DE COMMENTARIIS IVRISCONSVLTORVM AD EDICTVM PERPETVVM.

§. I. Auctoritatem et robur obtinuit edictum perpetuum a SCto illi praemisso. 261. *seq.* §. II. An orationem in senatu ipse Hadrianus recitarit? 262. *seqq.* §. III. De interna edicti perpetui forma, 265. *seq.* §. IIII. An in libros diuisum fuerit edictum perpetuum? 267. *seqq.* §. V. De materia edicti perpetui. 269. §. VI. De commentariis iurisconsultorum ad edictum perpetuum, primo SEX. POMPONII. 270. §. VII. CAII. 271. *seq.* §. VIII. VLPIANI. *pag.* 273. *seqq.* §. VIIII. IVLII PAVLLI. 275. *seq.* §. X. De CALLISTRATI edictis monitoriis, et de FVRII ANTHIANI libris ad edictum. 276. §. XI. De aliorum commentariis. 277. *seq.* §. XII. Ad ordinem seriemque edicti perpetui plerique iurisconsultorum libri scripti. *ibid. seqq.*

BIU Cujas

TOM. II.

EDICTI PERPETVI, ORDINI ET INTEGRITATI SVAE RESTITVTI

PARS I.

QVAE IN PANDECTIS ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ NOMINE VENIT.

Nomina scriptorum, de edicto testimonium perhibentium, ordine alphabetico posita.

ALEXANDER imp. *pag.* 284. 285
ANTONINVS Pius. 283
- - A. 283. 284
AVRELIVS, 291
BLASTARES MATH. Hieromachus. 294
CALLISTRATVS. 283
CARACALLA ANTONINVS imp. 284. bis.
CARVS A. 288
DIOCLETIANVS A. 288. 289
EVSEBIVS. 291
EVTROPIVS. 292
FESTVS. 291
Fragmentum regularum veteris iurisconsulti a Petro Pithoeo primum editum. 291
GALLIENVS A. 287
GELLIVS. 283
GORDIANVS imp. *pag.* 286. 287
HERMOGENIANVS. 287
IVSTINIANVS. 292. 293
LEO imp. 293
MAXIMIANVS A. 288. 289. 290. 291
MODESTINVS. 288
NVMERIANMS A. 287
PAEANIVS. 292
PAPINIANVS. 284
PAVLLVS. 285. 286
- - DIACONVS. 293
PHILIPPVS imp. 287
SCAEVOLA CERVIDIVS. 283
SEVERVS A. 283. 285
SPARTIANVS. 291
VALERIANVS A. 287
VICTOR AVRELIVS. 291
VLPIANVS. 285

SENATVSCONSVLTVM EDICTO PROOEMII LOCO PRAEMISSVM. *p.* 295

Tit. I. De actione danda. 303

TIT.

BIU Cujas

TIT. II. De magistratuum municipalium potestate et officio. *pag.* 305
III. De modo iuris dictionis. 314
IIII. De vadimoniis. 315
V. De lite vindiciarum. 318
VI. De iudicis datione. 323
VII. De formula iuris dictionis, et albo corrupto. 327
VIII. Quod quisque iuris in alterum statuit, vt ipse eodem iure vtatur. 331
VIIII. De edendo. 334
X. De pactis et conuentionibus. 339
XI. De in ius vocando. 343
XII. In ius vocati vt eant, aut satis vel cautum dent. 348
XIII. Si quis in ius vocatus non ierit. 350
XIIII. Qui neque sequantur, neque ducantur. 351
XV. Ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat. 355
XVI. De postulando. 357
XVII. De his, qui notantur infamia. 362
XVIII. De plus petendo. 371
XVIIII. Si ex noxali caussa agitur, quemadmodum caueatur. 374
XX. De eo, per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat. 376
XXI. De cognitoribus. 377
XXII. De procuratoribus. 382
XXIII. Quod cuiuscumque vniuersitatis nomine, vel contra eam agetur. 391
XXIIII. De negotiis gestis. 393
XXV. De calumniatoribus. 397
XXVI. De in integrum restitutionibus. 400
XXVII. De receptis [*arbitris*,] et qui arbitrium receperunt, vt sententiam dicant. 426
XXVIII. Nautae, caupones, stabularii recepta vt restituant. 430
XXVIIII. De satisdando. 432

BIU Cujas

EDICTI PERPETVI

PARS II.

QVAE IN PANDECTIS DE IVDICIIS INSCRIBITVR.

pag. 436
TIT. XXX. De iudiciis, et vbi quisque agere vel conueniri debeat. 437
XXXI. De inofficioso testamento. 444
XXXII. De hereditatis petitione. 449

DE SENATVSCONSVLTO HADRIANI TEMPORIBVS FACTO, quod exstat *l.* 20. §. 6. *Dig. de heredit. petit.*

Excursus.

I. Dies et Coss. quibus hoc SC. conditum. 452
II. An in eo coss. ordinariis iungantur suffecti? 453
III. Libellus huic SC. praemissus. 454
IIII. Ex eo libello quaedam fragmenta supersunt. 455
V. Occasio SC. ex hereditate caduca Rustici. Quis ille Rusticus? *ibid.*
(Eius stemma genealogicum exstat *p.* 456
VI. Proprie hoc SC. ad caduca et vacantia pertinuit: an ad sola? 457
VII. Primum SC. caput de vsuris pretii rerum hereditariarum venditarum non exigendis. 458
VIII. Caput secundum de pretio in locum rerum succedente. 459
VIIII. Quid si res apud emtorem deperierint, deminutaeue sint? 460
X. Tertium SC. caput de iis, qui dolo possidere desierint. *ibid.*
XI. Regulae huius sensus et origo. 461
XII. Bonae fidei possessor non restituit fructus perceptos, nisi quibus est locupletior factus. 462
XIII. A quo tempore hereditas fisco petita intelligatur? 463
XIIII. Conclusio dissertationis. 464
TIT. XXXIII. Si pars hereditatis petatur. *ibid.*
XXXIIII. De possessoria hereditatis petitione. 465
XXXV. De fideicommissaria hereditatis petitione. 466

TIT.

BIU Cujas

TIT. XXXVI. De rei vindicatione. pag. 467
XXXVII. De Publiciana in rem actione. 472
XXXVIII. Si ager vectigalis petatur. 475
XXXVIIII. De vsufructu, operis seruorum, vsu et habitatione. 476
XXXX. De seruitutibus rusticorum atque vrbanorum praediorum. 480
XXXXI. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. 487
XXXXII. De lege Aquillia. 489
XXXXIII. De noxalibus actionibus. 498
XXXXIIII. Finium regundorum. 500
XXXXV. Familiae erciscundae. 504
XXXXVI. Communi diuidundo. 507
XXXXVII. Quemadmodum actiones per inficiationem duplentur. 509
XXXXVIII. De beneficio diuisionis inter fideiussores. 515
XXXXVIIII. Si iudex litem suam fecisse dicatur. 516
L. De his, quae in fraudem creditorum fiunt. 517
LI. De interrogationibus in iure faciendis, et interrogatoriis actionibus. 519
LII. De iureiurando voluntario. 524
LIII. De his, qui effuderint vel deiecerint. 532
LIIII. De seruo corrupto. 536
LV. De aleatoribus. 540
LVI. Si mensor falsum modum dixerit. 542
LVII. Ad exhibendum. 545
LVIII. De religiosis et sumtibus funerum. 550
LVIIII. De sepulcro violato. 553

TOM. III.

LIBROS ALIQVOT VETERVM IVRECONSVLTORVM ORDINI SVO RESTITVTOS TRADENS.

SERIES

LIBRORVM LXXXX. DIGESTORVM SALVII IVLIANI.

PARS I.

AD EDICTVM.

LIB. I. DE IVRIS DICTIONE. 567

Prae-

BIU Cujas

Praefatio *aduersus eos, qui quid aduersus edictum admiserint.* pag. 567
TIT. I. De actione danda vel deneganda a praetore. *ibid.*
II. *De magistratibus municipalibus, eorumque potestate et officio.*
III. *De modo iuris dictionis eorum.*
IIII. *De vadimonio.*
V. *De vindiciis secundum possessorem dandis.* 568
VI. De iuris dictione mandata, et iudice dando. *ibid.*

LIB. II. DE FORMVLA IURISD. EDENDO ET PACTIS.
TIT. I. *De formula iuris dictionis, deque albo praetoris.*
II. *De edendo.*
III. *De pactis.*
IIII. De in ius vocando.
V. *Qui neque sequantur, neque ducantur.*
VI. *De postulando.*
VII. *De his, qui not. infamia.*
VIII. *De forma agendi.*
VIIII. *De plus petendo.*
X. De cautione iudicio sisti, et vadimonio deserto.
XI. *De dote, de muliere, abesse, amisisse.*

LIB. III. DE IIS, PER QVOS AGERE POSSVMVS.
TIT. I. *De cognitoribus.*
II. De procuratoribus.
III. *Quod vniuersitatis cuiusque nomine vel contra eam agitur.* 569
IIII. De negotiis gestis. *ibid.*
V. *De calumniatoribus.*

LIB. IIII. DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS ET RECEPTIS. *ib.*
TIT. I. De dolo malo.
II. De metu.
III. De minoribus XXV. annis.
IIII. *De capite minutis.*
V. *De eo, quod falso tutore gestum.*
VI. Ex quibus caussis maiores XXV. ann. in integr. restit.
VII. *De alienatione iudicii mutandi caussa facta.* 570
VIII. *De temporibus in integrum restitutionum.* *ibid.*
VIIII. De receptis, qui arbitrium receperunt.
X. *Nautae, caupones, stabularii, vt recepta restituant.*
XI. *De satis dando.*

LIB. V. DE IUDICIIS.
TIT. VII. De iudiciis.

LIB.

BIU Cujas

LIB. VI. De petitione hereditatis. pag. 571.
Tit. I. *De querela inofficioſi.* ibid.
II. De hereditatis petitione.
LIB. VII. De actionibvs ex dominio et servitvtibvs.
Tit. I. De rei vindicatione.
II. De Publiciana in rem actione.
III. *Si ager vectigalis petatur.*
V. De ſeruitutibus.
VI. De vſufructu, vſu, habitatione.
LIB. VIII. De ivdiciis dvplicibvs.
Tit. I. Finium regundorum.
II. Familiae erciſcundae.
III. Communi diuidundo. 573.
LIB. VIIII. De damno dato, ivreivrando, actionibvs de servo corrvpto, aleatoribvs, adversvs mensorem, ad exhibendvm. *ibid.*
Tit. I. *De damno dato, et ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.*
II. De noxalibus actionibus.
III. *De iudice litem ſuam faciente.*
IIII. *De fraudatoriis actionibus.*
V. *De interrogationibus in iure faciendis.*
VI. De iureiurando.
VII. *De his, qui effuderunt vel deiecerunt.*
VIII. De ſeruo corrupto.
VIIII. *De aleatoribus.* 574.
X. *Si menſor falſum modum dixerit.* ibid.
XI. Ad exhibendum et de ventre inſpiciendo.
LIB. X. De rebvs creditis et condictionibvs qvibvsdam.
Tit. I. De religioſis et ſumtibus funerum.
II. De rebus creditis et certi condictione.
III. De iureiurando.
IIII. De condictione indebiti et ſimilibus.
V. *De condictione furtiua.*
VI. *De condictione triticaria.* 575.
VII. *De eo, quod certo loco.* ibid.

BIU Cujas

LIB. XI. DE CONSTITVTO, COMMODATO, PIGNORE, PRAESCRIPTIS VERBIS, EXERCITORIA ET INSTITORIA. *pag.* 575.

TIT. I. De conſtituta pecunia.
II. Commodati.
III. De pignoratitia actione.
IIII. De praeſcriptis verbis et in factum actionibus.
V. *De exercitoria actione.* 576.
VI. De inſtitoria actione. *ibid.*

LIB. XII. DE ALIIS ACTIONIBVS ADVERSVS EVM, QVI IN ALIENA POTESTATE EST, INSTITVENDIS.

TIT. I. De tributoria actione.
II. *Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur.*
III. De SC. Macedoniano.
IIII. Quod iuſſu.
V. *De in rem verſo.*
VI. De peculio.
VII. Ad SC. Velleianum. 577.

LIB. XIII. DE ACTIONIBVS EX NEGOTIIS PER ALIOS EXPLICATIS, COMPENSATIONE, PIGNORE, DEPOSITO. 578.

TIT. I. De actionibus ex negotiis per alios explicatis. *ibid.*
II. *De compenſatione.*
III. De pignoribus.
IIII. Depoſiti. 579.

LIB. XIIII. DE MANDATO ET SOCIETATE. *ibid.*

TIT. I. De mandati actione.
II. Pro ſocio.

LIB. XV. DE EMTIONE VENDITIONE, LOCATIONE CONDVCTIONE, AD LEG. RHODIAM, AESTIMATORIA.

TIT. I. De emtione venditione. 580.
II. De locatione conductione. 581.
III. *Ad legem Rhodiam de iactu.* *ibid.*
IIII. *De aeſtimatoria actione.* LIB.

BIU Cujas

LIB. XVI. De sponsalibvs, nvptiis, dote. pag. 581.

Tit. I. De sponsalibus. ibid.
II. De nuptiis.
III. De iure dotium et pactis dotalibus.
IIII. De fundo dotali.

LIB. XVII. De variis dotis speciebvs et donatione inter virvm et vxor. 582.

Tit. I. De variis dotium speciebus. ibid.
II. De donatione inter virum et vxorem.

LIB. XVIII. De divortiis et dotis repetitione. 583.

Tit. I. De diuortiis et repudiis. ibid.
II. Soluto matrimonio dos quemadmodum repetatur.
III. *De mora et retentionibus.*

LIB. XVIIII. De rervm amotarvm actione, ventre in possessionem misso et agnoscendis vel alendis liberis.

Tit. I. De actione rerum amotarum.
II. Si ventris nomine cet.
III. De agnoscendis et alendis liberis. 584.

LIB. XX. De tvtelis. ibid.

Tit. I. De testamentaria tutela.
II. De legitima tutela.
III. *De tutela datiua.*

LIB. XXI. De officio tvtoris et actionibvs ex tvtela natis.

Tit. I. De confirmatione tutoris.
II. *De satisdatione tutorum.*
III. *De excusationibus.*
IIII. De administratione tutorum.
V. De auctoritate tutoris.
VI. De rebus eorum, qui sub tutela sunt, non alienandis. 585.

BIU Cujas

TIT. VII. De suspectis tutoribus. pag. 585.
VIII. De tutelae actionibus. *ibid.*
VIIII. De magistratibus conueniendis.
X. De curatore furiosi.

LIB. XXII. DE FVRTIS ET OPERIS LIBERTORVM.

TIT. I. De noxali furti actione, et furto generatim.
II. *De furto a seruo, qui testamento liber esse iussus est facto.* 586.
III. De publicanis et furto a familia eorum facto. *ibid.*
IIII. De operis libertorum.

LIB. XXIII. DE BONORVM POSSESSIONIBVS CONTRA TABVLAS.

TIT. I. De bonorum possessionibus.
II. De bonorum possessione contra tabulas. 587.
III. De legatis praestandis. *ibid.*
IIII. De collatione bonorum et dotis.

LIB. XXIIII. DE BONORVM POSSESSIONE VENTRI, ET EX EDICTO CARBONIANO DATA.

TIT. I. *De coniungendis cum emancipato liberis.*
II. De ventre in possessionem mittendo.
III. De Carboniano edicto.

LIB. XXV. DE BONORVM POSSESSIONE SECVNDVM TABVLAS. 588.

TIT. I. De bonorum possessione secundum tabulas. *ibid.*

LIB. XXVI. DE IVRE ABSTINENDI ET BON. POSSESS. PATRONO DANDA.

TIT. I. De iure abstinendi.
II. De bonis libertorum.
III. Si quid in fraudem patroni.

LIB. XXVII. DE TESTAMENTIS ET LEGITIMIS SVCCESSIONIBVS.
TIT. I. De testamento militis.
II. De testamentis.
III. De legitimis successionibus. 589.
IIII. Si tabulae testamenti nullae exstabunt vnde liberi. *ibid.*

TIT.

BIU Cujas

TIT. V. Vnde legitimi. pag. 589.
VI. Vnde cognati. *ibid.*
VII. *Vnde vir et vxor.*

LIB. XXVIII. DE VACANTIBVS, EREPTITIIS, CADVCIS cet.

TIT. I. *De caducis.*
II. *De ereptitiis.*
III. *De vacantibus.*
IIII. Si quis aliquem testari prohibuerit.
V. *Vt ex legibus et SCtis bonorum possessio detur.*
VI. De tempore bon. possess.
VII. *Quis ordo in bonorum possessione obseruetur.*
VIII. *De successorio edicto.*

LIB. XXVIIII. DE HEREDVM QVALITATE ET DIFFERENTIA.

TIT. I. De liberis et postumis heredibus instituendis vel exheredandis.
II. De iniusto, rupto, irrito testamento. 590.

LIB. XXX. DE HERED. INSTIT. ET SVBSTITVTIONIBVS. *ibid.*

TIT. I. De heredibus instituendis.
II. De substitutionibus.
III. De conditionibus institutionum. 591.

LIB. XXXI. DE ADQVIR. VEL OMITT. HEREDITATE. *ibid.*

TIT. I. *Testamenta quemadm. aperiantur.*
II. De adquirenda vel omittenda hereditate.
III. Si quis omissa caussa testamenti cet.
IIII. *De SC. Sillaniano.*

LIB. XXXII. DE LEGATIS.

BIU Cujas

* * * * * * * * * * * *

AELII MARCIANI
INSTITVTIONVM
LIBRI SEDECIM,
ORDINI SVO RESTITVTI.

LIB. I. DE PRIMA PERSONARVM DIVISIONE. pag. 592.

TIT. I. De iure nat. gent. et ciu. ibid.
II. De ſtatu hominum, vel iure perſonarum.
III. De ingenuis.
IIII. De libertinis.
V. *Quibus ex cauſſis manumittere non licet.*

LIB. II. DE SECVNDA PERSONARVM DIVISIONE.

TIT. I. De his, qui ſui vel alieni iuris ſunt. 593.
II. De patria poteſtate. ibid.
III. *De adoptionibus et emancipationibus.*
IIII. *De tutelis.*
V. De tutela teſtamentaria.
VI. De legitima agnatorum, patronorum, parentum tutela.
VII. De capitis deminutione.
VIII. *De Attiliano tutore, et eo, qui ex lege Iulia et Titia datur.*
VIIII. *De auctoritate tutorum.*
X. *Quibus modis tutela finitur.*
XI. *De curatoribus.*
XII. *De ſatis datione tutorum vel curatorum.*
XIII. De excuſationibus tutorum et curatorum.
XIIII. *De ſuſpectis tutoribus.*

LIB. III. DE RERVM DIVISIONE ET ADQVIR. DOM.

TIT. I. De rerum diuiſione et adquirendo earum dominio.
II. *De rebus corporalibus et incorporalibus.* 594.

TIT.

BIU Cujas

TIT. III. *De seruitutibus praediorum.* pag. 594.
IIII. De vsufructu, vsu, habitat. *ibid.*
V. De vsucapionibus.
VI. De donationibus.
VII. Quibus alienare licet vel non.
VIII. Per quas personas cuique adquiritur. 595.

LIB. IIII. DE TESTAMENTIS. *ibid.*

TIT. I. *De testamentis ordinandis.*
II. De militari testamento.
III. Quibus non est permissum facere testamentum.
IIII. *De exheredatione liberorum.*
V. De heredum institutione.
VI. De vulgari et pupillari substitutione.
VII. Quibus modis testamenta infirmantur.
VIII. De querela inofficiosi testamenti.
VIIII. De hereditatum qualitate et differentia.

LIB. V. DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO ET ALIIS MODIS ADQVIRENDI VNIVERSALIBVS. 596.

TIT. I. *De hereditatibus, quae ab intestato deferuntur.* ibid.
II. De legitima agnatorum successione.
III. *De SCtis Tertulliano et Orphitiano.*
IIII. *De gradibus cognationis.*
V. *De seruili cognatione.*
VI. De successione libertorum.
VII. *De bonorum possessionibus.*
VIII. *De adsignatione libertorum.*
VIIII. *De adquisitione per arrogationem.*
X. *De eo, cui libertatis caussa bona addicuntur.*
XI. *De successione per bonorum venditionem et ex SC. Claudiano.*

LIB. VI. DE LEGATIS GENERATIM.

TIT. I. De legatis.
II. Quando dies legatorum cedat.
III. De adimendis vel transferendis legatis. 597. *ibid.*

LIB. VII. DE LEGATIS SPECIATIM.

TIT. I. De annuis legatis.

TIT.

BIU Cujas

TIT. II. De vsufructu legato. pag. 597.
III. *De seruitute legata.* 598.
IIII. *De dote praelegata.* ibid.
V. *De optione vel electione legata.*
VI. *De tritico, vino, oleo legatis.*
VII. De instructo vel instrumento legat.
VIII. De peculio legato.
VIIII. *De penu legata.*
X. *De supellectile legata.*
XI. De alimentis vel cibariis legatis.
XII. *De auro, argento, mundo legatis.*
XIII. *De liberatione legata.*
XIIII. Vt legatorum seu fideic. caussa.
XV. Ad legem Falcidiam.
XVI. De codicillis. 599.

LIB. VIII. DE FIDEICOMMISSIS GENERATIM. *ibid.*

TIT. I. De fideicommissariis hereditatibus.
II. De rebus singulis per fideicommissum relictis.

LIB. VIIII. DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTATIBVS, IN SPECIE ET MORTIS CAVSSA DONATION.

TIT. I. De fideicommissariis libertatibus.
II. De donationibus mortis caussa. 600.

LIB. X. DE NVPTIIS. *ibid.*

TIT. I. *De sponsalibus.*
II. De ritu nuptiarum.
III. *De iure dotium.*
IIII. *De pactis dotalibus.*
V. *De fundo dotali.*

LIB. XI.

(*Ex eo citatae* l. 3. de his, quae pro non script. *et* l. 2. de his, quae vt indign. *in mendo cubare videntur, ideoque hic omissae, cum probabilius sit, hoc libro continuatos fuisse titulos ad* IVRA CONNVBII *pertinentes, adeoque actum esse*)
TIT.

BIU Cujas

TIT. I. *De donationibus inter virum et vxorem.* pag. 600.
II. *De diuortiis et repudiis.* ibid.
III. *Soluto matr. dos quemadm. petatur.*

LIB. XII. itidem DE IVRIBVS CONNVBII ET CONCVBINATV.

TIT. I. *De impensis in res dotales factis.*
II. *De actione rerum amotarum.*
III. *De agnoscendis et alendis liberis.*
IIII. *De inspiciendo ventre, custodiendoque partu.*
V. *De concubinis.*

LIB. XIII. DE MANVMISSIONIBVS, IVRIBVS PATRONATVS, CONTRACTIBVS. 601.

TIT. I. De manumissionibus. *ibid.*
II. De iure patronatus.
III. *De obligationibus.*
IIII. *De contractibus, qui re ineuntur.*
V. De verborum obligationibus et fideiussionibus.
VI. De emtione venditione.
VII. De locatione conductione.
VIII. De societate.
VIIII. De mandato.
X. De contractibus innominatis.

LIB. XIIII. DE QVASI CONTRACTIBVS, CONTRACTVVM QVORVMDAM ADFECTIONIBVS, DELICTIS, CRIMINIBVS. 602.

TIT. I. De quasi contractibus. *ibid.*
II. De vsuris, fructibus, eoque, quod interest.
III. *Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.*
IIII. *Quibus modis tollitur obligatio.*
V. *De obligationibus ex delicto, maxime furto.*
VI. Vi bonorum raptorum.
VII. *De lege Aquillia, noxa, pauperie.*
VIII. De iniuriis.
VIIII. *De quasi delictis.*
X. De extraordinariis criminibus.

BIU Cujas

TIT. XI. De publicis iudiciis. *pag.* 602.
XII. *De accusationibus.* ibid.
XIII. Ad legem Iuliam maiestatis.
XIIII. *Ad legem Iuliam de adulteriis.* 603.
XV. Ad legem Iuliam de vi publica. *ibid.*
XVI. Ad legem Iuliam de vi priuata.
XVII. Ad legem Corneliam de sicariis et veneficis.
XVIII. Ad legem Pompeiam de parricidiis.
XVIIII. Ad legem Corneliam de falsis.
XX. De lege Iulia repetundarum.
XXI. *De lege Iulia de annona.*
XXII. De lege Iulia peculatus.
XXIII. *De lege Iulia de ambitu.*
XXIIII. *De lege Fabia de plagiariis.*
XXV. De quaestionibus, poenis, interdictis et restitutis.

LIB. XV. DE ACTIONIBVS, INTERDICTIS ET IVDICIIS.
et XVI. DE IVRISDICTIONE ET OFFICIO MAGISTRATVVM
tractasse videntur.

* * * * * * * * * * * *

HERMOGENIANI
LIBRI SEX
EPITOMARVM IVRIS,
ORDINI SVO RESTITVTI.

LIB. I. 604.
Prooemium de iure naturali, gentium, et ciuili. *ibid.*

PARS I.
DE STATV HOM.

TIT. I. De iure personarum.
II. *De ingenuis.*

TIT.

BIU Cujas

TIT. III. De libertinis. *pag.* 604.
IIII. Qui et ex quibus cauſſis manumittere non poſſunt. 605.
V. De his, qui ſui vel alieni iuris ſunt. *ibid.*
VI. *De patria poteſtate, adoptionibus et emancipationibus.*
VII. De tutelis et curationibus.

PARS II.

AD EDICTI ORDINEM.

VIII. De actione danda vel deneganda a praetore.
VIIII. De magiſtratibus municipalibus, eorumque officio et iuris dictione.
X. *De formula iuris dictionis et albo corrupto.*
XI. *De edendo.*
XII. De pactis et tranſactionibus.
XIII. De in ius vocando.
XIIII. De poſtulando.
XV. *De his, qui notantur infamia.*
XVI. De cautionibus.
XVII. *De cognitoribus, procuratoribus, negotiorum geſtoribus.*
XVIII. *De calumniatoribus.*
XVIIII. De in integrum reſtitutionibus.
XX. *De receptis et arbitris.*
XXI. *De nautis, cauponibus, ſtabulariis.*
XXII. *De iudiciis.*
XXIII. *De hereditatis petitione.*
XXIIII. *De rei vindicatione, et Publiciana.*
XXV. *De vſufructu et ſeruitutibus praedialibus.*
XXVI. *De damno dato.*
XXVII. *De iudiciis duplicibus, finium regundorum, famil. erciſcundae, et communi diuidundo.*
XXVIII. *De iudice, qui litem ſuam fecit.*
XXVIIII. *De interrogationibus in iure faciendis.*
XXX. *De iureiurando.* 606.
XXXI. *De his, qui effuderunt, vel deiecerunt.* ibid.
XXXII. *De ſeruo corrupto.*
XXXIII. *De aleatoribus.*

BIU Cujas

TIT. XXXIIII. *Si mensor falsum modum dixerit.* pag. 606.
XXXV. *Ad exhibendum, et de ventre inspiciendo.* ibid.
XXXVI. *De religiosis.*

LIB. II. 607.

TIT. I. *De rebus creditis et certi condictione.* ibid.
II. *De iureiurando.*
III. De condictionibus indebiti et aliis.
IIII. *De eo, quod certo loco.*
V. *De pecunia constituta.*
VI. *Commodati.*
VII. *De pignoratitia actione.*
VIII. De praescriptis verbis et in factum actione.
VIIII. *De exercitoria.*
X. *De institoria.*
XI. *De tributoria.*
XII. *Quod cum eo, qui in aliena potestate est.*
XIII. De SC. Macedoniano.
XIIII. *Quod iussu.*
XV. *De in rem verso.*
XVI. *De peculio.*
XVII. *Ad SC. Velleianum.*
XVIII. *De compositionibus.*
XVIIII. *De deposito.*
XX. Mandati et contra.
XXI. *Pro socio.*
XXII. De emtione venditione et actionibus emti venditi.
XXIII. De locatione conductione. 608.
XXIIII. Ad legem Rhodiam de iactu. *ibid.*
XXV. De aestimatoria.
XXVI. De pignoribus.
XXVII. De nuptiis.
XXVIII. De iure dotium.
XXVIIII. De pactis dotalibus.
XXX. De fundo dotali.
XXXI. De diuortiis, et soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.
XXXII. De donatione inter virum et vxorem. 609.
XXXIII. De actione rerum amotarum. *ibid.*

TIT.

BIU Cujas

TIT. XXXIIII. Si ventris nomine. *pag.* 609.
XXXV. De agnoſcendis et alendis liberis. *ibid.*
XXXVI. De tutelis et curatione.
XXXVII. De noxali furti actione.
XXXVIII. *De furto a ſeruo, qui teſtamento liber eſſe iuſſus eſt, facto.*
XXXVIIII. *De publicanis, et furto a familia eorum facto.* 610.
XXXX. De operis libertorum. *ibid.*

LIB. III.

TIT. I. *De bonorum poſſeſſionibus.*
II. De bonorum poſſeſſione contra tabulas.
III. De legatis praeſtandis.
IIII. *De collatione bonorum.*
V. *De collatione dotis.*
VI. *De coniungendis cum emancipato liberis.*
VII. De ventre in poſſeſſionem mittendo.
VIII. De Carboniano edicto.
VIIII. De bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas.
X. De bonis libertorum.
XI. *Si tabulae teſtamenti nullae exſtabunt.*
XII. *Si quid in fraudem patroni.*
XIII. *De teſtamentis.*
XIIII. *De legitimis ſucceſſionibus.* 611.
XV. *Vnde liberi.* ibid.
XVI. Vnde legitimi.
XVII. *Vnde cognati.*
XVIII. Vnde vir et vxor.
XVIIII. De vacantibus, ereptitiis, caducis.
XX. *Si quis aliquem teſtari prohibuerit.*
XXI. *Vt ex legibus et SCtis bonorum poſſeſſio detur.*
XXII. *Quis ordo in bonor. poſſeſſ. ſeruetur.*
XXIII. *De ſucceſſorio edicto.*
XXIIII. De heredibus inſtituendis.
XXV. *De ſubſtitutionibus.*
XXVI. De conditionibus inſtitutionum.
XXVII. *Teſtamenta quemadmodum aperiantur.*
XXVIII. De adquirenda vel omittenda hereditate.

BIU Cujas

TIT. XXVIIII. Si quis omissa caussa testamenti ab int. pag. 611.
XXX. *De SC. Silaniano.* 612.

LIB. IIII. *ibid.*

TIT. I. De legatis et fideicommissis.
II. De conditionibus et demonstrationibus.
III. Ad legem Falcidiam.
IIII. Ad SC. Trebellianum.
V. Vt in possessionem legatorum caussa.
VI. De operis noui nunciatione.
VII. De damno infecto.
VIII. Aquae pluuiae arcendae.

LIB. V.

TIT. I. *De caussis status.*
II. De liberali caussa. 613.
III. *De statu liberis.* *ibid.*
IIII. De collusione detegenda.
V. De publicanis.
VI. De adquirenda possessione et de vsucapionibus.
VII. *Vi bonorum raptorum.*
VIII. *De incendio, furto, cet.*
VIIII. De iniuriis.
X. *De re iudicata et exsequutionibus.*
XI. *De confessis.*
XII. *De cessione bonorum.*
XIII. *Quibus ex caussis in possessionem eatur.*
XIIII. *De rebus auctoritate iudicis possidendis.*
XV. De priuilegiis creditorum.
XVI. *De bonorum venditione.* 614.
XVII. *De separationibus.* *ibid.*
XVIII. *De curatore bonis dando.*
XVIIII. De iure fisci in bonis damnatorum.

LIB. VI.

TIT. I. De his, qui in quantum facere possunt, condemnantur.
II. *De his, quae in fraudem creditorum.*
III. *De interdictis.*
IIII. *Quorum bonorum.*

TIT.

BIU Cujas

TIT. V. *Quod legatorum.* pag. 614.
VI. *De interdictis de rebus diuinis, publicis, vi publica, de mortuo inferendo, tabulis exhibendis.* ibid.
VII. *De interdictis super re priuata, retinendae vel recuperandae possessionis.*
VIII. *De superficiebus.*
VIIII. *De itinere actuque priuato.*
X. *De aqua quotidiana.*
XI. *De riuis.*
XII. *De fonte.*
XIII. *De operis noui nunciatione.*
XIIII. *De cloacis.*
XV. *Quod vi aut clam.*
XVI. *De remissionibus.*
XVII. *De precario.*
XVIII. *De arboribus.* 615.
XVIIII. *De glande legenda.* ibid.
XX. *De homine libero exhibendo.*
XXI. De liberis exhibendis.
XXII. *Virubi.*
XXIII. *Ne vis fiat ei, cet.*
XXIIII. *De interdicto Saluiano.*
XXV. *De migrando.*
XXVI. *De exceptionibus.*
XXVII. *De exceptione vadimonii deserti.*
XXVIII. *De exceptione rei iudicatae.*
XXVIIII. De doli mali exceptione.
XXX. De exceptione rei venditae non traditae.
XXXI. *De litigiosis.*
XXXII. De praescriptione.
XXXIII. Quarum rerum actio non detur.
XXXIIII. De exceptione iurisiurandi.
XXXV. *De his, quae onerandae libertatis.*
XXXVI. De stipulationibus.
XXXVII. *De stipulationibus praetoriis.* 616.
XXXVIII. *Iudicio sisti.* ibid.
XXXVIIII. *Iudicatum solui.*
XXXX. *De re defendenda.*
XXXXI. *De dolo malo.*

TIT.

BIU Cujas

TIT. XXXXII. *Tutelae et teſtamenti.* pag. 616.
XXXXIII. *Legatorum nomine.* ibid.
XXXXIIII. *Si cui plus, quam per legem Falc. cet.*
XXXXV. *Rem pupilli ſaluam fore.*
XXXXVI. Ratam rem haberi.
XXXXVII. *Stipulatio de operis noui nunciatione.*
XXXXVIII. *De duplae ſtipulatione.*
XXXXVIIII. *De ſtipulatione ob nouum opus et damni infecti.*

PARS III.

DE PVBLICIS IVDICIIS.

L. *De publicis iudiciis.*
LI. De accuſationibus.
LII. *De cuſtodia et exhibitione reorum.*
LIII. Ad legem Iuliam maieſtatis. 617.
LIIII. *Ad legem Iuliam de adulteriis coërcendis.* ibid.
LV. *Ad legem Iul. de vi publica et priuata.*
LVI. *Ad legem Corneliam de ſicariis et veneficis.*
LVII. *De lege Pompeia de parricidiis.*
LVIII. De lege Cornelia de falſis.
LVIIII. *De lege Iulia repetundarum.*
LX. *De lege Iulia de annona.*
LXI. *De lege Iulia peculatus.*
LXII. *De lege Iulia ambitus.*
LXIII. De lege Fabia de plagiariis.
LXIIII. *Ad SC. Turpillianum.*
LXV. *De requirendis vel abſentibus damnandis.*
LXVI. *De quaeſtionibus.*
LXVII. *De poenis.*
LXVIII. De bonis damnatorum.
LXVIIII. *De bonis eorum, qui ante ſententiam, cet.*
LXX. *De interdictis et relegatis.*
LXXI. *De cadaueribus punitorum.*

BIU Cujas

* * * * * * * * * * * * * *

P. IVVENTII CELSI
DIGESTA
ORDINI SVO RESTITVTA.
PARS I.
AD EDICTVM.

LIB. I. De IVRIS DICTIONE. *pag.* 618.
Prooemium. *ibid.*

TIT. I. *De actione danda denegandaue.*
II. De magiſtratibus municipalibus, eorumque iuris dictione, poteſtate, officio.
III. *De vadimonio.*
IIII. *De vindiciis ſecundum poſſeſſorem dandis.*
V. *De formula iuris dictionis.*
VI. *De edendo.*
VII. De pactis.
VIII. De in ius vocando.
VIIII. *De poſtulando.* 619.
X. De his, qui notantur infamia. *ibid.*
XI. De cautione in iudicio iſti.
XII. De procuratoribus, cognitoribus, negotiorum geſtoribus.
XIII. *De calumniatoribus.*

LIB. II. DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS.

TIT. I. *De dolo malo.*
II. *Quod metus cauſſa.*
III. De minoribus XXV. annis.
IIII. De capite minutis.
V. *De eo, quod falſo tutore auctore geſtum.*

BIU Cujas

Tit. VI. *Ex quibus cauſſis maiores XXV. annis in integrum reſtituuntur.* pag. 619.
VII. *De alienatione iudicii mutandi cauſſa facta.* ibid.
VIII. De temporibus in integrum reſtitutionis.
VIIII. De receptis, et qui in arbitrium receperunt. 620.
X. *Nautae, caupones, ſtabularii recepta vt reſtituant.* ibid.
XI. *De ſatiſdationibus.*

LIB. III. De ivdiciis et rervm vindicatione.

Tit. I. De iudiciis, et vbi quis conueniri debeat, deque officio iudicum.
II. De rei vindicatione.
III. *De Publiciana in rem actione.*
IIII. *Si ager vectigalis vel emphyteuticus petatur.*

LIB. IIII. De hereditatis petitione. 621.

Tit. I. *De inofficioſo teſtamento.* ibid.
II. De hereditatis petitione.
III. *Si pars hereditatis petatur.*
IIII. *De poſſeſſoria hereditatis petitione.*
V. *De fideicommiſſaria hereditatis petitione.*

LIB. V. De servitvtibvs, damno, ivdiciis divisoriis.
Tit. I. De ſeruitutibus.
II. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicetur.*
III. Ad legem Aquilliam.
IIII. De noxalibus actionibus. 622.
V. *Finium regundorum.* ibid.
VI. Familiae erciſcundae.
VII. *Communi diuidundo.*
VIII. *De iudice litem ſuam faciente.*
VIIII. De interrogationibus in iudicio faciendis.
X. De his, qui effuderint, vel deiecerint.
XI. *De ſeruo corrupto.*
XII. *De aleatoribus.*
XIII. *Si menſor falſum modum dixerit.*
XIIII. Ad exhibendum.
XV. *De fugitiuis.* 623.
XVI. De religioſis et ſumtibus funerum. ibid.

LIB.

BIU Cujas

LIB. VI. De condictionibvs, constitvta pecvnia, commodato, pignore, et gestis cvm eo, qvi in aliena potestate est. pag. 623.

Tit. I. De rebus creditis, et si certum petatur. ibid.
II. De iureiurando, et de probationibus.
III. De condictione causſa data causſa non sequuta.
IIII. De condictione ob turpem causſam.
V. De condictione indebiti.
VI. *De condictione sine causſa.* 624.
VII. *De condictione furtiua.* ibid.
VIII. De condictione triticaria.
VIIII. *De eo, quod certo loco.*
X. De pecunia constituta.
XI. Commodati, vel contra.
XII. De pignoratitia actione.
XIII. *De praescriptis verbis.*
XIIII. *De actione exercitoria.*
XV. *De actione institoria.*
XVI. *De actione tributoria.*
XVII. Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur.
XVIII. *De SC. Macedoniano.*
XVIIII. *Quod iussu.*
XX. *De in rem verso.*
XXI. *De peculio.*
XXII. *Ad SC. Velleianum.* 625.

LIB. VII. De deposito, mandato, societate, precario. ibid.

Tit. I. Depositi vel contra.
II. Mandati vel contra.
III. Pro socio.
IIII. De precario.

LIB. VIII. De emtione, locatione, et contractv aestimat.

Tit. I. De emtione venditione.
II. De locatione conductione. 626.
III. De aestimatoria actione. ibid.

BIU Cujas

LIB. VIIII. DE SPONSALIBVS, NVPTIIS, DOTE, ET DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM. 626.

TIT. I. *De sponsalibus.* ibid.
II. De nuptiis.
III. De iure dotium.
IIII. De pactis dotalibus.
V. De fundo dotali.
VI. De donatione inter virum et vxorem.

LIB. X. DE DIVORTIIS ET ACTIONIBVS SOLVTO MATRIMONIO COMPETENTIBVS.

TIT. I. *De diuortiis et repudiis.*
II. Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.
III. *De actione rerum amotarum.* 627.
IIII. *Si ventris nomine.* ibid.
V. *De agnoscendis et alendis liberis.*

LIB. XI. DE TVTELIS.

TIT. I. *De tutoribus testamentariis, legitimis, datiuis.*
II. *De satisdatione tutorum vel curatorum.*
III. *De excusationibus.*
IIII. De administratione tutorum.
V. *De rebus eorum, qui sub tutela sunt, non alienandis.*
VI. De suspectis tutoribus vel curatoribus.
VII. *De tutelae et rationibus distrahendis.*
VIII. De magistratibus conueniendis.
VIIII. De curatoribus.

LIB. XII. DE NOXALI FVRTI ACTIONE, OPERIS LIBERTORVM ET NOVI OPERIS NVNCIATIONE.

TIT. I. De furto et noxali furti actione.
II. *De furto a seruo, qui testamento manumissus, commisso.* 628.
III. *De publicanis, furtoque ab eorum familia facto.* ibid.
IIII. De operis libertorum.
V. De noui operis nunciatione.

LIB. XIII. DE BONORVM POSSESSIONIBVS.

TIT. I. De bonorum possessionibus.

TIT.

BIU Cujas

TIT. II. *De bonorum possessione contra tabulas.* pag. 628.
III. *De legatis praestandis.* ibid.
IIII. De collatione bonorum.
V. *De dotis collatione.*
VI. *De coniungendis cum emancipato liberis.* 629.
VII. *De ventre in possessionem mittendo.* ibid.
VIII. *De Carboniano edicto.*
VIIII. *De bonorum possessione secundum tabulas.*
X. *De bonis libertorum.*
XI. *Si tabulae nullae exstabunt.*
XII. *Si quid in fraudem patroni.*

LIB. XIIII. DE TESTAMENTIS LIB. I.

TIT. I. De testamentis militum.

LIB. XV. DE TESTAMENTIS LIB. II. ET SVCCESS. AB INTEST.

TIT. I. De testamentis.
II. De adquirenda vel omittenda hereditate.
III. De successionibus ab intestato.
IIII. Quis ordo in bonorum possessione seruetur, et de successorio edicto.

LIB. XVI. DE TESTAMENTIS LIB. III.

TIT. I. De heredibus instituendis.
II. De iniusto, rupto, irrito testamento. 630.
III. *De vulgari et pupillari substitutione.* ibid.
IIII. De conditionibus institutionum.
V. *Testamenta quemadmodum aperiantur.*
VI. Si quis omissa caussa testamenti ab intestato succedere velit.
VII. *De SC. Silaniano.*

LIB. XVII. DE LEGATIS LIB. I.

TIT. I. De legatis.
II. De legatis dubiis, pugnantibus prohibitis.

LIB. XVIII. DE LEGATIS LIB. II. 631.

TIT. I. *De annuis legatis.* *ibid.*

BIU Cujas

TIT. II. De vsufructu legato. *pag.* 631.
III. De vsu vel habitatione legatis. *ibid.*
IIII. De operis seruorum, ipsisque seruis legatis.
V. De seruitute legata.

LIB. XVIIII. DE LEGATIS LIB. III.

TIT. I. De dote praelegata.
II. De optione legata.
III. De tritico, vino, oleo legatis.
IIII. De instructo vel instrumento legato.
V. De peculio legato. 632.
VI. De suppellectile legata. *ibid.*
VII. De alimentis vel cibariis legatis.
VIII. De auro, argento, mundo legatis.
VIIII. De liberatione legata.

LIB. XX. DE LEGATIS LIB. IIII. ET FIDEICOMMISSIS LIB. I.

TIT. I. De codicillis.
II. De fideicommissis.
III. De falsa caussa, legatis vel fideicommissis adiecta.
IIII. De petitione legatorum et fideicommissorum.

LIB. XXI. DE LEGATIS LIB. V. ET DE FIDEICOMM. LIB. II. 633

TIT. I. Ad legem Falcidiam. *ibid.*
II. Ad SC. Trebellianum et Pegasianum.

LIB. XXII. DE LEGATIS LIB. VI. ET DE FIDEICOMM. LIB. III.

TIT. I. De adimendis vel transferendis legatis et fideicommissis.
II. De rebus dubiis.
III. *De his, quae pro non scriptis habentur.*
IIII. *De his, quae vt indignis auferuntur.*
V. De conditionibus et demonstrationibus.
VI. Quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat.

LIB. XXIII. DE DAMNO INFECTO, CAVSSIS STATVS, POSSESSIONE, VSVCAPIONE, VI BONOR. RAPTOR. INIVRIIS.

TIT. I. De damno infecto.
II. De aqua et aqua pluuia arcenda. 634.

TIT.

BIU Cujas

TIT. III. *De cauſſis ſtatus.* pag. 634.
IIII. *De liberalibus cauſſis.* ibid.
V. De ſtatuliberis.
VI. De adquirenda poſſeſſione et de vſucapionibus.
VII. *Vi bonorum raptorum.*
VIII. De incendio, ruina, naufragio.
VIIII. De iniuriis.

LIB. XXIIII. DE RE IVDICATA, POSSESSIONE BONORVM ET CREDITORVM PRIVILEGIIS.

TIT. I. De re iudicata.
II. *De confeſſis.*
III. De ceſſione bonorum.
IIII. *De rebus auctoritate iudicis poſſidendis.*
V. De creditoribus in poſſeſſionem mittendis.
VI. *De priuilegiis creditorum.*
VII. *De bonorum venditione.*
VIII. *De ſeparationibus.*
VIIII. De curatore bonis dando.
X. *Quae in fraudem creditorum.*

LIB. XXV. DE INTERDICTIS. 635.

TIT. I. De interdictis. *ibid.*
II. *Quorum bonorum.*
III. *Quod legatorum.*
IIII. *De tabulis exhibendis.*
V. De rebus ſacris, religioſis, publicis.
VI. *De vi et vi armata.*
VII. *Vti poſſidetis.*
VIII. *De ſuperficiebus.*
VIIII. De itinere actuque priuato.
X. *De aqua quotidiana.*
XI. *De riuis.*
XII. *De fonte.*
XIII. *De cloacis.*
XIIII. Quod vi aut clam.
XV. De precario.
XVI. De arboribus caedendis.

TIT.

BIU Cujas

TIT. XVII. De glande legenda. pag. 635.
XVIII. *De homine libero et liberis exhibendis.* 636.
XVIIII. *Vtrubi.* ibid.
XX. *De migrando.*
XXI. *De Saluiano interdicto.*

LIB. XXVI. DE EXCEPTIONIBVS ET STIPVLATIONIBVS.

TIT. I. De exceptionibus.
II. *De exceptione vadimonii deserti.*
III. De exceptione rei iudicatae.
IIII. De doli mali et metus exceptione.
V. De exceptione rei venditae non traditae.
VI. *De litigiosis.*
VII. *Quarum rerum actio non datur.*
VIII. *De exceptione iurisiurandi.*
VIIII. *De his, quae onerandae libertatis caussa imponuntur.*
X. De stipulationibus, reis, fideiussoribus.

LIB. XXVII. DE NOVATIONIBVS, SOLVTIONIBVS, CAVTIONIBVS.

TIT. I. De nouationibus.
II. De solutionibus et liberationibus. 637.
III. *De acceptilatione.* ibid.
IIII. *De stipulationibus praetoriis.*
V. *Rem pupillo saluam fore.*
VI. Iudicio sisti.
VII. Iudicatum solui.
VIII. *De re defendenda.*
VIIII. *De dolo malo.*
X. *Tutelae vel testamenti nomine.*
XI. *Ratam rem haberi.*
XII. *Noui operis nunciati caussa.*
XIII. De duplae stipulatione.
XIIII. Damni infecti nomine.

PARS

BIU Cujas

PARS II.

AD LEGES QVASDAM SPECIALES.

LIB. XXVIII. AD LEGEM CINCIAM ET IVNIAM VELLEIAM. *p.* 637.
TIT. I. Ad legem Cinciam de donis et muneribus. *ibid.*
II. Ad legem Iuniam et Velleiam.

LIB. XXVIIII. AD LEGES FVSIAM CANINIAM, AELIAM SENTIAM, ET IVNIAM NORBANAM. 638.
TIT. I. Ad legem Fusiam Caniniam. *ibid.*
II. Ad legem Aeliam Sentiam.
III. *Ad legem Iuliam Norbanam.*

LIB. XXX. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. I.
TIT. I. *Ad caput I. de senatorum nuptiis.*
II. Ad *caput II.* de ingenuorum reliquorum nuptiis.
III. Ad *caput III.* de sexagenariorum, quinquagenariarum, spadonum nuptiis.
IIII. *De concubinis.*
V. *De sponsalibus.*
VI. *Ad caput VI. de poenis iniustarum nuptiarum.*

LIB. XXXI. AD LEG. IVL. ET PAP. POPP. LIB. II.
TIT. I. *Ad caput VII. de priuilegiis maritorum et parentum in gerendis honoribus.*
II. *Ad caput VIII. de eorumdem priuilegiis in petendis honoribus.*
III. *De immunitate ob liberorum numerum.*
IIII. *Ad caput X. de iure Quiritium ob liberos consequendo.*
V. *Ad caput XI. de liberti liberatione ab operis ob numerum liberorum.*
VI. *Ad caput XII. de liberatione mulierum a tutela ob numerum liberorum.*
VII. *Ad caput XIII. de diuortio libertae prohibito.*
VIII. *Ad caput XIIII. de tutore dotis caussa dando.*

LIB. XXXII. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. III. 639.

BIU Cujas

TIT. I. Ad capita XV--XVIIII. seu leges decimarias. p. 639
II. *Ad capita XX--XXVIII. de solidi capacitate.* ibid
III. *Ad caput XXVIIII. de legato sub conditione caelibatus.*
IIII. *Ad caput XXX. de iureiurando libertis remittendo.*
V. *Ad caput XXXI. de iure adfinitatis.*
VI. *Ad caput XXXII. de priuilegiis absentium rei publicae caussa.*
VII. *Ad caput XXXIII. de indulgentia senatus.*
VIII. *Ad caput XXXIIII. de diuortii modo et poena.*
VIIII. *De cogendis parentibus, vt liberos elocent.*
X. *Ad caput XXXVI. de poenis caelibatus.*
XI. *Ad caput XXXVII. de poenis orbitatis.*
XII. *Ad caput XXXVIII. de liberta ob nuptias ab operis liberanda.*
XIII. *Ad capita XXXVIIII--XXXXIIII. de iuribus patronatus.*

LIB. XXXIII. AD LEG. IVL. ET PAP. POPP. LIB. IIII.

TIT. I. *Ad caput I. legis caduciariae de aditione hereditatis.*
II. Ad *caput II.* de iis, quibus caduca iure antiquo deferuntur.
III. *Ad caput III. de iis, quae pro non scriptis habentur.*

LIB. XXXIIII. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. V.

TIT. I. Ad *caput IIII.* de caussa caduci.
II. *Ad caput V. de caducis ob heredem vel legatarium ante apertas tabulas mortuum.*

LIB. XXXV. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. VI. 640.

TIT. I. Ad *caput VI.* de caducis ob heredis vel legatarii incapacitatem. ibid.
II. *Ad caput VII de caducis ob legatarium vel heredem ante exsistentem conditionem mortuum.*
III. *De bonis ereptitiis.*
IIII. *Ad caput VIIII. de bonis vacantibus.*
V. *Ad caput X. de fraudibus aduersus hanc legem commissis.*
VI. Ad *caput XI.* de iure adcrescendi.
VII. *Ad caput XII. de transmissione legatorum.*

LIB. XXXVI. AD LEGEM IVL. ET PAP. POPP. LIB. VII.

TIT.

BIU Cujas

TIT. I. Ad caput leg. cad. XIII. de tacitis fideicommiſſis. p.640.
II. *Ad caput XIIII. de praemiis delatorum.* ibid.
III. *Ad caput XV. de oneribus fiſci.*

LIB. XXXVII. AD LEGES DE IVDICIIS PVBLICIS.

TIT. I. De extraordinariis criminibus.
II. *De publicis iudiciis.*
III. *De accuſationibus et inſcriptionibus.*
IIII. De cuſtodia et exhibitione reorum.
V. *Ad legem Iuliam maieſtatis.*
VI. *Ad legem Iuliam de adulteriis.*
VII. *Ad legem Iuliam de vi publica et priuata.*
VIII. *Ad legem Corneliam de ſicariis.*
VIIII. *Ad legem Pompeiam de parricidiis.*
X. *Ad legem Corneliam de falſis.*
XI. *Ad legem Iuliam repetundarum.*
XII. *Ad legem Iuliam de annona.*
XIII. *Ad legem Iuliam peculatus.*
XIIII. *Ad legem Iuliam ambitus.* 641.
XV. *Ad legem Fabiam de plagiariis.* ibid.
XVI. *De quaeſtionibus.*
XVII. *De poenis.*
XVIII. *De bonis damnatorum, eorumque, qui ante ſententiam ſibi manus intulerunt.*
XVIIII. *De interdictis et relegatis.*
XX. *De ſententiam paſſis et reſtitutis.*
XXI. *De cadaueribus punitorum.*

PARS III.

IN QVA

TRACTATVS DE STIPVLATIONIBVS.

LIB. XXXVIII. DE STIPVLATIONIBVS.

BIU Cujas

PARS IIII.

IN QVA

TRACTATVS DE FISCO ET RE MILITARI.

LIB. XXXVIIII. DE FISCO ET RE MILITARI. p. 641

TIT. I. De iure fisci.
II. De captiuis et postliminio.
III. De re militari.
IIII. De castrensi peculio.
V. *De veteranis.*

* * * * * * * * * * * *

VLPIANI LIBRI QVATVOR AD LEGEM AELIAM SENTIAM ORDINI SVO RESTITVTI. p. 642

LIB. I. DE MANVMITTENDORVM QVALITATIBVS.
CAP. I. De iis, qui manumissi dedititii fiunt.
II. *De aetate manumittendorum per vindictam.*
III. *De aetate et conditione manumittendorum testamento.*
IIII. *De conditione liberorum, ex huius modi parentibus natorum.*

LIB. II. DE MANVMISSORIBVS.

CAP. V. De minore XX. annis manumittente.
VI. *De femina manumittente.*
VII. *De manumittentibus in fraudem creditorum.*
VIII. *De seruo herede necessario instituto.*
VIIII. *Si obaeratus in fraudem legis plures testamento manumiserit.*
X. *De seruo in fraudem foeneratorum manumisso.*

LIB.

BIU Cujas

LIB. III. De modis et conditionibvs manvmittendi. p. 642

Cap. XI. De mercede manumissionis.
XII. De iureiurando libertorum, ne liberos tollant.

LIB. IIII. De officiiis liberti et patroni mvtvis.

Cap. XIII. *De eo, quod in fraudem patroni factum.*
XIIII. De libertis ingratis.
XV. *De patroni officio erga libertum inopem.*

* * * * * * * * * * * *

FRAGMENTA
EX PAVLLI LIBRIS III.
AD LEGEM AELIAM SENTIAM,
ORDINI SVO RESTITVTA. p. 643

LIB. I. De qvalitate manvmittendorvm et manvmittentivm.

Cap. I. *De iis, qui manumissi dedititii fiunt.*
II. *De aetate manumittendorum per vindictam.*
III. *De aetate et conditione testamento manumittendorum.*
IIII. *De conditione liberorum ex huius modi parentibus natorum.*
V. De minore XX. annis manumittente.
VI. De femina manumittente.
VII. *De manumissione in fraudem creditorum.*
VIII. *De seruo necessario herede instituto.*
VIIII. Si obaeratus in fraudem legis plures manumiserit.
X. *De seruo in fraudem foeneratorum manumisso.*

LIB. II. De conditionibvs et modo manvmittendi.

Cap. XI. *De mercede manumissionis.*

BIU Cujas

CAP. XII. De iureiurando libertorum, ne liberos tollant. *p.* 643
LIB. III. DE OFFICIIS LIBERTORVM ET PATRONORVM MVTVIS. 644
CAP. XIII. De eo, quod in fraudem patroni factum.
XIIII. *De libertis ingratis.*
XV. *De patroni officio erga libertum inopem.*

TOMVS IIII.

CONTINET

TOPOGRAPHIAM IVRIS ROMANI,

ORDINE ALPHABETICO COMPOSITAM. 645

TOMVS V.

VITAM ET RES GESTAS LVDOVICI GERMANICI IMP. COMPREHENDENS. 693

AGIT

CAP. I. De Ludouici nomine, cognominibus, et titulis. 695
II. De Ludouici Germanici maioribus et natalibus. 711
III. De Ludouici pueritia et educatione ad a. 817. 728
IIII. De Ludouici regno Bauarico vsque ad turbas ex imperii diuisione ortas. 751
V. De turbis in Ludouici Pii familia ob diuisionem imperii ortis vsque ad mortem imperatoris. 812

CODEX DIPLOMATICVS

CONTINET

DIPLOMATA AB EO EDITA LXVIII. 857

INDEX

BIU Cujas

INDEX RERVM ET VERBORVM,

Quae

in hoc Volumine *Opuſculor. Poſtumorum*

continentur;

Ordine alphabetico diſpoſitus.

A.

ACtio *de ſeruo corrupto.* vid. *Damnum.*
de Actione *danda.* pag. 303
de Actione rerum amotarum, ventre in poſſeſſionem miſſo et agnoſc. vel al. lib. XVIIII. 583
——— *furti, operis libertorum et noui operis nunciatione.* 627
Actiones per inſiciationem, quemadmodum duplentur. 509
de Actionibus *ex dominio & ſeruitutibus*, lib. VII. 571
de Actionibus noxalibus. 498
——— *aliis aduerſus eum, qui in aliena poteſtate eſt, inſtituendis.* lib. XII. 576
——— *ex negotiis per alios explicatis, compenſatione, pignore, depoſito.* lib. XIII. pag. 578
de Actionibus interdictis, lib. XV. 603
Ad exhibendum, *tit. LVII.* 545
Africa *cauſſidicorum nutricula.* §. III. 199
Ager *vectigalis ſi petatur.* 475
Album *quid?* §. VI. 20
Aleator. vid. *Damnum.*
de Aleatoribus. 540
Anthianus *Furius.* vid. *Edictum.*
de Arbitris *receptis, et qui arbitrium receperunt, vt ſententiam dicant.* 426

B.

de BEneficio *diuiſionis inter fideiuſſores.* 515
de Bonorum *poſſeſſionibus.* lib. XIII. 628

C.

BIU Cujas

C.

CAIVS. vid. *Edictum.*
CALLISTRATVS. vid. *Edictum.*
de Calumniatoribus. pag. 397
Caupones. vid. *Recepta.*
CELSI (P. Iuuentii) *Digesta ordini suo restituta.* 618
CICERONIS *locus explicatus.* §. VIIII. 50
Codex *diplomaticus, seu fasciculus Diplomatum*, LVDOVICI GERMANICI *historiam illustrans.* 857
de Cognitoribus. 377
Commodatum. vid. infra *Constitutum.*
de Communi *diuidundo.* 507
de Condictionibus *constituta pecunia, commodato, pignore et gestis cum eo, qui in aliena potestate est.* lib. VI. 623
de Constituto *commodato, pignore, praescr. verbis, exercitoria et institoria.* 575
Consules *iurisdictione aliqua gauisi sunt, non modo creatis praetoribus, sed et sub imperatoribus.* §. IIII. 44
de Contractibus *quasi contractuum quorumdam affectionibus, delictis, criminibus.* lib. XIIII. 602
Contractus *aestimat.* vid. *Emtio.*
in Creditorum *fraudem, de his quae fiunt.* 517

D.

de DAmno *dato, iureiurando, actionibus, de seruo corrupto, aleatoribus, aduersus mensorem, ad exhibendum.* lib. VIIII. pag. 573
de Damno *infecto, caussis status, possessione, vsucapione, vi bon. rapt. iniuriis.* lib. XXIII. 633
Decemuiri. vid. *Edicta.*
de Deposito, *mandato, societate, precario.* lib. VII. 625
Diploma *apud* Guillimann. *Episcop. Argent.* 857
——— *Ludouici Germanici ex vetustissimo exemplo desumptum apud* Eccard. 859
——— *eiusd. apud* Aub. Miraeum. 860
——— *eiusd. Vltraiectinum, apud* Guil. Hedam. 861
——— *eiusd. apud* Calmet. 863
——— *Ludolphi ducis Saxonite apud* Bodon. 864
——— *eiusd. apud eumdem.* 866
——— *Lud. German. ex authentitico exscriptum a* Nic. Schatenio. 867
——— *alterum, eodem die datum Corbeiensibus apud* Schaten. 869
——— *Ludouici Germanici Corbeiense apud* Schaten. 871
——— *Corbeiensibus et Heriuordiensibus datum apud eumdem.* 872
——— *Corbeiensibus datum apud eund.* 875

Diploma

BIU Cujas

Diploma *Paderbornense apud* Schaten. pag. 876
——— *Heruordiense apud eund.* eund. 878
——— *Heruordiense apud* eund. 880. 881
——— *Herisiense apud eund.* 883
——— *Corbeiense apud eund.* 885
——— *Corbeiense eiusdem anni apud eund.* 887
——— *Germanice versum, et hinc inde suspectum apud* P. Ignatium Gropp. 888
——— *Lamspringense apud* Harenberg. 890
——— *Fuldense, inter traditiones Fuldenses ex autographo editum a* Schannat. 893
——— *Hattonis, abbatis Fuldensis, apud* Schaten. 894
——— *Fuldense, ex veteri apographo editum a* Schannato. 898
——— *Argentoratense ex archiuo Tabernensi erutum a* Ludou. Laguille. 901
——— *Ludouici Pii et Lotharii Imperatorum Cremisanense apud* Sam. Rettenpacher. 903
——— *Ludouici Germanici adhuc regis Baiuuariorum apud* Hundium. 904
——— *Lud. Germ. adhuc regis Boiariorum; apud eund.* 906
——— *Lud. Germ. regis Baiuuariorum, apud eund.* 907
——— *eiusdem apud eund.* 908. 909
——— *eiusdem apud* Marquard. Freher. *pag* 910
Diploma *Ludouici Germ. Tigurinum.* 911
——— *Ludouici Pii Tigurinum.* 913
——— *Ludou. Germ. apud* Hund. 915
——— *Ludou. Germ. monasterio S. Emmeranni Ratisponensi concessum.* 916
——— *Lud. Germ. Altahense apud* Hund. 917
——— *Altahense apud eund.* 919
——— *Altahense apud* Hund. 920--922
——— *Rataldo, Argentoratensi Episcopo, datum apud Culpis.* 924. 926
——— *Germanice versum ab* Auentino. 930
——— *simile, eiusdem, apud* Schilterum, *ab* Auentino *Germanice versum.* 931
——— *eiusdem, ex Auentini versione apud* Schilter. 933
——— *Caroli Crassi, Imperatoris apud* Freher. 934
——— *Ludouici Germ. ex archiuo Ecclesiae Wormatiensis.* 935
——— *Wormatiense.* 936
——— *Godeberti subdiaconi.* 938
——— *Lud. Germ. ecclesiae Nauhausensi in dioecesi Wormatiensi datum.* 939
de Diuortiis *et dotis repetitione. lib.* XVIII. 583
de Diuortiis *et actionibus soluto matrimonio competentibus.* lib. X. 626

BIU Cujas

Donatio *inter virum et vxorem.* vid. *Sponſalia.*
Dos. vid. *Sponſalia.*
de Dotis *variis ſpeciebus, et donatione inter virum et vxorem.* lib. XVII. pag. 582

E.

de EDendo. 334
Edicendi *ius an arceſſendum ſit ab imperio magiſtratuum.* §. VIII. 10
——— *ius deriuari non poteſt ex imperio, quocumque ſenſu accipiatur.* §. X. 12
——— *ius olim regibus proprium, ad omnes fere ſacerdotes et magiſtratus deuolutum, quod Regum munia poſtea varii magiſtratus et ſacerdotes obiiſſent.* §. VI. 39
Edicere *quo ſenſu dicantur priuati.* §. VI. 8
Edicta *theſmothetarum qualia Athenis fuerint.* §. II. 33
——— *Ea reg s ab ipſis vrbis incunabulis propoſuiſſe videri.* §. III. 35
——— *quid?* §. II. 5
——— *ea Romae proponere ſolitos, qui exercitibus praeeſſent.* §. III. ibid.
——— *itemque ſacerdotes, pontifices, decemuiros ſacrorum, augures.* §. IIII. 6
——— *maxime tamen Magiſtratus.* §. V. 7
——— *ipſa cur aliquando vocentur imperia?* § X. 12
——— *magiſtratus aliquando vel per praecones iuſſiſſe recitari, vel in ſcripturam redacta publice propoſuiſſe.* §. II. pag. 17
Edicta *inſcripta ſaxis, aeri, tabulis linteis et ceruſſatis.* §. IIII. 18
——— *propoſita in albo.* §. V. 19
——— *alia tralatitia, alia noua.* §. VII. 21
——— *alia perpetuae iuriſdictionis cauſſa propoſita, alia repentina.* §. VIII. 24
——— *quaedam ex his ad rei publicae adminiſtrationem pertinuiſſe.* §. X. 25
——— *quaedam ad negotia forenſia.* §. XI. 27
——— *monitoria et breuia.* §. XII. 28
——— *Praetores ſolos, proconſules et aediles propoſuiſſe, qui ſtatuunt, errant.* §. I. 41
——— *etiam conſules propoſuiſſe, et non repentina.* §. II. 42
——— *ſolum ad perpetuam iuriſdictionem pertinentia.* §. III. 43
——— *dictatorum.* §. V. 46
——— *an vel a dictatoribus nomen acceperint, vel dictatores ab edicendo dicti.* ib. ibid.
——— *cenſorum tum repentina, tum perpetua.* §. VI. 47
——— *haec etiam leges cenſorias dicta eſſe.* §. VII. 48
——— *Tribunorum plebis. Ex edictis ſuis hos etiam ius dixiſſe* §. VIII. 49
——— *Quaeſtores et XXuiros reddidiſſe non videri,* §. X. 51
——— *Praefectorum praetorio,* §. II. 55
——— *quamdiu illi proponere conſueuerant,* §. IIII. 57
——— *praefecti annonae.* §. VIII. 71

Edicta

Edicta *praefectorum aerarii.* §. X. pag. 72
——— *quaedam praetoria, cur authorum nomina retineant?* §. XIIII. 94
——— *accurate scripta an non.* §. XXII. 108
——— *frequentissime mutata.* §. XXIIII. 112
——— *prouincialia a quibus proposita.* §. III. 136
——— *vel tralatitia, vel noua.* §. VII. 141
——— *repentina etiam permulta proposita a praesidibus.* §. VIII. 144
——— *reddiderunt Principes Rom. iam ab Augusti temporibus.* §. I. ibid.
——— *quo iure reddiderint, quum tamen prae se ferrent initio se non esse legislatores, sed populum.* §. II. 146
——— *Principum saepe SCtis firmata.* §. III. 150
——— *generalia, specialia, mandata.* §. V. 153
Edictales *formulae:* bonum factum, *itemque* non placere. §. VIII. ibid.
Edictalis *formula palam vnde de plano recte legi possit.* §. III. 17
Edicti *praetorii elogia,* §. XXX. 129
——— *perpetui conditi genuina era figenda in a. er. Dionys.* 131. §. VIII. 176
Edicti *ordo.* vid. *Hermogenianus.*
de Edictis *Car.* Sigonii *sententia expensa.* §. VIIII. 11
de Edictis *Guid.* Panciroli *sententia expensa.* §. XIII. pag. 29
——— *monitoriis et brevibus conjecturae.* §. XIIII. 30
Edictis *suis an ius nouum introduxerint.* §. V. 46
de Edictis *Aedilitiis alio libello acturum auctor fidem facit.* §. XII. 130
de Edicto *monitorio Callistrati.* §. X. 276
Edicto *perpetuo condito an sectae ICtorum plane cessaverint.* §. XIIII. 194
Edicto *prooemii loco SCtum praemissum.* 295
Edictorum *historia nondum satis illustrata.* §. I. 4
——— *variae diuisiones.* §. I. 16
——— *ad originem transitio.* §. I. 32
——— *consuetudinem frustra repeti ab aliis gentibus.* §. II. 33
——— *diuulgatio per libellos, pittaria picturas, praecones.* §. VII. 9
——— *reddendorum ius, aliquando coniunctum fuisse cum honoribus.* §. XI. 13
——— *generalium etc. publicatio.* §. VI. 156
Edictum *perpetuum in decem partes distribui posse, quarum prima dicatur τὰ πρῶτα, et prima, sive praeparatoria iudici contineat.* 296
Edictum *aliquando pro lege accipi, legem pro edicto.* §. V. 7
——— *cur vocetur* tralatitium, *quod vulgare ac perfunctorium est.* §. VII. 22

BIU Cujas

Edictum *elegans L. Turcii Aproniani, Praefecti urbis, de venditione carnium.* §. VI. pag. 61
——— *alterum eiusdem, de suariis et ordinibus.* §. VIII. 67
——— *praetorium, quomodo sensim iuris scripti authoritatem in foro romano sit consequutum.* ibid. ibid.
——— *perpetuum quotuplici sensu dicatur.* §. I. 157
——— (*ad*) ——— *commentarii scripti.* §. VII. 168
——— *perpetuum an scripserit Ofilius auctoritate et iussu I. Caesaris.* §. VIII. 170
——— *de illo Doduelli sententia expensa.* §. VIIII. 171
——— *vere perpetuum conditum est sub Hadriano Imp.* §. I. 174
——— *perpetuum authoritatem suam conseruauit etiam sub insequentibus imperatoribus.* vid. *Iulianus* (Salvius) §. XI. 190
——— *in scholis iuridicis ab antecessoribus explicatum* §. XIII. 193
——— *perpetuum auctoritatem et robur obtinuit, a SC. illi praemisso.* §. I. 261
——— *de interna eius forma.* §. III. 265
——— *an in libros diuisum fuerit.* §. IIII. 267
——— (ad) *commentaria ICtorum.* §. VI. 270
——— *commentatus est Pomponius sex.* ibid. ibid.
——— *Caius.* §. VII. 271
——— *Vlpianus.* §. VIII. 273
——— *Paulus* (Iul.) §. VIIII. 275
ad Edictum *Furii Anthiani Libri* §. X. pag. 276
——— *de aliorum commentariis.* §. XI. 277
——— *ad ordinem seriemque plerique ICtorum libri scripti.* §. XII. ibid.
——— *veterum scriptorum testimonia.* 280
Edixisse *etiam Praefectos urbi.* §. V. 58
de Emtione *venditione, locatione conductione, ad L. Rhodiam, aestimatoria.* lib. XV. 579
——— *locatione, et contractu aestimat.* Lib. VIII. 625
de Eo *per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat.* 376
Epistola *Episcopi ad Archipresbyterum de ieiunio a tribus fratribus, Ludov. Germ. filiis decreto.* 927
Epistolae *Episcopi Brixiensis ad Episcopum Germanum, pars.* 928
ad hanc Epistolam *responsio.* 929
de Exceptionibus *et stipulationibus.* lib. XXVI. 636
Exercitoria *et Institoria.* vid. *Constitutum.*

F.

de Familia *erciscunda.* pag. 504
de Fideicommissariis *libertatibus in specie, et mortis causa donation.* lib. VIIII. 599
de Fideicommissis *generatim.* lib. VIII. ibid.
de Finibus *regundis.* 500

de

de Fisco *et re militari.* lib. XXXVIIII. pag. 641
de Formula *jurisdictionis, et albo corrupto.* 327
de Furtis *et operis Libertorum.* lib. XXII. 585

H.

HADRIANVS vid. *Lex.* et *Iulianus.*
Hadrianus, *an orationem in senatu ipse recitarit?* §. II. 262
de Herede *instituendo, et substitutionibus.* lib. XXX. 590
de Hereditate *adquirenda, vel omittenda.* lib. XXXI. 591
de Hereditatis *petitione.* 449
Hereditatis *pars si petatur.* 464. 571 621
——— *possessoria petitione.* 465
——— *fideicommissoria petitione.* 466
de Heredum *qualitate, et differentia.* lib. XXVIIII. 589
Hermogeniani *libri sex Epitomarum iuris ordini suo restituti.* 604
——— lib. I. *Pars* 1. *de statu hominis.* ibid.
——— *pars* 2. *ad edicti ordinem.* 605
——— 3. *de publicis iudiciis.* 616
——— Lib. II. 607
——— III. 610
——— IIII. 612
——— V. ibid.
——— VI. 614
de His *qui effuderint, vel deiecerint.* 532
Honorati *quinam?* 13

I.

IAvolenus *priscus an stolidus et ineptus.* §. XXIIII. pag. 240
de Iis *per quos agere possumus,* lib. III. 568
Infamiâ *quinam notantur?* 362
de Interdictis lib. XXV. 635
de Interrogationibus *in iure faciendis, et interrogatoriis actionibus.* 519
si Iudex *litem suam fecisse dicatur.* 516
Iudicia *publica.* vid. *Hermogenianus.*
de Iudicis *datione.* 323
——— *et vbi quisque agere vel conuenire debeat,* 437
de Iudiciis. lib. V. 570
——— *duplicibus,* lib. VIII. 572
——— *et rerum vindicatione.* lib. III. 620
Iulianus (Salvius) *edicti perpetui auctor, et tunc praeturam exercuisse videri.* §. IIII. 177
——— *illud composuit authoritate Hadriani.* §. V. 178
——— *ex variis aliis edictis collegisse.* §. VI. 180
——— *quaedam tamen de suo addidisse, alia detraxisse, atque immutasse:* §. VII. 181
——— *Immo, et quaestiones, inter Procueleianos et Sabinianos agitatas decidisse.* §. VIII. 183
——— *eius auctoritas.* §. VIIII. 184
——— *vita parum certa exploratague est.* §. I. 196
——— *patria non Mediolanum,*

BIU Cujas

ſed quod probabilius, Hadrumetum. §. II. pag. 197
Iuliani *Maiores incerti.* §. IIII. 200
——— *fuit auctor illuſtriſſimae proſapiae, quae deſcribitur ex mente* Spartiani *et* Caſauboni. §. V. 201
——— *nec non ex ſententia* Reineſii *et* Ruperti. §. VI. 202
——— *utriuſque ſtemmatis examen.* §. VII. 204
——— (Salvii) *nomina.* §. VIIII. 210
——— *floruiſſe illum ſub Hadriano.* §. X. 211
——— *itemque ſub Antonino Pio et divis fratribus.* §. XI. 212
——— *an fuerit μακρόβιος ille, de quo l. 20. D. de fideicom. libertat.* §. XII. 213
——— *ſtudia philologica.* §. XIII. 215
——— *Antiquitatum Romanarum peritia.* §. XIIII. 218
——— *Philoſophia.* §. XV. 221
——— *Stoicismus.* §. XVII. 225
——— *fragmenta, in quibus veſtigia doctrinae ſtoïcae.* §. XVIII. 227
——— *an et ſubtilitatum Stoïcarum curioſus fuerit?* §. XVIIII. 230
——— *Iuriſprudentia legiſlatoria.* §. XX. 232
——— *itemque conſultatoria.* XXI. 234
——— *et iudicialis.* §. XXII. 237
——— *inter iuriſconſultos auctoritas.* §. XXIII. 238
——— *praeceptor priſcus* Iauolenus. §. XXIIII. 240
——— *auditores.* §. XXVI. 244
——— *fuiſſe ſectae Sabinianae antesignanum.* §. XXVII. 246
——— *quos honores in republica geſſerit.* §. XXVIII. pag. 247
Iulianus (Salvius) *an prouincias rexerit.* §. XXVIIII. 250
——— *eius vitae finis et ſepultura.* §. XXX. 251
——— *ſcripta; Digeſta.* §. XXXI. 252
——— *ad digeſta variorum notae.* §. XXXII. 254
——— *Libri ad Minicium,* §. XXXIII. 256
——— *ad Vrſeium ferocem.* §. XXXIIII. 257
——— *de ambiguitatibus.* §. XXXV. 258
——— *an et ad edictum, et de praedio dotali ſcripſerit.* §. XXXVI. 260
——— *eius ſeries librorum LXXXX. digeſtorum.* 567
Iuliani (Didii) *quae mater eius?* §. VIII. 207
——— *quae paterna origo.* ib. ib.
Iulianus *Berytenſium anteceſſor a noſtro diverſus.* §. XXIII. 238
de Iure *abſtinendi, et bon. poſſeſſ. patrono danda.* lib. XXVI. 588
de Iureiurando *voluntario.* 524
Iure *ſcripto deficiente, pleraque edictis explicari debere à Magiſtratibus.* §. IIII. 36
de Iuribus *connubii, et concubinatu* lib. XI. 600
——— *itidem* lib. XII. ibid.
Iuriſconſulti *plerique poſt Hadrianum ad edictum perpetuum ſe frequenter referunt.* §. XII. 192
de Iuriſdictione. lib. I. 567. 618
——— *et officio Magiſtratuum.* lib. XVI. 605

de Iuriſ-

BIU Cujas

de Iurisdictionis *formula, edendo et pactis.* lib. II. pag. 568
Iurisprudentia *media quid?* §. X. 187
Ius *honorarium quid?* §. XII. 14
Iusiurandum *an in leges adhibitum.* §. XXIII. 110
—— vid. *Damnum.*

L.

de Legatis lib. XXXII. 591
—— *generatim.* lib. VI. 596
—— *speciatim.* lib. VII. 597
—— lib. I. lib. XVII. 630
—— lib. II. lib. XVIII. 631
—— lib. III. lib. XVIIII. ibid.
—— lib. IIII. *et Fideicommissis* lib. I. lib. XX. 632
—— lib. V. *et Fideicommissis* lib. II. lib. XXI. 633
—— lib. VI. *et de fideicom.* lib. II. lib. XXI. ibid.
—— *Cincia et Iunia Velleia.* lib. XXVIII. 637
de Lege *Cornelia varii scriptorum errores.* §. VI. 166
de Lege *Aquillia.* 489
ad Legem *Iul. et Pap. Popp.* lib. I. lib. XXX. ibid.
—— lib. II - XXXI. ibid.
—— lib. III - XXXII. 639
—— lib. IIII - XXXIII. ibid.
—— lib. V - XXXIIII. ibid.
—— lib. VI - XXXV. 640
—— lib. VII - XXXVII. ibid.
Leges *prouinciarum ante communicatam cum toto orbe Romano ciuitatem.* II. 133
—— *nouae ad Hadriani temporibus edictis Principum conditae.* §. IIII. 152
ad Leges *Fusiam Caniniam, Aeliam Sentiam, et Iuliam Norbanam.* pag. 638
ad Leges *de iudiciis publicis* lib. XXXVII. ibid.
Legum *nouarum conditor Hadrianus Numae aemulus.* II. 174
Lex *Cornelia de edictis perpetuis.* V. 165
Libertorum *officia.* vid. *Officia.*
de Lite *vindiciarum.* 319
Locatio. vid. *Emtio.*
Lvdovici Germanici *historia, et res gestae.* 695
—— *nomina, cognomina et tituli.* cap. I. ibid.
—— *maiores, et natales.* cap. II. 711
—— *pueritia et educatio ad annum DCCCXVII.* cap. III. 728
—— *regnum Bavaricum vsque ad turbas ex imperii divisione ortas.* cap. IIII. 751
—— *cap. V. vid.* turbae.
—— *Præceptum Fuldense apud* Schannat. 895
—— *Praeceptum Fuldense ex vetere apographo editum ab eodem.* 896
—— *Fuldense, ex chartario editum a* Schannat. 897

M.

Magistratus *varii provinciales.* I. 130
Magistratuum *municipalium potestas et officium.* 305
de Mandato *et Societate* lib. XIIII. 579

Man-

BIU Cujas

Mandatum. vid. *Depositum.*
Manumissionibus *Iuribus Patronatus, contractibus.* lib. XIII. pag. 601
de Manumissoribus. lib. II. 642
de Manumittendorum *qualitatibus.* lib. I. 642
de Manumittendorum *et manumittentium qualitate.* lib. I. 643
Manus *regia quid?* V. §. 38
Marciani (Aelii) libri XVI. *institutionum ordini suo restituti.* 592
Marsyae *statua ex qua suspensi libelli famosi* §. VII. 10
Mensor. *vid. Damnum.*
si Mensor *falsum modum dixerit?* 542
Micare *quid?* §. VII. 63
de Modis *et conditionibus manumittendi.* lib. III. ibid.
de Modo *et conditionibus manumittendi.* lib. II. ibid.
——— *iurisdictionis.* 314

N.

NAutae. vid. *Recepta.*
de Negotiis *gestis.* 393
de Nouationibus, *solutionibus, cautionibus.* lib. XXVII. 636
Nuptiae. vid. *Sponsalia.*
de Nuptiis. lib. X. 600

O.

Obseruationes *variae ad edictum L. Turcii Aproniani.* VII. 63
de Officiis *Libertorum, et Patronorum mutuis.* 644

P.

de PActis *et conuentionibus.* 339
PANCIROLI *sententia de iure Praetorio.* §. IIII. 137
Panciroli *sententia refellitur.* §. V. pag. 138
——— *argumenta refutantur.* §. VI. 139
Patricii *an edixerint.* §. VIII. 71
Patronorum *officia.* vid. *Officium.*
PAVLLVS (Iul.) *vid.* Edictum.
Paulli *fragmenta ex* libris III. *ad L. Ael. Sentiam, ordini suo restituta.* 643
Pendere *sub edicto quid?* §. X. 72
de Personarum *prima diuisione.* lib. I. 592
——— *secunda diuisione.* lib. II. ibid.
Philosophicae *scientiae specimina.* §. XVI. 222
Pignus. vid. *Constitutum.*
de Plusquamdecendo. 371
Pomponii *Sent.* vid. *Edictum.*
de Possessione *bonorum, ventri, et ex edicto Carboniano data.* lib. XXIIII. 587
——— *bonorum, secundum tabulas.* lib. XXV. 588
de Possessionibus *bonorum contra tabulas.* lib. XXIII. 586
de Postulando. 357
Praefecti *vrbi officia* §. VII. 63
Praescr. *verbis.* vid. *Constitutum.*
Praetor *sacris Vulcani an ostiae fuerit?* §. I. 76
——— *primus quando creatus.* §. II. 78
——— *unus vrbanus primum creatus.* §. V. 80
——— *postea et peregrinus creatus.* ibid. ibid.
——— *vrbanus maior dictus.* ibid.
——— *an et honoratus?* ibid. ibid.

BIU Cujas

Praetor *populo omnino illusit nouis vocabulis.* §. XXV. pag. 114
—— *itemque variis inuentis exceptionibus.* §. XXVI. 120
—— *nec non promissis in integrum restitutionibus.* §. XXVII. 121
—— *denique fictionibus.* §. XXVIII. 123
Praetores *an scripturi edicta adhibuerint in Consilium tribunos plebis* §. VIIII. 50
—— *an adpulerint.* ibid.
—— *olim omnes Magistratus dictos, non autem sacerdotes.* §. I. 76
—— *collegae consulum.* §. III. 79
—— *Quandonam praeturam impetrabant a plebe?* ibid.
—— *de fidei commissis, tutelares, liberales, fiscales, aerarii.* §. VII. 84
—— *an et cereales?* ibid.
—— *omnes de iurisdictione sua, rebusque curae suae demandatis, edicta proposuisse.* §. XII. 91
—— *proposuerunt edicta alia tralatitia, alia noua.* §. XIII. 93
—— *edicere solebant sub auspicium magistratus sui, praestito simul in leges iureiurando.* §. XV. 96
—— *edicta proponebant in albo.* §. XVI. 98
—— *duplex habuerunt edictum.* ibid. ibid.
—— *indirecto sibi legislatoriam potestatem vindicasse, legesque euertisse edictis suis.* §. XVIII. pag. 101
Praetores *hanc sibi potestatem arrogantes, impedirene potuerit Romanorum religio circa leges.* §. XXI. 107
—— *aliique magistratus olim edicta sua per ipsum magistratus tempus pro lubitu mutabant.* §. II. 158
Praetoriae *actiones, cur authorum nomina retineant?* §. XIIII. 94
Praetoris *iurisdictionem constitisse in dando,* §. VIII. 86
—— *in dicendo,* §. VIIII. 88
—— —— *in addicendo.* §. X. 89
—— *extraordinaria munera.* §. XI. 90
—— *Cortii vindiciae expensae.* §. XVIIII. 103
Praetorium *ius fueritne praesidibus?* §. IIII. 137
—— *ex eo tempore paullo certius factum.* §. VII. 168
Praetorius *magistratus primum Patriciorum proprius, deinde cum plebe communicatus.* §. IIII. 80
Praetorum *numerum subinde auctum.* §. VI. 82
—— *duplex edictum, quo loco probabiliter fuerit.* §. XVII. 100
Precarium. vid. *Depositum.*
Principes. vid. *Edicta.*
—— vid. *Leges.*
de Procuratoribus. 382
de Publiciana *in rem actione.* 472

BIU Cujas

Q.

QUadrupes *pauperiem fecisse dicatur.* pag. 486
Quaestores. vid. *Edicta.*
Qui *neque sequantur, neque ducantur.* 351
Quod *quisque iuris in alterum statuit, vt ipse eodem iure vtatur.* 331
——— *cuiuscumque vniuersitatis nomine, vel contra eam agetur.* 391

R.

de REbus *creditis, et conditionibus quibusdam.* lib. X. 574
Recepta *ut restituant, nautae, cauponer, stabularii.* 430
de Re *iudicata, possessione bonorum, et creditorum priuilegiis.* lib. XXIIII. 634
de Rei *vindicatione.* 467
de Religiosis. 550
de Rerum *diuisione, et adquirendo dominio.* lib. III. 593
de Restitutionibus *in integrum.* 400. *et* 619
——— *in integrum, et receptis.* lib. IIII. 569
Ρωμαϊκα τῶ μαγιστρῶ λεγόμενα *apud Harmenopulum quid?* §. VIIII. 71

S.

SAcrarius *Vulcani, aliorumque Deorum Dearumque.* §. I. 76
de Satisdando. 432. et 436
Senatus consulta *saepe edictis promulgata.* §. III. 150
SCtum *a. v. c.* 585. *factum, ut Praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent.* §. III. pag. 159
——— *Illud valuisse non videri, et cur?* §. IIII. 164
——— *Hadriani temporibus factum.* 452
——— *quibus diebus, et Consulibus, conditum.* §. I. ibid.
——— *an in eo coss. ordinariis iungantur suffecti?* §. II. 453
——— *huic SC. libellus praemissus.* §. III. 454
——— *ex eo libello quaedam fragmenta supersunt.* §. IIII. 455
——— *occasio ex hereditate caduca Rustici.* §. V. ibid.
——— *Rusticus ille quis?* ib.
——— *proprie ad caduca et vacantia pertinuit: an ad sola?* §. VI. 457
——— *primum caput de vsuris pretii rerum hereditariarum venditarum non exigendis.* §. VII. 458
——— *caput secundum de pretio in locum rerum succedente.* §. VIII. 459
——— *Quid si res apud emptorem deperierint, deminutaeue sint?* §. VIIII. 460
——— *caput tertium de iis, qui dolo possidere desierint.* §. X. 460
——— *Regulae huius sensus et origo.* §. XI. 461
——— *Bonae fidei possessor non restituit fructus perceptos, nisi quibus est locupletior factus.* §. XII. 462
——— *A quo tempore hereditas fisco petita intelligatur?* §. XIII. 463

de

BIU Cujas

de Sepulchro *violato.* pag. 560
de Seruitutibus *rusticorum, atque vrbanorum praediorum.* 480
—— *damno, iudiciis diuisoriis.* lib. V. 621
de Seruo *corrupto.* 536
de Seruorum *usufructu, operis, usu et habitatione.* 476
SEVERI *Imp. aduersus edictum perpetuum irritum consilium.* §. XI. 190
Seuum, *et subiugulare quid?* §. VII. 63
Societas. *vid.* Mandatum *et* Depositum.
de Sponsalibus, *nuptiis et dote.* lib. XVI. 581
—— *nuptiis, dote, et donationibus inter virum et vxorem.* lib. VIIII. 626
Stabularii. vid. *Recepta.*
Status *hominis.* vid. *Hermogenianus.*
de Stipulationibus. lib. XXXVIII. 641
Sub exagio vendere *quid?* §. VII. 63
Subscriptio *tabularum synodi Wormatiensis sub Ludouico Germanico habitae, apud* Schaten. 882
—— *tabularum Alfridi, Episcopi Hildesiensis, quibus monasterium Essendiense fundauit, apud eundem.* 884
—— *traditionis Cunihiltis apud* Pistor. 899
—— *Chartae alterius apud* Pistor. ibid.
—— *traditionis Elli, Ermanolti, et Baldi apud* Pistor. ibid.
Subscriptio *Chartae Alaman. LXIII. apud* Goldast. pag. 900
—— *Chartae LXIIII. apud* eund. ibid.
—— *Chartae LXXIIII. apud* eund. ibid.
—— *ex charta LXXXXIII. apud* eund. ibid.
—— *Traditionis Werthinensis apud* Leibnit. 902
—— *Diplomatis Caroli Crassi in Formulis Alsaticis.* 925
de Successionibus *ab intestato, et aliis modis adquirendi vniuersalibus.* lib. V. 596
de Sumtibus *funerum.* 550

T.

de TEstamento *inofficioso.* 444
de Testamentis *et legitimis successionibus.* lib. XXVII. 588
—— lib. IIII. 595. *et* 629
—— *et success. ab intestato.* lib. XV. ibid.
Titulus *canonis vinarii quid?* §. VIII. 67
Τόποι χενικοὶ *quid?* §. III. 56
Topographia *digestorum ordine alphabetico dispositа.* 647
de Turbis *in Ludouici Pii familia ob diuisionem imperii ortis, vsque ad mortem Imperatoris. cap. V.* 812
Tuscianus *Saluii Iuliani condiscipulus.* §. XXV. 242
de Tutelis. 584. 627
Tutoris *officia, et actiones ex tutela natae.* lib. XXI. ibid.

BIU Cujas

V.

de VAcantibus, *ereptitiis, caducis, cet.* lib. XXVIII. pag. 589
de Vadimoniis. 315
Valens *Ab. Saluii Iuliani condiscipulus.* §. XXV. 242
Vlpianus. *vid.* Edictum.
Vlpiani *libri quatuor ad L. Aeliam Sent. ordini suo restituti.* pag. 642
de Vocando *in ius.* 343
Vocati *in ius, vt eant, aut satis, vel cautum dent.* 348
Vocatum *in ius, ne quis vi eximat.* 355
Vocatus *quis in ius, si non ierit.* 350

FINIS.

BIBLIOTHEQUE CUJAS
PARIS

BIU Cujas



SIU Cujas

S 4336
7

J. G. HEINECCII
OPERUM,
Tom: VII.

EX LIBRIS
DON
BIU Cujas